PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;
DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;
CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;
OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;
DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.
EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES SECUNDA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A GREGORIO MAGNO AD INNOCENTIUM III.

Accurante J.-P. Migne,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS LXXIV.

VITÆ PATRUM. — ADDENDA.

VITARUM PATRUM TOMUS POSTERIOR. ADDENDORUM TOMUS UNICUS.

VENIT 7 FRANCIS GALLICIS.

PARISIIS, APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PROPE PORTAM VULGO D'ENFER NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1850



APPENDIX

AD MONUMENTA SEX PRIORUM ECCLESIÆ SÆCULORUM.

VITÆ PATRUM

SIVE

HISTORIÆ EREMITICÆ LIBRI DECEM

AUCTORIBUS SUIS ET NITORI PRISTINO RESTITUTI
AC NOTATIONIBUS ILLUSTRATI, OPERA ET STUDIO HERIBERTI ROSWEYDI, ULTRAJECTINI
E SOCIETATE JESU THEOLOGI.

ACCEDIT

ONOMASTICON RERUM ET VERBORUM DIFFICILIORUM, CUM MULTIPLICI INDICE, ETIAM CONCIONATORIO.

TOMUM PERFICIUNT

ADDENDA

OPERIBUS QUORUMDAM AUCTORUM IN PRÆCEDENTIBUS PATROLOGIÆ TOMIS EDITORUM,

INTER QUÆ MAXIME COMMENDATUR

SACRAMENTARIUM GELASIANUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

VITARUM PATRUM TOMUS POSTERIOR. ADDENDORUM TOMUS UNICUS.

VENIT 7 FRANCIS GALLICIS.

PARISIIS, APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE* PROPE PORTAM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1850

ELENCHUS OPERUM

QUÆ IN HOC TOMO LXXIV CONTINENTUR

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

VITÆ PATRUM,

SIVE

HISTORIA EREMITICA.

CONTINUATIO.

DE VITIS PATRUM

LIBER NONUS,

QUI DICITUR

PHILOTHEUS, *sive* THEOPHILES,

AUCTORE THEODORETO, CYRI EPISCOPO,

INTERPRETE GENTIANO HERVETO.

PRÆLUDIUM.

De hoc libro attulimus quædam testimonia supra, in prolegomeno generali 11. Præter ea et hæc nunc habe.

DE AUCTORE ET HOC IPSO LIBRO TESTIMONIA.

Joannes Damascenus, orat. 3, de Imaginibus.

793 Ἐκ τῆς Φιλοθέου ἱστορίας Θεοδωρίτου ἐπισκόπου Κύρου, εἰς τὸν βίον τοῦ ἁγίου Συμεῶνος τοῦ κιονίτου· περὶ γὰρ Ἰταλίας, περιττόν ἐστι καὶ λέγειν. Φασὶ γὰρ οὕτως ἐν Ῥώμῃ τῇ μεγίστῃ πολυθρύλλητον γένεσθαι τὸν ἄνδρα, ὡς ἐν ἅπασι τοῖς τῶν ἐργαστηρίων προπυλαίοις εἰκόνας αὐτῷ βραχείας ἀναστῆσαι, φυλακήν τινά σφισιν καὶ ἀσφάλειαν ἐντεῦθεν πορίζοντας: « Ex Philotheo Theodoreti episcopi Cyri, in sancti Simeonis in columna degentis Vitam; nam de Italia quid attinet loqui? Aiunt enim virum hunc in maxima urbe Romana usque adeo clarum ac celebrem exstitisse, ut etiam in omnibus officinarum vestibulis homines parvas imagines ipsi erigerent, hinc videlicet præsidium sibi ac securitatem quamdam comparantes. »

A *Synodus VII generalis, quæ est II Nicæna, act. 4.*

Θεοδωρίτου ἐπισκόπου Κύρου ἐκ τοῦ βίου Συμεὼν τοῦ Στυλίτου, οὗ ἡ ἀρχή· Συμεὼν τὸν πάνυ τὸ μέγα θαῦμα τῆς οἰκουμένης. Καὶ μεθ' ἕτερα· Φασὶ γὰρ οὕτως ἐν Ῥώμῃ τῇ μεγίστῃ πολυθρύλλητον γένεσθαι τὸν ἄνδρα, ὡς ἐν ἅπασι τοῖς τῶν ἐργαστηρίων προπυλαίοις εἰκόνας αὐτῷ βραχείας ἀναστῆσαι, φυλακήν τινά σφισιν καὶ ἀσφάλειαν ἐντεῦθεν πορίζοντας: « Theodoreti episcopi Cyri de Vita Simeonis Stylitæ, cujus initium est: Simeon, qui valde magnum erat miraculum orbis. Et post alia: Aiunt enim hunc virum in maxima Roma famosissimum fuisse, et qui in omnibus ergasteriorum foribus iconas ipsi breves erigerent, custodiam quamdam sibi ex hoc et munimen acquirentes. »

Prologus auctoris.

794 Optimorum virorum, et qui in virtute præclare se exercuere, pulchrum quidem est videre certamina, et oculis haurire utilitatem. Quæ enim laudantur dum cernuntur, et digna videntur quæ possideantur, et amplectenda amoreque prosequenda existunt, et ad ea comparanda spectatores inducunt; afferunt autem nihilo secius non mediocrem quoque utilitatem ejusmodi rerum recte et ex virtute gestarum narrationes, quæ ab iis qui sciunt, eorum qui nesciunt auribus offeruntur. Visum enim esse fideliorem auditu dicunt aliqui; auditui tamen fit quoque fides, dum ex eorum qui dicunt veritate ea quæ dicuntur judicat. Quomodo enim linguæ et palato de dulcedine, et amarore, et aliis hujusmodi qualitatibus creditum est judicium, deque iis ferunt illam sententiam; ita orationum discernendarum ratio commissa est auditui, qui scit secernere a noxiis eas quæ aliquam afferunt utilitatem. Atque si utilium quidem narrationum integra et incorrupta maneret memoria, et non oblivionis veluti caligo quædam aspersa labes efficeret ut ea evanesceret, de iis utique scribere esset supervacaneum, cum quæ hinc percipitur utilitas, ad posteros admodum facile perve-

niret. Quoniam autem corporibus quidem tempus affert interitum, inducens senectutem et mortem; rebus autem recte et ex virtute gestis oblivionem, ut mihi quidem videtur, inferens, et obscurans memoriam, nemo nos jure reprehenderit, quod piorum virorum, Deique amantium vitæ instituta aggrediamur scribere. Quemadmodum enim ii quorum fidei est credita corporum curatio, medicamenta comparant, cum morbo bellum gerentes, et iis qui laborant ferentes auxilium; ita quæ in his conscribendis ponitur industria, efficitur veluti quoddam salutare medicamentum, quod oblivioni quidem insidiatur, opem autem fert memoriæ. Quomodo enim non est absurdum ut poetæ quidem et scriptores ea conscribant quæ in bello fortiter et præclare gesta sunt; Tragici autem eas quæ recte celabantur calamitates, tragœdiis in publicum proferant, et earum scriptis mandatam relinquant memoriam; aliqui autem alii in comœdiis et rebus ridiculis consumant orationes; nos autem sinamus eos viros tradi oblivioni qui in corpore mortali et patibili ostenderunt impatibilitatem, et incorpoream æmulati sunt naturam? Quasnam autem pœnas non merito dederimus, si horum quæ admiratione digna sunt certaminum nihili faciamus negligi memoriam? Si enim ipsi eorum qui olim fuere sanctorum **795** summam æmulati philosophiam, non ære et litteris illorum insculpsere memoriam, sed omnem eorum virtutem exprimentes, quasdam eorum animatas imagines et statuas seipsos effecere; quænam nobis merito daretur venia, si nec litteris quidem eorum insignem vitam honoraremus? idque cum athletæ et pancratiastæ qui decertant in Olympicis, honorentur statuis, atque etiam in equorum curriculis qui victores esse videntur aurigæ idem præmium accipiant. Nec hoc solum, sed etiam muliebres viros et effeminatos, et de quibus dubites sintne viri an mulieres, ii qui horum delectantur spectaculis inscribunt tabulis, eorum memoriam longissimo tempore conservare contendentes; licet memoria animis detrimentum afferat, non commodum. Sed tamen hi quidem hos amantes his, illi vero illos illis, idque cum damnum afferant, picturis honorant. Et quoniam mortalem naturam mors deprædatur, colores temperantes, et illorum effigies tabulis imponentes, excogitant rationem qua eorum memoria sit vita longe diuturnior.

Nos autem scribimus quidem vitam philosophiæ magistram, et quæ inlitata est vitæ institutionem quæ agitur in cœlis. Describimus autem non figuras characteresve corporum, neque ea expressa iis qui nesciunt ostendimus, sed formas animarum, quæ sub aspectum non cadunt adumbramus, et bella quæ cerni non possunt, conflictusque qui non apparent ostendimus. Tali enim armatura eorum phalangis imperator et in pugna princeps eos Paulus induit: Accipite enim, inquit, armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et omnibus confectis stare (*Ephes.* VI). Et rursus: State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiæ, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis, in omnibus assumentes clypeum fidei, in quo poteritis omnia tela maligni ignita exstinguere. Et galeam salutaris accipite, et gladium Spiritus, quod est verbum Dei (*Ibid.*). Hac cum hos induisset armatura, produxit ad certamina. Talis enim est hostium quoque natura, incorporea, minime aspectabilis, obscure invadens, clanculum insidians, repenteque et præter exspectationem irruens. Hoc ipsum idem quoque docens imperator, dicebat: Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores, tenebrarum hujus sæculi, adversus spiritalia nequitiæ in cœlestibus (*Ibid.*). Sed tamen cum tales hostes haberet horum sanctorum classis, imo vero unusquisque eorum a tot et tantis circumsideretur hostibus (neque enim omnes simul invaserunt, sed modo quidem hos, modo vero illos adoriebantur), tam præclaram retulere victoriam, ut fugerint quidem adversarii, hi vero iis fugatis ac profligatis trophæum erexerint, cum nihil eis afferret impedimentum.

Eis autem præbuit victoriam non natura, ea enim est mortalis, et innumerabilibus plena affectionibus; sed mens quæ divinam attrahebat gratiam. Nam cum divinæ pulchritudinis essent ardentes amatores, et pro ea quam amabant omnia lubenter et agere et pati statuissent, forti quidem et generoso animo tulerunt affectionum perturbationumque impetus; diaboli autem telo procellas strenue repulerunt; et ut dicam apostolice (*I Cor.* IX), cum corpus castigassent et in servitutem redegissent, iræ quidem ardorem sedaverunt, cupiditatum autem rabiem quiescere coegerunt: jejunando autem et domi cubando sopitis animi motibus, repressisque eorum exsultationibus, coegerunt corpus fœdus inire cum anima, et solverunt bellum quod est eis a natura insitum. Pace autem sic inter ea inita, omnem adversariorum catervam expulere. Nam cum eis deessent cogitationes quæ interna proderent, et membrorum humanorum auxilio privati essent, bellare non poterant. Telis enim in nos diabolus nostris membris utitur: nam si neque inescantur oculi, neque aures demulcentur, neque tactus suavi quodam sensu titillatur, neque **796** mens improba admittit consilia, frustra laborant qui parant insidias. Quemodo enim urbem in alto ædificatam, et validis propugnaculis munitam, et profundis fossis undique circumdatam, nullus hostis ceperit, si ex iis qui sunt intus nemo prodat et portas aliquas aperiat; ita fieri non potest ut dæmones qui bellum gerunt extrinsecus, superent animam circumdatam a divina gratia, nisi cogitationis alicujus socordia, nostrorum sensuum aliquam fenestram aperuerit, et per eam inimicum intrinsecus admiserit. Hæc cum a divina Scriptura aperte didicissent ii quorum laudes a nobis celebrantur, et Deum audiissent dicentem per prophetam (*Jerem.* IX): Ascendit mors per fenestras, cum divinis legibus tanquam quibusdam repagulis et vectibus sensus clausissent, menti claves eorum tradiderunt, et neque labra linguam aperiebant, nisi mens imperasset; nec pupillæ permittebatur ut se extra cilia

porrigeret; auditus autem noxiis sonis aditum obstruens, stultas et inutiles repellebat orationes, illasque solas admittebat quibus mens delectabatur. Sic odoratum docuere ea non desiderare quæ suavem emittunt odorem, ut quibus natura sit insitum ut molliant et relaxent. Sic ventris expulere satietatem, eumque ea sumere docuere, quæ non voluptatem afferrent, sed usum implerent, nec amplius quam quod satis esset ad prohibendum ne fame morerentur. Sic somni dulcem dissolvere tyrannidem; et cum cilia ab ejus servitute liberassent, ea pro servitute dominatum docuerunt, ut ejus usum admitterent, non cum ipse invaderet, sed cum ipsi accerserent, ad breve naturæ auxilium. Cum ergo murorum et portarum custodiæ eam curam gessissent, et internis cogitationibus concordiam conciliassent, adversarios extrinsecus invadentes irridebant, qui vi quidem intrare, propter divinæ gratiæ præsidium, non poterant; nullum autem inveniebant proditorem qui vellet inimicos admittere. Et cum hostes ea essent natura quæ non cadit sub aspectum, corpus quod videtur et subjicitur naturæ necessitatibus, vincere minime potuere. Ejus enim auriga et musicus et gubernator optime quidem tenens habenas, equis persuasit ut recte et ordine procederent; numerose autem pulsans chorda sensuum, effecit ut sonum omni ex parte concinnum et consonum redderent: scienter autem movens clavum, et fluctuum insultus, et ventorum fregit impetus. Hos ergo qui per innumerabiles quidem labores vitæ iter ingressi sunt, sudoribus autem et afflictionibus corpus edomuerunt, et risus quidem affectionem ignoraverunt, in luctu autem et lacrymis omnem vitam consumpserunt; et delicias quidem Sybariticas (1) jejunium æstimarunt, somnum autem suavissimum laboriosas vigilias; molle stragulum, durum solum; immensam autem et inexplebilem voluptatem, in orationibus et cantandis psalmis conversationem; hos, inquam, qui omne genus virtutis complexi sunt, quis non jure fuerit admiratus, vel potius quis pro dignitate eorum laudes celebraverit? Atque ego quidem satis intelligo nullam posse orationem eorum virtutem assequi, est tamen aggrediendum. Non enim recte habuerit, si quoniam veram philosophiam perfecte adamarunt, ideo ne minores quidem laudes consequantur. Scribam autem laudem non unam communiter omnibus; diversa enim dona eis data sunt divinitus. Hoc autem docens dicebat beatus Paulus: Alii enim per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo cognitionis secundum eumdem Spiritum, alii autem fides in eodem Spiritu, alii autem dona curationum in eodem Spiritu, alii autem operationes virtutum, alii autem prophetia, alii genera linguarum, alii autem interpretatio linguarum (*I Cor.* XII). Horum vero omnium ostendens fontem, subjunxit: Omnia autem hæc operatur unus et idem Spiritus, dividens separatim unicuique sicut vult. Quoniam ergo diversa sunt dona consecuti, merito uniuscujusque narrationem **797** faciemus separatam: non quæcunque ab eis gesta sunt persequentes, ad ea enim scribenda ne tota quidem vita suffecerit; sed cum pauca de uniuscujusque eorum vivendi ratione, et de iis quæ fecit, narraverimus, et paucis totius vitæ characterem et formam ostenderimus, ad alium transibimus. Neque vero omnium sanctorum, qui ubique insignes exstitere, vitæ historiam litteris mandare conabimur; neque enim eos qui ubique clari fuere cognoscimus, neque fieri potest ut unus conscribat de omnibus. Eorum ergo solum vitam describam, qui tanquam lumina fulsere in Oriente, et fines orbis terrarum suis complexi sunt radiis. Narrando autem procedet oratio, non utens legibus encomiorum, sed pauca quædam vere referens. Rogo autem qui in hanc religiosam inciderint historiam, seu formam monasticæ exercitationis (noscet enim quis hoc opus ut voluerit, ne iis quæ dicuntur minus credant, si quid audiant quod eorum vires superet), nec ex se illorum virtutem metiantur, sed aperte sciant quod piorum animis Deus desuper metitur dona sanctissimi Spiritus, et majora largitur perfectioribus. Hæc autem a me dicta sunt ad eos qui in rerum divinarum mysteriis non sunt admodum accurate initiati. Mystæ enim adytorum Spiritus sciunt gloriam Spiritus, et quænam per homines in hominibus faciat miracula, attrahens incredulos ad Dei cognitionem. Qui autem non est crediturus iis quæ a me dicenda sunt, clarum est eum ne iis quidem credere tanquam veris quæ per Moysem, et Jesum, et Eliam, et Elisæum facta sunt, habere autem etiam pro fabulis miracula quæ facta sunt a sanctis apostolis; sin autem illa esse vera testatur, hæc quoque credat esse a falso aliena; quæ enim in illis operata est gratia, ea per illos quoque fecit ea quæ fecit. Perennis enim gratia, et eos qui digni sunt eligens, veluti per quosdam salientes, per hos effudit fluenta suæ operationis.

Ex iis autem quæ sunt dicenda, ipse quidem vidi nonnulla; quæ autem non vidi, audivi ab illis qui viderunt, viris virtutis amantibus, et qui digni sunt habiti ut et eos viderent, et eorum doctrina fruerentur. Evangelicæ autem doctrinæ scriptores fide digni non solum sunt Matthæus et Joannes, magni et primi in Evangelistis, qui Domini videre miracula, sed etiam Lucas et Marcus: quos qui ab initio viderunt, et fuerunt Verbi ministri, non solum quæ passus est et quæ fecit Dominus, sed ea etiam quæ perpetuo docuit, accurate edocuerunt. Etenim cum non vidisset ipse beatus Lucas, in principio operis dicit se ea narrare, de quibus certior factus est. Nos autem etsi audiamus eum non vidisse ea quæ narrat, sed hanc doctrinam accepisse ab aliis, non minus ei et Marco credimus quam Matthæo et Joanni; uterque enim est in narrando fide dignus, ut qui didicerit ab eis qui viderunt. Nos itaque alia quidem narrabimus ut quæ a nobis visa sunt; alia autem ut qui crediderimus eis qui viderant narrantibus viris, qui illorum vitam sunt æmulati. Prolixiori autem de iis usus sum oratione, dum volo persuadere me vera narraturum. Hinc autem deinceps narrare incipiam.

PHILOTHEUS, *sive* THEOPHILES.

CAPUT PRIMUM.

JACOBUS NISIBITA (2.)

Moyses ille divinus legislator, qui imum maris fundum aperuit, et inundatione aquarum aridam obruit solitudinem, et alia omnia fecit miracula, scripsit res gestas eorum sanctorum qui fuere antiquitus : non ea usus sapientia quam acceperat ab Ægyptiis, sed splendore gratiæ accepto a superis. Undenam enim alioqui Abelis didicisset virtutem, et Enoch virtutis studium, et Noe justitiam, et Melchisedech pium sacerdotium, Abrahæ vocationem, fidem, fortitudinem, et quæ ei magnæ erat curæ hospitalitatem, vulgo jactatum filii sacrificium, et aliorum quæ ab eo præclare gesta sunt catalogum ; et ut in summa dicam, divinorum virorum certamina, victorias, præconia, nisi intelligentis divinique Spiritus radios accepisset ? 798 Hoc mihi quoque in præsentia opus est auxilio, qui conor eorum vitam scribere sanctorum, qui parum ante nos et nostris temporibus claruere, et veluti quasdam leges iis qui imitari volent, velim proponere. Horum ergo sunt preces invocandæ, et incipiendum est narrare.

Nisibis est civitas in confinio regni Romanorum et Persarum, quæ olim quidem erat Romanis vectigalis, et eorum parebat imperio. Ex ea ortus magnus ille Jacobus, solitariam vitam et quietam est amplexus, et altissimorum montium occupatis verticibus, in eis vitam egit. Vere quidem et æstate et autumno utens silvis, et pro tecto habens cœlum : tempore autem hiemis, antrum ipsum excipiebat, quod ei parvum præbebat tegumentum. Habebat autem alimentum, non quod cum labore nascitur et seritur, sed quod sua sponte producitur : jam ex silvestribus colligens arboribus fructus qui sponte nascuntur, et ex herbis eas quæ sunt esculentæ, et habentur instar olerum, ex iis dabat corpori ea quæ satis erant ad vivendum, ignis usum recusans. Usus quoque lanæ erat ei supervacaneus; asperrimi enim caprarum villi ejus usum implebant, ex eis ipsi fiebat et tunica et simplex amiculum. Ita corpus affligens, spiritale alimentum assidue exhibebat corpori, et cogitationis facultatem expurgans contemplantem, et divini Spiritus perspicuum efficiens speculum, revelata facie, ex divini Apostoli sententia, gloriam Domini speculans, in eamdem transformabatur imaginem a gloria in gloriam, tanquam a spiritu Domini (*I Cor.* III). Hinc quæ Dei erat in Deum fiducia augebatur in dies, et a Deo petens quæ oportebat petere, ea statim accipiebat. Porro autem hinc quoque futura prævidebat prophetice, et virtutem ad facienda miracula a sanctissimi Spiritus accipiebat gratia. Ex his pauca narrabo, et apostolici ejus splendoris radium iis qui nesciunt aperiam. Vigebat illo tempore in simulacra hominum insania, et inanimæ quidem statuæ divinum cultum

A sibi vendicabant, Dei autem cultus negligebatur a plurimis : contemptui autem habebantur qui eorum ebrietatis nolebant esse participes, quique, perfecta virtute præditi, ea quæ sunt discernebant, et simulacrorum quidem ridebant imbecillitatem, universorum autem adorabant opificem.

Illo tempore venerat in Persidem, visurus plantas veræ religionis, et ei quam par erat curam adhibiturus. Cum is autem fontem transmitteret, puellæ (3) quædam, quæ pannos lavabant, et vestes pedibus emundabant, ne novum quidem, et qui decentem præ sese ferebat gravitatem, sunt reveritæ habitum; sed, exuto pudore, et perfricta facie, et impudentibus oculis divinum hominem aspiciebant, neque capita operientes, neque vestes quas succinxerant demittentes. B Hoc cum ægre tulisset homo Dei, et vellet Dei virtutem in tempore ostendere, ut facto miraculo liberaret ab impietate, fontem quidem est exsecratus, et fluentum confestim evanuit. Puellas quoque est exsecratus, et impudentem earum juventutem castigavit canis ante tempus inductis, et sermonem factum est consecutum, mutatusque est nigror pilorum, et similes evaserunt nuper plantatis arboribus, quæ vere circumtectæ sunt foliis autumnalibus. Eæ autem cum sic sensissent supplicium (nam et fontis fluenta effugerant, et sua invicem capita intuentes, videbant repentinam illam mutationem), cursu ad urbem contenderunt, renuntiaturæ illud quod acciderat. Illi autem cum accurrissent, et magnum Jacobum offendissent, rogaverunt ut iram compesceret, et supplicium reC mitteret. Ille autem non diu cunctatus, Domino quidem preces obtulit, fluenta autem rursus scatere jussit. Illa vero mox rursus e suis emanarunt penetralibus, justi derivata nutibus. Illi autem cum hoc impetrassent, petebant ut filiarum quoque suarum crinibus color suus redderetur. Aiunt autem, eum hoc quoque concessisse, requisiisse autem puellas quæ illam acceperant disciplinam, et quoniam non venerunt, reliquisse supplicium, documentum temperamiæ, et argumentum moderationis, et divinæ virtutis perpetuum et evidens monimentum. Tale est novi hujus Moysis miraculum, quod quidem non factum est virgæ percussione, sed operationem accepit signo crucis. Ego autem præter miraculum valde quoque miror mansuetudinem ; neque enim, ut maD gnus Elisæus, impudentes illas puellas ursis tradidit immanibus ; sed quadam innoxia disciplina, et quæ dedecoris parum habebat, usus, pietatem simul docuit et moderationem. Hæc autem dixi, non ut prophetam sævitiæ accusem (absit ut adeo insaniam), sed ut ostendam quod cum eamdem haberet virtutem, ea effecit quæ congruebant Christi magnitudini et novo Testamento.

Is cum aliquando vidisset judicem Persam iniquam tulisse sententiam, quemdam maximum lapidem, qui

prope situs erat, exsecratus, jussit eum conteri et dispergi (4), et illius iniquam arguere sententiam. Lapide autem statim comminuto in particulas innumerabiles, conterriti fuere qui aderant : horrore autem plenus judex, revocavit quidem priorem, alteram autem justam **799** tulit sententiam. Et hic quoque suum Dominum est imitatus, qui cum vellet ostendere se sua sponte ac lubentem subire passionem, et facile si voluisset puniisset sceleratos, non eis intulit supplicium, sed ficum inanimam verbo arefaciens, suam ostendit virtutem (*Matth.* XXI). Hanc ipse quoque imitans clementiam, non puniit injustum judicem, sed ictu lapidis illum docuit justitiam.

Cum his rebus esset insignis, et omnibus amabilis, et in ore omnium versaretur, trahitur ad munus pontificatus, et suæ patriæ præficitur. Cum illam autem montanam vivendi mutasset rationem, et civilem vitæ consuetudinem non ex sui animi cepisset sententia, neque cibum mutavit, nec vestitum ; sed loca quidem erant mutata, vitæ autem institutio nullam accipiebat mutationem. Crescebant vero labores, et erant longe majores prioribus. Jejunio enim, et cubili humi strato, et sacco quo induebatur, accesserant etiam omnino curæ eorum qui indigebant ; ut de viduis, inquam, esset sollicitus, et provideret orphanis, et eos qui injuriam faciebant argueret, et iis quibus fiebat injuria justum afferret auxilium. Et quid opus est omnia recensere apud eos qui norunt quænam illis competant qui hanc suscepere curationem ? Insigniter autem ille tales amplectebatur labores, ut qui ovium dominum insigniter et cuperet et timeret.

Quo autem virtutis opes colligebat majores, eo majore sanctissimi Spiritus fruebatur gratia ; et cum aliquando ei in vicum quemdam aut oppidum iter esset (neque enim locum satis teneo) ad eum accedunt quidam pauperes, unum quempiam ex eis qui cum eis versabantur, tanquam mortuum proponentes, et quæ ad illum sepeliendum erant necessaria supplices ab eo postulantes. Ille autem concessit quidem rogantibus, Deo autem preces obtulit tanquam pro mortuo (5), rogans ut ei remitteret quæ in vita peccaverat, et eum in chorum justorum dignaretur admittere. Hæc autem cum dicerentur, ejus qui tunc mortem simulabat evolavit anima, suppeditata sunt autem corpori tegumenta. Postquam autem parum processisset homo admirabilis, jubebant eum qui jacebat surgere ii qui actum composuerant. Postquam autem viderunt eum non exaudire, et quod simulabatur id verum evasisse, et in veram faciem mutatam esse personam, ad magnum quidem adeunt Jacobum, suppliciter autem obsecrantes, et ad pedes ejus provoluti, et actus quem temere agendum susceperant, dicentes causam fuisse paupertatem, rogabant ut eis suum mitteret delictum, et ei qui jacebat ablatam restitueret animam. Domini itaque imitans clementiam, et preces exaudiit, et ostendit miraculum, ut qui vitam precibus ablatam, per preces jacenti restituerit. Hoc autem mihi quidem videtur esse simile magni Petri miraculo, qui Ananiam et

A Saphiram suffuratos mentitosque morti tradidit (*Act.* V). Etenim hic quoque similiter, ejus qui veritatem erat furatus, et mendacio erat usus, abstulit animam. Sed ille quidem cum furtum cognovisset (revelaverat enim gratia Spiritus) intulit supplicium ; hic autem actus argumentum nesciens, obtulit quidem preces, stitit autem vitæ cursum ei qui simulaverat. Et divinus quidem Apostolus mortuos a calamitate minime eripuit ; salutaris enim prædicationis initia metu opus habebant. Hic autem cum esset refertus gratia apostolica, et puniit ad tempus, et pœnam mox remisit. Hoc enim opus habebat eo qui esset lucrifacturus eos qui offenderant.

Sed enim et est eundum ad alia, et sunt illa breviter exponenda. Postquam enim Arius, in unigeni-
B tum et sanctissimum Spiritum maledicti blasphemiæque pater et opifex, in eum qui ipsum fecerat linguam movens, implevit Ægyptum tumultu et perturbatione, Constantinus autem (6) imperator maximus, gregis nostri Zorobabel (illius enim instar universam piorum captivitatem reduxit ab exsilio, et divina templa humi disjecta in altum erexit et excitavit) postquam ergo is omnes ecclesiarum præsides illo tempore congregavit Nicææ, venit cum aliis magnus quoque Jacobus, pro veris decertaturus decretis, ut vir fortis et princeps totius phalangis. Romanorum enim imperio tunc parebat Nisibis. Postquam autem fuit dimissus sacer ille conventus, et unusquisque in suam est reversus, rediit hic quoque tanquam vir fortis victoria potitus, exsultans propter trophæa
C pietatis.

Cum autem aliquantum processisset temporis, imperator quidem ille magnus et admirabilis excessit e vita cum coronis pietatis ; illius autem filii fuere hæredes imperii orbis terræ. Tunc rex Persarum, cui nomen erat Sapores, contempt s filiis, ut quorum potentia non esset patri æqualis, bellum movit adversus Nisibim magnis et equitum et peditum copiis. Duxit autem elephantos quoque quamplurimos, et ad urbem obsidendam diviso exercitu, eam circumsedit et machinas exstruxit, et turres ædificavit, vallosque figens, et quod inter eos intercedit, ramis tanquam cratibus contextis, obstruens, jussit militibus ut aggerem exstruerent, et turres contra turres excitarent. Deinde illic sagittarios collocans, et in eos qui
D **800** erant super muros tela jubens mittere, alios jussit inferius fodere murosque subruere. Postquam autem omnia illi erant irrita et inania, ut quæ viri divini dissolverentur precibus ; postremo cum fluvii præterfluentis, multitudine hominum fretus, fluxum prohibuisset, exstructisque muris, et ad retinendum comparatis impedimentis, fluvii plurimum collegisset, id totum simul immisit in mœnia, eo usus tanquam aliqua vehementissima machina. Ea vero aquæ insultum non tulerunt, sed impetu concussa in illa parte funditus corruerunt. Illi vero magnum clamorem sustulerunt, utpote quod urbs jam esset captu facilis ; habitantium enim civium magnum murum ignorabant : distulere tamen irrumpere, cum vide-

rent non posse urbem adiri propter aquas. Cum ergo procul recessissent, utpote quod labor eis esset cessaturus, quiescebant ipsi, et equos curabant; qui autem urbem habitabant, ex animo conversi erant ad supplicationes, magnum Jacobum habentes intercessorem. Qui autem ætate adhuc vigebant, omnes quam maxima poterant contentione rursus ædificabant (7), nec pulchritudinis nec concinnæ compagis ullam curam gerentes, sed omnia temere componentes, et lapides et lateres, et quidquid portabat quilibet: unaque nocte opus tantum processit, et in tantam crevit altitudinem, ut et satis esset ad arcendum cursum equorum, et hominum ascensum absque scalis. Tunc omnes ab homine Dei petunt supplices, ut et in muris se ostendat, et tela exsecrationum jaculetur in hostes. Is vero exoratus ascendit, et eorum plurima millia contemplatus, a Deo supplex petiit, ut in eos immitteret nubem cyniphum et culicum (8). Et is quidem dixit, Deus vero immisit, ab eo tanquam a Moyse exoratus, et viri quidem divinis telis vulnerabantur, equi autem ac elephanti ruptis vinculis fugiebant, huc et illuc dispersi, ut qui non possent illos ferre aculeos. Cum itaque vidisset rex impius, et machinas nulli sibi fuisse usui, et aquæ irruptionem fuisse inutilem (murus enim qui corruerat, rursus fuerat ædificatus) et omnem exercitum et affligi laboribus, et male se habere sub dio, et vexari a plaga immissa divinitus: vidisset autem divinum quoque hominem super muros ambulantem, et conjecisset ipsum imperatorem ei præesse operi (sibi enim visus erat et purpura indutus, et redimitus diademate), indignatus quidem est in eos qui eum decepissent, et ut bellum moveret persuasissent, et dixissent non adesse imperatorem, et cum eos damnasset capitis, dimisit exercitum, et in suam regiam rediit quam citissime. Hæc in hoc quoque Ezechia Deus fecit miracula, non illis minora, sed etiam majora, ut mihi quidem videtur. Quod enim cum corruisset murus, urbs non capta fuerit, quodnam potest esse eo majus miraculum? Ego autem præter hoc illud quoque valde admiror, quod cum uteretur exsecrationibus, non petiit ut fulgura et fulmina e cœlo mitterentur, ut fecit magnus Elias, quando ad ipsum uterque quinquagenarius venisset cum suis quinquaginta. Audiverat enim Dominum aperte dixisse Jacobo et Joanni qui hoc ipsum conabantur facere: Nescitis cujus spiritus sitis (*Luc.* IX). Et ideo non petiit ut terra eis dehisceret, nec rogavit ut phalanx igne consumeretur; sed ut animalculis illis sauciaretur; et cum Dei cognovisset virtutem, tandem mutata edisceret pietatem et verum Dei cultum. Tantam habuit hic homo divinus apud Deum fiduciam, tantam a superis gratiam est consecutus. Cum in his perpetuo versaretur, et in rebus divinis quotidie cresceret, cum maxima gloria hanc vitam deposuit (9), et ex his locis migravit. Cum autem præteriisset aliquantum temporis, et hoc oppidum, ab eo qui tunc imperabat, regno Persarum esset traditum, exierunt quidem omnes qui in eo ha-

A bitabant, sui autem defensoris ac principis corpus ferebant, ægre quidem ferentes et dolentes quod transmigrarent, canentes autem celebrantesque virtutem fortissimi victoris. Si ille enim vixisset, ii minime venissent in potestatem barbarorum. Hæc cum de viro divino recensuerim, ad aliam transibo narrationem, rogans ut consequar ejus benedictionem.

CAPUT II.

JULIANUS SABAS (10).

Julianus, quem cognomine Sabam honorantes nominabant incolæ, πρεσβύτην autem, id est senem, Græca voce hoc nomen significat, in regione quæ olim quidem Parthorum, nunc autem nominatur Osrœnorum, fixit ad exercitationem monasticam tugurium. Ea autem patet ad Occidentem quidem usque

B ad ripam fluvii, est autem ei nomen Euphrates: ad Orientem autem solem, habet limitem Romani imperii. Assyria enim excipit Persas, cum Persici regni sit finis occidentalis, quam qui postea sunt secuti, nominarunt Adiabenem. In hoc gente multæ quidem sunt urbes magnæ et populosæ; regionis autem plurimum quidem habitatur, plurimum autem est et inhabitabile et desertum. Ad extrema hujus solitudinis cum hic vir divinus pervenisset, et antrum non manu factum, neque bene ac pulchre effossum, invenisset, sed **801** quod posset exiguum aliquod tegumentum præbere iis qui ad ipsum confugiebant, locum lubenter habitavit, auro et argento fulgentibus regiis, id existimans esse magnificentius. In eo autem degebat, in hebdomada semel cibum capiens:

C cibus autem erat panis hordeaceus, isque furfuraceus; obsonium autem, sales; potus autem suavissimus, per se nativum aquæ fluentum; idque non satietate dimensum, sed usu demissi prius sibi definitum. Erant autem ei deliciæ opiparumque et lautissimum epulum, Davidicorum hymnorum decantatio, et assidua cum Deo conversatio. Et cum eis frueretur insatiabiliter, eorum nunquam voluit capere satietatem; sed semper quidem implebatur, semper autem clamabat: Quam dulcia gutturi meo eloquia tua! super mel et favum ori meo (*Psal.* CXVIII). Rursus enim audivit beatum David dicentem: Judicia Domini vera, justificata in idipsum, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum, et dulciora super mel et favum (*Psal.* XVIII). Rursus audi-

D vit eum dicentem: Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui (*Psal.* XXXVI). Et rursus, Lætetur cor quærentium Dominum (*Psal.* CIV). Et: Lætifica cor meum, ut timeat nomen tuum. Et: Gustate et videte quam benignus est Dominus (*Psal.* XXXIII). Et: Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum (*Psal.* XLI). Et: Adhæsit anima mea post te. Et ejus qui hæc dixit, amorem in se transtulit. Hac enim de causa magnus quoque David hæc canens docuit, ut multos socios et in Deo amando rivales constitueret. Neque vero spe falsus est; sed et hunc virum divinum, et alios innumerabiles divino amore sauciavit. Hic enim tanto amoris igne fuit incensus, ut inebriaretur desiderio, et nihil videret ex terrenis: solum

autem dilectum et noctu somniaret, et interdiu visione apprehenderet. Hanc summam ejus philosophiam cum multi didicissent, alii quidem qui propius habitabant, alii vero qui remotius. Allata enim fama percurrebat in omnes partes, accurrebant supplicantes ut essent palæstræ participes, et ei tanquam exercitationis magistro et pædotribæ parentes, viverent in posterum. Non solum enim aves venantur canentes, et ad se eas evocantes, quæ sunt ejusdem generis, et subjectis laqueis implicantes; sed etiam homines venantur eos qui sunt ejusdem naturæ, alii quidem ad exitium, alii vero ad salutem. Sic congregati quidem cito fuere decem, deinde duplo et triplo plures. Eos autem cum tot essent, accipiebat illud antrum; a sene enim didicerant negligere curam corporis: vescebantur autem ipsi quoque similiter atque pædotriba, hordeaceo pane sale condito. Aliquo autem post tempore, et olera sponte nascentia colligentes, deinde dolia implentes, et muriæ quantum satis erat miscentes, id habebant obsonium qui opus habebant curatione. His autem oleribus humida habitacula sunt maxime infesta; solent enim sua natura eis ingenerare situm et putrefactionem: cum huic ergo obsonio id accidisset (erat enim antrum undiquaque valde humidum), supplicarunt seni sodales, ut sibi parvam aliquam domunculam liceret exstruere, quæ sufficeret obsonii vasis accipiendis. Ille autem primo quidem postulatum minime admittebat: tandem autem persuasus (a magno enim Paulo didicerat non quærere quæ sua sunt [*I Cor.* XIII], sed aliquid concedere et se accommodare humilibus), dedit quidem domunculæ brevem quamdam et exiguam mensuram, abiit autem procul ab antro, solitas oblaturus Deo supplicationes. Solitus enim erat sæpe quidem quinquaginta stadia, nonnunquam autem etiam his totidem in desertum proficiscens, et se ab omni humana consuetudine separans, et ad seipsum rediens, per se cum Deo congredi ac conversari, et divinam illam et ineffabilem speculari pulchritudinem. Hoc otium cum sumpsissent, qui ut ab illo cura eorum gereretur, digni erant habiti, usui quidem justa symmetria respondentem, sed majorem quam jussi fuerant, exstruxere domunculam. Decimo autem die, veluti quidem Moyses reversus a monte, et ab ea quæ verbis explicari nequit contemplatione, cum vidisset majus factum quam volebat ædificium, Vereor, inquit, o viri, ne dum terrena dilatamus habitacula, minuamus cœlestia: atqui hæc quidem sunt ad tempus, et quæ nobis parumper convenient, cœlestia autem sunt æterna, et quæ nullum possunt finem capere. Et hæc quidem dixit, chorum docens ea quæ sunt perfectiora; toleravit tamen cum vocem audiisset apostolicam: Non quæro quod mihi est utile, sed quod multis, ut serventur (*I Cor.* X). Illos quoque docuit, intus quidem communem Deo offerre hymnodiam, post auroram autem duos simul exire in solitudinem: et unum quidem flexis genibus offerre eam quæ Domino debetur adorationem, alterum vero stantem Davidicos psalmos canere quindecim. Deinde operis facta commutatione, alterum quidem surgentem canere, alterum vero humi procumbentem adorare, et id a mane usque ad crepusculum assidue faciebant. Ante occasum autem solis, in antro paululum quiescentes, hi quidem hinc, illi vero illinc, omnes vero undequaque in antrum conveniebant, et hymnos vespertinos simul Domino offerebant. **802** Solebat autem ipse quoque senex unum aliquem ex insignioribus assumere socium officii.

Sequebatur autem eum frequentius vir quidam genere quidem Persa, forma autem corporis magnus et admirabilis, forma vero corporis magis admirabilem possidebat animam. Erat autem ei nomen Jacobus (11), qui etiam post illius mortem in omni quidem virtute resplenduit. Fuit autem insignis et illustris, non iis solis quæ illic erant, sed etiam iis quæ erant in Syria philosophiæ gymnasiis seu monasteriis, in quibus etiam vitam finiit, cum vixisset, ut fertur, centum et quatuor annos. Is cum esset magno seni ad solitudinem viæ comes, sequebatur eminus. Non sinebat enim magister eum propius accedere, ne occasio disserendi ex eo sumeretur; sermo autem abstraheret mentem a Dei contemplatione. Sequens autem, in via vidit draconem maximum; deinde eum contemplatus, non est quidem ausus progredi: cum sæpe autem eum præ metu voluisset declinare, rursus confirmavit animum. Deinde cum inclinatus accepisset lapidem et eum projecisset, vidit draconem in eodem statu manentem non posse se omnino movere. Cum autem eum intellexisset esse mortuum, existimavit esse opus senis mortem belluæ. Confecto autem itinere, et hymnorum completo officio, postquam venit tempus quietis, et sedens senex, ei quoque jussit ut corpus quieti paulumper traderet, primum quidem sedebat tacitus: cum autem senex sermonem quemdam leniter subridens aggressus est, rogavit Jacobus ut ei aperiret id quod ignorabat. Cum is autem permisisset rogare, Vidi, inquit, in via maximum draconem jacentem, et primum quidem timui, illum vivere existimans, postquam autem eum aspexi mortuum, securus iter sum ingressus. Dic mihi, inquit, o pater, quis eum interfecit? Tu enim præcedebas, nullus autem alius hac præteriit. Senex autem: Cessa, inquit, de iis curiose percontari, quæ iis qui sciscitantur non possunt ullam afferre utilitatem. Verum nihilo secius instabat Jacobus admirabilis, verum scire desiderans. Senex autem diu quidem tentans celare, non ferens autem amicum diutius angere: Ego, inquit, tibi dicam, si id scire desideras: præcipio autem, ut me vivo nullus alius hoc a te resciscat quod dicendum est, hæc enim sunt celanda, quæ ad arrogantiam et fastum sæpe excitant; sed si ego hinc excessero, et ab ejusmodi animi perturbationibus fuero liberatus, non veto quominus dicas et narres vim divinæ gratiæ. Scias ergo, inquit magnus Julianus, quod me iter ingredientem illa invasit bellua, osque aperuit me cupiens devorare; ego autem Jesum appellans, et digito trophæum crucis ostendens, omnem quidem

excussi timorem: extemplo autem vidi humi cecidisse belluam; et communi laudato Servatore, perrexi ulterius. Sic finita narratione, ad antrum est profectus.

Aliquando autem adolescens, nobili quidem loco natus, sed molliter educatus, majorem autem ostendens promptitudinem et animi alacritatem quam vires ferre possent, supplex petiit a sene ut esset illi viæ comes eunti in solitudinem, non ejus quidem quam omnes obibant quotidie, sed longissimæ, et qua sæpe erat octo et decem diebus peregrinandum. Is autem erat celeberrimus ille Asterius. Cum autem divinus senex prohiberet juvenem, et aridam aquaque carentem diceret esse solitudinem, instabat adolescens obsecrans ut hoc ei donum concederet. Victus autem precibus cessit senex; ille vero B sequebatur, primo quidem alacriter. Cum autem primus et secundus et tertius dies præteriisset, et a radiis solis exureretur (erat enim æstas, vigente autem æstate est utique flamma solis ardentior), siti perpetuo laborabat. Et primum quidem cum morbum aperire pudebat, memoria reputans ea quæ sibi prædicta fuerant a magistro. Tandem autem victus et plane omnino deficiens, oravit senem ut sui misereretur. Is autem cum quæ ei prædixerat revocasset in memoriam, jussit eum reverti. Cum autem diceret adolescens nec se scire viam quæ ducit ad antrum, nec si sciret, ire posse, cum sint vires siti consumptæ; misertus homo divinus casus adolescentis, et ignoscens imbecillitati corporis, genibus flexis oravit Dominum, et calidis lacrymis solum irrigavit, C et viam salutis petiit adolescenti. Qui autem facit voluntatem eorum qui ipsum timent, et eorum exaudit orationem, stillas lacrymarum quæ pulverem attigerant effecit fontem aquarum, et sic fluento repletum adolescentem jussit abire protinus. Fons autem mansit usque in hodiernum diem, Moysaicæ divini senis orationi ferens testimonium. Quomodo enim ille olim, cum sterilem illam petram virga percussisset, effecit ut produceret exundantes aquas fluviatiles, ut satiaret multa illa hominum millia siti confecta; ita hic cum arenam illam aridissimam irrigasset lacrymis, fecit ut fontana emanarent fluenta; non ut multarum myriadum, sed ut unius adolescentis afferret siti remedium. A divina enim gratia animo illuminatus, aperte prævidit futuram adolescentis D perfectionem. Is enim multis post temporibus 803 a divina provocatus gratia, ut alios quoque multos ad eamdem exerceret gratiam, in locis quæ sunt circa Gendarum [*Al.*, Gidarum] (est autem is vicus maximus sub Antiochia) palæstram fixit monasticam, et multos quidem etiam alios ad se traxit athletas philosophiæ.

Traxit autem magnum quoque Acacium (12), insignem inquam illum et fama clarum, qui fuit quidem egregius in vita monastica, emisit autem splendidos virtutis radios, ut qui sit dignus habitus qui fieret pontifex, et Berhœam pascendam est sortitus. Cum quinquaginta autem et octo annis ei fuisset cura gregis credita, non reliquit quidem formam vitæ mo- A nasticæ, monasticam autem et civilem simul temperavit virtutem; et illius quidem sumens exactam perfectionem, hujus autem œconomiam ac dispensationem, in unum coegit ea quæ erant inter se disjuncta.

Sed hujus virtutis et venator et exercitator fuit ille Asterius, qui magni illius senis tanto semper tenebatur amore, ut sæpe quidem bis in anno, sæpe etiam ter ad eum proficisceretur. Veniens autem solebat caricas afferre sodalibus, onerans tria vel quatuor jumenta. Duos autem medimnos colligens (13), ut qui seni toto anno sufficerent, id onus suis imponebat humeris, se magistri jumentum et vocans et præstans. Portabat autem id onus, non decem vel viginti stadiis, sed septem dierum iter conficiens. Cum eum autem aliquando vidisset senex ferentem humeris sarcinam caricarum, ægre ferens, dixit hæc non sibi esse exhibenda alimenta; non esse enim justum ut ille quidem tantum subiret laborem, ipse vero delicate ejus frueretur sudoribus. Cum is autem jurasset se non esse onus a suis humeris depositurum, nisi assensus esset senex, se allati cibi futurum participem: Faciam, inquit senex, quod jubetur, modo tu quamprimum deponas canistrum. Nam in hoc quoque imitabatur primum apostolorum, qui cum voluisset Dominus lavare ejus pedes, prius quidem negavit, aperte affirmans id non esse futurum (*Joan.* XIII). Postquam autem audivit fore ut abrumperetur a Domini communione nisi hoc concederet, oravit ut præter pedes, manus quoque et caput lavaret. Ita etiam egregius Joannes jussus tingere Servatorem, prius quidem et suam confessus est servitutem, et ostendit Dominum. Postea autem jussum est executus, non se aspere gerens, sed parens Domino. Ita etiam hic quoque vir divinus gravabatur quidem alio laborante ipse frui alimento; sed postquam vidit ardentissimam clientis animi alacritatem, præposuit suæ voluntati illius ministerium.

Forte autem aliquis ex iis qui ex aliorum reprehensione magnam capiunt voluptatem, et ea quæ sunt honesta solum didicerunt irridere, dixerit hanc narrationem non esse dignam quæ commemoretur. Ego autem aliis hujus viri miraculis hoc quoque adjeci, non solum magnorum virorum volens in eum pietatem ostendere, sed etiam morum ejus suavitatem et moderationem declarare, existimans conducibile. Nam cum tanta esset et tali virtute, ne levissimo quidem honore seipsum dignum esse censebat, sed eum repellebat ut qui ad se nequaquam pertineret; rursus autem eum sustinebat, ut qui eos qui faciebant afficeret beneficio.

Aufugiens autem (nam ut qui omnibus evasisset manifestus, ad se trahebat per famam eorum quæ sunt bona et honesta amatores) venit in montem Sinæum cum paucis ex paulo familiaribus: non oppidum ingrediens, non vicum, sed iter per inviam iniens solitudinem. Ferebat autem humeris alimentum quoque necessarium, panem inquam et salem, lagenam et cyathum ligneum, et spongiam fune alligatam; ut si quando aquam invenissent profundiorem,

exhaurirent quidem spongia, expressam autem in A cyathum ebiberent. Cum itaque iter multorum dierum confecissent, ad montem optatum perveniunt; et cum suum Dominum adorassent, illic longum tempus perpetuo transegerunt, loci solitudinem et animæ quietem maximam existimantes voluptatem. Cum autem in illa petra sub qua latens Moyses, prophetarum princeps, dignus est habitus qui Deum videret sicut videri poterat, ecclesiam exstruxisset, et divinam aram consecrasset, quæ etiam mansit usque in hodiernum diem, in suam reversus est palæstram.

Cum autem ejus, cui erat quidem idem quod ipsi nomen, sed impii imperatoris minas intellexisset (pios enim se funditus perditurum minatus, profectus erat in Persas, et qui eadem quæ ipse sentiebant, abominandum illum reditum inhiantes exspectabant), B tunc Deo orationem magno studio et vehementi desiderio offerens, et eamdem ad decimum usque diem extendens, audivit vocem dicentem (14), exsecrandum illum et fetidum porcum de medio esse sublatum. Sed neque accepto fine orationis, confestim finiit orationem, sed mutavit petitionem in hymni decantationem, gratias agens Servatori suorum, clementique et potenti hosti alienorum. Longissimo enim tempore fuit clemens et lenis in impium; sed cum ejus lenitas et patientia sceleratum ad majorem exercuisset rabiem, opportune intulit supplicium. Cum autem implesset orationem, **804** et ad suos esset conversus, planum fuit eum esse læto et tranquillo animo; animi enim alacritas vultum ostendebat hilarem. Cum autem qui cum eo versabantur novum admirati essent specta- C culum (nam cum semper tristi aspectu videretur, tunc visus est subridere), et cum causam rogassent lætitiæ, Præsens tempus, inquit, o fratres, est gaudii; cessavit enim impius, ut est vox Isaiæ (*Isa.* xxiv), et audacium inceptorum meritas dedit pœnas; et qui tyrannidem exercuit in Deum qui fecit et servavit, ab ejus qui illius parebat imperio dextera jure est cæsus. Ideo lætor cum videam Ecclesias quæ ab eo sunt oppugnatæ exsultantes, et cernam sceleratum ab iis quos colebat dæmonibus nihil auxilii consecutum. Hujus ergo impii cædis talem habuit præscientiam.

Cum autem Valens (15), qui post illum accepit habenas Romani imperii, relicta veritate evangelicorum dogmatum, erroris Arii accepisset imposturam, tunc exorta est major procella adversus Ecclesiam; D cum gubernatores quidem undique expellerentur, prædones autem quidam et hostes in eorum locum sufficerentur. Ne autem totam illam in præsentia recenseam tragœdiam, alia nunc prætermittam, unius autem solummodo faciam mentionem, quod aperte ostendit divini Spiritus gratiam in hoc sene florentem. Ab Antiochena quidem ecclesia ejectus erat magnus Meletius, quæ a Deo universorum pascenda ei credita fuerat: a divinis autem templis ejecti fuerant cum populo qui erat ejusdem cum eis sententiæ, quicunque in clerum cooptati, Trinitatis divinam unam colebant essentiam. Et nunc quidem in aliquem specum montis venientes, sacros illic cœtus celebrabant; nunc autem ripam fluminis faciebant oratorium, aliquando autem bellicum gymnasium, quod situm est ante portam Septentrionalem. Non permittebant enim qui bellum gerebant, in uno loco pios consistere. Jactarant autem alumni mendacii; et rumorem in illa civitate sparserant, quod magnus, hic inquam senex, eorum quæ ipsi tenebant religionis dogmatum amplecteretur communionem. Hoc pios maxime angebat, ne fama rudiores et simpliciores decipiens, eos hæreticorum implicaret laqueis.

Sed divini et beati viri, Flavianus et Diodorus, qui digni erant habiti ut essent sacrifici, et præessent piorum populo, et Aphraates [1], cujus per se vitam vobis si Deus concesserit, adjiciam, persuadent magno illi Acacio, cujus fecimus mentionem, ut viæ acciperet comitem suum quidem magistrum, sancti autem senis discipulum, insignem illum Asterium, curreret autem ad communem pietatis splendorem, et evangelicæ doctrinæ sustentaculum, et persuaderet ut relinqueret quidem illam in solitudine versandi rationem, veniret autem ut ferret auxilium tot millibus quæ fraude interibant, et rore sui adventus flammam exstingueret Arianam. Cucurrit divinus Acacius, et sumpto, ut jussus erat, magno Asterio (16), accessit ad maximum lumen ecclesiæ; et cum eum salutasset, Dic mihi, inquit, o pater, quanam de causa totum hunc laborem tam libenter toleras? Cum is autem respondisset: Et corpore, et anima, vitaque, et omnibus quæ ad vitam pertinent, est mihi Dei cultus pretiosior; conor autem, quoad ejus a me fieri potest, illi a sorde nudum offerre ministerium, et ei perpetuo placere; Ostendam tibi, inquit Acacius, rationem per quam ei plus quam nunc servies; idque dicam, non sola utens ratiocinatione, sed ut qui ab ejus doctrina didicerim. Cum enim Petrum aliquando rogasset an eum plus quam alii amaret, et didicisset id quod sciebat vel ante Petri vocem, Tu enim, inquit, nosti, Domine, quod amo te (*Joan.* xxi); ostendit ei quidnam agens eum magis coleret. Si enim, inquit, amas me, pasce oves meas, et pasce agnos meos. Hoc quoque tibi, o Pater, est faciendum; periculum enim est ne oves a lupis intereant; eas autem valde amat, qui a te valde amatur. Est autem proprium amantium illa facere, quæ cum fiunt, eis qui amantur grata sunt. Et alioqui non parvum est periculum, multorumque et magnorum illorum sudorum detrimentum, si pati potueris negligere, tacitus præterire, veritatem quidem graviter oppugnari, eos autem qui ei adhærent captari; ad eos autem venandos esse escam tui nominis appellationem. Te enim habere socium suæ impietatis gloriantur et jactant præsides Arii abominationis. Hoc cum primum audiisset senex, quietem quidem jubens valere ad tempus, neque civitatis strepitus, quod eis non esset assuetus, refugiens, accurrit Antiochiam. Cum autem duorum vel trium dierum iter confecisset in solitudine, noctu venit in quoddam prædium: quoddam autem dives muliercula

[1] De Aphraate, infra, c. 8.

cum sacrum illum chorum audiisset venire, cucurrit ut A percipereet eorum benedictionem; et ad eorum pedes provoluta, rogabat ut sua domus esset eorum diversorium. Concessit senex, idque cum plus quam quadraginta annis a tali fuisset spectaculo separatus. Cum autem admirabilis illa mulier esset in sacris illis viris ministrando occupata, puer septem annos natus, cujus solius erat mater, quæ hospitalitatem Saræ est æmulata, esset autem vesperum **805** et tenebræ, cecidit in puteum. Cum autem ex eo, ut est consentaneum, exortus esset tumultus, mater autem sensisset, jubet quidem omnes quiescere; puteo autem operculo imposito, instabat ministerio. Mensa autem viris divinis apposita, divinus senex jussit vocari puerum mulieris, et accipere benedictionem. Cum autem admirabilis mulier diceret eum male habere, perstitit jubere ut is duceretur. Postquam autem ei quod accidisset significavit mulier, mensam quidem relinquit senex, accurrens autem ad puteum, cum auferri quidem operculum, afferri autem lucem jussisset, videt puerum sedentem super aquæ superficiem, et aquam manu pueriliter pulsantem, et qui reputatus fuerat interitus, eum ludum putantem; et cum quosdam funes alligassent et eos demisissent, puerum extraxerunt; et statim accurrit puer ad pedes senis, dicens se eum vidisse in aquis ipsum ferentem, et ne mergeretur prohibentem. Hanc hospitalitatis mercedem recepit mulier a beato sene.

Et ut alia prætermittam quæ facta sunt in itinere, venerunt quidem Antiochiam; omnes autem undique C concurrebant, Dei hominem videre cupientes, et morbi sui medicinam unusquisque accipere desiderans: habitabat autem in speluncis quæ erant in latere montis; ubi divinum quoque apostolum Paulum et habitasse dicunt et latuisse. Sed statim ut scirent omnes eum esse hominem, eum invadit febris vehementissima. Cum autem videret magnus Acacius, multitudinem eorum qui simul erant congregati, et eam quæ acciderat ægre ferret ægritudinem (existimabat enim fore ut ii qui convenerant perturbarentur, si viri morbum rescivissent, a cujus manu se inventuros sperabant medicinam): Noli angi animo, inquit senex; si est enim necessaria sanitas, eam statim dabit Dominus. Statim ergo post hæc verba ad preces conversus, et ut solebat, et genua et frontem D solo admovens, rogavit ut assequeretur sanitatem, si ex ea reditura sit aliqua utilitas ad eos qui convenerant. Nondum finierat preces, et repente multus sudor profluens exstinxit flammam febris.

Cum illic autem liberasset multos a morbis omnis generis, profectus est ad conventum piorum. Transeunte autem eo per portas regiæ, mendicus quidam qui cionibus utebatur pro pedibus, et per terram trahebatur, cum manum extendisset, et ejus pallium tetigisset, fide quidem morbum exegit, exiliens autem ostendit se æque currere atque ante morbum, idem faciens quod claudus quem Petrus et Joannes suscitarunt (*Act.* III). Hoc cum factum esset, confluxit totus populus civitatis: eratque bellicum gymnasium plenum iis qui concurrebant. Pudore autem afficiebantur calumniatores et mendacii artifices, læto autem et tranquillo animo erant alumni veritatis. Ex hinc in domos suas trahebant lumen veritatis, ii qui opus habebant ut curarentur. Vir autem quidam cui fuerat maximus mandatus magistratus, ejusque fidei commissus erat clavus Orientis, ad eum misit rogans ut ad se veniret, et a morbo urgente liberaret. Ille vero accessit nihil cunctatus, et communi Domino fusis precibus verbo solvit ægritudinem, et jussit ut Deo ageret gratias.

Cum hæc et talia fecisset, statuit deinceps reverti ad suæ exercitationis monasticæ tugurium. Cum per Cyrum [*Al.*, Gyrrhum, *vel* Cyrrhum] autem iter faceret (distat autem hæc civitas duorum dierum B itinere ab Antiochia), divertit quidem in ædem præclari martyris Dionysii: qui illic autem vero Dei cultui et rectæ religioni præerant, convenientes supplicarunt ut sibi opem ferret exitium prævisum exspectantibus. Dicebant enim Asterium qui in sophistica (17) et falsa disserendi arte fuerat educatus, et se in hæreticorum ecclesiam injecerat, et episcopale munus erat assecutus, falsum acriter defendere, et improbo uti artificio adversus veritatem; et veremur, inquiebant, ne facundia veluti quadam esca falsum contegens, et nexus syllogismorum tanquam quædam retia extendens, capiat multos ex simplicioribus; ea enim de causa fuit ab adversariis accersitus. Senex autem: Estote, inquit, bono animo, et Deo nobiscum supplicate, orationem et corporis afflictionem precibus adjungentes. Ilis Deum sic rogantibus, uno die ante diem festum ac celebrem, quo verba erat facturus falsi defensor et hostis veritatis, is divinitus immissam accepit plagam, et cum uno tantum die ægrotasset, excessit e vivis, illam, ut est probabile, vocem audiens: Stulte, hac nocte repetunt a te animam tuam (*Luc.* XII); quæ autem parasti retia et laqueos, iis tu implicaberis, et non alii. Hæc Balaam quoque acciderunt, qui ipse quoque adversus Dei populum accersitus, cum impia quædam Balaac adversus ipsum consuluisset, ejus dedit pœnas, ut qui ab Israelitica dextera fuerit cæsus (*Num.* XXIV). Igitur hic quoque cum in Dei populum quasdam callidas excogitasset sententias, per Deum populi vita fuit privatus. Hanc autem salutem Cyrus est consecuta per hujus orationem.

Hæc autem quæ narravi, mihi divinum caput, ille magnus tradidit Acacius, qui pulchre sciebat omnia quæ ab ipso facta fuerant. Cum ergo illinc esset profectus, et ad suos sodales reversus, et una cum eis non parvo tempore esset versatus, ad vitam senii et molestiæ expertem valde prompte et alacriter **806** transiit, ut qui in mortali natura meditatus esset impatibilitatem, exspectaret autem corporis immortalitatem. Ego autem hic de eo sistens orationem, transibo ad alium: rogans sanctos qui in hanc ingrediuntur narrationem, per suam intercessionem mihi supernam conciliare benevolentiam.

CAPUT III.

MARCIANUS (18)

Illum autem tempore celebratum Marcianum, quomodo pro rei dignitate admirabimur (*Theodor.*, *lib.* IV *Hist.*, *cap.* 26)? Num videlicet eum simul conjungentes cum Elia, et Joanne, et similibus, qui circumibant in ovinis et caprinis pellibus, egentes, afflicti, vexati, quibus dignus non erat mundus (*Heb.* XI), errantes in solitudinibus, et montibus, et speluncis, et foraminibus terræ?

Is enim olim patriam quidem habuit Cyrum, cujus prius quoque meminimus; post hæc autem solitudinem: hac autem et illa relicta, nunc habet cœlum. Et illa quidem eum genuit, hæc vero aluit, et victorem effecit, cœlum autem accepit ut coronatum, contempta claritate generis. Ducebat enim genus a patriciis et a splendore regio. In illis enim florebat, corporis specie et magnitudine accepta ab opifice naturæ, et animo ingenii solertia ornato. In Deum autem et ea quæ ad eum pertinent, totum amorem transtulit; et omnibus valere jussis, solitudinis occupat umbilicum, et parva exstructa domuncula, quæ ne ejus quidem corpori justa respondebat proportione cum eam quodam alio parvo septo circumsedisset, inclusus erat assidue, separatus quidem ab omni humana consuetudine, disserens autem cum Domino universorum, et dulcem illam vocem exaudiens. Divina enim versans eloquia, se divina voce frui putabat. Orans autem et supplicationes offerens, ipse loquebatur cum Domino; et cum semper tantis frueretur deliciis, eum nunquam capiebat satietas. Audivit enim divinum Spiritum per magnum David psallentem: Qui meditatur in lege Domini die ac nocte, erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo; et folium ejus non defluet (*Psal.* I). Hos fructus desiderans, jucundissimum hunc laborem amplectebatur; et orationem quidem psalmodia, psalmodiam autem excipiebat oratio, et utraque rursus divinorum eloquiorum lectio. Cibus autem ei erat solus panis, isque certa præbebatur mensura. Ea autem erat mensura, ut nec puero quidem nuper ablactato satis esset. Aiunt enim panis libram in quatuor partes divisam, quatuor diebus fuisse distributam, et unicuique diei attributam fuisse partem unam. Statuerat enim vespere comedere quotidie, nunquam autem satiari; sed semper quidem esurire, semper vero sitire; corpori autem ea exhibere quæ ad vivendum sufficiunt. Dicebat enim quod qui post multorum dierum inediam capit cibum, in diebus quidem inediæ officia dominica exsequitur imbecillius. Quo autem die rursus capit cibum, plura, ut est consentaneum, exhibens, ventrem onerat: is autem gravatus tardiorem reddit animam ad vigilandum. Dicebat igitur esse melius vesci quidem quotidie, nunquam autem exspectare satietatem. Verum enim jejunium est perpetua indigentia. Hanc legem perpetuo ferebat vir ille divinus, et cum cor-

A pus haberet maximum, et omnium sui temporis hominum esset et maximus et pulcherrimus, hoc parvo cibo alebat. Cum autem præteriisset aliquantum temporis, duos admisit contubernales, Eusebium [1] qui sacri illius tugurii fuit hæres, et Agapetum (19), qui has leges angelicas transtulit Apameam. Est enim quidam vicus maximus et populosissimus, est autem ei nomen Nicerte. In eo ergo construit duo maxima philosophiæ gymnasia, quorum unum quidem est ab ejus nomine denominatum, alterum vero ab admirabili Simeone, qui quinquaginta annorum spatio refulsit in hac philosophia. In his in hodiernum usque diem degunt plus quam quadringenti viri, virtutis athletæ, et amatores religionis verique Dei cultus, et qui suis cœlum coemunt laboribus. Hujus autem B reipublicæ legislatores fuere Agapetus et Simeones, qui leges accepere a magno Marciano. Ab his autem plurima quæ plantata sunt exercitatorum virtutis habitacula, quæ quidem iisdem legibus reguntur et institutis, difficile est enumerare. Cæterum horum omnium plantator fuit ille divinus; qui enim pulcherrimum semen præbuit, is jure vocari possit auctor bonorum quæ nascuntur.

Primum ergo, ut dixi, solus voluntarium illum tenebat carcerem; deinde cum nos duos admisisset, non habitabant illi in eadem domo; neque enim ei soli sufficiebat domuncula, ut quæ esset valde parva, et quæ ipsi et stanti et recumbenti multum afferret laboris. Neque enim stans, rectus stare poterat, cum tectum caput et collum tangeret; neque recubans C poterat pedes extendere, cum domus non haberet longitudinem æqualem longitudini corporis. Cum ergo eis permisisset aliam exstruere, jussit in ea degere: per se autem hymnos dicere et orare, et divina legere eloquia. Cum autem oporteret esse plures hujus utilitatis participes, alio habitaculo ejus jussu procul exstructo, jussit eos qui vellent in illo degere. Eorum autem dux erat Eusebius, qui magni Marciani **807** transmittebat doctrinam. Divinus autem ille Agapetus, ut oportuit institutus et exercitatus, et in hac arte athletica optime eruditus, reversus est, ut dixi, et seminavit semina quæ a divina illa anima acceperat. Evasit autem adeo clarus et illustris, ut pontificali sede dignus sit habitus, et ei mandata sit pastoralis curatio, et ejus fidei credita D fuerit cura patriæ. Eusebius autem ille admirabilis, congregati gregis prælectus, et curam magistri susceperat, et solus dignus habebatur qui ad eum in tempore ventitaret, et eum rogaret nunquid vellet. Cum autem vellet noctu videre quid ageret, ausus est ad fenestram (erat autem ea brevis admodum) accedere; et cum se inclinans respexisset, videt lumen, non ex lucerna neque quod esset manu factum, sed a Deo datum, et quod superna gratia præceptoris sui caput circumfulgebat, et divinorum eloquiorum Scripturæ ostendebat intelligentiam; tenebat enim librum, et divinæ voluntatis sacrosanctum inquirebat thesaurum. Hoc cum esset contemplatus admirabilis Eusebius, ingenti timore horroreque est affectus, et

[1] De Eusebio, infra, cap. 4.

Dei ministri diffusam edoctus est gratiam, et Dei in A suos servos didicit benevolentiam.

Aliquando autem cum in vestibulo magnus oraret Marcianus, draco quidam qui reptaverat supra parietem versum ad Orientem, desuper e muro despexit, simul et hians, et horribiliter intuens, et se invasurum significans. Procul autem stans Eusebius, et illud horrendum spectaculum pertimescens, et id magistrum ignorare suspicans, illi ostendit clamans, et ut fugeret rogans. Ille autem cum eum reprehendisset, et timorem expellere jussisset (nam eum quoque esse exitiale vitium), digito quidem crucis prius expressit figuram, ore autem insufflavit, et veteres ostendit inimicitias. Ille autem spiritu oris, tanquam igne aliquo, exsiccatus et veluti exsectus, instar exustæ stipulæ in multas partes est B dissolutus. Vide ergo num imitatus est Dominum ut servus benevolus? Dominus enim, cum aliquando fureret mare in cymbam discipulorum, eos autem vidisset anxios et perturbatos, non prius maris sedavit tempestatem quam, increpando discipulos, compescuit eorum incredulitatem (*Matth.* VIII). Hinc doctus hic vir admirabilis primum expulit timorem discipuli, deinde sic belluam affecit supplicio. Talis magni Marciani fuit et sapientia, et miraculorum effectio, et in Deum fiducia. Sed tamen cum tanta gratia dignus esset habitus, et magna posset facere miracula, studebat tamen celare virtutem, prædonis virtutis suspectas habens machinas; arrogantiæ enim vitium subterseminans, labore collectos fructus conatur eripere. Et cum sibi datam vellet ce- C lare gratiam, invitus ad facienda veniebat miracula, cum ejus recte factorum jubar resplendesceret, et quæ occultabatur virtutem aperiret.

Quinetiam aliquando contigit ut tale quid fieret: Vir quidam honeste loco natus, et cui militares magistratus sæpe fuerant mandati, ex Berhœa Syriæ urbe proficiscens, cum ejus filia diu debaccharetur, et a malo dæmone vexata insaniret, venit in solitudinem, cum esset quidem magni Marciani familiaris, speraret autem propter priorem consuetudinem eum convenire et rogare: spe autem falsus, cum non liceret ei Dei videre servum, rogat quemdam senem, cui illo tempore divini illius viri commissum fuerat ministerium, ut parvum lecythum oleo plenum acciperet, et ad ostium domunculæ poneret. D Senex autem sæpe quidem se id facturum inficiatus, sæpe autem rursus rogatus, victus est a precibus. Cum autem strepitum magnus sensisset Marcianus, rogavit quisnam esset, et quonam opus habens veniret. Is autem veram quidem celabat causam, simulabat autem se venisse ut sciret num juberet aliquid; et hoc dicens, dimissus est. Cum autem sub auroram rursus pater puellæ rogasset ut sibi redderetur lecythus, ille timens quidem, ivit tamen cum quam maximo potuit silentio, et porrecta manu, et accepto lecytho cupiebat latere. Is autem rursus rogavit, quidnam volens veniret. Postquam autem eamdem dixit causam quam etiam vespere præ se tulerat, ægre ferens homo Dei, utpote quod præter consuetudinem fuisset ejus adventus, jussit vera dicere. Ille autem timens et contremiscens, cum non posset eum latere qui plenus erat Dei gratia, dixit et quis esset qui supplicabat, et eum morbi docuit tragœdiam, et ostendit lecythum. Is autem succensuit quidem ut est consentaneum, quod nollet virtutem ostendere. Minatus tamen quod si hæc rursus auderet, et ab illa privabitur consuetudine, et ei auferetur ministerium (erat autem maxima jactura iis qui quæstum sciebant) remisit, jubens reddere ei qui dederat. Et Marcianus quidem hæc jubebat: dæmon autem qui aberat iter quatuor dierum, ejus qui exigebat vociferabatur virtutem, et Marcianus Berhææ functus est officio judicis, quibusdam lictoribus usus adversus dæmonem, et illum sceleratum expellens, et puellam mundam reddens ab illa vexatione. Hoc autem exacte scivit pater puellæ; ei enim revertenti cum pauca stadia abesset ab urbe, 808 occurrit quidam servus a domina in agrum missus. Is cum vidisset dominum miraculi facti attulit nuntium, quatuor ante diebus dicens factum esse miraculum. Diebus ergo supputatis, et tempore recte examinato, didicit illud fuisse in quo senex attulit lecythum. Mihi autem venit in mentem cogitare quid non fecisset ille vir magnus, si voluisset facere miracula. Si enim etiam cum studeret celare quam acceperat virtutem, tantum ostendit splendorem; quod non miraculum fecisset si voluisset? Sic autem spiritalem quoque suam sapientiam non ostendebat omnibus. Itaque cum postremo post diem festum salutaris passionis, et Dominicæ resurrectionis, permisisset iis qui volebant ad se ingredi, illo certe tempore omnes studebant eum videre. Atque ad eum aliquando congregati primi veniebant pontifices, Flavianus ille magnus, cujus fidei erat credita pascenda Antiochia; et divinus Acacius, cujus prius quoque meminimus, et Eusebius Chalcidensis episcopus, et Isidorus cui tunc erat commissa Cyrus gubernanda, qui erant virtute insignes. Una autem cum illis erat etiam Theodotus, qui tenebat habenas Hierapolitanorum ecclesiæ, clarus monastica exercitatione et mansuetudine. Erant autem nonnulli quoque ex magistratibus, incensi ardore fidei. Omnibus ergo cum silentio sedentibus, et sacram illam vocem exspectantibus, ipse quoque diu tacens sedebat, lingua quidem otiosus, auribus autem promptus. Tunc aliquis ex iis qui sedebant, qui erat ei familiaris propter curam animæ, et alioqui auctoritate et dignitate clarus, Omnes, inquit, o Pater, divini hi Patres, sitientes exspectant suavissima tuæ doctrinæ fluenta; omnes ergo præsentes impertias utilitate, nec claudas rivos tuæ beneficentiæ. Ille autem cum valde ingemuisset, Deus, inquit, universorum quotidie loquitur per creaturas, et per divinas Scripturas disserit et monet ea quæ oportet, et inducit ea quæ sunt utilia; terretque minis et adhortatur promissis; et ex his nullam capimus utilitatem. Quemadmodum ergo loquens profuerit Marcianus, qui tan-

tam utilitatem amittit cum aliis, et commodum non A vult ex eis capere? Hinc factum est ut multi quidem sermones moverentur a Patribus, quos inserere narrationi duxi supervacaneum. Cum autem surrexissent et orassent, et ad conferendum sacerdotii ordinem vellent ei manus imponere, rursus ei manus admovere sunt veriti; et hic quidem illi, ille vero huic jubebat; cum omnes autem id simul recusassent, redierunt. Sed enim volo his quoque aliam addere narrationem, qua cognosci poterit divina ejus prudentia.

Avitus (20) quidam, primus in solitudine, gratia monasticæ exercitationis fixerat tugurium. Id autem magis quam hoc vergit ad Septentrionem, et aliquantum situm ad Orientem, spectat ventum Aparctiam qui est proximus Subsolano. Is magno Marciano erat B et tempore et labore antiquior, vir autem philosophus, et in vita dura et aspera educatus. Is cum de viri virtute quæ ubique celebrabatur audiisset, ratus tale spectaculum esse silentio et quiete utilius, accurrit studens videre eum quem desiderabat. Cum autem ejus adventum magnus scivisset Marcianus, ostio aperto eum ad se admisit. Admirabili autem præcepit Eusebio, ut et legumen coqueret et olus, si haberet. Postquam vero mutuum inter se colloquendi explessent desiderium, et alter alterius virtutem didicissent; nonæ simul peregerunt officium; venit autem Eusebius mensam ferens, et panem afferens. Magnus autem Marcianus divino dixit Avito: Adesdum omnium mihi amicissime, et hujus mensæ simus simul participes. Ille vero, Nescio, inquit, me C unquam cibum sumpsisse ante vesperam, sæpe autem duos et tres dies simul maneo jejunus. Magnus autem Marcianus, Mea ergo, inquit, causa hodie mutetur consuetudo (21): nam cum sim corpore imbecillo, non possum exspectare vesperam. Postquam autem hæc dicens, non persuasit admirabili Avito, ingemuisse dicitur et dixisse: At ego, inquit, animo angor et valde crucior, quod tantum laborem ceperis ut virum aliquem laboriosum videres et philosophum, spe autem falsus, cauponem videris aliquem profuse et delicate viventem. Cum ex his autem molestia esset affectus Avitus, et dixisset se malle vesci carnibus quam hæc audire, dixit magnus Marcianus: Nos quoque, o amice, eamdem quam tu vitam persequimur, et amplectimur eamdem vivendi rationem, et quieti labores præferimus, jejunium magis D expetimus quam cibum, eumque nocte adventante capimus; sed scimus charitatem esse jejunio præstantiorem. Charitatis enim opus a lege divina præcipitur, jejunium autem est potestatis nostræ et arbitrii. Oportet autem existimare divinas leges esse nostris longe præstantiores. Hæc cum inter se invicem disseruissent, et parum cibi sumpsissent, et Deum laudavissent, et tres dies simul versati essent, rursus sunt separati, videntes se invicem spiritu. Quis ergo non admiretur hujus viri sapientiam, a qua gubernatus, sciebat quidem tempus jejunii, sciebat autem **809** etiam fraternæ charitatis; sciebat virtutis quoque partium differentiam, et quænam cuinam cedere oporteret, et cuinam in tempore danda sit victoria? Possum autem aliud quoque narrare, quo ejus cognoscatur in divinis perfectio. Ad eum enim ex patria venit soror cum filio, qui et vir erat et urbis Cyri facile princeps, ea quæ ei usui erant abunde afferens. Is autem sororem quidem videre non est passus, sororis autem admisit filium; erat enim id tempus definitum quo eum licebat convenire. Cum autem eum rogarent acciperet quæ allata fuerant: Per quot, inquit, monasteria transiistis, et quænam ex his eis ipsis impertiistis? Cum is autem dixisset se nulli dedisse: Abite, inquit, cum iis quæ attulistis. Nos, inquit, nullo horum egemus, nec si egeremus acciperemus; naturalis enim cognationis, non autem divinæ pietatis et servitii curam gerentes, hanc exercetis in nos beneficentiam. Si enim non honoraretis solam generis necessitudinem, non ea quæ attulistis, nobis solis impertiissetis. Hæc dicens, filium sororis dimisit cum sorore, jubens ut nihil acciperetur ex iis quæ attulerant. Ita erat extra naturam, et in cœlestem migrarat vivendi rationem. Quodnam enim aliud afferri potest exemplum apertius, quod Deo esset dignus, convenienter ipsius Dei voci? Qui non relinquit enim, inquit, patrem et matrem, et fratres et sorores, et uxorem et filios, non est me dignus (*Matth.* x). Si autem qui non relinquit est indignus; qui relinquit, et tam accurata exactaque utitur perfectione, clarum est eum fuisse dignissimum. Ego præter hæc admiror quoque ejus in divinis decretis summam perfectionem. Abhorrebat enim Arii (22) insaniam, quæ a potestate imperatoris accendebatur illo tempore. Abominabatur etiam amentiam Apollinaris. Fortiter autem et strenue decertabat adversus eos qui cum Sabellio sentiebant, tresque hypostases seu personas in unam cogebant. Valde quoque aversabatur eos qui nominantur Euchitæ, qui in habitu monastico laborant morbo Manichæorum. Erat autem ideo fervens ejus zelus pro decretis ecclesiasticis, ut etiam adversus virum admirandum et divinum justam pugnam susceperit. Erat Abraames quidam senex in illa solitudine, vir canis quidem pilis, sed magis cana prudentia, omni virtute clarus, et uberes semper profundens lacrymas compunctionis. Is in principio a quadam inductus simplicitate, primum Pascha peragere sustinuerat (23): ignorans qualem, ut est verisimile, quæ de eo Nicææ a Patribus constituta fuerant, antiquæ autem servire malens consuetudini. Multi autem alii laborabant eo tempore eadem quoque ignoratione. Sed magnus Marcianus multis quidem sæpe verbis usus, conatus est senem Abraamem (ita enim eum appellabant qui in ea habitabant regione) ut cum Ecclesia consentiret traducere. Cum eum autem vidisset non parere, aperte destitit eum ipso communicare. Sed procedente tempore, ille quoque vir divinus abjecta macula, in festo celebrando amplexus consensum Ecclesiæ, vere psallens cecinit: Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini (*Psal.*

cxvIII). Hoc autem effectum est a magni Marciani doctrina.

Ei multi quidem ubique ædificabant oratoria: in Cyro quidem, ejus sororis filius Alypius; Zenobia autem quædam in Chalcide, quæ et genere erat clara, et insignis virtute, et magnas habebat divitias. Alii quoque non pauci hoc faciebant, victoria parta illustrem illum athletam rapere contendentes. Hoc cum nosset homo Dei, rogat admirabilem illum Eusebium, omni terrore plenum illi offerens jusjurandum, ut corpus in illo loco deponeret, et nemo sepulcrum dignosceret præter duos qui simul habitabant familiariores, donec præteriisset magnus annorum numerus. Hoc autem jusjurandum implevit homo ille admirabilis. Postquam enim insignis illius victoris venit finis, et chorus angelorum sacram illam et divinam animam ad cœlestes transtulit mansiones, non prius ejus significavit obitum, donec cum duobus ex familiarioribus facta fossa, et corpore deposito, complanavit terræ superficiem; et quinquaginta annis vel pluribus elapsis, cum innumerabiles concurrissent et corpus scrutati essent, ignotum mansit sepulcrum. Postquam autem unumquodque ex prædictis oratoriis, unum quidem apostolorum, alterum vero martyrum accepit reliquias, secure deinceps illius tabernaculi et doctrinæ hæredes, cum duobus ante annis arcam construxissent lapideam, in ea posuerunt pretiosi corporis reliquias, cum unus ostendisset sepulcrum; is enim solus supererat ex illis tribus. Cum illius autem fuisset virtutis æmulator Eusebius admirabilis, longo tempore corpus perpetuo affligebat. Nam cum centum et viginti ferri libras corpori haberet impositas, sibi quoque imposuit alias divini Agapeti quinquaginta; adjecit autem magni quoque Marciani alias octoginta; habebat autem oratorium, lacum quemdam in quo nulla aqua remanserat. Tribus autem annis perpetuis hoc modo vitam transegit.

Ad hæc autem dicenda sum digressus, cum vellem ostendere, quot et quantarum rerum recte et ex virtute gestarum auctor et procurator **810** fuerit Marcianus. Hujus autem philosophiæ fructum quoque percepit admirandus ille Basilius, qui multis postea temporibus, apud Seleucobelum (est autem urbs Syriæ) monasticum exstruxit habitaculum, et clarus quidem fuit in multis generibus virtutum, insigniter autem clarus in ea quæ Deo longe est gratissima possessione charitatis, et in divino opere hospitalitatis. Quam multos autem hic quoque Deo exhibuerit operarios, citra pudorem, ut apostolice dicam, verbum tractantes veritatis, quis facile enumeraverit? Nam ut alios in præsentia prætermittam, qui sunt quidem laude digni, nimis autem prolixam redderent narrationem, hujus unius et solius meminero. Fuit quidam qui ad eum ventitabat, eum autem appellabant Sabinum, qui corpus corrumpsit laboribus innumerabilibus. Neque enim panis, neque obsonii fuit alicujus particeps: cibus autem erat ei farina aqua madefacta. Consueverat autem is totum unius mensis miscere nutrimentum, ut situm contraheret, et A tetrum odorem emitteret. Volebat autem hoc genere alimenti hebetare sui corporis appetitiones, et efficere ut fetore nutrimenti flaccesceret voluptas. Cum autem per se sic degeret, si quis ex familiaribus ad eum accederet, simpliciter et citra discrimen vescebatur iis quæ apponebantur. Tantam autem divinitus gratiam acceperat, ut mulier quædam Antiochena, cuique et genus et opes ingentes faciebant spiritus, ad eum accurrerit, et ei supplicarit ut opem ferret filiæ quæ vexabatur a dæmone: In somnis enim, inquiebat, vidi quemdam jubentem ut huc accurrerem, et precibus præsidis monasterii salutem filii procurarem. Dicebat ergo is qui responsa dabat, non solere præsidem loqui cum mulieribus. Cum autem instaret mulier, lacrymans et ejulans, et graviter vociferans, B egressus quidem est præfectus monasterii; dicebat autem mulier non esse ipsum; fuisse autem alium sibi ostensum subrubicundum, qui pustulas quasdam habebat in genis. Ubi autem cognoverunt eum qui quærebatur, erat autem is tertius monasterii, non primus, eum persuasum adduxerunt ad mulierem: protinus autem illa quidem agnovit faciem, malus autem dæmon vociferans reliquit puellam. Hæc præclara fecerunt facinora magni Marciani discipulorum discipuli, tales ubique plantas plantavit plantator optimus. Ego autem huic narrationi rursus finem imponens, rogo et quæso ut per horum omnium intercessionem divinum consequar auxilium.

CAPUT IV.

EUSEBIUS (24).

C Quales quidem Deo obtulerit fructus desertum sterile, nempe pulchros et maturos, et ei qui plantavit gratos, et iis qui sapiunt hominibus charos et maxime expetendos, ostendimus in iis quæ jam scriptæ sunt narrationibus. Ne quis autem existimet virtutem esse loco circumscriptam, et solam solitudinem esse aptam ad tales ferendos redditus, age transeamus deinceps oratione ad terram quæ habitatur, et ostendamus ad parandam philosophiam eam minime esse impedimento.

Est mons altus, qui Antiochiæ quidem situs est ad Orientem, Berhœæ autem ad Occidentem, omnes autem montes prope sitos superat; in summo autem cacumine imitatur figuram conoidem, ab altitudine autem accepit denominationem; κορυφὴν enim, id est D verticem, eum solent appellare accolæ. Olim ejus in summo vertice erat templum dæmonum, quod apud vicinos in magno erat honore: subtus autem ad Meridiem patet campus, sinus præ se ferens figuram, qui utrinque coercetur ulnis non admodum altis. Pertinent autem eæ usque ad viam qua equitatur, quæ utrinque a Meridie ad Septentrionem sectæ sunt, semitas excipientes. In eo autem sunt constructæ villæ et magnæ et parvæ, continentes iis qui sunt utrinque montibus. Propter ipsas autem excelsi montis oras, est quidam vicus maximus et populo frequentissimus; vocabulo autem regionis eum vocant Teledam (25): in superiori autem parte lateris montis est quidam saltus non admodum acclivis, sed qui

modice inclinatur, spectans ad illum campum et ventum austerum. In eo philosophiæ gymnasium exstruxit quidam Ammianus, vir qui cum multis quidem aliis virtutibus esset clarus, tum summa modestia superabat alios. Hoc autem satis est argumenti. Etenim cum ad doctrinam, non solum suis sodalibus, sed vel bis totidem aliis posset sufficere, sæpe ad magnum accurrebat Eusebium, rogans et supplicans ut is esse vellet adjutor, pædotriba et magister ejus palæstræ quam fundaverat : aberat autem viginti quinque stadiis, in quodam valde parvo habitaculo, et quod nec fenestras quidem habebat, inclusus. Eum autem ad hanc virtutem deduxerat Marcianus, ejus quidem patruus, fidelis autem Dei servus. Sufficit enim hoc dicere, cum etiam magnum Moysem hoc cognomine honoravit Dominus. Hic Marcianus cum divinum gustasset amorem, noluit solus frui bonis, sed multos etiam fecit alios in amore **811** socios. Venatus est autem et magnum Eusebium, et ejus fratrem qui in vita vere quoque erat frater. Non existimavit enim rationi esse consentaneum ut eos quidem qui ad eum nihil attinebant venaretur ad virtutem, fratres autem non itidem. Hos ergo ambos cum in parva inclusisset domuncula, eos evangelicam vitæ docebat rationem. Sed fratrem quidem morbus invadens, illum cursum interrupit; morbum mors autem est consecuta : nam cum paucis diebus vixisset postquam illinc est egressus, vitæ finem accepit. Permansit autem magnus Eusebius toto tempore vitæ patrui, neque cum ullo loquens, neque lucem intuens, sed perpetuo inclusus : et post illius mortem hanc vitam est amplexus, donec admirabilis ille Ammianus ei multis delinito precibus persuasit. Dic enim mihi, ad illum dicebat, o optime, cuinam placere existimans, laboriosam hanc sordidamque et squalidam vitam es persecutus? Cum autem, ut par est, is utique dixisset : Deo qui est virtutis legislator et magister : Quoniam ergo eum amas, inquit Ammianus, ego tibi modum ostendam per quem et amorem magis accendes, et ei quem amas servies. Nam quod omnis tua cura et industria in teipsum convertatur, non effugiet, ut sentio, crimen nimii in te ipsum amoris. Lex enim divina jubet proximum amare ut teipsum (*Rom.* XIII). Multos autem opum sumere participes, hoc est proprium veri muneris charitatis. Hanc autem divinus Paulus appellavit legis plenitudinem (*Galat.* V). Rursus quoque clamat : Tota lex et prophetæ in hoc sermone in summam rediguntur, nempe, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Porro autem Dominus quoque in sacris Evangeliis Petro, qui confessus est eum amare plus aliis, præcepit pascere oves suas (*Joan.* XXI). Eos autem qui hoc non fecerunt reprehendens, clamat per prophetam : O pastores, non seipsos pastores pascunt, non oves (*Ezech.* XXXIV)? Et ideo magnum quoque Eliam qui hanc vitam persequebatur, jussit versari in medio impiorum; et secundum Eliam, tantopere celebratum Joannem, qui amplectebatur solitudinem, transmisit ad ripas Jordanis, illic baptizare jubens et prædicare. Quoniam ergo tu quoque

A es Dei qui te fecit ardens amator; multos quoque tecum alios effice amatores; hoc enim est valde gratum communi Domino. Propterea Ezechielem quoque appellavit speculatorem, et peccatoribus jussit testificari (*Ezech.* III), et Jonam jussit currere Ninivem, et nolentem transmisit in vinculis (*Jonæ* I). Cum hæc diceret et similia, divinum virum mansuefecit, et voluntario illo effosso carcere, eduxit et abduxit, et suorum sodalium ei curam tradidit. Ego autem nescio utrum plus admirer, hujusne moderationem, an illius obedientiam, et quod ab eo sit persuasus. Is enim fugiebat principatum, et magis volebat esse ex iis qui parebant, ut qui præfecturæ formidaret periculum; et magnus Eusebius aversabatur quidem cum pluribus conversationem, cessit tamen, et captus retibus B charitatis, suscepit curam gregis, et duxit chorum, non multis verbis opus habens ad docendum; sufficiebat enim vel solus aspectus, ut vel longe tardissimum celerem efficeret ad cursum virtutis. Dicunt autem qui viderunt, eum semper habuisse gravem vultum, et qui poterat timorem afferre spectantibus.

Cibum autem ipse quidem capiebat tertio et quarto quoque die, iis autem qui secum habitabant, jubebat vesci alternis diebus. Præcipiebat autem cum Deo assidue colloqui (26), et nullum tempus relinquere vacuum ab hac operatione, sed communiter quidem præfinita exsequi officia ; partes autem diei quæ intercedunt, unumquemque per se, vel sub aliqua umbra arboris, vel propter petram aliquam, vel ubicunque quiesceret aliquis, vel stantem, vel humi jacentem, rogare C Dominum, et petere salutem. Ita autem unamquamque ex partibus corporis edocuit virtutem, ut illa faceret quæ sola permittit ratio. Ut autem hoc reddam manifestum omnibus, mentionem faciam unius ejus narrationis.

Sedebat super quamdam petram ipse et Ammianus ille admirabilis, et divinorum evangeliorum historiam alter quidem legebat, alter vero eorum quæ erant obscuriora explicabat sententiam. Cum autem quidam agricolæ in subjecto campo terram colerent, ad hanc contemplationem magnus tractus est Eusebius. Cum autem divinus Ammianus legisset locum evangelicum, sciscitaretur autem interpretationem, jussit magnus Eusebius ut repeteret lectionem. Cum is autem dixisset : Iis qui arant forte de- D lectatus, minime exaudisti, ut est verisimile : suis deinceps oculis legem tulit ut neque campum illum unquam contemplarentur, neque cœlesti pulchritudine et chori astrorum aspectu fruerentur ; sed angustissima utens semita, cujus mensuram aiunt fuisse unius palmi, ferente ad oratorium, extra eam deinceps egredi non est passus. Dicunt autem eum plus quam quadraginta annis vixisse post hanc legem. Ut autem cum animi sui sententia, ad hæc quoque eum traheret aliqua necessitas, cum lumbos zona ferrea alligasset, et gravissimum collare collo imposuisset, aliquo alio ferro conjunxit zonam collari qui erat collo impositus, ut hoc modo inclinatus, conaretur **812** assidue in terram despicere. Has ipse de se

exegit pœnas, quod illos esset contemplatus agricolas. Hoc autem et multi quidem alii me docuerunt ex iis qui illum noverunt, et res ejus optime sciverunt; narravit autem senex quoque magnus Acacius, cujus prius quoque meminimus in aliis narrationibus; dixit autem se eum quoque aliquando interrogasse cum eum sic vidisset incurvatum, quamnam capiens utilitatem, neque cœlum patiatur aspicere, neque campum illum subjectum contemplari, neque ex angusta illa via egredi; eum autem dixisse se hæc moliri adversus maligni dæmonis machinationes: Nam ne, inquit, de magnis bellum gerat, conans auferre temperantiam et justitiam, et iram armans, et cupiditatem accendens, et ut fastu efferar et superbia intumescam efficiens, et quæcunque adversus meam machinatur animam, conor hostem ad hæc parva traducere: in quibus etiam si vicerit, non magnum affert detrimentum; et si victus fuerit, evadit magis ridiculus, ut qui ne in parvis quidem possit evadere superior. Quoniam ergo novi hoc bellum minus periculosum, non valde enim feritur qui in his damni aliquid accipit. Quod enim damnum est vel videre campum, vel in cœlum oculos attollere, ad hoc me genus pugnæ transtuli; in hac enim me nec ferire potest nec perimere: non sunt enim hæc jacula lethifera, ut quæ illis ferreis careant aculeis. Hæc se audivisse dixit magnus Acacius, ejusque se admiratum esse sapientiam, virtutemque bellicam et experientiam. Quamobrem hoc quoque narrabat eis qui talia discere cupiebant, ut et admirabile et dignum quod mandetur memoriæ.

Hæc ejus gloria cum in partes omnes undique pervaderet, ad se attraxit omnes virtutis amatores. Venerunt autem divinissimi quoque [*Longus addit :* Jacobus Persa et Agrippa successores] Juliani senis, cujus prius persecuti sumus narrationem, qui optimi gregis erant præfecti. Postquam enim vir ille divinus, fine vitæ accepto migravit ad vitam supernam, ad magnum accurrerunt Eusebium, melius esse rati recte regi quam regere et præesse.

Jacobi autem, cujus prius quoque jam memini, cum summatim ejus ostendi virtutem, nunc quoque evidens argumentum ostendam summæ ejus philosophiæ. Postquam ille divinus hinc excedens Eusebius jussit eum præesse gregi, et recusans curationem, non persuasit cupientibus eum hanc curam suscipere, abiit ad alium gregem, malens pasci quam pascere; et cum plurimo tempore supervixisset, hanc vitam sic finiit.

Suscipit itaque illam præfecturam Agrippa, vir qui et multis aliis ornatus erat bonis, præcipue autem puritate animæ: per quam et divinæ pulchritudinis visionem assidue apprehendens, et illius amoris igne accensus, irrigabat genas perpetuis lacrymis. Cum is autem longo tempore electum illum et divinum gregem recte pavisset, deinde e vita excessisset, Davides ille divinus, cujus aspectu mihi quoque frui contigit, suscepit præfecturam: vir qui revera, ex divini Apostoli sententia, mortificaverat membra quæ

A sunt super terram (*Coloss.* III). Tantum enim fructum cœperat ex doctrina magni Eusebii, ut quadraginta quinque annos egerit in illo monasterio, absque ira autem et excandescentia toto hoc tempore vixerit. Neque enim post susceptam præfecturam vidit eum aliquis superatum ab hac animi perturbatione, idque cum, ut est verisimile, essent innumerabilia quæ cogerent. Centum enim et quinquaginta viri pascebantur ab illius dextera: aliqui quidem summa et excellenti virtute, et eam quæ est in cœlo vivendi rationem imitantes; alii vero qui pennas tunc primum producebant, et terram transilire et supervolare docebantur. Et tamen cum tot essent qui divina docebantur, et aliquid, ut est verisimile, delinquerent (neque enim facile fieri potest ut qui modo ventitat B recte se gerat in omnibus), mansit immobilis vir ille divinus tanquam incorporeus, nulla eum occasione ad iram excitante. Hoc enim non solum accepi ex auditione, sed etiam ex experientia. Nam cum aliquando desiderassem videre illum gregem, accessi habens etiam alios socios peregrinationis, qui eamdem quam ego vitam amplectebantur. Toto ergo tempore hebdomadæ apud illum virum divinum degentes, vidimus ejus vultum nullam accipere mutationem, neque nunc quidem hilaritate diffundi, nunc vero tristitia contrahi. Oculos quoque similiter, non aliquando quidem truces ac torvos, nunc vero lætos; sed in eodem semper honesti decorique tenore permanere. Hi autem sufficiunt ad arguendum animi tranquillitatem. Sed verisimile est existimaturum C quempiam eum talem esse visum, quod nulla eum moveret causa; quamobrem necesse habeo ejusmodi quid narrare quod accidit, cum nos illic essemus.

Sederat apud nos vir ille divinus de philosophia agitans rationes, et quærens id quod est summum evangelicæ vitæ institutionis. Cum autem intercessissent ejusmodi sermones, Publius quidam genere quidem Romanus, moribus autem ipse quoque admirandus, et sacerdotii honore præditus, et illius præfecturæ secundas partes obtinens, **813** ad nos venit adversus divinum Davidem vociferans, et commune damnum illam nominans lenitatem; et omnibus perniciem afferre dicens ejus mansuetudinem; et amentiam, non modestiam, summam illam vocans philosophiam. Ille autem habens animam veluti adaman- D tinam, accipiebat quidem rationes, non pungebatur autem ab iis quæ sua natura solent pungere; vultum itaque non mutavit, neque sermonem institutum dimisit, sed cum leni voce et verbis serenitatem animæ significantibus, illum senem dimisit, rogans eum ut eorum quæ vellet curam gereret. Ego autem cum his qui ad nos venerunt loquor, ut vides, existimans necessarium esse hoc officium. Quomodo ostenderit quis melius animi lenitatem? Eum enim cui illa credita erat præfectum, talem accepisse contumeliam ab eo qui tenebat secundas partes, præsentibus maxime hospitibus, et maledictum audientibus, et nullam iræ subiisse tempestatem et perturbationem, quam non magni et excelsi animi virtutem superat et

fortitudinem? Ac divinus quidem Apostolus considerans humanæ naturæ imbecillitatem, eam quam fert legem natura metiens, Irascimini, inquit, et nolite peccare (*Psal.* IV); sol non occidat super iracundiam vestram (*Ephes.* IV). Nam cum iræ quidem motus nosset esse naturæ, non nostri arbitrii, noluit lege ea decernere, quæ essent laboriosa, et forte etiam ejusmodi ut fieri non possent: sed motui naturæ et iræ tempestati mensuram præfinit diem; jubens rationi ut eam compescat, et tanquam freno reprimat, et non concedat progredi ultra terminos. Vir autem hic divinus ultra leges quæ latæ sunt decertavit, et septa transiliit; non usque ad vesperam iræ ut moveretur concedens, sed nec ut moveatur quidem omnino permittens. Talem fructum accepit is ex magni Eusebii consuetudine. Vidi multos quoque alios in illo tugurio, qui hujus philosophiæ amatores fuere et æmulatores: alios quidem in flore corporis, alios vero etiam in profunda senectute. Nam cum plus quam nonaginta annis vixissent homines, laboriosam vitam noluerunt relinquere, sed insignes fuere obeuntes labores juventutis, noctu quidem et interdiu Deum laudantes, et sacra illa officia peragentes, post duos autem dies vilibus illis cibis vescentes.

Ut alios autem prætermittam qui non sunt quidem digni qui sileantur, sed vel maxime laudentur et celebrentur; sed ne sit prolixior quam par sit narratio, in divino isto loco fuit quidam, eum autem abbatem [1] nominant, qui ex Ismaelitide quidem radice germinavit, non fuit autem ejectus a domo Abrahæ, ut is a quo genus duxerat; sed paternæ hæreditatis fuit cum Isaac particeps, vel potius ipsum rapuit regnum cœlorum. Is monasticæ hujus exercitationis protinus attigit institutionem apud quemdam qui tunc habitabat solitudinem, qui eos optime exercebat: erat autem ei nomen Marosas (27). Post hæc autem ille quoque aliis præesse desistens, ad hunc cum abbate [Abban, *vel* Amman] venit gregem; nec parvo vixit tempore, sed cum præclare decertasset, et insignis evasisset, excessit ex hac vita. Hic autem illic quidem fuit continuos triginta et octo annos: ita autem desiderabat laborare, ut qui modo laborare cepisset; nam in hodiernum usque diem pedes nunquam texit calceis. Cum est autem frigus, in umbra sedens, in æstu solem suscipit, et tanquam auram Zephyri, quæ ex eo procedit flammam excipit. Toto autem hoc tempore aquam potare non passus est, non illa comedens quæ iis exhibentur qui ad non bibendum se exercent (solent enim ii uti cibis humidioribus), sed iis utens cibis quibus alii. Verum pauca comedens et quæ modicas ei vires afferunt, existimat usum aquæ supervacaneum. Gravi autem ferro lumbos succinctus, raro quidem sedet, noctu autem, et majori parte diei vel stans vel flectens genua, offert Domino officium precationis; usu autem accubitus se omnino privavit, nemo enim in hodiernum usque diem eum vidit cubantem. Quinetiam cum est chori renuntiatus coryphæus, et ei contingit ut A præsit, totum hunc laborem fert prompto et alacri animo, se iis qui ejus parent imperio præbens exemplar philosophiæ. Tales victoria insignes decertatores, divinus Eusebius, horum certaminum pædotriba et exercitator, exhibuit Domino; et cum alios quoque plurimos tales fecisset, eos transmisit doctores ad alias palæstras, qui totum illum sacrum montem divinis his pratis et suavem emittentibus odorem implevere. Nam cum ad Orientem ab initio fuisset illius exercitationis monasticæ tugurium, licet videre ejus philosophiæ fetus ad Occidentem et Meridiem, veluti quasdam stellas circa lunam choros ducentes; et alios quidem Græca, alios vero ejus in qua habitant regionis voce, laudantes creatorem. Sed enim id aggredior quod fieri non potest, cupiens omnia persequi B quæ a divina illa anima recte gesta fuere.

Huic ergo narrationi finis est imponendus, et ad aliam convertenda est oratio, et rursus est addenda quæ illinc capitur utilitas, cum horum magnorum virorum benedictionis rogaverimus ut simus participes.

CAPUT V.

PUBLIUS (28).

814 Eodem tempore fuit quidam Publius, et propter formam spectatu dignus, et anima præditus quæ formæ conveniebat, vel potius eam ostendens corpore magis admirabilem. Is ex senatorio quidem ordine ducens originem, natus autem ex civitate apud quam Xerxes ille, cujus ubique est fama tam celebris, in Græciam bellum gerens, et volens exercitu fluvium Euphratem transmittere, navium congregata multitudine, iisdem inter se conjunctis, et C hoc modo super fluvium ponte constructo, locum Zeugma, id est conjuncturam appellavit, et civitatem ex re denominavit. Ex ea ortus, et ex tali genere procreatus, altum locum occupat, qui distabat ab urbe non plus quam triginta stadiis. In eo cum quamdam parvam exstruxisset domunculam, omnia quidem vendidit quæ a patre acceperat; domum, inquam, et possessiones, et greges, et vestes, vasaque argentea et ænea, et si quid erat cum his aliud. Et cum ex lege divina ea divisisset iis quibus oportebat, et se ab omni cura terrena liberasset, illam unam curam suscepit pro omnibus, nempe ut ei serviret qui eum vocaverat; eamque animo perpetuo versa- D bat, noctu diuque considerans et perscrutans quemadmodum eam augeret. Ea de causa ei labor crescebat quotidie, ampliorque et intensior evadebat in dies, eratque dulcis et voluptate plenus, et procul expellens satietatem. Nemo enim eum unquam vidit quiescentem vel minima parte diei, sed psalmodiam quidem oratio, orationem vero psalmodia, utrumque autem excipiebat divinorum eloquiorum lectio. Deinde cura hospitum venientium, deinde fiebat aliquid ex operibus necessariis. In his vitæ iter ingrediens, et iis qui imitari volebant exemplar virtutis propositus, veluti quædam avis canora, multos sui generis in hæc retia coegit salutaria. Cæterum ab initio quidem

[1] Longus legit *Abban*, vel *Amman*, ut sit proprium nomen.

nullum habere passus est qui secum habitaret: sed parvas domunculas foribus vicinas ædificans, unumquemque ex iis qui conveniebant jubebat per se degere: domunculas sæpe invisens et perscrutans, nunquid præter usum habeant repositum. Aiunt autem eum quoque accedentem ad trutinam, panis mensuram diligenter perpendisse; et si quando invenisset plus quam esset definitum, ægre tulisse, et eos qui hoc faciebant helluones appellasse. Jubebat enim neque comedentes, neque bibentes exspectare satietatem; sed tantum capere quantum satis esset ad tuendam vitam corporis: si quando autem vidisset etiam farinam opertam furfure, eos qui hoc fecissent impetebat maledictis, ut qui Sybariticis fruerentur deliciis. Porro autem noctu quoque ex improviso veniens ad ostium uniuscujusque, si aliquem quidem invenisset vigilantem et Deum laudantem, recedebat tacitus; si quem autem sensisset dormientem, manu quidem pulsabat ostium, lingua autem in eum qui jacebat invehebatur, ut qui corpus plus quam oporteret curaret.

Hinc ejus laborem cum considerassent aliqui qui erant ejusdem animi et sententiæ, ad eum retulerunt ut omnibus unum ædificaret habitaculum. Eos enim qui nunc sunt dispersi exactius et accuratius dixerunt esse victuros, eumque fore liberum a magna parte sollicitudinis. Probavit consilium vir sapientissimus, et cum omnes simul coegisset, et parvas illas diruisset domunculas, iis autem qui erant congregati, unam ædificasset, rogavit ut simul viverent, et se invicem incitarent: et hic quidem illius imitaretur mansuetudinem, ille vero mansuetudinem hujus zelo temperaret, et alius communicans vigilias, acciperet jejunii disciplinam. Sic enim, inquit, a nobis invicem id quod deest sumentes, perfectissimam efficiemus virtutem. Quomodo enim in foris civitatum alius quidem vendit panes, alius vero olera; alius habet vestes venales, alius est opifex calceorum; a se autem invicem id quo opus habent comparantes, vitam agunt jucundiorem; qui dat enim vestem, pro ea accipit calceos; qui autem emit olus, vendit panem: ita nos oportet invicem permutare virtutis partes pretiosissimas. Cum qui erant ejusdem linguæ sic exercerentur et decertarent, et Græca voce Deum laudarent, hujus vitæ instituti eos quoque cepit amor qui lingua utebantur illius regionis; et concurrentes aliqui, supplicarunt ut ipsi quoque in eorum gregem admitterentur, et essent ejus sacræ doctrinæ participes. Concessit autem quod postulabant, legis memor dominicæ quam sanctis tulit apostolis, dicens: Euntes docete omnes gentes (*Matth.* XXVIII). Et cum juxta illud habitaculum ædificasset alterum, eos jussit illic degere, divino quodam templo constructo, in quod jussit et hos et illos convenire, incipiente die et desinente: ut vespertinos et matutinos hymnos Deo simul offerrent, in duas quidem divisi partes, et singuli sua voce utentes, ex successione autem canticum emittentes. Permansit autem in hodiernum usque diem forma ejus instituti, et neque tempus,

A quod hæc talia mutare vehementer contendit; nec ii qui illius successere curationi, ut ex limitibus ab eo positis aliquid everterent, in animum **815** induxere; idque cum non duo vel tres, sed plures hanc susceperint præfecturam. Cum primum enim ille certamen implesset, et ex hac vita excessisset, et in illam omni molestia vacuam commigrasset, Theotecnus quidem Græcæ linguæ, Aphthonius vero Syræ, præfecturam accepere, qui utrique illius virtutis fuerunt quædam animatæ statuæ et imagines. Neque enim iis qui simul conveniebant, neque iis qui extrinsecus adveniebant concesserunt mortis illius ullum habere sensum, ut qui illius vitæ instituti seipsos expressa ostenderent simulacra. Sed divinus quidem Theotecnus cum non diu vixisset, tradidit B Theodoto præfecturam: Aphthonius autem gregis curam gerens, et jam latis legibus regens, permansit diutissime. Hic autem Thodotus ex Armenia oriundus, cum exercitationis monasticæ illum vidisset ordinem, primum quidem erat in numero eorum qui magno parebant gubernanti Theotecno: postquam autem, ut dixi, ille quidem excessit, ipse vero accepit præfecturam, eam tot bonis exornavit, ut fama sua priores propemodum obscurarit. Sic enim eum divinum affecit desiderium, eumque tot et talibus consauciavit jaculis, ut noctu et interdiu effunderet lacrymas compunctionis. Erat autem spiritali tanta plenus gratia, ut eo quidem precante, silerent quidem omnes qui aderant, solum autem illa sacra verba audirent, illam auditionem plane ducentes bo- C nam precationem. Quis enim fuisset adeo adamantinus, ut illis verbis tam sincere et germane prolatis, non demulceretur anima, illiusque duritiem emolliret et inobedientiam, et ad Deo serviendum traduceret? Cum sic opes augeret quotidie, et sacros ostenderet thesauros talibus bonis plenos, postquam viginti quinque annis gregem pavisset, adjectus est ad patres suos, ut divina dicit Scriptura (*Gen.* XV), in bona eductus senectute, traditis habenis Theotecno, qui erat quidem genere fratris filius, frater autem moribus.

Jam vero divinus quoque Aphthonius, cum plus quam quadraginta annis choro præfuisset, sedem accepit pontificalem: nec cilicium mutans monasticum, nec tunicam contextam ex pellibus caprarum; D iisdem quoque cibis vescebatur, quibus antequam fieret antistes. Quin etiam quamvis hanc accepisset curationem, nihilo secius curam gerebat illius gregis, illic multos dies versans: et nunc quidem componens eorum lites qui inter se depugnabant, nunc vero eis consulens qui erant aliqua affecti injuria; aliquando autem sodalibus divinam porrigens admonitionem. Faciebat autem unumquodque horum, vel contubernalium interim pannos consuens, vel lentem expurgans, vel frumentum abluens, vel aliquid tractans ex iis quæ sunt ejusmodi. Cum sic autem et pontificatum ornasset, et virtutem auxisset, ad divinum portum pervenit cum suis oneribus.

Et quid opus est dicere de Theotecno, et qui illum

secutus est Gregorio, quorum ille quidem a juventute omne genus virtutis collegit, et cum majorum suorum excessit gloria; hic vero adhuc in hodiernum diem laborat in profunda senectute, perinde ac si esset in florenti ætate. Perstitit enim vitis fructum perpetuo recusans, et nec aceto quidem vel uvis passis vescens, non lacte neque recenti nec concreto. Sic enim vivere magnus constituit Publius: olei autem usum agnoscentes in tempore Pentecostes, rursus recusant ejus esse participes. Hæc didici de magno Publio, quæ partim quidem audita accepi, partim vero ab ipsis ejus quos vidi discipulis, in quibus agnovi præceptorem, et per athletas didici pædotribam.

Iniquum igitur esse arbitratus, et hominis mundi, tantam utilitatem mandare silentio, iis qui ignorabant proposui narrationem, ut et ipsi utilitatem hinc accipiant procurans, et memoriæ hinc mihi quæstum parans. Audivi enim Dominum dicentem: Quicunque me confitebitur coram hominibus, ego quoque eum confitebor coram Patre meo qui est in cœlis (*Matth.* x); et plane scio quod si eorum memoriam fecero in hominibus, futurum sit ut ii quoque mei meminerint apud Deum universorum.

CAPUT VI.

SIMEONES PRISCUS (29).

Simeonem autem senem si quis de industria prætermiserit (*Theodor.*, *lib.* IV *Hist.*, *c.* 26), et illius philosophiæ memoriam mandarit oblivioni, injuriæ et invidiæ merito accusari poterit, ut qui neque velit laudare ea quæ sunt laude digna, nec iis qui volunt juvari ea proponat quæ sunt maxime expetenda. Ego autem non ne accuser metuens, sed laudibus eum prosequi cupiens, narrabo ejus vitæ institutum.

Is enim longissimo tempore perpetuò vitam amplexus est solitariam, et in parva quadam spelunca vitam agens, nulla humana fruebatur anima, solus enim vivere statuerat; sed cum Deo universorum loquebatur assidue, herbas autem esculentas sibi parabat cibum, ea in re ejus labor consumebatur. A superis autem tam copiosa donatus erat gratia, ut vel fortissimis et audacissimis imperaret bestiis. Idque non solis piis, sed etiam incredulis Judæis evasit manifestum. Nam cum propter aliquod eorum negotium peregre proficisceretur ad aliquod **816** castellum quod situm erat extra eam quæ a nostri imperii hominibus habitatur regionem, ortus autem esset imber vehemens et ingruisset tempestas, a via quidem aberrarunt, ut qui anteriora videre non possent: errabant autem per solitudinem, nec vicum, nec antrum, nec viatorem aliquem invenientes. Cum autem in medio continente non secus undis jactarentur, quam ii qui navigant in mediis fluctibus, divini Simeonis antrum, veluti quemdam portum, animadvertere, sordidumque et squalidum hominem aspexere, et quemdam exiguum ex pelle caprina contextum pannum habentem super humeros. Ille autem simul ac vidit, eos salutavit (erat enim affabilis) et eos rogavit causam adventus. Postquam autem narrarunt quod evenerat, et rogarunt ut eos doceret viam quæ

A ducit ad castellum, Manete, inquit, statim vobis dabo duces qui ostendent viam quam desideratis. Atque ii quidem tunc parebant et quiescebant. Ipsis autem sedentibus, venere duo leones, non torve et ferociter intuentes, sed veluti cuidam domino blandientes, et servitutem significantes. His annuens, jussit ut hospites ducerent, et ad viam a qua aberrarant reducerent. Nemo autem existimet fabulosam esse narrationem, cum communes veritatis hostes habeat ferentes veritati testimonium; ipsi enim consecuti beneficium, hoc perpetuo cecinerunt; hocque mihi hic magnus narravit Jacobus, dicens se affuisse, cum hoc beato Maroni narrarent miraculum. Qui ergo non credit Judæis de Christianorum miraculis ferentibus testimonium, quomodo non merito vocabitur Judæis in-

B fidelior? siquidem illi, etiamsi in nos sint infesto animo, vincuntur tamen, et cedunt radiis veritatis: hi autem cum existimentur benevoli, et fidei socii, ne inimicis quidem credunt virtutem gratiæ testantibus. Cum autem vir ille divinus talibus miraculis evasisset insignis, et multos attraxisset ex vicinis barbaris (illam autem habitant solitudinem qui de Ismaele generis auctore gloriantur), quietis amans, necesse habuit speluncam relinquere. Et cum multum viæ confecisset, pervenit ad montem qui Amanus dicitur; idque quod olim erat refertum insania multorum deorum cultus, multis iisque omnis generis excoluit miraculis, pietatemque ac veram religionem quæ nunc in eo exercetur plantavit.

Sed omnia quidem narrare valde esset laboriosum,

C et fortasse id a me præstari minime posset. Cum itaque unius mentionem fecero, et veluti quamdam formam characteremque apostolici et prophetici miraculi adjecero, relinquam deinceps cogitandum lectoribus cujusnam gratiæ virtutem acceperit.

Æstas erat, et messis, et ferebantur manipuli in areas. Vir autem quidam, qui non erat suis justus contentis [*Fleg.* justis contentus] laboribus, sed aliena concupiscebat, proximi quidem aliquot sustulerat manipulos, per hæc autem conabatur suum augere cumulum: sed statim in ejus furtum divina lata est sententia; cecidit fulmen, et exusta est area. Miser autem ille ad Dei hominem accessit, qui non procul a vico fixerat tabernaculum; et quæ sibi quidem acciderat, narrabat calamitatem,

D furtum autem celare conabatur. Postquam autem vera dicere jussus, est furtum confessus (coegit enim casus vel seipsum accusare), jussit vir ille divinus ut corrigendo injuriam faceret ut liberaretur a pœna. Nam si tu, inquit, illos solveris manipulos, extinguetur ille ignis immissus divinitus; licebat ergo videre illum quidem currentem, et spicas furto surreptas ei cui facta fuerat injuria offerentem, pyram autem absque aqua exstinctam, divini senis oratione et intercessione. Hoc non incolas solum implevit terrore, sed etiam totam civitatem, Antiochiam inquam (erat enim in ejus ditione hoc prædium) coegit illuc currere, et unum quidem petere ut liberaretur a rabie dæmoniaca, alium vero ut quiesceret febris, alium autem ut ali-

cujus ex eis quæ eum cruciabant consequeretur remedium. Ille vero, iis qui inhabitabant, gratiæ fluenta abunde suppeditabat.

Sed rursus amans quietis, ad montem Sinæum voluit pervenire. Cum autem id scivissent multi viri optimi, et qui eamdem persequebantur philosophiam, simul accurrerunt cupientes esse socii ejus peregrinationis. Cum autem iter multorum dierum confecissent, postquam in Sodomiticam venerunt solitudinem, vident eminus viri manus quæ ex profundo in altum expandebantur. Et primum quidem existimabant esse fraudem dæmonis; cum autem majore animi studio precati essent, et eadem vidissent, profecti sunt ad illum locum, et vident quidem parvam fossam, qualem solent vulpes facere, cum quæ subeant lustra machinantur; nullum autem illi videbant B illic apparere. Nam cum sensisset pedum strepitus qui manus habebat extensas, se intra cavernam occultaverat. Diu autem moratus senex, valde rogavit ut se illi ostenderet si humanam habeat naturam, et non sit impostor aliquis dæmon, qui se in has formas verteret. Etenim nos quoque, inquit, persequentes vitam monasticæ exercitationis, et quietem amantes, erramus **817** per hanc solitudinem, in monte Sina cupientes adorare Deum universorum, in quo cum Moysi servo suo apparuisset, dedit legum tabulas; non quod existimemus Deum esse loco circumscriptum; audimus enim eum dicentem: Cœlum et terram ego impleo, inquit Dominus (*Jerem.* XXIII); et quod contineat terræ ambitum, et eos qui in ea habitant tanquam locustas: sed quoniam ii qui ardenter C amant, non solum eos qui amantur desiderant, sed etiam illis loca grata sunt et jucunda, in quibus ii fuere præsentes, et in quibus versati sunt. Hæc et similia cum diceret senex, ex caverna se ostendit homo qui in ea delitescebat. Erat autem aspectu quidem agrestis, coma squalida, facie corrugata, exsiccatis et plane exsanguibus omnibus membris corporis. Erat autem sordidis quibusdam pannis indutus, ex consutis palmarum germinibus. Cum autem salutasset, et pacis verbum dedisset, rogavit quinam essent, et unde venirent, et quo abirent. Ille autem et ad rogatum respondit, et vicissim rogavit undenam venisset, et cur hanc vitam delegisset. Idem, inquit, me quoque cœperat desiderium eo eundi quo vos nunc itis: hujus autem vitæ socium assumpseram D quemdam meum familiarem, et qui erat ejusdem animi et sententiæ, et cui erat idem qui mihi scopus et institutum. Adegeramus autem nos invicem jurejurando, ne morte quidem nostram sejungere consuetudinem. Accidit ergo ut is quidem in peregrinatione vitæ finem hic acciperet. Ego autem jurejurando astrictus, et fossam feci ut potui, et corpus tradidi sepulturæ: propter hoc vero monimentum effosso mihi altero sepulcro, vitæ finem hic exspecto, et Domino consuetum offero officium. Vescor autem dactylis, quos ad me afferre ab eo qui curam gerit jussus est quidam frater. Hæc cum sic dicerentur, leo procul apparuit. Cum autem ii qui erant cum sene animi

A angore et metu cecidissent, sentiens is qui jacebat in caverna, surrexit, et leoni annuit, ut transiret ad aliam partem. Is autem statim paruit, et venit, botrum afferens dactylorum. Deinde rursus abiit cum sibi fuisset permissum, et procul a viris decumbens obdormiit. Cum ergo dactylos divisisset omnibus, et eorum precibus et psalmodiæ communicasset, et post finem matutini officii salutasset, eos dimisit novitate spectaculi stupefactos.

Si quis autem non habet fidem iis quæ dicta sunt, recordetur vitæ insignis Eliæ, et corvorum ministerii, qui mane quidem panem, vespere autem ei carnem perpetuo afferebant; universorum enim effectori est facile ut suis provideatur, omnem viam invenire. Sic Jonam in ventre ceti trium dierum et noctium B spatio conservavit, et effecit ut leones in lacu Danielem obstupuerint, et ut ignis inanimus operaretur tanquam ratione præditus, et eos quidem qui erant intus illuminaret, eos autem qui erant foris ureret. Sed enim rem facio supervacaneam, qui ad probandam Dei potentiam argumenta affero.

Postquam ergo pervenit in montem quem desiderabat, aiunt senem illum admirabilem, in illo loco in quo Moyses dignus est habitus qui Deum videret (vidit autem ut videri potuit ab humana natura), genua flexisse, et non prius surrexisse quam vocem divinam audiverit, quæ illi significabat Domini benevolentiam. Quoniam autem tota vertente hebdomada ita perpetuo fuerat inclinatus, et ne minimum quidem cibi sumpserat, jussit vox quæ ad eum facta est ut ea sumeret C quæ erant apposita, et prompto et alacri animo comederet. Cum autem manum extendisset, et tria mala invenisset, et ea comedisset, ut jusserat qui dederat, et ei plenæ restitutæ sunt vires, et alacri, ut par erat, animo eos qui cum eo versabantur salutavit. Lætus ergo et hilaris reversus est, ut qui et vocem divinam exaudierat, et rursus comederat cibum a Deo datum.

Reversus autem, duo philosophiæ exstruxit gymnasia: unum quidem in vertice montis, de quo prius diximus; alterum autem infra, propter ipsas oras lateris montis. Cum in utroque autem athletas virtutis congregasset, horum et illorum exercitator fuit et pædotriba. Et adversarii docens insultus, et agonothetæ promittens benevolentiam, et bono animo, non D autem degeneri et pusillo esse jubens, et in suos quidem moderatione, in hostem autem animi magnitudine uti præcipiens, hæc docens, sic vivens, hæc miracula faciens, et splendorem omnis generis emittens, laboriosæ hujus vitæ finem cepit, et migravit in eam quæ est senii, et molestiæ expers, relicta gloria quæ exstingui non potest, et memoria quæ manet in perpetuum. Hujus benedictionem, cum is adhuc esset superstes, beata, atque adeo ter beata, mater mea est consecuta, et sæpe mihi multa de eo narravit.

Ego autem nunc oro ut quam dare potest, ejus consequar intercessionem; et scio me consecuturum: omnino enim dabit petitionem, imitans Domini benignitatem.

CAPUT VII.

PALLADIUS (30).

Qui autem multorum sermone celebratus est Palladius (*Theodor.*, *lib.* IV *Hist.*, *cap.* 26), et tempore ei fuit **818** æqualis, et moribus similis, notusque et familiaris. Ad se enim, ut aiunt, invicem ventitantes, ex se invicem capiebant utilitatem, se mutuo provocantes, et ad zelum Dei incitantes. Inclusus autem erat in quadam domuncula, quæ erat propinqua vico maximo et populo longe frequentissimo : est autem ei nomen Iemme [*Long.*, Imme]. Ac de maxima quidem viri a cibo abstinentia seu jejunio et inedia, vigiliaque, et oratione perpetua, dicere existimo esse supervacaneum. In his enim idem traxit jugum quod beatus Simeon. Miraculum autem quod in hodiernum usque diem decantatur, ab illius autem voce et manu factum est, existimavi si narrarem facturum me operæ pretium.

In prædicto vico fit celeberrimus conventus, qui undique attrahit mercatores, et majorem multitudinem quam quæ possit numerari. In eo quidam mercator, iis quæ attulerat venditis, et auro coacto, noctu volebat recedere. Quidam autem homicida, qui aurum illic collectum aspexerat, œstro quodam et furore percitus, somnum quidem a ciliis depulit, observabat autem quando vir ille esset profecturus. Post galli autem cantum, ille quidem abibat securus : hic autem præveniens, cum quemdam locum aptum insidiis occupasset, repente adortus, eum et percussit et cædem fecit. Exsecrando autem facinori impium quoque aliud factum adjicit; nam cum aurum cepisset, mortuum illud corpus projecit ad ostium Palladii. Cum autem dies venisset, et fama pervasisset, et totus hominum conventus de eo quod factum erat passim loqueretur, concurrerunt omnes, et effracto ostio, cædis factæ pœnam exigere volebant a divino Palladio : unus autem ex iis qui hoc faciebant, erat is qui sua manu cædem fecerat. Cum ergo vir divinus circumsideretur a tanta multitudine, cœlum intuens, et mente cœlum superans, supplicavit Domino ut calumniæ mendacium refelleret, et veritatem quæ latebat ostenderet. Cum sic orasset, et jacentis manum prehendisset, Dic, inquit, o adolescens, quis hanc tibi plagam intulerit : ostende quis hoc exsecrandum facinus admiserit, et libera innocentem ab hac improba calumnia. Sermonem autem sermo quidem est consecutus. Dextera autem homo etiam sedens, circumspiciebat quidem eos qui accedebant, digito autem ostendebat homicidam (31). Clamor sublatus est ab omnibus, et miraculum stupentibus, et calumniam quæ fuerat intentata deflentibus. Cum autem illum sceleratum exuissent, et gladium invenerunt adhuc cruentum sanguine, et aurum illud quod cædis causam dederat. Divinus autem Palladius cum prius fuisset admirabilis, hinc merito evasit longe admirabilior. Sufficiebat enim miraculum ad viri ostendendam apud Deum fiduciam.

Ex eodem autem ordine fuit etiam Abraames admirabilis, qui ædificavit quidem id quod vocatur Paratomon, virtutis autem splendores in omnem partem emisit. Quam clara autem fuerit ejus vita, testantur quæ post ejus mortem fiunt miracula. Ex ejus sepulcro in hodiernum usque diem scaturiunt omnis generis morborum curationes. Hujus autem sunt locupletes testes, qui eas abunde illinc per fidem hauriunt. Mihi autem quoque detur consequi auxilium, qui eorum memoria linguam sanctificavi.

CAPUT VIII.

APHRAATES (32).

Quod una sit omnium hominum natura, et philosophari sit facile volentibus, sive sint Græci, sive barbari, ex multis quoque aliis scire est in promptu : ad hoc autem aperte ostendendum sufficit vel solus Aphraates (*Theodor.*, *lib.* IV *Hist.*, *cap.* 24). Is enim in Persis, qui sunt injustissimi, et natus et educatus, et ortus ex talibus parentibus, et in eorum legibus institutus, ad tantam pervenit virtutem, ut eos qui ex piis nati fuerant, et piam doctrinam ab ineunte ætate acceperant, obscuraverit. Primum enim contempto genere (erat autem id clarum et illustre) accurrit ad Dominum adorandum, majores suos imitatur magos, deinde sui generis hominum impietatem abominatus, suæ prætulit alienam regionem. Et cum venisset Edessam (est autem civitas maxima et populo frequentissima, et quæ pietate insigniter exornatur), cum extra ejus ambitus invenisset domunculam, et se in ea inclusisset, suæ curam gerebat animæ, veluti quidam optimus agricola, vitiorum spinas exscindens radicitus, et divinam expurgans segetem, et maturos Evangelii fructus offerens Domino. Illinc venit Antiochiam, quæ ab hæretica procella graviter circumsidebatur, ubi cum ante civitatem in quoddam philosophiæ gymnasium divertisset, et Græcæ linguæ pauca verba didicisset, ad divinos quidem sermones audiendos traxit plurimos : utens autem lingua barbarie commista, fetus proferebat ingenii et intelligentiæ, ex gratia divini Spiritus accipiens hæc fluenta. Quis enim ex iis qui suam jactant eloquentiam, et supercilia contrahentes elate loquuntur et magnifice, et propter syllogismorum laqueos juveniliter exsultant, inerudita illa et barbara voce fuit unquam superior? Ratiocinationibus **819** enim ratiocinationes, et divinis eloquiis philosophorum vincebat rationes, cum magno Paulo clamans, etsi imperitus sermone, non tamen scientia (*II Cor.* XI). Hoc autem modo perpetuo ex Apostoli sententia deprimebat rationes, et omnem altitudinem quæ extollitur adversus Dei cognitionem, et captivabat omnem intelligentiam ad Christi obedientiam (*II Cor.* X). Licebat autem videre concurrentes eos qui gerebant magistratus, et qui erant relati in aliquos militiæ numeros, eosque qui manu sibi victum comparabant ; et ut semel dicam, et privatos et milites, et doctos, et litterarum rudes, et pauperes, et divites : et alios quidem silentio accipientes ea quæ offerebantur, alios vero rogantes et sciscitantes, et orationi præbentes occasionem. Cum autem tantum laborem caperet, non pas-

sus est unquam ullum accipere qui secum habitaret; A quinetiam malebat suam ipsius operam quam officium et ministerium quod sibi offerebatur ab aliis. Cumque ejus congressiones et collocutiones fierent ad portam atrii, ipse eam aperiebat ingredientibus, et abeuntes deducebat ac dimittebat. Nihil autem unquam omnino accepit ab aliquo, non panem, non obsonium, non vestem, sed unus solus ei notus panem suppeditabat. Cum autem usque ad profundum processisset senium, post occasum solis vescebatur oleribus.

Aiunt autem Anthemium, qui postea fuit et præfectus et consul, cum electus legatus profectus est ad Persas, ad eum attulisse tunicam apud Persas contextam, et dixisse: Cum scirem unicuique suam dulcem esse patriam, et qui illic nascuntur fructus B esse jucundissimos, hanc ex patria ad te attuli tunicam, rogoque ut tu eam accipias, ego vero sim tuæ benedictionis particeps. Is autem eam quidem primum jussit poni in subsellio; deinde cum multi fuissent interjecti sermones, dixit se angi animo, utpote quod sit in duas partes divisa cogitatio; illo autem rogante causam: Semper, inquit, constitui habere unum solum qui mecum habitaret; mihique ipsi hanc legem imposui, ut mihi omnino denegetur duorum simul habitatio. Cum ergo unus mecum jam sedecim annis habitasset, et esset mihi cordi, accessit quidam meus contribulis, volens mecum habitare, et rogans ut hoc sibi liceat. Hoc mihi mentem distrahit, duos enim simul habere non patiar. Contribulem enim amplector ut contribulem; priorem autem, C ut qui mihi cordi fuerit, expellere, et grave et iniquum existimo. Ille vero: Merito, inquit, o Pater, neque enim fas est ut eum qui tibi plurimo tempore inserviit amandes, tanquam non aptum; eum autem cujus morum nondum fecisti periculum, propter solam admittas patriam. Ad hæc divinus Aphraates: Non accipiam ergo, inquit, o vir admirande, hanc tunicam; duas enim habere non patiar. Est enim mea quidem sententia jucundior, tua vero melior ea quæ mihi tanto tempore inserviit. Cum callido ergo commento sic eluisset Anthemium, et ingenii solertiæ exhibuisset miraculum, persuasit ut nemo deinceps cum eo ageret de illa tunica. Ego autem hæc retuli, volens duo simul ostendere: et quod ab uno solo acceperit quod curando corpori satis erat, et D quod tanta ejus fuerit sapientia, ut effecerit ut qui rogabat ut acciperet, sententiam tulerit eum non debere accipere. Sed his et quæ sunt hujusmodi relictis, narrabo majora.

Cum Julianus Deo infestus in barbarorum regione pœnas dedisset impietatis, res quidem fuere parumper tranquilliores alumnis pietatis, cum Jovinianus accepisset clavum Romani imperii: postquam autem hic quoque, cum parvo tempore regnasset, accepit finem vitæ, Valens autem accepit principatum, procellæ et tempestates rursus mare nostrum agitabant, gravisque fluctus excitabatur, et undæ maximæ scapham undique impetebant. Efficiebat autem graviorem tempestatem solitudo gubernatorum. Eos enim imperator, qui in solam veram religionem suam exercebat audaciam, coegit habitare in exsilio. Et cum tanta esset usus iniquitate, impietatis eum non capiebat satietas, sed dispergebat ac dissipabat cœtum piorum omnium, instar feræ immanis gregem contendens discerpere. Ea de causa eos non solum expulit ab omni ecclesia, sed etiam ex latere montis, et ex ripa fluvii, et ex bellico gymnasio. Hæc enim loca perpetuo mutabant, ut in quos obiter sæviret armata manus. Et Scythæ quidem, et alii barbari, totam Thraciam a Danubio usque ad Propontidem secure populabantur: ille autem eorum auditionem, ne arrectis quidem, ut dicitur, auribus, poterat accipere; sed in eos qui erant ejusdem generis, et ejus ditionis, pietateque ac religione clari, armis utebatur. Divinus autem populus illorum malorum deflebat importunitatem, Davidicum illud canens canticum: Super flumina Babylonis illic sedimus; et flevimus, dum nos recordaremur tui, Sion (*Psal.* CXXXVI). Reliqua autem cantici eis non conveniebant. Aphraates enim, et Flavianus, et Diodorus, non permiserunt ut suspenderentur in salicibus instrumenta doctrinæ; nec **(820)** passi sunt dicere: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena (*Psal.* CXXXVI)? Sed et in montibus, et in campis, et in urbe, et in suburbanis, et in ædibus, et in foris, canticum Domini assidue canebant. A Davide enim didicerant, Domini est terra, et plenitudo ejus, orbis terræ, et omnes qui habitant in eo (*Psal.* XXIII). Rursus autem audierant eumdem Prophetam clamantem: Benedicite Domino, omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus (*Psal.* CII). Audiverunt autem divinum quoque Paulum præcipientem orare viros in omni loco, tollentes manus sanctas absque ira et disceptationibus (*I Tim.* II). Porro autem ipse quoque Dominus loquens cum Samaritana, hoc prædixit apertius: Amen enim, inquit, dico tibi, mulier, venit hora, et nunc est, quando neque in loco hoc, neque Jerosolymis, sed in omni loco adorabunt Patrem (*Joan.* V). Hæc cum didicissent, et in domo, et in foro, et, ut apostolice dicam, publice et per domos perpetuo testificabantur (*Act.* XX); et veluti quidam præstantissimi imperatores, suos quidem armabant, adversarios autem confodiebant. Atque magnum quidem Flavianum, et divinum Theodorum, qui tunc sub alio pascebant, et secunda cathedra digni erant habiti, hæc facere quæ dixi, et admirandum quidem est, et laude dignum: sed tamen hæc faciebant, cum essent electi exercitus imperatores, et subjecti legibus imperatoriis. Sapientissimus autem Aphraates sua sponte ad hæc prosiluit certamina; in quiete enim educatus, et cum ejus institutum esset per se vivere, et extra teli jactum sederet, ut dicitur, cum vidisset belli vehementiam, non illi placuit quod esset securus, sed quietem jubens valere ad tempus, piorum phalangis fuit in pugna princeps, feriens quidem et vita et sermone et miraculis, ipse autem nunquam percussus.

Quinetiam cum imperator omni ex parte stultus eum aliquando vidisset exeuntem in gymnasium bellicum (contigerat enim ut tunc illic congregarentur qui erant rite venerandæ Trinitatis socii), ostendit autem quis eum ad ripam fluvii ambulantem spectanti imperatori, rogavit eum quonam tenderet. Cum is autem dixisset se ire deprecatum pro terrarum orbe et pro imperio, rursus respondit imperator : Et quanam de causa vitam profitens monasticam, secure per forum ingrederis (33), silentio et quiete relicta? Ille autem (solebat enim Dominum imitans, parabolice ratiocinari) : Dic mihi, inquit, imperator, si essem virgo absconsa in thalamo, vidissem autem aliquem in domum patris ignem injicientem, quid mihi consuluisses facere, videnti flammam ardentem, et domum quæ comburitur, intusne sedere, et domum quæ crematur despicere? Sed sic ego quoque fuissem consumpta ab incendio. Sin autem dicis oportere properare, aquam ferre, et susquedeque currere, flammamque exstinguere; ne me reprehendas, o imperator, si id ipsum facio. Quod enim tu consulueris virgini quæ est in thalamo, hoc ego cogor facere qui vitam sum professus monasticam. Quod si tu me reprehendis qui quietem reliquerim, teipsum reprehende qui hanc flammam in domum divinam injeceris; et non me, qui conor exstinguere. Quod enim oporteat opem ferre domui paternæ quæ uritur, ipse quoque confiteberis. Quod autem Deus sit magis verus et germanus Pater quam ii qui sunt in terra, est cuivis apertum, etiam qui rebus divinis non est omnino initiatus. Nihil ergo absurdum facimus, o imperator, neque cœpto nostro et instituto contrarium, si veræ religionis alumnos congregamus et pascimus, et eis herbam divinam exhibemus. His dictis, imperator quidem tacite assentiebatur, considerans justam defensionem.

Unus autem ex iis qui nec viri censentur nec mulieres, sed posse unquam patres fieri eis est ademptum, et hac de causa censentur bene velle imperatori, et ei loqui confidenter, is ex loco superiore divinum virum convicio est insectatus, et mortem minitatus; sed non ita diu post pœnas luit suæ audaciæ. Nam cum vellet imperator corpus lavare in balneo, accessit quidem miser tanquam solium visurus an bene esset temperatum, mente autem captus, insiluit in solium, quod aquam calidam minime temperatam continebat; et cum nullus adesset intus (solus enim ingressus fuerat, visurus an esset paratum) remansit coctus et resolutus. Cum autem tempus interim tereretur, mittit imperator alium qui eum vocaret : cum is autem neminem in illa domo invenisset, id renuntiat imperatori. Cum deinde autem plures accurrissent, omnia perscrutantes solia, et ad illud tandem venissent, eum jacentem et vita privatum aspiciunt. Excitato autem tumultu, et omnibus deflentibus, alii quidem aquam illam calidam exhauserunt, alii vero corpus miserrimum extulerunt. Hinc factum est ut metus invaderet imperatorem et omnes qui armabantur adversus pietatem.

A Sparsa est autem fama per totam civitatem, quales infelix ille luerit pœnas contumeliæ qua affecit Aphraatem, omnesque Deum Aphraatis perpetuis celebrabant laudibus. Hoc, etsi instarent adversarii, obstitit quo minus homo **821** Dei mitteretur in exsilium. Imperator enim perterritus, eos quidem qui hæc suadebant aversabatur, virum autem reverebatur.

Porro autem aliunde quoque ejus virtutem didicit. Equus quidam bono genere natus, et portare apprime doctus, erat imperatori charissimus : morbus quidam qui ei acciderat male habebat imperatorem, retinebatur autem humidorum excrementorum excretio; ad eum curandum accersebantur qui in hac arte fuerant exercitati. Cum ea autem esset etiam morbo B inferior, imperator quidem molestia afficiebatur; lamentabatur autem is cui equorum cura fuerat credita. Cum esset autem pius et fide firmus, in meridie venit una cum equo ad magni Aphraatis habitaculum; et cum morbum dixisset, et fidem suam significasset, oravit ut solveret morbum suis precibus. Ille autem nihil cunctatus, sed statim Deum precatus, jussit aquam hauriri ex puteo; et cum ei salutaris crucis signum imposuisset, jussit eam ad equum afferre : is autem bibit plus quam consueverat. Deinde cum oleum divina invocatione implesset benedictione, equi ventrem inungit, et manus contrectatione statim morbus est sublatus. Lætus ergo homo equo accepto, cucurrit ad stabulum. Vespere autem (solebat enim eo tempore venire ad stabulum imperator) venit et interrogavit C quomodo equus se haberet. Is autem cum et sanum esse significasset, et equum valentem, et exsultantem, hinnientemque, et collum superbe erigentem eduxisset, rogavit eum causam sanitatis. Ubi autem diu cunctatus (verebatur enim ostendere medicum, sciens eum qui rogabat esse ei infensum), tandem verum coactus est dicere, et docuit modum curationis. Obstupuit quidem imperator, et confessus est eum esse virum admirabilem, nec tamen a priore destitit insania, sed perrexit furere adversus Unigenitum, donec a barbarico fuit igne consumptus, ne sepultura quidem, qua famuli vel mendici, dignatus. Divinus autem Aphraates et in illa tempestate suam ostendit virtutem, et reddita tranquillitate fecit quoque consimiliter. Porro autem alia quoque miracula fecit D innumerabilia, quorum unius vel duorum meminero.

Mulier quædam genere nobilis, simul cum viro intemperante trahens jugum matrimonii, venit ad beatum illum hominem, deflens propriam calamitatem. Dicebat enim, maritum concubinæ captum consuetudine, magicis quibusdam præstigiis fuisse incantatum, et odio habere ipsam legitimo matrimonio conjunctam. Hæc autem dicebat mulier stans pro foribus atrii; sic enim solebat colloqui cum femina, nullam enim unquam admisit intra fores. Tunc ergo mulieris misertus ejulantis, oratione incantationis abolet operationem : et cum olei guttum ab ipsa allatum invocatione divina sanctificasset, jussit ut eo ungeretur. Hæc præcepta cum implesset mulier, conjugis

amorem in se transtulit, et persuasit ut pro illegitimo legitimum cubile eligeret.

Jam vero dicunt etiam quod cum locustæ aliquando regionem repente invasissent, et instar ignis omnia consumerent, segetes, arbores, prata et nemora, venit ad eum quidam vir pius, rogans ut opem ferret unum quidem agrum habenti, ex eo autem et se et uxorem et filios et familiam alenti, et a quo etiam imperatoria exigeretur collatio. Is ergo rursus dominicam imitans benignitatem, jussit ad se afferri congium aquæ. Postquam autem aquæ congium attulit is qui orabat, ei quidem manum imposuit; Deum autem est precatus, ut fluentum impleret divina virtute, deinde finita oratione, jussit ut in prædii limitibus aqua aspergeretur. Qui eam attulerat, fecit ut jussus fuerat, idque fuit illis agris pro vallo sacrosancto et inexpugnabili; nam usque ad illos fines reptantes et circumvolantes locustæ instar exercitus, rursus retrocesserunt, benedictionem impositam extimescentes, et veluti quodam freno suffocatæ, et ultra progredi prohibitæ.

Et quid opus est dicere omnia quæ facta sunt a beata illa anima? hæc enim satis sunt ad ostendendum splendorem gratiæ quæ in eo habitabat.

Eum ego vidi, et sanctæ illius dexteræ percepi benedictionem, cum essem quidem adhuc adolescens, matri autem me adjunxissem comitem ad illum profectionis. Et cum pro more quidem januam aperuisset, illam et suo sermone dignatus est et benedictione: me autem intromissum impertiit opibus deprecationis. Ea nunc quoque fruar, ut qui credam eum vivere, et una cum angelis choros ducere, et majori quam olim apud Deum uti fiducia. Eam enim tunc metiebatur corpus mortale, ne occasio arrogantiæ evaderet, si fuisset major quam par esset fiducia. Nunc autem deposito onere animi perturbationum, ut athleta victoria potitus, fiducia et libera loquendi facultate utitur apud agonothetam. Qua de causa oro quoque ut ejus consequar intercessionem.

CAPUT IX.

PETRUS (34).

De Gallis quidem audimus qui sunt in Europa ad Occidentem (*Theodor.*, *lib.* IV *Hist.*, *cap.* 26). Scimus autem **822** eos quoque qui sunt in Asia ab illis oriundi qui sedes fixerunt propter Pontum Euxinum. Ex iis germinavit beatus Petrus, atque adeo terque quaterque beatus. Septem autem annis, ut aiunt, postquam natus est, a parentibus educatus, consumpsit totam reliquam vitam in philosophiæ certaminibus. Dicitur autem obiisse, cum vixisset nonaginta et novem annos.

Eum ergo qui nonaginta et duos annos decertavit, et noctu diuque semper victor evasit, quis pro dignitate laudaverit? Quænam autem lingua suffecerit ad ejus narrandas res præclare et ex virtute gestas, in pueritia et adolescentia, in virili et in ingravescente ætate, et in extrema senectute? Quis illum sudorem mensus fuerit? Quis luctas quæ in tanto tempore factæ sunt enumeraverit? Quænam autem oratio con-

A sequi potuerit vel semina ab eo dejecta, vel collectos manipulos? Quis est adeo magna et excelsa mente præditus, ut possit perfecte intueri facultates et copias collectas ex præclara mercatura? Scio rerum illius gestarum vastum pelagus, et ideo vereor accedere ad narrandam historiam, ne obruatur oratio. Quamobrem ambulabo propter littus, et quæ in continente gesta sunt, ante mare admirabor et enarrabo, profundum autem relinquam ei qui, ut divina dicit Scriptura, scrutatur profunda, et occulta cognoscit (*I Cor.* II; *Dan.* II).

Hic ergo primo tempore certavit in Galatia, illinc videndi gratia venit in Palæstinam, ut cum vidisset loca quæ susceperunt salutares passiones, in his Deum qui servavit adoraret; non ut qui loco circum-
B scribatur (sciebat enim ejus naturam non posse circumscribi), sed ut pasceret oculos spectaculo eorum, quæ desiderantur; nec sola animæ vis qua contemplatur, absque visu, spiritali alimento per fidem frueretur. Iis enim qui amore aliquem prosequuntur est a natura insitum ut non ex solo ejus aspectu capiant voluptatem, sed et domum et vestes et calceos contemplentur cum magna lætitia. Tali in sponsum amore prædita sponsa quæ desiderabat in Cantico canticorum, clamabat, dicens: Sicut malum in lignis silvæ, ita patruelis meus in medio filiorum. In umbra ejus desideravi et sedi, et fructus ejus dulcis in gutture meo (*Cant.* II). Nihil ergo absurdum et alienum fecit hic homo divinus, qui in sponsum quidem eumdem accepit amorem, iisdem autem verbis usus est quibus
C sponsa: Vulneratus sum ego, clamabat, ab amore (*Cant.* IV). Cum autem desiderasset contemplari sponsi quamdam veluti umbram, abiit visurus loca ex quibus scaturierunt fontes omnibus hominibus salutares.

Cum ergo quæ desiderabat ei frui licuisset, profectus quidem est Antiochiam: cum autem vidisset civitatis pietatem ac religionem, externam regionem patriæ suæ prætulit, cives existimans non contribules et cognatos, sed eos qui erant ejusdem cum ipso sententiæ, et in fide socii, et trahebant idem jugum pietatis ac religionis. Cum illic autem morari placuisset, non extendit tabernaculum, non fixit tugurium, non excitavit domunculam, sed totum tempus transegit in alieno sepulcro. In eo autem erat projectum quoddam superius tabulatum, cui conjunctæ scalæ eos
D excipiebant qui volebant ascendere. In eo permansit inclusus longissimo tempore, aqua quidem utens calida, solo autem pane vescens, idque non quotidie, sed uno quidem manens jejunus, postridie autem ea sumens.

Cum autem quidam insaniens, et furore percitus, et maligni dæmonis plenus operatione, ad eum venisset, eum quidem mundavit, deprecatus, et ab illo diabolico furore liberavit. Cum vero nollet abire, sed obsecrasset ut pro illa curatione ei suum impertiret ministerium, eum admisit ut secum habitaret. Eum ego et novi, et memini miraculi, et vidi mercedem curationis, et audivi sermonem quem de me habuerunt. Dicebat enim Danielus (erat enim hoc illi no-

men) me quoque præclari ministerii hujus futurum socium. Vir autem ille divinus non est assensus ut hoc fieret, parentum meorum in me amorem considerans; sæpe autem me genibus impositum uva aluit et pane. Nam cum mater fecisset periculum spiritalis ejus gratiæ, jussit me semel in hebdomada decerpere illius benedictionem. Ejus autem habuit notitiam hac de causa : Morbus qui ei in alterum ex oculis incubuerat, visus est medicinæ superare scientiam; nihil enim erat aut scriptum a veteribus, aut inventum ab iis qui fuere posterius, quod non morbo fuerit adhibitum. Postquam autem omnia probavit, et ostendit nullam afferre utilitatem, venit quædam ei familiaris quæ divinum virum ostendebat, et ab eo factum docebat miraculum. Dicebat enim uxorem ejus qui eo tempore tenebat clavum Orientis administrationis (erat autem is Pergamenus) cum ea in hunc morbum incidisset, eum ipsam curasse cum deprecatione esset usus et crucis signaculo. Audivit mater, et ad divinum statim accurrit hominem: habebat autem inaures, catenas, et torques, et alia aurea quæ sibi induerat, et vestem variam ex sericis **823** filis contextam : nondum enim virtutem gustarat perfectiorem; florebat autem tempore [*Leg.*, annis], et mundum muliebrem gestabat ut adolescentula. Cum divinum ergo caput hæc aspexisset, nimii ornatus amoris primum morbum curavit, usus verbis talibus : Dic mihi, inquit, filia (utar enim ejus voce, et non mutabo verbum sanctæ illius linguæ), si quis pictor, in arte bene exercitatus, aliquam pinxisset imaginem, ut præcipit lex artis, et eam proposuisset videre volentibus, veniret autem aliquis alius, artem non sciens perfecte et accurate, temereque et inconsulte, ut sibi videtur, vellet contra pingere; deinde illam artificiosam reprehendens picturam, superciliis quidem et ciliis lineas adderet longiores, faciem autem efficeret albiorem, et genis rubrum adderet colorem; non tibi videtur prior ille pictor jure succensurus, quod et ars ejus probro esset et contumelia affecta, et eorum quibus opus non erat additamentum a manu indocta accepisset? Ergo universorum quoque, inquit, opificem, et nostræ naturæ effictorem et pictorem jure irasci credite, quod illam quæ verbis explicari non potest, naturam et sapientiam accusetis inscitiæ. Non enim rubrum et album et nigrum colorem vobis infunderetis, si non existimaretis esse vobis opus hac additione. His autem corpus egere arbitrantes, imbecillitatis damnatis creatorem. Sciendum est autem eum habere potestatem suæ voluntati justa symmetria respondentem. Omnia enim, ut ait David, quæ voluit Dominus fecit (*Psal.* CXIII, CXXXIV). Ejus autem quod est omnibus utile futurum curam gerens, non dat ea quæ damnum afferunt. Nolite ergo Dei corrumpere imaginem, neque tentetis ea addere quæ sapienter non dedit, neque hanc adulterinam excogitate pulchritudinem, quæ vel pudicis affert exitium, videntibus insidians. Hæc audivit præstantissima et omni ex parte optima femina, et statim

A Petri reti fuit implicata (piscabatur enim hic quoque similiter atque is qui idem quod ipse nomen habebat), pedesque tangens, et vociferans, obsecravit ut curaret oculum. Is autem dicebat, se quidem esse hominem, et eamdem habere quam ipsa naturam; se autem peccatorum magnam gestare sarcinam, et ideo privatum esse ea quæ ad Deum habetur fiducia. Cum autem mater fleret et oraret, et diceret se non esse eum relicturam, nisi sanitatem assequeretur, dixit Deum esse horum curatorem, petitiones autem semper dare iis qui credunt. Dabit ergo, inquit, nunc quoque, non mihi donans gratiam, sed tuam fidem contemplans. Si eam ergo habes sinceram et veram, puramque et ab omni liberam dubitatione, jubens et medicos valere et medicamenta, a Deo datum sume hoc medicamentum.

B Hæc cum dixisset, manum imposuit oculo, et salutaris crucis signo facto, morbum expulit. Illinc domum reversa, cum et medicamentum abluisset, et omnem extrinsecus inductum abjecisset ornatum, ex legibus a medico latis vitam instituebat : neque varia veste induta, neque aureis monilibus exornata, idque cum esset ætate adhuc admodum juvenis; nata enim erat vigesimum tertium annum, necdum mater facta fuerat : cum enim septem alios annos vixisset, me peperit, qui fui ejus primus et solus fetus. Tantum fructum cepit ex magni Petri doctrina, et duplicem accepit curationem; et cum corpori quæreret medicinam, bonam quoque animæ sibi paravit habitudinem. Talia dicendo ille operabatur, et tam potens erat precando.

Cum ea autem aliquando adduxisset obsonatorem

C famulum, qui a malo dæmone vexabatur, rogavit ut ei suum non negaret auxilium. Cum precatus autem esset vir divinus, jussit dæmoni ut diceret causam cur haberet potestatem in Dei creaturam. Ille autem, tanquam homicida aliquis vel murorum perfossor ac latro stans ante judicem, et jussus dicere quæ fecit, sic omnia est persecutus, ut qui præter consuetudinem cogeretur vera dicere; et dixit Heliopoli ægrotasse quidem servi dominum; dominam autem conjugi, utpote ægrotanti, assedisse; ancillis autem dominæ domus in qua manebant narrasse vitam monachorum qui philosophabantur Antiochiæ, et quantas vires habeant adversus dæmones; et has quidem, utpote puellas, ludo delectatas, dæmoniacas et insanas egisse; illum ipsum autem famulum monastica

D veste ex caprina pelle confecta indutum, illas monastice adjurasse. Cum hæc, inquit, fierent, ego stans pro foribus, superbaque illa et gloriosa quæ de monachis dicebantur non ferens, volui facere periculum de illa quam illos habere juveniliter jactabant potestate. Ea de causa relictis ancillis, in hunc me intrusi, volens scire quemadmodum expellerer a monachis. Nunc autem, inquit, didici, nec ulla alia egeo experientia, mox autem te jubente exeo. Hæc dicens, aufugit, fuitque liberatus famulus.

Jam vero alium quoque rusticum cum matri quidem meæ mater, mea vero matertera [1], adduxisset, rogabat adversarium vitii ut ei opem ferret. Is

[1] Al., *avia*. Existimo in Græco esse μητρομήτωρ

autem rursus rogavit, et undenam esset, et a quonam accepisset potestatem in Dei creaturam. Ut autem **824** silens ille non dedit responsum, oravit Petrus flexis genibus, Deumque est precatus, ut exsecrando illi dæmoni suorum famulorum ostenderet potentiam. Deinde rursus surrexit; ille autem rursus resistens, tacebat: et hæc facta sunt usque ad horam nonam. Postquam autem majore studio et magis vehementem Domino obtulit orationem, surgens dixit scelerato dæmoni: Non tibi imperat Petrus, sed Petri Deus: responde ergo, ut qui ab illius cogaris potentia. Reveritus est, etsi sit impudens, perniciosus dæmon, sancti lenitatem ac moderationem; et magna usus voce, clamavit, quod in monte quidem Amano versaretur. Cum eum autem vidissem, inquit, in via, ex aliquo fonte aquam haurientem et bibentem, contendi hoc mihi sumere habitaculum. Sed egredere, inquit homo Dei, eo qui pro orbe terrarum est crucifixus, hoc tibi imperante. Audivit ille, et fugit, et a furore liber materteræ redditus est agricola. Cum alia autem hujusmodi innumerabilia possim de beata illa narrare anima, plurima prætermittam, pertimescens vulgi imbecillitatem; ad seipsos enim respicientes, fidem non habent divinorum virorum miraculis. Cum unum autem vel duo narravero, transibo ad alium athletam.

Erat quidam vir libidinosus, qui superioribus temporibus fuerat dux militiæ. Puella autem quædam innupta, sed nubilis, quæ ejus suberat dominio, relicta matre et suis, fugit in quoddam gynæceum, in quo erat cœtus athletarum. Decertant enim feminæ quoque similiter atque viri, et descendunt in stadium virtutis. Cum hujus fugam didicisset dux militiæ, matrem flagris cecidit, et vinxit, nec eam prius emisit e vinculis, quam religiosarum mulierum ostendit habitaculum. Sua itaque usus rabie, illinc rapuit puellam, et domum suam reduxit; et speravit infelix se suam expleturum libidinem. Sed qui magnis et malis tentationibus de Sara uxore Abrahæ tentavit Pharaonem, et pudicam mulierem conservavit intactam; et qui Sodomitas percussit cæcitate, qui eos qui erant incorporei aggressi fuerant, tanquam hospites, insectari contumeliis, is cum hujus vivendi virtutem percussisset cæcitate, effecit ut præda evaderet e manibus: et ipse quidem ingressus fuerat in thalamum, illa autem quæ intus custodiebatur, mox exiit et evanuit ex oculis, et ad maxime expetendum pervenit habitaculum. Sic cum didicisset stolidus se non esse eam superaturum quæ Deum sponsum elegisset, coactus est quiescere, eam quæ capta fuerat, et divina potestate evaserat, non amplius requirens. Hæc tempore procedente in gravem morbum inciderat; morbus autem erat cancer, cum mamilla autem inflata dolor quoque crescebat. Sed magnum vocabat Petrum, cum dolor esset vehementissimus; et dicebat, sacra illa voce in aures suas immissa, totum illum sopiri dolorem, et nullum exhinc sensum sentire molestiæ. Ea de causa eum accersens, frequentius accipiebat consolationem. Dicebat enim toto illo A tempore illius præsentiæ dolores omnino recedere. Sed illam quidam, cum sic decertasset, laudibus victoriam significantibus ex hac vita excedentem est prosecutus.

Rursus autem matrem meam, cum postquam me peperisset, esset in ipsis mortis foribus, a matertera rogatus, veniens eripuit a mortis manibus. Jacebat enim, ut aiunt, medicis quidem desperantibus, familiaribus autem deplorantibus, et finem exspectantibus, clausis oculis, febre vehementi laborans, nullum ex notis agnoscens. Postquam autem venit qui apostolico et sermone dignatus fuerat et gratia, et, Pax tibi, dixit, filia (hæc enim erat ejus salutatio), dicitur protinus et cilia erexisse, et eum fixis oculis aspexisse, et benedictionis fructum renuntiasse. B Postquam ululavit autem chorus feminarum (animi enim angor et lætitia simul erant commixta, et causa erant illius vociferationis), præcipit homo divinus ut eæ omnes sint sociæ ejus orationis. Sic enim dicebat etiam Tabitham fuisse salutem consecutam, viduis quidem deflentibus, magno autem Petro offerente Deo illorum lacrymas (*Act.* IX). Precatæ sunt ut jussit, et acceperunt ut prædixit. Nam cum finem accepisset oratio, morbus quoque finem cepit: et sudor repente fluxit ex toto corpore, et ignis ille est exstinctus, et sanitatis signa apparuerunt. Talia nostris quoque temporibus per suos servos benevolus Deus fecit miracula.

Hujus quoque vestium superficies operata est similiter atque divinissimi Pauli. Hoc autem posui, C non utens aliqua hyperbole, sed consentientem habens dicto veritatem. Nam cum propriam zonam divisisset in duas partes (erat autem lata et longa, ex crasso lino contexta) hujus quidem dimidio suos lumbos, altero vero meos cinxit. Hanc cum sæpe quidem mihi ægrotanti mater imposuisset, sæpe autem patri quoque, morbum exegit. Quinetiam ipsa quoque hoc medicamento sæpe usa est ad sanitatem. Multi autem ex notis quoque cum hoc didicissent, assidue ad ferendum ægrotis **825** auxilium hanc zonam accipiebant, et ubique illius gratiæ ostendebat operationem. Cum quidam sic eam accepisset, privavit eos qui donaverant, in eos qui ipsum beneficio affecerant se ingratum ostendens. Hoc modo fuimus illo dono nudati. Cum sic resplenduisset, et D radiis Antiochiam illustrasset, abductus fuit a certaminibus, exspectans coronam quæ est reposita victoribus.

Ego autem, cujus, dum adhuc esset superstes, percepi benedictionem, ea ut nunc quoque fruar precatus, finem imponam huic narrationi.

CAPUT X.

THEODOSIUS (35).

Rosus est oppidum Ciliciæ, a dextra ei qui navigat in pontum Cilicium. Hujus ad Orientem et Meridiem est mons altus, spatiosus, et umbrosus, alit autem feras in nemoribus. In eo cum quemdam ad mare vergentem lucum invenisset magnus et vulgo celebratus Theodosius, quadam modica exstructa domun-

cula, evangelicum vivendi institutum solus amplectebatur, vir oriundus quidem Antiochia, insignis autem claritate generis : sed tamen et domo, et cognatione, et omnibus aliis relictis, pretiosissimam, ut evangelice dicam, emit margaritam (*Matth.* XIII). Ac de ejus quidem a cibo abstinentia, et quomodo humi cubaret, et cilicio indueretur, supervacaneum est dicere iis qui ejus vident discipulos et sodales, et in eis eamdem cernunt vivendi formam. Hæc tamen ille insigniter persequebatur, ut qui seipsum certantibus exemplar proponeret. His autem adjiciebat ferreum onus collo et lumbis et ambabus manibus. Porro autem gestabat quoque comam sordidam, et quæ ad ipsos usque pedes pertingebat, et ulterius etiam progrediebatur, et ideo erat lumbis ejus alligata.

Deprecatione autem et hymnodia utens assidue, cupiditatem, et iram, et arrogantiam, et alias animi belluas sopiebat. Labores autem semper augens laboribus, persequebatur eam quoque quæ manibus fit operationem : nunc quidem sportellas quæ vocantur, et vimineas crates contexens; nunc autem parva prædia in saltu efficiens (36), et semina dejiciens, et illinc quantum victui satis esset colligens. Postquam autem procedente tempore ejus fama pervasit in omnem partem, multi multis ex locis concurrebant, ejus et habitationis, et laboris, et instituti esse socii cupientes : quos quidem excipiens, ad eamdem vitam deducebat. Et videre licebat alios quidem vela, alios vero sagum ex pellibus texentes; alios vero crates vimineas vel sportellas connectentes, alios vero terram colentes. Et quoniam locus erat maritimus, ad transmittendum quoque quadam constructa navicula, quæ ponto appellatur, ea utebantur ad ea quæ erant inferenda, et exportans opera eorum qui simul habitabant, et importans ea quæ erant necessaria. Memor enim vocis apostolicæ, quæ dicit : Noctu diuque operantes, ne essemus oneri alicui vestrum (*II Thess.* III). Et : Manus hæ mihi et iis qui erant mecum suppeditarunt (*Act.* XX). Et ipse laborabat, et hortabatur suos contubernales, ut cum animæ laboribus corporis quoque labores conjungerent. Est enim absurdum ut ii quidem qui aluntur in vita sæculari, se affligentes et laborantes alant filios et uxores, et præterea et tributa conferant et ab eis exigantur vectigalia, et Deo offerant primitias, et mendicorum pro viribus medeantur inopiæ : nos autem non quæramus ex laboribus ea quæ sunt necessaria, idque cum vili quidem et modico cibo, vili autem veste utamur : sed sedeamus quidem compressis manibus, alienis autem fruamur laboribus. Hæc et talia dicens, hortabatur ad operandum, in tempore quidem quæ sunt ubique præscripta divina peragens officia, id autem quod intercedebat temporis, impendens operi. Non levem autem curam gerebat hospitum, viris lenitate et morum mansuetudine ornatis, et in proximum charitate præditis, ut eis providerent committens; ipse autem visebat et inspiciebat omnia, perscrutans an ex latis legibus unusquisque suo fungeretur officio. Hinc factum est ut tam insignis et celebris esset ejus fama,

A ut qui navigabant, et plus quam mille stadiis aberant, Deum Theodosii invocarent in periculis, et Theodosii appellatione sedarent tempestatem. Eum audaces quoque et immanes hostes sunt reveriti, qui maximam Orientis partem sunt depopulati. Quis enim ex iis qui in nostro habitabili orbe terrarum habitant, non auditione accepit ea quæ illo tempore facta sunt ab iis qui olim quidem Solymi, nunc autem nominantur Isauri? Illi tamen qui nec oppido nec vico pepercerunt, et quæcunque capere potuerunt, diripuerunt et igni mandaverunt, sunt illam reveriti philosophiam; et cum solummodo panem petiissent, et ut pro se orarent significassent, illud illæsum reliquere monasterium, idque non semel, sed etiam bis fecere. Veriti tamen præsides ecclesiarum, ne pecuniæ cu-
B piditate illis barbaris a diabolo immissa, captivum abduceretur magnum illud lumen (erat enim verisimile fore ut magna vis pecuniæ ad eum redimendum transmitteretur ab omnibus qui habent in honore res divinas), ei persuadent **826** ut se conferret Antiochiam. Jam enim captivos ceperant duos præsides ecclesiarum; eos quidem omni officii genere sunt prosecuti; cum autem quatuordecim millia aureorum pro utrisque accepissent; permiserunt ut redirent quo vellent. Postquam autem pervenit Antiochiam, habitavit quidem in habitaculo quod invenit situm prope fluvium, omnes autem traxit ad seipsum qui sciunt talia colligere.

Dum autem me trahit impetus orationis, prætermisi narrare miraculum quod a divino illo viro factum
C est, quod multis quidem fortasse videbitur esse incredibile, et tamen remanet in hodiernum usque diem, oratione testificans et ostendens qualem apud Deum gratiam et fiduciam est consecutus hic vir admirabilis.

Præceps quædam petra imminet monasterio quod ipse ædificavit : erat autem primo sicca, et omni humore vacua. In ea fecit aquæductum, qui a vertice fertur in monasterium, tanquam qui motum aquarum haberet in potestate. Plenus autem fiducia in Deum et firmiter credens, ut est verisimile, se Dominum habere benevolum, et fidem habens in quam nulla cadebat dubitatio, ascendit in supremam partem ejus qui nunc est aquæductus, priusquam surrexissent sodales ad preces consuetas : et Deum precatus, fre-
D tus eo qui facit voluntatem timentium eum (*Psal.* CXLIV), virga cui innixus erat petram percussit. Ea vero rupta, aqua instar fluminis scaturiit : et monasterium ingrediens per aquæductum, et quantum ad omnem usum sufficit abunde suppeditans, in mare propinquum influit; et in hodiernum usque diem ostenditur operans Mosaica magni Theodosii gratia. Sufficit vel hoc solum ad ostendendam viri hujus erga Deum fiduciam.

Cum autem Antiochiæ vixisset parvo tempore, migravit ad choros angelorum. Per mediam autem urbem ferebatur sacrum corpus, tanquam aureis quibusdam coronis, feretro illo decoratum, cum omnes duces concurrissent, et qui magnos suæ fidei creditos

gerebant magistratus. De cubili autem erat magna lis et decertatio, cum id omnes auferre contenderent, et ex eo benedictionem et utilitatem percipere cuperent. Sic elatus, ponitur in æde sanctorum martyrum, cum Juliani victoria insignis in pietate athletæ fuisset et contubernalis, et eodem tecto usus. Idem autem loculus eum excepit, qui illum quoque divinum et beatum Aphraatem.

Gregis autem præfecturam accepit Helladius ille admirabilis, qui in illis quidem locis perpetuis fuit sexaginta annis, deinde Cilicum divinitus electus est antistes, cum neque priorem reliquisset philosophiam, et illis laboribus pontificatus sudores quotidie adderet.

Hujus cum beatus quoque Romulus fuisset auditor, dux maximi gregis fuit creatus.

Permansit autem illius chorus in hodiernum usque diem, idem servans vitæ institutum. Est autem prope monasterium vicus, qui Syriace appellatur Maratus.

Ego autem fine imposito huic narrationi, rogo ut ejus quoque consequar benedictionem.

CAPUT XI.

ROMANUS (37).

Magnus ergo Theodosius ab Antiochia profectus, cum in montibus Rosicis decertasset, et Antiochiam reversus esset, sic vitæ finem accepit (*Theodor., lib.* IV *Hist., cap.* 26). Divinus autem Romanus, Rosi et natus, et primum educatus, Antiochiæ ostendit prima virtutis certamina, extra ambitum quidem civitatis ad latus montis fixo tabernaculo, in aliena autem domuncula eaque parva vivens toto tempore. Nunquam autem usque ad senectutem neque igne usus est, neque lumine lucernæ. Cibus autem ei erat panis et sal; potus autem fontanum fluentum. Erat autem coma magno Theodosio similis; vestis autem ferrum quoque similiter.

Abundavit autem hic et morum simplicitate ac mansuetudine et moderatione, et ideo emisit splendorem divinæ gratiæ. Super quem, inquit, respiciam, nisi super mitem et quietum, et trementem sermones meos (*Isaiæ* LXVI)? Jam vero rursus quoque dixit suis discipulis : Discite a me, quoniam mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* XI). Et rursus : Beati mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram (*Matth.* V). Quinetiam Moysis legislatoris erat hoc vel maxime insigne. Erat enim, inquit, Moyses mitissimus præter omnes homines qui erant super terram (*Num.* XII). Hoc de propheta Davide testatus quoque est sanctissimus Spiritus : Memento enim, inquit, Domine David, et omnis mansuetudinis ejus (*Psal.* CXXXI). Didicimus etiam de patriarcha Jacob, quod non fictus erat domum habitans (*Gen.* XXV). Has virtutes cum instar apis collegisset ex divinis illis pratis, mel confecit veræ philosophiæ. Profundebantur autem ejus quoque in externos fluenta jucundissima : et iis qui ad ipsum veniebant, leni ac dulci voce utens, de amore in fratres, de concordia et pace, multas offerebat

A admonitiones. Multos autem vel solo aspectu effecit rerum divinarum amatores. Quis enim non esset mirandum in modum admiratus, cum videret eum corpore afflictum, et qui prolixam gestabat comam, **827** et maximum ferri pondus sua sponte ferebat, et veste ex pilis contexta utebatur, et tantum capiebat alimenti quantum satis erat ad prohibendum ne fame moreretur?

Magnitudini autem et multitudini laborum accedebat quæ in eo florebat gratia, qua quidem omnes persuadebantur, ut eum admirarentur et honore afficerent. Multorum enim sæpe morbos exegit difficiles, multis autem sterilibus mulieribus filios impetravit. Et cum tantam a divino Spiritu accepisset potestatem, seipsum appellabat egenum et mendicum.
B Quotquot itaque ad eum ventitabant, eos et aspectu et sermone, toto vitæ suæ tempore implevit utilitate.

Porro autem cum hinc quoque excessisset, et in angelicum chorum esset translatus, reliquit memoriam quæ non fuit sepulta simul cum corpore, sed quæ viget, floret, et germinat, et quæ exstingui non potest, sed semper permanet, et quæ sufficit ad eos qui volunt adjuvandos. Cum hinc itaque benedictionem mihi conciliavero, aliorum quoque athletarum res gestas narrabo, ut potero.

CAPUT XII.

ZENO (38).

Zenonem admirabilem non multi quidem cognoscunt; qui cognoscunt autem, non possunt admirari pro dignitate
C (*Theodor., lib.* IV *Hist., cap.* 26). Is enim cum maximas opes reliquisset in patria (ea autem erat Pontus) magni quidem, ut dicebat, Basilii hausit fluenta, qui erat vicinus, et Cappadocum irrigabat regionem : irrigatione autem dignos fructus reddidit. Cum primum enim imperator Valens fuisset de medio sublatus, militare deposuit cingulum : erat autem ascriptus in numerum eorum qui litteras imperatoris ferebant celeriter. Cum autem a regia venisset in quoddam sepulcrum (multa autem sunt in monte) quod est situm prope Antiochiam, solus illic degebat expurgans animam, et ejus contemplandi facultatem semper emundans, et divinam contemplationem semper visione apprehendens, et Dei ascensus in corde disponens, et pennas tanquam columbæ accipere desiderans et in
D divinam requiem evolare cupiens (*Psal.* LXXXIII; *Psal.* LIV). Ea de causa non habuit lectum, non lucernam, non focum, non ollam, non guttum, non arculam, non librum, non aliquid aliud; sed erat quidem pannis indutus veteribus, erant quoque calcei ejusmodi ut indigerent vinculis, erat enim divulsum ac discerptum solearum corium. Ab uno autem ex familiaribus necessarium accipiebat alimentum. Id autem erat unus panis, qui duobus suppeditabatur diebus; aquam autem procul hauriens, ferebat ipse. Cum quis autem eum aliquando vidisset onus portantem, rogabat ut eum levaret labore. Ille autem primum quidem resistebat; docens se non posse in animum inducere ut biberet aquam quæ esset portata ab

alio. Postquam autem non persuasit, dedit urnas; ferebat enim duas ambabus manibus : postquam autem fuit intra portam atrii, cum aquam effudisset et dispersisset, rursus encurrit ad fontem, reipsa confirmans quæ dixerat.

Porro autem ego quoque, quando eum primum desiderans videre (39) ascendi in montem, aspexi eum tenentem urnas manibus. Deinde rogavi eum ubinam esset admirabilis Zenonis habitaculum. Is autem dixit se nullum nosse monachum qui sic appellaretur. Ego autem cum eum ipsum esse conjecissem, secutus sum, id conjiciens ex ejus sermonis modestia. Postquam autem ingressus sum ostium, vidi torum ex feno constructum, et quamdam aliam stoream ita super lapides stratam, ut qui super illam sedebant, ab ea minime læderentur. Postquam autem de philosophia multa verba fecimus; ego enim interrogabam, ipse vero nobis explicabat ea quæ quærebantur : et oportebat deinceps domum reverti; ego eum precabar ut daret viaticum benedictionis : ille autem repugnabat, dicens æquum esse ut nos preces impleremus, et seipsum quidem privatum, nos autem milites appellans; tunc enim sacros libros legebam Dei populo. Cum nos autem juventutem et ætatis immaturitatem adduceremus (tunc enim primum paucam quamdam producebamus lanuginem) et juraremus nos non esse rursus venturos, si cogeremur hoc facere, vix tandem quidem multis flexus precibus, Deo obtulit quidem intercessionem; sed quod id fecisset, multis verbis se excusavit, dicens se id fecisse et amoris causa et obedientiæ, appropinquantes enim audivimus precantem. Quod autem in tam profunda philosophia, tanta esset modestia ac moderatione vir senex (quadraginta enim annis perpetuis versatus erat in monastica exercitatione), quis satis pro dignitate potuerit admirari? quasnam autem laudes rei magnitudini pares potuerit afferre? Cum autem virtutis tales possideret opes, tanquam qui esset in extrema inopia, ad Dei ecclesiam die Dominico veniebat cum populo, divinos audiens sermones, et aures accommodans doctoribus; et postquam mensam participasset mysticam, revertebatur in novum illud habitaculum, non habens clavem, non claustrum, non **828** relinquens custodem : erat enim maleficis plane invium et sacrosanctum, ut quod solam illam haberet stoream. Unum autem librum accipiens a familiaribus, eum totum legebat, et eo prius reddito, alium accipiebat. Sed licet nec claustra haberet, nec vectibus uteretur, custodiebatur a superna gratia; idque per ipsam experientiam aperte didicimus. Quando enim Isauri per insidias noctu arcem cepere, deinde mane usque ad latus montis faciebant incursiones, multos quidem viros, et multas mulieres quæ vitam exercebant monasticam, crudeliter confodere; tunc ergo vir divinus, aliorum cædem intuens, effecit oratione ut eorum caligarent oculi, et per ostium ingredientes, non videbant aditum : ut autem dicebat, testem appellans veritatem, aperte quoque tres vidit adolescentes, qui totam illam catervam expellebant, Deo manifeste suam ostendente gratiam.

Qualem ergo vitam egerit hic vir divinus, et qualem sit divinitus gratiam assecutus, ad docendum hæc sufficiunt. Sed enim necesse est hoc quoque his adjicere. Valde eum angebat et male habebat, quod ejus mansissent facultates, et non ex lege evangelica et venundatæ essent et distributæ : hujus autem causa fuit fratrum ætas immatura. Quoniam enim erant communes et pecuniæ et possessiones, ipse quidem nolebat divisionis causa redire in patriam : alii autem verebantur vendere partem suarum facultatum, ne emptores moti avaritia, fratres circumscribentes, illi inurerent ignominiam. Hæc apud se animo versans, diu distulit venditionem; postea autem cum cuidam ex notis suis vendidisset omnia, plurima quidem distribuit : interim autem mala quæ accidit valetudo, coegit eum consultare de reliquis. Accersito itaque antistite civitatis (is autem erat magnus Alexander, splendor veræ religionis, et exemplar virtutis, exacta et accurata imago philosophiæ) : Adesdum, inquit, o divinum caput, harum tu pecuniarum sis mihi optimus œconomus, eas ex divino instituto distribuens, tanquam judici illi rationem redditurus. Alias enim ego manu mea dispensavi, et distribui, ut mihi visus sum optime; vellem autem reliqua quoque dispensare similiter : sed quoniam jubeor migrare ex hac vita, te ego earum constituo dispensatorem, qui es et pontifex, et pontificatum legibus recte geris. Pecunias itaque tanquam Dei quæstori tradidit. Ipse autem cum non plus quam annum vixisset (40) postea, tanquam quidam Olympicus victor recessit a septis, non ab hominibus solum gloriam assecutus, sed etiam ab angelis.

Ego autem cum eum ut pro me ad Dominum intercedat, oravero, me ad aliam convertam narrationem.

CAPUT XIII.

MACEDONIUS (41).

Macedonium autem, cognomine κριθοφάγον, id est vescentem hordeo (is enim cibus hoc ei cognomen imposuit), sciunt quidem omnes Phœnices et Syri et Cylices : sciunt autem horum quoque vicini et finitimi, qui partim quidem ipsi videre miracula, partim autem ea famam celebrantem audivere. Neque vero sciunt omnes omnia; sed cum alii quidem hoc, alii vero illud didicerint, quod sciunt merito solum admirantur. Ego autem cum de hoc divino capite aliis sciam perfectius (multa enim me moverunt ut ad eum irem et frequens apud eum essem), narrabo singula ut potuero. Hunc autem ei ordinem servavi, et post multos, ejus posui narrationem, non quod is aliis fuerit virtute secundus (erat enim vel summis et primis æqualis), sed quod cum vixerit longissimo tempore, post illos quorum memini, vitæ finem accepit.

Hic ergo habebat palæstram et stadium, cacumina montium : non in uno loco positus, sed nunc quidem in hoc agens, nunc vero in illum transiens. Hoc au-

tem faciebat, non loca ægre ferens, sed eorum qui ad ipsum conveniebant, et undique concurrebant, effugiens multitudinem. Quadraginta autem et quinque annis perpetuis vixit hoc modo, non utens tabernaculo, non tugurio; sed stans in fossa profunda; unde etiam quidam eum vocabant Gubbam. Id autem nomen, si ex lingua Syriaca in Græcam transferatur, significat λάκκον, id est lacum. Post id autem temporis cum evasisset senex, cessit rogantibus, et fixit tugurium. Postea autem orantibus familiaribus, domunculis quoque non propriis, sed alienis est usus. Viginti quinque autem annis perpetuo vitam egit in tugurio et domunculis, ut deinde colligatur certaminum tempus septuaginta anni. Cibo autem usus est non pane, nec leguminibus, sed purgato hordeo, et aqua sola madefacto. Hunc autem cibum mater mea, quæ ei fuit familiaris, longissimo tempore suppeditavit. Cum aliquando autem ad eam venisset ægrotantem, et didicisset eam nolle persuaderi ut sumeret cibum morbo convenientem (nam ipsa quoque jam exercitationem amplectebatur monasticam) consuluit ut cederet medicis, et illud nutrimentum existimaret esse medicamentum: non enim deliciarum, sed necessitatis gratia **829** adhibetur. Nam ego quoque, inquit, qui quadraginta annis, ut scis, hordeo solo sum usus, cum quædam mihi pridie hujus diei venisset infirmitas, jussi eum qui mecum habitabat, parum mihi panis petere et afferre. Venit enim mihi in mentem, quod si morerer, mortis redderem rationem apud justum judicem, ut qui fugissem certamina, et detrectassem labores servitutis. Nam cum pauco cibo posset mors prohiberi, et in hac vita possem sic manere, laborans et me affligens, et opes quæ ex his percipiuntur colligens, mori fame quam vivere in philosophia duxi magis expetendum. Timore ergo hinc repletus, cum vellem cogitationis obtundere aculeos, et panem petere jussi, et allatum comedi; et tibi præcipio ne mihi amplius hordeum, sed panem præbeas. Ex illa ergo lingua ab omni mendacio aliena audivimus quod quadraginta annis comederit hordeum. Atque hæc quidem sufficiunt ad conjiciendum quam esset vir in exercitatione monastica strenuus, et quam laboriosus.

Integritatem autem et simplicitatem morum per alia declarabimus. Postquam enim magnus fuit ordinatus Flavianus, ut magnum Dei gregem pasceret, viri autem virtutem didicit (prædicabatur enim et erat in ore omnium), eum quidem abducit a vertice montis, tanquam in eum ad se delata fuisset accusatio. Cum autem mysticum esset propositum sacrificium, adducit ad altare, et eum cooptat in numerum sacerdotum. Postquam autem fuit sacrum finitum officium, et hoc ei significavit aliquis (quod enim factum fuerat ignorabat omnino) primum quidem incessebat omnes maledictis et conviciis; postea autem, accepto baculo (solebat enim eo innitens ingredi propter senium) et ipsum persequebatur pontificem, et alios quotquot aderant. Existimabat enim ordinationem eum esse privaturam et cacumine montis, et ea quam desiderabat vivendi ratione. Sed tunc quidem vix eum irascentem sedaverunt quidam ex familiaribus. Postquam autem fuit finitus hebdomadæ circulus, et rursus venit dies festi Dominici, rursus eum magnus accersit Flavianus, rogans ut cum eis esset particeps hujus celebritatis; ille vero ad eos qui venerant: Non sufficiunt, inquit, vobis ea quæ facta sunt; sed me rursus vultis efficere presbyterum? Cum ii autem dicerent fieri non posse ut bis eadem fieret ordinatio, non cessit, neque venit, donec tempus et ejus familiares eum id docuerunt. Scio quidem fore ut hæc narrato videatur multis non adeo admiranda: eam autem posui, ut qui eam dignam quæ commemoretur existimem, ut ex qua satis possit conjici et ejus animi simplicitas et animæ puritas. Iis autem quæ sunt hujusmodi, Dominus regnum cœlorum est pollicitus: Amen enim, inquit, dico vobis, nisi conversi fueritis ut pueli isti, non intrabitis in regnum cœlorum (*Matth.* XVIII). Quoniam ergo summatim ostendimus ejus animæ formam ac characterem, age ejus quoque ostendamus ex virtute fiduciam.

Quidam dux militum qui delectabatur venatione, ascendit in montem venaturus. Eum autem sequebantur et canes et milites, et quæcunque sunt apta ad venationem. Postquam autem procul vidit hominem, et ab iis qui cum eo erant audiit quisnam esset, statim ex equo dissiliens, accessit, et allocutus est, et rogavit quid faciens hic degeret; is autem contra vicissim interrogavit: Tu autem quid hic venisti facturus? Cum dux autem dixisset: Venaturus: Et ego, inquit, meum venor Deum, et eum capere cupio, et contemplari desidero; nec ab hac pulchra cessabo venatione. Hæc cum dux audiisset, et ut par erat miratus esset, recessit.

Cum autem aliquando civitas a malo aliquo dæmone incitata baccharetur, et in imperatoris fureret statuas, venerant quidam ex ducibus præstantissimi, qui adversus civitatem internecionis ferebant sententiam. Cum is autem e monte descendisset, ambos accedentes duces in foro retinuit. Illi vero cum quisnam is esset didicissent, et ex equis desiluerunt, manusque et genua prehenderunt, et ei salutem significarunt. Ille autem jussit ut dicerent imperatori quod homo esset, et eamdem haberet naturam quam ii qui eum affecerant contumelia; et eum natura iram metiri oporteat, ira sit usus immoderata, et pro suis imaginibus Dei imagines occidat, et pro ære statuarum, corpora morti tradat; ac nobis quidem æneas effingere et rursus formare, est in promptu et facile; tu autem, etsi sis imperator, non potes occisa corpora ad vitam reducere. Et quid dico corpora? neque enim pilum unum potes effingere. Hæc dixit voce usus Syriaca. Illi autem, interprete in linguam Græcam transferente audientes, et exhorruerunt, et ad imperatorem transmissuros significarunt. Ego autem existimo omnes confessuros hæc verba esse gratiæ divini Spiritus. Quomodo enim aliter hæc esset locutus, vir quidem expers omnis eruditionis, in agris autem educatus, vitam autem agens in cacuminibus mon-

tium, omnem autem omnino circumferens simplicitatem, 830 et qui nec divinis quidem vacaverat eloquiis? Cum itaque ejus et spiritualem declaraverim sapientiam, et quæ justis convenit fiduciam (justus enim confidit ut leo [*Prov.* XXVIII]), transibo ad miracula.

Uxor quædam cujusdam locupletis nobilis inciderat in morbum ingluviei; et alii quidem eum morbum appellabant operationem seu vexationem dæmonis, alii autem eum existimabant imbecillitatem corporis. Sive autem hoc, sive illud esset, erat hujusmodi. Dicebant eam comedentem in die triginta gallinas, non posse appetitionem exstinguere satietate, sed adhuc alias appetere. Cum sic ergo in ea consumerentur facultates, ejus miserti qui ad eam attinebant, divinum illum hominem obsecrant. Ille autem venit B quidem et precatus est: et cum aquæ dexteram imposuisset, et salutare efformasset signaculum, et jussisset bibere, curavit morbum, et adeo retudit immoderatam illam appetitionem, ut deinceps parva aliqua gallinæ particula quotidie ejus alendæ usum impleret. Hic quidem morbus hoc modo est curatus.

Cum autem quædam puella thalamo adhuc contineretur, et repente cœpisset vexari a malo dæmone, accurrit pater ad divinum hominem, orans, et vociferans, et postulans ut curaretur filia. Is autem precatus, jussit ut dæmon statim abiret a puella. Is autem dicebat se eam non sua sponte esse ingressum, sed magicis coactum præstigiis. Dicebat autem ejus quoque nomen qui coegerat, e amorem esse causam incantationis. Sed cum hæc audiisset, non tulit pater C iræ impetum, nec exspectavit ut curaretur puella; sed omnium magistratuum summum adit, præsidem scilicet qui pluribus præerat gentibus, accusat hominem, et rem narrat. Is autem reus in judicium adductus, rem negabat, et accusationem nominabat calumniam. Hic autem non alium citabat testem quam ipsum dæmonem qui minister fuerat incantationis: et orabat judicem ut curreret ad illum virum divinum, et acciperet ejus testimonium. Cum is autem diceret non esse fas nec justum ut in loco monasticæ exercitationis haberetur quæstio, dixit pater puellæ se in judicium ducturum Macedonium; et currens persuasit et duxit. Sedens autem extra judicium judex, non fuit judex, sed spectator. Magnus enim Macedonius fungebatur officio judicis, utens ea quæ D intus habitabat potestate. Et cum juberet dæmoni ut consuetum mitteret mendacium, cum tota autem veritate rei narraret tragœdiam, ille a maxima adactus necessitate, et virum ostendit qui ei magicis carminibus vim attulerat, et ancillam per quam illa potio puellæ data fuerat. Cum autem alia quoque pararet dicere quæ fecerat coactus ab aliis, unius quidem ædes exurens, alterius vero jumenta interimens, alium vero aliquo alio damno afficiens, jussit homo Dei eum silere, et statim procul recedere a puella et ab urbe. Ille autem tanquam Domini legi parens, fecit quod jussus erat, et protinus effugit. Sic cum hanc vir divinus liberasset a furore, illum quoque

A miserum eripuit ab accusatione, et obstitit quominus judex in eum ferret sententiam capitis, non esse fas dicens ut propter ea quæ per ipsum sunt convicta, supplicium capitis decerneretur, sed potius per pœnitentiam ei daretur salus. Atque hæc quidem satis sunt ad ostendendam divinæ potentiæ copiam quæ ei data fuerat, ego tamen alia quoque narrabo.

Mulier quædam nobili loco nata, et longe ditissima (ea autem vocabatur Assyria) erat quidem emotæ mentis, ex domesticis autem agnoscebat neminem, ut cibum autem et potum sumeret, ferre non poterat. Plurimo autem tempore assidue delirabat, et hoc alii quidem dicebant esse vexationem et operationem dæmonis; medici autem dicebant esse morbum cerebri. Cum omnis ergo ars esset consumpta, et ex ea nullum daretur auxilium, ejus maritus (erat autem is Abrodianus) vir qui et erat ex magistratibus, et magna dignitate præditus, ad divinum illud caput accurrens, narravit morbum conjugis, et oravit ut ea assequeretur curationem. Cessit vir divinus, et domum quidem venit, et magno ac vehementi studio Deo obtulit orationem. Perfecta autem oratione cum jussisset aquam afferri, et fecisset figuram salutaris signaculi, jussit illam bibere. Cum autem prohiberent medici, utpote quod potu aquæ frigidæ morbus cresceret, expulsa tota illorum caterva, obtulit mulieri potionem. Illa autem simul ac bibit, ad se rediit, et a morbo omnino liberata, divinum virum agnovit, et ut dextram acciperet rogavit, oculisque eam imposuit, et ori admovit, et deinceps semper fuit mentis compos.

Cum autem illud vitæ genus amplecteretur in montibus, pastor quidam quærens oves errantes, venit ad illum locum ubi erat homo Dei (erat autem nox profunda, et multa nix descenderat) et vidit, ut ipse dixit, pyram circa ipsum accensam, et quosdam duos candida veste indutos, igni præbentes materiam. Animi enim alacritatem afferens, divino fruebatur auxilio.

Quin etiam doni erat prophetici particeps. 831 Et cum ad eum aliquando venisset quidam dux, pietate et vera religione clarus (quis autem ignorat virtutem Lupiciani?), dixit se esse de quibusdam sollicitum, qui ab urbe regia per mare ad ipsum ferebant necessaria. Dicebat enim præteriisse quinquaginta dies, ex quo ex portu solverant, de eis autem nihil audiverant. Ille autem nihil cunctatus: Una, inquit, navis, amice, periit; altera autem postridie portum occupabit Seleuciæ. Et hoc quidem audivit divinam illam vocem locutam: didicit autem experientia eorum quæ dixerat veritatem.

Ut autem alia prætermittam, ea narrabo quæ ad nos ipsos pertinent. Cum mater mea una cum patre meo habitasset tredecim annis, ea non fuerat facta mater filiorum; erat enim sterilis, ut quæ fructum ferre a natura prohiberetur. Et ipsa quidem id non valde ægre ferebat; quæ enim erat in rebus divinis erudita, credebat hoc esse utile: magnam autem molestiam accipiebat pater quod careret filiis, et cir-

cumquaque cursitans, rogabat Dei servos ut a Deo ei peterent filios. Alii ergo pollicebantur se et Deum deprecaturos, et jubebant ut esset Dei voluntate contentus. Hic autem homo divinus est aperte professus se unum petiturum ab universi opifice, et se petitionem accepturum est pollicitus. Cum tres itaque anni præteriissent, et promissio finem non accepisset, rursus accessit pater promissum exigens. Ille autem jussit ut ad se mitteretur conjux. Cum autem venisset mater, dixit ille vir divinus, se et petiturum, et eam filium accepturam, et quod oportet eum ei qui dederat dedicari. Cum autem mater solum rogaret ut animæ salutem acciperet, et ut liberaretur a gehenna : Præter hoc, inquit, liberalis et munificus Deus tibi dabit filium. Iis enim qui pure et sincere petunt, duplices largitur petitiones. Illinc reversa est mater afferens promissi benedictionem. Et quarto anno a promissione concipit, et gerit uterum ; et accedit ad divinum hominem, benedictionis ostendens manipulos. Quinto autem mense a conceptione, fuit periculum abortionis. Illa autem rursus misit ad novum suum Elisæum (vetabat enim morbus ne ad ipsum veniret) et ei revocavit in memoriam quod nolebat fieri mater filiorum, et ejus promissa adduxit in medium. Ille autem cum procul vidisset venientem, et agnovit, et causam significavit ; noctu enim et morbum et salutem ei ostenderat Dominus. Accepto ergo baculo, venit, ei innitens ; et cum fuisset intra ædes, et pacis salutationem dedisset ut consueverat. Bono, inquit, sis animo, nec timueris ; neque enim donum auferet is qui dedit, nisi tu pacta conventa transilieris. Pollicita es autem te ei redditurum eum qui datus fuerit, et ei consecraturum ad divinum ministerium. Sic autem, inquit mater, ego et opto et volo. Existimo enim vel imperfectissimum fœtum esse magis expetendum, quam a Deo alienam filii educationem. Cum itaque aquam accepisset et benedixisset : Bibe ergo, inquit vir divinus, hanc aquam, et senties divinum auxilium. Bibit itaque ut jusserat, et abortionis effugit periculum. Hæc sunt nostri Elisæi miracula.

Ego ejus benedictionem et doctrinam sæpe percepi. Me enim adhortans, sæpe dicebat : Natus es, o fili, cum multis laboribus ; multas noctes Deum hoc solum perpetuo rogavi, ut tui parentes hoc fierent quod te nato sunt nominati. Vide ergo ut vitam agas dignam laboribus, ut qui, antequam nascereris, promissis fueris dedicatus. Quæ sunt autem Deo dedicata, sunt omnibus veneranda, et quæ a vulgo minime sunt contrectanda. Convenit ergo ut tu quoque malos animi motus non admittas ; illa autem sola et facias et cogites quæ Deum placant virtutis legislatorem. Hæc mihi perpetuo suadebat vir divinus; ego autem et eorum quæ mihi dixit memini, et donum divinum sum edoctus. Cum autem non ostendam factis ea quæ mihi suasit, rogo ut per illius preces divinum consequar auxilium, et quod est vitæ reliquum, agam ex illius præceptis. Qualis ergo ille fuerit, et quibus usus laboribus divinam attraxerit gratiam, hæc quoque ad docendum sufficiunt.

Accepit autem etiam in hoc mundo ejus obitus dignum honorem laboribus. Omnes enim et cives et externi, et quibus credita fuerat magnorum magistratuum dispensatio, ferentes illum sacrum lectum super humeros, deportarunt in ædem martyrum victoria insignium ; et cum divinis viris Aphraate et Theodosio, sanctum illud et Deo gratum corpus deposuerunt : mansit autem gloria ejusmodi ut exstingui non possit. Nos autem imposito fine narrationi, eum qui percipi potest ex narratione bonum odorem percipimus.

CAPUT XIV.

MÆSYMAS (42).

Scimus quidem alia quoque plurima in urbe Antiochena resplenduisse pietatis et veræ religionis lumina, magnum Severum, et Petrum Ægyptium, Eutychen, et Cyrillum, et Moysem, et Malchum (43), et alios quoque plurimos eadem via esse **832** ingressos. Sed si res ab omnibus in vita gestas conaremur scribere, totum tempus nobis non suffecerit : maxime cum etiam multis permultorum lectio afferat satietatem. Ex iis ergo qui scripti sunt, de eorum quoque qui sunt prætermissi vita conjecturam facientes, prosequantur laudibus et imitentur, et utilitatem percipiant. Ego autem transibo ad prata Cyri, et eorum qui in eis fuerunt fragrantium speciosorumque florum, quam maxime potero, ostendam pulchritudinem.

Fuit quidam Mæsymas, in iis quæ nos præcesserunt temporibus, voce quidem Syrus, et ruri educatus, et qui virtutis omne genus ostendit. Cum autem claruisset in ea quæ est per se vita, ei cujusdam vici cura fuit credita. Sacrificans autem, et Dei oves pascens, illa et dicebat et faciebat quæ lex jussit divina. Aiunt autem eum neque tunicam, neque cilicium sæpe mutasse, sed iis quæ in eis fiebant rupturis aliquot pannos consuendo, senectuti hoc modo remedium attulisse. Hospitum autem et pauperum tam alacri animo curam gerebat, ut patefaceret portas omnibus qui aderant. Dicitur enim habuisse duo dolia, unum quidem frumenti, alterum vero olei : ex his semper quidem suppeditabat omnibus egentibus ; habebat autem ea semper plena benedictione quæ data est viduæ Sarephtanæ, et immissa fuerat in hæc dolia. Ipse enim Dominus omnes opes effundit in omnes eos qui ipsum invocant, et sicut illius hydriam et guttum jussit scaturire, præbens manipulos seminum hospitalitatis; ita etiam huic viro admirabili exhibuit suppeditationem, quæ ex æquo respondebat ejus animi alacritati.

Jam vero ad facienda quoque miracula a Deo universorum magnam accepit gratiam. Faciam autem mentionem unius aut duorum miraculorum; reliqua autem prætermittam, ut qui properem venire ad alios.

Mulier quædam et genere et fide ornata, filium qui ceciderat in malam valetudinem (erat autem admo-

dum tenera ætate) multis obtulit medicis. Arte autem A superata, cum et medici desperassent, et puerum esse moriturum aperte dixissent, non abjecit mulier spem meliorem, sed illam imitata Sunamitidem, mulis imponit cameram. Cum in ea autem se et puerum imposuisset, pervenit ad virum illum divinum : lamentans autem, et naturæ ostendens affectionem, rogavit ut ferret auxilium. Is autem cum puerum manibus accepisset, et aræ basi admovisset, jacebat pronus, animarum et corporum rogans medicum; et accepta petitione reddidit valentem matri filium. Ego autem id audivi ab ea quæ hoc vidit miraculum, et pueri accepit salutem.

Aiunt autem illius quoque vici dominum cum venisset (is autem erat Latoius, qui Antiocheni quidem senatus primas partes tenebat, impietatis autem tenebatur caligine) et fructus acrius quam oportebat B exigeret ab agricolis, divinum illum hominem clementiam illi consuluisse, et de misericordia apud eum verba fecisse : mansisse autem illum inexorabilem, experientia autem cognovisse secutum damnum ex eo quod non paruerit. Cum enim eum abire oporteret, et currus esset paratus, et sedens aurigæ jussisset ut mulas incitaret; illæ quidem trahebant totis viribus, urgentes et temonem asportare molientes : visæ sunt autem rotæ ferro et plumbo alligatæ. Cum autem agrestium quoque multitudo rotas movens vectibus nihil proficeret, quidam ex amicis qui Latoio assidebat, ei causam significat, dicens sacerdotem senem eum esse exsecratum, et quod oportet eum placare et reddere benevolum. De curru itaque exsi- C liens, ei fuit supplex quem prius respuerat; et ad ejus pedes provolutus, et sordidos pannos amplectens, rogabat ut iram compesceret. Is autem cum preces accepisset, et eas Domino obtulisset, solvit vincula rotarum quæ sub visum non cadebant, et effecit ut sicut solebat veheretur vehiculum.

Porro autem multa quoque alia hujusmodi narrant de divino illo capite. Potest autem ex his quoque intelligi, quod iis qui volunt philosophari, nihil detrimenti afferat mora quæ trahitur in oppidis et vicis. Ostendit enim hic, et qui huic similes Dei culturæ curam gerunt, quod etiam qui versantur in media hominum multitudine, pervenire possint ad ipsum virtutum fastigium.

Cujus ego utinam ad aliquam saltem partem exi- D guam sustollar, eorum adjutus precibus.

CAPUT XV.

ACEPSIMAS (44).

Acepsimas fuit eodem tempore, cujus fama late sparsa est per Orientem (*Theodor.*, *lib.* IV *Hist.*, *cap.* 26). Is cum in domuncula seipsum inclusisset, sexaginta annos transegit, neque videns, neque loquens; sed in seipsum conversus, et Deum visione apprehendens, illinc omnem accipiebat consolationem, convenienter prophetiæ quæ dicit : Delectare in Domino, et ora eum et ipse dabit tibi petitiones cordis tui (*Psal.* XXXVI). Per exiguam autem quamdam fossam manum porrigens, accipiebat id quod afferebatur nutrimentum : **833** fossa autem non ita effossa fuerat ut omnino tenderet in directum, ne esset ex adverso eorum qui vellent ipsum videre, sed erat obliqua, et ita constructa, ut esset instar incurvæ lineæ. Ei autem afferebatur cibus, lens aqua madefacta : semel autem in hebdomada noctu egrediens, hauriebat ex fonte propinquo quantum satis erat aquæ. Et cum aliquando quidam pastor procul oves pascens in tenebris vidisset eum moveri, et eum conjecisset esse lupum, ibat enim incurvus, ut qui multo esset ferro gravatus, movit fundam tanquam jaculaturus lapidem. Cum autem ejus manus longo tempore maneret immobilis, et lapidem non posset emittere donec vir ille divinus hausta aqua reversus est, sensit ignorantiam, et post auroram venit ad virtutis gymnasium, et narrat quod acciderat, et petit veniam, et accipit delicti remissionem; non audita voce loquente, sed per manus motiones intellecta placatione.

Quidam autem alius, usus quodam maligno investigandi studio, et scire desiderans quid toto tempore ageret perpetuo, ausus est conscendere platanum, quæ sita erat juxta fossam; sed percepit illico fructus suæ audaciæ. Media enim parte corporis usque ad pedes exsiccatus, supplex erat, suum peccatum accusans. Ille vero, secta platano, prius significavit futuram sanitatem. Ne enim alius quoque cum similia fecisset, pœnas lueret similes, arborem jussit exscindi; arboris autem sectionem secuta est etiam ablatio supplicii. Tanta quidem fortitudine et tolerantia usus est hic vir divinus : ab agonotheta autem tantam accepit gratiam.

Cum autem se abhinc migrandum pararet, prædixit quod post quinquaginta dies vitæ finem esset accepturus : excepit autem omnes qui vellent eum videre. Cum autem ecclesiæ quoque venisset antistes, eum quidem urgebat ut jugum acciperet presbyterii : Novi, dicens, o pater, et tuæ philosophiæ altitudinem, et quanta sit mea paupertas; sed cum mihi sit credita pontificatus administratio, ex hac non ex illa ordino manus imponens. Accipe ergo, inquit, donum sacerdotii, mea quidem dextera ministrante, sanctissimi autem Spiritus gratia suppeditante. Ad hæc fertur dixisse paucis post diebus hinc migraturus : De his, inquit, minime decertabo; si enim essem diutius victurus, omnino fugissem hoc grave et terribile onus sacerdotii, pertimescens reddendam depositi rationem. Quoniam autem non ita diu abhinc recedam, iis quæ hic sunt relictis, jussis non invitus pareo. Statim ergo nullo ducente, hic quidem flectens genua, exspectabat gratiam; ille vero manum imponens, erat administer Spiritus. Cum autem, accepto sacerdotio, vixisset paucos dies, vita vitam mutavit, seniique et curæ expertem, pro hac quæ multis curis est obnoxia, accepit.

Cum vellent autem omnes corpus rapere, et in animo haberent unusquisque in vicum suum transferre, quidam eum sancti jusjurandum significasset, sustulit contentionem. Dixit enim sanctum eum jurejurando adegisse ut cum in hoc loco traderet se-

pulturæ. Ita etiam post mortem, frugalitatis et simplicitatis curam gerebant cives cœlorum; et neque cum vivebant, in animum unquam induxerunt ut eis res ulla magnos spiritus faceret, et mortui non sunt amplexi honorem hominum; sed totum amorem transtulerunt in sponsum; non secus ac pudicæ mulieres, quæ a solis conjugibus student et amari et laudari, laudes aliorum contemnentes. Ea de causa sponsus eos etiam si nolint, reddit claros et insignes, et hominum gloria ex redundanti quadam copia impertit. Cum enim quis divina persequens, petit cœlestia, una cum illis multa quoque alia adjicit, multiplicatas largiens petitiones. Hoc etiam dixit in ferendis legibus: Petite regnum Dei, et justitiam, et cætera omnia adjicientur vobis (*Luc.* XII). Et rursus: Qui reliquerit patrem et matrem, et fratrem et filios B propter meum Evangelium, etiam in hoc sæculo centuplum accipiet, et in futuro erit hæres vitæ æternæ. Hæc et dixit et fecit (*Matth.* XIX).

Nobis quoque adsit et sermone et opere eruditis, et eorum precibus innixis, tanquam scopum, attingere præmium supernæ vocationis, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

CAPUT XVI.

MARO (45).

Maronis post hunc meminero; nam is quoque divinum sanctorum chorum exornavit. Eam enim quæ sub dio fit vitam amplexus, occupavit quoddam cacumen, quod in honore habebatur ab iis qui erant olim impii; et cum quod in eo erat templum dæmo- C num, Deo consecrasset, in eo est versatus, parvo quodam in eo fixo tabernaculo, quo tamen raro est usus. Non solum autem consuetis usus est laboribus, sed etiam alios excogitavit, accumulans opes philosophiæ; agonotheta autem mensus est gratiam ejus laboribus. Liberalis enim et munificus Deus ei tam copiose dedit donum curationum, ut in omnes quidem partes ejus gloria pervaserit, omnes autem undique attraxerit, **834** et experientia docuerit eam famam esse veram. Videre enim erat et febres exstingui rore benedictionis, et horrorem cessare, et dæmones fugere, et varios omnisque generis morbos uno curari medicamento. Medici enim unicuique morbo exhibent conveniens medicamentum, sanctorum autem deprecatio est commune omnium morbo- D rum remedium.

Non solum autem medebatur ægritudinibus corporis, sed etiam animis convenientem exhibebat curationem; hujus quidem avaritiam, illius vero curans iracundiam; et uni quidem exhibens doctrinam moderationis, alteri vero disciplinam justitiæ, et illius quidem castigans intemperantiam, illius vero excitans hebetudinem. Hac utens agricultura, effecit multas plantas philosophiæ; et hortum qui nunc germinat in regione Cyri, ipse Deo plantavit. Hujus plantationis opus est magnus Jacobus, ad quem quispiam vocem illam traxerit propheticam: Tanquam cedrus quæ est in Libano multiplicabitur (*Psal.* XCI); A et etiam alii omnes, cujus seorsum, si Deus velit, faciam mentionem.

Sic autem agriculturæ divinæ curam gerens, et animas simul curans et corpora, parvam passus ægritudinem, ut et naturæ imbecillitatem et animi discamus fortitudinem, ipse quidem excessit e vita.

Acre autem bellum inter vicinos exortum est de corpore. Ex finitimis autem quidam vicus (46) populo frequentissimus, cum toto simul coacto populo advenisset, alios quidem fudit ac fugavit, maxime autem expetendum illum rapuit thesaurum; et maxima æde exstructa, ea quæ ex eo percipitur utilitate fruuntur in hodiernum diem, publico ac celebri festo illum insignem victorem honorantes.

Nos autem etiam absentes fruimur benedictione, nobis enim pro monimento sufficit memoria.

CAPUT XVII.

ABRAAMES (47).

Nec admirabilis Abraamis memoriam fas est prætermittere, hoc prætextu, quod post vitam monasticam pontificiæ sedi fuerit ornamento (*Theodor.*, *lib.* IV *Hist.*, *cap.* 25). Nam hoc quidem certe nomine jure fuerit dignior qui commemoretur, quod institutum vitæ muta e coactus, vitam non mutaverit; sed cum monasticæ exercitationis transierit afflictione, et simul monasticis laboribus et curis pontificalibus circumsessus, vitæ cursum peregerit. Porro autem est hic quoque fructus Cyri regionis. Hic enim et natus et educatus, collegit opes virtutis monasticæ. Qui enim simul cum eo versati sunt, dicunt eum et vigilando et stando et jejunando ita corpus edomuisse, ut longissimo tempore permanserit immobilis, minime valens ingredi. Divina autem providentia liberatus ab illa imbecillitate, voluit gravia pati pericula pro divina gratia.

Venit autem in Libanum, cum didicisset vicum quemdam teneri magna impietatis caligine; et persona mercatoris vultu celato monastico, cum iis qui simul versabantur ferens canistros tanquam nuces empturus (hunc enim fructum præcipue ferebat vicus), cum domum conduxisset, et aliquantum pecuniæ prærogasset possessoribus, quievit quidem tres et quatuor dies. Deinde paulatim divinum aggressus est officium, utens voce moderata. Postquam autem senserunt psalmodias, præco quidem clamavit, et omnes convocavit. Erant autem simul congregati et viri et pueri et mulieres; et confractis extrinsecus foribus, desuper ex tecto multum pulverem congerentes dejiciebant. Postquam autem eos viderunt suffocari et obrui, et nec aliquid aliud velle facere nec dicere, sed solum Deo preces offerre, seniorum monitu destiterunt ab insania. Deinde, apertis foribus, cum eos evulsissent ab aggere, jusserunt eos statim abire. Sed eodem tempore venerunt exactores, qui eos vectigalia cogebant exsolvere, et alios quidem ex iis vinciebant, alios vero per contumeliam afficiebant verberibus: sed vir ille divinus, nullius ex iis quæ in ipsos facta erant recordatus, Dominum imitans, qui cruci affixus, eorum qui hoc fecerant

curam gerebat, oravit illos exactores ut moderate ac clementer exigerent. Cum autem fidejussores requisiissent, sua sponte suscepit fidejussionem, et paucis post diebus centum aureos se daturum est pollicitus. Qui autem gravia illa eis fecerant, valde admirati viri benignitatem, de iis quidem quæ ausi fuerant petunt veniam, rogant autem ut ipse fiat eorum præses; neque enim habebat vicus dominum, erant autem ipsi et agricolæ et domini. Centum autem aureos, cum venisset in civitatem, (est autem ei nomen Emesa) et notos aliquos invenisset, accepit mutuo. Deinde in vicum reversus, die præstituto implet quod promiserat. Cum hoc ejus vidissent studium, vehementius id ab eo contendunt. Cum is autem se id facturum esset pollicitus, si se pollicerentur ædificaturos ecclesiam, rogarunt ut statim aggrederentur; et deduxerunt beatum virum, aptiora loca illi indicantes : et unus quidem hunc, alius vero locum illum laudabat. Cum autem **835** meliorem elegisset, et fundamenta jecisset, tectum brevi tempore imposuit. Cumque finem accepisset ædificium, jussit ut admitterent sacerdotem. Cum autem dicerent se nullum alium electuros, et rogarent ut eum haberent et patrem et pastorem, accipit gratiam sacerdotii. Postquam autem cum eis versatus est tres annos, et eos pulchre deduxit ad res divinas, cum effecisset ut unus ex eis qui simul erant vice sui præficeretur, ad monasticum rediit habitaculum.

Et ne, si omnia illius narrem, prolixiori utar narratione, cum in his resplenduisset, fit Carrarum pontifex. Erat autem ea quidem civitas circumsessa ab ebrietate impietatis, et seipsam dederat debacchationi dæmonum; sed cum esset dignata hujus agricultura, et accepisset ignem hujus doctrinæ, permansit quidem libera a prioribus sentibus, nunc autem uberem profert segetem Spiritus, maturarum frugum Deo offerens manipulos. Sed non sine labore vir divinus hanc exercuit agriculturam, sed laboribus utens innumerabilibus, et eorum qui corporibus medentur artem imitans, partim quidem dulcem adhibens adhortationem, partim vero acribus utens medicamentis, nonnunquam vero et urens et secans, effecit hanc sanitatem. Doctrinæ autem et alii ejus diligentiæ vitæ quoque lumina suffragabantur; illis enim illuminati, et audiebant ea quæ dicebantur, et ea quæ fiebant lubenter accipiebant.

Toto enim tempore quo fuit antistes, ei quidem fuit panis supervacaneus, aqua quoque superflua, inutilis autem lectus, et supervacaneus usus ignis. Noctu enim quadraginta hymnos, quos inter se invicem loquendo et respondendo dicunt, implebat, earum quæ intercedunt precum duplicans numerum; reliquum autem noctis in sede sedebat, concedens palpebris ut aliquantulum quiescerent. Atque quod non in solo quidem pane vivit homo, dixit quidem contemplator Dei Moyses (*Deut.* VIII); meminit autem hujus quoque vici Dominus, provocationem diaboli recusans (*Matth.* IV). Quod autem etiam sine aqua vivi possit, a nullo loco divinæ Scripturæ didicimus.

A Etenim tantus ille Elias primum quidem ex torrente aquam hausit, deinde etiam cum ad viduam accessisset Sarephtanam, sibi primum jussit aquam afferri, deinde panem. Sed hic vir admirabilis, toto tempore pontificatus, neque panem, neque legumina, neque olera quæ igni appropinquassent, comedit; neque aquam bibit, quæ ab iis qui in his rebus sibi docti sunt visi propter usum existimata est prima ex elementis; sed lactucas, intyba, et apia, et similia, cibum ducebat et potum, pistorum et coquorum artes ostendens supervacaneas; tempore autem autumni, fructus ei illum usum implebant. Hæc autem sumebat post officium vespertinum. Cum corpus autem talibus consumeret laboribus, in aliorum cura gerenda erat insatiabilis; advenientibus enim hospitibus erat et totus paratus, B egregius autem et selectus panis eis offerebatur, et vinum odoriferum, piscesque et olera, et quæcunque sunt eis conjuncta. Quinetiam ipse quoque meridie assidebat convivantibus, eorum quæ apponebantur partes unicuique offerens; et dans unicuique calices, et jubens bibere, et eum qui erat ejusdem secum nominis imitans, patriarcham, inquam, qui ministrabat quidem hospitibus, sed non simul convivabatur.

Interdiu autem versans in judiciis eorum qui inter se litigabant et decertabant, aliis quidem persuadebat ut inter se invicem reconciliarentur, alios autem cogebat qui leni et mansuetæ doctrinæ non parebant. Nullus autem injustus recessit, sua audacia adversus justum victoria potitus. Ei enim qui injuria affli- C ciebatur, justi partem semper addens, reddebat eum inexpugnabilem, et eo qui volebat injuriam facere superiorem. Similisque erat optimo medico, qui semper prohibet eos humores qui redundant, et procurat ut sit inter materias æqualitas.

Hunc quoque desideravit videre imperator (est enim allata fama, quæ facile omnia quæ bona sunt et quæ mala significat), et ad se accersivit, et veniens salutavit et excepit : et agreste illud cilicium sua purpura existimavit præstantius. Jam vero reginarum quoque chorus ejus et manus prehendit et genua; virumque rogabant qui nec audire quidem poterat linguam Græcam. Adeo et regibus et omnibus hominibus res honore et reverentia digna videtur philosophia.

D Quin etiam ubi obierint ii qui ejus sunt amatores et sectatores, majorem assequuntur gloriam. Et potest quidem hoc sciri etiam ex multis aliis, sed vel maxime quidem ex iis quæ divino huic viro acciderunt. Postquam enim obiit, et hoc rescivit imperator, voluit quidem eum deponere in aliqua æde sacra; cum autem intellexisset pium esse et honestum ut gregibus redderetur corpus pastoris, ipse quidem et id deduxit præcedens, et reginarum chorus consequens, omnesque et magistratus et qui ab iis regebatur, populus, militesque et privati. Tanto studio eum accepit et civitas Antiochi, et quæ eam sunt consecutæ, donec pervenit ad magnum illum fluvium. Ad ripam **836** autem Euphratis concurrebant quidem cives,

et concurrebant etiam hospites, concurrebant etiam A
rustici; quin etiam fi.itimi festinabant ad fruendum benedictione. Lectum autem multi sequebantur lictores, eos percutiendo terrentes qui corpus veste nudare conabantur, et cupiebant illinc pannos sumere. Et licebat audire alios quidem psallentes, alios vero lamentantes. Alia enim deflens eum vocabat præsidem, alia vero altorem, alia autem pastorem et magistrum : et alius quidem lacrymans nominabat patrem, alius vero adjutorem et curatorem; et cum tot laudibus et lamentationibus sanctum illud et sacrum corpus sepulcro mandavere.

Ego autem admiratus quod cum vitæ mutasset institutum, vitam non una commutaverit, neque dum esset antistes, remissum ac solutum vitæ genus sit amplexus, sed exercitationis monasticæ labores ad- B
auxerit, eum recensui in historia monachorum : nec recessi ab eo qui ei placuit ordine, benedictionem quoque ab eo desiderans.

CAPUT XVIII.

EUSEBIUS (48).

Prius dictis sanctis magnum quoque addam Eusebium, qui non longo quidem abhinc tempore est mortuus (*Theodor.*, *lib.* IV *Hist.*, *cap.* 25). Cum multis autem annis vixisset, tempori quidem æqualem sustinuit laborem, labori autem æqualem simul delegit virtutem. Multiplex autem lucrum ex eo retulit; magnitudine enim remunerationum agonotheta superat certamina. Hic ergo cum primo aliorum fidei sui curam credidisset, quo illi ducebant, ducebatur; erant enim ipsi quoque viri divini virtutisque athletæ C
et exercitatores; et cum aliquo tempore cum eis esset versatus, et bene recteque philosophiæ accepisset scientiam, vitam monasticam est amplexus; et cum quoddam dorsum montis occupasset (imminet autem ei vicus maximus, quem nominant Asicham), fossa solummodo facta, et lapidibus ne luto quidem conjunctis (49), sub dio reliquam transegit vitam seipsum affligens, veste quidem opertus pellicea; cicere autem et fabis aqua madefactis se nutriens. Quinetiam aliquando quoque vescebatur caricis, sic utcunque conans sustentare imbecillitatem corporis. Cumque ad summam pervenisset senectutem, ut etiam dentes plurimos amisisset, neque mutavit cibum, neque habitationem. Sed et cum hieme congelaretur, et æstate ureretur, fortiter ferebat contra- D
rias qualitates aeris, faciem quidem habens corrugatam, arefacta autem omnia membra corporis. Tam multis autem corpus consumpsit laboribus, ut ne zona quidem maneret super lumbos, sed caderet inferius; nihil enim erat quod vetaret; nam et clunes et coxendices consumpti erant, et zonæ facilem descensum præbebant ad inferiora. Zonam itaque adsuit tunicæ, hac ratione ut staret excogitans.

Ægre ferebat autem conversari cum multis. Nam cum divinam contemplationem visione assidue apprehenderet, mentem ab ea nolebat abstrahere; sed tamen etsi esset amore tam vehementi præditus, permittebat aliquibus ex notis, ut id quod portam obstruebat auferrent, et intrarent; et cum eis exhibuisset doctrinam ex divinis eloquiis, jubebat rursus abeuntes portæ lutum imponere. Verum cum omnino satius existimasset, etiam cum paucis vitare congressionem, aditum omnino obstruxit, illi portæ maximo admoto lapide. Per quamdam autem fossam colloquebatur quidem cum paucis ex familiaribus, sed non videbatur. Sic enim providerat. Illinc autem illud quoque exiguum accipiebat nutrimentum. Rursus autem cum omnibus colloqui denegasset, me solum dulci illa et Deo grata voce dignabatur, et abire volentem me sæpe detinebat, de rebus disserens cœlestibus. Cum multi autem ad eum venirent, et postularent bonum benedictionis, et eum ægre ferret tumultum, nec senectutem considerans, nec urgentem reputans imbecillitatem, transilit fossam quæ nec a robustis quidem et volentibus facile transiri poterat; et cum ad quamdam propinquam venisset monachorum classem, parva rursus fossa acta ad muri angulum, cum consuetis decertabat laboribus.

Hujus autem gregis præfectus, vir omni virtute plenus, dixit eum cum comedisset quindecim caricas, transegisse septem hebdomadas sancti jejunii. Hoc autem subiit certamen, cum vixisset plus quam nonaginta annos, imbecillitate autem quæ narrari non potest esset affectus : sed imbecillitatem superabat animi alacritas, et Dei amor omnia facilia reddebat et expedita. Cum hic talibus circumflueret sudoribus, pervenit ad metam cursus, et agonothetam videns, et coronam desiderans.

Ego autem rogo ut illam consequar intercessionem, quam huc usque percepi dum esset adhuc superstes. Credo enim eum vivere et habere puriorem ad Deum fiduciam.

CAPUT XIX.

SALAMANUS (50).

Me virtuti injuriam facere arbitratus, si admirabilis Salamani vitam posteris non significavero, sed oblivione obrutam **837** neglexero, summatim afferam narrationem. Est quidam vicus ad Occidentem fluvii Euphratis, ipsi ripæ imminens, vocatur autem Capersana. Hic ex eo ortus, cum vitam amplecteretur quietam, et in vico qui est ex adverso parvam invenisset domunculam, seipsum in ea inclusit, nec ostio relicto, nec fenestra. Semel autem in anno terram fodiens, accipiebat totius anni nutrimentum, cum nullo unquam homine loquens. Idque facere perseveravit, non parvo tempore, sed longissimo. Porro autem pontifex civitatis cujus erat is vicus, cum viri didicisset virtutem, accessit, volens ei dare donum sacerdotii; et domunculæ perfossa aliqua parte, est ingressus; et manum imposuit, et peregit precationem, et sæpe quidem ei dixit, et quæ ad eum advenerat gratiam significavit. Cum nullam autem vocem audiisset, abiit jubens ut fossa rursus ædificaretur. Aliquando autem rursus qui erant illius vici ex quo erat profectus, cum noctu fluvium trajecissent, et domum perfodissent, eum accipientes nec resistentem nec jubentem, in suum vicum exportarunt; et

eam talem ad Orientem construxissent domunculam, illum protinus incluserunt. Ille autem similiter quietem agebat cum illo loquens. Paucis autem post diebus, qui erant illius vici qui est ex adverso, cum noctu rursus aggressi essent, et domum perfodissent, ad se abduxerunt, neque contradicentem, nec ut maneret urgentem, neque rursus prompto et alacri animo recedentem. Ita seipsum omnino mundo mortuum constituit, et apostolicam illam vocem vere loquens, dicebat : Cum Christo sum crucifixus. Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in Christo, in fide vivo Filii Dei qui me dilexit, et pro me seipsum dedit (*Galat.* II). Talis hic quoque fuit. Sufficiunt enim hæc ad ostendendum totum ejus vitæ institutum.

Ego autem cum benedictionem ab eo quoque percepero, ad alium transibo.

CAPUT XX.

MARIS (51).

Est Homeri quidam vicus qui a nobis vocatur Netis. Cum apud eum parvam quamdam domunculam ædificasset divinus Maris, in ea permansit inclusus triginta et septem annis. Ex monte autem prope sito ea suscipiebat multum humoris. Tempore autem hiemis quædam quoque guttæ aquæ in eam emanabant. Quantum autem hinc damni oriatur corporibus, sciunt et cives et rustici; nam iis quoque qui in agris habitant, manifesti sunt morbi qui ex eo nascuntur. Sed tamen ne hæc quidem sacro illi capiti persuaserunt ut mutaret domunculam; sed fortiter et constanter permansit donec cursum confecerit.

Quin etiam priorem quoque vitam transegit cum virtutis laboribus : unde et corpori et animæ conservavit castitatem ; idque ipse mihi aperte significavit, docens sibi mansisse corpus integrum et incorruptum, et quale egressum fuerat ex materno utero, idque cum multos quidem dies festos martyrum celebrasset cum esset adolescens, vocis autem bonitate demulsisset populum. Nam et plurimo tempore perseveravit psallere, et fuit insigni pulchritudine corporis. Sed tamen nec species corporis, nec vocis claritas, nec quæ ei cum multis intercedebat congressio, animæ pulchritudini aliquid detrimenti attulit : sed vivens similiter atque ii qui sunt inclusi, suæ curam gerebat animæ. Virtutem autem auxit quoque laboribus quos sustinebat inclusus.

Ego hujus sæpe usus sum consuetudine; jussit enim mihi aperiri ostium; quinetiam complectebatur me venientem, et de philosophia, fusa prolixaque utebatur oratione.

Porro autem hic quoque fuit simplicitate insignis, et varios mores omnino abhorrebat. Inopiam autem magis dilexit quam summas copias. Nonaginta autem annos natus, utebatur vestibus contextis ex villis caprinis. Panis autem et parum salis nutrimenti ejus usum implebant. Cum autem longo tempore desiderasset videre offerri spiritale et mysticum sacrificium, rogavit ut divini doni illic fieret oblatio. Ego vero lubenter parui; et jussi sacra vasa afferri (pagus enim haud longe aberat) et pro altari usus diaconorum manibus, mysticum, divinum, et salutare obtuli sacrificium. Ille autem omni spiritali implebatur voluptate, et existimabat seipsum cœlum videre; dicebatque se nunquam tantam cepisse lætitiam.

Ego autem cum ab eo valde fuerim dilectus, putavi me et ei injuriam esse facturum si non etiam mortuum laudaverim, et aliis, si non hanc optimam philosophiam eis proposuerim imitandam. Cum itaque nunc oravero ut ejus consequar auxilium, imponam finem narrationi.

CAPUT XXI.

JACOBUS (52).

Quoniam eorum qui jam sunt victores declarati, virtutis athletarum, certamina recensuimus, summatim narrantes et quos in meditando suscepere labores, et quos in certaminibus perpessi sunt sudores, **838** et longe clarissimas et maxime insignes victorias, age eorum quoque qui adhuc sunt superstites, et magnifice decertant, et contendunt priores vincere sudoribus, vitæ instituta conscribamus, et posteris utilem relinquamus memoriam. Quomodo enim eorum qui olim resplenduere sanctorum vitæ institutum posteris maximam attulit utilitatem; ita iis qui nos consequentur erunt exemplaria eorum narrationes.

Initium autem ducam a magno Jacobo; is enim et tempore et labore est prior aliis, et qui eum sunt æmulati, faciunt admirabilia et quæ sunt præter opinionem. Usuvenit autem, nescio quomodo, ut et eorum qui excesserunt, et eorum qui adhuc sunt superstites, hoc sit primum nomen. Etenim quando narravi eorum vitæ institutum, initium sumpsi a divino illo Jacobo qui Persicum illum exercitum fudit suis precibus; et cum corruissent urbis murorum ambitus, neque permisit urbem capi, et coegit fugere adversarios, cum in eos misisset exercitum muscarum et culicum (53). Qui ergo illi simile nomen est sortitus, et est ei similis moribus, sit primus in ordine athletarum qui adhuc sunt superstites, non quoniam ejusdem est nominis particeps, sed quoniam est illius virtutem æmulatus, et fuit ipse aliis exemplar philosophiæ. Nam cum simul cum inclyto illo Marone esset versatus, et ejus divinæ fuisset doctrinæ particeps, obscuravit præceptorem majoribus laboribus. Ille enim et murorum tegumentum habuit templum veteris erroris, et ex pellibus contextum fixit tabernaculum; et eo utens, imbris et nivis effugiebat impetus : hic autem his omnibus valere jussis, et tabernaculo, et tugurio, et murorum tegumento, pro tecto habet cœlum, contrarios omnes aeris impetus sustinens : nunc quidem pluvia vehementi obrutus, nunc autem glacie et nive congelatus, aliquando autem radiis solis tostus et exustus, et adversus omnia se fortiter et constanter gerens, et tanquam in alieno certans corpore, et contendens vincere naturam corporis alacritate animi. Mortali enim hoc et patibili corpore indutus, vitam agit tanquam impatibilis; et vitam incorpoream in corpore

et concurrebant etiam hospites, concurrebant etiam rustici; quin etiam fl.itimi festinabant ad fruendum benedictione. Lectum autem multi sequebantur lictores, eos percutiendo terrentes qui corpus veste nudare conabantur, et cupiebant illinc pannos sumere. Et licebat audire alios quidem psallentes, alios vero lamentantes. Alia enim deflens eum vocabat præsidem, alia vero altorem, alia autem pastorem et magistrum : et alius quidem lacrymans nominabat patrem, alius vero adjutorem et curatorem; et cum tot laudibus et lamentationibus sanctum illud et sacrum corpus sepulcro mandavere.

Ego autem admiratus quod cum vitæ mutasset institutum, vitam non una commutaverit, neque dum esset antistes, remissum ac solutum vitæ genus sit amplexus, sed exercitationis monasticæ labores adauxerit, eum recensui in historia monachorum : nec recessi ab eo qui ei placuit ordine, benedictionem quoque ab eo desiderans.

CAPUT XVIII.

EUSEBIUS (48).

Prius dictis sanctis magnum quoque addam Eusebium, qui non longo quidem abhinc tempore est mortuus (*Theodor.*, *lib.* IV *Hist.*, *cap.* 25). Cum multis autem annis vixisset, tempori quidem æqualem sustinuit laborem, labori autem æqualem simul delegit virtutem. Multiplex autem lucrum ex eo retulit; magnitudine enim remunerationum agonotheta superat certamina. Hic ergo cum primo aliorum fidei sui curam credidisset, quo illi ducebant, ducebatur; erant enim ipsi quoque viri divini virtutisque athletæ et exercitatores; et cum aliquo tempore cum eis esset versatus, et bene recteque philosophiæ accepisset scientiam, vitam monasticam est amplexus; et cum quoddam dorsum montis occupasset (imminet autem ei vicus maximus, quem nominant Asicham), fossa solummodo facta, et lapidibus ne luto quidem conjunctis (49), sub dio reliquam transegit vitam seipsum affligens, veste quidem opertus pellicea; cicere autem et fabis aqua madefactis se nutriens. Quinetiam aliquando quoque vescebatur caricis, sic utcunque conans sustentare imbecillitatem corporis. Cumque ad summam pervenisset senectutem, ut etiam dentes plurimos amisisset, neque mutavit cibum, neque habitationem. Sed et cum hieme congelaretur, et æstate ureretur, fortiter ferebat contrarias qualitates aeris, faciem quidem habens corrugatam, arefacta autem omnia membra corporis. Tam multis autem corpus consumpsit laboribus, ut ne zona quidem maneret super lumbos, sed caderet inferius; nihil enim erat quod vetaret; nam et clunes et coxendices consumpti erant, et zonæ facilem descensum præbebant ad inferiora. Zonam itaque adsuit tunicæ, hac ratione ut staret excogitans.

Ægre ferebat autem conversari cum multis. Nam cum divinam contemplationem visione assidue apprehenderet, mentem ab ea nolebat abstrahere; sed tamen etsi esset amore tam vehementi præditus, permittebat aliquibus ex notis, ut id quod portam obstruebat auferrent, et intrarent; et cum eis exhibuisset doctrinam ex divinis eloquiis, jubebat rursus abeuntes portæ lutum imponere. Verum cum omnino satius existimasset, etiam cum paucis vitare congressionem, aditum omnino obstruxit, illi portæ maxime admoto lapide. Per quamdam autem fossam colloquebatur quidem cum paucis ex familiaribus, sed non videbatur. Sic enim providerat. Illinc autem illud quoque exiguum accipiebat nutrimentum. Rursus autem cum omnibus colloqui denegasset, me solum dulci illa et Deo grata voce dignabatur, et abire volentem me sæpe detinebat, de rebus disserens cœlestibus. Cum multi autem ad eum venirent, et postularent bonum benedictionis, et eum ægre ferret tumultum, nec senectutem considerans, nec urgentem reputans imbecillitatem, transilit fossam quæ nec a robustis quidem et volentibus facile transiri poterat; et cum ad quamdam propinquam venisset monachorum classem, parva rursus fossa acta ad muri angulum, cum consuetis decertabat laboribus.

Hujus autem gregis præfectus, vir omni virtute plenus, dixit eum cum comedisset quindecim caricas, transegisse septem hebdomadas sancti jejunii. Hoc autem subiit certamen, cum vixisset plus quam nonaginta annos, imbecillitate autem quæ narrari non potest esset affectus : sed imbecillitatem superabat animi alacritas, et Dei amor omnia facilia reddebat et expedita. Cum hic talibus circumflueret sudoribus, pervenit ad metam cursus, et agonothetam videns, et coronam desiderans.

Ego autem rogo ut illam con equar intercessionem, quam huc usque percepi dum esset adhuc superstes. Credo enim eum vivere et habere puriorem ad Deum fiduciam.

CAPUT XIX.

SALAMANUS (50).

Me virtuti injuriam facere arbitratus, si admirabilis Salamani vitam posteris non significavero, sed oblivione obrutam 837 neglexero, summatim afferam narrationem. Est quidam vicus ad Occidentem fluvii Euphratis, ipsi ripæ imminens, vocatur autem Capersana. Hic ex eo ortus, cum vitam amplecteretur quietam, et in vico qui est ex adverso parvam invenisset domunculam, seipsum in ea inclusit, nec ostio relicto, nec fenestra. Semel autem in anno terram fodiens, accipiebat totius anni nutrimentum, cum nullo unquam homine loquens. Idque facere perseveravit, non parvo tempore, sed longissimo. Porro autem pontifex civitatis cujus erat is vicus, cum viri didicisset virtutem, accessit, volens ei dare donum sacerdotii; et domunculæ perfossa aliqua parte, est ingressus; et manum imposuit, et peregit precationem, et sæpe quidem ei dixit, et quæ ad eum advenerat gratiam significavit. Cum nullam autem vocem audiisset, abiit jubens ut fossa rursus ædificaretur. Aliquando autem rursus qui erant illius vici ex quo erat profectus, cum noctu fluvium trajecissent, et domum perfodissent, eum accipientes nec resistentem nec jubentem, in suum vicum exportarunt; et

eum talem ad Orientem construxissent domunculam, eum protinus incluserunt. Ille autem similiter quietem agebat cum illo loquens. Paucis autem post diebus, qui erant illius vici qui est ex adverso, cum noctu rursus aggressi essent, et domum perfodissent, ad se abduxerunt, neque contradicentem, nec ut maneret urgentem, neque rursus prompto et alacri animo recedentem. Ita seipsum omnino mundo mortuum constituit, et apostolicam illam vocem vere loquens, dicebat : Cum Christo sum crucifixus. Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in Christo, in fide vivo Filii Dei qui me dilexit, et pro me seipsum dedit (*Galat.* II). Talis hic quoque fuit. Sufficiunt enim hæc ad ostendendum totum ejus vitæ institutum.

Ego autem cum benedictionem ab eo quoque percepero, ad alium transibo.

CAPUT XX.

MARIS (51).

Est Homeri quidam vicus qui a nobis vocatur Netis. Cum apud eum parvam quamdam domunculam ædificasset divinus Maris, in ea permansit inclusus triginta et septem annis. Ex monte autem prope sito ea suscipiebat multum humoris. Tempore autem hiemis quædam quoque guttæ aquæ in eam emanabant. Quantum autem hinc damni oriatur corporibus, sciunt et cives et rustici; nam iis quoque qui in agris habitant, manifesti sunt morbi qui ex eo nascuntur. Sed tamen ne hæc quidem sacro illi capiti persuaserunt ut mutaret domunculam; sed fortiter et constanter permansit donec cursum confecerit.

Quin etiam priorem quoque vitam transegit cum virtutis laboribus : unde et corpori et animæ conservavit castitatem ; idque ipse mihi aperte significavit, docens sibi mansisse corpus integrum et incorruptum, et quale egressum fuerat ex materno utero, idque cum multos quidem dies festos martyrum celebrasset cum esset adolescens, vocis autem bonitate demulsisset populum. Nam et plurimo tempore perseveravit psallere, et fuit insigni pulchritudine corporis. Sed tamen nec species corporis, nec vocis claritas, nec quæ ei cum multis intercedebat congressio, animæ pulchritudini aliquid detrimenti attulit : sed vivens similiter atque ii qui sunt inclusi, suæ curam gerebat animæ. Virtutem autem auxit quoque laboribus quos sustinebat inclusus.

Ego hujus sæpe usus sum consuetudine; jussit enim mihi aperiri ostium; quinetiam complectebatur me venientem, et de philosophia, fusa prolixaque utebatur oratione.

Porro autem hic quoque fuit simplicitate insignis, et varios mores omnino abhorrebat. Inopiam autem magis dilexit quam summas copias. Nonaginta autem annos natus, utebatur vestibus contextis ex villis caprinis. Panis autem et parum salis nutrimenti ejus usum implebant. Cum autem longo tempore desiderasset videre offerri spiritale et mysticum sacrificium, rogavit ut divini doni illic fieret oblatio. Ego vero lubenter parui; et jussi sacra vasa afferri (pagus enim haud longe aberat) et pro altari usus diaconorum manibus, mysticum, divinum, et salutare obtuli sacrificium. Ille autem omni spiritali implebatur voluptate, et existimabat seipsum cœlum videre : dicebatque se nunquam tantam cepisse lætitiam.

Ego autem cum ab eo valde fuerim dilectus, putavi me et ei injuriam esse facturum si non etiam mortuum laudaverim, et aliis, si non hanc optimam philosophiam eis proposuerim imitandam. Cum itaque nunc oravero ut ejus consequar auxilium, imponam finem narrationi.

CAPUT XXI.

JACOBUS (52).

Quoniam eorum qui jam sunt victores declarati, virtutis athletarum, certamina recensuimus, summatim narrantes et quos in meditando suscepere labores, et quos in certaminibus perpessi sunt sudores, **838** et longe clarissimas et maxime insignes victorias, age eorum quoque qui adhuc sunt superstites, et magnifice decertant, et contendunt priores vincere sudoribus, vitæ instituta conscribamus, et posteris utilem relinquamus memoriam. Quomodo enim eorum qui olim respleuduere sanctorum vitæ institutum posteris maximam attulit utilitatem; ita iis qui nos consequentur erunt exemplaria eorum narrationes.

Initium autem ducam a magno Jacobo; is enim et tempore et labore est prior aliis, et qui eum sunt æmulati, faciunt admirabilia et quæ sunt præter opinionem. Usuvenit autem, nescio quomodo, ut et eorum qui excesserunt, et eorum qui adhuc sunt superstites, hoc sit primum nomen. Etenim quando narravi eorum vitæ institutum, initium sumpsi a divino illo Jacobo qui Persicum illum exercitum fudit suis precibus; et cum corruissent urbis murorum ambitus, neque permisit urbem capi, et coegit fugere adversarios, cum in eos misisset exercitum muscarum et culicum (53). Qui ergo illi simile nomen est sortitus, et est ei similis moribus, sit primus in ordine athletarum qui adhuc sunt superstites, non quoniam ejusdem est nominis particeps, sed quoniam est illius virtutem æmulatus, et fuit ipse aliis exemplar philosophiæ. Nam cum simul cum inclyto illo Marone esset versatus, et ejus divinæ fuisset doctrinæ particeps, obscuravit præceptorem majoribus laboribus. Ille enim et murorum tegumentum habuit templum veteris erroris, et ex pellibus contextum fixit tabernaculum; et eo utens, imbris et nivis effugiebat impetus : hic autem his omnibus valere jussis, et tabernaculo, et tugurio, et murorum tegumento, pro tecto habet cœlum, contrarios omnes aeris impetus sustinens : nunc quidem pluvia vehementi obrutus, nunc autem glacie et nive congelatus, aliquando autem radiis solis tostus et exustus, et adversus omnia se fortiter et constanter gerens, et tanquam in alieno certans corpore, et contendens vincere naturam corporis alacritate animi. Mortali enim hoc et patibili corpore indutus, vitam agit tanquam impatibilis; et vitam incorpoream in corpore-

meditans, clamat cum beato Paulo : In carne ambulantes, non secundum carnem militamus. Arma enim nostra non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munimentorum, destruentes cogitationes et omnem altitudinem quæ se extollit adversus Dei cognitionem, et captivantes omnem intellectum ad Dei obedientiam (*II Cor.* x). Sed hæc quidem certamina quæ sunt super naturam, in minoribus se exercendo laboribus est meditatus. Nam cum in parva quadam domuncula se prius inclusisset, et ab externis tumultibus animam liberasset, et recordationi Dei mentem affixisset, sic perfectam et absolutam meditabatur virtutem.

Cum autem se optime exercuisset, et bonis laboribus animam assuefecisset, majora ausus est aggredi certamina; et cum ad hunc montem pervenisset, qui triginta stadiis distat ab hac urbe, eum reddidit illustrem et venerandum, qui erat olim obscurus et penitus infertilis : nunc autem creditur tantam accepisse benedictionem, ut terra quæ est imposita consumatur omnibus qui undique adveniunt, ad utilitatem eam exportantibus. In eo vitam agens cernitur ab omnibus accedentibus, non habens, ut dixi, speluncam, non tabernaculum, non tugurium, non fossam, non sepem quæ eum circumdet ac muniat; sed videtur orans et quiescens, et stans et sedens, et sanus et cum aliqua tenetur ægritudine; adeo ut assidue præsentibus decertet spectatoribus, et naturæ expellat necessitates. Neque enim aliis hominibus qui sunt ingenue utcumque educati, externis præsentibus est facile excrementa egerere, nedum viro in summa philosophia exercitato. Et hæc dico, non ut qui ab aliis didicerim, sed qui ipse viderim. Nam cum quatuordecim abhinc annis in gravem morbum incidisset, affecit quidem, ut par est, eum qui est mortali corpore præditus. Erat autem æstus vehemens, et flamma radiorum ardebat vehementius, cum sopiti quidem essent venti, aer autem maneret immobilis. Erat autem morbus inundatio flavæ bilis quæ deorsum ferebatur, et mordebat ac comprimebat intestinum, et cogebat extra egredi. Tunc magnam vidi tolerantiam. Nam cum ex multis vicis congregati essent homines, ut gloriosum hoc corpus salutarent, sedebat in duas partes distractus. Nam natura quidem vim afferebat ut iret ad excernendum; pudor autem ejus quæ aderat multitudinis, cogebat eum manere in eodem statu et habitu. Ego autem hoc sciens, cum eis qui convenerant partim multis egi adhortationibus, partim etiam minis, abire jubens; postremo autem eos implicavi vinculis sacerdotii, et non sine maximo labore vespere tandem amandavi. Ille autem vir divinus, ne cum ii quidem abscessissent, victus est a natura; sed perstitit tolerans, donec accedens nox profunda coegit omnes domum recedere.

Rursus autem die sequenti cum ad eum **839** venissem, ut vidi æstum evasisse vehementiorem, et qua laborabat febrem igne extrinsecus allato nutriri et augeri, prætexens dolorem capitis, dixi me ægre A ferre vim solis radiorum; et rogavi ut mihi aliquam modicam apud se umbram expanderet : qui postquam jussit, tribus fixis arundinibus, et iis duobus impositis ciliciis, umbram adinvenimus. Cum autem juberet me ingredi, Turpe est, inquam, o Pater, ut ego qui sum et juvenis et valens viribus, hanc assequar consolationem, tu autem qui et vehementi febre teneris, et opus habes tali consolatione, foris sedeas accipiens impetum radii solaris. Si vis ergo, inquam, me umbra frui, sis mihi socius modici hujus tabernaculi; nam tecum quidem volo manere, sed prohibet radius. Cessit itaque his verbis auditis, et meum accepit remedium. Et quoniam umbra fruebamur communiter, cœpi rursus alium sermonem afferre, et dixi : Opus est ut accumbam, cum coxendix non citra molestiam B patiatur sessionem. Sed rursus rogabat quidem ut accumberem : ei autem contra respondi, non esse tolerandum ut ego decumberem videns eum sedentem. Si vis ergo, inquam, me quoque frui hac quiete, communiter accumbamus, o Pater; non erubescam enim solus decumbens. Cum talibus verbis decepissem ejus tolerantiam, ei accubitus exhibui solatium. In solo autem jacenti suaves adhibui sermones, traducens ad animi jucunditatem. Manu autem immissa intra vestem, tentabam ejus dorsum moderate abstergere, tunc vidi magnum ferri pondus, quod et lumbos alligabat et collum : jam vero aliæ quoque catenæ a circulo qui erat circa collum, duæ quidem ante, duæ vero pone, ad inferiorem circulum oblique pertinentes, et litteræ X figuram efficientes ante C et pone duos circulos colligabant. Jam vero manus quoque interius circa cubitos talia quoque alia habebant vincula. Cum ergo aspexissem onus ponderis multorum talentorum, obsecravi ut opem ferret corpori laboranti, quod non poterat simul ferre et onera voluntaria, et involuntariam ægritudinem. Nunc quidem, inquam, o Pater, febris fungitur officio ferri; cum ea autem cessaverit, tunc rursus corpori imponemus laborem qui ex ferro capitur. Hoc quoque concessit multis delinitus ejusmodi carminibus. Sed tunc quidem cum paucis ægrotasset diebus, facile convaluit.

Postea autem cum in morbum incidisset graviorem, multi autem ut corpus raperent multis ex locis convenissent, audientes id cives, concurrerunt omnes et D milites et privati; illi quidem sumptis armis militaribus, hi vero armis utentes quibuslibet. Densa autem et exstructa acie pugnare cœperunt, tela emittentes, et fundis lapides torquentes, non ut perculerent, sed solum ut terrerent; et sic expulsis accolis, victoriis insigni athleta lecto imposito, qui nihil sentiebat eorum quæ fiebant (nam nec cum coma ejus a rusticis velleretur senserat), venerunt in urbem. Cum in ædem autem venissent propheticam, in monasterio ei propinquo lectum deposuerunt. Venit autem quidam Berhœam (illic enim tunc eram) ea quæ facta fuerant significans, et nuntium mortis afferens. Cum itaque statim cucurrissem, et totam noctem in itinere consumpsissem, post auroram offendi hominem, neque

loquentem, neque ullum ex iis qui aderant potentem agnoscere. Postquam autem eum sum allocutus, et nomine magni Acacii ei dixi salutem, statim et aperuit oculos, et rogavit quomodo se haberet, et quando venissem est percontatus. Cum autem ad hæc respondissem, rursus clausit oculos.

Cum vero tres dies præteriissent, vespere rogavit ubinam esset; cum autem rescivisset, ægre tulit, et rogavit ut statim rursus referretur in montem. Cum autem vellem eum perpetuo observare et ei inservire, jussi mox ferri lectum, et deferri in locum quem cupiebat. Tunc vidi quantopere ab ambitione et gloriæ cupiditate esset alienum caput mihi venerandum. Postridie enim ei obtuli jus ptisanæ cum id refrigerassem; nihil enim omnino calidi sumere patiebatur, cum usum ignis sibi interdixisset. Cum autem nollet sumere : Nobis omnibus, inquam, o Pater, hoc concede, communem enim salutem tuam ducimus sanitatem. Non solum enim es utilitatis exemplar propositum, sed etiam orans fers auxilium, et Dei concilias nobis benevolentiam. Quod si te hoc male habet quod non sis assuetus, hoc quoque, inquam, o Pater, constanter tolera; est enim hoc quoque genus philosophiæ. Quomodo enim cum esses sanus cibum appetens, tolerantia vicisti appetitionem, ita etiam nunc minime appetens in vescendo ostende tolerantiam. Hæc cum dicerem, aderat homo Dei Polychronius (54), qui id quod dicebam defendens, dixit se id primum velle sumere, idque cum esset mane, cum sæpe post interjectum septem dierum spatium corpus aleret. Victus ergo oratione, unum juris poculum clausis demisit oculis, quod quidem solemus facere cum amaras bibimus potiones.

840 Quoniam autem pedes quoque, qui propter imbecillitatem ingressum amiserant, ei lavare persuasimus; operæ pretium existimo hanc quoque ejus animæ aperire philosophiam; prope enim aderat scyphus. Voluit autem quidam ex iis qui ministrabant eum canistro tegere, ut non videretur ab iis qui ad ipsum veniebant. Ille autem : Cur, inquit, scyphum tegis? Cum is autem dixisset : Ne videatur ab iis qui veniunt ad contemplandum : Absit, inquit, o fili, ne celes homines (55) ea quæ sunt aperta Deo universorum; illi enim soli volens vivere, nullam humanæ gloriæ curam gero. Quid enim me juverit, si hi quidem me magis laborasse et majori exercitatione usum esse sciverint, Deus vero minori? non sunt enim hi datores mercedis pro laboribus, sed Deus est suppeditator. Quis ergo non valde admiretur et sermones, et mentem quæ sermones genuit, quæ omni humana gloria adeo fuit superior?

Tale quid etiam alias memini accidisse. Erat vesper, et altum vesper et tempus comedendi : accepta ergo testa apposita, madefactæ lentis cibum sumpsit; id enim erat ei alimentum. Venit autem quidam a civitate, cui erat commissa quædam militaris exactio. Is autem cum eum procul vidisset, lentem non deposuit, sed cibum demisit ut consueverat; et cum visione apprehendisset eum esse dæmonem, eum verbis insectabatur ut hostem; et ostendens se non vereri, interim ori lentem admovit. Obsecrabat autem is qui incessebatur maledictis : dicebat se esse hominem; et quod prius quodam adactus jurejurando se ante vesperam ab urbe esse profecturum, venisset hoc tempore. Ille : Bono, inquit, animo esto, et ne extimescito; sed cum precatus fueris, recedito : sis autem mihi conviva, et mei cibi particeps. Simul autem hæc dicens implevit dexteram, et lente eum impertiit. Sic vanæ gloriæ morbum cum aliis expulit ex animo.

De tolerantia autem supervacaneum est dicere, cum visus ipse testetur. Tres enim sæpe dies et totidem noctes nive delapsa ita fuit obrutus, pronus jacens, et Deum orans, ut ne parum quidem videretur ex pannis quibus fuerat indutus; sæpe autem marris et ligonibus vicini ei nivem impositam detrahentes, eum jacentem evellunt et excitant. Ex iis laboribus collegit dona divinæ gratiæ, quorum volunt omnes esse participes. Illius enim benedictione multæ quidem exstinctæ sunt et exstinguuntur febres, et multæ ægritudines cessarunt et omnino abierunt, multi autem dæmones coacti sunt fugere; et aqua quæ ab illius dextera benedicitur fit salutare pharmacum.

Quis nescit puerum mortuum per ejus orationem fuisse excitatum? in suburbanis enim civitatis erant ejus parentes, qui multos quidem filios genuerunt, omnes autem immaturos ad sepulcrum transmiserunt. Quando ergo hic ultimus natus fuit filius, cucurrit pater ad hominem Dei, rogans ut is longam haberet vitam, et pollicens se eum esse Deo dicaturum si viveret. Cum itaque vixisset quatuor annis, vitæ finem accepit; pater autem aberat : adveniens autem videt eum repente efferri. Cum eum itaque e lecto rapuisset : Oportet, inquit, me implere promissum, et Dei homini reddere vel mortuum. Detulitque ut prius dixit, et ante pedes sanctos illum posuit, dicens illa quæ suis quoque dixerat domesticis. Homo autem divinus cum ante se posuisset puerum, flexis genibus orabat pronus vitæ et mortis rogans Dominum. Vespere autem puer edidit vocem, et patrem vocavit. Cum sic sensisset vir ille divinus quod suas preces suscepisset Dominus, et vitam puero suppeditasset, surrexit, et eo adorato qui facit voluntatem timentium eum, et audit eorum preces (*Psal.* CXLIV), finit orationem, et filium reddidit patri. Hoc et ego vidi, et patrem audivi narrantem, et multis aliis narravit miraculum apostolicum, cum sciret multis audituris futurum id conducibile.

Porro autem ejus quoque sum consecutus auxilium : unius autem aut duorum faciam mentionem, existimans ingrati esse animi ea silentio præterire, et non docere genera beneficii. Exsecrandus Marcion multas spinas impietatis seminavit in regione urbis Cyri; eas cum conarer evellere radicitus, omnem laborem subibam, et omnibus machinis assidue utebar. Qui autem mea fruebantur cultura, cum me eo nomine deberent diligere, pro ea, ut prophetice dicam, detra-

bebant mihi; ego autem orabam, et reddebant mala pro bonis, et odium pro dilectione mea (*Psal.* CVIII, XXXIV); et magicis utentes præstigiis, et malignorum freti ope dæmonum, conabantur bellum gerere quod sub visum non caderet; et noctu venit quidam dæmon exitialis clamans, et lingua utens Syriaca : Cur tu bellum geris cum Marcione? cur hanc pugnam adversus eum suscipis? Quanam is te unquam affecit molestia? desine belligerari, desiste a malevolentia, aut disces experientia quantum bonum sit quies. Scias quod te jam pridem confodissem, nisi chorum martyrum te custodientem vidissem cum Jacobo. Hæc ego audivi, et dixi cuidam **841** ex familiaribus qui prope me dormiebat : Audis, inquam, quæ dicuntur? Ille vero : Omnia, inquit, audivi; et cum vellem surgere, et respicere, et scire quis loqueretur, tua causa quievi, cum te putarem quiescere. Ambo itaque surgentes respeximus, neque ullum qui moveretur vidimus, nec qui loqueretur audivimus. Illa verba alii quoque qui nobiscum habitabant audiverunt. Intellexit igitur quod martyrum quidem chorum dicebat Lecythum olei martyrum, qui cum a multis martyribus collectam haberet benedictionem, pendebat a meo lecto : sub meo autem capite erat magni Jacobi vetus amictus, qui quovis claustro adamantino fuit mihi validior. Quin etiam cum eorum maximum vicum essem ingressurus, deinde multa essent intermedia quæ mihi prohibebant exitum, misi ad meum Isaiam, rogans ut divinum consequerer auxilium. Ille vero, Esto, inquit, bono animo; soluta sunt omnia illa impedimenta instar telæ aranearum; idque noctu me docuit Dominus, non in somnis adumbrans, sed revera ostendens. Vidi enim, aiebat, cum incepissem hymnodiam, in illa parte in qua illa loca sita sunt, serpentem quemdam, ignis speciem præ se ferentem, qui ab Occidente reptabat in Orientem, et ferebatur per medium aerem. Cum orationes autem tres peregissem, rursus vidi inflexum, et orbiculatam ostendentem figuram, et ejus caudam capiti conjunctam. Cum rursus autem octo orationes absolvissem, aspexi eum in duas partes dissectum et in fumum resolutum. Hæc ipse quidem sic prævidit, nos autem vidimus exitum qui consensit ejus prædictioni. Mane enim mali auctoris dæmonis imperio parentes, qui olim quidem erant sectæ Marcionis, nunc autem sunt classis apostolicæ, ab Occidente profecti, nudos nobis enses ostendebant; hora autem diei tertia simul coacti, curam gerebant suæ solum custodiæ, sicut serpens qui cauda caput suum contexit : octava autem dispersi, dederunt nobis locum ingrediendi in vicum. Statim autem invenimus serpentem factum ex æris materia, qui ab eis adorabatur. Cum enim adversus opificem et universorum creatorem bellum aperte suscepissent, exsecrandum serpentem, tanquam illius hostem, colere contendebant. Talia ego beneficia a mihi venerando capite sum consecutus.

Quoniam autem divinarum revelationum narrationem ingressa est oratio, age narrabo quæ audivi ab illa lingua ab omni mendacio aliena. Narravit autem

A non ulla gloriæ inductus cupiditate (fuit enim divina anima ab eo vitio remotissima), sed cum illum quidam usus ea coegisset dicere quæ volebat celare. Supplex ab eo contendebam ut oraret Deum universorum, ut redderet mihi segetem mundam a zizaniis, et a seminibus hæreticis eam omnino liberaret; me enim valde angebat abominandi Marcionis error qui plurimum invaluerat. Dixit itaque a me oratus : Nec me, nec ullo alio tibi opus est ad Deum intercessore; habes enim Joannem illum insignem, Verbi vocem, Domini præcursorem, has pro te preces assidue offerentem. Cum autem ego dicerem, me et ejus credere orationibus, et aliorum sanctorum apostolorum et prophetarum, quorum ad nos nuper delatæ sunt reliquiæ : Esto, inquit, bono animo; habes Joannem

B Baptistam. Sed nec sic eum passus sum silere, sed multo magis urgebam interrogans, et scire desiderans cur ejus potius meminisset. Ille autem : Vellem, inquit, amplecti et deosculari ejus amabiles reliquias. Cum autem dixissem : Non afferam eas, nisi pollicitus fueris te ea dicturum quæ videris. Atque ipse quidem est pollicitus, ego vero postridie attuli ea quæ desiderabat; et cum omnes jussisset abscedere, hæc mihi soli narravit. Quando hos, inquit, civitatis patronos, qui a Phœnicia venerant et Palæstina, cum Davidica excepisti chorea, venit mihi in mentem cogitare num hæ essent illius insignis Joannis reliquiæ, et non alterius martyris qui esset ejusdem nominis. Post unum ergo diem ego stabam ad hymnos decantandos; video autem quemdam candida veste indu-

C tum, et dicentem : Frater Jacobe, cur nobis advenientibus non venisti obviam? Cum ego autem rogarem quinam essent, respondit, dicens : Qui a Phœnicia et Palæstina nuper venimus; et cum prompto et alacri animo nos omnes excepissent, et pastor et populus, et cives, et rustici, tu solus eorum honoris non fuisti particeps : innuebat autem eam quæ fuerat dubitationem. Ad hæc ergo dicit se dixisse : Absentibus et vobis et aliis et vos honoro, et adoro Deum universorum. Rursus autem die sequenti eodem tempore cum ille ipse apparuisset : Vides, inquit, frater Jacobe, eum illic stantem, cujus quidem vestis est colore nivi similis, est autem prope illum positus ignis clibanus. Cum autem ego illuc oculos convertissem, et illum esse Joannem Baptistam conjecissem (nam

D et vestitu erat indutus, et manum habebat ut baptizans) : Is est, inquit, quem tu conjecisti. Quin etiam, inquit, cum tu aliquando noctu ad primum vicum ad seditiosos eos docturus abires, et ut ego majori ac vehementiori **842** studio Deo offerrem orationem, mandasses, tota nocte vigilavi rogans Dominum. Deinde audivi vocem dicentem : Ne timeas, o Jacobe; magnus enim Joannes Baptista tota nocte orat Deum universorum. Facta enim fuisset magna cædes, nisi illius intercessionibus fuisset exstincta diaboli audacia. Hæc cum mihi narrasset, præcepit ut ego solus scirem, et ne alios assumerem conscios. Ego autem utilitatis gratia non solum multis narravi, sed etiam mando scriptis.

Jam vero a se quoque dicebat esse visum Joseph patriarcham, capite et barba canum, et in senio formæ emittentem splendorem, et in virtutis fastigio seipsum sanctorum extremum nominantem. Nam cum ego, inquit, eum primum dicerem ex iis qui sunt ejusdem cum ipso feretri participes, ipse seipsum nominabat ultimum.

Mihi autem narravit etiam varios et multiplices dæmonum insultus, qui in ipsum facti sunt. Cum primum enim, aiebat, hoc vitæ genus sum ingressus, visus est mihi quidam nudus forma Æthiops ignem ex oculis emittens; ego autem cum eum viderem, et timore sum affectus, et ad preces conversus, nec in animum inducere potui ut cibum sumerem, illo enim tempore mihi apparebat. Cum autem septem et octo et decem dies transiissent, et jejunus permanerem, tandem improbum illum insultum contemnens, sedi et cibum sumpsi. Ille autem cum hanc meam non tulisset animi magnitudinem, minatus est se virga percussurum. Ego autem, inquit, dixi: Si tibi quidem est permissum a Deo universorum, percute, et plagam lubenter accipiam, ut qui ab illo feriar; sed si non sit tibi permissum, non percuties licet millies insanias. His auditis tunc effugit.

Sed me rursus clanculum perpetua afficiebat molestia. Nam aquam quæ mihi bis in hebdomada inferne afferebatur, ei qui afferebat occurrens, et meam formam imitans accipiebat; et illum jubens recedere, fluentum effundebat. Idque cum non solum bis, sed etiam ter fecisset, me sitis perpessione valide oppugnavit. Cum ergo valde angerer, rogavi eum qui solebat ad me afferre cur jam quindecim diebus ad me aquam non attulisset: is dixit se jam ter et quater attulisse, et me accepisse. Et ubi, inquam ego, a te eam afferente accepi? Ille locum ostendit. Etsi millies, inquam ego, me illuc accedentem videris, ne vas dederis donec ad hunc locum veneris.

Sic cum hæ quoque ejus apertæ et irritæ fuissent insidiæ, alias rursus est aggressus. Dixit enim noctu vociferans: Te tam tetro implebo odore, et tibi tantam inuram infamiam, ut nemo te ulla ex parte aspiciat. Ego autem, inquit, ad hæc respondi: Agam tibi gratias. Invitus enim tuum inimicum beneficio afficies, ut qui efficias ut magis verser in Dei recordatione. Nam quo mihi plus est otii, eo magis occupor in perpetuo contemplanda divina pulchritudine. Cum itaque pauci dies præteriissent, meridie consuetum peragens officium, Video, inquit, duas mulieres de monte descendentes. Ego autem cum id præter consuetudinem ægre tulissem, et eas lapidibus petere essem aggressus, memini minarum scelerati dæmonis, et conjeci hanc esse eam quam dicebat infamiam. Dixi ergo magna voce quod etiamsi meis insiderent humeris, non eas impetam lapidibus, nec persequar, sed sola utar deprecatione. Ego quidem hæc dixi, illæ vero evanuerunt, et sermone finem accepit visio spectaculi.

Post hæc rursus, inquit, noctu ego quidem orabam: ferebatur autem vehiculi strepitus, et clamor A aurigæ et equorum hinnientium. Me autem conturbavit rei novitas; cogitabam enim quod nec princeps tunc esset in civitate, nec ea esset via vehiculorum, nec tempus aptum vehiculis. Hæc autem cum apud me reputarem, audiebatur quidam strepitus appropinquantis multitudinis, et clamabant quidam præcedentes lictores, sibilantes, et de medio turbam exigentes, et ei qui præerat viam parantes. Postquam autem mihi visi sunt valde appropinquare, dixi, aiebat: Quisnam es, et unde venis? et quo opus habens venisti hoc tempore? Quousque ludificaris, o infelix, et divinam contemnis patientiam? Hoc ego quidem dicebam, conversus ad Orientem, et Deo preces offerens. Ille autem trusit quidem, sed non potuit dejicere, resistebat enim divina gratia; et extemplo omnia illa evanuerunt.

B Dicebat autem se etiam tempore perniciosorum illorum latronum, quando ex Isauria profecti, maximam partem Orientis urentes, prædas egerunt, valde extimuisse, non ne occideretur (neque enim tenebatur tanto amore corporis), sed ne raperetur in servitutem et captivus fieret, impietatisque et iniquitatis videret spectaculum. Hunc metum cum sensisset diabolus (sæpe enim audiverat, cum hoc notis suis aperiret), imitatur noctu ululatum mulierum. Ego autem, inquit, videbar audire quod venirent hostes, et quod vicis ignem injicerent. Statim ergo cum capillos in duas partes **843** discriminassem, et partim quidem a dextris, partim vero a sinistris ad pectus transtulissem, parabam collum ut id ensis amputaret facilius, et brevi plaga accepta, ab illo abominando C liberarer spectaculo. Cum sic totam illam noctem transegissem et assidue incursionem illorum exspectarem, cum fuisset dies, et quidam venissent, rogavi quidnam audiissent de Isauris. Illi autem dixerunt se nihil nosse illis diebus; et sic agnovi, inquit, diabolicam quoque illam fuisse visionem.

Aliquando autem assimilatus vivido et vegeto adolescenti, specie decoro, et flava coma ornato, ad me accedebat subridens simul et ludens. Ego autem, inquit, ira armatus, ejiciebam insectans maledictis. Ille autem permanebat, aspectu meretricio, risuque et sermone ad voluptatem alliciens. Tunc ergo majore ira percitus: Quomodo, inquam, potes totam terram obire, et omnibus tales parare insidias? Is autem di-D cebat se non esse solum, sed dæmonum multitudinem per totum terrarum orbem esse dispersam, qui hoc modo simul et ludunt, et serio agunt; ludo enim, qui videtur, student simul totam perdere humanam naturam. At tu, dicebam ego, abi, Christo tibi id jubente, qui totam legionem per porcos transmisit in profundum. Audivit simul et fugit; nec Domini appellationis vim ferens, nec ejus famuli philosophiæ ferre valens splendorem.

Porro autem cum multa alia sciam quæ possim narrare, ea nolo scribere, ne imbecillioribus eorum multitudo causa sit incredulitatis. Nam iis quidem qui divinum cernunt hominem, nihil ejusmodi quod dicitur videtur incredibile, cum ea quæ videtur virtus

confirmet ea quæ dicuntur. Sed quoniam transmittentur ad posteros scripta harum narrationum (sunt autem multis aures magis incredulæ quam oculi) imbecillitate auditorum metiemur narrationem.

Ei ergo ædificarunt alii quoque maximam ædem in vico propinquo, quæ non distat multis stadiis. Construxi ego quoque loculum in æde victoria insignium apostolorum. Sed cum hoc rescivisset vir divinus, sæpe me rogavit ut in illo monte corpus mandaretur sepulturæ. Ego autem sæpe dixi quod non oportet eum qui vitam præsentem non curarit, sepulcri curam gerere. Ubi autem vidi hoc ei esse cordi, annui et sum assensus, et feci ut scinderetur arca et sursum ferretur. Cum autem viderem lapidem corrumpi a pruina, rogavi ut sineret arcæ parvam fieri domunculam: ubi autem jussit, et perfecto ædificio tectum imposuimus: Non patiar, inquit, hoc vocari sepulcrum Jacobi; sed volo hanc fieri ædem martyrum victoria insignium: me autem tanquam aliquem inquilinum poni in altero sepulcro, ut qui dignus sim habitus ut apud eos habitarem. Neque vero hoc solum dixit, sed etiam fecit; et cum multos quidem prophetas, multos autem apostolos, maxime autem plurimos martyres undique collegisset, eos posuit in una arca, volens simul habitare cum populo sanctorum, et desiderans cum eis resurgere, et dignari Dei contemplatione. Hoc autem sufficit ad faciendam conjecturam quanta ejus esset modestia. Qui enim tantas opes collegerat, perinde ac si esset in extrema paupertate, desideravit habitare tanquam peregrinus apud divites mercatores. Quales ergo venerandi mihi capitis sint labores, et quanta certamina, et quantam gratiam acceperit divinitus, et quam multis sit victoriis potitus, et quam multis coronis ornatus, hæc ad ostendendum sufficiunt.

Quoniam autem asperos et difficiles ejus mores reprehendunt aliqui, et ægre ferunt quod solitudine tantopere delectetur et quiete, cum de eo pauca dixero, imponam finem narrationi. Proponitur, ut jam dixi, aspectandus ab omnibus; neque fossa circumdatus, neque tugurio aliquo aut tabernaculo tectus. Unusquisque autem ex iis qui veniunt, a nullo claustro prohibitus, statim accedens, ea quæ vult loquitur. Aliis autem amatoribus hujus philosophiæ sunt et fossæ et fores, et eis licet frui quiete; et qui est inclusus, aperit cum voluerit, et quantum vult differt, et quantum vult impletur divina contemplatione. Hic autem horum nihil est. Quocirca eos fert ægerrime qui in tempore orationis ei exhibent molestiam; et si cum jussit quidem, statim recesserint, rursus prosequitur orationem. Quod si perrexerint exhibere molestiam, et cum semel aut bis jusserit non paruerint, tunc ægre ferens et increpans amandat. Ego autem de eo quoque aliquando sum cum illo locutus, et dixi aliquos moleste ferre quod expulsi fuerint, et non fuerint participes ejus benedictionis, et quod oporteret eos qui hac de causa veniunt, et iter multorum dierum conficiunt, recedere non indignantes, sed animi lætitia repletos, et qui philosophiæ narrationum convivio excipere possint eos qui ignorant. Ille autem: Non alicujus, inquit, alterius, sed mea causa veni in montem, et cum sentiam admodum multis peccatorum ulceribus, plurima opus habeo medicina; et ea de causa oro clementem Dominum, ut **844** mihi præbeat medicamenta quæ mea curent vitia. Quomodo ergo non fuerit valde reprehendendum et valde stultum, interrumpere quidem seriem orationis, interim autem loqui cum hominibus? Si enim hominis, qui est ejusdem cujus ego naturæ, essem famulus, eo autem tempore quo est ministrandum domino, dimittens in tempore afferre cibum vel potum, confabularer cum aliquo ex conservis, quot plagas jure acciperem? Si autem cum etiam accessissem ad præsidem, et qua ab aliquo afficior narrans injuriam, sermonem quidem in medio interrumperem, apud aliquem autem ex præsentibus aliqua alia verba facerem; non tibi videtur judex id ægre esse laturus, et auxilium quidem esse denegaturus, flagris autem præterea esse cæsurus, et a tribunali ejecturus? Quomodo ergo est honestum ut servus quidem in dominum, qui autem supplicat in judicem, ita ut oportet se gerat: ego autem ad Deum et æternum Dominum, et Judicem justissimum, et omnium Regem accedens, ne similiter quidem atque ii accedam; sed inter orandum me convertam ad conversos, et prolixo cum eis utar sermone? Hæc et audivi, et ad eos qui ægre ferunt transmisi; et mihi videtur recte pulchreque dixisse. Nam præter ea quæ dicta sunt, est etiam amantium proprium, omnes quidem alios despicere, illi autem soli quem amant et diligunt adhærere, eumque et noctu somniare, et interdiu visione apprehendere. Ideo mihi videtur ægre ferre, ut qui in ea quidem quam desiderat versetur contemplatione, prohibeatur autem impleri expetenda et dignissima quæ ametur pulchritudine.

Hæc ut narrantes, non ut encomii ritu laudantes conscripsimus: brevitatis magnam curam gerentes, ne prolixitate molestia lectores afficeremus. Quod si etiam fuerit huic superstes narrationi, innumerabilia alia præclara facinora adjiciet prioribus; et illa quoque conscribent alii, nos enim hinc excedere valde cupimus. Pietatis autem certaminum agonotheta et ei det finem dignum suis certaminibus, præstetque ut reliquus cursus priori consentiat, ut victor perveniat ad metam, et nostram imbecillitatem sustentet ac suffulciat suis orationibus, ut confirmati, multas quas alii in nos consecuti sunt victorias eis eripiamus, et victores e vita excedamus.

CAPUT XXII.

THALASSIUS ET LIMNÆUS (56)

Helimna (57) est apud nos quidam vicus, qui olim quidem excepit semina impietatis Marcionis, nunc autem evangelica fruitur agricultura. Ejus ad Meridiem est quidam collis, neque valde asper, neque admodum acclivis. In eo monasticum ædificavit habitaculum Thalassius vir admirabilis, qui est multis quidem aliis quoque bonis exornatus, sed morum

simplicitate mansuetudineque et moderatione omnes homines sui temporis superavit. Hoc autem dico, non ut qui soli credam auditui, sed qui ejus etiam fecerim periculum. Ad virum enim sæpe accessi, et ejus sum sæpe usus suavi consuetudine.

Ab eo in hoc loco fuit initiatus qui nunc ab omnibus decantatur Limnæus, et cum admodum juvenis ad illam pervenisset palæstram, pulchre in hac summa instituebatur philosophia. Et primum quidem cum linguam sciret esse lubricam, adhuc adolescens hoc sibi constituit silentium (58), mansitque longissimo tempore cum nemine quidquam loquens. Postquam autem divini illius senis doctrinæ satis fuit particeps, et se ostendit expressam illius virtutis imaginem, accessit ad magnum illum Maronem, cujus prius quoque meminimus (*Supra*, *c.* 16). Accessit autem eodem tempore quo divinus quoque Jacobus. Cum autem ex eo quoque magnam percepisset utilitatem, et quæ sub dio agitur vitam esset æmulatus, occupavit aliud montis cacumen quod imminet cuidam vico, quem nominant Targallam (59). In eo degit usque in hodiernum diem, non habens domunculam, non tabernaculum, non tugurium, sed solo continetur septo quod est ædificatum ex lapidibus (60). Habet autem quoddam parvum ostium luto assidue obstructum : quod advenientibus quidem aliis nunquam aperit, mihi autem soli accedenti hoc permittit facere. Ea de causa undequaque congregantur plurimi cum meum adventum senserint, desiderantes esse mei ingressus participes. Cum iis autem qui aliquando ad ipsum veniunt, loquens per parvam quamdam fenestram, eos impertit benedictione, per eam plurimis sanitatem largiens. Servatoris enim nostri utens nomine, et morbos cessare facit, et dæmones expellit, et apostolica imitatur miracula.

Non solum autem iis qui ad ipsum veniunt suppeditat curationem, sed eam quoque sæpenumero præbuit suo corpori. Eum enim jam pridem invaserat morbus colicus. Quam sint autem acres qui ex eo oriuntur dolores et cruciatus, optime quidem sciunt qui illum sunt experti; sciunt autem ii quoque qui ejus fuere spectatores. Provolvuntur enim similiter atque ii qui rabie agitantur, **845** huc et illuc se vertentes, et crebro pedes extendentes et contrahentes; nonnunquam autem sedent et surgunt et ambulant, aliquam quietis viam quærentes; et ideo assident balneis, sæpe ex eo aliquam accipientes consolationem. Et quid opus est longiori uti oratione in iis enumerandis quæ sunt aperta et manifesta omnibus? Cum hoc morbo colluctans, et tot tantisque cruciatus doloribus, non medicinæ accepit auxilium, non lectum ingredi sustinuit, non a medicamentis aut cibis est recreatus, sed in tabula humi jacente sedens, oratione et crucis signaculo est curatus, et carmine divinæ appellationis sopiit cruciatus.

Porro autem cum is quoque noctu aliquando ambularet, calcavit dormientem viperam. Ea vero apprehendens plantam pedis, in eam dentes infixit. Cum autem pedi conaretur opem ferre, se quidem inclinavit, et ei manum admovit; os autem bestia in eam convertit. Cum autem rursus sinistra esset usus ut ei succurreret, in eam quoque traxit iram bestiæ. Postquam autem fuit ejus furor exsatiatus (illi enim plus quam decem morsus intulit), tunc quidem recessit et suam cavernam repetiit. Ille autem undique maximis cruciabatur doloribus. Sed neque tunc passus est uti arte medicinæ : sed vulneribus adhibuit sola fidei medicamenta, crucisque signaculum, et orationem, et Dei invocationem. Ideo autem, ut existimo, Deus universorum permisit illam bestiam in illud sacrum corpus furere, ut divinæ illius animæ omnibus apertam ostenderet tolerantiam. Nam ejus quoque quod generosi et fortis animi Job idem videmus fuisse consilium. Sivit enim eum maximis iisque omnis generis agitari fluctibus, cum sapientiam gubernatoris vellet omnibus ostendere. Undenam enim alias cognovissemus vel illius fortitudinem, vel hujus tolerantiam, nisi in eos quævis tela conjiciendi datus esset locus inimico pietatis.

Atque ad viri quidem tolerantiam docendam hæc sufficiunt, clementiam autem et benignitatem aliunde ostendemus. Nam cum multos visu privatos, et qui mendicare cogebantur congregasset, et utrinque ad Orientem et Occidentem eis habitacula ædificasset, jussit in eis degere, et Deum laudare, alimentum eis necessarium præcipiens suppeditari ab illis qui ad ipsum veniebant. Ipse autem medius inter eos inclusus, et hos et illos incitat ad hymnodiam, et licet eos audire Deum assidue laudantes. Tanta est ejus perpetua benignitas in eos qui sunt ejusdem generis. Eorum autem quæ sub dio suscipiuntur certaminum, ipsi et magno Jacobo est idem tempus. Jam enim complerunt trigesimum octavum annum.

CAPUT XXIII.

JOANNES, MOYSES, ANTIOCHUS, ANTONIUS (61).

Hoc vitæ institutum æmulatus quoque est Joannes, vir præter cætera clarus lenitate et mansuetudine. Is cum rupem quamdam valde asperam, tempestatibusque obnoxiam, et ad Septentrionem vergentem occupasset, in illa jam transegit viginti quinque annos, aeris contrarios excipiens impetus. Alia autem omnia, ne singula persequar, cibus et vestis et ferri pondera, sunt iis qui prius dicti sunt similia. Est autem humanis omnibus adeo superior, ut nullo ex eis fruatur solatio. Afferam autem hujus rei indicium evidens. Nam cum propter torum ejus herbaceum vir quidam bonus plantasset amygdalum, et ea deinde procedente tempore arbor evasisset, adeo ut ei umbram præberet, et oculos pasceret, jussit eam exscindi, ut ex ea nullam acciperet recreationem.

Hoc vitæ institutum amplexus quoque est Moyses, in alto quodam montis vertice, qui impendet vico Romæ, decertans.

Et Antiochus vir senex, qui in monte maxime deserto parvum septum exstruxit.

Et Antonius, qui in corpore senio confecto æque decertat atque juvenes.

Est autem eis eadem vestis, et cibus, et status, et

oratio, nocturnique et diurni labores; et nec longitudo temporis, nec senectus, nec naturæ imbecillitas eorum superat tolerantiam, sed in eis floret ac viget laborandi studium. Alios quoque plurimos athletas habet in montibus et agris Deus virtutis agonotheta, quos non est enumerare facile, nedum vitam uniuscujusque scribere.

Cum ergo sufficientem ex eis utilitatem iis, qui lucrari voluerint, adjecerim, me convertam ad aliud genus narrationis, rogans ut sim eorum quoque benedictionis particeps.

CAPUT XXIV.

ZEBINAS ET POLYCHRONIUS (62).

Zebinam prædicant usque in hodiernum diem, qui ut illum viderent, digni sunt habiti. Aiunt autem eum, cum ad extremam pervenisset senectutem, iisdem esse laboribus usum usque ad finem : nec, licet gravissimo premeretur senio, ex certaminibus juventutis aliquid immutasse. Superabat autem, ut dixerunt, omnes sui temporis homines assiduitate orationis. In ea enim diu noctuque versans, non solum non satiebatur, sed etiam desiderium efficiebat vehementius. Quin etiam cum iis qui ad ipsum veniebant paucis disserens, non poterat in animum **846** inducere ut cogitationem a cœlis deduceret; sed statim ab illis liberatus, ut nec tantillum quidem ab iis quæ sunt Dei universorum separatus, offerebat rursus deprecationem. Postquam autem non permittebat senectus ut citra molestiam stare posset assidue, sustentaculum ei præbebat baculum; cui innixus, Dominum et laudabat et orabat. Cum autem præter alia bona esset ornatus amore in hospites, jubebat multos ex iis qui ad ipsum veniebant, exspectare vesperam. Illi autem timentes ne tota nocte illic starent, aliqua sua negotia prætextentes, se ab illis subducebant laboribus.

Hunc ille quoque magnus admiratus est Marum : et omnes ad se venientes ad illum ire jubebat, et accipere ejus benedictionem, eum patrem et magistrum nominans, et totius virtutis exemplar vocans. Rogavit autem ut in eodem quoque sepulcro poneretur; sed non siverunt, qui corpus illud sacrum diripuerunt (63), et in eum locum quem diximus detulerunt (64). Divinus autem Zebinas cum ante eum obiisset, in vico ei propinquo, is autem appellatur Cirtica, justa sibi facta accepit. In ejus sepulcro maximam ædem ædificarunt; iis enim qui cum fide accedunt, variam ac multiplicem effundit curationem. Habet autem nunc quoque sub eodem tecto martyres, qui apud Persas quidem decertarunt, annuis autem et celebribus festis a nobis honorantur.

Hujus doctrinam magnus accepit Polychronius, quin etiam divinissimus Jacobus dicebat eum sibi primum dedisse tunicam ex pilis contextam. Ego autem qui illum nunquam vidi (ante meum enim adventum vitæ finem acceperat) in hoc egregio Polychronio divini Zebinæ video philosophiam; non sic enim cera exprimit figuras annulorum, ut hic illius effingit formam et characterem. Hoc autem aperte scio, ea quæ de illo narrantur cum iis quæ ab hoc A fiunt conferens. Est enim similiter divino incensus desiderio, et est terrenis omnibus superior, et corpori alligatus mentem habet alatam, et quæ fertur sublime, aeremque trajicit et ætherem, et cœlis fit sublimior, et perpetuo divinam visione apprehendit contemplationem, nec potest illinc unquam mentem detrahere; quin etiam cum iis qui adveniunt colloquens, superna mente peragrat.

Ejus autem per totam noctem vigiliam et stationem hinc didici. Cum eum viderem simul et cum senio conflictantem et cum imbecillitate, et nullam omnino habentem curam corporis, sæpius precatus ei persuasi, ut duos assumeret, qui simul habitarent, et aliquam consolationem ab eis acciperet. Quoniam autem petiit viros virtute claros, qui per se in alio B degebant monasterio, illis quoque viris admirandis persuasi, ut divini hominis curam omnibus præponerent. Ii cum parvo tempore cum eo habitassent, conati sunt fugere, per noctem illam non ferentes stationem. Cum autem virum divinum obsecrarem, ut imbecillitate corporis metiretur laborem : Non solum, inquit, eos non cogo stare mecum assidue, sed etiam sæpe præcipio ut decumbant. Illi autem, Et quomodo possemus, aiebant, eo qui in laboribus consenuit stante, et imbecillitatem corporis despiciente, decumbere, cum simus sani et in media ætate? Sed venerandi quidem mihi capitis nocturnos labores sic didici. Illi autem viri procedente tempore sibi tantam paravere virtutem, ut cum hoc magno viro eamdem persequerentur philosophiam.

C Et Moyses quidem (hoc est enim ei nomen) permansit usque in hodiernum diem, tanquam patri et domino omne ei servitium exhibens, et quæ ex sacra illa anima coruscat virtutem accurate perfecteque exprimens.

Damianus autem (hoc enim erat nomen alteri) cum pervenisset ad quemdam vicum non procul situm, ei autem est nomen Niara, et præter alias parvam quamdam invenisset domunculam, in illa degit, idem vitæ institutum persequens; adeo ut qui hunc et illum recte norunt, eum aspicientes, existiment se videre beati Polychronii animam in alio corpore. Eadem enim et simplicitas et mansuetudo et moderatio, eadem lenitas sermonis, eadem in congressu suavitas, eadem animæ vigilantia, et Dei intelligentia, idem D status et labor et vigilia et cibus : et quæ est ex lege divina, paupertas et nihil possidere. Nam præter unam sportulam, quæ lentem habet madefactam, nihil est in habitaculo. Tantam accepit utilitatem ex consuetudine magni Polychronii.

Ego autem re icto discipulo redibo ad magistrum, a fonte enim rivi fluenta procedunt. Hic ergo cum aliis vitiis ejecta quoque ex anima gloriæ cupiditate, et inanis gloriæ conculcata tyrannide, studebat semper labores occultare. Et ferrum quidem ut gestaret non inducebat in animum, timens ne ex eo aliquid damni hauriret, si arrogantiæ inflammationem anima ex eo accepisset. Cum autem quercus gravissimam radicem ad se deferri jussisset, ut qui ad alium sci-

licet usum ea opus haberet, eam et noctu imponebat humeris, et ea imposita 847 orabat; et interdiu, cum esset ei otium. Cum autem veniret aliquis, et pulsaret ostium, eam in loco aliquo abscondebat. Hanc cum vidisset quidam, mihi indicavit; et cum vellem scire quantum esset ejus pondus, vix eam potui tollere ambabus manibus. Is autem cum me aspexisset, jussit eam dimittere; ego autem eum rogabam ut mihi eam permitteret accipere, ut ei eriperem occasionem laboris. Postquam autem eum vidi ægre ferre, ei cessi desiderio victoriæ.

Ex his laboribus efflorescit ei quoque data gratia divinitus, et multa fiunt miracula illius orationibus. Etenim cum gravis illa siccitas quæ homines affligebat, ad preces incitaret, venit ad eum multitudo sacerdotum. Erat autem una cum eis quidam quoque B cui Antiochenæ regionis multi vici pascendi erant crediti. Is ex iis qui aderant rogabat seniores, ut ei persuaderent ut manum dexteram imponeret lecytho. Cum ii autem dixissent, eum non esse id facturum, dum preces post hæc fierent, et venerandum mihi caput oraret, ille pone stans porrexit duabus manibus lecythum. Is autem ita cœpit scatere, ut duo aut tres ex iis qui aderant manus extenderent, et eas plenas oleo acciperent. Sed licet et divinæ gratiæ fundat radios, et rectis officiis præclarisque et ex virtute rebus gestis sit plenus, et quotidie colligat opes philosophiæ, est tamen tanta modestia et moderatione præditus, ut uniuscujusque ex iis qui ad ipsum veniunt ambos pedes amplectatur, et frontem terræ imponat, sive fuerit miles, sive opifex, sive rusticus. C

Narrabo autem aliquid quod possit docere ejus simplicitatem et moderationem. Quidam vir bonus, cui hujus gentis obtigit præfectura, cum Cyrum venisset, cupiebat mecum frui aspectu horum magnorum athletarum. Cum alios ergo obiissemus, ad hunc quoque accessimus cujus virtutem nunc narramus. Cum ego itaque dixissem esse præfectum qui mecum accessisset, et æqui justique amatorem, statim homo divinus utrasque manus tendens et ambos pedes prehendens: Volo, inquit, ut mihi aliquam promittas petitionem. Cum is autem ægre ferret, et ut surgeret oraret, et se quod jusserit facturum polliceretur (conjiciebat enim eum velle rogare pro aliquo ex iis qui ejus parebant ditioni): Quoniam ergo, inquit homo divinus, es pollicitus, et jurejurando promissum confirmasti, acri et vehementi studio Deo pro me offer D preces. Is autem frontem pulsans obsecrabat ut eum absolveret a jurejurando, ut qui non esset dignus pro ipso preces offerre Domino. Ejus ergo qui in tam alta philosophia tanta sit modestia ac moderatione, quænam oratio possit ejus laudes pro dignitate consequi?

Hujus in laboribus suscipiendis studium ne varii quidem ac multiplices morbi qui in eum incubuere, retardarunt; sed cum a variis morbis obsideatur, eosdem labores sustinet. Cum multis autem sæpe verbis apud eum egerimus, vix hanc ædificavimus domunculam, corpori plane frigefacto aliquantulum caloris procurantes. Ei multi quidem adhuc superstites aurum sæpe obtulerunt et qui etiam excessere reliquerunt, sed nihil ab ullo unquam accepit, sed eorum quæ offerebantur eos jussit esse dispensatores. Porro autem magnus quoque Jacobus cilicium ab aliquo ad se delatum ad ipsum misit; sed id quoque remisit, cum id esse videret densius et elegantius. Perpetuo enim usus est vilibus et minimi pretii vestibus. Adeo autem existimavit paupertatem esse quovis regno magis expetendam, ut nec necessarium quidem semper haberet nutrimentum. Scio enim me sæpe venisse, et benedictionem petiisse, neque aliquid aliud invenisse quam solas duas caricas. Hujus mel, et iis qui vident est valde expetendum, et iis qui audiunt suave et maxime jucundum. Nullum enim vidi hominem, ne ex iis quidem qui sunt faceti et dicaces, qui illa unquam reprehensionis labe eum aspersei it; sed omnes eum et prædicant et celebrant, et ad ipsum venientes minime volunt recedere.

CAPUT XXV.

ASCLEPIUS, ET JACOBUS EREMITA (65).

Hujus ordinis est admirabilis quoque Asclepius, qui abest quidem decem stadiis, idem autem vitæ institutum est æmulatus. Est enim ei idem et cibus, et vestis, et morum moderatio, in hospitesque et in fratres charitas, lenitasque et mansuetudo, et cum Deo conversatio, et summa paupertas, et maximæ virtutis copiæ, et opes philosophiæ, et alia omnia quæ de illo sacro capite recensuimus. Dicunt autem, eum quoque cum esset in numero fratrum qui in vico habitant, monasticam et temperatam vitam fuisse amplexum, nec ex multorum congressu ullam contraxisse maculam. Cum ergo in utraque vita, nempe et civili et solitaria, se egregie gesserit, duplicibus quoque coronis merito dignabitur.

Porro autem multi quoque alii sunt horum æmulati virtutem: et plena est non nostra solum, sed etiam vicinæ civitates et pagi, tali philosophia. Est autem unus ex his divinus quoque Jacobus, in quadam 848 domuncula inclusus juxta vicum qui dicitur Duzan. Qui cum sit etiam in ipso vitæ termino (est enim plusquam nonaginta annos natus) inclusus est solus, et per quamdam modicam fossam, instar incurvæ lineæ factam, responsa quidem reddit, sed non videtur; et neque igne utitur, neque lumine lucernæ. Me quidem bis perfosso ostio jussit admitti, hoc me honore afficiens, et quam mihi bene velit ostendens.

Atque ii quidem qui adhuc superstites, scriptis meis non indigent; possunt enim, si velint, ipsi eorum contemplari philosophiam. Posteris autem et qui hoc non videre spectaculum, hæc quoque ad usum sufficiunt, ut quæ philosophiæ ostendant characterem. Hic ergo, et de his absoluta oratione, et benedictionis postulata remuneratione, ad aliam transibo narrationem.

CAPUT XXVI.

SIMEONES (66).

Simeonem illum insignem, magnum illud orbis terrarum miraculum, sciunt quidem omnes qui parent imperio Romanorum; norunt autem Persæ quo-

oratio, nocturnique et diurni labores; et nec longitudo temporis, nec senectus, nec naturæ imbecillitas eorum superat tolerantiam, sed in eis floret ac viget laborandi studium. Alios quoque plurimos athletas habet in montibus et agris Deus virtutis agonotheta, quos non est enumerare facile, nedum vitam uniuscujusque scribere.

Cum ergo sufficientem ex eis utilitatem iis, qui lucrari voluerint, adjecerim, me convertam ad aliud genus narrationis, rogans ut sim eorum quoque benedictionis particeps.

CAPUT XXIV.

ZEBINAS ET POLYCHRONIUS (62).

Zebinam prædicant usque in hodiernum diem, qui ut illum viderent, digni sunt habiti. Aiunt autem eum, cum ad extremam pervenisset senectutem, iisdem B esse laboribus usum usque ad finem : nec, licet gravissimo premeretur senio, ex certaminibus juventutis aliquid immutasse. Superabat autem, ut dixerunt, omnes sui temporis homines assiduitate orationis. In ea enim diu noctuque versans, non solum non satiebatur, sed etiam desiderium efficiebat vehementius. Quin etiam cum iis qui ad ipsum veniebant paucis disserens, non poterat in animum **846** inducere ut cogitationem a cœlis deduceret; sed statim ab illis liberatus, ut nec tantillum quidem ab iis quæ sunt Dei universorum separatus, offerebat rursus deprecationem. Postquam autem non permittebat senectus ut citra molestiam stare posset assidue, sustentaculum ei præbebat baculum; cui innixus, Dominum et laudabat et orabat. Cum autem præter alia bona esset C ornatus amore in hospites, jubebat multos ex iis qui ad ipsum veniebant, exspectare vesperam. Illi autem timentes ne tota nocte illic starent, aliqua sua negotia prætextentes, se ab illis subducebant laboribus.

Hunc ille quoque magnus admiratus est Marum : et omnes ad se venientes ad illum ire jubebat, et accipere ejus benedictionem, eum patrem et magistrum nominans, et totius virtutis exemplar vocans. Rogavit autem ut in eodem quoque sepulcro poneretur; sed non siverunt, qui corpus illud sacrum diripuerunt (63), et in eum locum quem diximus detulerunt (64). Divinus autem Zebinas cum ante eum obiisset, in vico ei propinquo, is autem appellatur Cirtica, justa sibi facta accepit. In ejus sepulcro maximam ædem ædificarunt; iis enim qui cum fide accedunt, D variam ac multiplicem effundit curationem. Habet autem nunc quoque sub eodem tecto martyres, qui apud Persas quidem decertarunt, annuis autem et celebribus festis a nobis honorantur.

Hujus doctrinam magnus accepit Polychronius, quin etiam divinissimus Jacobus dicebat eum sibi primum dedisse tunicam ex pilis contextam. Ego autem qui illum nunquam vidi (ante meum enim adventum vitæ finem acceperat) in hoc egregio Polychronio divini Zebinæ video philosophiam; non sic enim cera exprimit figuras annulorum, ut hic illius effingit formam et characterem. Hoc autem aperte scio, ea quæ de illo narrantur cum iis quæ ab hoc A fiunt conferens. Est enim similiter divino incensus desiderio, et est terrenis omnibus superior, et corpori alligatus mentem habet alatam, et quæ fertur sublime, aeremque trajicit et ætherem, et cœlis fit sublimior, et perpetuo divinam visione apprehendit contemplationem, nec potest illinc unquam mentem detrahere; quin etiam cum iis qui adveniunt colloquens, superna mente peragrat.

Ejus autem per totam noctem vigiliam et stationem hinc didici. Cum eum viderem simul et cum senio confiictantem et cum imbecillitate, et nullam omnino habentem curam corporis, sæpius precatus ei persuasi, ut duos assumeret, qui simul habitarent, et aliquam consolationem ab eis acciperet. Quoniam autem petiit viros virtute claros, qui per se in alio degebant monasterio, illis quoque viris admirandis persuasi, ut divini hominis curam omnibus præponerent. Ii cum parvo tempore cum eo habitassent, conati sunt fugere, per noctem illam non ferentes stationem. Cum autem virum divinum obsecrarem, ut imbecillitate corporis metiretur laborem : Non solum, inquit, eos non cogo stare mecum assidue, sed etiam sæpe præcipio ut decumbant. Illi autem, Et quomodo possemus, aiebant, eo qui in laboribus consenuit stante, et imbecillitatem corporis despiciente, decumbere, cum simus sani et in media ætate? Sed venerandi quidem mihi capitis nocturnos labores sic didici. Illi autem viri procedente tempore sibi tantam paravere virtutem, ut cum hoc magno viro eamdem persequerentur philosophiam.

Et Moyses quidem (hoc est enim ei nomen) permansit usque in hodiernum diem, tanquam patri et domino omne ei servitium exhibens, et quæ ex sacra illa anima coruscat virtutem accurate perfecteque exprimens

Damianus autem (hoc enim erat nomen alteri) cum pervenisset ad quemdam vicum non procul situm, ei autem est nomen Niara, et præter alias parvam quamdam invenisset domunculam; in illa degit, idem vitæ institutum persequens; adeo ut qui hunc et illum recte norunt, eum aspicientes, existiment se videre beati Polychronii animam in alio corpore. Eadem enim et simplicitas et mansuetudo et moderatio, eadem lenitas sermonis, eadem in congressu suavitas, eadem animæ vigilantia, et Dei intelligentia, idem status et labor et vigilia et cibus : et quæ est ex lege divina, paupertas et nihil possidere. Nam præter unam sportulam, quæ lentem habet madefactam, nihil est in habitaculo. Tantam accepit utilitatem ex consuetudine magni Polychronii.

Ego autem re icto discipulo redibo ad magistrum, a fonte enim rivi fluenta procedunt. Hic ergo cum aliis vitiis ejecta quoque ex anima gloriæ cupiditate, et inanis gloriæ conculcata tyrannide, studebat semper labores occultare. Et ferrum quidem ut gestaret non inducebat in animum, timens ne ex eo aliquid damni hauriret, si arrogantiæ inflammationem anima ex eo accepisset. Cum autem quercus gravissimam radicem ad se deferri jussisset, ut qui ad alium sci-

licet usum ea opus haberet, eam et noctu imponebat humeris, et ea imposita **847** orabat; et interdiu, cum esset ei otium. Cum autem veniret aliquis, et pulsaret ostium, eam in loco aliquo abscondebat. Hanc cum vidisset quidam, mihi indicavit; et cum vellem scire quantum esset ejus pondus, vix eam potui tollere ambabus manibus. Is autem cum me aspexisset, jussit eam dimittere; ego autem eum rogabam ut mihi eam permitteret accipere, ut ei eriperem occasionem laboris. Postquam autem eum vidi ægre ferre, ei cessi desiderio victoriæ.

Ex his laboribus efflorescit ei quoque data gratia divinitus, et multa fiunt miracula illius orationibus. Etenim cum gravis illa siccitas quæ homines affligebat, ad preces incitaret, venit ad eum multitudo sacerdotum. Erat autem una cum eis quidam quoque cui Antiochenæ regionis multi vici pascendi erant crediti. Is ex iis qui aderant rogabat seniores, ut ei persuaderent ut manum dexteram imponeret lecytho. Cum ii autem dixissent, eum non esse id facturum, dum preces post hæc fierent, et venerandum mihi caput oraret, ille pone stans porrexit duabus manibus lecythum. Is autem ita cœpit scatere, ut duo aut tres ex iis qui aderant manus extenderent, et eas plenas oleo acciperent. Sed licet et divinæ gratiæ fundat radios, et rectis officiis præclarisque et ex virtute rebus gestis sit plenus, et quotidie colligat opes philosophiæ, est tamen tanta modestia et moderatione præditus, ut uniuscujusque ex iis qui ad ipsum veniunt ambos pedes amplectatur, et frontem terræ imponat, sive fuerit miles, sive opifex, sive rusticus.

Narrabo autem aliquid quod possit docere ejus simplicitatem et moderationem. Quidam vir bonus, cui hujus gentis obtigit præfectura, cum Cyrum venisset, cupiebat mecum frui aspectu horum magnorum athletarum. Cum alios ergo obiissemus, ad hunc quoque accessimus cujus virtutem nunc narramus. Cum ego itaque dixissem esse præfectum qui mecum accessisset, et æqui-justique amatorem, statim homo divinus utrasque manus tendens et ambos pedes prehendens: Volo, inquit, ut mihi aliquam promittas petitionem. Cum is autem ægre ferret, et ut surgeret oraret, et se quod jusserit facturum polliceretur (conjiciebat enim eum velle rogare pro aliquo ex iis qui ejus parebant ditioni): Quoniam ergo, inquit homo divinus, es pollicitus, et jurejurando promissum confirmasti, acri et vehementi studio Deo pro me offer preces. Is autem frontem pulsans obsecrabat ut eum absolveret a jurejurando, ut qui non esset dignus pro ipso preces offerre Domino. Ejus ergo qui in tam alta philosophia tanta sit modestia ac moderatione, quænam oratio possit ejus laudes pro dignitate consequi?

Hujus in laboribus suscipiendis studium ne varii quidem ac multiplices morbi qui in eum incubuere, retardarunt; sed cum a variis morbis obsideatur, eosdem labores sustinet. Cum multis autem sæpe verbis apud eum egerimus, vix hanc ædificavimus domunculam, corpori plane frigefacto aliquantulum caloris procurantes. Ei multi quidem adhuc superstites au- A rum sæpe obtulerunt et qui etiam excessere reliquerunt, sed nihil ab ullo unquam accepit, sed eorum quæ offerebantur eos jussit esse dispensatores. Porro autem magnus quoque Jacobus cilicium ab aliquo ad se delatum ad ipsum misit; sed id quoque remisit, cum id esse videret densius et elegantius. Perpetuo enim usus est vilibus et minimi pretii vestibus. Adeo autem existimavit paupertatem esse quovis regno magis expetendam, ut nec necessarium quidem semper haberet nutrimentum. Scio enim me sæpe venisse, et benedictionem petiisse, neque aliquid aliud invenisse quam solas duas caricas. Hujus mel, et iis qui vident est valde expetendum, et iis qui audiunt suave et maxime jucundum. Nullum enim vidi hominem, ne ex iis quidem qui sunt faceti et dicaces, B qui ulla unquam reprehensionis labe eum aspersei it; sed omnes eum et prædicant et celebrant, et ad ipsum venientes minime volunt recedere.

CAPUT XXV.

ASCLEPIUS, ET JACOBUS EREMITA (65).

Hujus ordinis est admirabilis quoque Asclepius, qui abest quidem decem stadiis, idem autem vitæ institutum est æmulatus. Est enim ei idem et cibus, et vestis, et morum moderatio, in hospitesque et in fratres charitas, lenitasque et mansuetudo, et cum Deo conversatio, et summa paupertas, et maximæ virtutis copiæ, et opes philosophiæ, et alia omnia quæ de illo sacro capite recensuimus. Dicunt autem, eum quoque cum esset in numero fratrum qui in vico habitant, monasticam et temperatam vitam fuisse C amplexum, nec ex multorum congressu ullam contraxisse maculam. Cum ergo in utraque vita, nempe et civili et solitaria, se egregie gesserit, duplicibus quoque coronis merito dignabitur.

Porro autem multi quoque alii sunt horum æmulati virtutem: et plena est non nostra solum, sed etiam vicinæ civitates et pagi, tali philosophia. Est autem unus ex his divinus quoque Jacobus, in quadam **848** domuncula inclusus juxta vicum qui dicitur Duzan. Qui cum sit etiam in ipso vitæ termino (est enim plusquam nonaginta annos natus) inclusus est solus, et per quamdam modicam fossam, instar incurvæ lineæ factam, responsa quidem reddit, sed non videtur; et neque igne utitur, neque lumine lucernæ. Me quidem bis perfosso ostio jussit admitti, hoc me honore D afficiens, et quam mihi bene velit ostendens.

Atque ii quidem qui adhuc superstites, scriptis meis non indigent; possunt enim, si velint, ipsi eorum contemplari philosophiam. Posteris autem et qui hoc non videre spectaculum, hæc quoque ad usum sufficiunt, ut quæ philosophiæ ostendant characterem. Hic ergo, et de his absoluta oratione, et benedictionis postulata remuneratione, ad aliam transibo narrationem.

CAPUT XXVI.

SIMEONES (66).

Simeonem illum insignem, magnum illud orbis terrarum miraculum, sciunt quidem omnes qui parent imperio Romanorum; norunt autem Persæ quo-

que et Indi, et Æthiopes; quin etiam ad Scythas A usque nomadas fama pervadens, ejus in laboribus subeundis diligentiam docuit et philosophiam. Ego autem etiam cum omnes, ut semel dicam, homines testes habeam, vereor narrare certamina quæ omnem superant orationem, ne posteris videatur fabula nuda ab omni veritate. Quæ enim fiunt, humana sunt natura superiora, solent autem homines natura metiri ea quæ dicuntur. Si quid autem dicatur quod ejus excedat limites, falsa videtur oratio iis qui non sunt divinis initiati mysteriis. Quoniam autem piis et vera religione præditis terra et mare plena sunt, et qui in rebus divinis sunt eruditi, et sanctissimi Spiritus gratiam accepere, tantum abest ut non credant iis quæ dicenda sunt, ut iis etiam magnam fidem sint habituri: prompto et alacri animo accedam ad narrationem. Illinc autem incipiam unde etiam superna dignatus est vocatione.

Est quidam vicus situs in confinio nostræ regionis et Cilicum, eum autem Sesam nominant. Ex hoc ortus, primo a parentibus docebatur oves pascere, ut in hoc conferri possit cum magnis viris, Jacob patriarcha, Joseph temperante, et Moyse legislatore, et David rege et propheta, et Michæa propheta, et viris divinis qui illis fuere similes. Cum aliquando autem plurimum ninxisset [1], et coactæ essent oves intus manere, facta ei potestate quiescendi, ad templum divinum venit cum parentibus. Hæc autem narrantem audivi sanctam linguam. Dicebat ergo se vocem audivisse evangelicam, quæ eos quidem qui flent et lugent beatos pronuntiat, miseros autem vocat eos qui rident, et eos nominat felices qui sunt mundo corde præditi, et alia quæ sunt his connexa (*Matth.* v). Deinde ex iis qui aderant interrogasse quempiam quidnam fecerit aliquis ut horum unumquodque consequatur? eum autem illi vitam retulisse solitariam, et summam illam ostendisse philosophiam.

Cum ergo verbi divini hæc suscepisset semina, et profundis animæ sulcis ea pulchre occuluisset, dicebat se ivisse in proximam ædem sanctorum martyrum; in ea autem et genua et frontem in solo defixisse, et eum rogasse qui vult omnes homines salvos facere (*I Tim.* II), ut eum deducat ad viam perfectam pietatis et veræ religionis. Cum autem hoc modo diu esset moratus, dulcem quidem somnum quemdam sibi obrepsisse, tale autem vidisse somnium: Mihi, inquit, videbar fodere fundamenta; deinde audire aliquem astantem, quod me oporteat fossam facere profundiorem. Cum itaque adjecissem ut jussit altitudinem, rursus tentabam quiescere; sed me quoque rursus jubebat fodere, et non cessare a labore. Cum autem hoc mihi ter et quater præcepisset facere, tandem dixit eam sufficere altitudinem, et jussit ædificare deinceps nullo labore, utpote quod cum cessasset labor, futura quoque esset ædificatio citra laborem. Huic prædictioni res ferunt testimonium. Ea enim quæ fiunt humanam naturam excedunt.

Cum illinc surrexisset, ad propinquorum quorumdam monachorum venit habitaculum. Duobus autem annis cum illis versatus, et perfectioris virtutis amore captus, venit ad vicum illum Teledam, cujus prius quoque meminimus, apud quem magni et divini viri Ammianus et Eusebius palæstram fecere monasticam. Sed non venit in hanc divinus Simeones, sed in aliam quæ ex hac germinavit: Eusebonas enim et Abiton (67) cum magni Eusebii doctrinam satis percepissent, hoc philosophiæ ædificavere gymnasium. Cum itaque toto vitæ tempore fuissent et animis concordes et moribus, et veluti unam animam ostendissent in duobus corporibus, multos habuerunt qui ejusdem vitæ tenebantur amore.

Cum ii autem ex hac vita gloriose excessissent, Heliodorus (68) admirandus suorum sodalium accepit B præfecturam: qui cum vixisset sexaginta et quinque annos, sexaginta et duos annos intus inclusus transegit. Cum enim tres annos apud suos parentes fuisset **849** educatus, hunc gregem est ingressus, cum nihil unquam aspexisset eorum quæ fiunt in mundo. Dicebat autem se ne ipsam quidem nosse formam porcorum, vel gallorum, vel aliorum hujusmodi. Eum ego sæpe vidi, et simplicitatem morum sum admiratus, et ejus animi puritatem sum mirum in modum amplexus.

Cum ad hunc venisset hic præstantissimus pietatis athleta, decem quidem annos perpetuos decertavit. Cum autem haberet octoginta ejusdem certaminis socios, omnes longo intervallo superavit. Et cum alii post duorum dierum spatium vescerentur, ipse totam C hebdomadam permanebat jejunus, ægre ferentibus præsidibus, et cum eo contendentibus, et ordinis perturbationem eam rem vocantibus, iis tamen quæ dicebantur non persuadentibus, nec animi alacritatem refrenare valentibus.

Audivi autem illum ipsum narrantem qui nunc est hujus gregis præfectus, quod cum aliquando funem contextum ex palmis (est autem is asperrimus) sumpsisset, et manibus astrinxisset, eo lumbos succinxit, non apponens extrinsecus, sed ipsi pelli applicans; et tam arcte compressit, ut tota illa pars cui fuerat impositus, circumcirca exulceraretur. Postquam autem plus quam decem dies hoc modo transegisset, et ulcus quod incrudescebat guttas sanguinis emitteret, rogavit quidam qui hoc viderat quænam esset causa sanguinis. Cum is autem diceret nihil D esse quod ei afferret molestiam, ejus socius per vim et manum immisit, et causam didicit, et eam præfecto renuntiavit. Mox ergo increpans, et rogans, et rei crudelitatem reprehendens, vix illi solvit vinculum, sed nec sic persuasit ut illi ulceri ullam adhiberet medicinam. Porro autem cum eum viderent facere alia ejusmodi, jusserunt ut ab illa palæstra recederet, ne iis qui erant corpore imbecilliori, ea quæ essent supra vires æmulari conantibus, damni causa fieret.

Egressus ergo cum venisset ad montis loca magis solitaria, et quemdam sine aqua lacum non valde profundum invenisset, in eum seipsum demisit, et

[1] Male impressum ante, *navigasset*.

in eo Deo offerebat hymnodiam. Pœnitentia autem ducti illius palæstræ præfecti, duos quosdam emiserunt, permittentes ut eum quærerent et ducerent. Cum itaque ii montem circuissent, rogarunt quosdam qui illic pascebant pecora an vidissent aliquem tali colore præditum, et sic vestitum. Ubi autem lacum pastores ostenderunt, valde quidem statim exclamaverunt, fune autem allato, eum cum magno labore extraxerunt; non est enim æque facilis ascensus atque descensus.

Cum itaque parvo tempore apud illos esset moratus, venit in vicum Telanessum, subjectum cacumini montis in quo nunc degit. In eo cum parvam invenisset domunculam, tres annos transegit inclusus:

Cum autem contenderet virtutis augere divitias, desideravit similiter ac divini homines Moyses et Elias, jejunus permanere quadraginta diebus; et admirabili Basso conatur persuadere, qui tunc multos obiit vicos, ut qui præesset iis qui erant in pagis sacerdotibus, ut nihil quidem intus relinquat, luto autem ostium obstruat. Cum is autem rei referret difficultatem, et moneret ne violentam mortem existimaret esse virtutem, est enim id crimen et maximum et primum: At tu, inquit, o Pater, repone mihi decem panes, et hydriam aquæ, et si videro corpus egere alimento, ero eorum particeps. Factum est ut jussit; et illa quidem fuerunt reposita, ostium autem luto est obductum. Finitis autem diebus, venit quidem ille admirandus et homo Dei Bassus: amoto autem luto, ostium ingressus, invenit quidem panum numerum; invenit autem urnam quoque aqua plenam, ipsum autem jacentem, nec spirantem, et nec loqui nec moveri potentem. Spongia ergo petita, cum os ea humectasset et eluisset, ei obtulit divinorum Sacramentorum symbola: et sic per hæc confirmatus, surrexit, et modicum cibi sumpsit, lactucas, et intybum, et his similia paulatim mandens, et ad ventriculum transmittens.

Obstupefactus itaque magnus ille Bassus, venit ad suum gregem, magnum hoc narrans miraculum. Habebat enim plus quam ducentos sodales cum nec eis jumentum habere nec molam permisisset, neque aurum ab aliquo oblatum accipere, neque aliquem extra fores egredi, aut aliquid ex necessariis empturum, aut aliquem ex suis notis visurum; sed intus agere, et quod a divina gratia mittebatur alimentum accipere. Hanc legem in hodiernum usque diem servant sodales, et quamvis creverit eorum numerus, mandata quæ eis data sunt non transilierunt. Ego autem ad magnum transibo Simeonem.

Ab illo ergo tempore usque in hodiernum diem (jam autem prætererunt viginti et octo anni) manet jejunus quadraginta dies. Tempus autem et assuefactio multum detraxit de labore, solebat enim primis diebus stare et Deum laudare; deinde cum propter inediam non posset amplius corpus pati stationem, deinceps sedere et divinum peragere officium, postremis autem **850** diebus etiam accumbere. Nam cum paulatim consumerentur et extinguerentur

A vires, cogebatur jacere semimortuus. Postquam autem stetit in columna, non inducebat quidem in animum ut descenderet, sed alia ratione excogitavit ut staret. Nam cum trabem quamdam columnæ alligasset, et seipsum rursus funibus trabi adaptasset, sic quadraginta dies perpetuos transegit. Post hæc autem cum majorem deinceps a superis gratiam accepisset, ne hoc quidem opus habuit auxilio: sed stetit quadraginta dies, cibum quidem non sumens, sed alacritate animi et divina gratia confirmatus.

Cum hos ergo tres perpetuos, ut dixi, annos in illa transegisset domuncula, ad hoc tantopere sermonibus jactatum et celebratum venit cacumen; et cum septum circumcirca fieri mandasset, ferream autem catenam viginti cubitorum comparasset, et ejus

B unum quidem initium cuidam petræ maximæ appendisset, alterum autem dextero pedi adaptasset, ut nec si vellet quidem, abiret extra eos limites, in eo degit, cœlum assidue visione apprehendens, et ut ea quæ sunt supra cœlos contemplaretur sibi vim afferens; mentis enim volatum non impediebat ferri vinculum. Postquam autem Meletius (69) ille admirabilis, cui tunc mandata erat cura episcopatus regionis Antiochenæ civitatis, vir cordatus, et prudentia clarus, et ingenii solertia ornatus, supervacaneum dixit esse ferrum, cum sufficiat mens ad corpori imponenda rationis vincula, cessit quidem, et ejus paruit suasioni. Cum autem æris fabrum accersiri jussisset, præcepit solvi vinculum. Cum autem tibiæ quoque adaptata esset pellis, ne corpus læderetur a ferro, et oporteret eam (fuerat enim consuta)

C disrumpi, dixerunt se vidisse plus quam viginti maximos cimices, in ea tanquam in caverna delitescentes; et hoc se dicebat vidisse admirandus Meletius. Ego autem hujus memini, hinc quoque ostendens magnam viri tolerantiam; nam cum posset pellem manu comprimere, et omnes facile interimere, molestos morsus toleranter passus est. in parvis se lubenter ad majora exercens.

Cum ergo pervolaret fama in omnes regiones, concurrebant omnes, non solum vicini, sed qui etiam multorum dierum itinere aberant; alii quidem paralyticos afferentes, alii vero ægris sanitatem petentes, alii autem ut patres fierent rogantes, et quod a natura non acceperant, ab illo volebant accipere; cumque

D acciperent, et quæ postulabant impetrarent, læti quidem redibant quæ autem erant consecuti beneficia prædicantes, longe plures eadem petituros emittebant. Sic autem omnibus undique advenientibus, et per totam viam instar fluminis affluentibus, videre est pelagus hominum in illo loco constitutum, quod fluvios undequaque excipit. Non solum enim confluunt qui nostram habitant regionem, sed et Ismaelitæ, et Persæ, et Armenii qui sunt eis subjecti, et Iberes, et Homeritæ, et qui illis sunt interiores. Venerunt autem multi quoque qui habitant extrema Occidentis, Hispani, inquam, et Britanni, et Galli, qui quod est intermedium occupant. De Italia enim supervacaneum est dicere; aiunt enim Romæ, quæ est longe

maxima, eum fuisse adeo omnium sermone celebratum, ut in officinarum omnibus vestibulis et porticibus ei parvas posuerint imagines (70), hinc sibi præsidium et tutelam parantes.

Cum ergo venirent innumerabiles (conabantur autem omnes contrectare, et ex pelliceis illis vestibus aliquam percipere benedictionem), primum quidem absurdum et alienum existimans tam insignem sibi haberi honorem, deinde etiam rem ægre ferens, ut nimis laboriosam, machinatus est illam in columna stationem: primum quidem jubens ædificari sex cubitorum, deinde duodecim, postea autem viginti duorum, nunc autem sex et triginta [1]. Cupit enim in cœlum evolare, et ab hac terrena liberari conversatione.

Ego autem nec absque divino consilio existimo hanc factam fuisse stationem. Quamobrem eos hortor qui reprehendendi studio delectantur, ut linguam suam refrenent, et non temere eam ferri permittant, sed potius considerent quod sæpe talia machinatus est Dominus ut eis prodesset qui sunt socordiores. Etenim jussit Isaiam ambulare nudum et nudis pedibus (*Isai.* xx); Jeremiam lumbis cingulum circumponere, et sic incredulis offerre prophetiam (*Jerem.* xiii), et aliquando etiam lignea collaria et ferrum collo imponere (*Jerem.* xxvii); quinetiam Osee quoque uxorem accipere fornicariam, et rursus amare mulierem fornicariam et adulteram (*Osee* i); et Ezechieli super dexterum latus cubare quadraginta dies, et super sinistrum centum et quinquaginta (*Ezech.* iv), et rursus murum perfodere, et fugientem exire, et sibi describere captivitatem (*Ezech.* xii); quinetiam ensem aliquando acuere, et eo caput radere, et in quatuor partes capillos dividere, et alios quidem huic, alios vero illi distribuere (*Ezech.* v), ne omnia recenseam. Unumquodque autem horum jussit fieri Rector universorum, eos qui sermoni non parebant, nec ut prophetias audirent in animum inducebant, admirabilitate spectaculi colligens et ut divina **851** responsa audirent, efficiens. Quis enim non obstupuit, cum videret divinum hominem nudum ingredientem (71)? Quis autem non desideravit scire causam cur hoc fieret? Quis autem non est percontatus cur fornicariam propheta secum habitare pateretur.

Quomodo ergo universorum Deus jussit illorum unumquodque fieri, curam gerens eorum qui ignave et socorditer vivebant; ita etiam hoc novum et admirabile procuravit spectaculum, rei novitate et admirabilitate omnes trahens ad spectandum, et efficiens ut advenientibus credibilis exhiberetur admonitio. Novitas enim spectaculi est pignus sufficiens doctrinæ; et qui venit ad spectaculum, cum res divinas doctus fuerit recedit. Et quemadmodum ii quibus obtigit ut essent reges hominum, post aliquam temporis conversionem mutant imagines nummorum; aliquando quidem leonum exprimentes imagines, aliquando autem stellarum, et aliquando angelorum, novo charactere tentantes aurum reddere pretiosius: ita etiam summus Rex universorum, veluti quasdam figuras ac characteres, hæc nova et multiplicia vivendi instituta, pietati veræque religioni adjiciens, non solum fidei alumnorum, sed eorum qui laborant morbo incredulitatis, ad laudandum linguas excitat. Et quod ita se habeat, non solum verba testantur, sed etiam res ipsæ clamant. Ismaelitarum enim millia innumerabilia, quæ impietatis serviebant caligini, illa in columna illuminavit statio. Nam veluti super candelabrum aliquod posita hæc lucerna lucidissima, solis instar emisit circumquaque radios; et est, ut dixi, videre Iberos venientes, et Persas, et Armenios, et divinum baptismum accipientes. Ismaelitæ autem turmatim venientes, duceni simul et treceni et nonnunquam etiam mille; errorem quidem patrium negant cum clamore: quæ autem illi coluerant simulacra, ante magnum illud lumen conterentes, et Veneris Orgiis renuntiantes (ab alto enim repetitis temporibus acceperant cultum hujus dæmonis) divina percipiunt sacramenta; leges accipientes a divina illa lingua, et patrios ritus valere jubentes, asinorumque agrestium et camelorum esum abnegantes. Eosque ego et vidi et audivi et patriam impietatem abnegantes, et doctrinæ evangelicæ assentientes.

Semel autem maximum adii periculum; ipse enim eis dixit ut ad me accederent, et sacerdotalem acciperent benedictionem, dicens fore ut magnum hinc fructum perciperent. Cum illi autem paulo magis barbarice concurrissent, alii quidem ante trahebant, alii vero pone, alii autem ex obliquo: qui autem aliis aberant longius, irruentes, et manus protendentes, alii quidem barbam vellebant, alii vero vestes apprehendebant; et a vehementiori illorum aditu fuissem suffocatus, nisi ille clamorem edens, omnes dispersisset. Talem, quæ a dicacibus irridetur hominibus, columna effudit utilitatem, et tantum emisit radium Dei cognitionis in mentes barbarorum.

Scio etiam aliud ab eo fuisse factum ejusmodi. Obsecrabat una tribus divinum hominem, ut deprecationem quamdam et benedictionem emitteret suæ tribus præfecto: alia autem quæ aderat tribus contradicebat, dicens non oportere illi emitti benedictionem, sed ei qui præest suæ tribui; illum enim esse injustissimum, hunc vero alienum ab injustitia. Cum autem inter eos magna fuisset contentio, et barbarica decertatio, tandem in se invicem irruerunt. Ego autem prolixa usus oratione, suadebam ut quiescerent; utpote quod vir divinus sufficeret ad dandam et huic et illi benedictionem. Sed hi quoque dicebant non oportere illum hanc assequi, et illi ea alterum privare conabantur. Cum eis autem desuper esset minatus, et eos canes vocasset, vix sedavit contentionem. Hæc autem dixi, volens ostendere quanta esset eorum animi fides. Non enim sic inter se insaniissent, nisi divini viri benedictionem credidissent maximam habere virtutem.

Vidi autem aliud quoque miraculum quod fuit valde celebratum. Quidam enim ingressus (erat

[1] Cedrenus hæc habet verbo tenus, anno 52 Theodosii.

autem is quoque Saracenorum unius tribus præfectus) supplex petebat a divino capite ut cuidam opem ferret, cui in via erant paralysi soluta membra corporis. Dicebat autem eum morbum ei accidisse in Callinico (est autem id castellum maximum). Cum is itaque fuisset allatus in medium, effecit ut negaret impietatem majorum. Ubi autem lubenter obediit, et quod jussus fuerat implevit, rogavit an crederet Patri, et unigenito Filio, et sancto Spiritui. Cum is autem se confessus esset credere: His, inquit, credens appellationibus, surge. Postquam autem surrexit, jussit ut tribus præfectum suis ferret humeris usque ad ipsum tabernaculum (habuit autem corpus maximum), et ille quidem eo accepto, statim abiit. Qui autem aderant, ad Dei laudes linguas moverunt. Hoc autem jussit, Dominum imitans, qui jussit paralytico ferre lectum (*Matth.* IX). Dei imitationem nemo vocet tyrannidem. Est enim vox ejus : Qui credit in me, opera quæ ego facio ille quoque faciet, et majora his faciet (*Joan.* XIV). Etenim hujus **852** promissi eventum vidimus. Nam cum umbra Domini nunquam fecerit miraculum, magni Petri umbra et mortem fregit, et morbos exegit, et fugavit dæmones. Sed Dominus et hæc per suos servos fecit miracula; et nunc quoque similiter ejus utens appellatione, divinus Simeones innumerabilia efficit miracula.

Accidit enim ut aliud quoque fieret miraculum, priore minime inferius. Ex iis enim qui in nomen salutare Domini Christi crediderant, quidam Ismaelita non obscuro loco natus, Deo votum fecerat, hoc divino viro teste. Pollicitus autem erat, futurum ut se deinceps perpetuo abstineret ab esu cujusvis animati. Hoc promissum nescio quomodo quodam tempore transgressus, occisam avem ausus est comedere. Cum Deus autem per increpationem eum ad conversionem voluisset deducere, et suum famulum honorare, qui fuerat testis promissi quod is fuerat transgressus, mutata est in lapidis naturam caro avis, adeo ut nec si vellet quidem, deinceps eo vesci posset. Quomodo enim potuisset, cum lapiduisset quod ad cibum sumptum fuerat corpus? Hoc admirando et incredibili spectaculo obstupefactus barbarus, ad sanctum venit quam celerrime, quod erat occultum peccatum in lucem proferens, et suam transgressionem omnibus enuntians, et delicti a Deo petens veniam, et sancti auxilium invocans, ut omnipotentibus suis precibus ipsum peccati vinculum exsolveret. Multi autem id videre miraculum, qui avis partem ex osse et lapide constantem viderunt in ejus pectore.

Non solum autem fui spectator miraculorum, sed etiam auditor eorum quæ prædicta sunt futura. Etenim eam quæ fuit siccitatem, et magnam illius anni sterilitatem, et eam quæ consecuta est simul famem et pestem, duobus annis ante prædixit, dicens se prævidisse virgam quæ infligitur hominibus, et flagella quæ per eam intentantur. Porro autem alias quoque significavit irruptionem ejus qui bruchus seu eruca dicitur, et eam non esse magnum detrimentum allaturam, cum divina clementia mox sequatur supplicium. Cum autem triginta dies præteriissent, innumerabilis quidem supra stetit multitudo, ut etiam radium dissecarent, et umbram offunderent; idque omnes plane et perfecte vidimus : solum autem dedit damnum bestiarum pascuis, cibum autem hominum nulla ex parte læsit.

Jam vero mihi quoque qui ab aliquo oppugnabar, significavit ante quindecim dies futurum belli finem : et prædictionis (72) veritatem didici experientia.

Quin etiam ei aliquando visæ sunt duæ virgæ quæ ferebantur quidem de cœlis, in terram autem Orientalem cadebant et Occidentalem. Hanc autem Persicæ et Scythicæ gentis in imperium Romanorum insurrectionem significavit vir divinus, et iis qui aderant effatus est visionem; multisque lacrymis et precibus assiduis repressit plagas, quarum intentabantur minæ in orbem terræ. Gens quidem certe Persarum jam armata, et parata ad Romanos invadendos, eis divina adversante voluntate, a cœpto est retardata, et intrinsecus in malis propriis occupata. Cum autem sciam plurima alia ejusmodi, ea prætermittam, orationis vitans prolixitatem : sufficiunt hæc quidem certe ad ostendendam spiritalem ejus mentis contemplationem.

Ejus quoque fuit magna fama apud regem Persarum : ut enim narrarunt legati qui ad ipsum venerunt, diligenter sciscitabatur quænam esset ejus vita, et quænam miracula. Dicunt autem ejus quoque conjugem, et petiisse oleum dignatum ejus benedictione et tanquam donum maximum accepisse. Quin etiam omnes regis asseclæ et a fama commoti, et multas in eum a magis adornatas accipientes calumnias, diligenter rogabant; et cum intellexissent, virum divinum nominabant. Cætera vero turba, et ad muliones accedentes et ad famulos et milites, et pecuniam offerebant, et rogabant ut essent participes olei benedictionis.

Ismaelitarum autem regina cum esset sterilis, et cuperet filios, primum quidem misso aliquo ex iis qui valebant dignitate et auctoritate, obsecravit ut mater fieret. Postquam autem assecuta est petitionem, et peperit ut cupiit, accepto rege qui natus fuerat, profecta est ad divinum senem; et quoniam non licebat mulieribus ad eum accedere, ad eum misso infante, rogavit ut consequeretur ejus benedictionem : Tuus enim, inquit, est hic actus (73). Ego enim obtuli cum lacrymis semen orationis; tu autem semen effecisti manipulum, cum divinæ gratiæ imbrem attraxisses per deprecationem.

Sed quousque conor metiri altitudinem maris Atlantici (74)? Nam sicut eam non possunt homines dimetiri, ita narrationem exsuperant quæ ab illo fiunt quotidie. Ego autem ejus ante hæc omnia admiror tolerantiam ; noctu enim et interdiu ita stat, ut videatur ab omnibus. Ablatis enim foribus, et non minima parte ambitus dissoluta, proponitur omnibus spectaculum novum et admirabile : nunc **853** quidem stans longo tempore, nunc autem frequenter se

incurvans, et Deo offerens adorationem. Jam vero A multi quoque ex astantibus enumerant has adorationes. Semel autem quidam ex iis qui mecum erant, cum enumerasset mille et ducentas et quadraginta quatuor, deinde lapsus esset, destitit numerare. Semper autem se inclinans, prope digitos pedum frontem admovet. Nam cum venter semel in hebdomada alimentum accipiat, idque exiguum, quantum est divinorum sacramentorum participatio, dorso concedit ut facile inflectatur. Aiunt autem ei ex statione in altero pede enatum esse ulcus chironium, et illinc assidue plurimam excerni saniem. Sed nihil quod ei accidit, reprimit philosophiam; sed fert forti et generoso animo voluntaria et involuntaria, alacritate animi et hæc et illa superans.

Hoc autem ulcus coactus quoque est aliquando B alicui ostendere (75). Dicam autem causam. Venit ab Arabena quidam vir bonus, et honoratus Christi ministerio. Is cum ad illud pervenisset cacumen: Dic mihi, inquit, per ipsam veritatem, quæ hominum genus ad se convertit, esne homo, an natura incorporea? Cum autem qui aderant ægre ferrent interrogationem, omnes quidem jussit tacere; ad illum autem dixit: Cur hanc mihi proposuisti interrogationem? Cum autem dixisset: Quoniam omnes vulgo jactare audio, te neque comedere, nec dormire; utrumque autem est hominum proprium, nemo enim qui hac sit natura præditus vixerit absque alimento et somno. Ille autem jussit quidem scalas admoveri columnæ, illum autem ascendere: et primum quidem manus aspicere, deinde intra pelliceum illum C amictum manum mittere, et videre non solum pedes, sed etiam ulcus illud gravissimum. Cum autem homo vidisset, et admiratus esset ulceris magnitudinem, et ex eo didicisset quomodo sumat nutrimentum, illinc quidem descendit, ad me autem veniens narravit omnia.

In festis autem publicis aliam quoque ostendit tolerantiam. Nam post occasum solis, donec is rursus venerit ad horizontem occidentalem, manibus in cœlum extensis stat tota nocte (76), nec a somno delinitus, nec a labore superatus. In tantis autem laboribus, tantaque rerum gestarum magnitudine et miraculorum multitudine, est tanta morum modestia ac moderatione præditus, ac si sit dignitate postremus omnium hominum. Præter modestiam autem et D facilis ad eum patet aditus, et est affabilis et suavis; et respondet unicuique eorum qui loquuntur, sive sit opifex, sive mendicus, sive rusticus. A munifico autem et liberali Domino accepit etiam donum doctrinæ: et bis quotidie faciens admonitiones, irrigat aures eorum qui audiunt, pulchre admodum loquens, et divini spiritus exhibens disciplinam; et jubens in cœlum suspicere et evolare, et a terra discedere, et regnum quod exspectatur visione apprehendere, et gehennæ minas timere, et terrena contemnere, et futura exspectare. Licet autem eum quoque videre judicantem, et rectas et justas ferentem sententias. Hæc autem et quæ sunt hujusmodi, fiunt post horam nonam. Totam enim noctem et diem usque ad nonam orat perpetuo. Post nonam autem, primum quidem divinam doctrinam exhibet præsentibus; deinde, audita uniuscujusque petitione, cum aliquas fecerit curationes, componit lites eorum inter quos est controversia. Circa occasum autem solis deinceps incipit convenire Dominum. Sed quamvis in his versetur, et hæc omnia faciat, nec sanctarum ecclesiarum curam abjicit et providentiam, aliquando quidem pugnans cum impietate gentium, aliquando autem frangens Judæorum audaciam (77), aliquando autem fundens ac profligans turmas hæreticorum, et aliquando quidem de his scribens ad imperatorem, aliquando autem præsides ac magistratus ad divinum zelum excitans, aliquando autem ipsis quoque ecclesiarum pastoribus majorem gregis curam gerere præcipiens.

Hæc autem sum persecutus, ex gutta conatus ostendere pluviam (78), et iis qui hæc scripta legerint, tanquam indice gustandam præbere mellis dulcedinem. Quæ autem decantantur ac celebrantur ab omnibus, ea sunt iis longe plura. Sed non sum omnia scribere pollicitus, sed paucis ejus vitæ instituti ostendere formam et characterem. Conscribent autem, ut est consentaneum, alii quoque his longe plura.

Cum post hæc autem diu vixisset (79), et multis miraculis et laboribus, ardoreque solis, et hiberna glacie, et vehementibus ventorum insultibus, et humanæ naturæ imbecillitate, solus ex omnibus qui unquam fuerunt mansisset inexpugnabilis, postquam eum deinceps oportuit esse cum Christo, et immensorum certaminum coronas accipere, quod homo quidem esset, morte confirmavit iis qui non credebant: mansit autem etiam post mortem immobilis; et in cœlum quidem anima pervenerat, corpus autem ne sic quidem cadere sustinuit; sed **854** rectum stetit in loco certaminum, tanquam invictus athleta, nulla parte membrorum volens terram tangere. Sic Christi athletis manet etiam post mortem cum eis simul versans victoria.

Variorum certe morborum curationes, et miracula, et divinarum virtus operationum, sicut quando erat superstes, ita nunc quoque fiunt, non solum apud loculos sanctarum reliquiarum, sed etiam apud summæ ejus virtutis et diuturnæ decertationis monimentum; magnam, inquam, illam et celebratam columnam hujus justi et laudibus celebrandi Simeonis.

Cujus sanctis intercessionibus cupio ut ego adjutus, in his sanctis perseverem laboribus: Deumque precor qui est communis ornatus, et est splendor pietatis et veræ religionis, ut et mea vita corrigatur, et ad evangelicam vitæ formam dirigatur.

CAPUT XXVII.

BARADATUS (80).

Et communis hominum hostis invenit multas vias vitii, universam humanam naturam studens penitus perdere; et pietatis veræque religionis alumni mul-

tas et diversas excogitavere scalas quibus in cœlum A ascenderetur. Alii quidem per classes decertantes (sunt autem hi cœtus innumerabiles) incorruptis fruuntur coronis, et desideratum ascensum consequuntur. Alii autem vitam amplectentes monasticam, et cum Deo solum loqui meditantes, et nullam consolationem humanam participantes, sic victores publice renuntiantur. Alii autem in tabernaculis, et alii in tuguriis degentes, Deum laudibus celebrant. Alii vero amplectuntur vitam in antris et speluncis. Multi autem, ex quibus aliquorum meminimus, non antrum, non tabernaculum, non speluncam, non tugurium habere decreverunt, sed nudo aeri sua corpora mandantes, contrarias qualitates tolerant, aliquando quidem summo gelu concreti, aliquando autem igne radiorum exusti. Jam vero eorum quoque rursus est B vita diversa. Nam alii quidem stant assidue, alii vero in sessionem et stationem diem dividunt; et alii quidem septis quibusdam inclusi, fugiunt multorum congressionem; alii vero nullo hujusmodi utentes tegumento, propositi sunt omnibus qui eos volunt contemplari. Unumquodque autem horum in præsentia necesse habui persequi cum admirabilis Baradati vellem vitam conscribere. Is enim excogitavit novas rationes exercendæ tolerantiæ.

Nam cum primum quidem longo tempore se inclusisset in domuncula, sola divina fruebatur contemplatione. Illinc cum rupem occupasset imminentem, et parvam quamdam arcam, nec justa quidem symmetria corpori congruentem, ex lignis construxisset, in ea vitam degebat, deorsum assidue incurvari coactus. Non habebat enim altitudinem ejus C longitudini justa proportione convenientem. Non erat autem ea compacta asseribus, sed erat aperta similiter atque cancelli; et erat similis fenestris quæ latiores habent ingressus luminis. Quocirca nec a pluviæ erat impetu libera, nec erat tecta a flamma solis: sed utraque non minus admittebat quam alia quæ sunt sub divo; in hoc autem solo ea superabat, quod accederet labor inclusionis.

Cum autem longum tempus hoc modo transegisset, postea egressus est, cedens precibus divini Theodoti, cui obtigerat pontificalis sedes Antiochena. Stat autem assidue manus in cœlum extendens, et universorum Deum laudans: totum corpus tunica pellicea contegens: circa nasum autem solum et os, D reliquit modicum ingressum spiritui, ut respiret, communem aerem excipiens, quoniam humana natura non posset aliter vivere: omnem autem eum laborem sustinet, cum non sit corpore valde robusto, sed valetudinario et multis morbis obnoxio. Fervens autem animi alacritas, et divino amore incensa cogit ut laboret qui non potest laborare.

Jam vero sapientia quoque et intelligentia ornatus, optime et interrogat et respondet, et ratiocinatur nonnunquam melius et potentius iis qui Aristotelicos legere labyrinthos. Cum sit autem in ipso summo virtutis fastigio, non sinit ut arrogantia simul efferatur spiritus, sed jubet eum deorsum repere circa ipsum latus montis. Sic enim quantum sibi damnum mens conciliat quæ tumet et ardet insolentia. Hæc est in summa ejus philosophia.

Cui concedatur ut crescendo possit metam cursus attingere. Est enim communis piorum lætitia, horum qui victoria potiti sunt gloria. Mihi autem detur ut eorum suffultus precibus, non sim procul ab hoc monte: sed paulatim conscendam, et me eorum contemplationis voluptate expleam.

CAPUT XXVIII.

THALELÆUS (81).

Neque Thalelæi silebo narrationem, est enim plenum miraculo spectaculum. Non solum autem alios audivi narrantes, sed etiam ipse vidi admirabile et præter opinionem spectaculum. Nam cum viginti stadiis procul a Gabalis (ea est autem urbs parva et elegans) tumulum quemdam occupasset, in quo erat templum dedicatum **855** dæmonibus, et quod ab iis qui jam erant antiquitus impii, multis honorabatur sacrificiis, parvum quoddam fixit tugurium. Sceleratos autem illos et exsecrandos perpetuo colebant, ut dicebant, magnam eorum crudelitatem cultu placare adnitentes. Multis enim perniciem afferebant, et iis qui accedebant, et iis qui erant vicini; nec solum hominibus, sed et asinis, et mulis, et bobus, et ovibus; non cum bestiis bellum gerentes, sed per eas quoque hominibus tendentes insidias.

Tunc ergo cum eum vidissent advenisse, perterrere quidem conabantur, sed non poterant, cum et eum muniret fides, et pro eo pugnaret gratia. Rabie itaque et furore repleti in eas quæ tunc illic plantatæ erant arbores fecerunt impetum; in illo autem tumulo multæ erant ficus et oleæ quæ florebant. Ex iis dicunt plus quam quingentas repente fuisse evulsas; audivique plures vicinos agrestes id narrantes, qui olim quidem detinebantur caligine impietatis, per ejus autem doctrinam et miracula acceperunt lucem Dei cognitionis. Quoniam autem cum hoc fecissent perniciosi et scelerati dæmones, non exterruerunt athletam philosophiæ, rursus in eum alias paravere machinas. Noctu enim ululantes, et lampades ostentantes, conabantur perterrefacere, et ejus rationem perturbare. Ubi autem risit omnes eorum insultus, eo postea relicto effugere.

Is autem cum duas rotas construxisset, quæ duorum cubitorum habebant diametrum, asseribus non inter se compactis, sed disjunctis et separatis, ambas rotas conjunxit. Deinde cum intus sedisset, et cuneis et clavis disjunctas illas confixisset tabulas, sub dio rotam appendit, tribus aliis altis lignis in terram defixis, et superioribus eorum initiis aliis lignis commissis, et in eorum medio duplici illa rota alligata, et sublime elata. Hujus autem spatium quidem quod est interius, habet quidem cubitorum duorum altitudinem, cubiti vero latitudinem. In eo sedens vel potius suspensus, annis jam fuit decem perpetuis. Cum autem corpus habeat maximum, neque sedens quidem potest collum erigere, sed semper sedet incurvatus, genibus habens affixam faciem.

A Ad eum cum venissem, inveni quidem eum ex Evangeliis colligentem utilitatem; eum autem interrogavi, cupiens scire causam illius novi vitæ instituti. Ille autem Græca lingua usus, erat enim Cilix genere: Ego, inquit, multis peccatis obnoxius, et credens suppliciis quorum minæ sunt intentatæ, hoc vitæ genus excogitavi, hoc agens ut castigetur corpus pœnis mediocribus, ut eripiar a magnitudine earum quæ exspectantur. Sunt enim illæ graviores non solum quantitate, sed etiam ipsa qualitate, sunt enim involuntariæ. Quod autem ab invito fit, id est valde molestum; quod autem est voluntarium, etiamsi sit laboriosum, minorem affert dolorem; sponte enim suscipitur, sed non labor violentus. Si his ergo, inquit, parvis molestiis minuero ea quæ exspectantur, hinc magnum lucrum referam. His auditis, ejus B ingenii solertiam valde sum admiratus, quod non solum jam facta septa transiliebat, sed etiam ex se alia excogitabat certamina; et quod non solum decertabat, sed eorum etiam causas sciebat, et alios docebat.

Jam vero multa quoque miracula per ejus preces fieri dixerunt accolæ, non solum hominibus, sed etiam camelis, et asinis, et mulis curationem per eum adipiscentibus. Hinc universa illa gens quæ impietate detinebatur, paternum quidem abnegavit errorem, divinæ autem lucis accepit splendorem. His utens administris, et templum dæmonum diruit, et maximam ædem excitavit victoria insignibus martyribus, iis qui dii falso nominabantur, divos opponens mortuos.

C Horum concedatur intercessionibus ut hic cum eadem victoria certaminum terminum occupet, et nos ab his et illo adjuti, simus vehementes amatores certaminum philosophiæ.

CAPUT XXIX.

MARANA ET CYRA (82).

Postquam optimorum et præstantissimorum virorum vitæ conscripsi institutum, operæ pretium existimo mulierum quoque meminisse, quæ non minus, si non etiam amplius, certaverunt. Eæ enim sunt digniores quæ laudentur, ut quibus quidem obtigerit natura imbecillior, eamdem autem quam viri ostendant animi alacritatem, et a prima parente accepto dedecore genus liberavere. Maranæ autem et Cyræ meminero in præsentia, quæ tolerantiæ certaminibus D omnes alias vicere.

His patria quidem est Berhœa, patriæ autem genus insigne, educatio autem generi conveniens. Sed, his omnibus contemptis, cum exiguum quemdam locum ante urbem comprehendissent, et intra eum fuissent, luto et lapidibus (83) ostium obstruxere. Famulas autem quæ ejusdem vitæ volebant esse participes, exstructo extra ambitum habitaculo, jusserunt in illo habitare. Ipsæ autem per quamdam parvam fenestram respiciunt ea quæ ab illis fiunt, et eas frequenter excitant ad orationem, et accendunt ad divinum amorem; ipsæ vero cum neque domum habeant, nec tugurium, sub dio sua sponte vitam agunt. Pro janua autem eis quædam parva exstructa est fenestra, per quam necessarium **858** alimentum accipiunt; et cum iis quæ ad ipsas veniunt colloquuntur mulieribus. Ad eam autem congressionem definitum est tempus Pentecostes, alio autem tempore vitam amplectuntur quietam: sola autem Marana loquitur cum advenientibus; alteram autem nemo audivit unquam loquentem. Ferrum autem gestant, et tantum onus ferunt, ut Cyra, cui corpus obtigit imbecillius, ad terram usque incurvetur, et corpus minime possit erigere. Habent autem vela maxima, ut retro quidem trahantur, et pedes omnino contegant, anterius autem usque ad ipsam zonam demittantur, vultum simul et collum, et pectus, et manus occultantia penitus.

Eas ego sæpe vidi, intra januam intromissus; jusserunt enim mihi aperiri, sacerdotii dignitatem honorantes. Vidi ergo illud ferri pondus quod nec a viro quidem forti et robusto ferri posset; et cum vehementer rogassem, tunc quidem auferre potui: postquam autem recessimus, id rursus suis membris imposuere, collo quidem collare, lumbis autem zonam, manibus autem et pedibus ea quæ sunt eis attributa. Hoc modo autem vivunt, non quinque solum vel decem solis transactis annis, sed quadraginta duobus. Et cum tanto tempore decertaverint, tanquam quæ nuper certamina attigerint, delectantur sudoribus. Visione enim apprehendentes sponsi pulchritudinem, facile ferunt cursus laborem, et properant pervenire ad finem certaminis: videntes in illo stare dilectum, et ostendentem coronam victoriæ. Ea de causa et imbris, et nivis, et solis excipientes impetum, non cruciatum nec dolorem sentiunt; sed ex iis quæ videntur molesta, animi gaudium percipiunt. Et divini Moysis æmulatæ jejunium, ter tanto tempore inediam sustinuere; quadraginta enim diebus exigui cibi fuere participes. Ter quoque divini Danielis a cibo abstinentiam sunt æmulatæ, tres dierum hebdomadas conficientes, et cibum corpori suppeditantes.

Cum autem aliquando desiderassent salutarium Christi passionum sancta loca contemplari, venerunt Æliam, cum in via nihil cibi sumpsissent. Sed postquam in illam urbem venerunt, et adorationem impleverunt, cibum sumpserunt, et reversæ sunt, rursus a jejuniis confecto itinere: est autem iter non pauciorum quam viginti dierum.

Quin etiam cum victoria insignis Theclæ cupiissent videre ædem quæ est in Isauria, ut dilectionis in Deum flammam undequaque accenderent, sic profectæ sunt, et reversæ sunt jejunæ. Tantum eas divinum amatorium fecit divino quodam furore debacchari: tantam divinus amor earum in sponsum concitavit insaniam.

Atque eæ quidem quæ tali vitæ instituto feminarum genus exornavere, ut quæ aliis fuerint exemplaria, coronabuntur a Domino coronis victricibus. Ego autem proposita quæ hinc percipitur utilitate, cum decerpsero benedictionem, ad aliam transibo narrationem.

CAPUT XXX.

DOMNINA (84).

Divini Maronis, cujus prius meminimus, vitam æmulata Domina admirabilis, in horto maternæ domus parvum quoddam fixit tugurium. Ei autem tugurium efficit panici stipula. Continuis autem lacrymis non solum rigat genas, sed etiam vestimenta ex pilis: talibus enim indumentis tegit corpus. Circa gallorum autem cantum ad divinum templum, quod non est procul, vadens cum aliis et feminis et viris, universorum Domino offert laudes. Hoc autem facit non solum die incipiente, sed etiam desinente; quovis alio loco locum Deo consecratum magis esse venerandum censens, et docens alios. Ea de causa et ejus magnam curam gessit, matri persuadens et fratribus ut facultates suas in id consumerent.

Habet autem nutrimentum lentem aqua madefactam. Omnem autem hunc laborem sustinet, cum sit plane exsiccato corpore et semimortuo. Pellis enim subtilissima, et quæ est instar membranæ, est ossibus tenuibus circumjecta, adipe et carne consumpta a laboribus. Proponitur autem omnibus eam videre volentibus, et viris et mulieribus, neque vultum aspiciens, neque alii vultum spectandum exhibens (85), sed amictu quidem penitus contecta, ad genua autem usque incurvata, valde gracili autem voce et non satis expressa loquens, et eam quoque semper cum lacrymis proferens. Sæpe enim cum meam dexteram sumpsisset, et oculis imposuisset, eam dimisit adeo madefactam, ut ex ipsa manu distillarent lacrymæ.

Eam ergo, cujus sunt tantæ opes philosophiæ, flentem, lamentantem, et ingemiscentem similiter atque eæ quæ sunt in extrema paupertate, quænam pro dignitate laudaverit oratio? Vehemens enim amor in Deum illas parit lacrymas, ad divinam inflammans contemplationem, et pungens aculeis, et urgens ad eum qui est hinc futurus excessum.

Porro autem quamvis in his diu noctuque versetur, ne aliorum quidem generum virtutis curam abjicit, sed pro viribus quidem curat optimos athletas, quorum meminimus, et quos prætermisimus. Curat autem eos quoque qui ad ipsam veniunt, jubens 857 quidem habitare apud vici pastorem, ipsa vero mittens omnia quæ sunt necessaria. Matris enim et fratrum facultates ei sunt propositæ ad sumptum faciendum, quæ per ipsum accipiunt benedictionem. Quinetiam mihi quoque venienti ad illam partem (est autem nostræ regioni ad Austrum) mittit et panem, et fructus, et lentem madefactam.

Sed quousque prolixa utor oratione, studens omnem ejus narrare virtutem, cum oporteat aliorum quoque proferre vitam, quæ imitatæ sunt et hanc et illas, quarum prius meminimus. Multæ enim aliæ partim quidem vitam amplexæ sunt solitariam, partim autem vivere amarunt cum pluribus, adeo ut ducentæ et quinquaginta, et plures, et pauciores simul vivant, uno cibo vescentes, super solas storeas ex instituto dormientes, et manus quidem lanæ attribuentes, hymnis vero linguam consecrantes. Sunt autem ejusmodi innumerabilia sapientiæ gymnasia non solum in nostra regione, sed etiam per totum Orientem. Iis autem plena est et Palæstina, et Ægyptus, et Asia, et Pontus, et tota Europa. Ex quo enim Christus Dominus honoravit virginitatem, ut qui natus sit ex virginitate, prata virginitatis natura germinavit, et hos suave olentes, et qui non marcescunt, flores offert Creatori: non virtutem in masculo et femina discernens, neo in duas differentias dividens philosophiam; est enim differentia corporum, sed non animorum. In Christo enim Jesu, ut ait divinus Apostolus, non est masculus et femina (*Galat.* III). Una autem mulieribus et viris est fides suppeditata. Unus enim Dominus, una fides, unum baptisma: unus Deus et Pater omnium, qui est super omnia, et per omnia, et in omnibus nobis (*Ephes.* IV). Quin etiam unum regnum cœlorum agonotheta proposuit victoribus, hoc commune præmium definiens certaminibus.

Sunt ergo, ut dixi, multæ et virorum et mulierum pietatis palæstræ non apud nos solum, sed etiam in universa Syria, et Palæstina, et Cilicia, et in ea quæ est media inter duos fluvios. In Ægypto autem dicunt etiam plus quam quinque millia virorum habere monasteria, qui operantur et interim Dominum laudant hymnisque celebrant; nec solum ex operibus necessarium alimentum comparant, sed etiam advenientibus hospitibus et egentibus opem ferunt.

Sed omnia narrare non solum ego, sed nec omnes scriptores potuerint; et ut maxime fieri posset, supervacaneum id esse existimo, et honoris cupiditatem quæ nihil habeat commodi. Iis enim qui volunt aliquam percipere utilitatem, sufficiunt ea quæ dicta sunt ad præbendum id quod desideratur.

Ideo enim et vitæ diversorum fecimus mentionem, et mulierum narrationes narrationibus virorum adjecimus, ut et senes, et juvenes, et mulieres philosophiæ habeant exemplaria; et unusquisque eam quæ sibi cordi est vitam exprimens, habeat suæ vitæ quamdam regulam et gnomonem, qui est situs in narratione: et quomodo pictores ad exemplar respicientes, et oculos imitantur, et nasum, et os, et genas, et aures, et frontem, et ipsos capitis et barbæ pilos, et ad hæc et sessionem et stationem; quin etiam ipsos oculorum intuitus, sive sint læti et alacres, sive severi et truces; ita etiam oportet unumquemque ex iis qui hæc scripta legunt, volentem vitam aliquam imitari, suam ad illam quam eligit componere. Et quomodo fabri asseres rubrica dirigentes, eo usque id quod est superfluum auferunt, donec apposita regula, viderint asserem esse æqualem; ita etiam eum qui velit vitam aliquam imitari, oportet eam sibi ipsi ponere pro regula, et vitii resecare superflua, et virtutis replere ea quæ desunt. Ea enim de causa scriptionis laborem suscepimus, utilitatis occasionem proponentes volentibus.

Rogo autem eos qui sunt lecturi, ut cum ex aliorum laboribus absque labore voluptatem capiunt, la-

labores suis compensent precibus. Eos quoque obsecro quorum vitam conscripsi, ne me despiciant procul degentem ab illorum spiritali chorea; sed trahant infra jacentem, et ad virtutis tollant altitudinem, et suo choro conjungant; ut non solum laudem alienas A divitias, sed ipse etiam habeam aliquam laudis occasionem, et facto, et verbo, et cogitatione glorificans Servatorem universorum; cum quo Patri gloria, cum sancto Spiritu, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

ROSWEYDI NOTATIO.

858 Adverte primo, librum hunc duos habuisse interpretes, Albericum Longum Salentinum, et Gentianum Hervetum. Vide dicta prolegomeno generali 14. Dedi hic Theodoreti Philotheum ex Hervetiana interpretatione, qui ea in vulgus notior, et impressa inter Opera ejus, quam etiam Laurentius *de la Barre* Historiæ Christianæ veterum Patrum, anno 1583 Parisiis editæ inseruit, notis quibusdam marginalibus illustratam.

Adverte secundo, librum hunc in tres partes dividi posse. Primo agit de patribus ante suam ætatem, a cap. 1 ad 21; secundo de iis qui sua ætate vixerunt, a cap. 21 ad 29; tertio de feminis illustribus, a c. 29 B ad finem, id est, duobus ultimis capp.

(1) *Delicias Sybariticas*]. Infra, cap. 5: ut qui Sybariticis fruerentur deliciis: De his vide Adagia.

(2) *Jacobus Nisibita.*] De eo Martyrologium Romanum 15 Julii, et Menologium Græcorum, 31 Octobris. De eo quoque in Menæis, tum 13 Januarii, tum 31 Octobris. Meminit etiam hujus Theodoretus, lib. II Eccl. hist., cap. 30, qui et ejusdem mentionem facit lib. I, cap. 7, ubi ait concilio Nicæno interfuisse, et mortuos excitasse. De quo miraculo et reliquis remittit ad suum hunc Philotheum. De hoc etiam Nicephorus lib. VIII, cap. 14, et lib. IX, cap. 28. Interfuit etiam concilio Antiocheno, ut habetur in Actis sancti Alexandri episcopi Constantinopolitani.

(3) *Puellæ.*] Nicephorus, lib. XV, cap. 22, quod huic Jacobo Nisibeno tribuendum erat, alteri juniori tribuit: quem etiam Nisibenum vocat, de quo infra Theodoret., cap. 22. Fors Nicephorus duos Nisibenos posuit, quia in Menæis bis Jacobus Nisibenus occurrit. Sed idem utrobique est, ut clarum fiet Menæa C consulenti. Nisi et iste junior etiam Nisibenus fuerit. Sane ita habetur in Catal. illustr. personarum, ad quas Leo imp. pro concil. Chalcedonensi scripsit. Vide tomum II Concil.

(4) *Jussit eum conteri et dispergi.*] Quod in Menæis est, τοῦτον συνέτριψε, Raderus noster vertit, et *judicem elisit*, referens τοῦτον ad δικαστὴν, non ad λίθον. Sed cum judex supervixerit, et sententiam mutaverit, clarum ex Theodoreto est, vertendum in Menæis, *eum lapidem contrivit*, scilicet sola exsecratione, ut præcessit. Καὶ δικαστὴν Πέρσην ἀδίκῳ ψήφῳ χρησάμενον θεασάμενος, λίθῳ τινὶ μεγίστῳ αὐτοῦ ποθ κειμένῳ ἐπαρασάμενος, τοῦτον συνέτριψε; « Judicem Persam conspicatus iniquas edere sententias, imprecatione lapidem qui ibi forte jacebat contrivit. »

(5) *Deo autem preces obtulit, tanquam pro mortuo.*] Hanc, opinor, Theodoretus historiam insinuat, lib. I, cap. 7; et Nicephorus, lib. VIII, cap. 14, de mortuorum D excitatione. Similem mortuum se simulantis stropham habet Sozomenus, lib. VII, cap. 26; et ex eo Cassiodorus, lib. IX, c. 48; Nicephorus, lib., XII, c. 46.

(6) *Constantinus autem.*] Vide Eusebium libris quatuor de Vita, et orat. de laudibus Constantini. Nicephorus, lib. VIII, cap. 55, scribit ad monumentum ejusdem varia edita miracula. Eunapius auctor Gentilis queritur ab eodem Constantino deorum delubra versa fuisse in monasteria.

(7) *Rursus ædificabant.*] Theodoretus, lib. II, cap. 30; Nicephorus, lib. IX, cap. 27, asserunt Jacobi precibus et adhortatione mœnia reædificata.

(8) *Nubem cyniphum et culicum.*] In Menæis, 13 Januar., est σκνιπῶν καὶ κωνώπων νέφη. Nicephorus, lib. IX, cap. 28; Theodoretus, lib. II Hist., cap. 30, et hic infra, c. 21, in alio Jacobo juniore, ubi habet *exercitum muscarum et culicum*

(9) *Vitam deposuit.*] Non recte Laurentius *de la Barre*, hoc loco asserit a Theodoreto huic Jacobo arcam sepulcralem curatam. Nam hoc alteri Jacobo anachoretæ fecit, ut ipse testatur infra in Philotheo, cap. 21, uti et Nicephorus, lib. XV, cap. 23, quod apud eum ex ratione temporum colligitur (licet et hunc posteriorem Jacobum etiam Nisibenum vocet), nam priorem Jacobum ait vixisse tempore Constantii, posteriorem tempore Leonis.

(10) *Julianus Sabas.*] Martyrologium Romanum, 14 Januarii: « In Syria sancti Juliani Sabæ senioris, qui, Valentis imp. tempore, fidem catholicam Antiochiæ pene collapsam virtute miraculorum erexit. » Non invenio hujus memoriam in Græcorum Menologio; de hoc Theodoretus, lib. III Hist., cap. 19, et lib. IV, cap. 25; Nicephorus, lib. XI, capite 25. Hunc sanctus Chrysostomus encomio celebrat hom. 21, in Epist. Pauli ad Ephesios.

(11) *Jacobus Persa.*] Monachus in Syria, qui vixit CIV annos, ut hic habetur, distinctus hic a Jacobo Persa cognomento *interciso*, qui martyr fuit, de quo 27 Novemb. in Menologio.

(12) *Magnum quoque Acacium.*] Berhææ episcopus, ut hic habetur. Theodoretus, lib. IV Hist., cap. 25, strenuum virtutis athletam nominat. Sozomenus, lib. VII, cap. 25; Nicephorus, lib. XI, cap. 25, et lib. XII, cap. 47.

(13) *Duos medimnos colligens.*] Medimnus, genus mensuræ aridorum. Vide Onomasticon.

(14) *Audivit vocem dicentem.*) Mors Juliani apostatæ significatur divinitus Didymo, et Juliano Sabæ. Nicephorus, lib. X, cap. 35.

859 (15) *Valens.*] De hujus persecutione adversus Ecclesiam Theodoretus, lib. IV Hist., cap. 22, et alii.

(16) *Asterio.*] In Editis erat *Acacio*, male. Reposui *Asterio*, ex sensu. Ita etiam Longus.

(17) *Asterium, qui in sophistica.*] Nicephorus, l. VIII, c. 53, meminit Asterii Sophistæ.

(18) *Marcianus.*] Martyrolog. Rom., 2 Nov.: « Cyri in Syria sancti Marciani confessoris. » Menologium Græcum eodem die: « Sancti Patris nostri Marciani, ex urbe Cyro, viri pietate insignis, qui egregie monasticam vitam exegit. » Menæa, eodem die, et 18 Jan. De hoc Theodoretus, lib. IV Hist., cap. 26; Nicephorus, l. XI, cap. 41.

(19) *Agapetus.*] Ob merita, Apameorum pontifex; Theodoretus, lib. V Hist., cap. 27.

(20) *Avitus.*] De hoc capiendus Suidas: Ἄβιτος, ὄνομα κύριον. Ἄβιτος τὴν ἀσκητικὴν καλύβην ἐπήξατο. « Avitus, nomen proprium. Avitus primus tugurium exercitationibus exercendis (ut in eo vitam solitariam degens exerceret) aptum exstruxit. » Omnino ex hoc Theodoreti loco desumptum. In Suida videtur deesse πρῶτος ante τὴν. Ita enim Theodoretus.

(21) *Mea causa hodie mutetur consuetudo.*] Jejunia quotidiana ex animi pietate suscepta quandoque hospitum adventu laudabiliter solvuntur. Cassianus, lib. V Instit., cap. 24, et collat. II, cap. 26.

(22) *Arii*, etc.] De hæresibus hujus temporis Epiphanius in Panario.

(23) *Primum Pascha peragere sustinuerat.*] De vario olim Pascha et quadragesimam observandi genere Nicephorus, lib. XII, cap. 33 et 34.

(24) *Eusebius.*] De eo Theodoretus, lib. IV Hist., cap. 26; Sozomenus, lib. VI, cap. 3; Nicephorus, lib. XI, cap. 41. De hoc, opinor, Menæa, 23 Januarii,

duobus versibus. Hujus mentio in Menæis, 2 Novemb. in Vita sancti Marciani.

(25) *Teled i.*] Vicus hic etiam occurrit infra, capite 26, in Simeone Stylita.

(26) *Cum Deo assidue colloqui.*] Id est, orare. Nam dum oramus, Deum alloquimur, cum sacras Scripturas legimus, Deus nobiscum loquitur; Chrysostomus, l. De orando Deum. Vita Barlaam et Josaphat, c. 29: « Per orationem cum Deo colloquimur. »

(27) *Marosas.*] De hoc Sozomenus, l. VI, c. 34; et Nicephorus, libro XI, cap. 41, quem male Barreus hic, ad cap. 16, cum *Marone* confundit.

(28) *Publius.*] Theodoretus, lib. IV Hist., cap. 26; Nicephorus, lib. XI, cap. 41; et Menolog. Græcorum, 4 Aprilis: « Commemoratio Publii, et Platonis abbatis monasterii Studitæ. » Nescio an hic noster Publius sit.

(29) *Simeones Priscus.*] De hoc Menæa, 26 Januarii, quæ vertit Raderus noster, part. I Viridarii Sanctorum; Theodoretus, l. IV Hist., cap. 26.

(30) *Palladius.*] Theodoretus, l. IV Hist., c. 26; Nicephorus, lib. XI, cap. 41.

(31) *Digito ostendebat homicidam.*] Sic fures miraculo comprehensi. Nicephorus, l. VIII, c. 42.

(32) *Aphraates.*] Theodoretus, lib. IV Histor., cap. 24; Nicephorus, lib. XI, cap. 25.

(33) *Secure per forum ingrederis.*] Licet monachis claustro egredi urgente ecclesiæ incommodo. Vide Nicephorum, l. XI, cap. 25, de Juliano et Aphraate, qui propter gregem Christi monasticam reliquere.

(34) *Petrus eremita.*] Theodoretus, lib. IV Hist., cap. 26; Nicephorus, l. XI, cap. 41.

(35) *Theodosius eremita.*] Memoria hujus est in Menæis, 11 Jan., quo et alterius dies natalis occurrit, qui *Cœnobiarcha* dicitur, hic vero *Antiochenus*. Non recte hic margini ascripserat Laurentius *de la Barre* Nicephorum; ille enim de altero Theodosio Cœnobiarcha agit qui junior est, et obiit tempore Justiniani imp.

(36) *Nunc autem parva prædia in saltu efficiens.*] Menæa, εἰργάζετο μικρὰς ἀρούρας ἐν τῇ νάπῃ. Longus: « Interdum hortulos in rupe pararet. » Certum terræ spatium est *arura*. Vide dicta ad Vitam sancti Antonii, cap. 2, n. 10, et Onomasticon.

(37) *Romanus.*] Theodoretus, l. IV, cap. 26; et Nicephorus, l. XI, cap. 41.

(38) *Zeno.*] Hic ipse est, cujus in Menæis memoria 10 Febr. De quo etiam Theodoretus, l. IV Histor., cap. 25; et Nicephorus, l. XI, cap. 41.

(39) *Desiderans videre.*] Vidit et Sozomenus lib. VII, cap. 27, annotat Barreus. Sed alius ille Zeno Majumanæ rector ecclesiæ.

(40) *Vixisset.*] Zenonem annos centum vixisse, testis oculatus est Sozomenus, ait supra Barreus. Sed labitur, alius iste, ut dixi, Zeno.

(41) *Macedonius Critophagus.*] Celebris hujus in Menæis Græcorum memoria, 24 Januar., quæ Latinitati donata habes parte I Viridarii Sanctorum apud nostrum Raderum. De eo Theodoretus, lib. V Hist., cap. 19; Nicephorus, lib. XII, cap. 43; Damascenus, adversus vitup. imag.

(42) *Mæsimas.*] In solis Menæis hujus mentionem invenio, 23 Jan., ubi Μαυσιμᾶς Σύρος, *Mausimas Syrus*, quæ e Græco vertit Raderus noster parte I Viridarii Sanctorum.

(43) *Malchum.*] Hujus etiam meminit Theodoretus, lib. IV Hist., c. 26, de quo forte Menæa, 23 Nov.

(44) *Acepsimas.*] Menolog. Græcor., 3 Nov.: « Natalis sancti Acepsimæ, qui sub Theodosio Magno cella se inclusit, in qua sexaginta annos transegit, neminem videns aut alloquens, sed sibi ipsi et Deo vacans omnem recreationem sentiebat. Multis vero editis miraculis in pace quievit. » De eo et Menæa eodem die fusius. Theodoretus, l. IV Hist., cap. 26; Nicephorus, lib. XI, cap. 41.

(45) *Maro.*] De hoc in Menæis Græcor., 14 Feb., qui post, cap. 24, dicitur *Marum*. De eo etiam (ait

A *de la Barre*) Sozomenus, l. VI, cap. 34, et Nicephorus, lib. XI, cap. 41, quibus *Marosas* dicitur. Sed diversus ille a Marone. Nam *Marosam* hic habes capite 4, in Eusebio.

(46) *Ex finitimis autem quidam vicus.*] Theodoretus hic, cap. 24: « Rogavit autem ut in eodem quoque sepulcro poneretur; sed non siverunt qui corpus illud sacrum diripuerunt. »

(47) *Abraames.*] Menæa, 14 Februarii gesta ejus perstringunt. De eo et Theodoretus, lib. IV Hist., cap. 26; Nicephorus, lib. XI, cap. 41.

(48) *Eusebius.*] De hoc Menæa, 15 Februarii. Theodoretus et Nicephorus loco jam citato. *De la Barre* hic margini ascribit, Sozomenus, lib. VI, c. 33. Sed ille de Eusebio agit, qui apud Carras vixit, hic vero de eo agitur apud Asicham.

(49) *Lapidibus ne luto quidem conjunctis.*] Id est xerolithis. Vide ad vitam Simeonis Stylitæ, cap. 5, num. 8.

B (50) *Salamanus.*] Hujus mentio in Menæis exstat 17 Febr., ubi ortus dicitur ex vico *Persana*, quod hic est *Capersana*, uti et in eisdem Menæis, 23 Jan., ubi dicitur cum additamento ἡσυχαστοῦ, *Pacifici* seu *Quieti*, quæ Latine versa habes apud Raderum nostrum parte I Viridarii Sanctorum. Alium existimo *Salamanem*, qui in Palæstina vixit, **860** de quo Sozomenus, lib. VI, cap. 32, et Nicephorus, lib. XI, cap. 39. Nec recte horum testimonium hic margini ascriptum erat a Laurentio *de la Barre*.

(51) *Maris.*] De hoc nihil invenio. Alius est *Mares* in Menæis, 27 Martii cum Barachesio et Jona martyribus. Alius etiam episcopus apud Sozomenum et Nicephorum.

(52) *Jacobus.*] De hoc Menologium, 26 Nov.; de hoc quoque Menæa, 26 Nov., satis fuse, quæ vertit Raderus noster parte I Viridarii Sanctorum. De hoc etiam Nicephorus, libro XV, cap. 22, qui hunc etiam Nisibenum vocat. Vereor ne labatur, uti labitur in pœna puellarum inverecundarum, quam ab hoc in-

C flictam narrat, cum a seniore Nisibeno inflicta sit, ut vidimus supra, cap. 1. Vocari possit *Hypæthrius*, ut distinguatur a Nisibeno, et ab alio Jacobo eremita, de quo infra, cap. 25; nam in textu dicitur *sub dio* vixisse. De hoc quoque Evagrius, lib. II, c. 9, ubi Jacobum Syrium vocat, et ad eum litteras misisse Leonem imp. affirmat, quod anno 2 Leonis contigisse, Christi vero 458, habet Baronius in Annal.

(53) *Exercitum muscarum et culicum.*] Supra, cap. 1, in Jacobo Nisibeno, *nubem cyniphum et culicum*.

(54) *Polychronius.*] De eo infra, cap. 24.

(55) *Ne celes homines.*] Monachi hypocritæ mors horrenda refertur a Nicephoro, lib. XIV, cap. 52.

(56) *Thalassius et Limnæus.*] Horum memoria exstat in Menæis Græcorum, 22 Febr., ubi compendio eorum vita percurritur. Totum hoc caput est potissimum de Limnæo, paucis initio lineis exceptis, ut discimus ex Menæis. Cujus etiam mentio in Me-

D næis, 25 Febr., occasione Joannis, qui ejus discipulus fuit.

(57) *Helimna.*] Longus habet *Tillina*.

(58) *Silentium.*] A silentio religiose servato notus Joannes, cognomento *Silentiarius*, 13 Maii.

(59) *Targallam.*] Longus, *Targalam*. Menæa Γάλγαλα. Sed 25 ejusdem mensis, Τάργαλα.

(60) *Lapidibus.*] In Menæis est ξηρολίθοις, quod versum in Vita Simeonis Stylitæ, cap. 5, lib. I de Vitis Patrum, *sicco lapide*. Et hic, c. 18, *lapidibus nec luto quidem maceratis*. Vide ad Simeonem Stylitam.

(61) *Joannes, Moyses, Antiochus, Antonius.*] De his Menæa Græc., 24 Febr.

(62) *Zebinas et Polychronius, Moyses, Damianus.*] Menæa Græc., 23 Feb., de his quatuor.

(63) *Qui corpus illud sacrum diripuerunt.*] Supra, cap. 16: « Acre autem bellum inter vicinos ortum est de corpore. »

(64) *Et in eum locum quem diximus, detulerunt.*] Supra, cap. 16: « Ex finitimis autem quidam vicus populo frequentissimus cum toto simul coacto populo advenisset, alios quidem fudit ac fugavit; maxime autem expetendum illum rapuit thesaurum. »

(65) *Asclepius, et Jacobus eremita.*] De his nihil invenio.

(66) *Simeones Stylites.*] Vide de hoc notata ad librum I de Vitis sanctorum Patrum.

(67) *Eusebonas et Abiton.*] De his non memini alibi legere.

(68) *Heliodorus.*] Sozomenus, lib. VI, cap. 33 et 34, meminit Heliodori monachi in Syria.

(69) *Meletius.*] Hervetus vertit, quasi ille tunc episcopus Antiochenus fuerit: « Cui tunc mandata erat cura episcopatus regionis Antiochenæ civitatis. » Longus vertit: « Cum vero Meletius, qui tunc Antiochenæ regioni præfectus erat. » Sane si hoc intelligatur de famoso illo Meletio episcopo Antiocheno, annosum illum fuisse oportuit, qui hæc cum Simeone tractarit, ut supra, libro I, in Vita Simeonis Stylitæ, obiter attigi.

(70) *Posuerint imagines.*] Hic locus citatur in Septima synodo, act. 4.

(71) *Nudum ingredientem.*] Barræus existimat Theodoretum respicere ad Simeonem Salum, de quo Evagrius, lib. IV, cap. 33, qui quod famelicæ meretrici panem detulisset, fornicationis calumniam sustinuit. Sed labitur; nam Simeon Salus post Theodoretum vixit. Respicit vero Theodoretus ad Isaiam, de cujus nuditate ante egerat.

(72) *Prædictionis.*] Sic alter Simeones Stylita prædixit de Mauritio plurima; Evagrius, l. V, c. 21.

(73) *Tuus enim est hic actus.*] Ita Euthymius steriles fecundavit; Nicephorus, lib. XIV, cap. 52.

(74) *Conor metiri altitudinem maris Atlantici.*] Sic: « Atlanticum mare cotyla exsorbere. »

(75) *Alicui ostendere.*] Sic promptam Patribus exhibuit obedientiam; Nicephorus, lib. XIV, cap. 51.

(76) *Stat tota nocte.*] Ἀκοιμήτους fuisse monachos et *insomnes*, qui noctem orando et psallendo traducerent, scripsit Nicephorus lib. XV, cap. 23. De horum monasterio in Menæis, 15 sept., in Joanne Calybita, et 29 Dec., in Actis Marcelli Acœmetarum archimandritæ, apud Metaphrasten, et in Actis Danielis Stylitæ, 11 Decembris.

(77) *Frangens Judæorum audaciam.*] Respicit ad id quod habet Epiphanius, lib. I Histor., capite 13, ex quo Baronius, anno 432. Vide etiam Nicephorum, lib. XIV, cap. 51.

(78) *Ex gutta pluviam.*] Proverbium huic simile. *Ex ungue leonem.* Sic, *Ex gutta mare salsum.*

(79) *Cum post hæc autem diu vixisset.*] Hæc non esse Theodoreti monet Barræus, sed ab alio aliquo addita post mortem Simeonis, qui, cum scriberet Theodoretus, adhuc vivebat.

(80) *Baradatus.*] De hoc Menæa Græcorum, 22 Februarii, Evagrius, lib. II, cap. 9. Nicephoro, lib. XV, cap. 22, dicitur *Varadatus.*

(81) *Thalelæus.*] De hoc Menæa, 27 Febr. Moschus, cap. 59, meminit Thalelæi Cilicis, de quo dubitari possit an hic idem cum hoc sit, uterque enim Cilix et confessor., putat Raderus. Assensionem sustineo. Sed qui in Menæis est 20 Maii omnino diversus est, cum ille dicatur vixisse temporibus Numeriani, et martyrio sit affectus. Alius quoque apud Moschum, cap. 91, Thallelæus, qui nauta fuit.

(82) *Marana et Cyra.*] Martyrolog. Rom., 3 Aug.: « Berhœæ in Syria sanctarum mulierum Maranæ et Cyræ. » De iisdem in Menæis, 28 Feb.

(83) *Luto et lapidibus.*] Menæa πηλῷ καὶ λίθοις. Vide l. I, hic, in Vita Simeonis Stylitæ, cap. 5, ubi contrario huic est *sicco lapide*, seu ξηρολίθῳ.

(84) *Domnina.*] Menolog. Græcor., 1 Martii. Et paulo fusius in Menæis, eodem die. Vertit ea Raderus noster parte I Viridarii Sanctorum

(85) *Neque alii vultum spectandum exhibens.*] Vide apud Moschum Eviratum Prati spiritualis, cap. 78, de virgine mortua graviter sepulcri violatorem increpante, quod eam vestibus nudasset, cujus viventis extra domesticos nullus faciem viderat.

DE VITIS PATRUM
LIBER DECIMUS,
SIVE
PRATUM SPIRITUALE,
AUCTORE JOANNE MOSCHO.
INTERPRETE AMBROSIO CAMALDULENSI.

ELOGIUM AUCTORIS [1].

861 Conscriptus est hic liber Prati, seu Vitæ sanctorum, ac virtute præditorum Deoque placentium Patrum, qui in ipso continentur, reliquæque perutiles animæ narrationes, ac scite dicta sacrorum, justorum, Christique amantium Patrum et fratrum, a Joanne sanctæ memoriæ presbytero, et monacho cognomento Moscho; qui principio quidem sæculo renuntiavit in monasterio sancti Patris nostri Theodosii, abbatis et archiman-

[1] Plura elogia vide proleg. generali 12. Hoc nunc ex Græco accedit ex Codicibus Vaticanis et viri clarissimi Franc. Olivarii.

dritæ omnium quæ sunt Jerosolymis cœnobiorum sive monasteriorum. Cum autem in deserto ad sanctum Jordanem non exiguo tempore versatus esset cum sanctis Patribus qui illic degunt, eorumque virtutes collegisset, eas huic Operi inseruit. Cumque habitaret in Novo quod dicitur monasterio, quod a sancto et magno Patre nostro Saba ejusque discipulis constructum ad hoc usque tempus permanet, audiens qua tyrannide Persæ Romanos oppressissent, occasione cædis Mauritii imperatoris ejusque liberorum, a Novo monasterio secedens perrexit ad partes Antiochiæ magnæ; atque inde rursus, cum prævalere gentem videret, Alexandriam se contulit; et tota quæ circa illam est solitudine peragrata (fuerat enim jam a principio imperii Tiberii missus in Ægyptum ad ministerium obeundum) et usque ad Oasim, proximamque illi solitudinem perveniens, postquam eos qui illic erant Patres invisit, atque inde rursus audivit sancta loca fuisse occupata, et Romanos metu correptos, Alexandria relicta, ad magnam Romanorum urbem navigio appulit una cum charissimo discipulo suo Sophronio. Dum autem essent in itinere, diversas insulas lustrarunt

Tali vero donatus a Domino gratia fuit vir beatus, ut si quid de vita rebusque gestis virtute insignium virorum audiisset vel vidisset, id scriptis mandaret; quo factum est ut et Romæ cum esset, idem consilium sit exsecutus

862 Cum autem suæ ad Deum migrationis tempus beatus vir prævidisset, conscripsit hunc librum, non juxta ordinem eorum quæ audita vel spectata a se fuerant, sed ut paria erant inter se, tam quæ audita quam quæ spectata fuerant, sibi invicem copulata scriptis mandavit.

Cum autem ab his terrestribus secessurus esset tumultibus, atque ad tranquillam et quietam vitam transiturus, advocato charissimo suo discipulo, librum hunc ei tradidit, quo sanctorum Patrum vitæ ac res gestæ Deo accepta continentur; eique mandavit ut reliquias suas ne Romæ relinqueret, sed arca lignea inclusas ad montem Sinæum transferre conaretur, quantum in eo situm esset, ut cum sanctis qui illic sunt Patribus deponerentur. Quod si quem exoriri barbaricum tumultum accideret, quo id fieri prohiberetur, in monasterio sancti Theodosii, in quo ab initio sæculo nuntium remiserat, ipsas deponi.

Hoc igitur implere mandatum cum studeret, charissimus discipulus, assumpto secum Joanne cum suis condiscipulis (erant quippe duodecim numero) magnum Joseph imitatus est, qui cum fratribus suis Israelem sumens, ex Ægypto transtulit ad patres suos, quemadmodum ipsi fuerat a genitore mandatum.

Cum autem ille Ascalonem appulisset, et fieri non posse didicisset, ut ad sanctum montem Sina perveniret, propter tyrannicas incursiones eorum qui vocantur Agareni, assumptis beati Joannis reliquiis, initio octavæ indictionis Jerosolymam venit; et invento antistite magni monasterii sancti Patris nostri Theodosii Georgio presbytero, postquam illi cuncta renuntiavit quæ sibi fuerant a sene præcepta, cum illis fratribus monasterii, qui tum inventi in urbe fuerunt, et monachis qui cum ipso degebant, beatum Joannem devexerunt; et sicut jusserat, in Sancti Theodosii cœmeterio deposuit, una cum sanctis Patribus qui illic jacent, reliquumque vitæ suæ tempus in eodem cœnobio transegit.

Est autem locus cœmeterii spelunca, in qua, cum a magis illusus esset Herodes juxta Evangelii oraculum, illi inde solventes, cum in patriam redirent, manserunt. In hac spelunca sanctus Pater noster Theodosius cum religiosæ vitæ certamina confecisset, gratia donatus est dæmones ejiciendi; neque tantum in hac temporaria brevique vita, sed etiam post obitum illos ejicit, ad hunc usque diem, ad gloriam et laudem Christi veri Dei, et Salvatoris nostri, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Prologus.

Joannes Moschus dilecto suo in Christo Sophronio Sophistæ.

Pratorum faciem verno maxime tempore esse jucundissimam, fili charissime, perspicuum omnibus est; quam scilicet omnigenum florum grata varietas efficit, intuentium in se provocans aspectum, ac prætereuntes detinens, ipsosque varie pascens; namque arridet oculis, ac mulcet olfactum. Hujus vero prati pars rosarum rubore vernat, pars item albescens liliis, ab aspectu roseo intuentes ad se facile advocat. Alia **863** item ex parte violæ rutilant, coloreque suo purpuram regis imitantur. Prorsusque varius ac differens florum innumerabilium aspectus atque fragrantia undique gratiam pullulat. Hujusmodi præsens quoque opus arbitrare, sancte ac fidelissime fili Sophroni; quippe reperies in eo virtutes sanctorum virorum qui temporibus nostris claruere, ac juxta Psalmistæ sententiam, secus decursus aquarum plantati sunt (*Psal.* I). Qui cum omnes Deo accepti maxime gratique fuerint, alius tamen alio virtutis genere magis decoratur, atque ex hac suavi varietate virtutum grata venustas amœnaque facies surgit. Ex his ego flores pulcherrimos decerpens, coronam tibi ex immarcescibili ac perenni prato contexui, fidelissime fili, eamque tibi ac per te omnibus offero.

Quamobrem præsens quoque opus Pratum appellare placuit, propter oblectationem, suaveolentiam, et uti-

litatem quam ex eo legentes capient. Virtus enim, vitæ morumque honestas est, ad quam non sola divinarum rerum meditatio fidesque recta ducit, verum et aliorum conversatio, vitaque virtutibus plena in scriptis tradita. Quocirca hoc mihi negotium assumpsi confidens in Domino, fili charissime, idque vestræ charitati persuasum esse cupiens, quia apis in morem, utilia quæque ac vera prosecutus, sanctorum Patrum recte facta, pro animarum lucro descripsi.

PRATUM SPIRITUALE.

CAPUT PRIMUM.

A

Vita sancti senis Joannis, et de spelunca Sapsas.

Erat senex quidam habitans in monasterio abbatis Eustorgii, Joannes nomine, quæ sanctus Elias archiepiscopus Jerosolymorum voluit præpositum monasterii constituere. Ille vero non acquiescebat, dicens : In montem Sina orationis causa pergere volo. Archiepiscopus autem cogabat eum, ut prius abbas fieret, et postea pergeret quo vellet. Cum vero senex non acquiesceret, dimisit eum spondentem, se, postquam reversus esset, suscepturum regiminis curam. Et ita salutato archiepiscopo iter arripuit, ut ad Sina montem proficisceretur, assumpto secum et discipulo suo. Transvadatoque Jordane fluvio, cum vix uno lapide processissent, cœpit senior rigore detineri, ac post paululum invasit eum febris. Cum vero in tan- B tum excresceret ardor febris, ut ambulare non posset, invenerunt speluncam parvulam, in quam ingressi sunt ut requiescerent. Cum vero febris ita invalesceret, ut se vix movere posset, in ipsa spelunca tres dies commorati sunt. Tunc senex in somnis aspexit quemdam astantem sibi, et dicentem : Dic, senex, quo ire vis? Respondit : In montem Sina. Dicit ei : Ne, quæso, ne recedas hinc. Cum vero seni id persuadere non posset, abscessit. Febris vero seni acrius infesta erat. Rursus nocte sequenti idem seni astitit eodem habitu, et ait : Quid, senior, affligi vis? audi me, et nusquam hinc proficiscaris. Ait illi senex : Tu quisnam es? Respondet is qui apparuerat : Ego sum Joannes Baptista ; et ideo tibi jubeo ut nusquam recedas, nam spelunca ista brevis major est monte C Sina. Quippe in hanc sæpius Dominus noster Jesus, cum me visitaret, ingressus est. Pollicere ergo mihi, quod hic habitabis, et ego mox tibi sanitatem restituo. Quod senex audiens, libenter spopondit se in eadem spelunca permansurum. Et continuo sanus effectus, perseveravit ibidem toto vitæ suæ tempore. Speluncam vero illam fecit ecclesiam, congregavitque fratres. Appellatur autem locus ille Sapsas. Juxta illam ad lævam situs est torrens Chorath, ad quem missus est Elias tempore siccitatis, ex adverso Jordanis.

CAPUT II.

De Sene, qui in propria spelunca pascebat leones.

Fuit in eodem loco Sapsa, commorans in spelæo senex alius tantæ virtutis, ut leones secum in eadem D spelunca susciperet, atque cibum eis in suo sinu præberet, adeo divina gratia plenus erat vir Dei.

CAPUT III.

Vita Cononis presbyteri monasterii Penthucula.

Cum in monasterium sancti Patris nostri Sabæ profecti fuissemus ad abbatem Athanasium, narravit nobis senex, dicens : Cum essem in monasterio Penthucula, presbyter quidam erat ad baptismi ministerium, Conon nomine, Alexandrinus genere, quem pro vitæ merito Patres jusserant ut baptizaret accedentes. Ipse igitur sancto chrismate ungebat et baptizabat eos qui ad hoc veniebant. Quoties ergo mulierem inungeret, scandalizabatur, atque ideo ex monasterio abscedere volebat. **864** Cum autem ea cogitatione pulsabatur, assistebat ei sanctus Joannes Baptista, dicens : Tolera, et persevera, et ego te ab hoc bello liberabo. Quadam vero die venit puella ex Perside, ut baptizaretur, quæ ita speciosa erat ac tantæ pulchritudinis, ut non posset presbyter nudam eam sancto oleo inungere (1). Cum sic vero puella illic mansisset duos dies, audiens hoc archiepiscopus Petrus obstupuit de sene vehementer, voluitque ad hoc opus delegare diaconissam mulierem; sed id non fecit, ne contra canones fecisse videretur. Conon vero presbyter, sumpta melote sua, recessit, dicens : Jam non amplius in hoc loco manebo. Cum ergo exiisset ad colles, ecce sanctus Joannes Baptista obvius illi factus est, et tranquilla voce affatus est illum, dicens : Revertere ad monasterium tuum, et hoc te bello levabo. Abbas vero Conon ait illi cum indignatione : Vere non revertar. Ecce enim jam toties pollicitus es mihi istud, nec fecisti. Tunc sanctus Joannes eum sedere fecit, amotisque vestimentis ejus, signavit eum ter signo crucis sub umbilico, dixitque ei : Crede mihi, presbyter Conon, volebam te pro hac pugna mercede donari; sed quia non vis, ecce abstuli a te hoc bellum, mercede autem hujus operis carebis. Reversus presbyter in cœnobium, ubi baptizare consueverat, in crastinum unctam puellam baptizavit, neque penitus animadvertit eam esse natura mulierem. Implevit autem et alios annos duodecim in baptizandi ministerio tanta tranquillitate animi et corporis, ut nullum ultra sentiret carnis motum, neque mulierem natura videret. Atque ita in pace consummatus est.

CAPUT IV

Visio abbatis Leontii.

Narravit nobis abbas Leontius, cœnobii sancti Patris nostri Theodosii antistes, dicens : Postquam fugati sunt ab infidelibus persecutionem passi monachi

propter novum monasterium, quod dicitur Laura, A illuc ego profectus sum, mansique in eadem Laura. Quodam vero die Dominico descendi in ecclesiam, ut acciperem sacra mysteria. Ingressusque vidi Angelum stantem ad dextrum altaris cornu, et magno pavore correptus, reversus sum in cellulam meam. Et venit mihi vox de cœlo, dicens : Ex quo sanctificatum est altare istud, ego jugiter illi astare jussus sum [1].

CAPUT V.

Relatio abbatis Polychronii de tribus monachis.

Abbas Polychronius ejusdem novæ Lauræ presbyter, narravit mihi, dicens : Cum sederem aliquando in monasterio Turrium Jordanis, unum illic ex fratribus animadverti sui ipsius negligentem, et nunquam sanctæ diei dominicæ canonem implentem ; B post modicum vero temporis eumdem aspexi cum omni studio et alacritate se exercentem. Tunc ego dixi ei : Nunc optime facis, curam tui gerens, frater. Qui ait mihi : Domine Pater, modo moriturus sum, et post dies tres mortuus est.

Rursus idem abbas Polychronius narravit mihi, dicens : Cum in eodem monasterio Turrium defunctus esset quispiam fratrum, dixit mihi dispensator : Fac charitatem, et veni, ut fratris vasa in locum dispensationis deferamus. Cum ergo ferre cœpissemus, aspicio dispensatorem flentem, cui dixi : Quid, quæso, ita ploras, abba ? Quia, inquit ille, hodie fratris vasa fero, et post duos dies alii portabunt mea. Tertiaque die requievit frater ille, sicut prædixerat, cum Dominus eum singulariter in spe constituisset. C

CAPUT VI.

Ejusdem relatio.

Idem enim abbas Polychronius presbyter hoc narravit, quod cum esset in monasterio abbatis Constantini antistitis monasterii sanctæ Mariæ Dei genitricis, quæ Nova dicitur, audivit quemdam fratrum in xenodochio Jerichuntino requievisse, quem cum accepissent fratres, ut ferrent ad monasterium Turrium, et sepelirent, ex quo iter agere cum corpore cœperunt, stella supra defuncti caput quasi comes itineris apparere non destitit, donec ipsum sepulturæ traderent.

CAPUT VII.

Vita et mors cujusdam senis, qui recusavit abbas fieri in monasterio Turrium.

Alius quidam senex sedebat in eodem monasterio Turrium : Patres igitur ejusdem monasterii ipsum, ut magnum et virtutibus clarum, voluerunt sibi constituere abbatem. Senex vero orabat, dicens : Ignoscite mihi, Patres, et permittite me flere peccata mea. Ego enim talis meriti non sum, ut possim animarum curam gerere : negotium istud magnorum et excellentium Patrum est, Antonii, Pachomii, sanctique Theodori. Cum vero fratres illi non acquiescerent, ipsumque diebus singulis orarent, videns se ab eis nimium urgeri, dixit eis : Permittite me tribus diebus orare, et quidquid me Deus facere jusserit, faciam. D

[1] Simile infra, c. 10.

Erat autem Parasceves dies : Dominica vero die mane requievit.

CAPUT VIII.

Vita abbatis Myrogenis hydropici.

Senex quidam erat in eodem monasterio Turrium, Myrogenes nomine, qui **865** ob nimiam austeritatem vitæ hydropicus effectus fuerat. Dicebat autem jugiter his senibus, qui ad eum conveniebant visitandi gratia : Orate pro me, Patres, ne interior homo hydropicus fiat. Ego enim, ut in hac infirmitate diutius durem, Deum oro.

De hoc abbate Myrogene cum audivisset Jerosolymitanus archiepiscopus Eustochius, voluit ad eum mittere quæcunque erant necessaria, sed ille nunquam ab eo quidquam consensit accipere. Hoc autem solum illi significabat : Ora pro me, Pater, ut liberer ab æterno cruciatu.

CAPUT IX.

De mira cujusdam sancti Patris charitate.

In ipso monasterio Turrium, senex quidam erat sanctæ nuditatis et eleemosynæ valde studiosus amator. Quadam ergo die venit pauper ad ejus cellulam eleemosynam petens ; senex vero, cum non nisi unum panem haberet, proferens ipsum, dedit pauperi. Tunc dicit ei pauper : Nolo panem, sed indumentum. Volens autem senior curare illum, apprehensa manu ejus, introduxit in cellulam suam. Pauper autem cum illic nihil omnino invenisset, nisi solum quod ille induebat, tanta senis virtute compunctus, solvit sacculum suum, et in medio cellulæ quæcunque habebat evacuans, dixit : Sume ista, senior optime, et ego alibi quæram quæ mihi sunt necessaria.

CAPUT X.

Vita Barnabæ anachoretæ.

Anachoreta quidam erat in speluncis sancti Jordanis, Barnabas nomine. Hic die quadam cum descenderet bibere aquam de Jordane, infixa est pedi ejus ex arundine festuca, permansitque stimulum pedi infixum tenens jugiter, neque passus est ut eum medicus videret ; itaque computruit pes ejus. Coactus vero est ascendere ad monasterium Turrium, sibique unam cellulam accipere. Porro pes ejus in dies putrescebat magis. Dicebat autem his qui ad eum veniebant, quod quanto magis homo exterior patitur, tanto amplius interior viret.

Postquam vero ascendit abbas Barnabas ex spelunca sua ad Turres, cum fuisset ibi aliquantulum temporis, anachoreta quidam alius abiit ad speluncam ipsius, ingressusque vidit angelum Dei stantem super altare quod fecerat senior atque sacraverat. Aitque ad angelum anachoreta : Quid hic agis ? Cui angelus ille : Ex quo sanctificata sunt ista, a Deo ipso mihi credita sunt [2].

CAPUT XI.

Vita abbatis Agioduli.

Abbas Petrus presbyter monasterii sancti patris nostri Sabæ, narravit nobis de abbate Agiodulo [Hagiodulo] dicens : Cum is esset antistes dux monaste-

[2] Simile supra, cap. 4.

rii beati Gerasimi, contigit fratrem quemdam de illic A residentibus mori. Quod cum senex ignoraret, pulsaretque præfectus canonis lignum, quod fratres convenientes mortuum efferrent, ut vidit senex cadaver in ecclesiæ medio jacere, contristatus est valde, quod non illum salutasset priusquam migraret e sæculo. Profectusque secus lectulum ubi jacebat, ait defuncto : Surge, frater, et da mihi osculum. Qui protinus surgens, osculatus est senem. Tum dixit senex : Dormi jam, quousque veniat Christus Filius Dei, et resuscitet te.

Idem abbas Agiodulus cum transiret juxta Jordanis ripas, secum animo et cogitatione volvebat quid actum fuisset de lapidibus injectis a Jesu Nave pro his quos inde sustulerat. Cumque ista cogitaret, confestim hinc et hinc divisæ sunt aquæ. Tunc vidit illos B duodecim lapides, prostratusque humi Deo gratias egit, et recessit.

CAPUT XII.

Dictum abbatis Olympii.

Frater interrogavit abbatem Olympium, presbyterum monasterii sancti Gerasimi, dicens : Dic mihi verbum. Qui dixit ei : Ne sedeas cum hæreticis, et contine linguam et ventrem ; ac ubicunque sederis, dic assidue : Peregrinus sum.

CAPUT XIII.

Vita abbatis Marci anachoretæ.

Dicebant de abbate Marco anachoreta, qui morabatur prope monasterium Penthucula per annos sexaginta tres, quod hanc habuerit virtutem hebdomadas integras jejunandi, ita ut putarent quidam eum sine C carne esse. Operabatur autem die ac nocte, et distribuebat pauperibus omnia, neque ab aliquo quidpiam accipiebat. De hoc audientes fideles viri, venerunt, ut darent ei agapem, et ait ad eos : Non accipio, quia manus meæ nutriunt me et eos qui propter Deum ad me veniunt.

CAPUT XIV.

De fratre qui a spiritu fornicationis impugnabatur, et leprosus effectus est.

Abbas Polychronius rursum nobis narravit quod in cœnobio Penthucula frater quidam erat sibi ipsi valde intentus et continens. Cum autem aliquando impugnaretur a spiritu fornicationis, non valens hanc pugnam sustinere, egressus de monasterio, profectus est Jericho, ut concupiscentiæ **866** suæ satisfa- D ceret. Moxque ut meretricis cellam ingressus est, leprosus factus est totus. Videns autem lepram, continuo rediit ad monasterium, Deo gratias referens et dicens : Idcirco Deus hac me castigatione percussit, ut anima mea salva sit, et magnifice glorificabat Deum.

CAPUT XV.

Factum mirabile abbatis Cononis.

Dicebant de abbate Conone antistite monasterii Penthucula, quod die quadam cum iret Betamarim, obvios habuit Hebræos. Qui cum eum occidere vellent, districtis gladiis occurrerunt contra senem. Cumque appropinquassent, vibrarentque in eum gladios, manus eorum in sublime suspensæ persistiterunt immobiles. Facta vero oratione, solvit eos senex, et dimisit. Et abierunt gratias agentes Deo.

CAPUT XVI.

Relatio abbatis Nicolai de seipso et sociis.

Senex quidam sedebat in monasterio abbatis Petri juxta sanctum Jordanem, Nicolaus nomine, qui nobis narravit, dicens : Cum essem aliquando in Raythu, missi sumus tres fratres in ministerium in Thebaidem. Cum ergo per desertum iter faceremus, erravimus de via, ferebamurque per eremi latam vastitatem. Deficiente vero nobis aqua per aliquot dies, siti arescere cœpimus. Cumque jam et siti et æstu deficientes, progredi ulterius non valeremus, inventis per desertum myricis, jactavimus nos singuli sub umbra arborum, exspectantes mori præ siti. Prostratus vero in umbram ego factus sum in ecstasi, vidique piscinam aqua plenam, et circumfluentem, duos autem supra piscinæ labium assistere, vasque unum ligneum. Tunc cœpi unum ex illis rogare, dicens : Fac mecum charitatem, domine, et da mihi pusillum aquæ, quoniam deficio. Ille vero nolebat. Tunc dicit ad eum alter : Da illi modicum. Qui respondit ei, dicens : Non demus ei, valde enim desidiosus est, et negligens sui. At alter : Utique sane negligens est ac desidiosus, propter hospitalitatem tamen demus ei. Atque ita præbuerunt mihi et his qui mecum erant. Mox autem ut bibimus, confortati sumus, et iter agentes tribus diebus aliis sine potu, pervenimus ad loca habitabilia.

CAPUT XVII.

Vita Macni senis.

Dicebant de quodam Macno sene, qui in eodem monasterio abbatis Petri morabatur, quod quinquaginta annos egisset in spelunca sua, neque vinum bibens, neque panem comedens, nisi tantum furfureum. Tertio autem singulis hebdomadibus communicabat.

CAPUT XVIII.

Vita alterius Senis monasterii Lauræ, qui cum leonibus dormiebat.

Narravit nobis abbas Polychronius presbyter de alio sene, qui sedebat in eadem Laura abbatis Petri, quod plerumque abiens, in ripa Jordanis commanebat, et ubi cubile leonis invenisset, illic dormiebat. Die vero quadam tulit duos leonis catulos intra pallium suum in ecclesiam, et dicebat fratribus : Si mandata Domini nostri Jesu Christi custodiremus, ista animalia profecto nos timerent ; sed propter peccatum servi effecti, nos illos timere comprobamur. Qua re magnifice ædificati fratres, ad mansiones suas recesserunt.

CAPUT XIX.

Relatio abbatis Eliæ de seipso.

Narravit nobis abbas Elias, dicens : Cum aliquando morarer in partibus sancti Jordanis in spelæo juxta Eunuchorum monasterium, ideo quod non communicarem Macario archiepiscopo Jerosolymitano, die quadam circa horam sextam, æstu vehementissimo

coquente desuper (erat enim Augustus mensis) pulsavit quidam ostium speluncæ meæ: egressus vero vidi mulierem, et dixi ad illam: Quid tu hic facis? Et respondens, dixit mihi: Et ego, mi pater, ejusdem quo te instituti sum, et quasi uno lapide distat a te spelunca mea. Ostendebat autem et locum quasi ad Austrum. Et ait: Lustravi hanc eremum, et præ æstu nimio siti fatigata sum; fac ergo charitatem, pater, et da mihi pusillum aquæ. Itaque protuli urceum, et dedi ei. Quæ cum sumens bibisset, dimisi illam. Cum autem abiisset, cœpit diabolus impugnare me, immittens cogitationes sordidas in eam. Superatus igitur, neque ferens libidinis ardorem, sumpta virga mea, cellam egressus sum in fervore æstus, cum lapides ignescerent, profectusque sum ad illam, ut implerem turpem concupiscentiam. Cum vero B ferme uno stadio ab ejus adhuc spelæo distarem, urente graviter æstu libidinis, repente factus in ecstasi, vidi apertam terram, et me hiatu terræ absorptum. Aspicioque illic cadavera putrida jacentia, et resoluta, et incredibili fetore plena, quemdamque reverendi habitus virum ea mihi demonstrantem, ac dicentem: Ecce istud mulieris est, istud viri, istud pueri; fruere jam ut vis, et quantum libet concupiscentia tua: hujus tamen voluptatis gratia vide quot labores amittere voluisti. Vide propter quod peccatum vos ipsos privare **867** vultis regno cœlorum. Væ humanæ miseriæ! propter unius horæ voluptatem tanti laboris mercede frustramini. Ego autem præ nimio fetore in terram corrui. Tunc accedens vir ille venerabilis, qui mihi apparuerat, erexit me. Et gratias agens Deo, reversus sum in cellam meam.

CAPUT XX.

Conversio cujusdam militis ad miraculum Dei in se factum, cujus etiam vita compendiose describitur.

Narravit nobis quidam Patrum, accepisse se a quodam milite, quod cum bellum in Africa gererent Romani cum Mauritanis, victique fugarentur a barbaris, ac plurimi illorum passim cæderentur, ipsum quoque unus ex barbaris nactus hastam, ut illum feriret, vibrare cœpit. Quod ille cum cerneret, orare Deum cœpit, ac dicere: Domine Deus, qui apparuisti ancillæ tuæ Theclæ, et eripuisti eam de iniquorum manibus, libera et me de hac necessitate, et salva ex hac acerba morte, mox ibo in eremum, et agam vitam solitariam. Conversus autem neminem ex barbaris vidit. Itaque continuo venit ad hanc Lauram Cupatha, manseratque jam in spelunca, Dei se protegente gratia, annos triginta quinque.

CAPUT XXI.

Mors anachoretæ et ejus interfectoris.

Abbas Gerontius præpositus monasterii sancti Patris nostri Euthymii narravit mihi et Sophistæ Sophronio, dicens: Tres simul eramus trans mare Mortuum; ambulantibusque nobis in montem, anachoreta quidam alius circa maris ripam deambulabat. Contigit autem Saracenos (2) transire per loca illa et occurrere ipsi; cum ergo præteriissent illum, re- A versus unus ex eis anachoretæ caput abscidit, nobis de longinquo spectantibus; jam enim conscenderamus montem. Cum vero lacrymaremur tristes propter anachoretæ casum, repente cernimus avem superne venientem, raptum Sarracenum in sublime tulisse, atque inde in terram illum dimisisse, ex eoque lapsu Sarracenum interiisse.

CAPUT XXII.

Vita alterius senis Cononis.

Senex quidam erat in cœnobio sancti Patris nostri Theodosii, nomine Conon, Cilix gerere, hanc vitæ normam per triginta annos custodiens: semel comedebat in hebdomada panem et aquam, et sine intermissione operans, nunquam de ecclesia egrediebatur.

CAPUT XXIII.

Vita Theoduli monachi.

Alium vidimus senem in eodem monasterio, Theodulum nomine, qui miles antea fuerat. Is dies omnes jejunans, nunquam in latus dormiebat.

CAPUT XXIV.

Vita senis cujusdam habitantis in cellis Cuziba.

Erat senex quidam habitans in cellis Cuziba, de quo narrabant nobis loci ejus seniores, quod dum in vico suo esset, hanc habebat consuetudinem, ut si quem vidisset in vico præ inopia non valentem agrum suum seminare, noctu ibat, ignorante agri domino, semenque secum ferens, pauperis illius serebat agrum. Cum autem venisset in eremum, et moraretur in cellis Cuziba, eadem miserationis faciebat opera. Ibat C enim per viam, quæ ducit a Jordane ad sanctam civitatem, ferens panes et aquam. Et si quando videret aliquem lacescentem, portabat onus ejus, et ascendebat usque ad sanctum montem Oliveti, rursusque per eamdem cum cæteris redibat viam, ferens illorum onera usque Jericho. Vidisses senem aliquando ferentem onus ingens, sudantemque sub fasce; aliquando portantem in humeris puerulum, sæpe etiam duos. Nonnunquam sedebat, viri sive mulieris disrupta calceamenta resarciens: ferebat quippe secum quæcunque ad hoc erant necessaria. Alios potabat ea quam ferebat aqua, aliis præbebat panes; si quem vero invenisset nudum, pallium quod ferebat, dabat ei. Eratque dulce, videre senem singulis diebus laborantem. Et si quando mortuum in via reperisset, D expletis super eum psalmis consuetis et orationibus, sepeliebat eum.

CAPUT XXV

De fratre monasterii Cuziba, et sanctæ oblationis verbis, nec non de abbate Joanne.

Frater quidam erat in cœnobio Cuziba, ut nobis abbas Gregorius ex Scholaribus (3) retulit, qui sanctæ oblationis verba ritumque didicerat. Die ergo quadam missus ut benedictiones ferret, cum jam rediret ad monasterium, verba sanctæ oblationis (4), quasi versus aliquos caneret, dixit. Easdem vero benedictiones imposuerunt diaconi sancto altari. Quas cum abbas Joannes presbyter offerret, qui postea Cæsareæ Palæstinæ episcopus fuit, non vidit, ut solitus

erat, sancti Spiritus adventum. Contristatusque valde et cogitans, ne quid forte peccasset in mente, atque ideo se Spiritus 868 sanctus avertisset, ingressus est sacrarium plorans, corruitque in faciem suam. Apparuit autem ei angelus Domini, dicens : Quoniam frater ille qui oblationes attulit, verba sanctæ oblationis in via dixit, sanctificatæ jam ac perfectæ sunt. Ex tunc igitur statuit senior ut nullus deinceps addisceret sanctæ oblationis verba, nisi qui ordinatus ad hoc esset, neque passim ea quispiam diceret, quocunque tempore absque loco consecrato.

CAPUT XXVI.

Vita fratris Theophanis, ejusque mirabilis visio, et de communicatione cum hæreticis.

Senex quidam sedebat in Laura Calamonis juxta Jordanem fluvium, Cyriacus nomine, magni apud Deum meriti. Ad hunc profectus est frater peregrinus ex regione Dora, Theophanes nomine, ut interrogaret senem de cogitationibus fornicationis. Quem senior hortari cœpit atque urgere verbis de pudicitia et castitate. Frater itaque magnifice ædificatus, ait seni : Vere, mi Pater, ego nisi in regione mea Nestorianis communicarem, tecum permansissem. Cum vero audisset senex Nestorii nomen, afflictus de perditione fratris, corripiebat eum, et orabat ut recederet ab hac pessima et perniciosa hæresi, accederetque ad sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam, dicens non esse aliam salutis spem, nisi recte sentiamus et credamus (ut revera est) sanctam Mariam Dei genitricem esse. Dixit autem frater ille seni : Profecto, domine Pater, omnes hæreses sic dicunt : Nisi nobiscum communices, salvus esse non poteris. Quid ergo faciam infelix, nescio : deprecare igitur Dominum ut reipsa me certum faciat, quænam sit vera fides. Senex autem cum gaudio fratris verba suscepit, dixitque illi : Sede in spelunca mecum, et omnino spem in Deo habeto, quia revelabit tibi ipsius benignitas quæ sit vera fides. Dimissoque fratre in spelunca sua, egressus est senior prope mare Mortuum, orans Deum pro fratre. Circa autem horam nonam diei sequentis aspexit frater quemdam astantem sibi aspectu terribilem, ac dicentem : Veni, et vide veritatem. Assumensque eum, duxit in locum tenebrosum ac fetidum, ignes evaporantem; atque in ipsis ignibus vidit Nestorium, Eutychen, Apollinarem, Dioscorum*, Severum, Arium, Origenem, et alios quosdam. Dixitque illi is qui apparuerat : Locus iste præparatus est hæreticis, et blasphemantibus, et his qui illorum dogmata sequuntur. Si ergo placet tibi locus, persiste in tuo dogmate; si autem supplicium istud experiri non vis, accede ad sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam, quam te senex docet. Dico enim tibi, quia si omnes virtutes homo operetur, nec recte credat, in hoc loco cruciabitur. Atque in hoc verbo venit frater in semetipsum, et redeunti seni narravit omnia quæ viderat, accessitque ad communionem sanctæ catholicæ Ecclesiæ. Remansit autem cum sene, impletisque quatuor cum illo annis, dormivit in pace.

A

CAPUT XXVII.

Vita presbyteri villæ Mardandos.

Decem fere millibus passuum ab urbe Ciliciæ Ægina villa quædam est, nomine Mardandos, in qua templum est sancti Joannis Baptistæ. In hac senex quidam presbyter sedebat, summi apud Deum meriti, magnarumque virtutum. Quadam vero die villæ ipsius habitatores accesserunt ad episcopum accusantes senem, ac dicentes : Tolle a nobis senem hunc, nam molestus nobis est. Dicit eis episcopus : Quid vobis facit? Dicunt ei : Accedit missam celebrare die Dominico, nunc hora tertia, nunc autem hora nona, ut sibi visum fuerit, neque servat solemnem ac legitimum ordinem sanctæ oblationis. His compertis, episcopus assumens senem seorsum, ait illi : Quid ita facis, senior? an ignoras sanctæ Ecclesiæ statuta? Ait senex : Vera profecto prosequeris, et recte dicis; verum quid agam, ignoro. Die enim Dominico post nocturnos hymnos, prope sanctum altare sedeo, et quousque videam Spiritum sanctum altare obumbrantem, sancta missarum solemnia non incipio; cum autem advenisse Spiritum sanctum aspicio, tunc ego sacra officia consummo. His auditis, episcopus admiratus virtutem senis, convocat habitatores villæ, satisfaciensque illis, dimisit eos in pace.

B

Huic seni misit abbas Julianus Stylites salutationem, mittens ei etiam pannum involutum, habentem intus tres carbones ignis. Senex vero suscipiens salutationem et carbones ardentes, remisit eidem abbati ipsum pannum involutum aqua plenum. Distabant autem ab invicem fere viginti millibus passuum.

C

CAPUT XXVIII.

Factum mirabile abbatis Juliani Stylitæ.

Narrabat abbas Cyriacus, discipulus prædicti abbatis Juliani Stylitæ, dicens : Venimus ego et pater meus et frater a regione nostra ad abbatem Julianum, audita ejus fama. Ego enim habebam passionem insanabilem, quam nullus 869 hominum curare potuerat. Venientem igitur senex protinus me oratione curavit. Mansimus autem omnes apud eum, et abrenuntiavimus sæculo, constituitque senior patrem meum super frumentum. Quadam vero die venit pater meus, et ait abbati Juliano : Frumentum non habemus. Senex autem de columna respondens ait :

D

Vade, frater, et ipsum quod inveneris, collige hodie, et mole, et de crastino Deus nostri curam habebit. Ille vero in hoc verbo turbatus (sciebat enim se nihil dimisisse) abiit ad cellam suam. Necessitate autem urgente misit ad eum senex, dicens : Accede huc. Ille cum vix venire acquievisset, dicit ei senior : Frater Conon, vade, et quod inveneris, fac in cibum fratrum. Ille præ iracundia sumptis horrei clavibus abiit, volens terræ pulverem ferre. Cum autem amotis claustris ostia vellet aperire, non poterat. Erat enim totum horreum frumento plenum. Quo ille viso perterritus, a sene veniam prostratus petiit.

CAPUT XXIX.

Miraculum sanctissimæ Eucharistiæ.

Quasi triginta milliaribus ab Ægina civitate Ciliciæ, Stylitæ duo erant separati ab invicem sex millibus passuum. Ex his alter sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ communicabat; alter autem qui etiam plus temporis in columna egerat, Severianæ impietatis erat, variisque modis hæreticus Catholicum criminabatur. Ille vero divinitus inspiratus, petiit ab eo ut partem sibi mitteret Communionis suæ. Qui gaudio elatus, quod quasi illum seduxisset, protinus misit nihil hæsitans. Suscipiens itaque Catholicus missam sibi ab hæretico Severiani sectatore particulam, in ferventem ollam injecit, moxque resoluta est. Sumptam quoque catholicæ ecclesiæ sanctam communionem in eam conjecit; statimque fervens olla refrigerata est, et sancta communio permansit integra, neque madefacta est. Quam et diligenter servavit, et ostendit nobis cum ad illum venissemus.

CAPUT XXX.

Vita Isidori monachi Melitinensis, alterumque miraculum circa sanctissimam Eucharistiam.

Dade Cypri emporium est, in eo monasterium est quod dicitur Philoxene: ad id cum venissemus, invenimus ibi monachum genere Melitinensem, Isidorum nomine. Hunc vidimus sine ulla intermissione cum ejulatu flentem. Cum autem rogaretur ab omnibus ut aliquantulum quiesceret, et a fletu temperaret, nulli penitus acquiescebat, dicens omnibus: Nimium peccator sum ultra omnes qui ab initio sæculi fuerunt. Cum autem illi diceremus: Nullus certe sine peccato est, nisi unus Deus, respondebat dicens: Veraciter, fratres, nullum inveni inter homines similem mihi peccatorem, nullumque majus delictum quam meum. Et ut cognoscatis me vera prosequi, audite peccatum meum, ut et vos oretis pro me.

Ego cum essem in sæculo, uxorem habui: eramus autem ambo Severiani dogmatis. Cum ergo die quadam venissem domum, non inveni uxorem meam: audivi autem quod abiisset ad vicinam mulierem ut illi communicaret (erat autem illa catholicæ religionis et fidei) cucurrique protinus volens prohibere. Profectus autem domum, inveni illam jam communicasse. Quare indignatione concitatus apprehendi guttur ejus, fecique illam evomere sacram communionem. Sumptam deinde particulam sanctam huc illucque jactabam, donec in lutum cecidit. Mox autem vidi coruscationem in eodem loco sanctam assumpsisse communionem. Post biduum vero aspicio virum quasi Æthiopem semicinctiis vestitum, dicentemque mihi: Ego et tu simul in unum supplicium condemnati sumus. Et ego ad eum: Tu, inquam, quis es? Respondit: Ego sum qui conditorem omnium Dominum Jesum Christum in maxilla percussi passionis tempore. Atque hac de causa a fletu temperare non possum.

CAPUT XXXI.

Conversio et vita Mariæ meretricis.

Duo senes abierunt ab Ægis in Tharsum, venientesque in stabulum ut requiescerent (erat enim æstus) per dispensationem Dei invenerunt in stabulo tres adolescentes habentes secum unam meretricem. Senes ergo seorsum sederunt, unusque ex eis accipiens sanctum Evangelium legebat. Meretrix vero quæ erat cum adolescentibus, ut vidit legentem senem, relictis illis accessit ad senem, seditque juxta illum. Senex autem illam rejiciens, dixit: Multum, o infelix, impudens es, quæ verita non fuisti accedere ad nos ac sedere. At illa: Ne, quæso, Pater, ne abomineris me, neque abjicias; etsi enim omni peccato plena sum, non tamen repulit venientem ad se meretricem Dominus, et Salvator omnium Christus Deus noster. Respondit ei senex: Sed meretrix illa non permansit meretrix. Tum ipsa: Spero in Filium Dei vivi, quia ab hodierno die neque ego permanebo in peccato hoc. Relinquens igitur adolescentes, et sua omnia, secuta est senes illos. Miserunt **870** autem illam in monasterium prope Æga civitatem. Hanc et ego jam anum vidi magnæ prudentiæ feminam, et ista ex ejus ore didici. Erat autem illi nomen Maria.

CAPUT XXXII.

Conversio et vita Babylæ (5) mimi, nec non Cometæ et Nicosæ concubinarum ejus.

Mimus quidam erat in Tharso Ciliciæ, nomine Babylas: erant autem illi duæ concubinæ; nomen uni Cometa, nomen alteri Nicosa. Vivebat autem luxuriose agens omnia quæ illi dæmon suggessisset. Die vero quadam ingressus ecclesiam, audivit per dispensationem Dei sanctum Evangelium legi. Erat autem ista lectio: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum (*Matth.* III). Compunctusque cœpit cum lacrymis horrere, ac se miserum dicere pro his quæ peccaverat. Confestim igitur egressus extra ecclesiam, vocavit duas amicas suas, dixitque illis: Scitis quomodo vobiscum luxuriose vixerim, utque nunquam alteram plus quam alteram dilexerim; itaque vestra sunt omnia quæcunque ego acquisivi, accipite insuper mea omnia et dividite inter vos; ego enim ex nunc abrenuntio sæculo, et efficior monachus. Illæ autem ex uno ore responderunt ei cum lacrymis: Ad luxuriam et animarum nostrarum interitum communicavimus tibi; nunc vero quando hoc Deo placitum opus facere vis, dimittis nos, et id solus facis? profecto non ita erit, sed etiam in bono communicabimus tibi. Atque ita mimus quidem inclusit se in una turrium civitatis: illæ vero, venditis omnibus suis, erogatisque pauperibus, accipientes et ipsæ religiosum habitum, fecerunt sibi prope turrem cellulam, et seipsas pariter incluserunt. Hunc et ego vidi, et ab eo valde ædificatus sum; est enim vir valde humilis et clemens, atque misericors. Scripsi autem et hoc pro utilitate legentium.

CAPUT XXXIII.

Vita sancti episcopi Theodoti.

Narravit nobis quidam Patrum quod fuerit in sancta civitate episcopus quidam, nomine Theodotus, tantæ benignitatis, ut cum in una solemnitate invitasset quosdam de clericis suis ad convivium, unusque ex eis venire noluisset, neque invitationi acquievisset, tunc quidem patriarcha siluerit, alias vero ipse ad eum profectus sit, rogans ut veniret, mensæque communis particeps fieret.

Dicebat autem rursus de ipso episcopo Theodoto, quod ita fuerit mitis atque humilis, ut cum semel iter ageret cum uno clerico, et ipse quidem lectica veheretur, clericus vero equo insideret, dixerit clerico suo patriarcha : Mutemus vehicula nostra, et tu quidem lectica vehere, ego autem eques ibo. Cum vero clericus id facere recusaret omnino, dicens id dedecus fore patriarchæ, si quidem clericus lectica portaretur, et episcopus equo insidens ingrederetur, non quievit sanctus et humilis Theodotus, donec ministro persuasit non esse rem istam injuriosam, coegitque illum ita facere.

CAPUT XXXIV.

Vita divi Alexandri patriarchæ Jerosolymitani.

Alium habuit civitas ipsa Dei patriarcham, Alexandrum nomine, adeo pium et misericordem, ut cum illi quidam ex notariis suis furatus esset aurum, et metu perterritus fugiens in Thebaidem Ægypti, incidisset vagus et errans in latrones, ac ductus fuisset ab eis captivus ad extremas Ægypti partes; hoc comperto, divus Alexander redemerit eum vinctum ac captivum octoginta quinque numismatibus. Quo reverso ita pie misericorditerque usus est, ut quidam ex urbis habitatoribus dixerit aliquando nihil esse utilius quam in Alexandrum peccare.

Alio quoque tempore unus ex diaconis ejus, coram clericis omnibus injuriis affecit divum Alexandrum. Qui mox prostratus humi veniam petit, dicens : Ignosce mihi, domine frater.

CAPUT XXXV.

Vita Eliæ (6) Jerosolymorum archiepiscopi, et de Flaviano Antiochiæ patriarcha.

Dicebat abbas Polychronius de sancto Elia Jerosolymorum archiepiscopo, quod sicut cum esset monachus, vinum non bibebat, ita nec patriarcha quidem factus bibit, sed eamdem servavit regulam.

Dicebant de eodem archiepiscopo Elia, et de Flaviano Antiochiæ archiepiscopo, quod ab Anastasio imperatore ambo fuerint exsilio relegati propter sanctam Chalcedonensem synodum; Elias quidem in Haila, Flavianus vero apud Petram. Die vero quadam significaverunt sibi ambo patriarchæ, mutuo dicentes : Anastasius hodie mortuus est; eamus igitur et nos, ut cum illo judicemur. Et post duos dies ambo migraverunt ad Dominum.

CAPUT XXXVI.

Vita Ephræm Antiocheni patriarchæ, et quomodo Stylitem monachum a Severianæ hæreseos impietate converterit.

871 Narravit nobis quidam Patrum de sancto Ephræm Antiocheno patriarcha, quod valde zelans fuerit et fervens circa fidem. Cum enim audisset de Stylite illo qui erat in partibus Hierapolis, quod Severianæ esset hæreseos, abiit ad illum, ut impietatem dissuaderet illi. Cœpit ergo divus Ephræm corripere Stylitem, et orare, ut accederet ad sanctum apostolicum thronum, et communicaret sanctæ et apostolicæ Ecclesiæ. Respondens vero Stylites ait : Ego synodo prorsus non communico. Dicit ad eum sanctus Ephræm : Et quomodo vis ut curem te, et satisfaciam pro gratia Domini nostri Jesu Christi? sancta Ecclesia libera est ab omni sorde pravitatis hæreticæ. Dicit ad eum Stylites : Accendamus ignem (7), domine patriarcha, et ingrediamur simul, et quem flamma non læserit, ille orthodoxus erit, illumque sequi debemus. Hoc autem dixit, ut terreret patriarcham. Respondit sanctus Ephræm Stylitæ : Oportebat quidem te, fili mi, tanquam patri obtemperare, nihilque a nobis amplius quærere. Quoniam vero rem postulasti excedentem quidem vires infelicitatis meæ, confido tamen in miserationibus Filii Dei, quia tuæ salutis causa et hoc faciam. Tunc ait divus Ephræm astantibus omnibus : Benedictus Dominus; afferte huc ligna. Cum vero allata essent ligna, succendit illa patriarcha ante columnam, dixitque Stylitæ : Descende nunc, ut juxta decretum tuum ingrediamur ambo. Stupefactus ille ad patriarchæ constantiam, descendere noluit. Tunc dixit ad eum patriarcha : Nonne tu hoc fieri petiisti? et quomodo id nunc facere non vis? Tunc exuens se qua indutus erat stola patriarcha, cum accessisset prope ignem, oravit, dicens : Domine Jesu Christe, Deus noster, qui propter nos dignatus es de sancta domina nostra Dei genitrice semperque virgine Maria incarnari et nasci, ostende nobis veritatem. Et completa oratione, jactavit stolam suam in mediis ignibus. Cum autem ignis quasi per tres horas durasset, lignaque jam igne consumpta essent, tulerunt inde stolam integram, ita ut nulla ignis indicia in ea deprehendi possent. Tunc Stylites videns quod factum fuerat, certior de veritate factus, anathematizavit Severum, et ejus hæresim, accedensque ad sanctam catholicam Ecclesiam, de manibus sancti Ephræm communicavit, et glorificavit Deum.

CAPUT XXXVII.

Vita Episcopi, qui cathedra relicta venit in sanctam civitatem, et mutato habitu ministrabat architectis.

Quidam patrum enarravit nobis de quodam episcopo, quod relicto episcopatu suo profectus sit ad sanctam civitatem, ibique sumpto operarii habitu, ministraverit architectis. Eo vero tempore vir clemens et misericordiæ operibus deditus Ephremius comes Orientis erat, ac per ipsum ædificia publica reparabantur; civitas enim terræ motu ceciderat. Die autem quadam vidit per visum Ephremius dormientem episcopum, columnamque ignis super eum ad cœlum usque pertingentem. Hoc autem cum non semel, nec bis, sed sæpius cerneret, obstupuit Euphremius (erat

quippe visio ipsa terribilis et plena stuporis) cogitabatque apud semetipsum quidnam hoc esset, neque agnoscebat quis esset ille mercenarius, videns illum coma neglecta, veste sordida, vili et abjecto habitu, et nimia exercitatione et continentia, jugisque laboris fatigatione afflictum, et squalidum toto corpus cultu. Accersitum autem operarium ejusmodi Ephremius, percontabatur quisnam esset; cœpitque seorsum agere cum illo, quo vocaretur nomine, et cujus civitatis esset oriundus. Qui ait ad illum : Ego unus pauperum istius civitatis sum; cumque non habeam unde meipsum sustentare valeam, operor ut possum, et Deus de laboribus meis pascit me. Motus ergo divinitus Ephremius, respondit illi, et ait : Crede mihi, non te dimittam, donec mihi omnia de te veraciter prosecutus fueris. Cum vero ita constringeretur, neque se ulterius posset abscondere, dixit illi : Pollicere mihi, quia quandiu fuero in vita hac, nemini dices quæ circa me sunt, et ego, suppresso tantum nomine, vera tibi de me annuntiabo. Juravitque illi comes, nulli se ea dicturum quandiu esset in vita. Tunc ait illi : Ego episcopus sum, et propter Deum dimisi episcopatum meum, et veni huc quasi ad ignotum locum. Affligens autem carnem meam, et operans, ex labore meo modicum panis mihi acquiro; tu vero quantum potes, adjice ad eleemosynam. His enim diebus Deus promovebit te ad apostolicum thronum hujus civitatis, ut pascas populum suum, quem acquisivit per proprium sanguinem Christus verus Deus noster. Ut igitur dixi, eleemosynis insiste, et pro recta fide jugiter sta et decerta. Talibus **872** enim sacrificiis maxime delectatur Deus. Ita ut prædixerat, contigit. Divusque Ephremius, his auditis glorificavit Deum, dicens : Quantos habet occultos famulos, et soli sibi cognitos Deus.

CAPUT XXXVIII.

Mors Anastasii (8) imperatoris impii.

Narravit nobis vir quidam fidelis de Anastasio imperatore, quod cum ejecisset Euphemium et Macedonium patriarchas Constantinopolitanæ Ecclesiæ, ac propter sanctam Chalcedonensem synodum illos Gaitan in Pontum exsilio relegasset, vidit in somnis idem imperator virum quemdam insignem, vestitum amictu candido, contra se stare, Codicem scriptum ferentem, ac legentem. Evolvens autem quinque folia Codicis, legensque imperatoris nomen, ait illi : Ecce propter perfidiam tuam deleo quatuordecim, et digito suo illos delevit. Ac post duos dies facto fulgore magno atque tonitruo, pavore turbatus reddidit spiritum in summa angustia, pro eo quod impius fuit in sanctam Christi Dei nostri Ecclesiam, ejusque pastores auxilio damnavit.

CAPUT XXXIX.

Vita monachi monasterii abbatis Severiani, et quomodo a puella rustica prudenter retractus fuerit, ne cum ea peccaret.

Cum venissem Antiochiam, audivi quemdam de presbyteris ecclesiæ ista narrantem : Dicebat, inquit, patriarcha Anastasius, cum monachus quidam monasterii abbatis Severiani missus fuisset in ministerium in partes Elutheropoleos, et divertisset ad rusticum quempiam fidelem, habentem filiam unicam, defuncta jam matre illius, maneretque in domo ejus dies aliquot, is qui semper impugnat homines diabolus immisit fratri sordidas cogitationes, impugnabaturque de puella, et quærebat opportunitatem opprimendi eam. Igitur qui illum oppugnabat dæmon, opportunitatem quoque illi procuravit. Patre enim puellæ proficiscente Ascalonem necessariæ utilitatis gratia, frater ille sciens neminem in domo esse, nisi se solum et puellam, accessit ut illam vi opprimeret. Illa vero ut vidit ipsum totum perturbatum ad nefarium actum properare, dixit ei : Noli turbari, neque fœdum quid contra me moliaris; pater meus neque hodie neque cras veniet. Audi primum quid dicam. Ego enim (novit Deus) prompte quidquid volueris faciam. Cœpit autem illum ita alloqui : Quantum temporis habes, frater, in monasterio? Dicit ei frater : Decem et septem annos. Dicit ei iterum : Habes experimentum mulieris? Ait illi : Non. Ergo tu, inquit puella, vis propter unam horam amittere tot annorum labores? Quoties fudisti lacrymas, ut carnem tuam Christo Domino puram immaculatamque servares? et nunc totum laborem illum brevissimæ voluptatis gratia tibi perire vis? Verumtamen sit ut vis audiero te, peccesque mecum, habesne quo assumas et enutrias me? Dicit ei frater : Non. Tunc illa : In veritate non mentior, si humiliaveris me, multorum malorum causa eris. Dicit ei monachus : Quomodo? Puella respondens : Primum quidem, inquit, quia perdis animam tuam; secundo quoniam et anima mea abs te requiretur; hoc enim tibi juramento protestor per eum qui dixit : Noli me mendacem facere (*Joan.* I); quia si humiliaveris me, continuo mihi ipsi laqueo vitam extorquebo, invenierisque homicidii reus, atque in judicio ut homicida judicaberis. Igitur antequam tot malorum causas fias, revertere in pace ad monasterium tuum, et ora pro me. Rediens igitur in semetipsum frater, ac respiciens, statim reversus est ad monasterium suum, prostratusque abbati, et veniam postulans, oravit, ut ultra jam de monasterio non egrederetur. Et cum in contritione cordis egisset tres menses, migravit ad Dominum.

CAPUT XL.

Vita abbatis Cosmæ eunuchi.

Narravit nobis abbas Basilius presbyter Bicantiorum, dicens : Cum essem Theopoli apud patriarcham Gregorium, venit ab Jerosolymis abbas Cosmas eunuchus Lauræ Pharan, vir singularis religionis, et fidei rectorumque dogmatum valde tenax et zelator, ac divinarum Scripturarum scientia non mediocriter instructus. Cum ergo fuisset ibi senex dies paucos, defunctus est; et jussit patriarcha pretiosas illius reliquias in monasterio suo sepeliri, ubi et positus erat quidam episcopus. Die igitur quadam profectus sum, ut salutarem sepulcrum senis. Erat autem supra sepulcrum ejus jacens homo quidam

pauper, eleemosynam petens ab ingredientibus in A templum. Cum ergo conspexisset me pauper tertio prostratum, et seni orationem facientem, dixit mihi : Abba, magnus profecto erat senex ille, quem sepelistis hic ante hos duos menses. Tunc ego ad illum : Unde hoc tu nosti? Qui respondit : Vere, domine abba, ego paralyticus fui annis duodecim, et per ipsum curavit me Deus. Et quoties in tribulatione sum, venit ad me consolationem afferens, mihique refrigerium præstat.

873 Sed et aliud audi de illo miraculum. Ex qua die ipsum sepelistis usque ad diem hanc, audio illum singulis noctibus clamantem, ac dicentem ad episcopum : Noli me tangere, hæretice ; ne appropinques mihi, inimice sanctæ Dei catholicæ Ecclesiæ. Hæc ego audiens ab eo qui sanatus fuerat, perrexi, B et omnia ex ordine patriarchæ retuli, orabamque ipsum sanctissimum patriarcham, ut sumptum ex eo loco senis corpus, in sepulcro alio reconderemus. Tunc ait abbas Gregorius patriarcha : Mihi, filii, credite, nihil ab hæretico læditur abbas Cosmas ; sed hoc totum factum est, ut senis virtus, zelusque fidei nobis innotesceret, qualis scilicet fuerit, qualisque sit etiam post carnis occubitum, utque episcopi nobis proderetur opinio, ne illum arbitraremur orthodoxum fuisse atque Catholicum.

Dicebat item de eodem sene abbas Basilius, qui cum perrexisset ad eum commorantem in Laura Pharan, ait illi senex : Venit mihi cogitatio aliquando, quid sit, quod ait Dominus discipulis suis : Qui habet vestimentum, vendat illud, et emat gladium (*Lucæ* XXII); C illisque dicentibus : Ecce gladii duo hic ; responderit : Satis est. Hærebamque in verbo isto, neque quod sibi vellet, intelligebam. Itaque sic cogitabundus exivi de cellula mea, in ipso meridiani solis æstu, ut irem ad Lauram Turrium, ad abbatem Theophilum, et interrogarem eum. Cumque per deserta pergerem, essemque prope Calamonem, aspicio draconem miræ magnitudinis de monte descendere in Calamonem. Erat autem adeo ingens, ut cum se moveret, curvaretur in modum cameræ, vestigiaque terræ altius impressa relinqueret. Ego vero per vestigia illius illæsus ingressus sum, agnovique quia diabolus studium meum impedire voluerit ; orationes autem senis juverunt me. Perveniens igitur ad abbatem Theophilum, exposui illi hæsitationem meam. Qui dixit mihi : Duo D gladii duas vitas significant, activam et contemplativam. Si quis ergo has duas virtutes habeat, hic perfectus erit.

Ad hunc ipsum abbatem Cosmam perrexi ego, dum esset in Laura Pharan ; mansi enim in illa annos decem. Cumque mihi loqueretur de salute animæ, et quoddam ex dictis sancti Athanasii Alexandriæ archiepiscopi allegaret, ait ad me senex : Cum inveneris aliquid ex opusculis sancti Athanasii, nec habueris chartas ad scribendum, in vestimentis tuis scribo illud. Tanto talique studio flagrabat erga sanctos Patres nostros, et doctores sanctus senior.

Dicebat autem et hoc abbas Cosmas de seipso, quod nocte sanctæ Dominicæ a vespere usque mane staret psallens et legens, et in cella sua, et in ecclesia, neque omnino sedens ; orto autem sole, cum implesset canonem, sedebat legens in sanctis Evangeliis usque ad collectam.

CAPUT XLI.

Vita abbatis Pauli Nazarbensis.

Vidimus et alium senem in eadem Laura, abbatem scilicet Paulum, virum sanctum ac Deo deditum, mitissimum atque abstinentissimum. Neminem vero memini me unquam vidisse tanta consolationis ac lacrymarum gratia ornatum ; stillabant enim ex oculis ejus jugiter lacrymæ. Implevit ergo sanctus iste senior in vita solitaria annos fere quinquaginta, contentus sola panis eleemosyna, quam ecclesia dabat, nullique omnino colloquens. Erat autem ex Nazarbo.

CAPUT XLII.

Vita abbatis Anaxanontis servi Dei.

Vidimus in eodem loco abbatem Anaxanontem, virum misericordem et continentissimum, vitamque solitariam in cellula sua agentem tanta districtione, ut per quatuor dies unam tantum oblationem manducaret minutorum viginti (9). Sæpe vero et tota hebdomada eam solam comedebat. Circa extremum vero vitæ suæ venerandus hic vir dolorem incurrit ventris et viscerum. Tulimus itaque illum in sanctam civitatem in domum infirmorum, quæ sub patriarchæ erat cura. Die vero quadam cum prope illum essemus, misit ad illum abbas Conon præpositus Lauræ sancti Patris nostri Sabæ sudarium, unam habens benedictionem, et numismata sex, ita illi significans : Ignosce mihi, quia non permittit me ægritudo ascendere, et te salutare. Senex autem benedictionem quidem retinuit, nummos vero remisit, dicens : Si quidem voluerit Deus ut in hac vita durem, Pater, habeo nummos decem. Cum vero eos expendero, significabo vobis, et mittetis istos. Ut autem noveris, Pater, post duos dies sæculum istud derelinquo. Quod et factum est. Detulimus autem eum in eamdem Lauram Pharan, et ibi eum sepelivimus. Fuit autem beatus iste, et beati Eustochii contubernalis ; ambobusque relictis, in eremo consummatus est. Erat autem ex Ancyra Galatiæ civitate.

CAPUT XLIII.

Detestabilis mors impii Thalelæi archiepiscopi Thessalonicensis.

Fuit quidam Thessalonicæ archiepiscopus, Thalelæus nomine. Hic neque Deum timens, neque paratam retributionem expavescens, conculcansque Christianum dogma, **874** ac sacerdotalem honorem et dignitatem spernens, inventus est pro pastore lupus. Abnegans quippe sanctam et consubstantialem Trinitatem Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, idola infelix adorabat. Quem ii qui tunc Ecclesiis præerant, communi decreto damnarunt, ac de sede sua deturbarunt. Pauco post tempore nequam ille omni scelere et impietate plenus voluit ad sacerdotalem dignitatem remeare. Quia ergo, juxta sapientissimum Salomonem, omnia obediunt auro (*Eccle.* X), revocatus

est in regionem suam (erat autem Constantinopoli in qua habitant principes, qui juxta prophetam justificant impium propter munera, et justum justi tollunt [*Isaiæ* v]). Sed omnipotens Deus sanctam Ecclesiam suam non despexit; sed adversus apostolorum canones latam pro ipso sententiam rursus ut sibi minime acceptam damnavit. Cum enim quadam die ille processurus esset cum superbo ornatu, ut ad imperatores pergeret, sacerdotiumque decretis illorum iterum resumeret, pupugit illum venter, ut pergeret ad necessaria naturæ. Cum vero secretum locum ingressus esset exonerandi ventris causa, mansissetque intus duas jam vel tres horas, neque reverteretur ad suos, ingressi sunt quidam ex his qui illi assistebant, ut illum jam debere progredi monerent, inveneruntque infelicem illum capite deorsum, ubi egerebantur stercora demersum, pedibusque sursum erectis. Erigentes autem illum, invenerunt æquali impii Arii, Dei hostis, morte exstinctum horribili et æterna. [Nam et illum, cum auxilio fretus principum se in Ecclesiam Dei speraret tyrannice ingressurum sanctæ Dei Ecclesiæ mirabilis et magni consilii angelus, ejus viscera quæ nefarium scelus parturiebant, in secessu dissipavit; et hunc auxilio item innixum principum, cum prioribus se pejora patraturum speraret, Thessalonicensis Ecclesiæ rector angelus cum Magno martyre Demetrio, præveniens, in eo loco in quo sedens, et commercium habens cum impuro dæmone, adversus sanctam Dei Ecclesiam struebat insidias, in eodem inutilis servi pedes, qui recte incedere nolebat, clavis suffixos pendentes reliquit; in quibus indicia eminebant illius judicii, quo plectendus erat, et quam terribile sit in manus incidere Dei viventis (*Heb.* x).[1]]

CAPUT XLIV.

Vita senis monachi prope civitatem Antinoum commorantis, et de oratione pro mortuis.

Senex quidam enarravit nobis cum Thebaidam venissemus, quod senex unus morabatur extra civitatem Antinoum, magnæ virtutis vir, qui in cella sua egerat annos septuaginta. Erant autem illi discipuli decem, ex quibus unus erat valde negligens sui. Senex ergo sæpius illum corripiebat, et hortabatur, dicens: Frater, sollicitudinem gere pro anima tua; habes enim mori; et nisi te emendaveris, in supplicium tendes. Frater autem ille semper seni inobediens erat, nec ea quæ ab ipso dicebantur admittebat. Contigit autem post aliquantulum temporis, ut iste moreretur. Contristatus vero senior super illo valde (sciebat enim quod in magna desidia et negligentia de sæculo exiisset), cœpit orare, ac dicere: Domine Jesu Christe, verax Deus noster, revela mihi quid sit circa fratris animam. Aspexit autem in excessu mentis effectus, fluvium ignis, ingentemque in ipso igne multitudinem, ac medium fratrem illum ad collum usque demersum. Tunc ait illi senior: Nonne te propter hanc pœnam orabam, ut curam animæ tuæ ageres, fili? Respondit frater, et ait seni: Gratias ago Deo, Pater, quod vel caput meum requiem habet; per orationes enim tuas supra caput episcopi sto.

[1] Uncinis inclusa suppleta sunt ex Græco.

CAPUT XLV.

Vita Monachi inclusi in monte Olivarum, et de adoratione (10) imaginis sanctissimæ Dei genitricis Mariæ.

Dicebat abbas Theodorus Æliotes quod fuerit quidam inclusus in monte Olivarum certator maximus: impugnabat autem illum fornicationis spiritus. Die vero quadam cum instaret illi vehementer, cœpit ejulare senex, et dicere dæmoni: Quandiu non dimittis me? recede jam a me, qui mecum consenuisti. Apparuit autem ei dæmon visibiliter, dicens: Jura mihi, quia nemini dices quod tibi dicturus sum, et te non amplius oppugnabo. Juravitque ille senex, dicens: Per inhabitantem in altissimis nulli dicam quæ mihi dixeris. Tunc ait illi dæmon: Noli adorare hanc imaginem, et ultra te non impugnabo. Habebat autem hæc imago expressam figuram dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis Mariæ, ferentem Dominum nostrum Jesum Christum. Ait inclusus dæmoni: Dimitte me ut deliberem. In crastinum autem hoc significavit ipsi abbati Theodoro Æliotæ tunc habitanti in Laura Pharan, narravitque illi omnia. Senex autem ait recluso: Vere, domine abba, illusus es, quia jurasti dæmoni; verumtamen bene fecisti hoc revelans. Expedit autem tibi nullum in illa urbe lupanar omittere, quod non ingrediaris, quam ut neges te adorare Deum, et Dominum nostrum Jesum Christum cum matre sua. Confirmatum igitur et corroboratum pluribus verbis reliquit illum in loco suo. Apparuit ergo dæmon incluso rursus, dicens: Quid hoc est, pessime senex? **875** Nonne tu jurasti mihi quia id nemini diceres? Et quare dixisti ei qui venit ad te: Dico tibi quia ut perjurus in die judicii judicaberis? Respondit inclusus, dicens: Scio quidem, quia juravi, et pejeravi; verumtamen Dominum et Creatorem meum pejeravi, tibi autem non obediam. A te enim ut auctore et pravi consilii et perjurii pœnæ inevitabiles exigentur.

CAPUT XLVI.

Mirabilis visio abbatis Cyriaci Lauræ Calamonis, et de duobus impii Nestorii libris.

Accessimus ad abbatem Cyriacum presbyterum Lauræ Calamonis juxta sanctum Jordanem, narravitque nobis dicens: Die quadam vidi per somnum mulierem honesta facie, purpura indutam, et cum ea viros duos, et ipsos venerando habitu, et aspectu præclaro. Arbitratus autem sum mulierem illam esse Dominam nostram sanctam Dei genitricem, eosque qui cum illa erant duos viros, sanctum Joannem Theologum et sanctum Joannem Baptistam. Egressusque de cellula orabam illos ut ingrederentur et in cella mea orarent, quæ non consensit. Permansi ergo diutius orans et obsecrans, ac dicens: Ne, quæso, avertatur humilis factus confusus (*Psal.* LXXIII); et alia plurima hujusmodi. Illa igitur ut me vidit instare precibus, eamdemque postulationem iterare, severius mihi respondit, dicens: Habes intra cellam tuam

inimicum meum, et vis ut ingrediar? Et his dictis abscessit. Evigilans autem ego affligi cœpi, et cogitabam, num aliquid in mente peccatum contra illam admisissem, neque enim erat alius aliquis in cella mea, nisi ego solus. Diutius igitur meipsum discutiens, nihil inveni, quod in illam peccassem. Cum vero vidissem me nimio mœrore absorberi, surgens accepi librum ut legerem, quo per hujusmodi lectionem dolorem una cogitationesque repellerem. Librum autem ipsum acceperam mutuo a beato Isychio presbytero Jerosolymitanæ Ecclesiæ. Evolvensque librum inveni duos impii Nestoris libros in fine voluminis scriptos, moxque agnovi hunc esse sanctæ Dominæ nostræ Dei genitricis semperque virginis Mariæ inimicum. Tunc surgens abii, librumque illi qui mihi eum accommodaverat, reddidi, dicens illi : Accipe librum tuum, frater, neque enim ex eo tantum utilitatis cepi, quantum detrimenti Cum vero ille detrimenti ipsius causam sciscitaretur, omnem illi rei ordinem retuli. Qui zelo Dei succensus protinus duos illos Nestorii libros ex volumine præscidit, eosque igni tradidit, dicens : Non manebit in cella mea Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ inimicus.

CAPUT XLVII.

Miraculum sanctæ Dei genitricis contra Gaianum mimum qui eam in theatro blasphemabat.

Heliopolis Phœnicis Libanensis civitas est. In hac mimus quidam erat, Gaianus nomine, qui in theatro sanctam Dei genitricem blasphemans, populo spectaculum blasphemiæ præbebat. Apparuit autem illi sancta Dei genitrix, dicens : Quid tibi mali feci, quia coram tanta multitudine mihi detrahis, et blasphemas me? Ille vero surgens, non solum non se correxit, verum etiam plus blasphemabat. Rursus ergo apparuit illi sancta Dei genitrix, corripiens eum, ac dicens : Noli, quæso, noli ita lædere animam tuam. Ille vero rursum deterius illam blasphemabat. Unde ipsa tertio eidem apparens, eadem repetebat. Cum autem se ille non corrigeret, sed plus quoque blasphemiis adjiceret, meridie dormienti sibi apparuit, nihilque dicens, digito solo signavit ejus manus et pedes. Evigilans autem, invenit se truncatum manibus et pedibus. Atque ita infelix ut truncus inutilis jacens, confitebatur omnibus cujus rei gratia, et quomodo hoc passus esset, utque propter blasphemias suas clementer cruciatus fuisset.

CAPUT XLVIII.

Miraculum item sanctæ Dei genitricis quo Cosmiana uxor Germani patricii coacta est ex hæresi Severiana ad veram Christi fidem redire.

Narravit nobis Anastasius presbyter, et ornamentorum sanctæ resurrectionis Dei et Domini nostri Jesu Christi custos, quia adveniens illuc Cosmiana, uxor Germani patricii, voluit nocte quadam sanctæ Dominicæ sola adorare sanctum Domini nostri Jesu Christi vivificumque monumentum. Et cum appropinquaret januæ sacrarii, apparuit illi visibiliter Domina nostra sancta Dei genitrix cum aliis quoque mulieribus, dicens : Quomodo cum nostra non sis, huc audes ingredi? et prohibebat eam. Neque enim (inquiebat) nostra es. Erat enim de hæresi Severi acephali. Illa vero multum rogabat, ut mereretur ingredi. Ad quam sancta Dei genitrix respondens ait : Crede mihi, mulier, non ingredieris huc, nisi nobiscum communicaveris. Agnito autem quod quia esset hæretica ingredi prohiberetur, quodque nisi accederet ad sanctam catholicam et apostolicam **876** Ecclesiam Christi Domini et Dei nostri, intrare non permitteretur, continuo diaconum accersivit, et veniente sancto calice sacrum corpus sumpsit et pretiosum sanguinem magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi. Atque ita absque ulla prohibitione digna habita est adorare sanctum et venerabile sepulcrum Domini Jesu Christi.

CAPUT XLIX.

Mirabilis visio ducis Palæstinæ, qua et ipse coactus fuit prædictæ hæresi abrenuntiare, et Christi Ecclesiæ communicare.

Narravit autem nobis et hoc idem presbyter Anastasius, dicens, quod Palæstinæ dux Gevemer aliquando venerit adorare sanctam Christi Domini nostri resurrectionem. Et cum cœpisset ingredi in sanctum monumentum, aspexit arietem cum impetu super se venientem, cornibusque illum impetentem. ille vero pavore correptus, retro redibat. Custos vero sanctæ crucis Azarias, et qui assistebant lictores (11), timore permoti dicunt ei : Quid est, quid habes, domine? cur non ingrederis? Dicit eis : Ut quid intulistis arietem istum? Qui stupefacti inspexerunt sanctum monumentum, nihilque videntes, aiunt ad illum : Ingredere, nihil tale intus est. Rursum ille ingredi cœpit, sed iterum aspexit arietem contra se venientem, et se introire prohibentem. Istud cum sæpe factum esset, illeque cæteris nihil videntibus, solus arietem cerneret, ait illi crucis custos : Crede mihi, domine, aliquid habes in anima tua, quod te prohibet adorare sanctum, ac venerabile, et vivificum monumentum Salvatoris nostri; itaque moneo ut confitearis Domino peccata tua. Clemens enim et misericordissimus cum sit, et tui misereri volens, hujusmodi tibi miraculum ostendit. Ille autem cum lacrymis dixit ei : Vere multis magnisque sceleribus obnoxius sum. Et se ipsum in faciem prosternens, per multas horas permansit flens et confitens Domino. Surrexit deinde, et rursus ingredi voluit, sed iterum ab ariete permissus non est. Tunc ait illi sanctæ crucis custos : Vere aliud est, quod te ingredi vetat. Dixit autem ille : Num fortasse ideo, quia non sanctæ catholicæ Ecclesiæ, sed Severo communico, introire prohibeor? Tunc petiit a custode ut sancta et vivifica Christi Dei nostri mysteria sibi afferrentur. Et allato sancto calice, communicavit. Atque ita ingressus est, et adoravit, nil ultra impedimenti passus, nihilque ulterius cernens, quod se deterreret.

CAPUT L.

Visio et dictum abbatis Georgii inclusi.

Scythopolis secunda est Palæstinæ metropolis. In ea convenimus abbatem Anastasium, narravitque no-

bis de abbate Georgio incluso, dicens : Cum quadam nocte surrexissem, ut pulsarem signum (ea quippe cura mihi ut canonarchæ (12) injuncta fuerat ut excitarem fratres ad collectam) audivi plorantem senem; profectusque ad illum, rogare cœpi, dicens : Quid habes, Pater, quia sic ploras? Ille vero nihil mihi respondit. Rursus cum rogarem illum, ut causam fletus mihi aperiret ingemiscens ille, et ex intimo corde suspirans, ait : Quomodo mihi a fletu temperem, cum Dominus noster Jesus Christus reconciliari nobis noluit? Ego enim, fili, videbar mihi assistere cuidam super excelso throno residenti; multa vero millia circa illum erant orantium illum, atque deprecantium de quadam re, qui illorum precibus flexus non est. Posthæc accessit ad illum mulier quædam purpura induta, prociditque illi, et ait : Vel propter me placare, fili. Ille vero nihilominus inexorabilis mansit. Atque idcirco ploro et ejulo, verens quod futurum est. Hæc mihi dixit abbas Georgius, quinta illucescente feria cœnæ Domini; sequenti vero, id est parasceve, hora diei nona, repentino magnoque terræ motu corruerunt urbes maritimæ Phœnicis.

Idem abbas Anastasius hoc item nobis de sene eodem enarravit, quod post aliquantulum temporis, cum ad fenestram staret, plorare senex cœperit; et dixerit illi : Væ nobis, frater, quia nullam habemus compunctionem, sed in negligentia vivimus, et timeo cum ira Dei comprehendat nos, et in januis simus, ut judicemur. Et sequenti die ignis apparuit in cœlo.

CAPUT LI.

Vita Juliani senis monasterii Ægyptiorum.

Anazarbus metropolis est secundæ Cilicum provinciæ, ab hac fere duodecim milliaribus distat monasterium quod dicitur Ægyptiorum. Narraverunt ergo nobis Patres ejusdem loci quod illic ante annos quinque mortuus esset senex, Julianus nomine, qui circiter annos septuaginta in quodam brevi spelæo moratus esset, nihil omnino sæculi istius possidens, præter cilicium, et sagum, et vasculum ligneum, et librum. Dicebant autem nobis et hoc de ipso, quod toto vitæ suæ tempore non accendit lucernæ lumen, sed per noctes cœlitus illustrabat eum lux, ita ut clare legere posset.

CAPUT LII.

Dictum abbatis Eliæ solitarii.

877 Venit frater quidam ad abbatem Eliam solitarium in cœnobium antiqui patris Sabæ, et dixit ei: Dic mihi verbum, Pater. Senex vero dixit fratri : Diebus Patrum nostrorum tres istæ virtutes in amore et studio apud monachos erant : nuditas rerum omnium, mansuetudo, et continentia; nunc autem avaritia, gula et audacia. Quod horum tibi placet arripe.

CAPUT LIII.

Vita senis Cyriaci ex monasterio sancti Sabæ.

Narravit nobis abbas Stephanus de quodam sene morante in monasterio sancti Patris nostri Sabæ, nomine Cyriaco, quod die quadam descenderit Tuthe-
A lam [*Græce* κοθυλᾶν], parumque remoratus circa mare Mortuum, redierit iterum ad cellam suam. Cum vero esset æstus vehementissimus, ita ut senex pene deficeret, extendens manus suas in cœlum ad Deum, oravit dicens : Domine, tu scis quia jam præ siti ambulare non possum. Statimque nubes circa illum facta est, neque recessit ab eo, quandiu restitueretur cellæ suæ. Distabat autem a cella milliaribus fere duodecim.

Idem abbas Stephanus et hoc nobis de eodem sene narrabat, quod venerint sui die quadam ut illum viderent. Cum ergo venissent ad locum, quærebant ipsius cellulam : quam dum quibusdam ostendentibus didicissent, adeuntes pulsaverunt januam. Quibus cognitis, senex Deum oravit, ne ab ipsis videretur.
B Et aperiens januam, exiit de cellula sua, et ab eis penitus visus non est : abiensque in desertum redire tandiu noluit, donec illos recessisse cognovit.

CAPUT LIV

Vita monachorum Scythiotarum, et de sene Ammonio.

Venimus postea Terenuthen ad abbatem Theodorum Alexandrinum; aitque nobis senex : Filioli, multum revera perdiderunt Scythiotæ monachi juxta senum prædictionem. Credite enim mihi, filii, quia magna erat charitas apud Scythiotas magna abstinentia, magna discretio. Vidi ego illic senes, qui nisi quis ad eos venisset, nunquam sumebant cibum : inter quos erat senex quidam, Ammonius nomine, juxta me manens; cujus ego sciens consuetudinem,
C per omne Sabbatum ad illum veniebam, ut propter adventum meum sumeret cibum. Habebant hoc omnes generaliter, quod quacunque hora accederent ad eos aliqui, permittebant illos orationem facere, illisque orantibus, ipsi mensam apponebant, et continuo cibum sumebant.

CAPUT LV.

Visio cujusdam senis commorantis in Scythi, et de abbate Irenæo.

Abbas Irenæus narravit nobis de sene quodam commorante in Scythi, quod diabolum viderit noctu sarculos, rastra, et cophinos præbentem fratribus; dixitque diabolo senex : Qui ista sunt? Respondit diabolus : Distractionem fratribus præparo, ut his occupati, fiant negligentiores ad orandum et glorifi-
D candum Deum.

Idem abbas Irenæus narravit nobis dicens iterum : Cum venissent barbari in Scythim, recessi inde, et veni in partes Gazæ, accepique mihi cellulam in monasterio. Abbas vero ipsa die dedit mihi librum ad legendum, in quo senum gesta (13) scripta erant. Moxque ut aperui librum, occurrit oculis capitulum istud, quod venerit quidam frater ad senem, dixeritque illi : Ora pro me, Pater; dixerit autem illi senex : Cum esses nobiscum, orabam pro te; nunc autem ex quo in propria abiisti, non jam oro pro te. Ut ergo legi ego capitulum istud, plicui librum, et dixi in me ipso : Væ tibi, Irenæe, quia in propria venisti, nec jam orant pro te Patres. Moxque librum abbati re-

stituens recessi, et veni in loca ista. Et hæc mihi causa fuit, filioli, veniendi in hunc locum

CAPUT LVI.

Vita Joannis discipuli senis magni, qui morabatur in vico Caparasima.

Ptolemais civitas est Phœnicis, in hac vicus est qui dicitur Caparasima [*Græce* Παράσημα]. In eo vico senex quidam erat magnus, habebatque discipulum, Joannem nomine, et ipsum magnum, singularisque obedientiæ. Quadam ergo die misit senex discipulum suum in ministerium, dans ei et modicos panes pro victu suo. Profectus est autem discipulus, et completo ministerio rediit, retulitque panes. Videns autem senior panes, ait ei : Fili, quare non comedisti panes quos dedi tibi? Prostratus ille coram sene, dixit ei : Ignosce mihi, Pater, quia non benedixisti mihi, cum mitteres me, neque jussisti ut cibum sumerem, idcirco non sumpsi. Admiratusque senex discretionem fratris, benedixit eum.

Ad hunc fratrem post dormitionem senis, cum jejunasset quadraginta diebus, vox facta est divinitus, dicens : Super quemcunque morbum imposueris manus, curabitur. **878** Mane autem facto, per dispensationem Dei, ecce homo quidam cum uxore veniebat, cujus mamillam cancri morbus consumebat. Rogabat ergo illum vir ejus ut uxorem suam curaret. Qui cum peccatorem se diceret, et indignum ad tale attentandum opus, vir ille persistebat orans, ut annueret sibi, uxorisque suæ misereretur. Cum vero imposuisset illi manum, mamillamque signasset, continuo sanata est. Et ex tunc plurima jam per illum signa Deus operatus est, non tantum in vita sua, verum etiam post mortem.

CAPUT LVII.

Mors Simeonis Stylitæ, et de Juliano abbate etiam Stylite.

Quadraginta fere milliaribus ab Ægis civitate Ciliciæ Stylites erat nomine Simeon; hic fulgure percussus interiit. Abbas ergo Julianus Stylites presbyter præter consuetudinem suam insolito tempore dixit discipulis suis : Mittite thymiama in thuribulum (14). Qui dixerunt ei : Dic nobis causam, Pater; orabantque ut diceret eis. Senex autem dixit : Quia modo frater meus Simeon a fulgure dejectus interiit, et ecce transit anima ejus cum tripudio et exsultatione. Distabant autem ab invicem milliaribus fere viginti quatuor.

CAPUT LVIII.

Item de Juliano.

Abbas Stephanus Trichinas, monasterii sancti Patris nostri Sabæ antistes, et hoc de memorato abbate Juliano Stylita narravit, quod leo juxta eum locum in quo morabatur apparuerit, plurimosque peregrinos et indigenas necare solitus fuerit. Die ergo quadam advocans discipulum suum senex, Pancratium nomine, dixit ei : Vade ferme duo millia passuum ad Austrum, inveniesque illic leonem jacentem, cui dices : Humilis Julianus in nomine Jesu Christi filii Dei vivificantis omnia tibi præcipit ut recedas ab hac

A provincia. Profectus vero frater invenit leonem jacentem. Cumque verba senis illi dixisset, continuo recessit leo.

CAPUT LIX.

Vita abbatis Thalelæi (15) Cilicis.

Abbas Petrus presbyter ejusdem monasterii, narravit nobis de abbate Thalelæo Cilice, quod sexaginta annos transegisset in vita monastica nunquam flere desistens, dicensque jugiter : Tempus hoc nobis ad pœnitentiam indultum est, et valde requiretur a nobis si illud neglexerimus

CAPUT LX.

Factum egregium sanctimonialis feminæ, per quod compunctus adolescens ejus amator, monachus effectus est.

B Quidam vir fidelis narravit nobis, cum in Alexandria essemus, tale quiddam : Sanctimonialis, inquit, quædam sedebat in domo sua vitam solitariam ducens; salutisque suæ valde sollicita, jejuniis ac vigiliis vacabat jugiter, multasque faciebat eleemosynas. Sed bonorum omnium semper invidus diabolus, tantas in virgine virtutes non ferens, contra illam pulverem excitavit. Immisit enim adolescenti cuidam turpem de illa diabolicamque cupidinem. Manebat autem extra limen ejus adolescens. Cum ergo virgo illa domo sua vellet egredi, atque ad ecclesiam orationis gratia occurrere, ingerebat se illius oculi improbus et impurus adolescens, nec illam egredi sinebat, amatoria quædam verba procacibus nutibus illi insusurrans; adeo ut jam præ nimia molestia adolescentis cogeretur virgo domo sua nusquam progredi.
C Die igitur quadam misit ancillam suam virgo ad illum ut ei diceret : Veni, vocat te domina mea. Abiit ergo ad illam gaudens, et stuprum committere gestiens. Sanctimonialis vero sedebat in cubili suo; ingresso igitur adolescenti ait : Sede. Cumque sedisset : Dic, oro te, frater, inquit illa, cur ita mihi molestus es, nec permittis me domo mea egredi? Respondit adolescens : Vere, domina, te multum amo, et quando te inspicio, totus in tui concupiscentiam inflammor. Quæ ait ad illum : Quidnam in me pulchrum vidisti, quia sic amas me. Ait adolescens : Oculos tuos; ipsi enim seduxerunt me. Virgo vero ut audivit quia oculi ejus illum seduxissent, sumpto radio textorio mox oculos eruit. Hoc autem cum vidisset
D adolescens, eruisse scilicet sibi virginem oculos, compunctus corde abiit in Scythim, ibique sæculo renuntians, effectus est probatissimus monachus.

CAPUT LXI.

Vita abbatis Leontii Cilicis.

Dicebant quidam Patrum de abbate Leontio Cilice, quod in obsequio dominæ nostræ sancti Dei genitricis fuerit ferventissimus, ac per quadraginta annos nunquam de illius templo recesserit. Erat autem semper miræ gravitatis, et sibi jugiter intendens.

Dicebant et hoc de illo, quod si vidisset pauperem venientem ad se, si quidem ille esset cæcus, per manum illi porrigebat eleemosynam; si autem videns, ponebat ante illum, **879** aut in columnæ

basi, aut in scamno, aut in sanctuarii gradibus. Atque inde illam tollebat pauper. Interrogatus autem a sene: Quare, Pater, per manus non das eleemosynas? respondit: Ignosce mihi, Pater; neque enim ego sum qui illam præbeo, sed domina mea sancta Dei genitrix, quæ et me, et illos nutrit.

CAPUT LXII.

Vita abbatis Stephani monasterii Æliotarum presbyteri.

Narravit nobis unus ex senibus de abbate Stephano presbytero monasterii Æliotarum, quod cum sederet in cella sua, immisit illi cogitationes dæmon dicens: Recede, nihil enim hic proficis. Senex autem dicebat dæmoni: Non audio te, scio enim quis es; ferre non potes ut aliquis salvetur; sed Christus Filius Dei vivi ipse te conteret.

B

CAPUT LXIII.

De eodem.

Dicebant de eodem abbate Stephano, quod cum sederet in cella sua et legeret, venit iterum diabolus visibiliter, dixitque ei: Recede, nihil enim hic proficis. Tunc ille dæmoni: Si vis ut recedam, fac ut id in quo ego sedeo ambulet. Sedebat autem in sella viminea. Quo audito, dæmon confestim sellam illam per totam cellam ambulare fecit. Senex autem aspiciens versutiam dæmonis, ait illi: Nempe quoniam ita velox et astutus es, non hinc recedo. Factaque ab eo oratione, dæmon evanuit.

CAPUT LXIV.

De eodem.

C

Tres senes venerunt ad abbatem Stephanum presbyterum, et cum perseverarent loquentes de utilitate animæ, tacebat senior. Dicunt ei senes illi: Nihil nobis respondes, Pater? utilitatis gratia venimus ad te. Tunc ait illis: Ignoscite mihi, usque modo non animadverti quid locuti sitis; verumtamen quod habeo, hoc dico vobis. Ego die noctuque nihil aliud aspicio, nisi Dominum nostrum Jesum Christum in ligno pendentem. Quod cum audissent, multum ædificati recesserunt.

CAPUT LXV.

De eodem.

Abbas Joannes, cognomento Molybas, narravit nobis de venerando sene isto beato Stephano presbytero, quod cum aliquando jecur illius graviter infirmaretur, ex qua infirmitate sancta illa anima migravit a corpore, coegerunt illum medici carnem manducare. Erat autem illi frater sæcularis quidam, sed valde religiose et secundum Deum vivens. Factum est autem cum carnes comederet presbyter, supervenit frater ejus sæcularis, vidensque illum vescentem carnibus, scandalizatus est, et valde contristatus, quod ex tanta abstinentia atque continentia in extremo vitæ suæ tempore ad comedendum carnes devolutus esset. Mox ergo in exstasi factus, vidit quemdam dicentem sibi: Quare sic de presbytero scandalizatus es, quia illum vesci carnibus vidisti? Nescis quia necessitate compulsus, et propter obedientiam id fecit? Nempe propterea scandalizari non

D

A debuisti; nam si merita et gloriam fratris tui videre cupis, retro convertere, et vide. Conversusque vidit fratrem suum crucifixum cum Domino. Atque ad eum is qui illi apparuerat: Ecce in qua gloria frater tuus est. Glorifica ergo eum qui glorificat eos qui se diligunt in veritate.

CAPUT LXVI.

Vita abbatis Theodosii solitarii.

Abbas Antonius præpositus monasterii Æliotarum, qui etiam illud ædificavit, narravit nobis de abbate Theodosio, quod senex ipse hæc de seipso narrabat: Priusquam ad vitam solitariam transissem, factus in exstasi aspexi virum quemdam, cujus species claritatem solis vinceret. Hic tenens manum meam: Veni, ait, quia pugnare et luctari te convenit; et induxit me in theatrum infinitæ magnitudinis. Aspexi autem theatrum plenum viris ex una parte candido amictu, ex alia vero nigro vestitis. Cum ergo injecisset me in theatrum, aspicio virum miræ magnitudinis Æthiopem, cujus caput turpissimum penetrabat nubes. Tunc ait ad me juvenis ille qui mihi apparuerat: Cum hoc luctari te oportet. Ego qui aspectu viri illius proceri territus eram, tremere ac pavere cœpi, orabamque juvenem illum splendidum, qui me induxerat in theatrum, dicens: Quis hominum mortali conditione et infirmitate circumdatus, cum hoc luctari possit? Non ipsum universum genus humanum, si in unum confluat, huic resistere prævalet. Ait autem ad me juvenis ille præclarus: Prorsus cum illo tu luctari opus est. Ingredere igitur cum omni alacritate et fiducia; mox enim ut tu illum adorsus fueris, ego adjutor adero, tibique victoriæ coronam reponam. Ut ergo ingressus ad certamen sum luctarique invicem cœpimus, continuo præclarus ille judex nostri certaminis adfuit, mihique coronam dedit. Atque plebs illa obscura, Æthiopumque multitudo ingens ejulantes evanuerunt; pars vero reliqua candidatorum gratias illi et laudes referebant, qui me juverat, ac præclara victoria donaverat.

CAPUT LXVII.

De eodem.

880 De hoc abbate Theodosio solitario narravit nobis abbas Cyriacus ejus discipulus, quod triginta quinque annos egerit in solitudine, semper post biduum comedens, et jugiter silentium servans, neque ad aliquem loquens; cæterum si loqui voluisset, signo potius quam verbo utebatur. Hoc et ego vidi. Mansi enim in eodem Æliotarum monasterio annis decem.

CAPUT LXVIII.

De eodem.

De abbate Theodosio cum audisset Abramius antistes sanctæ Mariæ novæ, quod non haberet pallium quo hieme uteretur, emit illi. Quod postquam senior accepit, quadam die cum obdormiret (dormiebat autem in cella senex), ascenderunt latrones, et exuerunt illum pallio, abeuntesque secum illud tulerunt. Quo facto, nihil omnino locutus est senex.

CAPUT LXIX.

Vita abbatis Palladii, et senis Thessalonicensis inclusi, nomine David.

Perreximus una ego et dominus Sophronius Sophista, priusquam sæculo renuntiaret, in Alexandriam ad abbatem Palladium, virum sanctum, et verum servum Dei, qui monasterium suum habebat in Thelazomeno [*Græce*, Λεθαζόμενον]. Cumque illum pariter deprecaremur, ut verbum nobis ædificationis impenderet, cœpit senex ita ad nos loqui : Filioli, tempus jam abbreviatum est, certemus hic modicum, atque laboremus ut immortalibus bonis in æternum perfruamur. Videte martyres, videte pugiles cœlestes, quomodo viriliter et fortiter cuncta superarunt. Quos præteritum quidem tempus agnovit, vivunt autem semper in memoria nostra, vixque satis illorum tolerantiam admirari possumus. Attestantur audientium singuli, stupentes ad tantam beatorum martyrum patientiam, quæ vere naturam excedit humanam. Quorum aliis quidem effossi sunt oculi, aliis excisa crura, illis amputatæ manus, istis abscissi pedes. Et illos quidem ignis repente consumpsit, istos autem lentius adurens, diu cruciavit. Atque alios nimirum profundum maris excepit, alios flumina absorbuerunt ; alios item ferarum dentes, veluti malefactores quosdam et sceleratos, vivos acceperunt ; alios variis exquisitisque suppliciis præmortuos in cibum acceperunt. Cæterorum omnia contra illos bellatores Dei tormentorum genera excogitata dicere non possumus, quæ suggessit humani generis inimicus dæmon, invidia martyrum ipsorum et livore tabescens. O quam fortiter sustinuerunt ! o quanto fidei ardore pugnaverunt, imbecillitatem corporis animæ virtute superantes, et quæ speraverunt præmia, præsentibus laboribus digniora et longe excellentiora capientes. Quæ profecto omnia firmissimam illorum in utramque partem fidem ostendebant. Hinc quidem, quia laborantes modicum, eximiis bonis in æternum perfruuntur; inde vero, quia horrenda corporibus illorum invecta supplicia, quæ inimicus noster diabolus induxit, fortissime sustinuerunt. Si igitur tribulationes toleremus, et cum Dei gratia vincamus, vere Dei amatores invenimur, Deusque nobiscum est, pugnans ipse in nobis, et vincens, laboresque nobis ac sudores dignationis suæ gratia allevans. Scientes igitur, filioli, quali operatione et exspectatione tempus indiget, dignoscamus nos ipsos per quietem et silentium. In hoc enim indulto nobis tempore, necesse est nos uti bona et præclara ope pœnitentiæ, ut Dei templa esse mereamur; neque enim modicus et brevis honor nobis in futuro sæculo recompensabitur.

Dixit iterum : Memores semper illius simus, qui non habuit ubi caput reclinaret (*Matth.* VIII). Ait rursus ipse senior : Quoniam, juxta Paulum apostolum, tribulatio patientiam operatur (*Rom.* V), faciamus mentem nostram capacem regni cœlorum. Ait iterum : Filioli, non diligamus mundum, neque ea quæ in mundo sunt (*I Joan.* II).

A Dixit iterum : Observemus cogitationes, quod medicamentum salutis est

Idem abbas Palladius, rogatus a nobis ut ædificationis nostræ causa diceret nobis qua ratione quibusque cogitationibus ad monasticum statum accessisset ; erat autem senex Thessalonicensis, et narravit nobis, dicens : In regione mea senex quidam extra muros civitatis quasi stadiis tribus inclusus erat ex Mesopotamia, nomine David, virtutibus valde ornatus, misericors et continens. Transegit autem in cellula inclusus fere annos octoginta [*Alias* septuaginta]. Quoniam vero propter metum barbarorum nocte muri civitatis custodiebantur a militibus, hi qui illam muri partem observabant, quæ senis cellulam respiciebat, nocte quadam aspexerunt quia ex fene-
B stris cellulæ ignis egrediebatur. Putaverunt autem milites barbaros in cellam senis ingessisse ignem. Mane autem facto, ingressi milites invenerunt et senem illæsum, et cellam omnino incombustam, et obstupuerunt. Rursus igitur sequenti nocte eumdem aspicientes ignem, admirabantur. Non solum autem sequenti nocte ignis **881** in cella senis apparuit, verum et multo tempore, ita ut universæ civitati manifestum factum fuerit, plurimique nocte in muro sæpe vigilarint, inspiciendi ignis gratia. Visus autem ignis ille usque ad obitum senis. Hoc ego miraculo non semel et bis, sed sæpius inspecto, dixi in me ipso : Si in hoc sæculo tantam gloriam servis suis largitur Deus, quantam putas eis reservavit in futuro, quando et illorum facies fulgebunt ut sol ? Ista mihi,
C filioli, causa exstitit arripiendi monasticum habitum, et hanc conversationem eligendi.

CAPUT LXX.

Vita monachi Addas Mesopotameni inclusi.

Dicebat et hoc nobis senex, quod post hunc abbatem David venit et alius monachus, nomine Addas, et ipse de Mesopotamia, et seipsum inclusit ad aliam partem civitatis, in quadam magna platano, fecitque sibi fenestram, ex qua etiam cum advenientibus colloquebatur. Cum ergo venissent barbari, et omnem provinciam prædati essent, contigit eos per locum illum transire. Cumque unus ex eis conspecto sene, gladium eduxisset, ut illum occideret, sublatam in sublime manum ut feriret, demittere nequivit, sed
D ea suspensa immobilis perstitit. Quod cum cernerent barbari cæteris, admirati rogabant senem, ut socium eorum curaret. Senex igitur, facta oratione, curavit eum, et ita dimisit in pace

CAPUT LXXI.

Pulchrum dictum homicidæ ad monachum qui eum sequebatur dum duceretur ad decollandum.

Narravit nobis iterum idem abbas Palladius, dicens, quod in Arsenoite, quæ civitas Thebaidis est, tentus fuerit quidam homicidii reus ; qui cum diu cruciatus esset, tandem sententiam decollationis accepit. Cum ergo duceretur extra civitatem sex millibus passuum (illic enim etiam perpetrarat homicidium) monachus quidam retro sequebatur ut illum decollari conspiceret ; qui autem ad decollandum du

cebatur, cum vidisset monachum sequentem, ait illi: Nunquid, abba, non habes cellulam, et opus manuum? Respondit monachus: Parce mihi, frater; et cellam enim et opus habeo. Qui respondens ait illi: Quare ergo non resides in cella et defles peccata tua? Dicit ei monachus: Vere, frater mi, valde meipsum negligo, compunctionemque anima mea non habet, et idcirco venio ut aspiciam te, dum morieris, ut vel sic in compunctionem veniam. Tunc ait illi reus: Vade, frater, per Dominum; sede in cella tua, et gratias age Salvatori Jesu Christo. Ex quo enim ille homo factus est, et pro nobis peccatoribus mortuus est, homo jam non moritur æterna morte.

CAPUT LXXII.

Relatio abbatis Palladii de sene homicida, qui adolescentem falso de eodem crimine accusabat.

Et hoc item narravit nobis ipse abbas Palladius, dicens: Senex quidam sæcularis qui homicidium fecerat, detentus est a magistratu in Alexandria. Qui cum cruciaretur, dicebat et alium fuisse secum cædis illius socium. Is autem de quo senex dicebat, adolescens erat viginti ferme annorum. Multis ergo suppliciis ambo affecti sunt. Et senex quidem dicebat: Mecum fuisti, quando perpetravi homicidium. Adolescens vero denegabat, nihil se conscium esse homicidii, neque cum illo se fuisse asserens. Cum ergo cruciati fuissent, sententiam ambo acceperunt ut furcis suspenderentur. Abierunt ergo quinto extra urbem milliario, illic enim hujusmodi reos punire consueverant. Distabat autem ab eo l co fere uno stadio Saturni templum eversum. Cum igitur ad locum venissent et populus et milites, adolescentem primo suspendere in ligno voluerunt; adolescens autem prostratus in solo milites orabat, dicens: Per Dominum facite charitatem, et ad Orientem me suspendite, ut illum videam quando suspensus ero. Dicunt ei milites: Quam ob causam? Quibus adolescens: Vere, domini mei, non habeo infelix ego plus quam septem menses ex quo sanctum baptisma suscepi, et Christianus factus sum. Cum hoc audissent milites lacrymati sunt super adolescente. Senex autem cum hoc audisset, fremens graviter dixit militibus: Per Serapim facite (16), ut ego aspiciam contra Saturnum. Cum vero audissent milites blasphemiam senis, omisso adolescente, senem primo suspenderunt. Cum vero illum in ligno suspenderent, ecce eques ab Augustali celeriter missus, ait militibus: Adolescentem nolite interficere, sed reducite illum. Factum est autem ingens gaudium militibus et cunctis assistentibus. Et reducentes eum introduxerunt in prætorium, absolvitque illum Augustalis. Adolescens vero præter spem salvus factus, abiens monachus effectus est. Hoc autem ad nostram et legentium utilitatem scripsimus, ut sciamus quia novit Dominus pios a tentatione liberare.

CAPUT LXXIII.

Vita Joannis militis Alexandrini.

882 Hoc etiam nobis idem abbas Palladius nar- A ravit, dicens: Erat in Alexandria miles quidam, Joannes nomine, hunc habens ordinem vitæ. Diebus singulis a mane usque in horam nonam sedebat in monasterio solus juxta gradus sancti Petri, cilicio indutus, et sportellas texens, tacens omnino, et nulli quidquam loquens; sedebat autem in oratorio laborans manibus suis, atque hoc solum canebat dulciter: Domine, ab occultis meis munda me (*Psal.* XVIII), ut non confundar orans. Hunc versum cum dixisset, una ferme hora tacebat, et rursum eumdem resumebat versum, ipsumque septies per totam diem repetebat, nihil omnino aliud dicens. Hora autem nona exuebat cilicium, induebatque militarem habitum, id est, indumenta sua, atque ita ad propria signa properabat. Cum hoc et ego annos octo mansi, multumque ædificatus sum in silentio et B instituto suo.

CAPUT LXXIV.

Ejusdem Palladii verax dictum de hæresibus.

Corripiens nos aliquando senex, ipse ita nobis dicebat: Credite mihi, filioli, nihil aliud schismata et hæreses introduxit in sanctam Ecclesiam, nisi quod non Deum et nos invicem valde diligimus.

CAPUT LXXV.

Miraculum Dominæ erga uxorum et filiam viri fidelis, qui hospitio suscipere monachos consueverat.

Idem abbas Palladius cum alias ad ipsum venissemus, tale quiddam enarravit nobis: Erat, inquit, in Alexandria vir quidam fidelis, religiosus valde et misericors, et hospitio suscipiens monachos. Habe- C bat autem uxorem, et ipsam humilem valde, et jejunantem quotidie. Erat autem illis et filiola quasi annorum sex. Quadam vero die vir ille pius profectus est Constantinopolim; erat enim negotiator. Relictis ergo domi uxore, et puella, et uno servo, abiit ut navigaret. Cum vero iret ad navem, ait ad illum uxor: Cui nos commendatos relinquis, domine. Respondit vir ejus: Dominæ nostræ sanctæ Dei genitrici. Die vero quadam cum sederet uxor et operaretur, habens et puellam secum, servus ille ex suggestione diabolica voluit necare dominam et ejus filiam, et diripere quidquid haberent, et fugere. Sumpto igitur ex coquina cultro, perrexit in triclinium ubi erant ambæ. Cum vero venisset ante januam, comprehensus est cæcitate, ita ut neque tri- D clinium ingredi, neque ad coquinam reverti posset. Cum autem una ferme hora perstitisset, frustraque conaretur ingredi, cœpit vocare dominam suam, dicens: Veni hucusque. Illa admirans, quod in medio januæ persistens, ad illam non ingrederetur, sed clamaret, ait illi: Tu magis huc veni, ignorans, quod cæcitate teneretur. Puer autem cœpit illam adjurare, ut iret prope illum; illa vero juravit, non se ituram. Tunc ait illi: Mitte vel puellam. Quæ noluit, sed ait: Si quid vis, ipse potius veni. Videns autem servus, quod nihil potuisset agere, seipsum gladio percussit, et corruit. Domina vero illius cum vidisset quid egerat, clamavit, continuoque vicini accurrerunt. Ingressi sunt autem et ex officio prætorii

nonnulli, puerumque reperientes adhuc vivum, didicerunt ad ipso omnia, et glorificaverunt Dominum qui ostenderat miracula, et matrem salvaverat cum filia.

CAPUT LXXVI.

Submersio Mariæ mulieris peccatricis.

Et hoc item Palladius ipse narravit nobis : Audivi, inquit, nauclero quodam enarrante, tale aliquid, quod die quadam cum navigaret, vectores habens viros et mulieres, venissetque in altum, cæteris omnibus bene navigantibus, aliis quidem Constantinopolim, aliis vero Alexandriam, et aliis alio, vento illis flante prospero, ipse solus navigare non poterat. Et mansimus, inquit, quasi dies quindecim, nihil ex eo loco ubi eramus, moti. Versabamur igitur in magna mœstitia et desperatione, nescientes quidnam istud sibi vellet. Ego vero, ut nauclerus cui cura navis incumbebat et omnium quæ in ipsa erant, cœpi rogare Deum pro hac re. Quadam vero die venit ad me vox, dicens : Mitte foras Mariam, et bene navigabis. Cœpi ergo cogitare quidnam hoc esset, et quæ esset Maria. Cum autem hæsitarem de hoc, venit vox de novo, dicens : Dixi tibi : Mitte foras Mariam, et salvi eritis. Tunc ego cogitans quid istud esset, exclamavi continuo, O Maria. Nesciebam enim quæ esset Maria. Illa vero jacens in loco suo, ut audivit, respondit, dicens : Quid jubes, domine ? Tunc aio ad illam : Fac charitatem, veni hucusque. Exsurgens autem continuo venit. Cum ergo venisset ad me, accepi eam seorsum, et dixi ei : Vides, Maria soror, quod peccata mea sunt, ut propter me vos omnes pereatis ? Illa vero altius ingemiscens, ait : Vere, domine mi nauclere, ego peccatrix sum. Et dixi illi : Quæ peccata habes, mulier ? Et **883** illa : Væ mihi, inquit, quia non est peccatum quod ego non egerim, et propter peccata mea vos omnes in periculo constituti estis. Tunc enarravit mihi mulier quæ circa se erant, dicens ; Profecto, domine nauclere, infelix ego virum habui, ex quo duos filios genui ; cumque ad ætatem pervenissent, unus annorum novem, alius quinque, mortuus est vir meus, et remansi vidua. Miles autem quidam habitabat juxta me, quem ego maritum accipere volui, misique ad ipsum quosdam. Ille autem non acquievit, dicens : Non accipio uxorem quæ habeat ex altero viro filios. Ego autem videns quod propter filios nollet me accipere uxorem, inducta amore ejus, occidi duos filios meos, indicavique illi dicens : Ecce modo nullum habeo filium. Miles vero cum audisset quid egissem de filiis, ait : Vivit Dominus qui in cœlis habitat, quia te non accipiam. Unde ego metuens, ne hoc manifestum fieret, et morerer, fugi. Hæc ego audiens ex ore mulieris, ne sic quidem illam in mare projicere volui, sed differens dixi ad illam rursus : Ecce ego ascendo in carabum (17), et si ambulaverit navis, scito quia peccata mea in navi operantur. Vocavique continuo scapharium, et dixi : Produc scapham. Cumque ascendissem in illam, nihilo magis vel navis vel scapha mota est. Tunc A ascendens navim, dixi mulieri : Descende et tu in scapham. Quæ mox ut descendit, scapha se continuo quinquies gyrans, in profundum cum muliere submersa est. Navis autem post hæc tanta velocitate cucurrit, ut tribus diebus ac dimidio navigationem peregerimus, quam diebus quindecim peracturi eramus.

CAPUT LXXVII.

Relatio trium pauperum cæcorum, quomodo excæcati fuissent.

Ego et dominus meus Sophronius perreximus ad philosophi Stephani domum, doctrinæ gratia : erat autem meridianum tempus. Morabatur hic apud ædem sanctæ Dei genitricis, quæ cognominatur Dorotheæ, quam ædificavit beatus papa Eulogius ad B Orientem, juxta magnum Tetrapylum (18). Cum ergo pulsaremus philosophi ostium, puella respiciens ait nobis : Dormit ille, oportet exspectare pusillum. Tunc aio domino meo Sophronio : Eamus ad Tetrapylum, et illic maneamus. Est autem locus ille Alexandrinis venerabilis; dicunt enim Jeremiæ prophetæ ossa ex Ægypto sumpta ab Alexandro conditore urbis illic fuisse reposita. Cum ergo illuc venissemus, neminem invenimus nisi cæcos tres; erat enim meridies. Perreximus ergo juxta illos cæcos quiete ac silenter, sedimusque habentes libros nostros. Loquebantur autem cæci ad invicem multa. Dixitque unus ad alium : Tu quomodo effectus es cæcus ? Respondit ille : Nauta eram cum essem adolescens, et cum ab Africa navigaremus, in mari oculis repente captus C sum, nec valens ambulare, albuginem in oculis habui. Dixit autem hic alii cæco : Tu vero quomodo effectus es cæcus ? Respondit et ille dicens : Vitri ad usus varios fundendi artifex fui, et ex igne amisi duos oculos meos, et cæcus effectus sum. Aiunt autem ambo hi qui interrogati fuerant ad tertium : Dicens et tu quomodo factus es cæcus ? Respondit : Vere ego vobis dicam : Cum essem adolescens, laborem valde oderam, et recusabam, luxuriosusque factus sum. Cumque non haberem necessaria victui, furari jam cœperam. Die vero quadam cum mala multa perpetrassem, stabam in quodam loco, vidensque mortuum efferri optime indutum, secutus sum funus, ut viderem ubi poneretur. Venerunt autem retro sanctum Joannem, et ibi posuerunt illum in D monumento, peractisque officiis recesserunt. Ego mox ut illos recessisse vidi, ingressus monumentum, exui ipsum, nihil ei relinquens præter unum linteamen. Cum ergo progredi inciperem de monumento, multis onustus pannis, dicit mihi improba mea cogitatio : Accipe et linteum, quia bonum est. Redii autem infelix ego, ut sumpto etiam linteo, nudum illum relinquerem. Tunc resedit coram me mortuus, extendensque super me manus suas, digitis suis eruit oculos meos. Ego igitur miserabilis, dimissis omnibus, cum magna tribulatione et periculo exivi de monumento. Ecce et ego dixi vobis quomodo cæcus factus sum. Ista cum audissemus, innuit mihi dominus meus Sophronius, et recessimus. Et dixit

mihi : Vere, abba Joannes, hodie nihil ultra studeamus; satis enim ædificati sumus. Hæc ergo scripsimus, ut et vos pariter ædificemini; vere enim nullus male faciens Deum latere potest. Et nos quidem hanc narrationem ab eo qui passus fuerat audivimus.

CAPUT LXXVIII.

Stupendum miraculum puellæ mortuæ, quæ exspoliatorem detinuit, nec eum relaxare voluit, donec is promitteret se monachum futurum.

Aliud autem huic simile abbas Joannes, monasterii Gigantum Pater, cum Theopolim venisset, narravit nobis, dicens : Ante modicum temporis venit ad me adolescens quidam, et ait mihi : Amore Dei suscipe **884** me, velo enim pœnitere. Dicebat autem hoc cum multis lacrymis et singultibus. Ego autem cum illum cernerem valde contritum, et cum magna B mœstitia, dixi illi : Dic mihi causam tantæ compunctionis, neque me celes quidquam; potens est enim Deus adjuvare te. Et ait mihi : Vere, domine abba, magnus peccator sum. Ad quem ego rursus : Crede mihi, sicut multa et varia sunt vulnera, ita plurima quoque sunt varia medicamenta. Sed tu si curari vis, dic mihi in veritate opera tua, ut ego congrua illis admoveam epitimia (19). Aliter enim curatur fornicator, aliter homicida; aliudque est avari remedium, alia mendacis medicina; atque alio iracundus, alio fur, alio adulter medicamine sanatur. Et ne tibi plurima vitia enumerem, quemadmodum in corporalibus infirmitatibus variis varia quoque remedia adhiberi conspicimus, ita et animæ vitiis, quæ plurima sunt, medicina quoque varie succurrit. Ille autem altius ingemiscens, et pectus suum percutiens, lacrymis ac singultibus confundebatur, et præ nimia perturbatione et mœstitia animo deficiebat, neque vocem liberam emittere valebat. Ego vero ut illum animadverti ad desperationem tristitiamque intolerabilem lapsum, et neque quid passus esset, neque quid egisset mali, neque calamitatem suam enuntiare valentem, aio ad illum : Fili, audi me, et aliquantulum vim fac cogitationi tuæ, et nuntia mihi quid a te factum sit; potest enim Dominus noster præbere tibi auxilium suum. Nam qui propter ineffabilem clementiam suam, et immensas miserationes omnia pro salute nostra passus est, quique cum publicanis conversatus est, et meretricem ad se venientem non repulit, latronemque suscepit, et amicus peccatorum appellatus est (*Matth.* IX; *Luc.* VII; *Luc.* XXIII; *Matth.* XI), ipse, fili, te quoque pœnitentem conversumque suis manibus suscipiet gaudens. Non enim vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat (*Ezech.* XVIII, XXXIII).

Tunc ille vim sibi faciens, et a singultibus et lacrymis modicum temperans, ait mihi : Ego, domine mi abba, plenus omni scelere, et nec cœlo dignus nec terra, cum ante hoc biduum audissem, divitis cujusdam ex primariis civitatis hujus filiam virginem esse defunctam, et cum multis ac pretiosis vestibus sepultam in uno extra civitatem monumento, ex consuetudine pessimi istius operis, abii noctu ad tumu- A lum, ingressusque cœpi exspoliare illam. Et cum omnibus jam ipsam exuissem, quibus erat induta, nec interulæ quidem ipsius parcens, sed eam quoque illi auferens, nudamque ipsam, ut nata fuerat, relinquens, e sepulcro egredi volebam. Tunc illa resedit coram me, sinistramque manum suam extendens, apprehendit dexteram meam, et ait ad me : Nequissime hominum, itane decuit te nudare me? an tu non times Deum, neque metuis damnationem ultimæ retributionis? nonne vel saltem mortuæ misereri debuisti? Sed Christianus existens, ita me nudam assistere Christo honestum fore judicasti? neque sexum muliebrem reveritus es? nonne hic sexus te peperit; nonne matrem quoque tuam hac in me injuria violasti? Quam, infelicissime hominum, rationem redditurus es Christo de scelere in me perpetrato ante ipsius tribunal tremendum, quod vivente me nullus extraneus unquam vidit faciem meam, et tu post mortem et sepulturam denudasti me, et nudum aspexisti corpus meum? Væ humanæ miseriæ, ad quam infelicitatem devoluta est? Quo corde, homo, quibus manibus (20) accedens, sumis sanctum et pretiosum corpus Domini nostri Jesu Christi?

Ego autem, ut ista conspexi et audivi, pavore et formidine totus comprehensus, tremens ac metuens, vix aio ad illam : Dimitte me, et istud ultra non faciam. Quæ ait : Profecto non ita erit. Tu enim ut voluisti, huc intrasti; sed non ita ut volueris, hinc egredieris. Nam sepulcrum istud commune erit ambobus. Neque putes te confestim moriturum, sed C cum hic plures dies cruciatus fueris, malam male animam perditus reddes. Ego autem orabam illam cum lacrymis, ut dimitteret me, multum illam per omnipotentem Dominum adjurans, spondensque, et juramento confirmans, me iniquum istud ac nefarium opus ultra non facturum. Tandem post multas preces et lacrymas, crebrosque meos singultus, respondens illa dixit mihi : Si vis vivere et ab hac necessitate liberari, promitte mihi, quia si te dimisero, non solum ab his nefariis et profanis actibus tuis recedes, sed statim perges, et sæculo renuntians efficieris monachus, agesque pœnitentiam pro his quæ male gessisti, serviens Christo. Ego autem juravi ei, dicens : Per Deum, qui suscepturus est animam, non solum quæ dixisti faciam, sed ab hodierna D die non ingrediar in domum meam; sed hinc abiens, in monasterium proficiscar. Tunc ait puella ad me : Indue me, sicut invenisti prius indutam. Cum vero illam induissem, rursum se collocans, mortua est. Hæc ego cum ab adolescente audissem, refovens eum ac erigens verbis, et provocans ad pœnitentiam et continentiam, totondi illum, indutumque monastico habitu inclusi in spelunca in **885** monte, magnifice gratias Deo agentem, certantemque viriliter pro anima sua.

CAPUT LXXIX.

Maximum et stupendum miraculum sacratissimæ Eucharistiæ sub Dionysio Seleuciæ episcopo.

Cum venissemus Seleuciam, convenimus abbatem

Theodorum episcopum ejusdem civitatis. Ille autem narravit nobis, dicens: Sub sanctæ memoriæ Dionysio hujus civitatis episcopo, prædecessore meo, tale quiddam contigit. Vir quidam erat in hac civitate negotiator valde religiosus et dives, sed hæreticus; erat enim de Severi sectatoribus. Habebat autem servum fidelem quemdam, sanctæ et apostolicæ Ecclesiæ communicantem. Hic secundum provinciæ consuetudinem, die sancto Cœnæ Dominicæ sumptam communionem involvit in linteo mundissimo, et in armario reposuit. Contigit autem, ut post sanctum Pascha vir ille fidelis mitteretur Constantinopolim, negotii cujusdam gratia, dimissa per oblivionem sancta communione in armario; dedit autem ejus clavem domino suo. Quadam vero die aperiens armarium dominus, invenit linteolum, involutasque in eo sanctas particulas communionis. Contristatus est autem in hoc, et hæsit bat, quidnam de illis faceret, nam ex ipsis communicare nolebat, eo quod essent sanctæ catholicæ Ecclesiæ, ipse vero Severianæ hæresis. Et tunc quidem dimisit eas in armario, ut erant, cogitans quia rediturus esset servus, et sumpturus eas. Cum autem venisset Cœna Domini, neque servus ille fidelis rediisset, voluit eas dominus ipsius comburere, ne rursus e' in secundum annum servarentur. Apertoque armario, vidit omnes sanctas particulas culmos et spicas germinasse. Unde ingenti timore ac tremore comprehensus in novo admirandoque spectaculo, sumens sanctas particulas, et cum omni domo sua clamans Kyrie eleison, cucurrit ad sanctam ecclesiam, ad sacrosanctum et venerabilem Dionysium episcopum. Hoc autem magnum et terribile, et omnem rationem, omnemque mentem, et omnem cogitationem excedens miraculum, non unus, aut duo, aut tres, vel pauci aliqui viderunt, sed omnis ecclesia, civesque et rustici, indigenæ et hospites, quique continentem ambulant, et qui mare navigant, viri et mulieres, senes et impuberes, juvenes et seniores, domini et servi, divites et pauperes, principes et subditi, sapientes et simplices, virgines et monachi, viduæ ac nuptæ, qui in potestate sunt constituti, et qui illorum regnntur imperio. Et illi quidem clamabant Kyrie eleison, cæteri autem aliter Deum laudabant, omnes vero pariter Deo gratias agebant pro ineffabilibus ejus mirabilibus. Plurimi igitur ex hoc miraculo credentes adjecti sunt sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ.

LXXX.

De fonte concesso a Deo fratribus monasterii in Scopulo ad orationes abbatis eorum Theodosii.

Pervenimus ad monasterium abbatis Theodosii in Scopulo. Est autem mons inter Seleuciam et Rosum Ciliciæ, patresque loci illius duxerunt nos supra monasterium, quantum est jactus sagittæ, et ostenderunt nobis fontem magnum valde ac speciosum, dixeruntque nobis: Fons iste, fratres, naturalis non est, sed nobis divinitus indultus est; sanctus enim pater noster Theodosius multum jejunavit, multumque lacrymarum fudit, ac multis orationibus et genuflexionibus obtinuit, ut Deus nobis aquæ istius solatium et usum præstare dignaretur. Ante enim ex torrente Patres nostri aquam hauriebant; sed Deus, qui facit voluntatem timentium se (*Psal.* CXLIV), sua infinita bonitate præstitit nobis aquæ istius benedictionem per orationes sancti Patris nostri. Verum ante hoc biennium quidam ex fratribus petierunt a Patre monasterii, ut lavacrum ædificarent in monasterio. Abbas autem graviter id quidem ferebat, cessit tamen, fratrum infirmitati condescendens. Ædificatum est igitur lavacrum in monasterio, semelque tantummodo lavatum est in eo, cum statim exsiccatus est talis tantusque a Deo nobis præstitus fons. Et in veritate vobis dicimus, Christiani, multum jejunavimus, multum oravimus, multas genuflexiones egimus, ut aquam reciperemus, nihilque profecimus. Annus ergo integer sine aqua fontis impletus est, eramusque in magna tribulatione. Statim vero ut Pater noster bonus et mitis destruxit lavacrum, Deus aquam iterum reddidit nobis.

CAPUT LXXXI.

De puteo aqua impleto, submissa imagine ejusdem abbatis Theodosii.

Narraverunt nobis Patres ipsi et istud, dicentes: Mulier quædam fidelis in partibus Apameæ his diebus puteum fodit; cumque plura expendisset, ingentesque labores tolerasset, et effosso puteo in magnam altitudinem, aquam non invenisset, in mœrore et afflictione multa erat, et propter laborem et propter impensas. Apparuit autem ei sic afflictæ mulier quædam in **886** somnis, dicens: Mitte in Scopulum, et adduci tibi fac imaginem abbatis Theodosii, et per ipsum tibi Deus aquam præstabit. Mulier autem protinus duos homines misit ex suis, accepitque imaginem sancti. Quam cum in puteum submisisset, statim aqua manavit, ita ut dimidium putei impleretur. Tulerunt autem nobis ex eadem aqua, et bibimus, et glorificavimus Deum.

CAPUT LXXXII.

Vita Joannis senis monasterii Scopuli.

Joannem quemdam senem in eodem monasterio vidimus, de quo dicebant nobis ejusdem loci Patres: Vere, Christiani, magnus est senex, dæmonibusque terribilis. Quicunque enim huc venerit vexatus ab immundo spiritu, curat eum continuo senior.

CAPUT LXXXIII.

De eodem.

Dicebant nobis et hoc de illo ipsius loci Patres, quod ad vigesimum quartum milliarium monasterii emporium est, quod Exile promontorium dicitur. In eo emporio nauclerus quidam, constructa navi triginta millium modiorum, volens eam in mare deducere, duas hebdomadas cum operariis plurimis egit (habebat autem quotidie trecentos operarios) nec potuit illam de loco suo movere, aut in mare deducere. Fuerat enim a pessimis hominibus incantata navis. Erat igitur in magna tribulatione et angustia dominus navis, et quid ageret, omnino ignorabat.

Per dispensationem autem Dei abiit senex ad partes illas. Nauclerus autem, conspecto sene, agnoscensque sanctum virum, ait illi : Ora, domine abba, pro navi ista, per artes enim magicas in mare descendere non potest. Dicit ei senior : Vade, fac ut cibum sumam, et Deus juvabit te. Hoc autem dixit senex, ut nauclerus abiret domum. Cum vero ille abiisset, accessit senex solus ad navem, et tertio se in terram prosternens, et orans Deum, tertio signavit navim signo sanctæ crucis in nomine Domini nostri Jesu Christi. Veniens deinde senex in domum naucleri, dixit illi : Vade ad navem tuam, et deduc illam in mare. Nauclerus autem credens verbis senis, abiit cum paucis, illisque trahentibus, mox in mare deducta est navis.

CAPUT LXXXIV.

Vita et mors anachoretæ ejusdem monasterii servi Dei.

Ejusdem monasterii Patres narraverunt nobis, dicentes : Anachoreta quidam in his montibus erat, magnus valde secundum Deum, plurimos annos vitam solitariam ducens. Mortuus est autem in parva quadam spelunca, nobis nescientibus ; arbitrabamur enim omnes, quod ad aliam eremum migrasset. Nocte vero quadam venit in somnis, et apparuit ei qui nunc est, patri nostro, bono et optimo pastori, abbati Juliano, dicens : Sume tecum aliquos, et veni, tollens me de loco ubi jaceo, in monte qui vocatur Cervus. Sumpsit igitur quosdam ex nobis Pater noster, et ascendit in montem quem ille dixerat. Cumque per plures horas quæsissemus, non invenimus anachoretæ reliquias. Erat enim speluncæ ingressus pro tempore nivibus et lignis coopertus. Cum ergo non invenissemus, dixit senior : Venite, descendamus, filii. Cumque descendere inciperemus, ecce caprea venit, et stetit non longe a nobis, cœpitque pedibus suis humum fodere. Quod cum Pater noster aspiceret, dixit nobis : Credite mihi, filii, illic sepultus est servus Dei. Fodientes igitur invenimus corpus ejus integrum ; quod sublatum in monasterium cum honore sepelivimus.

CAPUT LXXXV.

Quomodo triticum ejusdem monasterii germinaverit propter cessationem consuetæ eleemosynæ.

Narraverunt autem nobis rursus et hoc, dicentes. Consuetudo fuit, ut in cœna Domini pauperes omnes et pupilli regionis hujus confluerent huc, et acciperent medium tritici sextarium, benedictiones tredecim, et sextarium vini, mediumque sextarium mellis pro quolibet. Ante hoc autem triennium, magna tritici sterilitas fuit, vendebaturque triticum in regione hac, sextarii duodecim uno numismate.

Cum ergo venissent jejunii dies, dicunt abbati nostro quidam ex patribus : Noli, domine Pater, secundum consuetudinem dare pauperibus triticum, ne desit monasterio, triticum enim non invenitur. Abbas autem cœpit dicere fratribus : Non infringamus, filii, benedictionem Patris nostri Theodosii. Videte, mandatum senis est, non expedit nobis illud transgredi, vere ipse est qui curam nostri gerit. Fratres autem in sua perstiterunt sententia, dicentes abbati : Non suppetit nobis quod dare possimus. Tunc abbas contristatus ait illis : Ite, et secundum quod vultis facite. Non itaque, ut consuetum erat, dederunt benedictionem in die sancto Cœnæ et Paresceves. Profectus postmodum qui præerat horreis, aperuit ostia, et reperit triticum totum germinasse ; quare coacti postea sumus illud in mare projicere. Tunc 887 cœpit abbas noster dicere fratribus : Qui Patris nostri monita irrita facit, ista patitur ; labores nunc inobedientiæ metite. Quingentos modios daturi eramus, et Patri nostro Theodosio per obedientiam placuissemus ; fratresque nostros pauperes consolati fuissemus ; nunc vero quinque fere millia modiorum tritici perdidimus. Quid lucrati sumus, filii ? quantum nobis ipsis nocuimus ? Duo profecto mala egimus. Unum, quia mandatum Patris nostri præterivimus, alterum, quia spem in Deum non habuimus, sed in horreo nostro. Vel ex hoc discamus, fratres, quia Deus est qui disponit omne humanum genus, quodque sanctus Theodosius invisibiliter pro nobis filiis suis curam sollicite gerit.

CAPUT LXXXVI.

De altero ejusdem monasterii anachoreta qui statim ut communionem sacram sumpsit, consummatus est.

Abbas Egiarius narravit nobis, dicens : Cum exissem ex Ægis post solemnitatem, hiemsque acrior inhorruisset, veni in monasterium Scopuli. Cumque illic essem, tale aliquid contigit : Anachoreta quidam in partibus illis erat solitarius, veniebatque sancto die Dominico, et sumebat veneranda mysteria. Semel autem scandalizatus anachoreta, quinque fere hebdomadas mansit, nunquam juxta consuetudinem in monasterium veniens : quapropter fratres monasterii contristabantur. Cum ergo in illo monasterio essem, venit Dominico die. Quem cum vidissent fratres monasterii, gavisi sunt, prostratique petebant veniam, et ille similiter prostratus veniam petiit, feceruntque charitatem. Anachoreta vero cum accepisset corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, posuit seipsum in ecclesiæ medio, statimque consummatus est, cum prorsus antea non ægrotasset. Cognoverunt ergo monasterii Patres, quia præscisset diem obitus sui anachoreta, et idcirco venisset, ut nihil habens adversus aliquem migraret ad Dominum.

CAPUT LXXXVII.

Inventio corporis Joannis anachoretæ nuncupati Humilis.

Venimus in quemdam vicum sex milliaribus a Roso distantem, et duo senes sæculares hospitio nos susceperunt in ecclesia fundi sui. Vicus autem ad radices montis erat. In ecclesia igitur ipsa ostenderunt nobis marmoream tabulam, dicentes : Christiani, magnus in hoc monumento anachoreta jacet. Diximus autem eis : Hoc unde nostis ? Et dixerunt nobis : Ante annos septem aspiciebamus nos vici hujus habitatores per noctem in vertice montis lucem quasi ignem ; nos ergo putabamus quod ignem aliquis illic accen-

disset. Cumque per dies plurimos istud aspiceremus, ascendimus die quadam, et nulla ignis indicia vidimus; neque ignem, neque aliquid in silva igne adustum. Rursum sequenti nocte vidimus eadem lumina. Tribus igitur continuis mensibus ignem hunc vidimus. Nocte vero quadam assumentes quosdam ex vico cum armis propter feras, ascendimus in montem ad lucem quæ apparuerat, mansimusque ubi lux erat usque ad diem sequentem. Mane vero facto, aspicimus modicam speluncam in eo loco ubi lumina videramus. Ingressi autem invenimus anachoretam defunctum. Erat autem indutus cilicio et pallio, tenebatque in manibus argenteam crucem. Invenimus etiam chartam ita scriptam: *Defunctus sum ego Joannes Humilis Indictione quinta decima.* Computatis ergo annis, invenimus eum ante septem annos defunctum esse; ita vero erat integer, ac si die eadem obiisset. Sublatum ergo in ecclesia cum honore sepelivimus.

CAPUT LXXXVIII.

Vita abbatis Thomæ apocrisiarii (21) cœnobii Apamiensis, et de miraculo corporis ejus post mortem.

Cum venissemus Theopolim, presbyter quidam ipsius ecclesiæ narravit nobis de abbate Thoma, quod apocrisiarius fuerit cœnobii quod est in partibus Apamiæ. Venit ergo senex Theopolim pro utilitate monasterii, et cum hic remoraretur, defunctus est in Daphne in templo sanctæ Euphemiæ. Clerici autem ipsius loci sepelierunt eum quasi peregrinum inter peregrinorum sepulcra: sequenti vero die humaverunt et mulierem, et imposuerunt illam super eum. Erat autem hora secunda; circa horam vero sextam evomuit illam terra. Loci vero illius accolæ videntes quod factum fuerat, mirati sunt. Deinde rursum vespere sepelierunt ipsam in eodem tumulo, et sequenti die invenerunt corpus supra sepulcrum. Accipientes ergo corpus, in alio monumento ipsum posuerunt. Post paucos autem dies, iterum sepelierunt aliam mulierem supra abbatem Thomam, non cogitantes loci ipsius clerici quia non permittit quempiam super se sepeliri. Et illam ergo rursus evomuit terra. Tunc agnoverunt, quia non permittit senex mulierem super se humari, abeuntesque nuntiaverunt patriarchæ Domnino. **888** Qui omnem simul civitatem cum cereis ascendere fecit in Daphnem, et cum psalmodia sancti viri reliquias in urbem ferre. Deposuerunt autem sancti corpus in cœmiterio, ubi multa martyrum corpora condita sunt, feceruntque supra ipsum breve oratorium.

CAPUT LXXXIX.

Inventio corporis sancti anachoretæ in monte Amano.

Narravit nobis quidam Patrum, cum Theopoli essemus, quod ascenderit quadam die in montem Amanum cujusdam necessitatis causa, inveneritque speluncam. Ingressus autem in illam, reperit anachoretam genibus flexis, manibusque in cœlum extensis, cujus crines capitis usque in pavimentum extendebantur. Cum autem putaret eum vivere, prostratus ante illum ait: Ora pro me, Pater. Ipso vero nihil respondente, surgens prope illum accessit, ut salutaret eum et amplexaretur; sed tenens ipsum, invenit mortuum. Itaque illo dimisso, exivit. Et cum paululum processisset, vidit aliam speluncam; ingressusque invenit senem. Qui ait ad illum: Bene venisti, frater; ingressus ne es aliam speluncam? Et respondens ait illi: Utique, Pater. Rursum dixit ei: Num aliquid inde accepisti? Respondit: Non. Et ille: Vere, frater, quindecim anni jam elapsi sunt ex quo consummatus est. Ita vero erat, ac si ante unam horam obdormisset. Cumque fecisset senex orationem pro ipso, glorificans Deum recessi.

CAPUT XC.

Mors duorum anachoretarum montis Phterigii.

Duo anachoretæ erant supra Rosum in monte, qui dicitur Phterigius prope Piapen fluvium, et juxta monasterium abbatis Theodosii in Scopulo. Erat autem ex his alter senex, alter junior, senisque discipulus. Cum vero defunctus esset senex, facta oratione discipulus sepelivit eum in monte. Post dies vero paucos descendens de monte anachoretæ discipulus, venit juxta loca habitabilia, invenitque hominem quemdam exercentem terram, et ait illi: Fac charitatem, frater, accipe fossorium et sarculum, et veni mecum. Rusticus vero continuo secutus est eum. Cumque venisset in montem, ostendit anachoreta sæculari sepulcrum senis sui, et dixit ei: Fode hic. Cum autem effodisset sepulcrum, anachoreta stetit ad orationem. Finita vero oratione, osculatus est sæcularem dicens: Ora pro me, frater. Descendensque collocavit semetipsum supra senem suum, et continuo reddidit spiritum. Sæcularis autem rursus operto sepulcro, Deo gratias egit. Cum autem descendisset de monte, quantum jactus est lapidis, ait intra semetipsum: Vere debui accipere benedictionem sanctorum; reversusque, illorum sepulcrum invenire non potuit.

CAPUT XCI.

Vita abbatis Gregorii anachoretæ, et Thalelæi ejus discipuli.

Dicebant quidam ex Patribus de abbate Gregorio anachoreta, quod triginta quinque annos egisset nudus deserta circumiens.

Dicebant item de illo, quod cum esset in montibus monasterii abbatis Theodosii in Scopulo, habebat discipulum. Quo defuncto, cum non haberet senex instrumenta ut humum foderet et sepeliret corpus fratris, descendit de monte prope mare, invenitque applicantem navem. Oravit autem nauclerum et nautas, ut ascenderent secum in montem, et sepelirent fratrem. Illi autem prompto animo obedierunt seni, sumentesque instrumenta necessaria, ascenderunt cum eo, et fodientes humaverunt corpus fratris. Unus autem ex nautis, nomine Thalelæus, compunctus in virtute senis, orabat eum ut cum illo moraretur. Senex autem dixit ei: Non potes ferre pœnitentiæ laborem. Ait ille: Ita sane tolerare possum. Mansitque cum sene anno uno, nimium in sacra exercitatione

laborans. Post peractum autem annum prostravit se A frater Thalelæus seni, dicens: Ora pro me, Pater; nam per orationes tuas Deus abstulit a me laborem; neque enim jam fatigor, neque me aeris inclementia affligit, non æstu uror, non hieme rigesco, sed in multa requie sum. Senex vero benedixit eum, peractisque cum sene duobus aliis annis cum dimidio, frater Thalelæus præscivit obitum suum, oravitque senem, dicens: Duc me, quæso, Jerosolymam, ut adorem sanctam crucem, et sanctam Christi Domini et Dei mei resurrectionem; his enim diebus Dominus assumet me. Senex autem eo sumpto, profectus est in sanctam civitatem. Itaque cum adorassent sacra et venerabilia loca, descendissentque in sanctum Jordanem, et ibi lavissent, post dies tres obdormivit in Domino frater Thalelæus, sepelivitque illum senex B in monasterio Copratha. Post aliquantulum vero temporis requievit et abbas Gregorius anachoreta, sepelieruntque illum ejusdem monasterii Patres in ecclesia.

CAPUT XCII.

Vita fratris Gregorii Cappadocis, et inventio corporis Petri solitarii sancti Jordanis.

889 Narravit nobis venerabilis Pater noster abbas Gregorius archimandrita monasterii sancti Patris nostri Theodosii, quod positum est in eremo sanctæ Christi Domini nostri civitatis, mihi scilicet et fratri Sophronio sophistæ, dicens: Habui hic fratrem nomine Gregorium Cappadocem; habebat autem ministerium suum in Phaselide. Die vero quadam cum fratres facerent panes, succendebat clibanum frater C Gregorius. Sed cum succendisset illum, non invenit cum quo deberet extergere furnum; fratres enim ipsum pannum absconderant, ut tentarent eum. Ingressus est ergo furnum, vestimentoque suo illum detersit, nihil omnino ab igne læsus. Ego autem, hoc audito, corripui fratres, quod ita ipsum tentassent

Narravit nobis et hoc idem abbas Gregorius Pater noster, de eodem fratre Gregorio dicens: Die quadam pascebat porcos in Phaselide; veneruntque duo leones, ut porcum raperent. At ille sumens virgam suam, persecutus est eos usque ad sanctum Jordanem.

Rursus idem pater noster narravit nobis, dicens: Cum ædificare inciperem templum sancti Quirici (22) D in Phaselide, effodiens templi fundamenta, apparuit mihi in somnis monachus quidam magnæ, ut videbatur, abstinentiæ, indutus palma, ferensque in humeris parvulum colobium de psiathio, dixitque mihi voce mitissima: Dic, abba Gregori, nunquid post tantos labores tantamque abstinentiam debuisti me extra templum, quod ædificas, dimittere? Ego autem senis vocem habitumque reveritus, aio ad illum: Non, domine; absit a me ut hoc faciam. Et ille: Vere hoc fecisti. Dixit autem ad illum: Quis nam es tu, domine? Ego, inquit, sum Petrus solitarius sancti Jordanis. Itaque surgens mane, perrexi, et quæsivi fodiens circa templum. Cumque foderem, inveni corpus ejus ita jacens, sicut in somnis illum videram. Constructoque oratorio, feci monumentum præclarum in dextera templi parte, et illic eum deposui.

CAPUT XCIII.

Vita abbatis Sisinii qui episcopatui renuntiavit, et ejus discipuli.

Narravit nobis idem Pater noster Gregorius, dicens: Quadam die profectus sum ad abbatum Sisinium anachoretam. Erat autem hic senex, qui relicto episcopatu suo propter Christum, venerat prope castellum, quod appellatur Bethabara, et a sancto Jordane sex ferme milliaribus distat, ibique vitam solitariam agebat. Cum ergo venissem ad senem, et diu pulsarem, post multam horam aperuit discipulus ejus, et ait mihi: Vere, domine abba, infirmatus est senex usque ad mortem, oravitque Deum, ne de hoc sæculo migraret, donec audiret advenisse te in hanc regionem. Iveram enim Constantinopolim pro necessitate cœnobii ad piissimum imperatorem Tiberium. Cum ergo profectus esset ad senem, annuntiassetque illi meum adventum, post prolixam horam descendit, dicens mihi: Ascende, Pater. Ascendentes autem invenimus senem obdormisse in pace. Cognovi igitur quia mox ut didicit me esse, qui pulsaveram, migravit ad Dominum. Et cum illum amplexarer, ait mihi defunctus leni ac miti voce: Bene venit abbas meus; rursumque obdormivit. Nuntiavi igitur in locis illis, ut venirent et sepelirent senem. Cum ergo venissent, et monumentum foderent, ait discipulus senis fodientibus sepulcrum: Facite charitatem, et aliquantulum latius fodite, ut duos capiat. Et cum illi foderent, posuit seipsum in psiathio, et requievit in pace. Sepelivimusque duos simul, senem scilicet et discipulum ejus.

CAPUT XCIV.

Vita abbatis Juliani episcopi Bostrensis.

Idem Pater noster Gregorius archimandrita narravit nobis de abbate Juliano episcopo Bostrense, quod cum recessisset de cœnobio, et factus esset Bostrensis episcopus, quidam ex habitatoribus ipsius civitatis odio nominis Christi voluerunt eum veneno occidere, corrumpentesque pecuniis ministrum ejus qui ipsi porrigebat poculum, dederunt illi venenum, ut cum porrigeret metropolitæ poculum, venenum in calicem mitteret. Puer autem ita ut dictum fuerat fecit, deditque calicem veneno infectum sancto Juliano. Suscepit vero illum sanctus vir, ac divinitus agnovit insidias. Susceptum ergo calicem ante se posuit, nihil omnino dicens puero; mittensque accersivit omnes primates civitatis, inter quos erant et qui illi insidias paraverant. Vir autem beatissimus nolens eos publicare qui hoc fecerant, voce mitissima omnibus dixit: Si arbitramini humilem Julianum veneno occidere, ecce coram vobis pestiferum calicem bibo. Signansque ter digito suo calicem, et dicens: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus **890** sancti, bibo hunc calicem: bibit illum coram omnibus totum, atque illæsus perstitit. Quod illi cum vidissent, prostrati veniam petierunt.

CAPUT XCV.

Vita Patricii senis monasterii in Scopulo.

Erat quidam senex in eodem cœnobio abbatis Theodosii sancti Patris nostri, genere quidem Sebastensis, nomine autem Patricius, senex valde (dicebat enim se esse annorum centum et tredecim) mitis et quietus. Narraverunt ergo nobis de illo ipsius loci Patres, quod fuisset præpositus monasterii Abazani, dimisissetque præpositi officium, periculum et judicium metuens (magnorum enim virorum esse dicebat, pascere rationales oves) ac venisset illuc, ut sub obedientia viveret, hoc judicans animæ utilius esse.

CAPUT XCVI.

De eodem, et de Juliano Arabe cæco.

Dicebant autem nobis et hoc de ipso: Cum alius hic fuisset senex, genere Arabs, Julianus nomine, captus oculis, ipse aliquando scandalizatus est in Macarium archiepiscopum Jerosolymitanum, nolebatque communicare illi. Quadam ergo die abbas Julianus significavit abbati Simeoni, qui erat in monte mirabili (distat autem a Theopoli mons ipse milliaribus novem) dicens: Cæcus sum, et quo abeam nescio; neque vero habeo qui possit auxiliari mihi, et communicare Macario detrecto. Indica mihi, Pater, quid agere debeam de fratre, qui fornicatus est, et de illo, qui se cum eo juramento constrinxit. Respondit autem abbas Simeon abbati Juliano, dicens: Ne recedas, neque te ipsum a sancta Ecclesia separes; neque enim illa male habet, gratia Domini nostri Jesu Christi Filii Dei. Sed et hoc scito, frater, quod si quis in hæresim inciderit, in cœnobio vestro, habetis senem magnum, nomine Patricium. Hic autem senex juxta sacrarium infra omnes moratur, prope occidentalem ecclesiæ murum; dicitque et ipse pro omnibus sanctam orationem oblationis, et ipsius oblatio sancta existimatur.

CAPUT XCVII.

Vita et mors duorum fratrum monachorum, qui nunquam ab invicem separari juraverunt.

Dicebat autem abbas Joannes anachoreta, cognomento Rutilus, audisse se ab abbate Stephano Moabita referente, quia cum esset in cœnobio sancti abbatis Theodosii magni monachorum principis, erant illic duo fratres, qui sibi invicem juraverant quod neque in vita, neque in morte ab invicem separarentur. Cum ergo cunctos in cœnobio ædificarent, unus ex eis impugnatus a fornicatione, dixit fratri suo: Dimitte me, frater, quia impugnor a fornicatione, et ferre non prævalens, volo ad sæculum reverti. Frater autem rogare cœpit eum, dicens: Noli, quæso, frater mi, noli perdere laborem tuum. Tunc is dicit ei: Aut dimitte me abire, aut tu veni mecum, ut voluptati satisfaciam. Frater autem ille cum nollet eum dimittere, abiit cum illo in civitatem. Ingressus igitur est in meretricis diversorium is qui impugnabatur: frater autem ille foris stans, pulverem de terra super caput suum jaciebat, et semetipsum affligebat. Postquam vero ille completo fœdo opere e lupanari egressus est, dixit ad eum frater: Quid

A lucratus es ex peccato, frater mi? quantum inde detrimentum cepisti? Eamus rursus in cœnobium. Qui ait: Non jam possum in eremum venire, vade a me; ego enim in sæculo maneo. Cum igitur multum rogaret eum, nihilque proficeret, neque se ille sequi jam ad eremum vellet, mansit et ipse cum illo in sæculo; laborabantque ambo manibus suis, ut viverent.

Per idem tempus abbas Abramius, qui postmodum factus est episcopus Ephesi, et nuper monasterium construxit Constantinopoli dictum Abramitarum, bonus ac mitis pastor, ædificabat monasterium suum, quod dicitur Bizantiorum. Abeuntes autem duo fratres laborabant in opere, ministrantes cœmentariis. Sumptam vero mercedem operis amborum B frater ille qui in fornicationem lapsus fuerat, quotidie pergens in civitatem consumebat in luxuria. Alius vero quotidie jejunans et psallens, cum omni quiete faciebat opus, nemini aliquid loquens. Videntes autem illum artifices diebus singulis neque comedentem, neque aliquid loquentem, sed semper cogitanti similem, retulerunt de illo et de conversatione ejus sancto abbati Abramio. Tunc magnus revera Abramius accersivit operarium in cellam suam, et interrogavit eum, dicens: Unde es, frater? et quod est opus tuum? Ille autem omnia illi per ordinem confessus est, et quia fratris sui gratia sustineret omnia, ut Deus (inquiens) meam tribulationem videns salvet fratrem meum. His auditis, Abramius dixit fratri: Et Dominus donavit tibi animam fratris tui. Cum C ergo dimisisset eum sanctus Abramius, exiissetque de cellula, ecce frater ille advenit clamans: Mi frater, assume me in eremum, ut salvus fiam. Continuo autem assumpsit eum, et abierunt ad speluncam prope sanctum Jordanem, et incluserunt **891** se. Post modicum vero temporis, cum magnifice secundum Deum profecisset spiritu frater ille, qui in fornicationem inciderat, migravit ad Dominum. Mansit autem superstes frater in eadem spelunca juxta juramentum, quousque et ipse moreretur.

CAPUT XCVIII.

De eodem fratre superstite.

Ad hunc fratrem post mortem alterius fratris veniens senex quidam ex monasterio Calamonis, ait illi: Dic mihi, frater, in tanto tempore solitariæ vitæ, spi- D ritalisque exercitii, quid lucratus es? Dixit ei frater: Vade, et post decimum diem veni ad me, et dicam tibi. Senex autem abiens, post decimum diem rediit, invenitque fratrem migrasse ad Christum, et testam, in qua sic scriptum erat: Ignosce, Pater, quia nunquam, dum opus Dei agerem, aut horis constitutis psallerem, mentem meam dimisi in terram.

CAPUT XCIX.

Vita Antonii senis monasterii in Scopulo.

Narraverunt nobis Patres ejusdem monasterii sancti Patris nostri Theodosii, dicentes: Ante hos annos defunctus est hic senex quidam, Antonius nomine. Is in vita sua maxime jejuniis operam dans, profectus est in locum qui Cotulas dicitur. Quadam ergo

die cum esset in eremo, ecce Saraceni (23) in partes illas venientes viderunt senem, unusque ex eis educto gladio venit contra senem, volens necare illum. Senex autem ut vidit Saracenum contra se venientem, intuens in cœlum, ait : Domine Jesu Christe, voluntas tua fiat. Statimque aperta est terra, et absorbuit Saracenum illum, senexque salvatus est, et glorificans Deum in monasterium ingressus est.

CAPUT C.

Vita Petri Pontici monachi.

Rursus narraverunt nobis prædicti loci Patres, quod illic fuerit quidam senex, Petrus nomine, genere Ponticus, multis præclarisque virtutibus ornatus. De hoc sene Theodorus, qui fuit episcopus Rosensis, dicebat nobis, quod die quadam convenit illum ad Jordanem in monasterio Turrium, illic enim ipse B morabatur, eique dixit : Fac charitatem, frater Theodore, veni mecum in montem Sina, quia illuc proficisci votum habeo. Qui cum nollet non obedire, dixit ad eum : Eamus. Cum vero transisset Jordanem, dixit ad Theodorum senior : Veni, frater Theodore, oremus ut usque ad montem Sina nullus nostrum comedat. Ad quem ille : Vere, Pater, ego hoc facere non possum. Prostravit autem se senex, et oravit, et usque ad Sina nihil comedit. Sumptis igitur illic sanctis mysteriis, tunc et cibum sumpsit. Similiter et a Sina usque Alexandriam ad sanctum Menam pervenerunt, nihil omnino comedente sene. Ibique denuo communicans, post communionem cibum sumpsit. Et a sancto Mena usque in sanctam civitatem venerunt, cum nihil omnino gustasset senior in via. Cum C vero in sancta Christi Dei nostri resurrectione percepisset veneranda mysteria, tunc demum accepit et cibum. In hoc ergo toto tali tantoque itinere nisi tertio non comedit senex, semel in Sina monte, semel in Alexandria, et semel in sancta civitate.

CAPUT CI.

Vita Pardi monachi Romani.

Narraverunt etiam nobis de alio sene Patres ejusdem monasterii, dicentes : Erat hic senex quidam, qui ante modicum tempus defunctus est, Pardus nomine, genere Romanus. Hic dum esset junior, mulio fuerat. Die igitur quadam abiit Jericho cum mulis. Et cum esset in xenodochio, inventus est illic puer parvulus, quem, agente diabolo, mulus calce percussit et occidit, ignorante hoc abbate Pardo. Afflictus D vero super hoc multum abbas Pardus, abiit in Arnonem, et effectus est anachoreta, lugens semper, dicens : Ego feci homicidium, et ut homicida in judicio damnatus sum. Erat autem illic prope torrentem leo. Diebusque singulis ibat abbas Pardus ad cubile leonis, stimulans et provocans leonem, ut exsurgeret et devoraret eum; leo autem nihil omnino illum lædebat. Videns autem senex, quia nihil proficeret, ait in seipso : Dormiam in via, per quam leo pergit ad fluvium; nam cum transibit ut eat ad bibendum, devorabit me. Cum ergo jaceret, ecce leo post paululum venit, et quasi ratione præditus esset, cum omni quiete transilivit senem, neque omnino illum tetigit. Tunc senior certior factus est quod Deus remisisset illi peccatum, et veniens rursus in monasterium suum, vixit in magna continentia, ædificans omnes vitæ suæ exemplo usque ad diem obitus sui.

CAPUT CII.

Relatio Sophronii sophistæ de eo quod sibi in via contigerat.

Cum interrogatus esset abbas Sophronius sophista frater meus, assistebamus prope illum ego et abbas Joannes scholasticus, et abbas Quiricus, et alii quidam ex Patribus, dixitque nobis : Pergebam modo in via, et ante me adolescentulæ choream agebant, tripudiabantque dicentes : Bene veniat Sophronius; coronatus est Sophronius.

CAPUT CIII.

Vita et virtutes abbatis Stratigii.

892 Dicebant de abbate Stratigio, Patre insignis monasterii sancti Patris nostri Theodosii, monasterii ipsius Patres, quod tres istas virtutes possederit supra ætatis nostræ monachos, jejunium, vigilias, et juge opus.

CAPUT CIV.

Vita abbatis Nonni presbyteri.

Narravit nobis in cœnobio sancti Patris nostri Theodosii, abbas Theodosius, qui fuit episcopus Capituliadis, de abbate Nonno presbytero, quod nocte quadam, antequam pulsaret nocturnum signum, dum jaceret ipse in lectulo suo, audivit quemdam leni voce dicentem, Kyrie eleison. Cumque quinquaginta vicibus hoc ille iterasset, voluit ipse scire quis esset qui hoc dicebat. Et aspiciens, inquit, in ecclesiam per cellulæ meæ fenestram, vidi senem procumbentem genibus suis, et stellam lucidissimam super caput ejus ostendentem mihi quis esset senex.

Alius autem quidam de senibus ipsius cœnobii narravit nobis de eodem abbate Nonno, dicens : Nocte quadam priusquam pulsaret signum, egressus de cellula mea, ibam ad ecclesiam. Et aspicio senem ante ecclesiam stantem, et extensis in cœlum manibus orantem : lucebant autem manus ejus quasi lampades ignis. Quare metu perterritus recessi.

CAPUT CV.

Vita sancti senis Christophori, genere Romani.

Cum in Alexandria essemus, accessimus ad abbatem Theodorum, qui erat in sancta Sophia prope Pharum. Et narravit nobis senex, dicens : Ego in cœnobio sancti patris nostri Theodosii, quod est in eremo sanctæ Christi Dei nostri civitatis, sæculo renuntiavi; invenique illic senem magnum valde, nomine Christophorum, Romanum genere. Die igitur quadam prostratus ante illum, dixi : Fac charitatem, pater, et dic mihi quid in juventute tua operabaris. Cumque multum a me rogatus fuisset senex, agnito quod propter utilitatem animæ illum rogassem, enarravit mihi, dicens : Quando sæculo renuntiavi, fili, magnum habui fervorem, summamque desiderii alacritatem ad monasticam vitam; ac diebus quidem exercebar in regulari psalmodia, noctibus vero pergebam in speluncam, in qua et sanctus Theodosius, et san-

eti Patres reliqui orare consueverant; descendensque in speluncam, centies flectebam genua, et procidebam Deo per gradus singulos; sunt autem numero decem et octo. Cumque per omnes gradus descendissem, permanebam illic, donec pulsaret signum. Tunc ibam ad synaxim cum Patribus. Cum autem opus istud undecim annis absque intermissione fecissem, cum jejuniis multis, et continentia, et nuditate rerum omnium, et obedientia, et labore corporali, veni nocte quadam secundum consuetudinem, ut in speluncam descenderem. Cumque implessem inclinationes corporis per singulos gradus, venturusque essem in speluncæ pavimentum, factus in exstasi, video totum speluncæ pavimentum candelis plenum, ex quibus aliæ quidem accensæ erant, aliæ non. Aspicio autem et duos viros chlamyde indutos, candidoque habitu amictos, easdem candelas præparantes. Ego autem dixi illis : ut quid posuistis hic candelas istas, nec permittitis nos descendere, et orare? Qui respondentes dixerunt mihi : Patrum candelæ sunt. Dixi autem ad eos rursum : Cur aliæ ex illis ardent, aliæ non? Responderunt : Qui volunt candelas suas accenderunt, et qui nolunt, non accenderunt. Aio ad illos iterum : Facite charitatem; candela mea ardet, an non ardet? Illi autem dixerunt : Ora, et accendimus illam. Tunc dico illis : Adhuc oro. Et quid usque modo faciebam? Atque in hoc verbo ad me ipsum reversus sum, conversusque ultra jam neminem vidi. Tunc dixi in meipso : Christophore, majori labore opus est. Et mane facto, recessi de monasterio, et profectus sum ad montem Sina, nihil ferens mecum, nisi quo induebar tantum. Cumque illic egissem annos quinquaginta, venit mihi vox, dicens : Christophore, Christophore, redi in cœnobium tuum ubi etiam bene certasti, ut illic consummeris cum Patribus tuis. Et modico tempore posteaquam mihi ista dixerat, sancta illius anima in pace requievit.

Rursum enarravit nobis idem Theodorus de eodem abbate Christophoro. Dicebat, inquit, senex : Die quadam ascendi in sanctam civitatem, ut adorarem sanctam crucem. Et cum adorassem, et jam exirem, aspicio fratrem quemdam in limine atrii pretiosæ crucis, neque intrantem, neque exeuntem. Aspicio item et duos corvos impudenter ante illius faciem volantes, et alis suis oculos ejus importune impetentes, nec illum intrare permittentes. Intellexi vero eos dæmones esse, et dixi illi : Dic, frater, cur stas in medio januæ, nec intras? Qui ait mihi : Ignosce mihi, Pater mi, cogitationes habeo, ex quibus una mihi dicit : Ingredere, et adora pretiosam crucem. Alia dicit : Non, sed vade, et fac responsum (24), et alia vice adorabis. Ego autem ut audivi, tenui manum ipsius, et introduxi **893** in templum; et continuo fugerunt corvi. Cumque fecissem illum adorare sanctam crucem, et sanctam Christi Domini resurrectionem, dimisi eum in pace. Hæc autem, inquit Theodorus, mihi senex enarravit, quia vidit me multum in ministeriis distentum, et orationis negligentem.

CAPUT CVI.

Relatio abbatis Theodori de monacho Syro Severiano.

Narravit iterum nobis idem abbas Theodorus, dicens : Xenodochium est hic prope Pharum, inter sanctam Sophiam et sanctum Faustum : qui autem illi præerat, die quadam oravit me ut irem in xenodochium, et ibi morarer paucis diebus. Abiens igitur inveni illic monachum quemdam hospitio susceptum, Syrum genere, nihil habentem præter cilicium, et pallium, et panes paucos. Stabat autem in uno angulo, semper die noctuque psallens, et nemini loquens. Veniente vero die sancta Dominica, abii ad illum, dicens : Veni, frater, ad sanctam Sophiam, ut communices sanctis venerandisque mysteriis. Qui ait : Non venio. Ad quem ego : Cur, oro te? Ait mihi : Quia Severianus sum, et non communico Ecclesiæ. Audiens ego, quia non communicaret sanctæ et apostolicæ Ecclesiæ, simulque videns illius optimam conversationem, vitamque virtutibus plenam, abii lugens in cellulam meam, et clausa janua, prostravi meipsum in faciem coram Domino per dies tres, et orabam illum cum lacrymis multis, dicens : Dominator Christe Deus noster, qui propter ineffabilem tuam immensamque clementiam inclinasti cœlos, et descendisti propter salutem nostram, qui incarnatus es ex sancta Domina nostra Dei genitrice semperque virgine Maria, revela mihi qui sint qui bene et recte credunt; nosne qui sanctæ Ecclesiæ jungimur, an qui Severo consentiunt. Die vero tertia venit mihi vox invisibiliter, dicens : Vade, Theodore, inspice fidem ipsius. In crastinum igitur profectus, sedi ante illum, exspectans videre aliquid, juxta quod mihi vox dixerat : et cum mansissem sedens quasi una hora, et intuerer in ipsum stantem, et voce Syra psallentem, vidi teste Deo, filii, columbam super caput ejus stantem fuliginosam, veluti ex coquina venientem, squalidam ac fetidam. Tunc agnovi eam, quæ mihi apparuerat, caliginosam fetidamque columbam, ipsius esse fidem. Hæc autem nobis narravit in veritate cum multis lacrymis et singultibus sancta ipsius anima.

CAPUT CVII.

Vita abbatis Gerasimi.

Uno fere milliario distat a Jordane monasterium, quod abbatis Gerasimi dicitur. In hoc monasterium advenientibus nobis narraverunt qui illic morabantur senes de abbate Gerasimo, quod die quadam ambulans super Jordanis ripam, obvium habuit leonem valde rugientem, suspenso pede, cui infixus erat ex calamo aculeus, adeo ut ex hoc pes ipse intumuisset, et sanie plenus effectus esset. Cum igitur vidisset leo senem, ostendebat illi vulneratum ex infixo aculeo pedem, flens quodammodo et obsecrans ut illi curam adhiberet. Cum ergo vidisset eum senex tali necessitate constrictum, sedens apprehendit ejus pedem, aperiensque vulnus eduxit aculeum infixum, cum magna putredinis copia, diligenterque depurgato vulnere, et panno alligato, dimisit eum. Leo autem cum se curatum vidisset, noluit senem deserere, sed ut charus

discipulus, quocunque pergeret, magistrum sequebatur, ita ut admiraretur senex tantam feræ gratitudinem. Igitur ex tunc senex nutriebat eum, mittens ante illum panem et infusa legumina.

Habebat autem ipsum monasterium asinum unum, ad ferendam aquam pro necessitate fratrum de Jordane. Consuetudinem autem fecerat senex, ut curam pascendi asini leo haberet. Itaque abiens cum illo juxta Jordanis ripas, pascentem observabat. Quadam autem die dum pasceretur asinus, leo se ab illo longiuscule avertit; cum ecce camelarius ex Arabia veniens, inventum asinum accepit, et secum duxit. Leo vero, amisso asino, rediit in monasterium tristis valde, et dejecta facie ac cervice, ad abbatem suum. Abbas igitur Gerasimus putavit quod asinum comedisset leo, et ait illi : Ubi est asinus? Ille vero quasi B homo stabat tacens, et deorsum aspiciens. Dicit ei senex : Comedisti eum ; benedictus Dominus. Quidquid faciebat asinus, amodo facies tu. Ex tunc igitur leo, jubente sene, portabat canthelium (25) capientem amphoras quatuor, ferebatque aquam in monasterium.

Die vero quadam venit miles quidam ad senem benedictionis gratia. Qui cum videret leonem bajulantem aquam, didicissetque causam, misertus est ejus, proferensque tria numismata dedit senibus, ut emerent asinum ad ipsius aquæ ministerium, et liberarent ea necessitate leonem. Brevi autem transacto tempore, postquam liberatus a labore fuerat, camelarius ille, qui **894** asinum abstulerat, veniebat ferens triticum, ut venundaret illud in sancta civitate, C habens et asinum secum. Et cum transisset Jordanem, accidit ut occurreret leoni; quo viso, dimisit camelos, et fugit. Leo autem, cognito asino, cucurrit ad eum, et ore, ut solebat, ejus capistrum mordens, traxit eum cum tribus camelis, et gaudens simul et rugiens, quod perditum asellum reperisset, venit ad senem. Senex vero, qui prius putabat quod asinum leo comedisset, tunc vero didicit quia insidias passus fuisset leo. Imposuit autem nomen leoni Jordanem. Egit itaque leo in monasterio cum fratribus plus quam quinque annos, nunquam recedens a sene.

Cum autem migrasset ad Dominum abbas Gerasimus, et a Patribus sepultus esset, per dispensationem Dei leo tunc in monasterio inventus non est. Post modicum vero venit leo in monasterium, et quærebat D senem suum. Abbas autem Sabbatius Cilix, qui et discipulus fuerat abbatis Gerasimi, viso illo, dixit ei : Jordane, senex noster dimisit nos orphanos, et migravit ad Dominum; sed accipe, et comede. Leo autem comedere nolebat, sed jugiter huc atque illuc se vertens circumspiciebat, quærens videre senem suum, ac rugitu magno ipsius absentiam se ferre non posse significans. Abbas autem Sabbatius, et senes reliqui fricantes ejus cervicem, dicebant ei : Migravit senex ad Dominum, et dimisit nos. Sed ista dicentes non poterant tamen illius voces et ejulatus mitigare, sed quanto amplius ipsum verbis fovere ac solari se existimabant, tanto ipse magis ejulabat, majorique rugitu utebatur, et lamenta adjiciebat, ostendens ex voce, facie, et oculis mœrorem, quem habebat non videns senem. Tunc ait illi abbas Sabbatius : Veni mecum, ex quo non credis nobis, et ostendam tibi ubi positus est senex noster. Sumensque eum, duxit ubi illum sepelierant. Distabat autem ab ecclesia quasi passibus quinque. Et stans abbas Sabbatius supra sepulcrum abbatis Gerasimi, dixit leoni : Ecce hic senex noster sepultus est. Et inclinavit genua sua abbas Sabbatius supra sepulcrum senis. Cum ergo id leo audisset, et vidisset prostratum super tumulum abbatem Sabbatium, et flentem, tunc et ipse prostravit se, percutiens in terram caput suum vehementer, et rugiens ; atque ita continuo defunctus est super sepulcrum senis

Hoc autem totum factum est, non quia animam rationalem habuisse leo putandus sit, sed quod Deus voluerit glorificantes se glorificare, non solum in vita hac, sed etiam post mortem, et monstrare nobis qualem primo homini habuerint subjectionem bestiæ, priusquam inobediens esset mandato, et antequam excideret e paradiso deliciarum.

CAPUT CVIII.

Vita presbyteri virginis, ejusque uxoris itidem virginis.

Cum in Samum insulam venissemus, vidimus in cœnobio, quod Charixeni appellatur, abbatem Isidorum ipsius monasterii præpositum, virum eximiæ virtutis, et magnæ ad omnes charitatis, simplicitateque et humilitate maxime ornatum : quem etiam post aliquantulum temporis episcopum in eadem regione constitutum scimus. Hic enarravit nobis, dicens :

Est in octavo hujus civitatis milliario vicus habens etiam ecclesiam : in hac presbyter quidam fuit valde mirabilis, quem parentes invitum et renitentem uxorem accipere compulerunt. Verum ille non solum voluptatis illecebra captus non est, quamvis juvenis existeret, et legitimæ conjunctus uxori, sed et ipsam induxit caste secum ac pudice vivere. Didicerunt igitur ambo psalterium, amboque simul in ecclesia psallebant, servantes se ipsos virgines usque in finem. Hic itaque presbyter die quadam falsa calumnia apud episcopum accusatus est. Quem episcopus ignorans institutum ejus, accersivit ex vico, et misit in carcerem, in quem solebant peccantes clerici includi et custodiri.

Cum igitur esset in carcere, adveniente sancto die Dominico, apparuit ei juvenis formosus valde, dixitque ei : Surge, presbyter, vade in ecclesiam tuam, ut sanctam oblationem offeras. Ait illi presbyter : Non possum, quia inclusus sum. Dixit ei is qui apparuit : Ego tibi aperio carcerem ; veni, sequere me. Aperiensque januam, ante illum exiit : Cum vero egressi essent, ambulavit ille usque dum mille passibus distaret a vico presbyteri. Facta autem die, qui custodiebat carcerem ingressus est, requirens eum ubi clausus fuerat. Et non inveniens, perrexit ad episcopum dicens : Effugit presbyter, me habente clavem. Putans igitur episcopus quia effugisset, misit unum de servis

episcopatus dicens : Vade, et vide si presbyter in vico suo est, nihilque illi interim dicas. Profectus ergo puer illum invenit in ecclesia sanctam oblationem offerentem. Reversusque dixit episcopo, illic esse presbyterum, ac eum se reperisse offerentem sacrificium. Episcopus autem magis ac magis contra illum indignatus, juravit quod **895** in crastinum eum cum summa ignominia reduceret.

Sequenti autem nocte apparuit presbytero is qui primo apparuerat, dicens : Veni, ut eamus ubi te episcopus incluserat in civitate. Assumensque illum adduxit rursum, et reposuit in carcere, ignorante custode carceris. Mane vero diei sequentis didicit e carcerario episcopus quia in custodia presbyter se ignorante inventus esset. Mittens episcopus sciscitabatur a presbytero quomodo de carcere exisset, et quomodo rursus absque carcerarii notitia ingressus esset. Qui respondit : Juvenis quidam speciosus valde et optime vestitus, episcopatus vestri, ut dicebat, minister, aperuit mihi ostium, et præcedebat me usque ad unum milliare prope vicum nocte Dominicæ, idemque rursus sequenti nocte veniens reduxit me. Episcopus igitur accersivit omnes servos episcopatus, sed nullum ex ipsis recognovit presbyter. Tunc intellexit episcopus quod angelus Dei fuerat qui hoc egisset, ne virtus presbyteri prorsus occultaretur, sed ut omnes discerent, et glorificarent Deum, qui glorificantes se glorificat. Et de ipso valde ædificatus, dimisit illum a se in pace, multa contra eos clamans qui illum injuste accusaverant.

CAPUT CIX.

Vita abbatis Georgii, qui nunquam turbabatur.

De abbate Georgio, Patre monasterii abbatis Theodosii, narravit nobis abbas Theodosius ejus discipulus bonus ac mitis et humilis, qui fuit episcopus Capitoliadis, quod duodecim annos observasset eum, si vel semel turbaretur, et nunquam turbatum vidit, idque in hoc tempore, quando omnis desidia, et negligentia, et mollities, et inobedientia regnat. Quis autem, aiebat, ita frenavit oculum, sicut Pater noster sanctus Georgius? Quis ita posuit januam auribus, sicut beatus ille? Quis ita continuit linguam, sicut Pater noster? Quisnam solaris radius ita illustravit terram, sicut Pater noster nostrum omnium corda radiavit?

CAPUT CX.

Dicta egregia sancti cujusdam senis Ægyptii.

Assumpsi dominum meum Sophronium, et perreximus in monasterium quod ab Alexandria decem et octo passuum millibus distat, ad senem quemdam magnæ virtutis, Ægyptium genere, dixique seni : Dic nobis verbum, Pater, quomodo debemus simul habitare, quia dominus Sophista voluntatem sæculo renuntiandi habet. Ait senex : Bene facis, fili, renuntians sæculo, salvansque animam tuam. Sedete igitur in cella, ubi vultis, sobrie et vigilanter, quietem ac silentium servantes, et sine intermissione orantes; et spem habeo in Deum, filii, quod mittet A vobis scientiam suam ad illuminandas animas vestras.

Dixit iterum : Si salvari, filii, cupitis, fugite homines. Hodie enim nos non desistimus omnium terere limina, omnemque civitatem ac regionem circuire, sicubi possimus avaritiæ vel inanis gloriæ nobis ipsis stipendia acquirere, et animas nostras implere vanitate.

Dixit iterum senex : Fugiamus jam, filii, quoniam appropinquat tempus.

Dixit iterum : Væ, væ, quantum flebimus, quantumque pœnitebimus pro eo quod modo pœnitere nolumus.

Dixit iterum : Neque cum laudamur, nos ipsos continemus sub humilitate; neque rursus cum vituB peramur, toleramus. Aliud quippe nobis inanem gloriam suggerit, aliud mœstitiam nobis miseris facit : ubi vero tristitia et inanis gloria est, nihil boni reperitur.

Dixit iterum : Patres nostri, ut magni atque mirabiles, pascebant multos; ego autem humilis unam ovem regere non valeo, sed semper ferarum morsibus pateo.

Ait rursus : Dæmonum opus hoc est, ut cum animam in peccatum dejecerint, tunc nos in desperationem præcipitent, ut perfecte nos perdant. Semper enim dæmones dicunt animæ : Quando morietur, et peribit nomen ejus? Si igitur sobria fuerit anima, et ipsa ad eos econtra clamabit, et dicet : Non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini (*Psal.* CXVII).
C Quoniam igitur magnam habent impudentiam dæmones, et ipsi rursus clamant, dicentes : Transmigra in montem, velut passer (*Psal.* X). Idcirco et nos ad illos dicere debemus : Nam et ipse Deus meus, et Salvator meus, adjutor meus, non emigrabo (*Psal.* LXI).

Dixit iterum senex : Esto janitor cordis tui, ne intret peregrinus, dicens : Noster es, an adversariorum?

CAPUT CXI.

Factum cujusdam viri calvi et sacco induti.

Ego et sodalis meus Sophronius, cum in Alexandria essemus, die quadam perreximus ad Theodosii ecclesiam, obviumque habuimus in vico virum quemdam calvum, indutum sacco usque ad genua. Vide-
D batur autem quasi fatuus et amens. Dixit igitur mihi abbas Sophronius : Da mihi nummos, et videbis virtutem venientis. **896** Dedi ergo illi quinque nummos : qui acceptos dedit illi qui videbatur ut amens. Accepit autem eos ille, nihil omnino loquens. Nos autem clam illum secuti sumus e vestigio. Ille vero cum flexisset a via, extendit in cœlum manum suam dexteram habentem nummos, et post hæc prostravit se coram Deo, positisque in terra nummis abiit.

CAPUT CXII.

Vita et mors Leonis monachi, genere Cappadocis.

Temporibus imperii Tiberii fidelissimi Cæsaris, ascendimus in Oasim, vidimusque illic magnum in

divinis rebus monachum, genere quidem Cappadocem, nomine autem Leonem. De hoc multi multa digna admiratione narrabant nobis. Nos autem ad illius pertingentes familiare colloquium, magnumque experimentum capientes sancti hujus viri, magnifice ædificati sumus, et maxime in humilitate ejus, et silentio, et nuditate rerum omnium, et charitate, quam ad omnes habuit. Dicebat ergo semper venerabilis hic senex: Credite mihi, filii, quia regnare habeo. Nos autem dicebamus ei: Crede nobis, abba Leo, quia nullus ex Cappadocia unquam regnavit; importunam ergo habes istam cogitationem. Ille vero rursus dicebat: Veraciter, filii, regnare habeo. Nemo autem poterat eum ab hac cogitatione removere.

Cum igitur venissent Mazices, et universam provinciam illam devastassent ac diripuissent, venerunt et in Oasim, et monachos quidem plures occiderunt, plurimosque captivos duxerunt. Inter quos acceperunt et abbatem Joannem (erat autem hic lector magnæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ) et abbatem Eustathium Romanum, et abbatem Theodorum Cilicem. Erant autem tres isti infirmantes. Cum ergo vincti fuissent, ait abbas Joannes barbaris: Ducite me in civitatem, et faciam ut episcopus det pro nobis numismata viginti quatuor. Accepit ergo illum unus ex barbaris, et duxit prope civitatem, ingressusque est abbas Joannes ad episcopum. Inventus est autem in urbe et abbas Leo, et alii quidam Patrum, atque ideo tenti non fuerant. Ingressus igitur abbas Joannes cœpit orare episcopum ut barbaro numismata daret; episcopus autem non plura quam octo numismata habere inventus est. Voluerunt ergo dare barbaro octo numismata, et noluit accipere, dicens: Aut viginti quatuor numismata præbete mihi, aut monachum date. Coacti igitur sunt, qui erant in civitate rursus abbatem Joannem barbaro dare flentem et ejulantem. Adduxit autem illum in sua tabernacula barbarus. Post tres ergo dies, sumptis octo numismatibus, abbas Leo in eremum exiit, ubi erant barbari, oravitque illos, dicens: Accipite me cum octo numismatibus, et tres istos dimittite, qui infirmi sunt, neque pergere per eremum possunt; nam interficietis eos, et detrimentum patiemini: ego vero sanus sum, et serviam vobis. Tunc barbari acceperunt abbatem Leonem, et octo numismata, et dimiserunt illos tres. Abiit ergo abbas Leo usque ad quemdam locum, et cum præ debilitate pergere ultra non posset, barbari decollaverunt eum. Implevitque abbas Leo Scripturam dicentem: Majorem hac dilectionem nemo habet quam ut ponat quis animam suam pro amicis suis (*Joan.* xv). Tunc nos quoque cognovimus quidnam esset quod dixerat, Quia regnare habeo. Veraciter enim regnavit, qui posuit animam suam pro amicis suis.

CAPUT CXIII.

Admonitio abbatis Joannis de Petra.

Ad abbatem Joannem de Petra perrexi, sumpto mecum et sodali Sophronio, rogavimusque illum dicentes: Dic nobis verbum. Senex autem ait: Amate nuditatem rerum omnium, et continentiam. Credite dicenti mihi, cum adolescens morarer in Scythi, quidam senum splene indoluit, et modicum aceti quæsitum est in quatuor ejus loci monasteriis, et inventum non est. Tanta erat apud eos paupertas, et nuditas, et continentia. Erant autem ibi Patres quasi ter mille et quingenti.

CAPUT CXIV.

Vita abbatis Danielis Ægyptii.

Narravit autem nobis sanctus senex de abbate Daniele Ægyptio, dicens: Ascendit senex ipse die quadam in Therenuten, ut opus manuum suarum venderet. Adolescens autem quidam precabatur senem, dicens: Per Deum, senior, veni in domum meam, et fac orationem super uxorem meam, quia sterilis est. Senex autem compulsus à juvene abiit cum illo in domum suam, fecitque orationem super uxorem ejus, et volente Deo mulier in utero concepit. Viri ergo quidam non timentes Deum cœperunt seni detrahere, et dicere: Vere juvenis iste infecundus est, sed mulier a sene prægnans facta est. Venit igitur hæc fama ad senis aures, et scripsit senex marito mulieris, dicens: Cum pepererit uxor tua, nuntia mihi. Cum ergo peperisset uxor illius, seni significavit juvenis, dicens: Per Deum et orationes tuas, Pater, genuit uxor mea. Tunc abbas Daniel **897** ingressus ait juveni: Fac prandium, et voca cognatos et amicos tuos. Cum igitur pranderent, sumens senex puerulum in manibus coram omnibus dixit infantulo: Quis est pater tuus, infans? Ait autem infans: Hic, ostendens digito manus suæ juvenem. Erat autem infantulus dierum viginti quinque.

CAPUT CXV.

Admonitiones abbatis Joannis Cilicis.

Dicebat abbas Joannes Cilix præpositus Raythu fratribus: Filii, sicuti fugimus mundum, fugiamus concupiscentias carnis (*I. Joan.* II).

Dixit iterum: Imitemur Patres nostros, qui cum tanta austeritate vitæ et silentio sederunt in loco isto.

Dixit iterum: Ne sordidemus locum istum, filii, quem patres nostri a dæmonibus emundaverunt.

Ait rursus: Locus iste monachorum, non negotiatorum est.

Dixit iterum: Inveni hic senes. qui septuaginta annos hoc eodem in loco egerant, herbis solum et palmarum fructibus viventes.

Dixit iterum senex: Septuaginta et sex annos habeo in hoc loco, multa mala et horrenda perpessus a dæmonibus.

CAPUT CXVI.

De fratre cui falso objiciebatur subtraxisse numisma.

Narravit nobis abbas Andreas Messenius, dum essemus in Raythu, dicens: Cum essem adolescens, recessimus ego et abbas meus de Raythu, et venimus in Palæstinam; mansimus autem apud senem quemdam. Senex ergo qui suscepit nos, habebat unum

numisma, quod ubi posuisset, per errorem oblitus, suspicatus est quod junior ego furatus illud essem. Dicebat ergo senex Patribus loci ipsius, quia frater Andreas numisma accepit. Quod cum audisset abbas meus, vocavit me, et ait mihi : Dic, Andrea, tu numisma senis accepisti? Ad quem ego : Ignosce, abba, ego nihil accepi. Habebam autem pallium, quod abiens vendidi numismate, et accipiens numisma profectus sum ad senem, et prostratus illi veniam petii, et dixi : Ignosce mihi, abba, quia Satanas decepit me, et accepi numisma tuum. Erat autem illic et sæcularis quidam. Ait ad me senex : Vade, fili, nihil perdidi. Iterum igitur prostratus veniam petebam dicens : Per Dominum, abba, accipe numisma, ecce hoc est; et fac mihi orationem, quoniam Satanas immisit mihi ut furarer illud, et affligerem vos. Dixit iterum senex : Fili, non perdidi quidquam. Cum vero illi non acquiescerem, tunc ait mihi sæcularis ille : Vere, domine frater, hesterno die cum huc venissem, inveni senem plorantem, et prostratum, petentemque veniam in magna afflictione animi, dixique illi : Fac charitatem; quid est quod habes? Et dixit mihi senex : Quia fratrem injusta calumnia exagitavi, dicens quod numisma furatus esset, et ecce inveni illud. Tunc senex ædificatus est in me, quod cum non accepissem numisma, detulerim illud ad eum dicens : Accipe numisma, ego enim illud cepi.

CAPUT CXVII.

De fratre dæmoniaco ab abbate Andrea sanato.

Frater quidam dæmonium habens accessit ad abbatem Simeonem Stylitem, in admirabilem montem, rogans ut pro se oraret, et effugaret ab eo dæmonem. Dixit ei abbas Simeon : Ubi moraris? Qui ait : In Raythu. Ad quem senex : Miror, inquit, frater, cur tanto te labore fatigaveris, tantumque itineris peregeris, ut venires ad me peccatorem hominem, cum tales ac tantos Patres habeas in monasterio tuo. Vade igitur ad abbatem Andream, et roga illum ut oret pro te, et statim curabit te. Venit igitur frater in Raythu : et sicut sibi mandaverat beatus Simeon, prostravit se illi, rogans et dicens : Ora pro me, Pater. Dixit ei abbas Andreas : Accepit gratiam hujus curationis abbas Simeon. Cumque fecisset orationem, continuo mundatus est frater, et gratias reddidit Deo.

CAPUT CXVIII.

Vita Menæ diaconi monachi in Raythu.

Narravit nobis abbas Sergius in Raythu de fratre quodam illic diacono, Mena nomine, et ait : Cum exisset aliquando Menas ad ministerium, reversus est ad sæculum : quid autem illi contigerit, nescimus, nisi quia reliquit monasticum habitum, et sæcularis effectus est. Post multum vero temporis profectus est Theopolim, et cum rediret Seleuciam, vidit monasterium sancti abbatis Simeonis Stylitæ de longe, et ait intra se : Ascendam, et videbo magnum Simeonem; nunquam enim eum viderat. Euntem vero et jam columnæ appropinquantem ut vidit abbas Simeon, divinitus agnoscens quod esset monachus, et

A quia diaconus ordinatus fuisset, vocavit ministrum suum, dicens : Affer huc forfices. Cumque attulisset, ait illi : Benedictus Dominus; tonde illum, ostendens eum digito, erant enim ibi multi circa columnam. Admiratus autem ille in verbo senis, simulque timore magno comprehensus suscepit tonsuram, nihil omnino loquens; intellexit enim quia Deus revelasset seni de se. Cum minister ergo **898** totondisset illum, ait ei magnus Simeon : Fac orationem diaconi. Et cum orasset, ait illi iterum : Perge in Raythu, unde etiam existi. Dicente autem illo, se verecundari, Patrumque aspectus ferre non posse; rursus ait illi abbas Simeon : Crede mihi, fili, quia vereri omnino non debes; hilari enim facie et grato animo te suscipient Patres, gaudiumque illis fiet et exsultatio in conver-

B sione tua. Et hoc autem scito, fili, quia Deus signum in te facturus est, ut agnoscas quoniam ignovit tibi illius immensa et ineffabilis bonitas peccatum istud. Venientem igitur in Raythu supinis manibus exceperunt patres, miseruntque ipsum in sanctum sacrarium. Quadam igitur die Dominica cum ferret sanctum et vivificum sanguinem magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, continuo exiit oculus ejus unus; atque ex hoc signo cognoverunt Patres quia ignovisset illi Deus peccatum istud, juxta verbum magni Simeonis.

CAPUT CXIX.

De dæmone qui in habitu monachi profectus est ad cellam cujusdam senis in Raythu.

Dicebat nobis abbas Eusebius presbyter ejusdem

C monasterii Raythu, cum ad illum venissemus, quod dæmon in habitu monachi profectus fuit ad cellam senis, et cum pulsasset januam, aperuit senex, et dixit illi : Ora. Dæmon autem ait : Et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. Senex autem rursus dixit : Ora. Et dæmon similiter ait : Nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. Tunc senex, Ora, et dic : Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, etiam nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. Hoc autem cum dixisset senex, dæmon quasi vim passus ab igne, evanuit.

CAPUT CXX.

De tribus Monachis mortuis inventis a piscatoribus Pharonitis.

D Narraverunt nobis Pharonitæ piscatores, dicentes : Die quadam ivimus in Buchrin trans mare Rubrum, et cum plurimos pisces cepissemus, reversi sumus, et venimus prope Pereleum. Volentesque transfretare in Raythu, prohibiti sumus a ventis contrariis, ac maris tempestate detenti sumus per dies nonaginta. Venientes autem in quoddam maximum desertum, invenimus subter unum saxum tres anachoretas defunctos, indutos colobiis de sibino (26), melotesque illorum juxta eos erant positæ. Accepimus itaque illos, et duximus ad navem, continuoque æstuans mare tranquillum factum est, et venti contrarii in opportunos conversi sunt. Et transfretavimus secundis ventis, et venimus in Raythu : Patres autem sepelierunt eos cum antiquis senibus.

CAPUT CXXI.

Vita et mors abbatis Gregorii Byzantini, et alterius Gregorii Pharonitæ ejus discipuli.

Narraverunt nobis ipsius loci Patres de abbate Gregorio Byzantino, et discipulo ejus abbate Gregorio Pharonite, quod in insula quadam maris Rubri manserint. Illa vero insula aquam non habebat, sed ex continenti afferebant aquam sibi in usus suos. Habebant enim ratem, cum qua exibant, et afferebant aquam. Quadam autem die dimiserunt ratem in mare, ligantes illam ad saxum quoddam. Nocte vero illa facta est unda vehemens, ruptoque fune periit ratis. Manserunt autem Patres illi non habentes, unde sibi aquam deferrent. Post octo itaque menses venerunt monachi de Raythu, et invenerunt ambos mortuos. Invenerunt autem et in dorso testudinis ita scriptum : *Abbas Gregorius Pharonites viginti et octo diebus aquam non bibens, defunctus est : ego autem dies triginta septem transegi, ex quo non bibi.* Invenimus vero ambos integros, sumentesque illos, sepelivimus in Raythu.

CAPUT CXXII.

De duobus monachis, qui nudi ingressi sunt ecclesiam ut communicarent, nec visi sunt ab aliquo, nisi ab abbate Stephano.

Venimus ad abbatem Stephanum Cappadocem in Sina monte, narravitque nobis, dicens : Cum essem ego in Raythu ante hos annos, quinta feria Cœnæ Domini, eram in ecclesia. Cumque consummaretur sancta oblatio, Patresque omnes assisterent, ecce video duos quosdam anachoretas ecclesiam ingredi, erant autem nudi, nullusque Patrum alius animadvertit quod nudi essent, nisi ego solus. Cum igitur communicassent Dominico corpori et sanguini, exierunt de ecclesia, et abibant; ego autem una cum illis exivi. Cum ergo egressi essemus, prostravi me illis, dicens : Facite charitatem, accipite me vobiscum. Cognoverunt autem quia videram illos nudos, et dixerunt mihi : Bene sedes, quiesce. Rursus ego rogabam illos ut acciperent me secum. Tunc dixerunt mihi : Non potes nobiscum esse, sede, bona enim tibi sedes est. Facientes autem mihi orationem, vidente me super aquas Rubri **899** maris pedibus ingressi sunt, et trans mare abierunt.

CAPUT CXXIII.

Vita abbatis Zosimi Cilicis.

Perreximus ad abbatem Zosimum Cilicem in monte Sina, ubi morabatur; renuerat enim episcopatum senex, et redierat in cellulam suam. Erat autem vir magnæ abstinentiæ, narravitque nobis, dicens : Cum essem junior, exivi de Sina, et abii in Ammoniacem ut illic morarer, invenique ibi senem vestitum colobio de sibino. Senex autem ut vidit me, priusquam illum salutarem, ait mihi : Quid huc advenisti, Zosime? vade, non enim potes hic sedere. Existimans autem quia cognovisset me, prostravi me ante illum, dicens : Fac charitatem, Pater, unde me nosti? Senex autem dixit mihi : Ante duos dies apparuit mihi quidam, dicens : Ecce veniet ad te monachus quidam, nomine Zosimus; non permittas eum hic ma-

A nere; volo enim ecclesiam Babylonis, quæ in Ægypto est, illi credere. Tacuitque senex, et dimisso me, abiit a me quantum est jactus lapidis. Et cum duas horas in oratione complesset, venit ad me, et osculans faciem meam, ait mihi : Fili charissime, bene venisti; Deus enim te huc adduxit, ut commendes terræ corpus meum. Dixi autem ei : Quot annos in hoc loco habes, abba? Dixit ad me : Quadraginta et quinque annos impleo. Et apparuit mihi facies ejus tanquam ignis. Et ait mihi : Pax tibi, fili, et ora pro me. Et hæc dicens collocavit seipsum, et requievit. Ego autem, effossa humo, sepelivi eum, et post duos dies recessi glorificans Deum.

CAPUT CXXIV.

Ejusdem relatio.

B Narravit autem nobis et hoc senex, dicens : Ante annos viginti duos ascendi in Porphyritem, volens illic morari; accepi autem et discipulum meum Joannem mecum. Cum ergo illuc venissemus, invenimus duos anachoretas, mansimusque prope illos. Erat autem alter quidem ex his Galata, nomine Paulus; alter vero Melitinus, nomine Theodorus, ex monasterio fuerat abbatis Euthymii. Ferebant autem colobia ex pellibus bubalorum. Mansi autem illic ferme duos annos, distabamusque ab invicem quasi duobus stadiis. Die autem quadam cum sederet Joannes discipulus meus, percussit eum serpens, statimque defunctus est, sanguinem ex omnibus partibus fundens. In multa igitur angustia existens, abii ad ana-

C choretas : qui statim ut viderunt me turbatum et afflictum, antequam aliquid dicerem ad eos, dicunt mihi : Quid est, abba Zosime? mortuus est frater? Dico illis : Ita sane, mortuus est. Venientes igitur mecum, videntesque ipsum in terra jacentem, dicunt mihi : Noli contristari, abba Zosime; adest divinum adjutorium. Vocantesque fratrem dixerunt : Frater Joannes, surge, quia senex te opus habet. Continuoque surrexit frater de terra. Quærentes autem bestiam, et invenientes, tenuerunt eam, et in conspectu nostro illam in duas partes disruperunt. Tunc dicunt mihi : Abba Zosime, vade in Sina : Deus enim tibi committere vult ecclesiam Babylonis. Continuo itaque recessimus nos. Cumque venissemus in Sina, post paucos dies abbas misit me et duos alios

D in ministerium in Alexandriam; tenensque nos papa Alexandrinus beatissimus Apollinaris, omnes tres fecit episcopos, unum quidem Heliopoleos, alium Leontopoleos, me vero in Babylonem misit.

CAPUT CXXV.

Factum pulchrum abbatis Sergii anachoretæ.

Narraverunt nobis quidam patrum in Sina de abbate Sergio anachoreta, quod cum moraretur in Sina, constituebat illum dispensator super burdones (27). Cum ergo die quadam properaret, ecce leo jacebat in via : porro burdonarii, burdonesque, viso leone, timore correpti, recesserunt. Tunc abbas Sergius sumens de pera unam eulogiam, profectus est ad leonem, dixitque ei : Accipe eulogiam Patrum et re-

cede de via, ut transeamus. Sumptaque leo eulogia recessit.

CAPUT CXXVI.

Egregia responsio abbatis Orenti montis Sina.

Dicebant nobis ejusdem loci sancti Patres de abbate Orento, quod die quadam Dominica ingressus est senex in ecclesiam verso sago suo, ita ut foris villosus esset. Stante igitur eo in choro, venerunt quidam de dispensatoribus loci, et dixerunt seni: Cur ita, Pater, ingressus es converso sago tuo in ecclesiam ad derisionem nostram coram peregrinis? Respondit ei senex: Vos evertistis Sina, et nemo vobis dixit aliquid, et ego quia converti sagum meum, dicitis mihi: Quare convertis sagum tuum? Ite, corrigite quæ evertistis, et ego corrigam quæ everti.

CAPUT CXXVII.

Vita abbatis Georgii sancti montis Sina, et anus cujusdam ex Galatia Phrygiæ.

Narravit nobis abbatissa Damiana solitaria, mater abbatis Athenogenis **900** episcopi Petrensis, dicens: Erat quidam abbas in sancto monte Sina, nomine Georgius, magnæ virtutis et abstinentiæ vir. Huic abbati Georgio magni Sabbati die sedenti in cellula sua venit desiderium faciendi sacrum diem resurrectionis in sancta civitate, et sumere veneranda mysteria in sancta Christi Dei nostri Resurrectione (28). Per totam ergo diem senior hujusmodi cogitatione sollicitabatur et orabat. Cum itaque sero factum esset, venit discipulus ejus dicens ei: Jube, Pater, ut eamus ad synaxim. Senex autem respondit ei: Vade et tempore sanctæ communionis veni ad me, et pergam. Mansit itaque senex in cellula. Cum autem advenisset tempus sanctæ communionis in sancta Resurrectione, inventus est senex prope archiepiscopum beatum Petrum, qui præbuit illi cum presbyteris sanctam communionem. Videns igitur eum patriarcha, dixit Menæ syncello seu assessori suo (29): Quando venit abbas montis Sina? Respondit ille: Per orationes vestras, domine, non vidi illum nisi nunc solummodo. Tunc ait patriarcha: Dic illi ut non recedat; volo enim ut mecum sumat cibum. Ille vero profectus id dixit seni. Qui ait: Voluntas Dei fiat. Cum ergo senex dimisisset synaxes, adorato sancto monumento, inventus est in cellula sua. Et ecce discipulus ipsius pulsavit, et dixit: Pater, veni, ut communices. Senex vero profectus in ecclesiam cum discipulo suo, iterum sumpsit veneranda mysteria. Petrus autem archiepiscopus contristatus, quod illi inobediens fuisset, post solemnitatem misit ad episcopum Phari abbatem Photinum, et ad patres Sina, ut abbatem ad se mitterent. Cum ergo venisset qui attulerat litteras, dedissetque illas, misit et senex tres presbyteros, abbatem scilicet Stephanum Cappadocem, magnum illum virum, cujus et supra meminimus (*Cap.* 122); et abbatem Zosimum, cujus etiam superius mentionem fecimus (*Cap.* 123), et abbatem Dulcitium Romanum, ad patriarcham, purgavitque se ipsum senior scribens ac dicens: Absit a me, mi domine sanctissime, ut sanctum angelum vestrum A contempserim. Scripsit autem et hoc ad eum: Ut sciat beatitudo vestra, post sex menses Christo Domino ac Deo nostro simul occursuri sumus, et illic adorabo vos. Egressi itaque presbyteri dederunt patriarchæ litteras: dixerunt autem et hoc ei, quoniam senex multos annos habebat, ex quo non venerat in Palæstinam. Ostendebant item et litteras episcopi Phari simul contestantes quod ferme septuaginta annos haberet senex, ex quo de sancto monte Sina non exierat. Sanctus vero ac mitissimus Petrus afferebat testes eos qui tunc adfuerant episcopos et clericos, dicentes: Vere nos senem vidimus, et omnes osculo sancto illum salutavimus. Postquam igitur impleti sunt sex menses, requieverunt in pace senex et patriarcha, juxta scilicet ipsius senis prophe- B tiam.

Narravit nobis eadem abbatissa Damiana et hoc dicens: Die sancto Parasceves, antequam includerer, abii ad sanctum Cosmam et Damianum, et illic totam noctem peregi. Venit itaque sero anus quædam ex Galatia Phrygiæ, et dabat omnibus qui in templo erant duo minuta: die igitur quadam neptis mea, et fidelissimi imperatoris Mauritii, veniens in sanctam civitatem orationis gratia, egit ibi annum integrum. Assumpsi ergo eam, et adduxi ad sanctos Cosmam et Damianum. Cum igitur in oratorio essemus, aio cognatæ meæ: Vide, filia, quia venit anus quædam dans duo minuta (ea enim mihi sæpius dederat), sume illa, ne superbias. Illa autem indignans dicebat: Mandatum habeo accipere? Tunc dixi ei: C Etiam, accipe; mulier enim sancta est et magnæ virtutis: tota enim hebdomada jejunat, et quidquid in hebdomada laborans lucratur, erogat his qui in templo inveniuntur. Est autem vidua quasi annorum octoginta. Sume igitur duo minuta, et da illa tu quoque alteri: tantum ne respuas anus istius sacrificium. Ista nobis loquentibus, ecce anus veniens duo minuta erogabat; veniensque dedit mihi cum omni silentio; dedit autem et nepti meæ, dicens: Accipe ista, et comede. Cum ergo abiisset, agnovimus quod Deus illi revelasset quod dixeram ei, ut acciperet et alteri pauperi daret. Misit igitur unum ex pueris suis, et de duobus minutis emit lupinos, et comedit. Asseverabat autem coram Deo dicens, eos tanquam mel dulces fuisse, ita ut miraretur et glo- D rificaret Deum, qui dat gratiam servis suis.

CAPUT CXXVIII.

Vita Adelphii episcopi Arabessi, et de beato Joanne Chrysostomo.

Perreximus ad abbatem Athanasium in monasterium sancti Patris nostri Sabæ, narravitque nobis, dicens: Audivi referente abbate Athenogene episcopo Petræ, filio abbatissæ Damianæ, tale aliquid:

Fratrem habuit avia mea Joanna, nomine Adelphium, episcopum Arabessi, sororem quoque abbatissam monasterii mulierum. Quadam vero die abiit episcopus ad monasterium visitandæ sororis gratia. Et cum intraret atrium monasterii, vidit **901** unam de sororibus a dæmone correptam, et in pavimento

projectam. Convocans igitur episcopus sororem suam, ait illi: Placetne tibi ut soror ista perturbetur a dæmone, et dehonestetur? An ignoras quia judicium portas omnium sororum, ut abbatissa? Quæ dixit ei: Et ego quid possum facere adversus dæmonem? Episcopus autem rursum dixit ei: Et quid hic tot annis facis? Factaque oratione, episcopus mundavit a dæmone sororem illam.

Rursus idem abbas Athanasius narravit nobis de eodem episcopo Adelphio, dicens, sese venerabilem Joannam sororem ipsius ita referentem audisse: Cum sanctissimus episcopus Constantinopolitanus Joannes Chrysostomus in Cucusum in exsilium missus est, in domo nostra mansit. Ex hoc igitur ingentem confidentiam et charitatem habuimus ad Deum. B Dicebat ergo frater meus Adelphius: Cum in exsilio mortuus esset beatissimus Joannes, dolorem pertuli incredibilem, quod talis ac tantus vir, orbisque magister, lætificans Ecclesiam Dei, a throno suo exsul defunctus est. Deprecabar ergo, inquit, Deum cum multis lacrymis, ut ostendere mihi dignaretur, in quo statu esset, et an cum patriarchis adnumeratus esset. Cum ergo diutius orassem, in exstasi effectus sum, aspexique virum nimis speciosum, qui tenens manum dexteram meam, adduxit me in locum quemdam illustrem et gloriosissimum, ostendebatque mihi ecclesiæ doctores. Ego vero circumspiciebam, videre quærens quem cupiebam, magnum Joannem dilectissimum meum. Cum ergo ostendisset mihi omnes, et uniuscujusque proprium nomen expressisset, rursus tenens me per manum, eduxit me foras. Ego C autem sequebar illum tristis, quod non vidissem cum patribus et Ecclesiæ magistris beatum Joannem. Cum itaque egrederer, is qui præerat januæ, apprehendens me dixit mihi: Quid habes? cur tristis es? nemo unquam huc ingressus, tristis exivit. Tunc dixi illi: Hæc mihi causa mœroris est, quod amantissimum mei Joannem episcopum Constantinopolitanum una cum cæteris doctoribus non vidi. Rursum dixit mihi: Joannem dicis pœnitentiæ ducem? Aio ego: Illum sane. Respondens autem dixit mihi: Ipsum homo in carne vivens videre non potest, illic enim assistit, ubi thronus est Domini.

CAPUT CXXIX.

Vita cujusdam Stylitæ.

Abbas idem Athanasius narravit nobis, audisse se D narrantem abbatem Athenogenem episcopum Petræ, quod in provincia sua fuerit Stylites quidam, ad quem omnes qui veniebant, inferius stantes loquebantur, eo quod non haberet scalam. Si quando igitur dixisset illi frater: Volo tibi dicere cogitationem; dicebat et ipse illi leni voce: Veni ad gradus columnæ; ibatque ipse ad aliam columnæ partem; et ita loquebantur mutuo, Stylita quidem superius stante, fratre autem inferius. Cæterorum vero qui assistebant, nullus ea quæ dicebantur audire poterat.

Dicebat et hoc abbas Athenogenes de eodem Stylita, quod duo sæculares se mutuo valde diligentes, pergebant ad eum multis annis ambo simul, et nunquam unus sine altero proficiscentes. Quadam ergo die venit, nesciente socio suo, alter ad illum; cumque plures horas pulsaret januam, noluit illi senex aperire, ita ut ille tædio devictus reverteretur. Reverlenti autem occurrit amicus ejus, pergens et ipse ad Stylitem, rursumque reduxit eum secum, ut ambo simul ingrederentur ad senem. Cum ergo pulsarent januam, mandavit senex ut qui posterior venerat, ingrederetur solus. Ingressusque posterior cœpit rogare senem, ut et alios introiret. Senex autem dixit ei se non posse illum suscipere. Perseveranti vero, et per multam horam deprecanti ait senex: Deus illum aversatur, fili, et ego illum suscipere non possum. Cumque ad propria rediissent, post duos dies ille defunctus est.

CAPUT CXXX.

Admonitiones abbatis Athanasii, et mirabilis ejus visio.

Dicebat idem abbas Athanasius: Patres nostri continentiam, et paupertatem, ac nuditatem rerum omnium usque ad mortem servaverunt; nos autem ventres nostros et crumenas dilatavimus.

Dixit iterum senex: Sub Patribus nostris in studio erat, distractiones animi vitare; nostris vero temporibus olla obtinuit, et opus manuum.

Narravit nobis et istud abbas Athanasius de se, Venit, inquiens, mihi aliquando cogitatio, dicens: Quid putas erit certantibus et non certantibus? Et cum factus essem in extasi, venit ad me quidam dicens mihi: Sequere me; adduxitque me in quemdam locum plenum luminis et gloriæ, statuitque me juxta unam januam, cujus species enarrari non potest: audiebamus autem interius quasi multitudinem innumerabilem laudantium Deum. Cumque pulsaremus, audivit quispiam intus, et **902** dixit: Quid vultis? Ait ductor meus: Ingredi volumus. Respondit ille: Non huc ingredietur quispiam in negligentia degens; sed si intrare vultis, abite, certate, nihil æstimantes vanitates sæculi.

CAPUT CXXXI.

Vita abbatis Zachæi sanctæ Sion.

Narravit nobis Procopius scholasticus Porphyreonites de abbate Zachæo, dicens: Duo filii mei in Cæsarea degebant; facta est autem in Cæsarea magna mortalitas, egoque affligebar propter filios meos, ne morerentur, et ignorabam quid agerem. Dicebam autem in me ipso: Si mittam et accipiam eos inde, iram Dei fugere possibile non est; sed si dimittam eos illic, morientur, et non videbo illos. Nesciens itaque quid agere deberem, dixi: Vadam ad abbatem Zachæum, et quod dixerit mihi, hoc faciam. Perrexi igitur in sanctam Sion (illic enim semper morabatur) et non inveni eum. Veni autem in atrium sanctæ Mariæ Dei genitricis, et inveni illum stantem in angulo atrii, dixique illi de filiis meis. Cum ergo me audisset, ad Orientem conversus est, et intendit in cœlum quasi per horas duas, nihil omnino loquens. Tunc vero conversus ad me, dixit mihi: Confide, ac noli affligi; filii tui non morientur in hac peste, sed et post duos dies cessabit de Cæsarea

mortalitas. Quod et factum est juxta verbum senis. Et ista quidem Procopius scholasticus, ut dixi, enarravit nobis.

CAPUT CXXXII.

De eodem.

Abbas autem Cyprianus, cognomento Cuculas, cujus monasterium est extra portam Cæsareæ, narravit nobis, cum ad illum venissemus, dicens: Cum vastaret urbem istam sæva illa et horrenda mortalitas, inclusi meipsum in cella mea, deprecans clementiam Domini, ut nostri misereretur et averteret imminentem iram; venitque mihi vox dicens: Abbas Zachæus accepit hanc gratiam.

CAPUT CXXXIII.

De sancto Monacho, qui Saracenum venatorem per duos dies immobilem reddidit.

Narravit Saracenus gentilis, ex his qui in Clismate morabantur, hæc nobis dicens: Cum abiissem ad montem abbatis Antonii, ut venarer, pergens aspicio monachum in monte sedentem, tenentemque librum, et legentem. Ascendi igitur ad eum volens illum cædere, fortassis autem etiam necare. Cumque venissem prope illum, extendit contra me manum suam dexteram, dicens: Sta; egique illic duos dies, et duas noctes nullo modo moveri prævalens ex eo loco, ubi eram. Tunc dixi illi: Per Deum, quem colis, dimitte me. Ille autem dixit mihi: Vade in pace. Et ita recedere potui de loco, in quo eram.

CAPUT CXXXIV.

Vita Theodori anachoretæ.

Anachoreta quidam erat in partibus sancti Jordanis, nomine Theodorus. Hic venit ad cellam meam dicens: Fac charitatem, abba Joannes, et quære mihi librum, qui contineat totum Testamentum novum. Quærens igitur inveni, quia abbas Petrus, qui postea fuit Chalcedonensis episcopus, talem haberet. Abii itaque, et dixi ei; et ostendit illum mihi in membranis valde pulchrum (30). Et dixi ei: Quantum valet? Qui respondit: Tria numismata. Dixit iterum mihi: Tu illum emere vis, an alius? Et aio illi: Crede mihi, Pater, anachoreta ipsum vult. Tunc ait mihi abbas Petrus: Si anachoreta ipsum vult, gratis illum accipe. Sume autem et tria ista numismata, et si quidem placet illi liber, teneat illum; sin autem illi non placet, ecce habes tria numismata, eme illi juxta votum suum. Sumens ergo librum, detuli anachoretæ: qui sumpto libro abiit in eremum. Cum autem duos fere menses egisset, rediens anachoreta venit in cellam meam, dicens: Scito, abba Joannes, quia cogitatio mea me affligit, eo quod gratis habeo librum. Aio autem ad illum: Noli pro hoc affligi; abbas Petrus dives est et bonus, gaudetque in hoc. Ait mihi rursus anachoreta: Vere non requiesco, nisi pretium do. Dico illi: Et habes pretium, ut des? Dicit mihi: Non; sed da mihi saccum, ut me induam, erat enim nudus. Dedi ergo illi saccum et palliolum, et abiit, operariusque factus est in eo lacu, quem fecit patriarcha Jerosolymorum Joannes in Sigma [*Gr.*, Sina], accipiebatque quotidianum stipendium novem minuta. Veniebat ergo prope me in monasterium Æliotarum, comedebatque decem solum lupinos, et die tota laborabat. Cum itaque fecisset de mercede sua minuta numismatum trium, ait mihi: Accipe pretium, et librum, et vade ad dominum suum: et si quidem vult minuta, da illi; sin autem non vult, redde illi librum. Ego igitur veniens nuntiavi hæc abbati Petro: qui neque pretium, neque librum accipere volebat. Persuasi tamen ei ut pecuniam acciperet, neque repudiaret anachoretæ laborem, quam tandem accepit. Et pergens ego dedi librum anachoretæ; qui gaudens remeavit in eremum.

CAPUT CXXXV.

De quinque virginibus quæ exire voluerunt e monasterio, et a dæmonio correptæ sunt.

903 Accessimus ad Eunuchorum monasterium juxta sanctum Jordanem ego et frater meus Sophronius. Narravitque nobis abbas Nicolaus ipsius monasterii presbyter, dicens: In regione mea (erat autem ex Lycia) monasterium virginum est ferme quadraginta. In hoc ergo monasterio quinque virgines sibi invicem condixerunt ut noctu de monasterio fugerent, et acciperent viros. Nocte vero quadam cum dormirent sanctimoniales omnes, illis consultantibus ut vestimenta sua acciperent et fugerent, continuo quinque omnes a dæmonio correptæ sunt. Quo facto, non amplius exierunt e monasterio, sed confessæ peccata sua, gratias egerunt Deo, dicentes: Gratias agimus magnorum indultori munerum Deo, qui flagellum hoc nobis induxit, ut animæ nostræ non perirent.

CAPUT CXXXVI.

De charitate abbatis Sisinii erga mulierem Saracenam.

Narravit autem nobis et abbas Joannes ejusdem monasterii presbyter, dicens: Audivi ab abbate Sisinio anachoreta referente ac dicente: Die quadam eram in spelunca mea prope sanctum Jordanem, et cum psallerem Tertiam, ecce Saracena quædam ingressa in speluncam meam, posuit se coram me nudans semetipsam: ego vero turbatus non sum, sed impleta psalmodia mea cum omni quiete et timore Dei, dixi ad illam Syriace: Sede, ut loquar tibi, et tunc faciam quod vis. Quæ ut resedit, dixi illi: Christiana es, an gentilis? Quæ ait: Christiana. Dixi ad illam iterum: Et nescis quia qui fornicantur, in supplicium eunt? Quæ ait: Scio plane. Tunc dixi illi: Cur ergo fornicari vis. Respondit: Quia esurio. Et aio ad eam: Noli fornicari, sed veni quotidie, et ut Deus disposuerit, dabo tibi cibum tuum. Ex illa ergo die veniebat ad me diebus singulis, et si quid Deus mittebat mihi, præbebam illi cibum, quousque recessi de illis locis.

CAPUT CXXXVII.

Relatio abbatis Joannis de abbate Callinico.

Dixit iterum idem abbas Joannes: Cum essem junior, cupiebam pergere ad magnos et nominatissimos Patres, ut ab eis benedicerer et ædificarer. Audiens igitur de abbate Callinico magno illo, qui in

monasterio abbatis Sabæ inclusus erat, oravi quemdam ex familiaribus illius, ut me ad illum duceret. Abii itaque ad illum. Assidens vero is qui me adduxerat frater ad fenestram senis, per multam horam loquebatur cum eo; ego vero in meipso cogitabam, quia nunquam viderat me senior, ne forte non grate susciperet me. Cum vero frater ille recederet, permisit me ingredi, et salutare senem, et benedici ab eo, dicens ad eum: Ora et pro isto servo tuo, Pater, quia inter primos huc venit. Senex autem dixit: Agnosco illum, fili. Nam ante viginti dies descendi ad sanctum Jordanem, et occurrit mihi in via, dicens: Ora pro me, Et ego interrogavi eum: Quod est nomen tuum? Aitque mihi: Joannes. Extunc igitur agnosco eum. Hoc audiens ego cognovi, quia quando cogitavi accedere ad illum, revelavit illi Deus et nomen meum. et quis essem.

CAPUT CXXXVIII.

De abbate Sergio anachoreta, et de monacho gentili, qui baptizatus est.

Narravit autem nobis et hoc idem senex, dicens: Cum esset abbas Sergius anachoreta in Roban, postquam recesserat de Sina, misit huc in monasterium monachum quemdam juvenem, ut baptizaretur. Interrogantibus autem nobis causam cur nunc baptizaretur, ait nobis minister ipsius abbatis Sergii: Abbas Sergius quando ad nos venit, volens in eremo manere nobiscum, hunc mihi instituendum tradidit: ego autem illum plurimum admonui, ne se huic instituto inconsiderate ac sine probatione addiceret. Cum autem illum ejusque constantiam pervidissem, sumens eum abii ad senem. Senex autem mox ut vidit illum, antequam quidquam illi loquerer, ait mihi seorsum: Quid vult frater iste? Dixi autem ei: Orat manere nobiscum. Tunc dixit mihi: Crede, frater, iste baptizatus non est, sed adduc illum in monasterium Eunuchorum, et fac illum baptizari in sancto Jordane. Ego autem ad verba senis stupens, interrogavi fratrem quis esset, et unde esset. Ille autem ex Occidente se esse ait, parentesque habere gentiles, ac nescire utrum baptizatus esset, an non. Tunc itaque catechizantes eum, fecimus in Jordane baptizari, permansitque in monasterio, Deo gratias agens.

CAPUT CXXXIX.

Prædictio abbatis Sergii de Gregorio præposito monasterii Pharan.

De hoc abbate Sergio anachoreta narravit nobis abbas Sergius Armenius ejus discipulus, quod plurimum sibi molestus fuerit abbas Gregorius, qui erat præpositus **904** monasterii Pharan, ut illum duceret ad senem. Die ergo quadam adduxit illum ad ipsum. Erat autem senex tunc circa regionem maris Mortui. Cum igitur vidisset eum senex, libentissime salutavit, allataque aqua lavit pedes ejus, ac per totam diem collocutus cum eo de ædificatione animæ, die alia dimisit eum. Postquam vero abscessit abbas Gregorius, dixi, inquit, ego seni: Scis, Pater, quia scandalizatus sum, quod cum plurimos episcopos, presbyteros, et alios duxerim ad te, nullius unquam illorum pedes lavasti nisi tantum abbatis Gregorii? Tunc ait ad me senex: Fili, ego quis sit abbas Gregorius, nescio; hoc tantum scio, quia patriarcham excepi in speluncam meam. Nam et pallium sanctum illum ferentem vidi, et Evangelium. Quod ita factum est: post sex enim annos ipsum abbatem Gregorium, ita ordinante Deo, patriarcham Theopolitanum factum vidimus, sicut prædixerat senex.

CAPUT CXL.

Vita ejusdem Gregorii patriarchæ Theopolitani.

Dicebant quidam senum de hoc patriarcha Theopolitano Gregorio, quod his maxime virtutibus fuisset insignis, eleemosynis scilicet, injuriarum oblivione, et lacrymis. Habebat autem et compassionem maximam ad eos qui peccabant. Quarum omnium rerum nos sæpe experimenta cepimus.

CAPUT CXLI.

Prudens responsio abbatis Olympii.

Frater quidam venit ad abbatem Olympium in monasterium abbatis Gerasimi prope Jordanem; et dixit ei: Abba, quomodo sedes in spelunca ista propter æstus magnitudinem, et cyniphes? Respondit ei senex: Fili, ista idcirco tolero, ut futuris cruciatibus liberer; ideo cyniphes patior, ut immortalem effugiam vermem; similiter et æstum hunc perfero, sempiterni ignis supplicia metuens; hæc enim sunt temporalia; illa vero finem nullum habent.

CAPUT CXLII.

Alia prudens responsio abbatis Alexandri.

Frater alius perrexit ad abbatem Alexandrum, ipsius monasterii abbatis Gerasimi antistitem, et ait illi: Abba, volo ex eo loco, ubi habito, discedere; valde enim acedia et tædio animi laboro. Respondit ei abbas Alexander: Istud, fili, signum est quia nec regnum cœlorum, nec æternum cruciatum in mente habes. Nam si ista sollicita intentione cogitares, nullam in cella tua acediam sentires.

CAPUT CXLIII.

Vita David latronum principis, postea monachi effecti.

Cum venissemus in Thebaidem, convenimus sophistam Phibamonem in urbe Antinoo. Narravitque nobis utilitatis nostræ gratia de latrone quodam, nomine David, qui apud Hermopolim plurimos exspoliabat, plures etiam interficiebat, et innumera perpetrabat mala, ita ut nullus ei in his crudelitatis operibus conferri posset, eratque famosissimus inter omnes. Die vero quadam cum exerceret latrocinia cum sociis plus quam triginta, rediens in semetipsum, compunctusque in his quæ perpetraverat sceleribus, relictis sociis abiit ad monasterium. Cumque pulsaret monasterii januam, exiit ostiarius, et dixit ei: Quid vis? Princeps autem latronum ait: Monachus fieri volo. Ingressus vero ostiarius nuntiavit abbati de illo. Egressus ad illum abbas, et videns quia jam senex esset, dixit ei: Non potes hic manere; multum enim laborem tolerant fratres, abstinentiaque magna est, et tu cum aliter assuetus sis, districtionem monasterii ferre non præ

vales. Ille autem orabat, dicens : Utique faciam omnia, tantummodo suscipe me. Porro abbas in sententia sua persistebat, dicens : Non potes ferre. Tunc ait illi latronum princeps : Ut scias, ego sum David princeps latronum, et idcirco veni huc, ut defleam peccata mea. Si autem me suscipere nolueris, sub jurejurando tibi protestor per eum qui in cœlo habitat, quia rursus ad priorem statum remeabo, et assumptis mecum sociis meis, vos omnes interficiam, totumque monasterium evertam. His auditis, abbas suscepit eum intra monasterium, tondensque illum tradidit ei religiosum habitum. Cœpit igitur in spiritali militia veteranus tiro pugnare, et abstinentiæ ac obedientiæ, humilitatisque studiis cunctos qui erant in monasterio transcendere (erant autem fere septuaginta monachi), cunctos ædificans, omnibusque existens forma virtutis, et sanctitatis exemplum. Die vero quadam sedente illo in sua cellula, missus est ad eum angelus Dei, dicens : David, David, remisit tibi Deus peccata tua, et eris ex nunc signa faciens. Qui respondens dixit : Credere non possum quod omnia peccata mea illa plura quam arena maris atque graviora, tam brevi tempore mihi remiserit Deus. Cui angelus ait : Si sacerdoti Zachariæ (31) non credenti mihi, cum illi filium pollicerer, non peperci, sed ejus vinxi linguam, docens illum non debere esse
905 incredulum his quæ a me dicebantur, nec tibi quidem parciturus sum : idcirco eris amodo non loquens. David autem prostratus humi ait : Cum essem in sæculo, nefaria scelera faciens, et humanum sanguinem fundens, loquebar ; modo quando servire Deo volo, laudesque illi offerre, tunc linguam meam, ne loquar, ligas? Respondit illi angelus : Cum implebis psalmodiæ canonem, loqueris, præter canonem vero penitus tacebis. Quod et factum est, plurimaque per illum Deus miracula ostendit. Psallebat igitur psalmos, nullum vero verbum aliud omnino loqui poterat. Qui vero nobis ista narravit, se illum vidisse asserebat, et Deum glorificasse.

CAPUT CXLIV.

Admonitiones unius ex senibus qui erant in Cellis.

Dicebat quidam e senibus fratribus qui erant in Cellis : Non appetamus Ægyptiis servire voluptatibus, quæ Pharaoni pernicioso tyranno obnoxios faciunt.

Dixit iterum : Utinam quantum studii circa mala habent homines, tantum haberent circa bona ; et ingens ad spectacula studium, et ad vanas turpesque solemnitates, nec non avaritiam, et inanem gloriam atque injustitiam, transferrent ad affectum pietatis. Nunquam profecto ignorassemus quantum a Deo honorati sumus, et contra dæmones possumus.

Dixit iterum senex : Deo majus nihil est, sed neque par, neque quod non maxime inferius sit. Quid ergo illis fortius ac beatius, qui Deum habent adjutorem?

Dixit iterum : Ubique quidem Deus est, piis autem et in spirituali exercitio sudantibus propinquat ; non his qui professione sola honestantur, sed his qui A illustrantur operibus. Ubi vero Deus est, quis insidiari valet, aut nocere poterit?

Dixit iterum : Hominum virtus non in natura consistit, hæc enim variabilis est, sed in proposito pietatis, et in Dei adjutorio. Curemus itaque animam nostram, filii, quemadmodum et corpus facimus.

Rursus ait senex : Colligamus animæ curationes, hoc est pietatem, justitiam, humilitatem, subjectionem. Maximus enim animarum medicus Christus Deus noster prope est, vultque curare nos. Non ergo negligamus, neque aspernemur.

Ait rursum : Docet nos Dominus sobrios ac frugales esse, nos autem miseri per delicias defluimus in voluptates.

Dixit iterum senex : Commendemus nos ipsos B Deo, quemadmodum ait Paulus (*Rom.* VI), quasi ex mortuis viventes, neque præteritis intendentes, obliviscamur anteriora ; sed secundum destinationem persequamur ad bravium supernæ vocationis (*Philip.* III).

Interrogatus hic senex a fratre quodam, quid causæ esset cur assidue judicaret fratres, respondit : Quia necdum te ipsum cognovisti. Nam qui se ipsum novit, fratrum vitia non aspicit.

CAPUT CXLV.

Vita beati Gennadii patriarchæ Constantinopolitani, et de ejus lectore Charisio.

Accessimus in cœnobium quod dicitur Salama, nono ab Alexandria milliario distans, invenimusque illic duos presbyteros senes, qui dixerunt nobis, C Constantinopolitanæ Ecclesiæ se esse presbyteros, narrabantque nobis de beato Gennadio Constantinopolitano patriarcha, quod fuerit mitissimus, et mundus corpore, multumque continens.

Dicebant et hoc nobis de ipso, quod cum molestaretur a plurimis de quodam clerico nimis delinquente, Charisio nomine, accersivit eum patriarcha, ipsumque emendare conatus est. Cum vero nihil increpando proficeret, permisit illum paterna et ecclesiastica censura flagellari. Postquam vero didicit in nullo meliorem fieri, neque per verba, neque per flagella (vacabat enim homicidiis et magicis præstigiis), misso quodam apocrisiario suo jussit ut diceret sancto martyri Eleutherio (erat enim lector in ipsius oratorio Charisius) : Miles tuus, sancte Dei Eleutheri, D multum peccator est ; aut emenda illum, aut excide. Venit igitur apocrisiarius in oratorium, stansque ante altare, ac intendens ad sepulcrum martyris, extendensque manum suam ait martyri : Patriarcha Gennadius significat vobis, sancte Christi martyr Eleutheri, per me peccatorem, quia miles tuus multum peccat. Aut emenda illum, aut præcide eum. In crastinum vero mortuus inventus est scelerum opifex Charisius, et omnes obstupefacti glorificaverunt Deum.

CAPUT CXLVI.

Visio Eulogii patriarchæ Alexandrini.

Cum essemus in eodem cœnobio, narravit nobis abbas Menas, cœnobii ipsius Pater, de sancto papa

Alexandrino Eulogio, dicens: Nocte quadam cum sibi A matutinam laudem celebraret in episcopatus oratorio, vidit prope se assistere Julianum archidiaconum. Quem ut vidit turbatus est, cur fuisset ausus ingredi, nihil illi nuntians, tacuit tamen. Et cum implesset psalmum, prostravit se humi. Fecit hoc **906** ipsum et is qui in specie Juliani archidiaconi apparuerat. Deinde cum oratione facta surrexisset patriarcha, ille nihilominus in pavimento jacebat. Conversus autem pontifex dicit illi: Quamdiu non surgis? Ait: Nisi mihi ipse manum porrigas et erigas me, surgere non possum. Tunc extendit manum suam Eulogius, ac tenens erexit illum, cœpitque iterum psallere. Post paululum autem conversus, neminem vidit. Cum igitur implesset matutinas laudes, vocavit cubicularium suum, dixitque illi: Cur non annuntiasti mihi archi- B diaconi ingressum; sed ita non nuntiatus intravit ad me hac nocte? at ille neque vidisse se aliquem neque ingressum esse asseveravit. Non credidit patriarcha, sed ait: Voca mihi huc ostiarium. Cui venienti ait: Nonne ingressus est huc Julianus archidiaconus? Ille vero cum juramento affirmabat illum neque ingressum neque egressum esse. Tacuit quidem tunc patriarcha: mane autem facto, ascendit archidiaconus Julianus, ut adoraret, dixitque illi pontifex: Quare non servasti ordinem, archidiacone Juliane, sed absque nuntio ascendisti ad me nocte ista? Qui ait: Per orationes domini mei, neque huc ascendi, neque de domo descendi, nisi hora ista tantum. Intellexit tunc magnus Eulogius Julianum se vidisse martyrem, hortantem se ad erectionem templi sui, quod C ex tempore ferme resolutum et antiquatum, ruinam sui minabatur; magnaque cum alacritate amantissimus martyris porrexit manus, ejusque erexit templum, a fundamentis ipsum instaurans et omnigeno ornatu illustrans, ut sacro martyri conveniebat.

CAPUT CXLVII.

Mirabilis emendatio epistolæ beati Leonis Romani pontificis ad Flavianum scriptæ.

Narravit nobis et hoc abbas Menas ejusdem cœnobii Pater, audisse se eumdem abbatem Eulogium Alexandrinum patriarcham dicentem: Cum profectus essem Constantinopolim, fruitus sum contubernio domni Gregorii Romani archidiaconi, summi et singularis viri; narravitque mihi de sanctissimo ac beatissimo Leone (32) Romano pontifice, dicens haberi D scriptum in ecclesia Romana, quod cum scripsisset epistolam ad sanctum Flavianum Constantinopolitanum episcopum contra impios Eutychen ac Nestorium, posuerit eam super tumulum principis apostolorum Petri, et orationibus ac vigiliis et jejuniis vacans, oraverit ipsum summum apostolum, dicens: Si quid ut homo vel minus caute posui, vel etiam omisi, tu, cui a Domino Deo Salvatore nostro Jesu Christo et sedes hæc et ecclesia commissa est, emenda. Post quadraginta vero dies apparuit ei apostolus oranti, et dixit ei: Legi, et emendavi. Sumensque epistolam de sepulcro beati Petri, aperuit eam et invenit apostolica manu emendatam.

CAPUT CXLVIII.

Visio Theodori episcopi Darnæ de eodem beatissimo Leone.

Theodorus sanctissimus episcopus Darnæ civitatis, quæ in Libya est, narravit nobis, dicens: Cum essem cubicularius sancti papæ Eulogii, vidi in somnis virum reverendi habitus, statura procerum, dicentem mihi: Nuntia meum papæ Eulogio adventum. Ad quem ego: Quis es, domine, qui jubes ut nuntiem? Respondens ille dixit mihi: Ego sum Leo Romanus pontifex. Ingressus igitur ego nuntiavi, dicens: Sanctissimus et beatissimus papa Leo Romanæ sedis antistes convenire vos vult. Cum hoc audisset papa Eulogius, exsurgens concitus cucurrit in occursum ejus. Salutantesque se invicem, oratione facta, resederunt. Tunc vero divinus et eximius Leo dixit sancto Eulogio: Scis quare huc venerim ad vos? Respondit ille: Non. Ait ipsi: Veni ut vobis gratias agerem, quia rite et magnifice pro epistola mea respondistis, quam scripseram ad fratrem meum Flavianum Constantinopolitanum patriarcham, sensum quidem et sententiam meam aperientes, hæreticorum autem ora obstruentes. Scito autem, frater, quia non mihi tantum vestrum divinum laborem studiumque contulistis, sed etiam supremo culmini apostolorum Petro, et ipsi præ omnibus quæ a nobis prædicatur veritati, quæ est Christus Deus noster. Ista non semel tantum, sed bis terque conspiciens, trina apparitione firmatus enarravi sancto papæ Eulogio. Qui cum audisset, lacrymatus est, extendensque in cœlum manus suas, Deo gratias retulit dicens: Gratias tibi ago, dominator Christe Deus noster, quia cum indignus sim, veritatis tuæ præconem me facere dignatus es, et per orationes servorum tuorum Petri ac Leonis, parvam et modicam alacritatem nostram, tanquam duo viduæ minuta, summa et ineffabili benignitate tua suscipere dignatus es.

CAPUT CXLIX.

Stupenda relatio Amos patriarchæ Jerosolymitani de sanctissimo Leone pontifice Romano.

Cum descendisset abbas Ammos Jerosolymam, et patriarcha ordinatus esset, **907** venerunt omnes monasteriorum eremi abbates, ut adorarent eum, inter quos adfui et ego cum abbate meo. Cœpitque patriarcha dicere patribus: Orate pro me, Patres; magnum enim onus et intolerabile mihi injunctum est, sacerdotiique dignitas me terret immodice. Petri enim et Pauli et similium est regere rationales animas; ego autem infelix peccator sum. Plus autem quam cætera timeo ordinationum sarcinam; nam inveni scriptum quia beatissimus et æqualis angelis papa Leo, qui Romanorum Ecclesiæ præfuit, per quadraginta dies perseveravit ad sepulcrum apostoli Petri, vigiliis et orationibus insistens, petensque ab apostolo ut pro se apud Deum intercederet, ut dimitterentur sibi peccata sua. Impletisque diebus quadraginta, apparuit ei apostolus Petrus, dicens: Oravi pro te, et dimissa sunt tibi omnia peccata tua, præterquam impositionis manuum: hoc enim solum

abs te requiretur, sive bene, sive fortassis aliter id cgeris.

CAPUT CL.

Vita et sanctitas episcopi civitatis Rumelli.

Narravit nobis abbas Theodorus Romanus, dicens: Est procul a Romana urbe breve oppidum, quod Rumellum dicitur: in eo oppidulo episcopus erat magnæ virtutis et meriti. Die ergo quadam habitatores oppidi ingressi sunt ad beatissimum Romanum antistitem Agapetum, accusantes episcopum suum, ac dicentes: Quia in sanctificato vase manducat. Pontifex autem solo auditu perculsus, mittit duos ex clericis, ut vinctum episcopum, et pedibus iter agentem Romam perducerent; venientem vero continuo misit in carcerem. Cum ergo tres dies in carcere egisset episcopus, venit Dominicus dies. Et cum papa quiesceret, illucescente Dominico die vidit in somnis quemdam astantem sibi, ac dicentem: Hac die Dominica neque tu offeras salutarem hostiam, neque alius quispiam episcoporum qui sunt in urbe ista, nisi solus episcopus quem habes carcere inclusum; illum enim hodie offerre volo. Expergefactus autem papa, et de visione quam viderat hæsitans, dicebat in seipso: Talem contra illum accusationem suscepi, et ipse habet offerre? Venit igitur ei secundo vox in visione, dicens: Dixi tibi ut episcopus qui est in carcere solus offerat. Ambigenti adhuc tertio apparuit illi eadem repetens. Expergefactus autem pontifex, misit in carcerem, et accersito ad se episcopo, percontabatur eum, dicens: Quod est opus tuum? Episcopus autem illi nihil aliud respondit, nisi: Peccator sum. Cum vero episcopo persuadere non posset ut aliud diceret, tunc ait ad eum papa: Hodie tu offerre debes. Cum ergo sancto altari assisteret, et papa prope illum astaret, diaconis altare circumdantibus, cœpit sancta missarum solemnia episcopus. Et cum complesset orationem oblationis, antequam concluderet ipsam, cœpit secundo, ac deinceps tertio, et quarto dicere ipsam sanctæ oblationis orationem. Cunctis vero eam moram moleste ferentibus, dicit ei pontifex: Quid hoc est, quod jam quarto hanc orationem dixisti, nec eam concludis? Tunc respondit episcopus: Ignosce mihi, Pater sancte; quia non vidi juxta consuetudinem sancti Spiritus descensum, idcirco non terminavi orationem. Sed, sancte mi domine, diaconum illum prope me assistentem, qui flabellum (33) tenet, ab altari remove; ego enim illi dicere non audeo. Tunc jussu divi Agapeti recessit diaconus, et continuo vidit episcopus et papa sancti Spiritus adventum. Sed et velum, quod altari superimpositum erat, ultro sublatum est, texitque papam et episcopum et diaconos omnes qui sancto altari astabant, quasi per tres horas.

Tunc venerandus Agapetus, agnita sanctitate episcopi ex perspecto miraculo, quamque falsam calumniam perpessus esset cognoscens, quod illum ita vexaverat tristis effectus, statuit non jam amplius per subreptionem quidpiam agere, sed cum maturo consideratoque judicio, et magna longanimitate procedere.

CAPUT CLI.

Relatio abbatis Joannis Persæ de beatissimo Gregorio Romanæ urbis episcopo.

Perreximus ad abbatem Joannem Persam, narravitque nobis de magno Gregorio beatissimo Romanæ urbis episcopo, dicens: Cum ivissem Romam, ut adorarem ad sepulcrum sanctorum apostolorum Petri et Pauli, staremque die quadam in medio civitatis, audio papam Gregorium per locum illum transiturum; cogitavi itaque adorare illum. Cum autem prope me esset papa, videretque me progredi ut adorarem illum (loquor Deo teste, fratres), primus ipse prostravit se humi coram me, neque ante surrexit, quam me primo surrexisse cerneret. Et cum multa humilitate salutans me, manu sua tria numismata tradidit, jubens mihi dare quæcunque erant necessaria. Glorificavi itaque **908** Deum, quod tantam illi contulerat humilitatem, et misericordiam, et charitatem ad omnes.

CAPUT CLII.

Vita et dicta Marcelli Scythiotæ, abbatis monasterii Monidion.

Accessimus ad abbatem Marcellum Scythiotam in monasterium Monidion, volensque senior prodesse nobis, narravit, dicens: Quando eram in provincia mea (erat autem ex Apamia), auriga quidam illic erat, nomine Phileremus. Quadam ergo die cum superatus fuisset, surrexerunt qui ex parte ejus erant, clamantes ei: Phileremus coronam in civitate non accipit. Cum itaque venissem postmodum in Scythim, si quando me pulsaret cogitatio mea, ut recederem in civitatem, aut villam, continuo dicebam in meipso: Marcelle, Phileremus coronam in civitate non accipit. Et Christi gratia ista cogitatio fecit ut de Scythi non egrederer per annos triginta quinque, donec venientes barbari apprehenderunt me, et vendiderunt Pentapoli, Scythimque desolaverunt.

Idem abbas Marcellus quasi de alio sene morante in Scythi (ipse autem erat) narravit dicens quod nocte quadam surrexerit ut psalmos ex more caneret. Cumque psallere cœpisset, audivit vocem buccinæ quasi bellicum clangentis, turbatusque senex cogitabat, dicens: Unde hoc in loco vox buccinæ perstrepit? milites hic non sunt, bellum hinc abest. Et cum ista secum volveret, dæmon prope illum veniens dixit ei: Utique bellum est. Si ergo oppugnari ac repugnare non vis, vade, dormi, et non oppugnaberis.

Dixit iterum senex: Credite mihi, filioli, nihil ita perturbat, et concitat, et irritat, et vulnerat, et perdit, atque contristat, et contra nos commovet dæmones, ipsumque perditionis auctorem Satanam, sicut perpetua psalmorum meditatio. Nam omnis quidem divina Scriptura utilis nobis est contristatque non mediocriter dæmones, non tamen ita sicut psalterium. Sicut enim in plebe si una pars laudet imperatorem, alia pars ob id non contristatur, neque

movetur contra laudantes; cum vero ad injurias et contumelias non laudantium conversi fuerint, tunc adversus eos excitantur; ita et dæmones non ita commoventur neque contristantur in aliis Scripturis, quemadmodum in psalmis. Nam cum psalmos meditamur, partim quidem nobis ipsis Deum laudando oramus, partim vero maledictis insequimur dæmones. Ut cum dicimus: Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam (*Psal.* L). Et iterum: Ne projicias me a facie tua, et spiritum sanctum tuum ne auferas a me (*Ibid.*). Et: Ne projicias me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me (*Psal.* LXX), nobis ipsis oramus. Tunc vero persequimur dæmones, cum dicimus (*Psal.* LXVII): Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus. Et rursus: Vidi impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani; et transivi, et ecce non erat; quæsivi eum, et non est inventus locus ejus (*Psal.* XXXVI). Et illud: Gladius eorum intret in corda ipsorum (*Ibid.*). Et iterum: Lacum aperuit, et effodit eum, et incidit in foveam quam fecit. Convertatur dolor ejus in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet (*Psal.* VII).

Dixit iterum senex: Credite mihi, filii, dicenti. Quemadmodum magna laus et magna gloria et regnum est abrenuntianti sæculo, et monasticum arripienti institutum, quia pretiosiora sunt intellectualia quam sensibilia; ita magna confusio et ignominia est monacho qui relinquit monasticum habitum, etiamsi efficiatur imperator.

Dixit iterum: Homo similitudo Dei fuit ab initio, factus est autem similitudo bestiæ postquam a Deo excidit (*Gen.* I).

Rursus ait: Etiam natura excitat concupiscentias, fratres, sed jugis et intenta abstinentia has etiam exstinguit.

Dixit iterum senex: Agnosce experimento bonam vitam, neque jam ut invalidus timeas.

Ait rursus: Noli mirari, si homo cum sis, angelus fieri possis. Proposita enim tibi est par angelis gloria, eamque agonotheta noster certantibus spondet.

Dixit iterum senex: Nihil ita Deo monachos familiares efficit, ut pulchra et honesta et Deo gratissima castitas, quæ sicut sanctus et divinus Spiritus attestatur per beatum Paulum, honestatem et perseverantiam jugiter vacandi Domino sine distractione præstat (*I Cor.* VII).

Dixit iterum: Filii, dimittamus nuptias procreationemque liberorum his qui terrena respiciunt, et præsentia desiderant, nec futura meditantur, atque ad æternorum bonorum acquisitionem non attendunt, et a temporalibus et momentaneis eripi nequeunt.

Dixit iterum: Festinemus a carnali vita migrare, sicuti carnalis Israel ab Ægyptia servitute (*Exod.* XIV).

Ait rursus: Præclara et dulcia Dei munera habemus proposita, fratres, pro sæculari molesta voluptate.

Dixit iterum senex: Fugiamus matrem omnium malorum avaritiam (*I Tim.* VI).

CAPUT CLIII.

Responsio Monachi monasterii Raythu ad fratrem sæcularem.

909 Duo fratres sæculares erant Constantinopoli, multum religiosi, multumque jejunantes. Unus igitur ex his veniens in Raythu, sæculo abrenuntiavit, et factus est monachus. Post aliquantulum vero temporis venit et sæcularis frater ejus in Raythu, ut videret fratrem suum monachum. Cum ergo moraretur apud eum, vidit sæcularis fratrem suum monachum se reficientem nona hora, scandalizatusque dixit illi: Frater, cum esses sæcularis, nunquam ante solis occasum sumebas cibum. Tunc ait illi monachus: Profecto, frater, quando eram in sæculo, aures meæ nutriebant me; vana enim hominum gloria et laus non mediocriter me reficiebant, jejuniique laborem leviorem reddebant.

CAPUT CLIV.

Vita Theodori sæcularis, hominis Dei.

Dicebat abbas Jordanes solitarius: Tres simul anachoretæ perreximus ad abbatem Nicolaum in torrentem Betasimum (inter sanctum enim Elpidium et monasterium quod dicitur Peregrinorum, in spelunca morabatur) invenimusque cum illo sæcularem quemdam. Loquentibus autem nobis de animæ salute, dixit abbas Nicolaus sæculari: Dic nobis et tu aliquid. Respondit sæcularis, et ait: Quid vobis prodesse possum? Utinam vel mihi ipsi prodesse valerem. Dixit ei senex: Prorsus aliquid dicturus es. Tunc ait sæcularis: Habeo viginti duos annos, ex quo præterquam Sabbato et Dominico die nunquam me sol comedentem vidit. Eram autem mercenarius in villa divitis hominis, iniqui et avari, cum quo mansi annis quindecim, die noctuque operans, neque mercedem mihi reddere volebat, sed per annos singulos affligebat non mediocriter. Itaque dixi in meipso: Theodore, si toleraveris hunc virum, pro mercede, quam tibi debet, cœlorum regnum tibi præparabit. Servavi autem et corpus meum mundum a muliere usque in hodiernum diem. Hæc nos cum audivissemus, magnifice ædificati sumus.

CAPUT CLV.

Relatio abbatis Jordanis de tribus Saracenis qui se invicem interfecerunt.

Dicebat et hoc nobis de abbate Nicolao abbas Jordanes: Narrabat, inquit, senex, quia imperante fidelissimo imperatore Mauritio, quando Namanes Saracenorum nationis dux prædam egit, cum circuirem ego prope Arnonem et Aidonem, aspicio Saracenos tres, habentes secum unum adolescentem valde formosum, annorum ferme viginti, vinctum atque captivum. Ut ergo vidit me adolescens, flere cœpit, et orare, ut ab eis illum acciperem. Ego autem Saracenos rogare cœpi, ut dimitterent eum. Unus autem illorum Græco sermone respondit, et ait: Non dimittimus eum. Et ego rursum illis dixi: Accipite me, et hunc dimittite, quia fatigationem non sustinet. Ait

mihi et ipse rursus : Non dimittimus eum. Dixi eis tertio : Vel pretium pro illo non accipitis? Date mihi illum, et quidquid petieritis, ego afferam vobis. Respondit : Non possumus tibi dare illum ; sacerdoti enim nostro promisimus, quia si quid pulchrum ceperimus, offeremus illud ei, ut ipsum in sacrificium offerat. Sed vade jam : nam si moram feceris, caput tuum in terram projiciam. Tunc prostratus ego humi dixi : Salvator noster Christe Deus, salvum fac servum tuum. Et continuo tres Saraceni dæmonio repleti evaginatis gladiis se invicem conciderunt. Assumensque ego adolescentem in speluncam meam, refovi illum, et jam noluit recedere a me; sed renuntians sæculo, cum septem annos in habitu monastico implesset, requievit. Erat autem genere Tyrius.

CAPUT CLVI.

Responsio cujusdam Senis ad duos philosophos.

Duo philosophi venerunt aliquando ad senem, et orabant eum ut eis verbum ædificationis diceret. Senex vero tacebat. Rursum philosophi dixerunt : Nihil respondes nobis, Pater? Tunc senex dixit eis : Quod studiosi quidem sitis eloquentiæ, scio; quod autem non veri sitis philosophi, affirmo. Quandiu enim loqui discitis, quasi loqui nesciatis? Sit ergo philosophiæ vestræ opus semper meditari mortem, silentioque et quieti vos assuefacite.

CAPUT CLVII.

Relatio duorum monachorum monasterii Subevorum Syrorum de cane, qui fratri viam ostendit.

Perreximus ego et sophista Sophronius in monasterium Calamonis juxta sanctum Jordanem, ad abbatem Alexandrum, invenimusque apud eum duos monachos monasterii Subevorum Syrorum. Narraverunt autem nobis, dicentes : Ante hos decem dies venit quidam peregrinorum susceptor eleemosynas erogans, et veniens in Subiba Besorum, dedit eulogiam. Rogavit igitur abbatem monasterii, dicens : Fac charitatem, et mitte in proximum monasterium Syrorum, ut accipiant **910** et ipsi venientes eulogiam, et nuntient monasterio Charembe ut veniant et ipsi. Tunc abbas misit fratrem ad abbatem Subevorum Syrorum. Profectus itaque frater, dixit ei : Veni usque ad monasterium Besorum, nuntia vero et monasterio Charembe, ut veniant et ipsi. Respondit senex : Frater, ignosce, quia nullum habeo quem mittam, sed fac perfectam charitatem, et pergens ipse, nuntia eis. Ait autem frater : Nunquam illuc perrexi, nec viam scio. Tunc ait senex catulo suo : Vade cum fratre isto usque ad monasterium Charembe, ut nuntiet eis quod vult. Abiit ergo canis cum fratre, donec statuit illum juxta monasterii januam. Ostenderunt autem nobis et canem ipsum, qui ista narraverunt; habebant enim illum secum.

CAPUT CLVIII.

De asino qui monasterio nuncupato Mardes inse vieba'.

Mons est circa mare Mortuum, qui Mardes vocatur, excelsus valde. In eo monte anachoretæ commorantur : est autem illis et hortus ad radicem montis, sexto ferme lapide ab eis distans, circa maris labium : proinde habent anachoretæ et illic ministrum. Quacunque ergo hora volunt ad hortum pro oleribus mittere, sternunt asinum, et dicunt ei : Vade in hortum ad ministrum, et affer nobis olera. Qui mox ad hortulanum solus vadit, stansque ante januam, capite pulsat. Statim igitur egressus hortulanus ipsum oleribus onerat, onustumque dimittit. Videreque est asinum quotidie solum ascendentem, et descendentem, et ministrantem senibus tantum, alii vero nulli obsequentem.

CAPUT CLIX.

Vita abbatis Sophronii solitarii, et admonitiones Menæ ducis cœnobii Severiani.

Dicebat abbas Menas antistes cœnobii abbatis Severiani de abbate Sophronio solitario, quod circa mare Mortuum moratus sit nudus per annos ferme septuaginta, herbas in cibum sumens.

Et hoc rursus de illo dicebat, audisse se narrantem senem, et dicentem : Oravi Dominum ne dæmones speluncæ meæ propinquarent. Aspiciebam vero dæmones venientes, stantesque a longe tribus fere stadiis, neque ulterius appropinquare valentes.

Idem abbas Menas dicebat cœnobii fratribus : Fugiamus, filii, sæcularium colloquia; solent enim nocere junioribus monachis.

Dicebat iterum senex : Omnis ætas pœnitentiam agere debet, juvenes simul ac senes, ut æterna vita frui cum gloria et laude mereamur : juvenes quidem, quia in flore ætatis, cum fervet concupiscentia, cervicem suam sub jugum pudicitiæ miserunt; senes vero, quia inolitam sibi ex multis temporibus malorum anticipationem transferre ad meliora potuerunt.

CAPUT CLX.

Quomodo dæmon apparuerit cuidam seni in forma pueri nigerrimi.

Narravit nobis abbas Paulus, antistes cœnobii abbatis Theognosti, quia dixerit senex quidam : Cum die quadam sederem in cellula mea, operarerque manibus meis (texebam autem canistrum, et psalmos repetebam), ecce per fenestram ingressus est quasi puer Æthiops, et stans coram me, saltare cœpit, psallentique mihi dixit : Senex, nonne bene salto? Ego autem nihil respondi. Rursus ait mihi : Non tibi placet hæc saltatio mea? Nihil autem respondenti mihi ait : Ecce putas te, male senex, magnum aliquid agere. Dico tibi, quia et in sexagesimo quinto, et in sexagesimo sexto et in sexagesimo septimo psalmo errasti. Tunc surgens ego coram Deo adoravi prosternens me, et ille evanuit.

CAPUT CLXI.

Vita abbatis Isaac Thebæi, et quomodo etiam ei apparuit dæmon in figura adolescentis.

Lycos Thebaidis civitas est : ab hac mons quidam sex millibus passuum distat, habitantque in eo monachi alii quidem in speluncis, alii autem in cellis. Profecti ergo nos illuc, convenimus abbatem Isaac, Thebæum genere; narravitque nobis senior, dicens : Ante annos quinquaginta duos cum operarer cono-

pionem (34), in laborando erravi, affligebarque, quia errorem nec reperire nec emendare valebam. Totum ergo diem consumpsi, me frustra concidens, et quid agerem ignorabam. Et cum fere desperarem, ecce per fenestram ingressus adolescens ait mihi: Errasti; sed da mihi opus ut illud corrigam. Aio autem ad illum: Vade hinc, absit hoc a me. Respondit mihi et ipse: Certe damnum tibi est, si male opus facias. Tunc dixi ei: Noli de hoc ipse curam gerere. Ait ad me denuo: Misereor tui, quia laborem tuum perdis. Et respondi illi: Male nunc venisti, et tu, et qui te adduxerunt. Dixit autem mihi: Vere tu me huc adduxisti, et meus es. Aio ad illum ego: Cur hoc? Respondit ille mihi: Quia tres dies Dominicos egisti communicans, et inimicus es vicini tui. Dixi autem illi: Mentiris. Tunc ipse mihi: Non mentior; nam propter lenticulam iratus es illi. Et ego sum, qui præsum iræ et memoriæ injuriarum. Es amodo meus. **911** His ego auditis, mox egressus cellulam, abii ad fratrem, et prostratus ab illo veniam petii, reconciliatique sumus. Reversus autem inveni illum destruxisse et conopionem, et stoream in qua prostratus eram, quod charitati nostræ invideret.

CAPUT CLXII.

Responsio abbatis Theodori Pentapolitani super solutione abstinentiæ vini.

Quinto decimo ab Alexandria milliario monasterium est, quod vocatur Calamon, inter Octavum decimum et Maphora. In hoc vidimus abbatem Theodorum Pentapolitanum (erat autem nobiscum Sophista Sophronius) et interrogavimus eum: Bonum est, Pater, quoties vel ipsi ad aliquem pergimus, vel si quis venit ad nos, vini abstinentiam solvere? Respondit nobis senior, et ait: Non. Aio autem ad eum: Et quomodo antiqui Patres solvebant? Respondit senex: Antiqui Patres, ut magni et potentes, et solvere poterant, et iterum ligare; nostra vero generatio, filii, solvere ac ligare non sufficit; nam si solvamus ritum abstinentiæ nostræ, non amplius vitæ nostræ religiosæ austeritatem retinens.

CAPUT CLXIII.

Vita abbatis Pauli Helladici.

Dicebat abbas Alexander, monasterii Calamonis, quod est prope Jordanem, Pater: Die quadam cum essem apud abbatem Paulum Helladicum in spelæo ipsius, ecce quidam veniens pulsavit, egressusque senior aperuit ei, et proferens panem et cicer infusum, posuit ante illum, et manducabat. Ego autem putabam quia peregrinus esset, et aspiciens per fenestram, vidi quia leo erat. Dixi itaque seni: Cur, Pater, præbes illi manducare, dic mihi causam? Qui ait mihi: Quia illum monui ut neminem læderet, neque hominem, neque jumentum, dicens: Veni quotidie, et dabo tibi cibum tuum. Et ecce jam septimus hic mensis est, ex quo bis quotidie advenit, et do illi manducare.

Rursum post paucos dies perrexi ad eum, volens, ab illo emere vas vinarium, id quippe erat senis opus, et dixi ei: Quid est, Pater? quomodo se ha-
A bet leo? Et ait mihi: Male. Et dixi ad eum: Quare? Respondit: Præterita die venit huc, ut darem illi manducare, videns vero ejus mentum sanguine infectum, dixi illi: Quid est? Inobediens fuisti mihi, et carnes manducasti. Benedictus Dominus, non jam tribuo tibi ut comedas cibum Patrum carnium devorator; recede. Ille vero discedere nolebat. Tunc accepto funiculo, triplicans illum, tres illi plagas cum eo dedi, et recessit.

CAPUT CLXIV.

Responsio abbatis Victoris solitarii ad monachum pusillanimem.

Frater venit ad abbatem Victorem solitarium in monasterium Elusæ, et dixit ei: Quid faciam, Pater, quia dominatur mihi passio pusillanimitatis? Respondit senex: Morbus animæ est. Sicut enim capti
B [*an non* ægri?] oculis quando magis patiuntur, plus sibi videntur lumen intueri, qui vero sanos habet oculos, modicum; ita et pusillanimes ex modica tentatione cito perturbantur, et magnam illam esse existimant; qui vero anima sani sunt, magis in tentationibus gaudent.

CAPUT CLXV.

Vita latronis nuncupati Cyriaci.

Narravit quidam vir fidelis de latrone quodam, Cyriaco nomine, qui latrocinia exercebat circa Emaus, quæ est Nicopolis, qui adeo truculentus et immanis fuit, ut lupus vocaretur. Hic secum habuit alios latrocinii socios, non solum Christianos, verum et Judæos et Samaritanos. Quadam ergo die profecti sunt quidam ex agro Nicopoleos in sanctam
C civitatem magna hebdomada, ut per baptismum illuminarent filios suos. Quod cum fecissent, et reverterentur in agrum suum, ut celebrarent sanctum Resurrectionis diem, occurrerunt illis latrones, principe suo absente: et viri quidem fuga evaserunt; mulieres autem, projectis nuper baptizatis filiis, tenuerunt Hebræi et Samaritani, et habuerunt eas. Fugientibus igitur viris obvius fuit latronum princeps, et ait illis: Cur fugitis? Illi autem dixerunt, quid sibi contigisset. Sumens ergo illos venit ad socios suos, inveniensque infantes in humum projectos, cum sciscitatus esset quinam hoc fecissent, sceleris decollavit auctores, reddensque viris filios (nam uxores, quia inquinatæ fuerant, recipere passi non sunt) salvavit eos latronum princeps, et reduxit us-
D que ad agrum suum. Post modicum vero temporis tentus est latronum princeps, egitque in carcere decem annos, nullusque principum illum occidit, ad postremum vero etiam absolutus est. Dicebat ergo semper: Quia propter infantes illos amaram effugi mortem. Aspiciebam enim illos frequenter in somnis dicentes mihi: Noli timere, nos pro te satisfacimus. Locuti autem postea cum illo sumus ego et abbas Joannes presbyter monasterii Eunuchorum, et hæc eadem nobis ipse narravit, glorificans Deum.

CAPUT CLXVI.

Vita latronis monachi effecti et postea in sæculari habitu decollati.

912 Dicebat abbas Sabbatius: Cum sederem in

monasterio abbatis Firmini, venit latro quidam ad abbatem Zosimum Cilicem, et rogabat senem, dicens: Fac charitatem, per Deum te precor, quia multis homicidiis obnoxius sum. Fac me monachum, ut jam tandem desistam a sceleribus meis. Senex vero exhortans illum, fecit monachum, et sanctum ei habitum dedit. Post modicum vero temporis dixit ad illum senior: Crede mihi, fili, non potes hic habitare; nam si audierit princeps, tenebit te; similiter autem et adversarii tui necabunt te. Sed audi me, et ducam te in cœnobium abbatis Dorothei prope Gazam et Majumam. Illuc igitur ivit. Ubi cum moratus esset annis novem, didicissetque psalterium, et cunctam monasticam observationem, rediit rursus in Firmini monasterium, ad senem, et ait illi: Fac misericordiam mecum, Pater, et da mihi vestimenta B mea sæcularia, et recipe monastica. Senior autem tristis effectus ait illi: Cur, fili? Qui respondens ait: Ecce novem (ut nosti, Pater) annos egi in cœnobio, et quantum potui jejunavi, et continenter vixi, et cum omni quiete, et timore Dei fui in subjectione, et scio quia illius infinita bonitas multa peccata mea remisit mihi; verumtamen aspicio sæpius puerulum astantem, et dicentem mihi: Cur me occidisti? Hunc autem aspicio in somnis, et in ecclesia, et cum ad communionem pergo, et in refectorio hæc eadem mihi dicentem; et vel una hora non sinit me quiescere. Ideo itaque, Pater, abire volo, ut pro puerulo moriar. Frustra enim, et sine ulla causa occidi puerulum ipsum. Sumptis ergo vestimentis suis, exiit. Et cum sic indutus pergeret Diospolim, tentus est, C et sequenti die decollatus.

A

CAPUT CLXVII.

Vita et mors abbatis Pœmenis solitarii.

Dicebat abbas Agathonicus, antistes cœnobii castelli sancti Patris nostri Sabæ: Descendi die quadam in Ruba, ut pergerem ad abbatem Pœmenem solitarium. Cum ergo reperissem eum, et dixissem illi cogitationes meas, sero dimisit me in unam speluncam; erat autem hiems; fuitque nocte illa frigus maximum, ac nimia vi algoris obrigui. Veniens ergo ad me mane senior, ait mihi: Quid est, fili? Aio ad illum: Ignosce mihi, Pater, duram pertuli noctem ex frigore. Dixit autem mihi: Ego, fili, frigus nullum sensi. Miratus sum valde hoc audiens, erat quippe D nudus. Et dixi ad eum: Fac charitatem, quomodo tantam frigoris asperitatem non sensisti? Dixit autem mihi: Venit leo, et obdormivit juxta me, et ipse me calefecit. Verumtamen dico tibi, frater, quoniam a feris devorandus sum. Aio ad illum: Cur, quæso? Et dixit mihi: In provincia nostra cum essem (erant autem ambo Galatæ) pastor ovium eram, et contempsi transeuntem peregrinum, et a canibus comestus est. Cum enim illum salvare possem, non feci; sed dimisi eum, et a canibus discerptus est, scioque quia et ego ita mori debeo. Quod et factum est; post tres enim annos a bestiis, ut dixerat, et ipse discerptus est.

CAPUT CLXVIII.

Dicta abbatis Alexandri senis.

Dicebat abbas Alexander senex fratribus: Patres nostri deserta et tribulationes persequebantur, nos autem civitates et requiem sequimur.

Dixit iterum senex: Sub Patribus nostris virtutes istæ vigebant, nuditas et humilitas; in nobis autem avaritia et superbia regnat.

Ait rursus: Patres nostri nunquam facies suas lavabant; nos autem lavacra publica balneaque frequentamus.

Dixit iterum senex: Heu mihi, filii, quia conversationem vere angelicam destruximus. Ait autem ad illum abbas Vincentius discipulus ejus: Infirmi profecto sumus, Pater. Dicit ei senex: Quid dicis, Vincenti, quia infirmi sumus? Crede mihi, fili, Olympici corpore et robusti sumus, sed anima nostra imbecilla est.

Dixit iterum: Multum comedere et bibere, et bene vestiri possumus; abstinere autem et humiliari non valemus.

Rursus dixit: Væ tibi, Alexander, væ tibi; quanta erit confusio tua quando cæteri coronabuntur.

CAPUT CLXIX.

Vita senis cujusdam capti oculis in monasterio abbatis Sisci.

Erat senex quidam in Scythi captus oculis in monasterio abbatis Sisci. Distabat autem cella ipsius a puteo fere mille passibus, et nunquam passus est ut sibi alius afferret aquam, sed facto fune, unum ipsius caput ad puteum ligavit, et alterum in cella sua. Jacebat autem funis in terra. Quando ergo pergebat haurire sibi aquam, supra funem ambulabat. Hoc autem faciebat senex, ut inveniret puteum. Cum autem arena propter ventum operuisset funem, tenebat ipsum manu, et excutiebat, et rursus illum 913 in terra ponebat, et super eum ambulabat. Frater autem quidam rogabat senem, ut se permitteret illi afferre aquam. Cui respondit senex: Fili, viginti jam et duo anni sunt ex quo mihi semper ita hausi aquam, et laborem meum tu modo auferre vis?

CAPUT CLXX.

Vita cujusdam sanctæ mulieris in eremo defunctæ.

Distabat ab Jerosolymis fere viginti passuum millibus monasterium quoddam, quod Sampsonis dicitur. Ex hoc monasterio duo Patres abierunt ad montem Sina orationis gratia, reversique in monasterium narraverunt nobis dicentes: Cum adoravissemus in sancto monte, et jam reverteremur, contigit nos eremi devia errando sequi, ferebamurque sicut in pelago per mediam solitudinem dies plurimos. Die vero quadam aspicimus de longinquo speluncam brevem, ad quam tendentes, cum jam speluncæ propinquaremus, cernimus exiguum fontem, et circa fontem herbas modicas, et vestigia hominis; dicebamusque apud nos ipsos: Vere hoc in loco servus Dei est. Ingressi igitur neminem vidimus; solummodo autem cujusdam vagientis vocem audiebamus. Cum ergo diu quæsissemus, invenimus veluti præsepium, et in

eo jacentem quemdam, appropinquantesque servo A Dei, rogabamus ut loqueretur nobis. Cum vero nihil responderet nobis, tunc accedentes tenuimus eum, et corpus quidem ipsius adhuc erat calidum, anima autem ad Dominum migraverat. Tunc vero agnovimus, quia in ingressu nostro intra speluncam requieverat. Fodimus ergo in ipsa spelunca, unusque ex nobis pallium, quo erat indutus, accepit, ut in ipso senis corpus involveret. Sumentes autem illud de loco in quo jacebat, cum ipsum ex more curaremus, invenimus esse mulierem, et glorificavimus Deum. Completoque super illud officio, sepelivimus.

CAPUT CLXXI.

Vita duorum mirabilium virorum, Theodori philosophi et Zoili lectoris.

Erant in Alexandria duo viri mirabiles, magnæque virtutis, abbas scilicet Theodorus philosophus et Zoilus lector: Fuit autem nobis cum utroque summa familiaritas, cum altero quidem disciplinæ et studiorum gratia; cum altero vero, quod communis nobis esset patria et educatio. Atque abbas quidem Theodorus nihil possidebat, nisi penulam, et paucos libros: dormiebat autem in scabello, ac in quamcunque ecclesiam ingrediebatur. Ad ultimum vero etiam sæculo renuntiavit in cœnobio Salcime, ibique vitam glorioso fine conclusit. Lector autem Zoilus et ipse æqualem præferebat paupertatem. Nihil enim ipse quoque possidebat præter vetustam penulam et paucos libros; exercebat autem se in scribendo libros. Et ipse autem consummatus in Domino, sepultus est in monasterio abbatis Palladii.

De duobus istis, Theodoro scilicet philosopho et Zoilo lectore, pergentes quidam Patrum ad dominum Cosmam scholasticum, interrogaverunt eum, dicentes: Quis eorum magis in spirituali exercitio laboravit? Qui ait ad illos: Similia quidem fuerunt utriusque et alimenta, et stramenta, et indumenta, rerumque omnium superfluarum abstinentia, et nuditas, et humilitas, et frugalitas: sed abbas Theodorus philosophus discalceatus in magna imbecillitate oculorum vetus omne novumque Testamentum didicit. Habuit tamen consolationem fratrum, contubernium et visitationes amicorum, avocationemque multam, cum doceret, et cum operaretur. Zoili vero lectoris non solum hospitalitas laudanda, verum etiam solitudo ejus et immensa fatigatio, orisque custodia digna commendatione est. Ille enim sine amicorum familiariumque contubernio atque commercio, ab omni sæcularium rerum actione feriatus, nulli seipsum refrigerio et oblectationi permisit, ne minimum quidem ab ullo ministerium admittens; ipse enim coquebat, ipse lavabat, nulla lectionum capiens solatia, paratus semper aliis obsequi, nullamque habens curam æstus aut frigoris, aut corporeæ infirmitatis, mundus semper a risu, et tristitia, et effusione, et angore existens, qui præter indumenti asperitatem, etiam a multitudine pediculorum indesinenter consumebatur. Habuit tamen et iste plus quam prior ex processibus non mediocre refrigerium, habens facultatem liberam quocunque vellet, die noctuque procedere, quamvis hanc libertatem et laboris magnitudo retundebat, et raro processu sæcularium familiaritatem excludebat. Unusquisque igitur mercedem propriam accipiet, et secundum labores proprios, et juxta resurrectionis mensuras, et intellectualis spiritalisque munditiæ et ministrationis, et timoris Dei, ac charitatis, et compunctionis, et jugis psalmodiæ, et orationis, et intentissimæ fidei, et occultæ hominibus latentisque virtutis.

CAPUT CLXXII.

Vita prædicti Cosmæ scholastici.

De isto domno Cosma scholastico, multi quidem multa, et alia alii, et **914** plurimi plurima nobis retulerunt. Quæ vero nos vidimus, et quæ diligenter B assecuti sumus, ea tantum pro legentium utilitate conscribimus. Erat enim vir iste humilis, misericors, abstinens, virgo, quietus, sine ira, socialis, peregrinorum susceptor, amator pauperum. Plurimum itaque nobis utilitatis contulit vir iste mirabilis, non solum ex aspectu, sed etiam ex doctrina sua, et quod magnam haberet librorum copiam super omnes qui erant in Alexandria, eosque prompte ac libenter volentibus accommodaret. Erat autem et nihil possidens; in tota namque domo ejus nihil vidisses aliud quam libros, et scabella, et lectulum, et mensam. Licebat vero omnibus ingredi, et interrogare quæ ad utilitatem pertinerent, et legere. Diebus autem singulis intrabam ad eum ipse, et, teste veritate, nunquam ad illum ingressus sum, quin ipsum aut legentem, aut C scribentem contra Judæos invenirem. Magno enim fervebat zelo convertendi gentem illam ad veritatem. Ideo et sæpe misit me ad Hebræos quosdam, ut per litteras illis colloquerer. Non enim facile domo egrediebatur ipse.

Ad hunc domnum Cosmam scholasticum die quadam profectus sum; cumque mihi magna ad illum esset fiducia, interrogavi eum, dicens: Fac charitatem, dic mihi quantum temporis habes in hoc instituto. Tacenti vero, et nihil respondenti, rursum dixi illi: Per dominum dic mihi. Cum autem se ille paululum sub silentio continuisset, ait mihi: Triginta et tres annos habeo. Quod ego audiens, glorificavi Deum.

Alias iterum accessi ad illum, et interrogavi eum, dicens: Fac perfectam charitatem, sciens quia pro-D pter utilitatem animæ interrogo te. Dic mihi, quæso, in tanto tempore instituti tui, quietis et continentiæ, quid adeptus es? Ille vero ingemiscens, et ex intimo corde suspirans, ait mihi: Quid potest sæcularis homo virtutis adipisci, et maxime residens in domo sua? Ego autem rursus illum rogabam, dicens: Per Dominum dic mihi, ut ipse quoque proficiam. Tunc vero multum coactus a me, dixit: Ignosce mihi; tria ista consecutus sum, non jurare, non mentiri, non ridere.

CAPUT CLXXIII.

Factum mirum Theodori anachoretæ, qui oratione suâ in mari dulcem aquam effecit.

Anachoreta quidam erat in partibus Jordanis, nomine Theodorus, eunuchus. Hic necessitate quadam

compulsus est Constantinopolim pergere, ingressusque est navem. Cum vero navis diutius detineretur in pelago, defecit aqua, erantque nautæ et vectores in magna anxietate et desperatione. Surgens autem anachoreta, et expandens in cœlum manus suas ad Deum, qui salvat de morte animas nostras, facta oratione, signavit mare signo crucis, et ait nautis: Benedictus Dominus, haurite quantum aquæ opus habetis. Impleveruntque omnia vasa sua de mari aqua dulci; et omnes glorificaverunt Deum.

CAPUT CLXXIV.

Factum naucleri viri religiosi, qui pluviam a Domino impetravit

Abbas Gregorius anachoreta narravit nobis, dicens: Cum ex Byzantio descenderem, ingressus sum navim: intravit autem et scriba quidam cum uxore sua, profecturus ad sanctam civitatem orationis causa. Erat autem nauclerus religiosus valde, multumque jejunans. Cum ergo navigaremus, scribæ servi frustra consumebant aquam. Postquam vero in medium pelagus venimus, defecit nobis aqua, eramusque in magna tristitia. Et erat miserabile spectaculum, videre mulieres, et pueros, et infantes siti arescentes, et veluti mortuos jacentes. Cum ergo dies tres in hac necessitate fecissemus, scriba ipse tribulationem non sustinens, educto gladio, et nautas et nauclerum volebat occidere. Dicebat enim: Hi sunt nostræ perditionis auctores, quia non sumpserunt aquam ad sufficientiam. Ego autem orabam scribam dicens: Noli hoc facere, sed magis deprecemur Dominum nostrum Jesum verum Deum, qui facit magna et mirabilia, quorum non est numerus. Ecce enim et nauclerus, ut vides, tertium hunc agit diem, jejunio et orationi vacans. Cumque acquievisset scriba, quarta die circa sextam horam surgens nauclerus, clamavit voce magna, dicens: Gloria tibi, Christe Deus noster, ita ut omnes miraremur in voce ipsius. Dixitque nautis: Submittite membranas (35). Et cum explicuissent eas, ecce nubes supra navem veniens, tantum pluit aquæ, donec impleverunt vasa ad necessitatem nostram. Erat autem miraculum grande et terribile, quod velificante nave, nubes illa consequeretur nos, et extra navem non plueret.

CAPUT CLXXV.

Relatio de Zenone imperatore viro eleemosynario.

Narravit nobis quidam Patrum de Zenone imperatore, dicens quod mulierem quamdam in filia ipsius injuriose tractavit. Hæc autem vacabat in templo Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis, orans eam **915** et deprecans, et cum lacrymis dicens: Vindica me de Zenone imperatore. Cum ergo multis diebus hoc faceret, apparuit ei sancta Dei genitrix, dicens: Crede mihi, mulier, ultionem tuam sæpe facere volui, sed manus ejus prohibet me. Erat enim valde misericors, et eleemosynas faciens.

CAPUT CLXXVI.

Pulchra relatio abbatis Andreæ de decem viris peregrinantibus, inter quos fuit et adolescens Hebræus.

Abbas Andreas Octavi decimi (*sic*), cum essemus in Alexandria, narravit nobis, dicens: Cum essem juvenis, indisciplinatus valde et inquietus fui. Die ergo quadam persecutionem passi pro nostra inquietudine, fugimus in Palæstinam ego et novem alii; inter quos unus quidam erat industrius, alius autem Hebræus. Cum ergo venissemus in eremum, infirmatus est Hebræus usque ad mortem, et Deo teste, in magno mœrore constituti eramus, nescientes quid illi faceremus. Verumtamen ut est consuetudo socialis charitatis, non illum deseruimus, sed unusquisque nostrum pro viribus ferebat eum, volentes vel in civitatem, vel in emporium illum ducere, ne moreretur in eremo. Cum vero adolescens ex inedia et vehementissima febre, immoderatoque labore et siti præ solis æstu totus jam fere resolutus esset atque deficeret, propinquans ad exitum, neque portari posset, decrevimus cum multis lacrymis illum dimittere in eremo, et abscedere, metuentes ne nos ipsi quoque siti deficeremus. Cum igitur illum in arena plorantes posuissemus, videretque nos abire velle, cœpit nos adjurare, dicens: Per Deum qui fecit cœlum et terram, per Deum qui inclinavit cœlos, et descendit pro salute humani generis, per Deum qui judicaturus est vivos et mortuos, nolite pati ut Hebræus moriar, sed tanquam Christiani facite mecum misericordiam, et baptizate me, ut Christianus de hac vita exeam, et ad Dominum pergam. Nos vero dicebamus ei: Vere, frater, non licet nobis hoc facere, sæculares enim sumus; hoc autem episcoporum et presbyterorum opus est; sed neque aqua hic est. Ille vero persistebat similiter adjurans nos, et plura etiam cum lacrymis adjiciens, ac dicens: Nolite, Christiani, me privare hoc divinitus indulto munere. Cum ergo in magna hæsitatione essemus, industrius ille divinitus inspiratus ait nobis: Erigite illum, et exuite. Ereximus itaque cum magno labore illum, erectumque tenentes exuimus. Industrius autem ille implens ambas manus suas arena (36), tertio effudit super caput ejus, dicens ita: Baptizatur Theodorus in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Nobis vero per singula nomina sanctæ et consubstantialis et adorandæ Trinitatis respondentibus Amen (Dominus Deus testis est, fratres), ita continuo sanavit et corroboravit eum Christus Deus noster, ut nullum jam in eo pristinæ infirmitatis remaneret indicium, vel qualiscunque passionis; sed sanus et valens cum omni alacritate et florido aspectu, quod reliquum erat itineris, per eremum ambulavit semper nos præcedens, ita ut admirantes talem et tam subitam mutationem, omnes laudaverimus et glorificaverimus ineffabilem majestatem et benignitatem Christi Dei nostri. Venientes autem Ascalonem, adduximus eum ad beatum ac sanctum Dionysium ejus urbis episcopum, narrantes quæ fratri in via contigissent. Quibus auditis, sanctus admirandusque Dionysius, stupens ad tam novum inauditumque miraculum, convocato clero exposuit ei totum negotium, ut decernerent, utrum effusio illa arenæ reputanda esset fratri in baptismum, an non. Et alii quidem dicebant

debere reputari illi in baptismum propter inauditam miraculi magnitudinem; alii vero dicebant, Non. Theologus quippe Gregorius omnia baptismata dinumerat (*Gregor. Nazianz. orat.* 39, quæ est, *In sancta Lumina*) : Baptizabat, inquiens, Moyses, sed in aqua, et antea in nube, et in mari. Baptizavit et Joannes non jam quidem Judaice, non enim in aqua solum, sed et in pœnitentia. Baptizat autem et Jesus, sed in Spiritu sancto. Istud perfectio est. Scio et quartum baptismum per martyrium et sanguinem. Scio et quintum, lacrymarum scilicet. Hæc ille. Quo igitur horum, illi inquiebant, iste baptizatus est, ut etiam ipsius baptisma roboremus, maxime cum Dominus ad Nicodemum dicat : Nisi quis natus fuerit denuo ex aqua et Spiritu, non intrabit in regnum Dei (*Joan.* III)? His alii contradicebant sic : Quid ergo? Quia scriptum de apostolis non est, quod baptizati sint, idcirco non intrant in regnum Dei? Alii rursus econtra inferebant, dicentes : Ita sane, illi baptizati sunt, sicut et Clemens Stromateus meminit in quinto Hypotyposeon [a], apostolicum enim illud dictum exponens, quo dicitur, Gratias ago Deo, quia neminem vestrum baptizavi (*I Cor.* I) : Christus, inquit, dicitur Petrum solum baptizasse, Petrus Andream, Jacobum et Joannem, illi autem reliquos. Hæc igitur et alia plurima cum dicta essent, visum est beato Dionysio mittere fratrem illum ad sanctum Jordanem, illicque baptizari; industrium autem illum ordinavit diaconum.

CAPUT CLXXVII.

Mala mors monachi Ægyptii, qui habitare voluit in cella Evagrii hæretici.

916 Dicebat abbas Joannes Cilix commorantibus nobis in Nono Alexandriæ : Venit ad nos Ægyptius monachus, narravitque nobis, dicens : Ad monasterium Cellularum frater ex longinqua regione pervenit, volens ibi habitare, prostratusque presbytero orabat, ut in Evagrii cella moraretur. Presbyter autem dicebat non posse eum illic habitare, recedensque presbyter, ait fratri : Fili, dæmon acerrimus illic habitat, qui enim seduxit Evagrium, et a vera fide removit, immisitque illi scelerata dogmata, ille non permittit aliquem ibi morari. Frater autem persistebat, dicens : Profecto si hic maneo, in illa moraturus sum. Tunc presbyter coactus dixit ei : Judicio tuo vade, et eam accipe. Sedit igitur frater in cellula una hebdomada; venienteque Dominico die, perrexit ad sanctam ecclesiam : videns autem illum presbyter consolatus est; sollicitus enim pro illo erat. Veniente autem alio die Dominico, non venit ad ecclesiam. Cumque illum non videret presbyter, misit duos fratres, ut viderent cur non venisset ad ecclesiam. Qui venientes ad cellulam, invenerunt fratrem injecto fune seipsum suffocasse.

CAPUT CLXXVIII.

Vita senis cœnobii Scholarium, viri simplicis.

Narravit nobis abbas Gregorius presbyter cœnobii Scholarium, quod ibi senex magnus, magnæque abstinentiæ moratus sit : erat autem simplex circa fi- A dem, et ubicunque eum esse contigisset, indiscrete communicabat. Quadam igitur die apparuit ei angelus Dei, dicens : Dic, senex, si mortuus fueris, quomodo vis sepeliamus te? ut Ægyptii monachi faciunt, an ut Jerosolymitæ? Senex autem respondit ei : Nescio. Tunc ait angelus : Cogita, et delibera; post tres autem hebdomadas veniam, et dices mihi. Pergens ego senex ad alium, narravit ei quæ sibi dixerat angelus. Quod cum audisset senex, stupefactus ex auditu, diutiusque intendens in eum, ac divinitus inspiratus dixit ei : Ubi sumis sancta mysteria? Respondens ille ait : Ubicunque invenio. Tunc ait illi senex : Non tibi ultra contingat ut extra sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam communices, ubi nominantur sanctæ quatuor synodi, Nicæna, B trecentorum decem et octo Patrum; Constantinopolitana, centum et quinquaginta; Ephesina prima, ducentorum; Chalcedonensis, sexcentorum et triginta. Cum autem venerit angelus, dic ei : Sicut Jerosolymitæ sepeliri volo. Post tres igitur hebdomadas venit angelus, et dixit seni : Quid est senex? cogitasti? Dixit autem illi senex : Sicut Jerosolymitæ volo. Dicit ei angelus : Bene, bene. Et continuo reddidit spiritum. Hoc autem totum factum est, ne labores suos perderet, et cum hæreticis condemnaretur.

CAPUT CLXXIX.

Vita sanctimonialis feminæ, quæ erat ex sancta civitate.

Perreximus ad abbatem Joannem anachoretam, qui appellatus est Rutilus, narravitque nobis, dicens : Audivi abbatem Joannem Moabitam narran- C tem, ac dicentem : Sanctimonialis quædam erat in sancta civitate, religiosa valde, et secundum Deum proficiens. Invidit ergo diabolus virgini, immisitque juveni cuidam impurum et diabolicum in eam amorem. Virgo autem illa mirabilis cum diaboli sensisset insidias, perditionem adolescentis miserata, sumpto cilicio uno, paucisque infusis cibariis, venit ad eremum, adolescenti ex recessu suo quietem a tentatione ac salutem parans, et sibi ipsi ex solitudine securitatem et augmenta meritorum. Post multum vero temporis per dispensationem Dei, ne ipsius excellens conversatio maneret incognita, vidit eam anachoreta quidam in solitudine Jordanis, et ait illi : Quid, mater, in hac solitudine facis? Illa vero latere anachoretam cupiens, ait illi : Ignosce mihi, quia er- D ravi de via; sed per Dominum, Pater, fac charitatem, et ostende illam mihi. Ille vero divinitus de illa admonitus, ait ei : Crede mihi, mater, non tu errasti de via, neque viam requiris. Itaque sciens quia mendacium de diabolo est (*Joan.* VIII), dic mihi veritatem causæ propter quam huc venisti. Tunc ait illi virgo : Ignosce mihi, abba : adolescens quidam scandalizatus est in me, et propterea veni in hanc eremum, melius existimans hic mori, quam offendiculum cuiquam fieri, juxta Apostoli vocem (*II Cor.* VI). Dicit illi iterum senior : Et quantum temporis hic habes? Quæ ait illi : Habeo gratia Christi annos decem et septem. Rursum ait ad illam anachoreta : Et unde nu-

[a] Clem. Alexand., l. V Hypotyp. non exstat. Vide Niceph. l. II, c. 3, ex Evodio; Baron. t. I, an. Christi 31

triris? Illa vero cilicium et infusa (37) proferens, dixit anachoretæ: Ecce cilicium istud, quod vides, mecum de civitate exiit et ista pauca infusa. Talemque dispensationem in me humilem ostendit Deus, ut tanto tempore istis nutriar, neque imminuta sint. Et hoc autem scito, Pater, quia sic me **917** ipsius benignitas protexit, ut per istos decem et septem annos nullus homo me viderit, nisi tu solus hodie; ego autem aspiciebam omnes. Et hæc audiens anachoreta, magnifice glorificavit Deum.

CAPUT CLXXX.

Vita Joannis (38) anachoretæ, qui in spelunca villæ Sochus morabatur.

Narravit nobis sanctissimus Dionysius presbyter sanctæ ecclesiæ Ascalonitarum, et sacrorum vasorum custos, de abbate Joanne anachoreta, dicens: Quasi vere magnus in generatione ista fuit, atque ad commendationem summorum illius apud Deum meritorum, hoc de ipso miraculum narrabat: In spelunca, inquit, morabatur senex in partibus villæ quæ dicitur Sochus, viginti fere milliaribus ab Jerusalem. Habebat autem senex in spelunca imaginem immaculatæ Dominæ nostræ Dei genitricis, semperque virginis Mariæ, in ulnis ferentem Jesum Christum Dominum et Salvatorem nostrum. Quoties igitur abire volebat ad locum aliquem, vel per vastam solitudinem, sive Jerosolymam ad adorandam sanctam crucem et venerabilia loca, vel in Sinai montem orationis gratia, sive ad martyres distantes ab Jerosolymis multis prolixisque intervallis (erat enim senex martyrum reverentiæ mirabiliter deditus, et nunc quidem pergebat Ephesum ad sanctum Joannem, nunc autem Euchaitam ad sanctum Theodorum, nunc vero ad sanctam Theclam in Seleuciam Isauriæ, nunc ad sanctum Sergium in Saraphas, et modo ad istum, modo ad illum sanctum), reficiebat candelam, et accendebat, ut sibi consuetudo erat, atque ad orationem stans, et Deo ut suum iter dirigeret supplicans, dicebat ad Dominam, intendens in imaginem ipsius: Sancta Domina nostra Dei genitrix, quia longum iter iturus sum diebus multis perficiendum, candelæ tuæ tu curam habe, eamque ne exstinguatur juxta propositum meum serva; ego enim adjutorio tuo comitante iter arripio. Hisque ad imaginem dictis, egrediebatur, peractoque proposito itinere, revertebatur, aliquando post mensem, sæpe etiam post duos vel tres menses, nonnunquam post quinque vel sex, et ita reperiebat integram candelam et ardentem, sicut eam, cum iter arriperet, dimiserat, et nunquam hanc a seipsa exstingui vidit neque de somno surgens, neque a peregrinatione rediens, neque ex eremo in speluncam pergens.

CAPUT CLXXXI.

De eodem.

Dicebat nobis et hoc de ipso idem venerabilis Dionysius presbyter, quod die quadam ambulabat senex in finibus villæ Sochus, ubi erat spelunca ipsius, ambulansque leonem vidit ingentem e regione venientem. Pergebat autem in via valde angusta inter duas sepes posita, quibus agricolæ rura sua munire consueverunt, spinosas frutices plantantes. Tantum vero semita illa præ sentibus angustiam habebat, ut vix unum aliquem vacuum et expeditum pedibus incedentem susciperet, et ne illum quidem sine impedimento libere transire permitteret. Cum ergo sibi invicem appropinquassent senex et leo, neque senex retro rediit, ut leoni transitum liberum daret, neque propter nimias semitæ angustias leo reverti poterat, neque utrumque simul transire omnino possibile erat. Videns igitur leo Dei servum procedere volentem, et nequaquam retro redire sustinentem, erexit se in posteriores pedes, erectusque stans ad lævam senis, pondere ac viribus corporis repulsa maceria, modicam seni latitudinem præstitit, iter sine impedimento justo viro præbens; atque ita transivit senior dorsa leonis perfricans. Post cujus transitum exsurgens de sepi leo, peregit et ipse iter suum.

Ad hunc abbatem Joannem pergens frater quidam, cum nihil in spelunca illius invenisset, ait seni: Quomodo hic moraris, pater, non habens quæ sunt necessaria? respondit senex, et ait: Spelunca ista, fili, spiritualis mercatura est; dat, et accipit.

CAPUT CLXXXII.

Vita abbatis Alexandri Cilicis, qui prope mortem a dæmone arreptus est.

Prope sanctam Bethleem monasterium est sancti Sergii, quod duobus circiter milliaribus distat, et cognominatur Xeropotamus: in hoc antistes fuit valde religiosus abbas Eugenius, qui postmodum episcopus Hermopolis factus est in Ægypto, quæ est in finibus sita Thebaidis. Hic, cum ad eum venissemus, narravit nobis de abbate Alexandro Cilice, quod cum inter speluncas sancti Jordanis senuisset, accepit illum in monasterio suo. Qui circa finem vitæ suæ lectulo decubuit quasi menses tres. Ante decem vero dies quam migraret ad Dominum, a dæmone arreptus est. Et cœpit senex ad dæmonem dicere: Ad vesperam venisti, miser, hoc magnum non est; quoniam in lectulo devinctus sum, et moveri non possum; ostendisti, miserrime, imbecillitatem tuam. Nam si potens et valens esses, ante hos quinquaginta, vel sexaginta annos **918** debueras appropinquare mihi, ego enim per confortantem me Christum ostendissem tibi infirmitatem tuam, ac dejecissem rugitum tuum, atque contrivissem rigidam illam tuam inflexamque cervicem. Nunc autem non mea est imbecillitas, sed infirmitas est quæ premit me. Gratias tamen ago Deo, ad quem proficiscens, ostendam injuriam quam abs te passus sum, quia post tot annorum labores et fatigationem, circa exitum sic atrociter in me invasisti. Ista et alia plurima horis singulis dicens, decima die cum omni quiete Domino Christo spiritum in pace reddidit.

CAPUT CLXXXIII.

Mirabile factum senis Ægyptii, nomine David.

Dicebat abbas Theodorus Cilix: Cum adhuc morarer in Scythi, erat illic senex Ægyptius, nomine David, qui die quadam ad metendum profectus est. Habent enim consuetudinem Scythiotæ, ut abeant

ad villas, et metant. Ascendit ergo senex in villam, et sub mercede operabatur. Conduxit autem illum agricola quidam. Cum itaque meteret senex, die quadam circa horam septimam æstus magnus factus est, et abiit senex in quoddam tugurium, et sedit. Veniens autem agricola, et videns sedentem senem, dicit ei cum iracundia : Cur non metis, senex? nescis quia mercedem tibi reddo. Dixit ei : Ita sane; sed quia æstus magnus est, et grana tritici de spicis decidunt, idcirco paululum exspecto, donec transeat æstus, neque damnum patiaris. Dicit ad eum agricola : Surge, labora, et ardeant omnia. Cui respondit senex : Et vis ut ardeant? Dixit ille cum iracundia : Ita plane. Tunc surrexit senior, et ecce continuo ardere cœpit ager. Currens autem agricola venit ad alios senes, qui in alia parte agri operabantur, et orabat eos ut venirent et deprecarentur senem ut oraret et ignem exstingueret. Venientes autem senes prostraverunt se humi; ille autem dixit eis : Dixit ipse ut arderet. Exoratus tamen ab eis abiit, et stans medius inter ea quæ arserant, et ea quæ non arserant, oravit, et continuo exstinctus est ignis, et salvata est pars reliqua ruris.

CAPUT CLXXXIV.

Vita abbatis Joannis Eunuchi, nec non juvenis Monachi, qui nunquam bibere statuerat, atque alterius senis valde orationibus dediti.

Eramus in Nono Alexandriæ, cum accessimus ad monasterium abbatis Joannis eunuchi utilitatis gratia. Invenimus autem ipsum senem qui egerat in habitu monastico annos octoginta, ita misericordem, ut alium neminem illi similem viderimus; non solum enim ad homines, verum et ad bruta animalia misericors erat. Quid ergo faciebat senex? Nullum opus aliud habebat, nisi hoc : Surgens de mane ibat ad canes omnes qui erant in monasterio, et cibum præbebat illis. Similiter et parvis formiculis farinam apponebat, triticumque majoribus formicis. Madefaciebat et paximatia, et ea super tecta projiciebat, ut volucres comederent. Ita degens jugiter, nihil cum moreretur in suo monasterio dimisit, non portam, non fenestram, non spetlum (39), non candelam, non tabulam, et ne singulis immorans prolixior sim, non dimisit omnino terrenum aliquid. Nunquam vel una hora tenuit vel librum, vel pecuniam, vel indumentum, sed omnia egenis dabat, omnem curam suam ad futura transferens.

Narrabant autem et hoc de ipso, misericordiam ejus et compassionis affectum commendare volentes. Die quadam venit ad eum agricola quidam, petens ut aureum nummum illi mutuo daret. Cum vero ille non haberet (nec enim unquam aurum tenebat senex) misit continuo, et mutuavit a monasterio numisma, et dedit homini qui id a se petierat, pollicenti post unum mensem hoc se illi redditurum. Cum vero præterissent anni duo, et agricola illud non redderet, accersivit illum abbas Joannes, et ait illi : Da mihi numisma, frater. Qui dixit, novit Deus quia non habeo. Tunc ait illi senex : Agnosce, frater, quia inveni tibi modum per quem possis mihi illud reddere. Qui ait seni : Jube quidquid vis, et faciam; putans homo quod senior sibi aliquid injungere vellet. Tunc dixit abbas Joannes : Cum tibi opportunum est, nec habes quid facias, veni huc, et triginta genuflexiones pro me facito, et dabo tibi unum argenteum. Cui cum ille libenter consensisset, quoties illi vacabat ab opere, pergebat ad senem, et completo orationum numero dabat ei senex juxta constitutum, argenteum nummum, dabatque illi comedere et bibere, tribuens insuper paximatia pro tota domo sua. Cum igitur implesset viginti quatuor argenteos, id est, aureum nummum, accepit ab eo senex, et dimisit illum, dans ei etiam benedictiones.

Idem abbas Joannes eunuchus narravit nobis, dicens : Ascendimus in Thebaidem ad cœnobium abbatis Apollo, vidimusque ibi juniorem fratrem habentem etiam carnalem **919** patrem, et ipsum monachum. Statuit ergo juvenis nunquam bibere aquam, neque vinum, neque potionem aliam toto vitæ suæ tempore. Edebat igitur olera quædam comestibilia, quæ ipsum ex siti recreare poterant : habebat autem et ministerium coquendi panes. Cum vero tres annos hoc abstinentiæ modo cucurrisset, incidit in gravissimam ægritudinem, ex qua etiam defunctus est. Cumque febre ureretur, et ex immensa siti fatigaretur, hortabatur ab omnibus ut vel modicam potionem degustaret; neque prorsus hoc facere frater ille passus est. Abbas igitur accersito medico, ut languenti, si qua ratione posset, subveniret, precabatur. Qui cum venisset et videret fratrem in tali necessitate, rogare eum cœpit, ut modicum alicujus potionis acciperet. Sed cum ille non acquiesceret, dixit abbati : Afferte mihi huc vas magnum. Quo allato, mittens in illud tepentis aquæ amphoras quatuor, fecit illum intus immitti usque ad femora per unam horam. Affirmabat autem nobis abbas Joannes (illic enim aderat) quod cum illum ex aqua eduxissent, metiens medicus aquam, invenit eam ex magna parte imminutam. Ecce quam vim sibi intulerunt continentes monachi, seipsos propter Deum his necessitatibus subdentes, ut sempiternis fruerentur bonis.

Idem rursus nobis enarravit, dicens : Ingressus sum in eodem cœnobio cellulam senis cujusdam, vidique quia ubi stare ad orationem solebat, tabula erat supposita. Ubi autem genua figebat et manus, concavum erat plusquam digitorum quatuor : ex frequentia quippe et usu continuæ orationis cavaverat tabulam.

CAPUT CLXXXV.

Vita mulieris fidelis, quæ mira sapientia virum suum gentilem ad fidem convertit.

Cum in Samo insula essemus, narrabat nobis venerabilis pauperum cultrix Maria mater domni Pauli candidati, dicens : Cum essem in civitate Nisibe, erat ibi Christiana mulier, virum habens gentilem. Erant autem pauperes, habebant tamen quinquaginta miliarisia (40), quod numismatis genus est. Die vero quadam ait vir uxori suæ : Demus hæc numismata feneratori, ut aliquod solatium ex eis capia-

mus; ea enim sigillatim consumimus, et deficiunt. Respondens autem illa bona uxor, ait viro: Si placet ea fenerari, veni, demus illa sub fenore Deo Christianorum. Dicit ei vir ejus: Et ubi est Deus Christianorum, ut demus ei? Ait illa: Ego tibi ipsum ostendam; si enim huic dederis ea, non solum non illa perdes, sed et usuras tibi persolvet, et capitale duplum reddet. Qui ait illi: Eamus, ostende mihi illum, et demus ei. Illa vero assumens virum suum, duxit in sanctam ecclesiam: habet autem ecclesia illa quinque magnas januas. Cum ergo induxisset illum in ecclesiæ porticum, ostendit ei pauperes, dicens: Istis si præbueris, Deus Christianorum ipsa accipit; isti enim omnes sui sunt. Qui mox cum gaudio numismata cœpit erogare pauperibus; reversique sunt in domum suam.

Cum vero post menses tres necessitate sumptuum angustarentur, ait vir uxori suæ: Soror, nihil ut video, daturus est nobis Deus Christianorum ex debito illo, et nunc angustiamur inopia. Respondit mulier, et ait illi: Profecto dabit: vade ubi illa dedisti; et exhibebit ea tibi cum omni alacritate. Quo audito, ille currens abiit in sanctam ecclesiam; veniensque in loco ubi erogaverat numismata pauperibus, et circuiens totam ecclesiam, neminem vidit qui sibi debitum redderet, nisi solos pauperes denuo sedentes. Cum ergo cogitaret in seipso, cui diceret aliquid, vel a quo exigeret, aspexit ante pedes suos in marmore jacere numisma unum ex illis, quæ pauperibus ipse erogarat, inclinansque se, et accipiens illud, abiit in domum suam, et ait conjugi suæ: Ecce profectus sum in ecclesiam, et crede mihi, mulier, quia Deum Christianorum non vidi, ut dixisti, nullusque mihi aliquid dedit, nisi quod hoc numisma ibi positum vidi, ubi ego prius erogaveram. Tunc ait ad eum mulier illa mirabilis: Ipse est, qui tibi hoc invisibiliter præstitit; ille enim invisibili potestate manus suæ disponit hunc mundum. Sed vade, domine mi, eme nobis aliquid, ut comedamus hodie, rursusque ipse providebit nobis. Abiit ille, et emit sibi panem, et vinum, et piscem, et veniens domum dedit uxori. Quæ accipiens piscem, cœpit ipsum purgare, exenteransque illum, invenit in visceribus ejus lapidem valde mirabilem, ita ut miraretur mulier illius pulchritudinem; non tamen sciebat quid esset. Servatum autem ostendit revertenti viro, dicens: Ecce hunc lapidem in pisce reperi. Videns autem et ipse, miratus est quidem ipsius pulchritudinem, ignorabat tamen quid esset.

Cum autem comedisset, ait uxori: Da mihi lapidem, ut vadam, et vendam illum, si quid fortassis pretii de illo accipere contingat. Neque enim, ut dixi, noverat et ipse, quid esset, ut pote simplex et rudis. Tulit itaque lapidem, et abiit ad trapezitam, cujus **920** erat proprium talia emere et vendere, invenitque illum jam clausis omnibus egredientem (ad vesperum enim jam dies erat) et ait illi: Vis emere hunc lapidem? Ille vero considerans lapidem, dixit ei: Quid vis ut tibi pro eo solvam? Ait autem ille: Da A quidquid vis. Ad quem ipse: Accipe, inquit, quinque numismata. Putans autem venditor quia illuderet sibi, dicit ei: Et tantum vis pro illo persolvere? Existimans trapezita, quod ita ille per ironiam loqueretur, ait ipsi: Accipe decem pro eo numismata. Venditor iterum se irrideri arbitrans, tacuit. Dicit illi trapezita: Viginti numismata accipe. Ille autem tacebat nihil respondens: Cum vero ad triginta, quadraginta, et quinquaginta numismata emptor ascenderet, et se daturum ea juramento affirmaret, cœpit ille amplius lapidem æstimare. Paulatim vero emptor ascendens usque ad trecenta numismata pervenit, deditque illa vendenti. Ipse igitur, dato lapide, acceptaque pecunia, venit ad uxorem suam gaudens. Quæ cum videret illum exsultantem, dixit: Quanto B illum vendidisti? Putabat autem quod illum quinque vel decem minutis vendidisset. Tunc ille trecenta numismata proferens, dedit illa uxori suæ dicens, tanto se illum vendidisse. Illa vero summam divinæ bonitatis clementiam admirans, dixit ei: Ecce Deus Christianorum qualis est, quam bonus, quam gratus, quam dives! Vides quia non solum quinquaginta numismata tibi reddidit, quæ tu illi mutuasti, sed paucis diebus ipsa tibi sextuplicata restituit? Agnosce igitur quia non est Deus alius, neque in terra, neque in cœlo, nisi ipse solus. Ille vero miraculo admonitus, cum experimento didicisset et ipse veritatem, effectus est repente Christianus, et glorificavit Deum et Salvatorem nostrum Christum cum Patre et Spiritu sancto, plurimas referens gratias prudentissimæ C uxori suæ, per quam vera Dei notitia ipsi in veritate concessa est.

CAPUT CLXXXVI.

Vita Moschi mercatoris Tyrii.

Perreximus in cœnobium speluncæ abbatis Sabæ, ad abbatem Eustachium ipsius cœnobii præpositum, narravitque nobis, dicens: Erat Tyri mercator quidam, nomine Moschus; is nobis, cum Tyrum venissemus, hoc retulit, dicens: Cum essem super commercia, profundo vespere abii lavatum, et in via reperi mulierem stantem in tenebris. Ad quam ego ubi perrexi, consensit sequi post me. Præ diabolico itaque gaudio non lavi, sed ad cœnam properavi, multumque orabam illam, ut comederet; sed illa gustare quidquam passa non est. Tandem surreximus; et cum D ad cubandum venissemus, vellemque illam amplexari, voce magna cum lacrymis clamavit, dicens: Væ mihi miseræ! Tremefactus itaque interrogabam causam fletuum. Illa vero amplius ejulans ait: Vir meus negotiator est, et naufragium fecit, perdiditque et sua et aliena, et propterea in carcere inclusus est, nec habeo quid faciam, ut vel panem illi ministrem, atque ideo præ nimia paupertate corpus meum exponere proposui, ut illi panem inveniam, omnia enim deperierunt. Et dixi illi: Quantum est debitum? Quæ ait: Quinque auri libræ. Proferens autem aurum dedi illi, dicens: Ecce Dei nutu non tetigi te; da aurum, et redime virum tuum, et orate pro me.

Deinde post aliquantulum temporis calumnia contra me conflata est apud imperatorem, quod commercii cuncta dissipassem. Mittens autem imperator diripuit omnem substantiam meam, nudumque pertractum Constantinopolim in carcerem misit. Ubi cum plurimum temporis egissem, solo uno vestimento præter camisiam indutus, die quadam audio quod imperator me vellet occidere; itaque de vita desperans plorabam. Flentem autem et ejulantem sopor oppressit, vidique in somnis quasi mulierem illam, quæ aliquando virum habuerat in carcere, dicentem mihi : Quid est quod habes, domine Mosche? Quare hic inclusus es? Me autem respondente : Calumniam perpessus sum, et puto quia occidet me imperator. Ait mihi : Vis ut loquar pro te imperatori, et dimittet te ? Ad quam ego : Nunquid ille cognoscit te? Ait : utique novit. Expergefactus autem ambigebam quid hoc esset. Astitit autem mihi secundo et tertio eadem repetens, et dicens : Noli timere, ego te absolvam cras.

Diluculo autem, imperatore jubente, adduxerunt me in palatium. Cumque ingressus essem, ille ut aspexit me putri et scissa indutum tunica, dixit mihi : Ecce nunc tui misertus sum; vade, et emendare de reliquo. Aspiciebam autem mulierem illam ad dexteram imperatoris astantem, et dicentem mihi : Confide, et noli timere. Jussitque rex mihi universa restitui, addensque mihi bona plurima, restituit me in priorem statum, faciens me præterea locum tenentem.

Ipsa igitur nocte apparuit mihi rursus eadem mulier, et ait mihi : Scis, quæ sim ego? illa sum cum qua fecisti misericordiam, et propter Deum non tetigisti corpus meum. Ecce et ego liberavi te a periculo. Vides clementiam Dei, quomodo per me, cui fecisti **921** misericordiam, apparuit tibi misericors, quasi dicens . Hoc propter me fecisti, et ego magnificavi misericordiam meam super te.

CAPUT CLXXXVII.

Doctrina abbatis Joannis Cyzici pro acquirendis virtutibus.

Cum a sancta Gethsemane ascenderemus in sanctum montem Oliveti, monasterium offendimus abbatis Abramii. Hujus monasterii pater erat abbas Joannes ex Cyzico; interrogavimus autem eum die quadam, dicentes : Quomodo virtutem possidet quispiam? Respondit senior, et ait : Qui virtutem possidere voluerit, nisi prius oderit virtuti ex diametro contrariam malitiam, eam acquirere ac possidere non potest. Si igitur habere vis luctum, semper odio habeas risum. Si humilitatem habere desideras, superbiam semper exsecrare. Si continens esse cupis, ingluviem odi. Si pudicus, detestare luxuriam. Si nudus, materiam fuge. Qui vult esse misericors, avaritiam caveat. Qui eremum habitare desiderat, civitatis frequentiam odio habeat. Qui cupit invenire quietem, fiduciam oderit Qui peregrinus esse vult, apparentiam (41) seu cupiditatem ostendendi se odio habeat. Qui iracundiam continere desiderat, multorum con- A sortia fugiat. Qui injurias oblivisci vult, maledicta detestetur. Qui sine distractione esse appetit, solitarius maneat. Qui continere vult linguam, obstruat aures ne multa audiat. Qui Dei timorem habere semper cupit, corporalem oderit requiem, diligatque afflictionem et angustiam.

CAPUT CLXXXVIII.

Vita duorum fratrum trapezitarum Syrorum.

Abbas Theodorus antiqui monasterii præpositus, narravit nobis, dicens : Erant Constantinopoli fratres duo trapezitæ Syri; dixitque major ex illis minori fratri : Veni, descendamus in Syriam, et possideamus paternam domum nostram. Dixit illi junior : Cur ambo dimittimus hic ministerium nostrum? Descende ipse, et ego hic manebo; vel ego descendam, et tu B hic remane. Convenit ergo inter eos, ut descenderet junior. Cum itaque descendisset, post breve tempus is qui Constantinopoli remanserat, vidit in somnis senem quemdam speciosum et magnæ reverentiæ, dicentem sibi : Scis quia fornicatus est frater tuus in uxorem cauponis? Qui exsurgens a somno, contristari cœpit, et intra semetipsum dicere : Ego illi causa fui istius lapsus, cur enim dimisi illum solum? Aspexit autem eumdem secundo dicentem sibi : Scis, quia frater tuus corruit in uxorem cauponis? Quo viso, rursum contristatus est. Tertio conspicit eumdem dicentem sibi : Nescis quia frater tuus perdidit liberam mulierem, et in uxorem cauponis effusus est? Scripsit igitur ad illum ex Constantinopoli, ut statim dimissis omnibus veniret Byzantium. Qui acceptis fra- C tris litteris, statim dimisit omnia, venitque ad fratrem suum. Ille vero mox ut vidit eum, duxit in majorem ecclesiam, et cœpit mœstus culpare illum, ac dicere : Bene fecisti, frater, quia cauponis uxorem adulterasti? Quod ille cum audisset, jurare per Deum omnipotentem cœpit, quod neque adulteraverat, neque mulierem ullam noverat præter legitimam uxorem. Cum hæc major frater audisset, ait illi : Nunquid aliud quidpiam peccati gravioris abs te gestum est? Ille autem asseverabat, dicens : Vere nihil mihi conscius sum iniquitatis admisisse, nisi quod monachos in villa nostra repeni Severiani dogmatis, ignoransque an malum esset, communicavi eis. Aliud quodlibet ignoro me fecisse. Intellexit tunc major natu frater hoc esse quod illi dictum fuerat, fornicatum scilicet D eum fuisse, quia sancta catholica et apostolica ecclesia omissa, in hæresim Severi acephali, qui revera caupo est, corruens confusus erat, ac nobilitatem rectæ fidei contaminarat.

CAPUT CLXXXIX.

Vita mulieris quæ fidem servavit viro suo negotiatori, et ambo a Deo adjuti sunt.

Venimus Ascalonem in xenodochium Patrum, narravitque nobis abbas Eusebius presbyter, quod negotiator quidam navigans perdidisset omnia et sua et aliena, evasissetque ipse naufragium. Qui cum venisset huc, a creditoribus comprehensus et in carcerem missus est, direptaque sunt omnia quæcunque domi habebat, et conjugis etiam ipsius vestimenta.

Illa igitur ex multa anxietate, et tristitia, et inopia non poterat virum vel pane nutrire. Sedente igitur illa die quadam in carcere et gemente, intravit vir quidam magnus vinctis dare eleemosynam. Videns vero mulierem liberam sedentem cum viro suo, vulneratus est in amore ipsius, erat enim speciosissima, mandavitque illi per carcerarium ut ad se veniret. Illa videns quod agapen acceptura esset, libenter accessit. Qui sumens illam seorsum, ait ei : Quid est quod habes, et cujus rei gratia hic es? Quæ illi cuncta enarravit. Ait autem ipse : Si persolvero debitum, dormies mecum nocte ista? Illa autem vere pulcherrima et pudicissima **922** dixit ei : Audivi, domine, dicentem Apostolum, quia mulier non habet potestatem proprii corporis, sed vir (*II Cor.* vii). Permitte ergo, domine, ut interrogem virum meum, et quidquid ille jusserit faciam. Veniensque omnia nuntiavit viro suo. Ille, ut prudentissimus, et uxori suæ maximo devinctus affectu, raptus non est spe et desiderio evadendi carceris injurias; sed ingemiscens cum lacrymis ait uxori : Perge, perge soror, abrenuntia homini; spero enim in Dominum nostrum Jesum Christum, quia non derelinquet nos usque in finem. Exsurgens autem illa dimisit a se hominem, dicens : Dixi viro meo, et non vult.

Per id autem temporis latro quidam injectus fuerat in ipsum carcerem priusquam negotiator vinciretur : hic omnia inspiciebat, et audiebat viri ac mulieris verba, ingemuitque apud semetipsum, dicens : Ecce in quo isti casu existunt, neque tamen libertatem suam prodiderunt, ut pecunias acciperent, et dimitterentur, sed pudicitiam pluris quam pecuniam existimaverunt; vitæque istius commoda, ut illius pulchritudinem non violarent, contempserunt. At ego quid faciam miser, qui nunquam cogitavi quod Deus esset, et idcirco homicidiorum auctor fui? Vocans autem illos ad se per fenestram ejus cellulæ, ubi vinctus detinebatur, dixit eis : Ego latro sum et cædium patrator, quamobrem quacunque hora præses venerit, ad mortem ut homicida ducendus sum. Considerans vero pudicum consilium vestrum, compunctus sum : itaque pergite, et in loco illo civitatis fodite, et accipite quas inveneritis pecunias; cumque persolveritis debitum, plurima etiam eulogia remanebit vobis, et orate pro me, ut et ego inveniam misericordiam.

Post paucos autem dies ingressus civitatem præses, latronem educi jussit et decollari. Sequenti autem die dixit mulier viro : Si jubes, mi domine, vadam ad locum quem denotavit latro, si forte vera sint quæ ille prosecutus est. Qui ait : ut tibi videtur facito. Illa vero sumpto brevi sarculo, vespere ad locum abiit, et fodiens, ollam invenit diligentissime opertam, sumensque illam profecta est. Prudenti vero usa consilio, paulatim creditoribus reddebat debita, ut ex hoc ab aliis pecuniam mutuari putaretur. Implevit autem omnem debiti solutionem, virumque de carceris custodia eduxit. Dicebat autem qui ista narravit :

A Ecce quoniam servaverunt isti mandatum Domini nostri Jesu Christi, magnificavit et ipse in eis misericordiam suam.

CAPUT CXC.

Miraculum de ligno donato abbati Brochæ Ægyptio.

Narravit nobis Athanasius Antiochenus de abbate Brocha Ægyptio, dicens : Cum venisset vir ille ex Ægypto in Seleuciam, quæ prope Antiochiam est, invenit extra civitatem locum desertum, quærebatque construere sibi in eo parvam cellulam. Quam cum exstruxisset, neque haberet unde illam operiret, ingressus urbem die quadam invenit Anatolium, qui cognominatus est Curvus, Seleuciæ et Antiochiæ unum ex primariis, sedentem extra domus suæ limen, dixitque ei : Fac, domine, charitatem, et da mihi ligna
B modica, ut tegam cellulam meam. Ille vero maxime indignans, ait illi : Ecce lignum, tolle et discede; ostendens illi trabem maximam, quam habebat jacentem ante domum suam, de qua facta esset arbor navis onerariæ quinquaginta millium. Ait illi abbas Brochas : Benedic et tollam illud. Dicit ei rursus Anatolius stomachans, Benedictus Dominus. Apprehendit ille trabem, solusque levavit de terra, et imposuit humeris suis, abiitque cum illa ad cellulam suam. Stupore autem percussus Anatolius in eo quod factum fuerat insigni præclaroque miraculo, largitus est ei lignum illud, ex quo non solum cellulam suam, ut petierat, operuit, sed et alia plurima ministeria exercuit.

CAPUT CXCI.

C *Vita compendiosa sancti Joannis Chrysostomi patriarchæ Constantinopolitani.*

Dicebant de sancto Joanne Constantinopolitano archiepiscopo, qui juste et dignissime pro puritate doctrinæ, et splendore venustissimi eloquii Chrysostomus (42) cognominatus est; quod ex quo salutarem baptismum accepisset nunquam omnino juraverit, neque aliquem jurare compulerit, neque mentitus sit, neque alicui unquam maledixerit, neque scurrilia locutus sit, neque jocos admiserit.

CAPUT CXCII.

Relatio de quodam monacho monasterii divi Gregorii (43) papæ, quomodo post mortem ab excommunicatione fuerit absolutus.

Narravit nobis sanctus quidam presbyter [1], Petrus
D nomine, veniens ex Romana urbe, de beatissimo Gregorio ejusdem civitatis Antistite, quod cum esset summus pontifex, monasterium virorum maximum ædificaverit, mandatumque dederit, **923** ut nullus monachorum proprium aliquid haberet, ne unum quidem obolum. Frater ergo monasterii habebat sæcularem fratrem, a quo petiit dicens : Tunicam non habeo, ideo fac in me charitatem, et eme illam mihi. Dixit illi sæcularis frater : Ecce tria hæc numismata, accipe, et eme tibi ut placet. Sumens ergo monachus tria numismata, habuit illa apud se. Quod cum alius monachus vidisset, abiit et nuntiavit abbati. Quo audito, abbas renuntiavit, et ipse sanctissimo papæ

[1] Joannes Diaconus vitæ sancti Gregorii, lib. ii, cap. 45.

Gregorio. Beatus vero Gregorius hoc audiens, jussit eum, ut qui monasterii regulas prætergressus esset, a communione separari. Post modicum vero temporis moritur frater ille ita separatus, nesciente papa Gregorio. Post duos autem vel tres dies abiit abbas, et nuntiavit illi, dicens : Frater ille defunctus est. Quo ille audito non mediocriter contristatus est, quod antequam absolveretur excommunicationis vinculo, migrasset a sæculo : scribensque orationem in forma epistolæ, dedit uni ex archidiaconis, jubens illi ut iret et supra sepulcrum fratris illam legeret. Per ipsas vero litteras absolvebat ab excommunicationis nexibus mortuum. Abiens igitur archidiaconus, sicut illi fuerat imperatum, super sepulcrum fratris brevem illam chartulam legit. Eademque nocte vidit abbas defunctum fratrem, et ait illi : Nonne mortuus es, frater? Qui ait : Ita sane. Rursus interrogavit eum abbas : Et ubi fuisti usque hodie? Dixit ei frater : Veraciter, domine, in carcere fui usque heri; hesterno autem die absolutus sum. Notum vero factum est omnibus quia qua hora archidiaconus absolutionis verba super fratrem legerat, fuerat ab excommunicatione absolutus, liberataque est de judicio et damnatione anima ipsius.

CAPUT CXCIII.

Factum mirabilis charitatis sancti abbatis Apollinaris patriarchæ Alexandrini erga juvenem divitem ad inopiam redactum.

Narraverunt nobis de sancto abbate Apollinari Alexandrino patriarcha, quod valde fuerit misericors, et compassionis visceribus affluens, cujus rei indicium id afferebant. Erat, aiebant, Alexandriæ juvenis quidam, qui primarii civitatis dignitateque ac divitis clarissimi filius fuerat. Parentibus itaque illius defunctis, qui infinita illi bona tam in auro quam in navalibus commerciis dereliquerant, non satis feliciter et prospere ea gubernans, perdidit omnia, atque ad extremam inopiam deductus est, cum neque gulæ neque luxuriæ vacaverit, quæ solent divitum exhaurire patrimonia, sed in casus varios atque naufragia inciderit. Itaque ex opulentissimo pauperrimus effectus est, juxta illud Psalmistæ : Ascendunt usque in cœlos, et descendunt usque ad abyssos (*Psal.* CVI). Namque adolescens quanto fuerat pecuniis sublimior, tanto per inopiam inferior factus est.

Hoc audiens beatus Apollinaris, vidensque in quantum miseriæ et paupertatis adolescens delapsus esset, cum parentes ejus fuissent locupletissimi, miseratus illius casum, exiguum ipsi charitatis impendere voluit subministrando alimenta, sed erubescebat. Et quoties videbat illum, in secreto conscientiæ suæ angebatur, cernens vestem sordidam, et luridam faciem, quæ sunt extremæ paupertatis indicia. Cum igitur hujusmodi curis angeretur pontifex, die quadam divinitus inspiratus, consilium profecto mirabile invenit, ipsiusque sanctitati maxime conveniens.

Accersivit itaque Nomicum (44) seu dispensatorem sanctissimæ ecclesiæ, seorsumque illum alloquens, dixit ei : Potes mihi servare secretum, domne dispensator : Qui ait : Spero, domine, in Filium Dei, quia quodcumque mihi jusseris, nemini dicam, neque discet unquam id aliquis ex me quod mihi servo tuo aperueris. Tunc ait ad illum episcopus Apollinaris : Vade, conscribe chirographum debiti quinquaginta librarum auri, quæ a sanctissima ista ecclesia Macario illius miseri adolescentis patri debebantur, et appone testes et stipulationem et rata, et affer illud mihi. Dispensator continuo, quod sibi fuerat a pontifice injunctum, cum omni celeritate peregit, attulitque chirographum, et dedit illi. Cum itaque pater adolescentis ante decem annos defunctus esset, chartaque chirographi nova videretur, ait illi pontifex : Vade domne dispensator, chirographum istud vel in tritico vel in hordeo absconde, et post paucos dies affer illud ad me : quod ille cum fecisset, præfinito die chirographum retulit quasi subvetustum, deditque pontifici. Tunc ait ille : Perge modo, domne dispensator, et dicito adolescenti : Quid mihi daturus es, si tibi dedero chirographum magnæ pecuniæ quæ debetur tibi? Et cave, ne plus quam tria numismata ab illo accipias, et præbe illi chirographum. Respondens autem dispensator : Vere, mi domine, si jusseris, nihil accipiam. Dixit ei ille : Volo omnino ut tria numismata accipias. Perrexit autem ille ad juvenem sicut ipsi jussum fuerat, et dixit ei : Dabis mihi tria numismata, si ostendero tibi **924** aliquid magnæ utilitatis tuæ? Ille vero pollicitus est illi quidquid vellet se daturum. Fingens autem dispensator, ait illi : Ante quinque vel sex dies evolvens instrumenta ecclesiastica, reperi chirographum istud, et memini, quia Macarius pater tuus mihi multum confidens, ipsum mihi diebus aliquot permisit. Defunctoque ipso, contigit illud apud me usque hodie manere; oblivione enim subreptum mihi est, nec unquam venit in mentem ut illud redderem tibi. Ait illi adolescens : Nosti an locuples sit persona illa quæ debet? Dixit ei dispensator : Ita sane locuples, et grata est, potesque ab illo debitum sine labore recipere. Dixit ei junior : Novit Deus quia modo nihil habeo; sed si recepero, quod meum est, quidquid petiisti, dabo tibi, ultra tria etiam numismata. Tunc dedit ei dispensator instrumentum quinquaginta librarum.

Suscepto itaque chirographo, perrexit ad sanctissimum pontificem, prostratusque ante illum dedit ei chirographum. Cum ergo accepisset ille instrumentum ipsum, ac legisset, cœpit se ipsum turbatiorem ostendere, dixitque ei : Et ubi fuisti usque modo? Pater tuus ante decem annos defunctus est. Perge, nolo tibi nunc respondere. Qui dixit illi : Veraciter, mi domine, non ego illud habui, sed dispensator illud habebat, et nesciebam. Sed Deus ipsius misereatur, quia modo ipsum mihi reddidit, dicens se illud inter chartas suas domi invenisse. Pontifex vero illum interim remisit, dicens : Deliberabo mecum, servato apud me chirographo. Post unam igitur hebdomadam rediit ad episcopum junior, iterumque deprecabatur eum. Ille autem quasi nihil ei dare vellet, dicebat : Quare tantum distulisti proferre chirographum? Dixit

illi adolescens : Mi domine, scit Deus quia non habeo unde familiam meam nutriam ; itaque, si Deus inspirat vobis, miseremini mei. Tunc dixit illi sanctus Apollinaris, fingens se illius precibus cedere : Summam quidem integram ego tibi restituam ; hoc autem obsecro, mi domine frater, ne a sancta hac ecclesia usuras exigas. Tunc procidens illi adolescens ait : Quidquid voluerit et jusserit mihi dominus meus, hoc faciam; et si ex principali summa placet minuere aliquid, minue. Dixit illi episcopus : Non id quidem; satis est, si nobis usuras dimittis. Tunc proferens quinquaginta auri libras, dedit ei, et dimisit eum, orans eum pro usuræ remissione. Hoc opus summi Apollinaris, ista sancta illius ars atque misericordia. Ita vero Deus juveni cooperatus est per sanctam ejus benedictionem, ut ex tanta inopia emergeret, atque in priorem suum statum ordinemque remearet, plusque etiam quam parentes sui opum ac pecuniarum copia excelleret, ac præterea magna lucra animæ consequeretur.

CAPUT CXCIV.

Admonitio senis qui morabatur in Scythi, facta cuidam monacho ne ingrederetur tabernas.

Senex quidam morabatur in Scythi : hic die quadam venit Alexandriam, ut opus manuum suarum venderet, viditque ibi juniorem monachum ingressum esse cauponam. Qua ex re senex vehementer afflictus, manebat foris exspectans, donec egredienti juveni colloqueretur. Quod et factum est. Mox enim ut egressus est juvenis, tenuit illum senior per manus, et seorsum illum ducens, dixit ei : An nescis, domine frater, quia habitum angelicum fers? ignoras, quia juvenis es? Non nosti quia multi sunt inimici nostri laquei? Nescis quia et per oculos, et per aures, et per figuras varias et habitus, monachi in civitatibus læduntur? Tu autem in cauponas intrepide ingrederis, et quæ non vis audis, et quæ sunt noxia vides, inhonestisque et viris et mulieribus conjungeris. Noli itaque, fili mi, noli, obsecro, sic agere, sed fuge in eremum, ubi cum Dei adjutorio salvari potes. Respondit ei junior : Perge senior, Deus non quærit nisi cor mundum. Tunc expandens in cœlum ambas manus suas senex ait : Gloria tibi, Deus ; ecce enim ego habeo in Scythi annos quinquaginta quinque, et mundum cor non habeo; hic autem in tabernis conversans cordis munditiam possidet. Et ad fratrem conversus dixit : Deus et te servet, et me non confundat a spe mea.

CAPUT CXCV.

Vita Evagrii philosophi a Synesio Cyrenes episcopo ad Christi fidem conversi.

Cum Alexandriæ essemus, Leontius Apamiensis, vir religiosus ac fidelissimus, venit ex Pentapoli ; multis enim jam annis Cyrene moratus fuerat. Venit autem diebus Eulogii sancti Alexandrini patriarchæ, ejusdem Cyrenensis urbis futurus episcopus. Cumque in familiari colloquio essemus, narravit nobis, dicens : Fuit temporibus Theophili beatissimi patriarchæ Alexandrini Cyrene episcopus Synesius philosophus. A Qui cum venisset Cyrenem, reperit illic philosophum quemdam, Evagrium nomine, qui sodalis suus in studiis liberalibus fuerat, amicum sibi charissimum, sed religione gentilem, et culturæ idolorum 925 maxime deditum, eum episcopus Synesius ab idololatria transferre ad culturam Christi satagebat, curamque ingentem ejus rei sibi assumpserat pro charitate quam erga ipsum a principio habuerat. Ille vero minime id patiebatur, neque illius doctrinam admittere volebat : episcopus tamen præ nimio ad illum amore ne sic quidem tædio victus desistebat diebus illum singulis hortari, et instruere, ac inducere ut Christo crederet, ipsiusque sacramenta susciperet. Cumque illi quotidie ista monita dare persisteret, dixit ad eum semel philosophus : Vere, mi domine episcope, cum B cæteris quæ mihi displicent in Christianis hoc est, quod consummationem sæculi istius futuram dicunt, et post consummationem omnes qui ab initio sæculi fuerunt homines, in isto corpore resurrecturos, carnemque hanc incorruptibilem recepturos, et immortalem, atque ita in perpetuum victuros, sicque eorum quæ in corpore gesserunt præmia percepturos : eum etiam qui miseretur pauperi, fenerari Deo, et qui dispergit in pauperes et inopes, in cœlo sibi thesauros reponere, et centuplicata quæ erogaverit in regeneratione cum æterna vita a Christo esse reddenda. Quæ omnia cum dicuntur, deceptio, et irrisio, et fabula mihi videntur : episcopus autem Synesius asseverabat omnia Christianorum vera esse, nihilque omnino habere falsum vel veritati contrarium, idque multis documentis asserebat, et persuadere illi nitebatur. C

Post multum vero temporis, cum illum induxisset Christianum fieri, baptizavit ipsum et filios ejus, cunctosque domesticos illius. Cæterum non multo postea quam baptizatus fuerat, dedit episcopo auri tria centenaria in usum pauperum, dicens : Accipe aurum istud, et distribue illud pauperibus, et fac mihi cautionem manu tua, quod Christus mihi ipsum reddet in futuro sæculo. Qui suscepto auro, prompte illi, ut petebat, cautionem fecit.

Vixit itaque post baptismum annos aliquot philosophus, ac tandem infirmatus est ad mortem. Cum vero morti proximus esset, dixit filiis suis : Quando curabitis funus meum, chartam istam in meis manibus ponite, et me cum illa sepelite. Mortuo autem illo, fecerunt D filii sicut eis ipse præceperat, sepelieruntque eum cum chirographo. Tertia vero post sepulturam die apparuit episcopo Synesio nocte quiescenti, dicens : Veni ad sepulcrum, ubi jaceo, et accipe chirographum tuum; accepi enim debitum, satisfactumque mihi est, atque ut certior ejus rei fias, propria mea subscripsi manu. Ignorabat autem episcopus quod chirographum illud consepelissent ei.

Mane autem facto, accersitis filiis ejus dixit : Num aliquid cum patre vestro in monumento posuistis? Illi putantes quod eos de pecuniis interrogaret, dixerunt ei : Nihil, domine, præter pannos consuetos. Quid igitur? Nunquid vel chartam aliquam consepelistis ei? Tunc recordati illi (ignorabant enim quod de

chirographo diceret) dixerunt ei : Ita sane, domine ; A chartam enim quamdam moriens dedit nobis, et ait : Quando sepelietis me, chartam istam mihi in manibus date, nullo penitus sciente. Tunc dixit illis episcopus somnium quod nocte illa viderat, sumensque illos cum clericis ac primariis civitatis accessit ad philosophi tumulum. Quo aperto, invenerunt jacentem philosophum, chirographumque manu episcopi conscriptum suis manibus tenentem. Accipientes autem chirographum ex illius manibus, aperuerunt, inveneruntque in eo noviter manu philosophi subscriptum ita : « Ego Evagrius philosophus tibi, sanctissimo domino Synesio episcopo salutem. Accepi debitum in his litteris manu tua conscriptum, satisfactumque mihi est, et nullum contra te habeo jus propter aurum quod dedi tibi, et per te Christo Deo et Salvatori nostro. » Qui vero convenerant, hoc videntes obstupuerunt, et per multas horas clamaverunt, Kyrie eleison, glorificantes Deum qui facit mirabilia, talemque ac tantam promissionum suarum evidentiam dat servis suis.

Asserebat autem et hoc idem dominus Leontius, cautionem illam manu philosophi subscriptam servari usque hodie, atque in sacrario sanctæ Cyrenensis ecclesiæ custodiri ; et quicunque sacrarii custos ingrederetur, hanc illi cum cæteris vasis sacris assignari custodiendam cum omni diligentia, atque eum deinceps successori suo integram illam inviolatamque reconsignare.

CAPUT CXCVI.

Miraculum, quod pueris Apamiensibus contigit, qui joco verba sanctæ consecrationis protulerunt.

Narravit nobis Gregorius Africanæ provinciæ præfectus, fidelis vir, et monachorum ac pauperum amator, bonisque omnibus semper congaudens :

In provincia, inquit, mea (erat autem Apamiensis secundæ Syrorum provinciæ, ex oppido quod dicitur Thorax) ager est ab urbe quasi quadraginta milliaribus distans, qui Gonagus dicitur ; in hoc, sive in ejus finibus pueri pascebant pecora, et ut solet pueris contingere, puerili consuetudine **926** voluerunt ludere. Cumque luderent, dixerunt ad invicem : Venite celebremus missam, et offeramus sacrificium, et communicemus, sicuti semper in sancta ecclesia presbyter facit. Quod cum placuisset omnibus, constituunt ex eis unum in ordine presbyteri, duosque alios pueros in ministrorum officio, veniuntque ad saxum quoddam (erant enim in planitie) ac supra saxum in morem altaris apponunt panem, et vas testeum cum vino : assistuntque, unus quidem coram altari, qui fungebatur officio presbyteri, medius, duo vero alii hinc atque hinc veluti ministri. Et ille quidem sanctæ oblationis verba dicebat, illi vero fasciolis quæ ferebantur, pro flabellis utentes, auram faciebant. Qui vero presbyteri fungebatur officio, ideo sanctæ oblationis verba sciebat, quia consuetudo fuit in ecclesia, ut pueri in missis ante sacrarium assisterent, primique post clericos communicarent sanctis Christi Dei nostri venerandisque mysteriis. Quoniam vero quibusdam in locis alta voce consueverunt presbyteri sancti sacrificii orationes pronuntiare, pueri ut propius astantes sæpius eas audiendo didicerant.

Cum igitur omnia secundum ecclesiasticam consuetudinem fecissent, priusquam panes frangerent ac communicarent, ignis cœlitus delapsus, quæ proposita erant consumpsit omnia, saxumque totum combussit, ita ut nihil omnino neque saxi, neque eorum quæ fuerant superposita relinqueretur. Hoc repente factum cum pueri vidissent, in terram omnes præ timore corruerunt, ac diutius semivivi permanserunt, neque erumpere vocem, neque de terra surgere valentes. Cum vero non redirent domum hora qua consueverant reverti, sed pavidi in pavimento jacerent, B exierunt e villa parentes eorum, ut viderent cujus rei gratia consueto legitimo tempore non revertissent. Egressi autem pueros omnes humi jacentes invenerunt, neque agnoscentes aliquos, neque loqui se alloquentibus valentes. Parentes itaque semivivos eos aspicientes, unusquisque filium suum assumentes, domum retulerunt, videntesque pueros in hujusmodi excessu diutius durantes, mirabantur nimium, causam stuporis eorum omnino ignorantes, nec discernere valentes, sæpiusque illos per totum diem interrogantes, responsum nullum accipere ab eis potuerunt, et quæ illis acciderant scire omnino nequiverunt, donec dies illa et nox tota præteriit. Tunc enim et pueri paulatim in se ipsos reversi, cuncta ipsis retulerunt quæ gesta fuerant, et quæ illis contigerant. C Assumentes vero parentes suos et omnes loci ipsius habitatores, egressi sunt, et locum eis ostenderunt, in quo mirabiliter ista contigerant, vestigia quædam elapsi ignis indicantes.

Audientes vero quæ facta fuerant, et ipsis indiciis rerum admoniti, in civitatem cucurrerunt, cunctaque episcopo civitatis nuntiaverunt : qui perculsus magnitudine et novitate miraculi, cum omni clero festinus accurrit, vidensque pueros, et rursus ab eis quæ evenerant audiens, et cœlestis ignis vestigia intuens, pueros quidem omnes continuo in monasterium immisit, locum vero monasterium fecit latissimum, supra locum autem ignis ecclesiam construxit, et sanctum erexit altare.

Dicebat autem ipse domnus Gregorius fidelissimus D vir, unum se istorum puerorum aspexisse, ejusque monasterii ubi miraculum acciderat, monachum ipsum cognovisse. Et istud quidem magnum revera ac divinum stupendumque miraculum Gregorius venerabilis nobis ætate nostra contigisse enarravit

CAPUT CXCVII.

Relatio Ruffini de sancto Athanasio et aliis pueris sodalibus.

Ruffinus autem qui ecclesiasticam conscripsit historiam, simile quiddam priori ætate gestum a pueris ludentibus narrat. Ait enim, cum puerilia conscriberet Athanasii sanctissimi, magni propugnatoris ac præconis veritatis magnæque Alexandrinæ civitatis episcopi, et orbis totius doctoris inclyti, quomodo

scilicet ipsius promotio ad episcopatum ex præscientia divina initium sumpsisset.

Consequens autem mihi videtur esse, pauca de viri antiquitate repetere, et qualis a puero fuerit vitæ, qualisve instituti, meminisse, quemadmodum ab his qui cum illo familiarissime vixerunt, accepimus (*Ruff.*, l. I *Hist. c.* 14). Eo igitur tempore quo Alexander sanctissimus Alexandrinæ Ecclesiæ post Achillam præerat, juxta prædictionem sancti Petri archiepiscopi et martyris, qui impium Arium damnavit; cum die quadam ex eminentiore loco mare intueretur, aspexit pueros in littore ludentes, ut consuetudo pueris est, episcopumque imitantes, ac ecclesiasticos ritus omnes. Cum ergo pueros illos diutius intueretur, majora quædam et sacratiora illos aggredi mysteria videt. Turbatus itaque continuo, clericos advocans eis ostendit, quæ ipse conspexerat, præcepitque ut irent et pueros omnes apprehenderent, **927** atque ad se adducerent. Venientes igitur pueros interrogat quis eis ludus fuerit, quidve, et quomodo gesserint. Illi vero, utpote pueri, perterriti, ab initio quidem negare cœperunt, postea vero totam seriem exposuerunt, confessique sunt se quosdam baptizasse catechumenos per Athanasium, quem sibi pueri episcopum fecerant. Tunc igitur diligenter inquirens ab iis, et quinam baptizati fuissent, et quid, et quomodo interrogati, quidve respondissent; cum ab eo qui interrogaverat, cuncta didicisset, comperto quod omnia juxta ritum religionis nostræ peregissent, rem in commune cum clericis agitans, definivit ut dicitur, eos qui baptismo consecrati fuerant, cum omnia circa se solemniter peracta fuissent per interrogationes et responsiones, secundo quidem non oportere baptizari, sed impleri ea quæ solent a sacerdotibus fieri. Porro Athanasium, et cæteros, quos ille ut sacerdotes et diaconos habuerat in ministerio, convocatis eorum parentibus, sub Deo teste ecclesiæ tradidit, ut illic nutrirentur.

Modico itaque transacto tempore, cum et a notario perfecte, et a grammatico sufficienter (45) Athanasius jam instructus esset, continuo quasi fidele depositum Dei, sacerdoti a parentibus traditur, et veluti Samuel quidem in templo nutritur. Quoties vero Alexander in senectute ad episcopos proficisceretur, iste sequebatur eum, ferens sacerdotii amictum, qui Hebraice appellabatur Ephod.

Tanta vero et tam præclara contra hæreticos Athanasii in sancta Ecclesia fuere certamina, ut illud de eo scriptum esse videatur, quod dictum est: Ego ostendam ei, quanta pro nomine meo illum oporteat pati. Nam in ejus persecutionem totus conspiravit orbis, commoti sunt reges terræ et gentes, et regna exercitusque contra illum convenerunt. Porro ipse divinum illud eloquium opere implebat, quo dicitur: Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo (*Psal.* XXVI). Vere enim tanta illius ac talia feruntur opera, ut magnitudo quidem rerum nihil me præterire persuadeat, multitudo vero gestorum plurima tacere compellat. Fluctuat itaque ambigua mens, neque plane dignoscere valet quid conscribere, quid omittere debeat. Atque ideo paucorum meminimus, quæ ad rem pertinent; reliqua vero fama enarrabit, quæ profecto minora quam se habeat veritas enuntiabit, veritati quippe nihil addere poterit.

CAPUT CXCVIII.

Responsio sancti Athanasii episcopi Alexandrini, num quis sine fide baptizari possit.

Interrogatus est aliquando prædictus sanctus Athanasius postquam Alexandriæ episcopus constitutus fuit, an posset quispiam sine fide baptizari secundum ritum et prædicationem Christianorum; aut si credere se simulans, aliquibus aliis occasionibus baptizatus fuisset, quid de illo sentiendum, aut quomodo suscipiat illum Deus. Et respondit, dicens: Audivi aliquando a senioribus nostris quod beato Petro episcopo et martyri, cum facta esset mortalitas, et plerique ad baptisma mortis timore confugerent, apparuerit Angelus humana specie, dicens: Quandiu huc mittitis marsupia ista, signata quidem, inania autem prorsus et vacua, et nihil intus habentia? Erunt itaque, quantum ex angeli voce conjicere licet, signum habentes baptismi, quoniam et beneficium aliquod existimarunt se consequi, si baptisma susciperent, atque idcirco baptizati (46) sunt.

CAPUT CXCIX.

Relatio de sene quodam simplice, qui cum sacramentum offerret, angelos videbat.

Narravit quidam Patrum, quod senex quidam mundus et sanctus existens, cum offerret sacramentum, videbat angelos sibi dextra lævaque assistentes. Porro hic ab hæreticis consecrationis ritum perceperat, et veluti simplex et rudis divinorum dogmatum, quando offerebat, in simplicitate et innocentia dicebat quæ non decebant secundum rectam fidem, ignorans quod falleretur.

Per divinam igitur dispensationem perrexit ad eum diaconus quidam peritissimus divinorum dogmatum. Contigit autem sanctum senem, præsente illo, sacrificium offerre. Dixit autem ei diaconus: Verba, quæ in offerendo dixisti, rectæ fidei non sunt, sed hæreticorum et pravæ opinionis hominum. Senex autem confidens, quoniam videbat angelos dum offerebat, non intendit his quæ dicebantur a diacono, sed contempsit. Diaconus autem persistebat, dicens: Falleris, abba; non enim admittit fides catholica ista quæ dicis, neque mater Ecclesia. Cum autem videret diaconi constantiam in se arguendo senex, atque in oblatione salutari sanctos angelos, ut consueverat, intueretur, ait eis: Diaconus iste mihi hæc et ista dicit: quomodo se **928** habet veritas? Dicunt ei angeli: Ausculta ei, nam vera loquitur, et recte ista prosequitur. Dixit autem eis senex: Quare vos non dixistis mihi? Dixerunt autem illi angeli: Deus ita disposuit, ut homines ab hominibus corrigantur. Et ab eo tempore correctus est, gratias agens Deo et fratri.

CAPUT CC.

Quomodo juvenis aurifex a viro patricio sit in filium adoptatus.

Narravit nobis quidam sanctorum Patrum, quod juvenis quidam ingeniosus se ad aurificem pro discenda arte contulerit, quam dum solerter addisceret, unus ex patriciis injunxit eis, ut crucem auream lapidibus pretiosis ornatam facerent, quo illam ecclesiæ offerret. Et quoniam valde ingeniosus erat adolescens, injunxit illi magister ejus id opus. Cœpit ergo adolescens cogitare intra se, ac dicere : Si iste tantas offert pecunias Christo, cur non et ego mercedem meam in istam crucem conferam, ut eam mihi, tanquam duo minuta viduæ, computet Christus? Cogitans igitur quantum mercedis esset accepturus, mutuatur id, et in crucem mittit. Veniens itaque patricius ponderat crucem, priusquam in illa lapides includerentur, invenitque plus habere ponderis quam constituerat. Cœpit itaque minitans urgere adolescentem, quasi fraudem fecisset, aurumque adulterasset. Tunc ait illi adolescens : Novit ille qui solus cordium scrutatur arcana, quia nihil tale feci. Sed cum viderem te tantum pecuniarum Christo Domino obtulisse, cogitavi immittere mercedem meam, ut et ego partem habeam tecum, utque me suscipiat Christus, quemadmodum duo minuta viduæ illius accepit. Stupefactus ille dixit juveni : Itane, fili, cogitasti? Ait ille : Ita sane. Patricius vero dixit illi : Quoniam ita cogitasti, totamque voluntatem tuam obtulisti Christo, volens habere partem mecum, ecce ex hodierna die suscipio te mihi in filium, hæredemque constituo. Et assumpsit eum secum, atque hæredem suum fecit.

CAPUT CCI.

Vita viri Constantinopolitani nobilissimi, cui pater moriens Dominum Jesum Christum reliquit curatorem.

Narravit quidam Patrum, dicens : Ascendi aliquando Constantinopolim cujusdam necessitatis gratia ; cumque in ecclesia sederem, ingressus est quidam sæcularis, maxime illustris atque fidelissimus. Is cum aspexisset me, accedens salutavit cum omni charitatis officio. Et post salutationem sedit juxta me, et cœpit interrogare de his quæ pertinent ad animæ salutem. Cumque ego illi dicerem quod his qui rite terrena disponunt, cœlestia quoque donantur : Bene, inquit, pater, dixisti. Nam vere beatus est, qui spem suam in Deum ponit, et se ipsum totum committit Deo. Et dicebat : Ego filius fui cujusdam sæcularis gloria clarissimi. Erat autem ipse pater meus eleemosynis maxime deditus, et plurima pauperibus distribuebat. Die ergo quadam vocavit me, et ostendit mihi omnes pecunias, dicens : Fili, quid tibi gratius est, ut dimittam tibi pecunias istas, an Christum curatorem tuum? Ego, cum placerent mihi quæ faciebat, respondi me Christum malle. Ista enim omnia prætereunt, et hodie sunt, et cras non erunt? Christus autem manet in æternum. Quod ille cum audisset, omnia jam libere et larga manu pauperibus erogabat, ita ut moriens pauca admodum mihi relinqueret. Ego autem jam pauper effectus, humilis procedebam, spem meam habens in Christum, cui me ille reliquerat.

A Erat autem alius quidam dives valde, et primarius, habens uxorem fidelem Christo, et timentem Dominum, habebat autem et filiam unicam. Dixit ergo illa viro suo : Hanc solam habemus filiam, tantaque bona nobis largitus est Deus; cujus ergo rei indiget? Si quæsierimus dare illam alicui primario, et diviti, qui non sit bonis moribus, affliget eam semper. Quæramus illi virum humilem, et timentem Dominum qui secundum Deum illam diligat et foveat. Qui dixit illi : Recte dixisti. Perge ergo in ecclesiam, et ora intentissime, atque illic reside, et qui primus ingressus fuerit, hic illi a Domino missus est sponsus. Fecit igitur ut jusserat vir ejus ; cumque orasset, et sederet, ingressus sum ego primus. Mittens ergo illa servum suum, continuo accersivit me, cœpitque interB rogare, dicens : Unde es? Ego autem dixi illi : Ex hac civitate sum talis filius. Dixit autem mihi : Illius eleemosynarii? Et dixi : Ita illius sum filius. Tunc ait mihi : Habes uxorem? Et dixi : Non. Narravique illi quæ mihi dixerat pater meus, et quæ ego responderam ipsi. Illa vero glorificans Dominum, ait : Ecce bonus curator tuus misit tibi uxorem, et pecunias, ut utaris utrisque cum timore Dei. Deditque mihi filiam suam et pecunias. Ego autem oro ut patris mei viam usque in finem teneam

CAPUT CCII.

Vita Abibæ sæcularis hominis filii, servi Dei.

929 Narravit aliquis Patrum, quod sæcularis quidam habuerit filium pium, religiosum, virginem, C et ab ipsis annis puerilibus continentiæ rerum omnium assuetum, adeo ut vinum jam non biberet. Habebat autem in votis sedere in solitudine : pater vero ejus volebat illum sæculi obligare negotiis, neque poterat ; nam hoc ille minime patiebatur. Erant et illi alii fratres, ipse autem major natu omnibus. Cum autem illius institutio a patris voluntate esset remotissima, objurgabat illum assidue pater, exprobrans illi ipsam continentiam, et dicens : Cur similis non es fratribus tuis, nec te ipsum negotiis exponis? Ille vero sustinebat tacens. Omnes vero diligebant eum pro illius religione et modestia.

Cum vero pater ejus moriturus esset, quidam ex genere ipsius, et alii Abibæ (hoc enim erat filio nomen) amantissimi, putantes quod illum odisset pater D ejus propter assiduas illius objurgationes, convenerunt, dicentes : Ne forte privet hæreditate servum Dei pater, pro illo deprecemur. Erat enim dives valde. Pergunt itaque ad eum, et dicunt : Convenimus aliquid abs te precaturi. Quibus ille ait : Quid vultis a me petere? Pro domno Abiba oramus, ne illum negligas. Tum pater : Pro illo rogatis me? Dicunt ei : Utique. Qui ait : Vocate illum huc. Putaverunt autem quod juxta consuetudinem objurgare eum vellet. Cumque ingressus fuisset, ait illi pater : Appropinqua mihi. Et cum appropinquasset ei, tenuit pedes ejus plorans, et dicens : Ignosce mihi, fili mi, et ora Deum, ne mihi imputet quoniam afflixi te. Tu enim quærebas Christum, et ego sæculariter movebar. Vocat autem et alios filios, et ait illis : Hic dominus ve-

ster et pater est; quidquid dixerit, facite, et quod vos habere voluerit, in ipsius potestate erit. Admiratique sunt omnes. Statim vero ut mortuus est pater ipsorum, distribuit fratribus partes. Ipse vero sumens partem suam, dedit eam pauperibus, nihil sibi omnino reservans. Fecit autem sibi parvam cellulam, ut solitarius degeret; moxque cum consummasset cellam, infirmatus est, atque ad finem pervenit.

Aderat autem illi frater ejus, cui dixit : Vade, frater, fac domui tuæ consolationem. Aderat quippe celebritas sanctorum apostolorum. Dixit ei frater ejus : Quomodo dimittam te, et abibo? Ait illi : Vade, et cum venerit hora mea, ego te vocabo. Cum ergo venisset hora, surrexit ad fenestram, et pulsavit. Intendit autem in eum frater ejus. Et ille ipsi annuit, dicens : Veni. Statim vero ut venit frater ejus, tradidit spiritum Domino. Omnesque mirati sunt, et glorificaverunt Deum, dicentes : Eximia charitate, qua dilexit Christum, dignum invenit finem.

CAPUT CCIII.

Relatio de quodam Lapidario, qui prudenti consilio vitam in mari servavit.

Narravit quidam Patrum, quod aliquando lapidadarius quidam, habens lapides pretiosissimos, et gemmas, et margaritas, navem conscendit cum filiis suis, peregre ire cupiens et negotiari. Contigit autem illum ex dispositione Dei puerum quemdam qui erat in navi diligere, qui illi quoque in navi ministrabat, et ipse etiam ab eo reficiebatur, comedens ex his quæ ille comedebat. Die vero quadam audivit nautas puer submurmurantes inter se, et statuentes illum in mare projicere pretiosorum lapidum causa. Venit autem puer ille mœrens ad virum prædictum, ut ex consuetudine sua ipsi ministraret. Qui ait illi : Cur hodie ita mœstus es, fili? Ille vero dissimulabat dolorem, et tacebat. Rursum interrogavit eum, dicens : Dic mihi veraciter quid habes? Tunc ille erumpens in fletum ait illi : Sic et sic consilium fecerunt nautæ de te. Dixit autem ei : Nosti hoc diligenter? Ait : Utique, sic de te apud se ipsos statuerunt. Tunc advocans filios suos dixit eis : Quodcunque dixero vobis, impigre et absque ulla disceptatione perficite. Tunc explicans sindonem cœpit eis dicere : Afferte capsulas. Quas cum tulissent, aperiens eas cœpit educere lapides. Et cum omnia explicuisset, et in omnium conspectum posuisset, sic dicere cœpit : Hæc vita est? propter ista periclitor? et cum mari pugno? et post modicum morior? nihilque mecum ex isto sæculo fero? Dixit autem filiis suis : Projicite in mare ista omnia. Mox itaque ut locutus est, tulerunt ea, et in mare projecerunt. Porro nautæ obstupuerunt, consilium suum dissipatum esse cognoscentes.

CAPUT CCIV.

Quomodo mulier religiosa et timens Deum, monachum a turpi desiderio compescuerit.

Dicebat aliquis Patrum : Frater quidam a serpente morsus est, ingressusque est civitatem ut curaretur. Suscepit autem illum religiosa quædam mulier, **930** et timens Dominum, et curabat eum. Cum vero modicum cœpisset a doloribus deseri, cœpit illi diabolus immittere turpes cogitationes in eam, volebatque tangere ipsius manum. Quæ dixit ei : Non ita, Pater; Christum time, recole tristitiam et pœnitentiæ dolorem, quem in cella tua passurus es, memento gemituum et lacrymarum quas effusurus es. Hæc ille et alia similia cum ab ea audisset, fugit ab ipso pugna diaboli, jamque erubescens inde fugere volebat, non valens præ pudore in ipsius faciem intendere. Illa rursus eum in visceribus Christi miserans, dicebat ipsi: Noli discedere, Pater, opus adhuc habes fomentis. Non erat puræ animæ tuæ illa cogitatio, sed perditi corruptorisque diaboli suggestio. Atque ita sine scandalo curatum illum a se cum viatico dimisit.

CAPUT CCV.

De alia muliere prudente, quæ se impetentem monachum sapienti consilio rejecit.

Narravit nobis quidam quod aliquis manens in cœnobio missus est pro responsis cœnobii. Erat autem quidam religiosus sæcularis in vico morans, apud quem ille divertebat, quoties veniret in vicum. Habebat vero ille filiam nuper viduam relictam, quæ vixerat cum viro suo unum aut duos annos. Cum ergo frater ille ingrederetur et egrederetur ad eos, impugnari de illa cœpit. Quæ, ut erat prudens, id cognovit, et observabat se ut non veniret in conspectum ejus. Quadam vero die intravit pater ejus proximam civitatem cujusdam necessitatis causa, dimittens eam in domo solam.

Veniens autem frater ille secundum consuetudinem, solam eam reperit, et dixit ei : Ubi est pater tuus? Cui illa : Ingressus est civitatem. Cœpit ergo turbari ab impugnatione, volens insurgere in eam. Quæ cum omni prudentia dixit ad illum : Noli turbari; pater meus usque sero non revertetur : hic ambo sumus; scio autem quod vos monachi sine oratione nihil facitis, surge itaque et ora Deum, et quidquid miserit in cor, hoc faciamus. Ille vero non acquiescebat, sed perturbabatur magis. Quod illa ubi animadvertit, ait illi : Nunquid cognovisti unquam mulierem? Dicit ei : Non, sed scire volo quidnam sit. Quæ ait illi : Idcirco turbaris, quia ignoras fetorem infelicium mulierum. Et volens illi passionem imminuere, dixit : Nunc ego sum in menstruis, et nemo mihi appropinquare potest, neque odorari præ fetore. His ille aliisque plurimis ab ea auditis, compunctus et in seipsum rediens, lacrymatus est.

Postquam vero vidit illum puella ad seipsum redisse, dixit ei : Ecce si te audissem, et obtemperassem tibi, jamque peccatum perpetravissemus, qua deinceps facie, quibus oculis aspicere potuisses patrem meum, vel reverti ad monasterium tuum, et audire psallentium sanctorum chorum? Deprecor itaque ut sobrius ac vigilans sis, nec velis jam propter brevem voluptatem perdere tot labores quot pertulisti, æternisque privari bonis. Audiens autem hæc ipsius verba frater ille qui passus fuerat tentationem, quique ista retulit, gratias agens Deo, qui illum per

mulieris prudentiam et pudicitiam ne funditus periret eripuerat, reversus est ad monasterium, et peccati sui pœnitentiam egit.

CAPUT CCVI.

Qua arte mulier (47) *quædam illustris mansuetudinem edocta sit.*

Narravit quidam ex Patribus, quod mulier illustris et ex senatorio genere, venerit adorare sancta loca. Cumque descendisset Cæsaream, placuit sibi illic requiescere, rogavitque episcopum, dicens : Da mihi unam virginem, ut informet me et doceat timorem Dei. Eligens autem episcopus virginem humilem, tradidit ei. Post aliquantulum vero temporis occurrens illi episcopus, ait : Quomodo se gerit virgo quam assignavi tibi? Quæ ait : Bona quidem est, sed non valde prodest animæ meæ : permittit enim me voluntates meas facere, cum sit humilis. Sumens autem episcopus unam duriorem dedit ei, quæ illam objurgabat, appellans eam fatuam divitem, et his similia illi exprobrans. Post tempus aliquod rursum illam rogavit episcopus : Quomodo se habet altera virgo? Quæ dixit : Revera ipsa prodest animæ meæ. Atque ita magnam acquisivit mansuetudinem.

CAPUT CCVII.

Vita puellæ Alexandrinæ, quæ a sanctis angelis de sacro fonte fuit levata.

Narravit nobis abbas Theonas et Theodorus, quod Alexandriæ sub Paulo patriarcha puella quædam relicta fuerat pupilla a parentibus magna facultate locupletibus : erat autem adhuc sine baptismo. Die vero quadam ingressa pomarium quod sibi reliquerant parentes ejus (sunt enim in medio civitatis pomaria), vidit quemdam parantem sibi laqueum ut se præfocaret. Cucurrit igitur, et dixit ei : Quid facis, homo? Dixit autem ei : Dimitte me, mulier, quoniam in multa tribulatione sum. Quæ ait illi : Dic mihi causam, et fortassis **931** juvare te potero. Dixit illi : Gravi ære alieno premor, et valde suffocor a creditoribus, elegique potius vitam semel finire, quam ita misere vivere. Quæ dixit illi : Quæso te, accipe omnia quæ habeo, et redde, tantum ne perdas teipsum. Sumens vero ille reddidit omnia.

Puella ergo angustari cœpit, non habens qui sibi curam gereret. Itaque destituta parentum solatio, fornicari instituit, et inde sibi victum quærere.

Dicebant ergo viri qui noverant illam, quo in statu erant parentes ejus : Quis novit ista, nisi solus Deus? quomodo scilicet permittatur anima labi propter causam aliquam ipsi soli cognitam, et ad tempus derelinqui

Post aliquantulum temporis infirmata est puella, et in se reversa compuncta est, oravitque vicinos, dicens : Propter Dominum facite misericordiam cum anima mea, et loquimini papæ, ut me faciat Christianam. Omnes autem aspernabantur eam, dicentes : Quis hanc suscipiat, quæ meretrix est? affligebatur autem vehementer. Cum vero in his esset angustiis, astitit illi angelus in specie hominis, cum quo misericordiam fecerat. Cui illa dixit : Cupio fieri Christiana, et nemo vult pro me loqui. Qui ait : Nunquid revera istud cupis? Respondit illa : Utique domine, et deprecor te ut hoc mihi impetres. Qui ait : Noli tristari, ego adducam aliquos, qui te accipient. Adduxit ergo alios duos et ipsos sanctos angelos, duxeruntque illam in ecclesiam : rursumque seipsos transformantes in personas quasdam illustres, et notas ex ordine Augustalis, vocant clericos, presbyterum scilicet et diaconum, qui in hoc ipsum constituti erant. Dicunt eis clerici : Vestra charitas pro ea pollicetur? Illi autem responderunt : Etiam nos pro illa pollicemur. Sumentes ergo illam baptizaverunt, et albis nuper baptizatorum vestibus induta rursus ab eis subvecta est. Quam cum deposuissent, evanuerunt.

Vicini ergo cum illam ita albis indutam viderent, postquam recesserunt illi, dicunt ei : Quis te baptizavit? Nuntiavit autem eis rem totam, dicens ; Venerunt quidam et tulerunt me in ecclesiam, locutique sunt clericis, et baptizaverunt me. Et dixerunt ad eam : Qui sunt illi? Cum vero non posset dicere qui essent, illi abeuntes nuntiaverunt episcopo. Dixit autem episcopus his qui ad baptizandum constituti erant : Vos illam baptizastis? Et confessi sunt se illam baptizasse exoratos ab illo et illo Augustalibus. Porro accersitis ex prætorio his quos clerici dixerant, dixit episcopus : Num ipsi pro ista fide jussistis? Qui dixerunt : Neque novimus, neque conscii sumus nobis hoc fecisse. Tunc vero jam cognovit episcopus Dei hoc opus esse. Convocansque illam dixit ei : Dic mihi, filia, quid gessisti boni : Quæ ait : Meretrix existens et paupercula, quid boni operari potui? Dixit illi episcopus ; Nihil ne omnino operata es? dixit ei : Non, nisi quod videns quemdam qui a creditoribus premebatur, se suffocare volentem, data illi omni substantia mea liberavi eum. Et his dictis continuo obdormivit in Domino, liberata a delictis tam voluntariis quam involuntariis. Tunc episcopus glorificans Dominum, dixit : Justus es, Domine, et rectum judicium tuum (*Psal.* CXVIII).

CAPUT CCVIII.

Pulchra responsio senis, facta fratri qui a tristitia impugnabatur.

Frater, qui a tristitia impugnabatur, interrogavit senem, dicens : Quid faciam, quia cogitationes meæ insurgunt adversum me, dicentes : Inutiliter et importune renuntiasti, salvari non potes. Dixit ad eum senior : Scis, frater, quia etsi non possumus terram repromissionis ingredi, expedit nobis ut cadamus in deserto, quam ut revertamur in Ægyptum?

CAPUT CCIX.

Pulchra admonitio cujusdam sancti viri super verbis orationis Dominicæ : Et ne nos inducas in tentationem.

Dixit quidam sanctorum : Cum oramus ad Dominum, dicentes : Ne nos inducas in tentationem (*Matth.* VI) ; non ut non tentemur oramus (hoc enim possibile non est), sed ne a tentatione absorbeamur si aliquid agamus quod displiceat Christo; hoc enim

est non intrare in tentationem. Sancti enim martyres tentati per supplicia, nec superati, non intrarunt in tentationem, sicuti neque qui pugnat cum bestia, quousque non devoratur ab ea : cum vero devoratus fuerit, tunc introivit in tentationem. Ita et in omni passione fit ; neque enim intramus in tentationem, nisi a passione superemur.

CAPUT CCX.

Quomodo sanctus episcopus altercantem secum alterum humilitate superaverit.

Quidam ex Patribus narravit de duobus vicinis episcopis, quod aliquando inter eos simultas quædam exorta sit. Erat autem ex his alter quidem dives et astutus, alter vero humilis valde; quærebatque astutus ille alium lædere. Quod cum ipse comperisset, ait clero suo : Christi gratia vincere possumus. Dixeruntque illi : Quis, domine, adversus istum prævalere possit? Et ait illis : Exspectate paulisper, et videbitis **932** misericordiam Dei. Observavit igitur diem, qua ille martyrum festivitatem celebraret, assumensque clerum suum ait illis : Sequimini me, et quidquid me facere videritis, et vos facite, prorsusque victores erimus. Dicebant ergo : Quid putas facturus est? Venit igitur ad episcopum, et pertranseunte Litania, populoque totius civitatis congregato, procidit ad pedes ejus cum toto clero suo, dicens : Ignosce nobis, domine, servi tui sumus. Stupefactus ille, atque compunctus in tanta episcopi humilitate, Deo cor illius immutante, pedes illius tenuit, dicens : Tu meus et dominus et Pater es. Factaque est inter eos ex illa die magna charitas atque concordia. Dicebat autem clero suo humilis ille : Nunquid non per Christi gratiam vicimus? et vos ergo cum habetis inimicum, ita facite, et victores eritis.

Dixit iterum senex : Majorem habet gloriam humilis quam rex; ille enim solum in faciem laudatur; hic autem semper et ubique laudatur, et beatus prædicatur.

CAPUT CCXI.

De sene magnæ virtutis, qui fratrem sua illi suffuratum a carcere liberavit.

Narravit nobis abbas quidam, dicens : Erat prope cœnobium nostrum senex quidam lenissimi animi, maximæque virtutis. Habebat autem in vicino cellæ suæ fratrem, qui per instigationem die quadam dum abes et senex, ingressus est cellam ejus, librosque illius et vasa diripuit. Cum ergo rediisset senex, et aperto ostio, vidisset vasa omnemque supellectilem sublatam esse, perrexit ad fratrem, ut nuntiaret ei quid sibi contigisset, invenitque vasa adhuc in medio posita; nondum enim frater ea reposuerat. Nolens autem senior confundere vel arguere fratrem, simulata necessitate, continuo ad necessaria naturæ egressus est, ibique permansit per multam horam, donec frater ille vasa de medio tolleret, atque reponeret. Veniens autem postmodum senex, de alia re illum alloqui cœpit, neque ipsum omnino arguit.

Post paucos autem dies deprehensum est a quibus- A dam fratris furtum, missusque est in carcerem, sene nihil penitus sciente. Comperto autem quod in carcerem frater ille conjectus esset, ignorans causam senior, venit ad monasterium nostrum, ad quod accedere sæpe consueverat, dixitque mihi : Fac charitatem, et da mihi aliqua esculenta. Et aio ad illum : Num aliquem habes hospitem? Dixit autem mihi : Habeo sane. Accepit autem ea senior, ut iret ad fratrem in carcerem, et consolaretur ac reficeret eum. Ut autem ingressus est carcerem, procidit frater ille ad pedes ejus, dicens : Propter te hic detineor, abba ; ego enim sum qui tua omnia furatus fui : sed ecce liber tuus apud illum est, et pallium tuum, et cætera illo et illo in loco sunt. Dixit ei senior : Certus esto, fili, idque firmi- B ter tene, quia non idcirco ad te veni, neque enim sciebam penitus quod propter me hic esses; imo comperto quod hic detinereris inclusus, indolui, ingressusque sum consolandi tui causa : nam ecce quæ attuli pro refectione tua : faciam autem omnia, ut te de carcere liberem. Profectusque rogavit pro eo quosdam de principibus; quibus cum nota esset viri virtus, mittentes eduxerunt fratrem illum de custodia.

CAPUT CCXII.

De duobus senibus, qui mira patientia erga latrones usi sunt.

Dicebat quidam senum : Accessit ad nos senex magnæ virtutis; legentibusque nobis patrum Vitas C atque sententias (delectabatur enim senex ille ea potissimum lectione, ita ut esset illi semper in ore et in corde; unde et ex ea maximum virtutis fructum acquisivit), ad eum senem legendo ventum est, ad quem ingressi latrones dixerunt : Omnia, quæ habes in cella tua, tollere venimus (*Apud Pelag.*, *libell.* XVI, *n.* 13). Ipso vero dicente : Quæcunque videntur vobis, filii, tollite, tulerunt omnia, et abierunt. Et cum solum marsupium quod pendebat reliquissent, senex, illo accepto, post eos sequebatur clamans ac dicens : Accipite, filii, a me quod tollere obliti estis de cella nostra. Quamobrem admirantes illi senis tolerantiam, omnia suis locis in cellulam reversi restituerunt, dicentes ad invicem : Vere hic homo Dei est.

D Cum igitur hoc legeremus, ait ad me senex : Hoc exemplum mihi multum profuit, abba. Ad quem ego : Quomodo, Pater? Et ait mihi : Cum aliquando morarer prope loca Jordanis, legi hoc, et mirabar hunc senem, et dicebam : Domine Deus, qui me ad hunc habitum vocare dignatus es, fac me dignum hujus vestigia sequi. Et cum ardentem summo affectu imitandi eum, post biduum supervenerunt latrones, et pulsantibus illis januam, agnovi quia latrones essent, dixique in meipso : Deo gratias; tempus est ut ostendam fructum desiderii mei. Aperiens autem januam, hilariter suscepi eos, et accendi lucernam, et cœpi eis omnia ostendere, dicens ad eos : Nolite turbari; confido in Domino, quia nihil celabo

vos. Aiunt autem mihi : Habes aurum? 933 Et dixi eis : Etiam, habeo tria numismata, posuique illa coram eis; qui accipientes ea abierunt in pace. His ego auditis, jocans dixi seni : Nunquid isti ad te reversi sunt, quemadmodum illi ad senem? qui statim dixit mihi : Non; avertat hoc Deus; neque enim voluissem ego ut reverterentur.

CAPUT CCXIII.

Cur signa et prodigia divinitus in sancta Ecclesia fiant.

Dicebat senex quidam : Signa et prodigia divinitus usque hodie in Ecclesia fiunt propter eas quæ pullularunt, et quotidie pullulant, impias hæreses, et maxime propter acephali Severi, et cæterorum perniciosa schismata, ad munimen ac firmitatem infirmarum animarum, atque ad illorum ipsorum, si ita voluerint, conversionem. Propterea igitur et a sanctis Patribus, et a beatissimis martyribus ab initio fidei usque hodie fiunt mirabilia in sancta catholica et apostolica Ecclesia.

CAPUT CCXIV.

Miraculum fontis baptismalis in Cœanensium civitate.

Soruba vicus quidam est ad radices montis, in quo sita est Cœanensium civitas. In eo baptisterium est, quod in sanctis Epiphaniis sudat, qui sudor per tres horas continuis incrementis augetur, et post baptisma peractum decrescere incipit, et tribus aliis horis sensim deficit.

CAPUT CCXV.

Aliud miraculum baptisterii castelli Cedebratis.

Est et in castello Cedebratis, quod sub monte Ænoandron civitatis situm est, baptisterium, quod in paschali sanctæ resurrectionis festivitate, cum sit lapis unus, ex se ipso continuo impletur. Duratque aqua illa usque ad Pentecosten, moxque transacta Pentecoste evanescit. Utraque vero ista miracula in provincia Lyciæ fiunt. Si quis autem hæc ita esse non credit, usque ad Lyciam, non grande iter est, pergat, ut rei veritas fidem illi faciat.

CAPUT CCVI.

Prudens consilium de non temere definiendo, deque non servando quæ temere definita fuerint.

Cum essem semel in sancta civitate, venit ad me vir quidam fidelis, et dixit mihi : Quia quædam indignatio oborta est inter me et fratrem meum, et ille non vult reconciliari mihi; alloquere illum, et ad reconciliationem exhortare. Quod ego libentissime suscipiens, conveni fratrem illius, locutusque cum illo sum ea quæ ad charitatem et concordiam pertinere videbantur. Visusque est interim obtemperare mihi, postmodum vero dixit ad me : Reconciliari nequeo, quia juravi per crucem, ultra illi non reconciliari. Quo audito, subridens aio ad illum : Juramentum tuum talem habet vim, ac si dixisses : Per pretiosam crucem tuam, Christe, non observabo mandata tua, sed inimici tui diaboli voluntatem faciam. Non solum enim non debemus ea servare, quæ a nobis pessime definita fuerint, sed etiam maxime pœnitentiam agere et affligi in his quæ contra nostram salutem male definivimus. Nam si Herodes pœnitentiam egisset, neque jusjurandum quod stulte emiserat, servasset, nunquam profecto maximum illud scelus admisisset, ut præcursorem Christi decollaret. Quod quidem ipsius Basilii sententia confirmatur, quam de Evangelio sumpsit, quando voluit Dominus lavare pedes beati apostoli Petri, cum ille primo pertinaciter obsistens, postea sententiam mutavit.

CAPUT CCXVII.

Optimum senis consilium, ne monachus mulieri appropinquet.

Dixit senior quidam : Filioli, sal ex aqua est, et si appropinquaverit aquæ, continuo solvitur, et deficit : et monachus similiter ex muliere est; itaque si appropinquat mulieri, solvitur et ipse, atque in id desinit, ut jam monachus non sit.

CAPUT CCXVIII.

Quomodo abbas Sergius injuriantem agricolam patientia confuderit.

Narravit nobis abbas Sergius, antistes monasterii abbatis Constantini, dicens : Cum aliquando iter ageremus cum quodam sancto sene, erravimus devia, et neque scientibus nobis neque volentibus, inter sata inventi sumus, et aliqua de satis volentes nolentesque calcavimus. Quod cum vidisset agricola (erat enim illic operans) cœpit contra nos injuriosa multa proferre cum iracundia, dicens : Vos monachi estis? vos timetis Deum? si timorem Dei ante oculos habuissetis, hoc profecto non fecissetis. Tunc ait nobis sanctus senior : Per Dominum nullus ei respondeat. Conversusque ad illum, dixit : Recte locutus es, fili mi; nam si timorem Dei haberemus, non ita fecissemus. Ille rursus furens, contumeliis impetebat nos. Rursumque dixit senior ad illum : Vera prosequeris, fili; nam si veri monachi essemus, istud non egissemus, sed per Dominum indulge nobis quoniam peccavimus. Stupefactus ergo, ille ad tantam senis humilitatem, accessit propius, prostravitque se ad pedes senis, dicens : Peccavi, 934 indulge mihi, et per Dominum assumite me vobiscum. Dicebatque beatus Sergius, quia secutus sit illos rusticus, et acceperit habitum.

CAPUT CCIX.

Quomodo frater quidam humilitate diacono de se conquerenti conciliatus sit.

Narravit nobis senior quidam de se, dicens : Cum aliquando morarer ad breve tempus in monasterio abbatis Gerasimi, habebam quemdam mihi maxime dilectum fratrem in contubernio. Die vero quadam sedentibus nobis, et de utilitate animæ loquentibus, mentionem feci ego de sermone quodam abbatis Pœmenis. Qui ait ad me : Ego experimento didici verborum istorum vim et tranquillitatem, ac vehementem efficaciam illorum. Habui enim semel diaconum quemdam monasterii mihi charissimum, atque amantissimum mei. Huic, nescio unde, venit suspicio de me cujusdam rei sibi inferentis mœrorem, cœpitque contristari, et me non ut solebat intueri. Videns autem ego illum tristem, causam ab eo tristitiæ per

contari cœpi. Qui dixit mihi : Quia rem istam fecisti. Ego cum nihil mihi omnino ipsius rei conscius essem, cœpi illi satisfacere, ac dicere nullam ipsius rei me habere conscientiam. Et ait mihi : Ignosce, frater, mihi satisfactum non est. Profectus itaque ab illo in cellulam meam, cœpi examinare cor meum, an tale aliquid a me fuisset admissum, neque inveniebam. Cum ergo ille teneret sanctum calicem in manibus, fratribusque distribueret, accessi ad eum, et juravi per ipsum calicem, nihil me omnino tale gessisse. Nec sic quidem illi satisfactum est. Rursus vero in me ipsum rediens, verbaque ista sanctorum Patrum memoria repetens, eique credens, verti paulisper cogitationem meam, et dixi in me ipso : Diaconus iste intentissime diligit me, et charitate motus hoc dixit mihi, quod erat in corde suo de me, ut sobrius ac vigilans sim, et de cætero custodiam me ipsum, et istud ultra non faciam : sed tu, infelix anima, dum dicis, Non feci hanc rem, innumera mala gessisti, et latent te. Ubi sunt quæ fecisti heri, vel nudiustertius, vel ante decem dies? recole ea si potes. Et hoc itaque fecisti, sicut et illa, et latet te similiter ut illa. Sic itaque animo affectus, quasi revera id fecissem, sed inter cætera oblitus essem, cœpi gratias referre Deo et diacono, quoniam per ipsum Dominus dignum me fecisset recognoscere peccatum meum, et pœnitentiam de ipso agere. Surgens igitur perrexi ad diaconum ut pœnitentiam agerem, et illi referrem gratias. Ut ergo pulsavi ipsius januam, continuo aperiens, primus se mihi prostravit, dicens : Ignosce mihi, nam a dæmonio mihi suggestum est, ut rem illam falso de te suspicarer. In veritate enim Deus me certum reddidit innocentiæ tuæ ; neque omnino permisit ut illi satisfacerem, dicens mihi : Non est necesse. Ego igitur maxime ædificatus, glorificavi Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum incommutabilem atque individuam Trinitatem, cui est honor, et imperium, et magnificentia, et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ROSWEYDI NOTATIO.

(1) *Nudam eam sancto oleo inungere.*] Obtinuit olim tam viros quam feminas nudas corporibus baptizare, itaque inungere. Vide Onomasticon.

(2) *Saracenos.*] De monachis a Saracenis interfectis Martyrologium Romanum 19 Februarii : « In Palæstina commemoratio sanctorum monachorum, et aliorum martyrum, qui a Sarracenis sub duce Alamundaro ob fidem Christi sævissime cæsi sunt. » Ubi Baronius notat : Iidem cæsi sunt hi Sarracenorum incursionibus, quarum mentio habetur in rebus gestis sancti Joannis Silentiarii, quas refert Metaphrastes die 13 Maii, itemque in Vita sancti Sabæ abbatis apud eumdem die 5 Decembris, ac in Actis etiam sancti Euthymii abbatis, quæ idem recitat die 20 Januarii. Consentiunt iisdem quæ habentur in Prato spirituali, cap. 21 et 99. Una eademque persecutio Sarracenorum sanctos **935** monachos diversisque diebus occidit, ut non mireris si inferius de monachis cæsis a Sarracenis sæpe agatur. Hactenus Baronius.

(3) *Ex scholaribus.*] In Græco est, ἀπὸ Σχολαρίων. Hervetus verterat *scholasticus*. Ex militiæ ordine scholares sunt. Vide Onomasticon.

(4) *Verba sanctæ oblationis.*] Infra, cap. 196, habes item verba oblationis a puero prolata, et panem una cum saxo, quod pro altari erat, igne cœlesti consumptum ; quod reverentiæ causa factum credo, ne videlicet tam sanctum mysterium puerilibus ludicris exponeretur.

(5) *Babylæ.*] Ut hic ecclesiam ingrediens, audita fortuita Evangelii sententia ad meliorem frugem convertitur, idem pluribus aliis contigit. Vide dicta ad Vitam sancti Antonii cap. 2, n. 9.

(6) *Eliæ.*] De Elia in exsilium misso exstat mentio in Vita sancti Sabæ, auctore Cyrillo, 5 Decemb. Vide Baronium, tomo VI, anno Christi 513, Symmachi papæ 15, Anastasii imp. 23, et Theodorici regis 21.

Quod vero hic habetur, *post duos dies*, monet Baronius tomo eodem, anno Christi 518, Hormisdæ papæ 5, Anastasii imp. 28, Theodorici regis 26, duos, inquiens, nimirum dies a scriptis litteris, non autem ab obitu Anastasii numerandos. Certe in Vita sancti Sabæ a Cyrillo monacho conscripta, 5 Decembris, Elias ipse ex visione et revelatione narrat se decimo die Anastasium ea hora mortuum secuturum.

(7) *Accendamus ignem.*] Frequens ea in causa fidei ad ignem provocatio. Exempla aliquot congessi in dissertat. de Fide hæreticis servanda cap. 12.

(8) *Anastasii.*] Baronius, tomo VI, anno Christi 495, Gelasii papæ 4, Anastasii imp. 5, Theodorici regis 3, agit de Euphemio in exsilium misso ab Anastasio ; anno vero Christi 511, Symmachi papæ 13, Anastasii imp. 21, Theodorici regis 19, de Macedonio in exsilium ab eodem Anastasio pulso.

Quæ hic habes de *quatuordecim* deletis, intellige de annis. Zonaras, tomo III, in Anastasio : καὶ αὖθις ὄναρ ἰδεῖν λέγεται ὁ βασιλεὺς ἐκεῖνος, ἄνδρα τινὰ φοβερὸν, τόμον κατέχοντα, καὶ λέγοντα πρὸς αὐτόν· Ἰδοὺ διὰ τὴν κακοπιστίαν σου, ἀπαλείφω τῆς ζωῆς σου ἔτη τεσσαρεσκαίδεκα : « Denuo aliud vidisse somnium memoratur rex, virum terribilem, qui librum manu gestaret et diceret : Ecce ob perversitatem fidei tuæ, annos XIV vitæ duæ deleo. » Vide Baronium, tomo VI, anno Christi 518, Hormisdæ papæ 5, Anastasii imperatoris 2?, Theodorici regis 26.

(9) *Minutorum viginti.*] Existimo in Græco fuisse λεπτῶν vel φολεῶν, nam deest hic nobis ille textus. Infra, cap. 134 : « Accipiebatque quotidianum stipendium novem minuta. » Vide Onomasticon.

(10) *Et de adoratione.*] Septima synodus generalis, quæ est secunda Nicæna, actione 4 et 5 exemplum hoc ex hoc libro Græce citat.

(11) *Lictores qui assistebant.*] Græce φραγγελεταί. Intelligit lictores ducis. Hervetus verterat, *et cæteri qui assistebant*. Vide Onomasticon.

(12) *Ut canonarchæ.*] Hoc Herveto deerat. Appositum ex Græco, in quo κανόναρχος, id est, qui canoni psalmorum cantandorum præest. Vide Onomasticon.

(13) *Senum gesta.*] In Græco est βιβλίον Γεροντικόν. Ita liber ille appellabatur. Ex Gerontico ms. quædam vertit Raderus noster parte III Viridarii sui. Sic *Verba Seniorum* dicebantur quæ Patres illi scite proferebant. Vide prolegomeno generali 1.

(14) *Mittite thymiama in thuribulum.*] Jam olim in honorem sanctorum thymiama incendi solitum. Vide Onomasticon.

(15) *Thalelæi.*] Raderus noster, Viridarii parte I, putat hunc eumdem cum Thalelæo martyre tempore Numeriani, de quo Menæa, 20 Maii. Sed vereor ut ratio temporis aliud suadeat : siquidem Moschus audivit ex Petro, quæ de hoc hic habentur ; at Petrus centenis annis a Numeriani imperio distat. Aliter

opinandi occasio forte fuit, quod hic dicatur Cilix; et alter in Menæis dicatur Azarbi in Cilicia abditus. Sed ibidem dicitur profectus a Libano; quare Libanites est.

Verisimilius hunc eumdem esse cum Thalelæo Theodoreti, cap. 28 Philothei, quia uterque Cilix, et idem de pœnitentia dictum habent. Theodoretus eum vidit, et Moschus audivit narrari ex Petro. Sic tempora convenire poterunt.

(16) *Per Serapim facite.*] Ita locus hic nunc restitutus ex Græco. Ante nullo sensu erat, *Serapim facite.*

(17) *Carabum.*] Ex sequentibus intelligitur quid *carabus* sit. Dicitur enim: *Produc scaphum.* Vide Onomasticon.

(18) *Tetrapylum.*] Porticus vel templum quatuor columnarum ordinibus constans. In Græco omittitur, *ad Orientem juxta Tetrapylum*; ejus loco est, τὴν ἐπονομαζομένην τῆς Δωροθέας: *quæ cognominabatur Dorotheæ*. de beatæ Virginis æde. *Tetrapyli* Alexandrini meminit Sophronius archiepiscopus Jerosolymitanus, agens de miraculis Joannis et Cyri martyrum: Εἴσελθε γοῦν εἰς Ἀλεξάνδρειαν, καὶ ἐν τῷ μεγάλῳ Τετραπύλῳ νήστης καθεύδησον: « Ingredere itaque Alexandriam, et in magno Tetrapylo jejunus dormi. » Quæ citantur in septima synodo, act. 4.

(19) *Epitimia.*] Retinui Græcam vocem ἐπιτίμια, id est, *multas*. Ecclesiastici quidam scriptores Latini hoc usurpant vocabulum. Vide Onomasticon.

(20) *Quibus manibus.*] Manibus olim viri, feminæ linteolo Eucharistiam excipiebant et sumebant. Vide Onomasticon.

(21) *Apocrisiarii.*] Infra, cap. 145, *misso quodam apocrisiario suo.* Est fere *apocrisiarius*, Græcis ἀποκρισιάριος, legatus ecclesiæ negotia tractans. Vide Onomasticon.

(22) *Templum sancti Quirici.*] Videndum an non hic ipse, qui *sanctus Quiriacus* in Romano Martyrologio dicitur, 29 Septembris: « In Palæstina sancti Quiriaci anachoretæ, » cujus Vitam a Metaphraste descriptam apud Laurentium Surium eo mense habes.

(23) *Sarraceni.*] Vide hic dicta supra, ad cap. 21, de Sarracenorum incursionibus, et martyribus sub iis passis.

(24) *Responsum.*] Quid hic *responsum* sit, jure hæreas. Suspicor in Græco fuisse προσφωνάριον, quod interpres prima et obvia notione *responsum* vertit. Videndum tamen num hic vertendum sit, *sportam*, vel simile quid. Suggerebat videlicet monacho cogitatio, ut non adoraret crucem, sed in cellam rediret, et sportas texeret. Vide dicta sup., ad lib. v, libel. x, n. 18.

Quod si *responsum* hic communi notione intelligitur, cape fratrem hunc missum pro responsis cœnobii. Sic infra, cap. 205: « aliquis manens in cœnobio missus est pro responsis cœnobii. »

(25) *Canthelium.*] Sunt *canthelia*, κανθήλια, onera asinis imponi solita.

(26) *Sibino.*] Idem mox occurrit cap. 123: **936** « vestitum colobio de sibino. » Quid *sibinum* sit, nondum mihi lectum.

(27) *Burdones.*] Vide dicta ad Vitam Simeonis Stylitæ, cap. 20, n. 24. Consule et Onomasticon.

(28) *In sancta Christi Dei nostri resurrectione.*] Hoc loco *Resurrectio* est templum Christi resurrectioni dicatum. Vide Onomasticon.

(29) *Syncello seu assessori suo.*] Servavi Græcum vocabulum *syncellus*, qui apud Græcos est proximus a patriarcha. Vide Onomasticon.

(30) *In membranis valde pulchrum.*] Græce est: ἐν σώματι πολὺ καλῷ. Vide Onomasticon.

(31) *Zachariæ.*] Zachariam non perfecte credidisse angelo, Lucas, cap. I, testatur. Non dubitavit Zacharias de Dei potentia, qui noverat Isaacum de sterili Sara et Abrahamo genitum, sed de voluntate Dei. Quare in supplicium dubitationis cessit illi taciturnitas. Augustinus lib. L Homiliarum, homil. 44: « Accepit Zacharias supplicium taciturnitatis, merito infidelitatis: quia non credidit, tacuit; sic enim recte dictum est psalmo cxv: *Credidi, propter quod locutus sum*; quia Zacharias non credebat, merito non loquebatur. » Ambrosius, lib. II in Lucam: « Incredulitas Zachariæ affatum eripuerat et auditum. »

(32) *Leone.*] Baronius, tomo VI, anno Christi 449, Leonis papæ 10, Theodosii 42, Valentiniani 25, impp., ad hanc de Leonis encyclica (quæ inter epistolas Leonis est 10) visionem notat: Sed præstat, inquit, audire potius sententiam Petri, quam visionem Petri, dicentis: *Firmiorem quavis visione habemus sermonem propheticum* (*II Pet.* I), etc. Etenim majorem sibi ea epistola fidem vindicat ex divinis Scripturis, traditionibusque sanctæ Ecclesiæ, et communi sanctorum Patrum consensu, quam ex recensita modo visione. Hactenus Baronius.

Qui ad sequentis capitis visionem de sancto Eulogio defensore epistolæ sancti Leonis ista quoque addit: At certioris fidei certiorisque quoque testimonii apud me est de epistola sancti Leonis publica concilii œcumenici Chalcedonensis assertio et prædicatio, quam quælibet privatæ hujusmodi visiones. Ita Baronius. Vide apud eumdem plura de hac Leonis encyclica elogia.

Ad sequens caput 149, de Leone ita notat Baronius anno 461, Hilarii papæ 1, Leonis 5, et Severi 1, impp. Sed quid est: *Omnia tibi sunt dimissa peccata, præter manuum impositionem?* Num peccata ex parte dimitti possunt? Minime gentium, si ad culpam referas. Cæterum quoad pœnam dici debent dimissa fuisse sancto Leoni peccata. Quod enim facile sit in his peccare etiam prudentem episcopum, jure sanctus Apostolus monet ita Timotheum: *Nemini cito manus imposueris, neque communicaveris peccatis alienis* (*I Tim.* v). Illis ergo remanebat sanctus Leo delictorum pœnis obligatus, quæ illi perpetrassent, qui ab eo indigne promoti fuissent ad ordines. Tunc namque dicuntur præsules communicare peccatis alienis, dum indignis conferunt honores et ministeria. Hinc sibi timens Propheta rex, ait: *Ab alienis parce servo tuo* (*Psal.* xvIII). Quod si hæc fiunt in viridi, quid fiet in arido (*Luc.* xxIII)? Leone quis sanctior atque prudentior, ut tantum periculum liber transiliat?

(33) *Flabellum.*] Græce ῥιπίδιον. Ejus in sacro faciendo usus, quod diaconus gestat. Vide Onomasticon.

(34) *Conopionem.*] Servavit interpres Græcam inflexionem, quod nunc κωνωπεῖον, nunc κωνωπεῖων dicitur, *conopeum* Latinis usitatum, pro textili tentorio culicibus arcendis comparato.

(35) *Membranas.*] Ut hic membranas ad aquam pluviam excipiendam explicant, sic alii nautæ vellera et pelles exponunt, tum ad pluviam tum ad rorem colligendum.

(36) *Arena.*] Nec arena littoralis, nec quocunque modo madefacta potest esse materia baptismi; siquidem materia baptismi aqua esse debet, qua quis ablui possit. Vide Scholasticos in III parte D. divi Thomæ, et in primis Franciscum nostrum Suarez, t. III, in III partem, ad q. 66, art. 4, disp. 20, sect. 1.

(37) *Infusa.*] Quæ hæc infusa sint, difficile divinare. Nam varii cibi infundi possunt et macerari. Hic ante: « paucisque infusis cibariis. » Aliquoties in Theodoreto supra habens « lentem aqua madefactam. » Hic infra, cap. 184. « Infundebat et paximatia sea madefaciebat. »

(38) *Joannis.*] Citatur hæc historia in septima synodo generali, quæ est II Nicæna, act. 5, ubi pro *Saraphas* habetur *Araphas*.

(39) *Spellum.*] Reposui hoc ex Græco textu σπήλαιον, quod interpres omiserat, videtur fenestra intelligi ex speculari lapide. Vide Onomasticon.

(40) *Miliarisia.*] Retinui Græcam vocem μιλια-

φίσια, quod certi nummi genus. Interpres *numismata* verterat. Vide Onomasticon.

(41) *Apparentiam.*] Græce est, φαντασίαν, id est, cupiditas se ostentandi.

(42) *Chrysostomus.*] Henricus Savilius, notis suis ad tomum VIII Chrysostomi Græce a se editi, existimat non indignum observatu temporibus inter quintam synodum, anno 553, et sextam, anno 680 celebratam (quibus Georgium Vitæ Chrysostomi scriptorem vixisse probabile esse ait) *Chrysostomi* cognomen ignotum fuisse. Sed refellit eum Joan. Moschus seu Sophronius hic, qui tempore Georgii istius vixere, et hujus cognominis Chrysostomi meminere.

(43) *Gregorii.*] Habetur hæc narratio in Vita sancti Gregorii, lib. II, cap. 45 per Joannem Diaconum scripta, qui eam citat ex libro, qui a Græcis Λειμών dicitur, a Latinis vero intelligitur *Campus* vel *Pratum*. Qui hic ipse liber est, quem præ manibus habemus. Citat ille ex interpretatione præceptoris sui, ubi quod hic est, *tunicam non habeo*, vertit ille, *casulam non habeo*. Eodem modo idem, lib. IV, c. 63: « Et jussit mihi dari casulam, et necessitates meas omnes. » Ubi noster interpres Ambr. Camaldulensis hic, cap. 181 : « Jubens mihi dari quæcunque erant necessaria, » decurtate. Omisit enim illud de *casula* seu *tunica*.

(44) *Nomicum seu dispensatorem.*] Varia *Nomici*, Νομικοῦ, ut hic in Græco textu, est significatio. Hic dispensatorem significat. Vide Onomasticon.

(45) *A notario perfecte, et a grammatico sufficienter.*] *Notarius* hic est qui præest pueris ad prima elementa et litteras formandas. Vide Onomasticon.

(46) *Idcirco sunt baptizati.*] Baronius, tomo III, anno Christi 310, § 13. Significat nimirum ejusmodi sacramentum consecutos, non autem, quod aiunt, rem sacramenti, ipsam gratiam abluentem peccata.

(47) *Mulier.*] Joannes Cassianus, collat. XVIII, cap. 14, simile exemplum religiosæ feminæ, quæ patientiæ acquirendæ intenta erat, narrat.

APPENDIX AD VITAS PATRUM.

LECTORI.

938 Ne quid antiquitatis studiosus desideret quod Vitas Patrum spectat, visum hic subjungere Heraclidis Paradisum ex veteri interpretatione, qui eadem cum Palladio tractat. Qui olim Parisiis curante Jacobo Fabro Stapulensi anno 1503 ex officina Bellovisiana prodiit. Quem deinde Lipomanus Palladii nomine tomo suo III de Vitis Sanctorum inseruit, anno 1551, Venetiis edito, paucis additis et immutatis, de quibus moneo. Addo et Palladium uti olim in typographiæ infantia ex veteri quoque interpretatione prodiit. Haud dubium et Palladius hic vetus, et Paradisus Heraclidis, et Palladius Herveti, cum idem omnino tractent, pro eodem auctore haberi possunt. Placuit tamen et hæc in fine subnectere, ut diversa interpretatio lucem subinde tenebris inferat; dum fere fit, ut alter altero textum nanciscatur et sinceriorem et uberiorem. Vide quæ de triplici hac versione et editione diximus prolegomeno generali 14. Addidi et Sententias Ægyptiorum Patrum a Martino Dumiensi episcopo e Græco in Latinum translatas, quas ex Toletana bibliotheca ad me misit Christophorus a Castro, societatis nostræ theologus, et Salmanticæ sacrarum litterarum professor. Easdem inveni in Ms. Codice sancti Floriani post Vitas Patrum a Paschasio e Græcia in Latium traductas. Certe Paschasius eidem Martino suum de Patrum Vitis librum, qui supra est ordine septimus, inscribit et dedicat.

HERACLIDIS (1) EREMITÆ PARADISUS,

INCERTO SED VETERI INTERPRETE.

HERACLIDES ALEXANDRINUS AD LAUSUM PRINCIPEM [1].

939 In hoc libro, quem de Vita sanctorum Patrum scripturi sumus, descripta est nobilis continentia, mirabilisque conversationis transactio cœnobitarum pariter atque anachoretarum, qui in eremo ad æmula-

[1] Ita inscribitur in prima Editione Fabri; in secunda Lipomani, *Idem ad eumdem*, videlicet, Palladius ad Lausum. In tertia Herveti, est loco proœmii sine ullo nomine.

tionem imitationemque cœlestium vivere cupientes, superni regni iter aggressi sunt: feminarum quoque provectarum atque honestarum, ac spiritualium matrum commemoratio, quæ virili perfectoque sensu ad exemplum amoremque divinum, eorum qui desiderant continentiæ ac pudicitiæ redimiri coronis, cum insigni abstinentia finiere certamina. Idcirco præcipiente nobis viro moribus suavissimo, sensuque doctissimo, animo quoque pacifico, et corde piissimo, mente etiam amatore Dei, atque in necessitatibus indigentium socio, et celsitudine dignitatum pro bonitate conscientiæ, plurimis eloquentibus præferendo, atque in omnibus virtute divini Spiritus præmunito, quinimo (quod oportet veraciter dicere) ad speculationem potiorem, sedulitatis exemplo segnes animos incitante, abstinentiam sanctorum spiritualiumque Patrum (qui in Dei placito victitantes, insuperabili certamine carnis crucifixere mollitiem, quorum ipse quoque bene transactas virtutes prædicare non desinit) studemus describere. Est autem hujus desiderii spiritualis exactor virorum optimus Lausus, qui post Dei tutelam, custos piissimi probatur ordinatus imperii.

Ego igitur et lingua imperitus, et spiritualis scientiæ tenuiter degustator, nec non etiam sanctorum Patrum spirituali catalogo nimis indignus, magnitudinem præcepti ultra mensuram meam esse perspiciens, reluctari tentabam hujusmodi jussioni, quæ et sapientiæ litteratæ, et divinæ doctrinæ indiget intellectu. Sed cum rursus vererer, primum quidem nobile studium injungentis, deinde utilitatem legentium pertractarem, postremo metuens inobedientiæ grave periculum, tanti præcepti cumulum supernæ dispensationi commisi attentiusque sanctorum Patrum intercessione meas vires communiens, ad certaminis stadium sum progressus, virorum fortium, nec non etiam feminarum, quos aut ipse vultu proprio videre promerui, aut a sanctis patribus qui eorum novere virtutes, me audisse commemini, gloriosa signa scripturus atque certamina.

Nam et plurimas civitates ac villas, omnesque pene speluncas et tecta eremi (in qua monachi habitant) diligenti cura, Dei pietate pedestri labore circumiens, et virorum quos oculis meis inspexi, et mulierum propter spem quæ nobis in Christo reposita est, sexum femineum animi virtute vincentium, in quantum meæ suppeditat parvitati, nomina pariter et genus, et patriam, locumque habitationis præsenti libello complexus, tibi amatori Christi, famuloque Dei, atque inclyto pii imperii ornamento, Lause, transmisi, simul commemorans utriusque sexus in quibusdam ad summum quidem peracta certamina, sed propter matrem superbiæ (quæ vocatur Cenodoxia) ad extremum barathrum, inferuique profundum miserabiliter deductorum, ac quæsitas ex longis temporibus ac laboribus abstinentiæ palmas, repentino elationis ac tumoris momento præmarcidas, gratia vero Salvatoris nostri, provisioneque sanctorum Patrum, ac miseratione spiritualium viscerum, et orationibus venerabilium seniorum, de laqueis diaboli ereptos, ad recuperationem vitæ nobilioris reversos. Vale.

Procemium ad Lausum.

940 Multi quidem multos variosque libros diversis temporibus huic sæculo reliquerunt, quorum alii superna inspiratione et gratia divinitus data, ædificaverunt ac munierunt eos qui fideli proposito instituta atque vestigia Salvatoris sequuntur; alii vero solis hominibus placere cupientes, corrupto atque vitiato mentis ingenio, veluti quadam rerum [*Ms.*, aerum] confusione vesani, solati sunt eos qui cupiditate gloriæ laborant. Nonnulli autem furore nescio quo et instinctu dæmonis (qui rebus bonis inimicus est) rabida elatione cæcati, in perniciem levitatis humanæ, et in divinæ atque catholicæ Ecclesiæ maculam, stolidorum animos occupavere mortalium, ad evertendam morum laudabilium disciplinam. Mihi quoque homini humillimo placuit (dum magnitudinis tuæ, quem scio amatorem esse doctrinæ, erubui non obedire præceptis, quibus ad meliora animi provocantur) trigesimum quidem ac tertium agenti annum, quasi in numero fratrum vitaque monachorum, vigesimum autem episcopatus, quinquagesimum vero et tertium ætatis universæ, tibi desideranti Patrum nostrorum gesta cognoscere, non virorum tantum, sed etiam feminarum, quos ipse viderim, quosque aliis referentibus noverim, cum quibus etiam deserta Ægypti peragraverim, Lybiæ, Thebaidis, Syenæ, in quibus et ii quos Tabennensiotas dicunt morantur, circa fines quoque Mesopotamiæ, Syriæ, Palæstinæ, et sub Occidentalibus plagis Romæ atque Campaniæ, et in cæteris circa ipsa loca describere, et (ut superius comprehendi) enarrare a principio omnium Vitas ex supradictis regionibus hoc libello, ut honestum et animæ profuturum commemoratorium gerens (id est perenne medicamentum veritatis) omnem quidem oblivionis ex irrationabili desiderio respuas somnum, omnemque duplicis dolum mentis a fide rerum necessarium secludas, cum universa pigritudine morum bonorum, et deformi animæ defectione, et ut iracundiæ quoque motum, conturbationem atque tristitiam, et irrationabilem metum per ista declinans, et avocationem sæculi vanam, amore perpetuo circa propositum piæ religionis effulgeas, dux beatæ vitæ tibi et qui tecum sunt, et qui sub te agunt, et piissimorum futurus imperatorum. Talibus enim factis semper ac meritis, Christi amore flagrantes Deo properant copulari. Per singulos tamen dies et redditum animæ, qui

proculdubio debetur, exspecta, secundum quod scriptum est : Coarctor ex duobus, desiderium habens dissolvi et esse cum Christo multo melius (*Philip.* I). Et iterum : Præpara ad perfectionem opera tua, et esto in agro operator (*Prov.* XXIV). Nam qui memor semper est mortis quæ omnimodis sine cunctatione et necessario ventura est, nunquam gravia ac magna peccabit, juxta quod scriptum est : In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in perpetuum non peccabis (*Eccli.* VII). Supra cætera vero omnia, neque quæ commendata sensibus tuis fuerint salubri relatione, contemnas; nec respuas elocutionum humilitatem, rusticitatemque verborum. Non enim hoc opus divinæ doctrinæ est, ut quis facunde loquatur; sed ut omnium sensus in intellectu veritatis instituat, secundum quod dictum est : Aperi os tuum verbo Dei (*Prov.* XXXI). Et iterum : Ne perdideris narrationem senum ; nam et ipsi a suis patribus didicerunt (*Eccli.* VIII).

Ego itaque, homo Dei et stupende amore discendi, qui opto vel ex parte quod divinitus jubetur imitari, plurimos sanctos viros vidisse me memini, nec tamen id veluti per transitum et perfunctorie faciens, sed per triginta et per alios totidem pergens dies, pedibus (quod ante Deum dicam) iter omne confeci, universum pene Romanum solum ambulando cognoscens, et itineris molestias libenter amplectens, ut hominis sancti et amatoris Dei conspectibus fruerer : quod proculdubio aliter non haberem. Nam si ille qui absque aliqua comparatione melior me est, quique longe præcedit ac vincit totum mundum rerum peritia et tota conscientiæ fide Paulus apostolus, de Tarso usque ad patriam Judæorum ambulando perrexit, ut Petrum et Jacobum et Joannem videret; et hoc ipse quasi cum quadam jactantia referens, proprios divulgat labores, dum illos qui otio atque segnitia torpescere videntur, accendit, dicens : Ascendi Jerosolymam videre Petrum (*Galat.* II) (non enim illi sufficiebat sola fama virtutis, nisi etiam vultum quoque ac figuram ipsius viri caperet intueri), quanto magis hoc ego decem millium debitor talentorum facere debui? non ut illis sanctis prodessem aliquid, sed ut mihi peccatori per omnia providerem. Nam et ii qui scripserunt vitas patrum ante nostrorum, sancti Abrahæ, Isaac, Jacob, et qui ipsos sequuntur, Moysi, Æliæ, Joannis atque reliquorum, non ut ipsis adjecturi gloriæ aliquid retulerunt, sed ut legentibus profuturi.

Quapropter hæc sciens, fidelissime multumque venerabilis serve Christi Lause, per temetipsum suadendo melius tibi consulens, etiam nostram loquacitatem ad custodiendum in te propositum piæ voluntatis amplectere; quæ quidem variis visibilium invisibiliumque vitiorum veluti fluctibus verberatur, quam nisi frequenti oratione et diligenti animæ ad Deum vacatione sedare non possumus. Multi enim fratrum et laboribus abstinentiæ, et bonis circa pauperes factis **941** exuberantes, alii casta viduitate gaudentes, alii virginitate sublimes, divinarum etiam lectionibus et scriptionibus litterarum plurimum gloriantes, a recti propositi itinere deviarunt; indifferenter quasi sub specie cujusdam religionis, curiositatis amore languentes, ex qua multiplex animi sollicitudo generatur; post quæ aliorum quoque negotiorum cura succedit, unde calumniosi etiam nomen incurritur, quo nomine a bonorum actuum administratione prohibentur : qua quidem nec qui solis proprie tantum animæ negotiis vacant, fruuntur ut matre. Insiste igitur viriliter, quæso, non augens opes (quas tamen magis semper imminuis) sufficienter dividens eas omnibus quos egere cognoscis, quæ proficiunt tibi ad ministeria et fomenta virtutum; neve te impetus quidam irrationabili anticipatione præveniat, ut dum hominibus placere festinas, honesti propositi voluntatem sacramenti vinculis liges : quod perpessos novimus plures, qui vanæ gloriæ contentione in cibis vel potibus abstinendis, in servitutem quodammodo redegerunt jurisjurandi necessitate liberam illam, quam in ipsis Deus fecerat voluntatem. Quique sacramentis propriis obligati, dum promissa implere non possunt, et deformiter amore vivendi ac voluptate retinentur, ex necessitate (cui sua subjacent culpa) perjurii crimen incurrunt. Si igitur sola ratione his rebus abstineas, et sola iterum ratione easdem cum velis sumas, nunquam profecto peccabis; Deus enim qui ratio est, ea quæ moventur in nobis arcanis commendat auxiliis, illa quidem damnans quæ lædunt, amplectens vero atque suscipiens illa quæ prosunt ; nam justo (inquit) posita lex non est (*I Tim.* I). Rectius est autem vinum cum ratione potare, quam cum arrogantia et fastu aquam. Et si videtur, adverte, eos quidem qui rationabiliter vinum biberunt, esse sanctos viros, qui autem sine ratione aquam, vitiosos esse homines ac profanos. Neque ob hoc unquam ipsum speciem quam Deus fecit, aut vituperandam aut laudandam putes; sed illos aut beatos secundum propositum suum arbitreris, aut miseros, qui bene vel male ipsis rebus utuntur. Bibit aliquando Joseph apud Ægyptios vinum, nec tamen sapientiam suam læsit, eo quod propositum mentis suæ ante munivit : Pythagoras autem, et Diogenes, et Plato (inter quos Manichæi quoque, omnisque eorum qui sibi sapientes videbantur caterva) in tantam vanæ gloriæ cupiditatem progressi, inciderunt damnationem, ut ipsum quoque factorem omnium ignorarent Deum, et idola quæ ipsi fecerant adorarent. Usus est et apostolus Petrus vino cum reliquo discipulorum choro; unde et ipse Salvator eorumdem magister a Judæis videtur esse reprehensus, dicentibus : Cur discipuli tui non jejunant sicut Joannis (*Matth.* XI)? Qui rursus insultabant, et ipsis discipulis dicebant : Magister vester cum publicanis manducat et bibit (*Marc.* II, *Lucæ* V). Quod autem nunquam propter panem et aquam solam reprehensi fuissent, nisi propter vinum vel carnes, potest fieri manifestum iis qui irrationabiliter eos quidem qui bibunt vina, despiciunt; eos autem qui aquam solent haurire, mirantur. Salvator ergo dicebat : Venit Joannes in via justitiæ, neque edens neque bibens (carnem sine dubio dixit et vinum; nam sine aliis speciebus profecto nec viveret), et dicunt : Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans et bibens, et dicunt : Ecce homo vorax, et potator vini, amicus

publicanorum et peccatorum (*Matth.* xi), eo quod cum ipsis manducaret et biberet. Quid nos ergo faciemus? Neque illos qui vituperant, neque eos qui laudant sequamur, sed aut ratione jejunium cum Joanne teneamus, etiamsi dæmonem habere dicamur: aut cum Jesu Christo sapienter vina bibamus, quando hoc requirit necessitas corporalis, etiam si nos aliqui ob cibum carnis et vini potum (ut illum Judæi) aliquando reprehendant. Neque uti ergo istis, neque ab his abstinere juxta veritatem rei aliquid esse arbitreris; sed solam fidem quæ dilectione et operibus extenditur, plurimum valere cognoscas. Igitur cujus actibus semper inhærere cernitur fides, propter ipsam inculpabilis erit, sive manducaverit memorata seu biberit. Omne enim quod non est ex fide, peccatum est (*Rom.* xvi). Sed quoniam unusquisque delinquens, id quod agit, ex fide se agere dicit, etiam cum aliquid stulta persuasione et corrupta atque vitiosa conscientia facit, ita hoc Salvator noster distinxit, ut diceret: Ex fructibus eorum cognoscetis eos (*Matth.* vii). Nam quod eorum qui rationabiliter vivunt, atque sapienter secundum Apostolum, iste sit fructus, hoc est charitas, gaudium, pax, longanimitas, mansuetudo, bonitas, fides, continentia, atque simplicitas, profecto manifestum est; Paulus enim dicebat: Fructus autem spiritus est, hoc et hoc (*Galat.* v). Quod vero is qui hujusmodi fructus habere festinat, non intempestive neque sine consideratione, aut carnem edat, aut vinum bibat, et quod neque cum eo habitet cujus conscientiam magis norit malignam, Paulus iterum ipse dicebat: Quia unusquisque qui se ad agonem parat, ab omnibus se abstinet (*I Cor.* ix); scilicet ut corpore videatur incolumis, abstineat se ab iis quæ faciunt crassiores; cum autem infirmitate aliqua aut dolore vexatur, aut tristitia, vel quibusdam tentationibus mordetur, utatur quidem cibis aut potibus tanquam medicamentis, quæ possint curare sollicitos, abigat autem a se ea quibus anima vulneratur, hoc est iracundiam, invidiam, amorem vanæ gloriæ et rectæ voluntatis defectionem, susurrationes quoque et irrationabiles suspiciones, agens Domino gratias sempiternas.

Sufficienti igitur super hoc disputatione decursa, aliam rursus adjungo docilitati tuæ monitionem; **942** ut omni virtute mentis diffugias conspectum eorum atque colloquium, quorum contrarium est bonæ vitæ propositum, qui penitus prodesse non possunt, et quibus cura est varia cutem corporis expolire, etiam si rectæ cultores fidei memorentur; sed vita (ut ita dixerim) perversæ sectæ homines, qui animas sub specie sanctitatis evertunt, etiam si canitie, et colore, et ostentatione rugarum, numerum quodammodo trahere videantur annorum. Quia et si nulla eorum læsione maculeris morum probitate munitus, vel leviter certe aut resolveris ut securior, aut erigeris ut melior, et vituperabis tales atque ridebis; quod non sine noxa tui te fecisse cognosces. Sanctorum autem virorum ac feminarum veluti lumen splendentis fenestræ, sectare conspectus, ut per illorum veneranda colloquia tanquam minutis Codicem litteris scriptum possis diligenter inspicere, actus quoque et cordis arcana ex ipsa comparatione cognoscere, et sive diligentiam seu negligentiam tuam curiosius approbare. Nam et ipse hominum religiosorum color (quo prædicabiles mores ut flore velantur) et amictus vestis, et inconfusa mens animi, absque ullo supercilio sermonis inflati, et verecunda ipsarum quoque reverentia syllabarum, et grata digestio sensuum atque verborum sufficienter animare te poterunt, etiam si anxietatis alicujus tædio fatigeris. Amictus enim viri, et motus pedum, et dentium risus, ea quæ in ipso videntur esse significant, sicut sanctarum Scripturarum proverbialis sermo testatur (*Eccle.* x). Incipiens igitur promissæ narrationis exordium, nullos tibi neque in civitatibus, neque in vicis, neque in solitudinibus esse incognitos, relatione mea sum passus. Neque enim locus quæritur solus, in quo tales habitaverint viri, sed rectæ etiam vitæ propositum et prædicabiles mores.

EPISTOLA [1] PALLADII, EPISCOPI CAPPADOCIÆ,

AD LAUSUM PRÆPOSITUM.

Laudo magnopere consilium tuum (merito enim a laudatione ordienda mihi est epistola) quod plerisque omnibus res futiles sibique prorsus inutiles consectantibus, ipse ea doceri studeas, quæ ad animæ salutem pertineant. Siquidem unus est tantummodo, cui doctrina opus non est, ipse universitatis rerum parens et procreator Deus, quippe qui omnium antiquissimus originis suæ neminem habet auctorem præter seipsum.

Eo excepto reliqua omnia ut quæ et facta et creata sunt, doctrina informari possunt. Nam et primi illi cœlestium ordines magistram habent supremam ipsam Trinitatem; secundi vero a primis docentur, et tertii a secundis, et cæteri deinceps similiter: qui namque cognitione et virtute cæteris antecellunt, ii qui se sunt inferiores erudiunt.

Proinde ignorantiæ morbo, quæ superbiæ est mater, laborare censendi sunt ii qui existimant doctoribus sibi opus non esse; ii autem sunt qui docentibus cum charitate fidem non adhibent; etenim volantes ea in re

[1] Hæc epistola deest primæ editioni Heraclidis. Deest etiam Ms. Moretiano. Dedit eam Lipomanus ex libro cardinalis Bessarionis, vertente Fr. Torres. In Palladio Herveti habetur Heraclidis nomine ex versione Herveti.

per aerem dæmones imitantur, quando illi quoque eadem peste corrupti, a cœlestibus suis sedibus fugitivi, præcipites olim de cœlo primi in exitium delapsi sint. Neque enim doctrina sunt dictiones aut syllabæ, sed recte facta animi bene informati, animusque ipse omni ægritudine vacuus, prorsusque intrepidus ac præsens, cuique nulla iracundia dominetur, et qui quæ sentit libere omnibus in rebus eloqui non dubitet; unde nimirum sermo igneæ flammæ instar erumpit.

Etenim, nisi hoc ita esset, nequaquam discipulis suis dixisset magnus ille Magister: Discite a me quia mitis sum et humilis corde (*Matth.* XI), cum non corrupta oratione auditores ille suos erudiret, sed talis esset ipse ut neminem moribus suis offenderet, præter eos duntaxat quibus suapte sponte doctrina ipsa una cum doctoribus esset invisa. Debet enim anima, quæ se in vitæ Christianæ curriculo exercet, aut adhibita fide aliunde discere quæ nescit, aut quæ scit aperte ipsa alios docere; alioqui qui horum alterutrum facere neglexerit, is merito inter insanos habendus sit: quippe cum initium defectionis sit doctrinæ satietas ac disciplinæ fastidium, quam pii hominis animus assidue usque solitus est esurire. Fortis esto, et vale; et, quod magnum est, donet tibi Deus cognitionem Christi.

HERACLIDIS PARADISUS.

CAPUT PRIMUM.

Vita Isidori presbyteri Alexandrini; Dorothei monachi Thebani, Potamiœnæ martyris, Didymi cæci, et Alexandræ mulieris.

Cum primum Alexandrinam attigi civitatem (*Pallad.*, c. 1), in secundo senioris imperatoris Theodosii consulatu, qui propter eam qua in Christum credidit fidem cum angelis nunc moratur; admirabilem virum et ornatum per omnia moribus ac peritum, Isidorum presbyterum in memorata civitate cognovi, qui in Alexandrina Ecclesia erat susceptor atque provisor pauperum fratrum, quem in princi io juventutis suæ egregias per solitudinem palmas abstinentiæ promeruisse memorabant (cujus et cellulam vidi in monte, cui Nitrias nomen est), senem septuagesimo ætatis suæ anno; qui aliis quindecim annis vivendo **943** completis, obiit in pace. Ille igitur usque ad ultimum finem non linteo usus est, nisi eo quo velaret caput; non balnea attigit, non ex carnibus cibum sumpsit; non mensæ usque ad satietatem interfuit. Qui quidem tam lauti corpusculi fuit per gratiam spiritualis alimoniæ, ut omnes qui vitam ipsius nesciebant, epulationibus illud ac voluptatibus imputarent. De quo viro, si virtutes ipsius animæ exponere singulatim velim, tempus me profecto deficiet. Qui tantæ bonitatis atque humanitatis erat, tamque pacificus, ut etiam ipsi qui pertinacissimi ejusdem videbantur inimici, erubescerent umbram quoque ipsius, propter tam venerabilem vitam. Tantam autem sanctarum Scripturarum ac divini dogmatis fertur habuisse notitiam, ut et inter ipsa fratrum convivia obstupesceret subito, ac mente mutata, et sensibus spiritualiter occupatis, transmigrasse alio videretur; ut qui interrogatus postea causam ipsius stuporis, hæc diceret, ad alia quædam se cogitatione translatum, et cujusdam theoriæ miraculo raptum fuisse. Novi etiam ego, memoratum virum, dum sumeret cibum, sæpius lacrymasse. Cumque admirarer forte cur fleret, hoc ex ore ejus audivi: Erubesco, inquit, irrationabilem cibum sumens, qui rationalis factus a Deo, deberem in paradisi voluptate versari, et cibo satiari divino, propter eam quam Christus nobis tribuit potestatem.

Hic ipse quem dico notus Romano senatui, feminisque primatibus, tunc cum primum una cum episcopo Athanasio, postea autem cum Demetrio episcopo pergeret Romam, et divitiis atque abundantia rerum sine invidiæ stimulo exuberaret, non testamentum in supremis suis fecit, non saltem unum solidum dereliquit, non partem aliquam substantiæ sororibus suis virginibus dedit, sed Christo easdem commendans. Qui vos fecit, inquit, vestram quoque vitam ordinabit ut meam. Erat autem cum sororibus ipsius septuaginta aliarum virginum numerus.

Is itaque, cum venissem ad eum in principio juventutis, et peterem ut instrueret me ad mores vitamque monachorum in ipso primi adhuc ardore ævi locatum (cui non tantum necessaria esset doctrina verborum, quantum jugis labor et fatigatio corporalis) quemadmodum domitor equorum bonus, productum me de civitatis internis usque ad quintum lapidem, ad ea quæ vocantur solitudinum loca, Dorotheo cuidam Thebano monacho (*Pallad.*, c. 2), sexagesimum in spelunca agenti annum commendavit et tradidit, jubens mihi ut tribus apud eum annis morarer, ad contundenda atque frangenda illicitamenta vitiorum (noverat enim ipsius senis durissimam atque laboriosissimam vitam) præcepitque ut rursum ad ipsum redirem, ob spiritualis scientiæ notitiam atque doctrinam. Ego vero cum illic implere tres, ut præceperat, annos non potuissem valida infirmitate correptus, ante finitas inducias triennii temporis ab ipso sublatus sum.

Erat enim vitæ ipsius cum immensa ariditate ac siccitate certamen. Per omnem namque diem in ardore maximo, et in solitudine circa littora maris lapides colligebat, singulisque annis cellam struendo perficiens, iis qui fabricare non poterant, offerebat. Cum autem ei quadam die a me dictum fuisset: Quid

facis, Pater, in tanta senecta interficiens corpusculum tum sævis ardoribus? Respondit, hoc dicens: Occidit me, occido illud. Edebat vero unciam panis, unumque fasciculum oleris vilissimi, bibens aquæ modicam quantitatem, nunquam tamen eum, Deo teste, extendisse proprios pedes vidi, nunquam in matta, nunquam in lectulo quievisse, sed per universam noctem sedens intexebat funem quemdam ex arbore dactylorum, cujus pretio vesci solebat. Putans autem ego, quod ante me solum hæc faceret quæ videbam, scrupulosius etiam ab aliis ejus discipulis, qui separatim manebant, quærendo cognovi, quia sic a prima ætate vivebat, nunquam tamen sponte, nisi ex maxima necessitate, dormivit, aut opere fatigatus, aut dum cibo utitur, si forte usque adeo eum somnus oppressit, ut paululum ei oculi clauderentur; frequenter enim edendo, nimia vi somni capite nutabat, panisque ex ipsis labiis oris cadebat; qui aliquando cum a me quodammodo cogeretur, ut vel momento temporis supra mattam jaceret, contristatus ista dicebat: Si angelis persuadere potueris ut quiescant, persuadebis et ei qui Deo placere festinat.

Hic una dierum ad puteum suum me circa nonam horam transmisit, ut implerem cadum tempore refectionis instante. Accidit autem ut cum venissem, et aspidem casu in imo putei visam perhorruissem, vas vacuum reportarem, causamque timoris exponerem, dicens: Abba, mortui sumus; aspidem enim in puteo quo me miseras vidi. Subridens ille tantummodo diu me intuens aspexit, caputque concutiens dixit: Si placuerit diabolo per omnes se puteos vel serpentem vel testudinem facere, reliquumque genus venenosarum bestiarum, et in aquas fontium desilire, poterisne tu esse sine potu? moxque egressus per semetipsum jejunus aquam traxit de puteo, ac prior ipse signatam degustans ait: Ubi crux adest, ibi nihil Satanæ valet malignitas.

Sanctus iste Isidorus, qui benedictum quondam vidit Antonium, dignam rem memoria litterarum retulit mihi, quam ab ipso se dicebat audisse (*Pallad.*, c. 3). Potamiæna quædam nomine puella admodum pulchra, ancilla cujusdam erat tempore Maximiani persecutoris, quam multis frequenter ac variis promissionibus dominus suus tentans, stuprare non potuit, ita ut ad postremum amore atque insania præceps, traderet eam illi qui tunc Alexandriæ præfecturam gerebat, scilicet ut Christianam ac maledicentem de persecutionis sævitia imperatoribus, pecuniam ei sub hac pactione promittens, ut si ejus acquiesceret voluntati, sine ullo eam supplicio reservaret ac redderet: si vero in contradicendi proposito permaneret, petiit ut tormentis deficeret, ne si vixisset, libidinis domini sui contemptrix videretur. Quæ cum exhibita ante tribunal fuisset, ejusque judex variis cruciatibus atque tormentis cuperet expugnare devotam voluntatem, et inter diversa supplicia vas quoque æris immensum ac ferventi pice repletum acerrima flamma succenderet, duplicem ei præfectus immitis posuit conditionem: Aut vade, inquit, et domini tui obtempera voluntati, aut scias te in ferventem hanc picem esse mittendam. Cui puella respondit, dicens: Numquam sit alter monitor talis, qui addici jubeat libidini castitatem. Ob quod ille nimio furore perculsus, præcepit spoliatam eam in vas quod fervebat, 944 immitti. Hæc autem vox illius fuit: Per caput, inquit, imperatoris tui quod tu vereris, obtestor, ut si apud te statutum est his me tormentis necare, non simul totam, sed paulatim me in ferventem mitti jubeas picem, ut possis videre quantam mihi dederit ignotus tibi patientiam Christus. Quæ per unius horæ spatium, paulatim in ahenum candens demissa, defecit, ubi pix primum ebulliens ad ipsius colla pervenit.

Plures autem viri digni habitaculo beatorum, feminæ quoque obierunt tunc in Alexandrinæ ecclesiæ civitate, in quibus Didymus erat [1], oculorum quidem lumine destitutus, divinarum tamen Scripturarum peritia pollens: quem ego intra decem annos diversis temporibus quater vidisse me memini, quippe post octoginta et quinque annos vitæ terminum fecit (*Pallad.*, c. 4). Hic igitur quem loquor captus est oculis, ut ipse retulit mihi, cum quartum ageret ætatis suæ annum: qui neque magistris traditus litterarum, neque prima unquam elementa cognoscens, habebat insitum bonum semper incolume, naturalem magistrum conscientiam suam. Quem tanta gratia scientiæ spiritualis ornabat, ut in eo evidentissime quod scriptum adimpleretur, Dominus cæcos sapientes facit (*Psal.* CXLV). Testamentum quidem Vetus ac Novum ad verbum interpretatus est; sectas autem omnes tam subtiliter firmiterque exposita super ipsas ratione disseruit, ut omnium scientiam veterum peritiamque transiret. Qui cum me cogeret quondam ut orationem in cella ipsius facerem, nec tamen ejus acquiescerem jussioni, hoc referendo dicebat: Ad istud, inquit, hospitium ter benedictus Antonius, dum me visitare dignatur, ingressus est; et rogatus a me ut in hoc loco flecteret genua et precem funderet, statim fecit, ac secundo noluit se rogari, ipsis me rebus docens sanctorum voluntatibus obedire. Quamobrem si vestigia ipsius, inquit, sectaris ac vitam quemadmodum monachus, et pro acquirendis virtutibus peregrinus, nolo contendas.

Hoc quoque idem retulit mihi: Cum, inquit, grandi quadam sollicitudine ac tristitia fatigarer propter Juliani imperatoris infelicissimam vitam, ita ut quadam die usque ad vespertinas profundæ noctis horas non attingerem panem, anxietate confectus; forte accidit ut somno residens occuparer, et in quadam transmigratione animæ revelationem talem viderem: Quatuor equites cum albis equis per diversa discurrentes, clamantesque: Dicite Didymo, Hodie hora septima Julianus mortuus est. Surge igitur et cibum sume, et ad Athanasii episcopi domum mitte, ut ipse quoque cognoscat hoc. Natavit itaque, sicut ipse dicebat, et

[1] Origenista hic fuit.

mensem, et septimanam, et diem, et horam, et sic omnia sicut audierat approbavit.

Retulit etiam mihi et de puella quadam, cui nomen erat Alexandra (*Pallad.*, *c.* 5), quæ relicta ea, in qua erat civitate, consederat intra quoddam sepulcrum, per foramen exiguum necessaria alimenta suscipiens, et neque viros neque mulieres unquam videns per annos decem. Decimo vero anno dormitione ultima migratura seipsam composuit; quod illa, quæ deferebat ei juxta consuetudinem cibum, retulit nobis, dicens, nullum se tunc accepisse responsum; quo audito, illitum ostium clausumque patefecimus, et ingressi defunctæ corpus invenimus. De ipsa autem et beatissima Melania mulier Romana, de qua paulo post referam, ista dicebat : Vultum quidem ipsius puellæ se videre non potuisse, stantem autem ad foramen sepulcri petiisse ut ei diceret causam ob quam se in illo sepulcro concluserat. Quæ per memoratum foramen locuta : Cujusdam animus, inquit, in me læsus erat quondam, et ne viderer eum vel contristare vel perdere, malui me ipsam in sepulcro dum vivo recludere, quam nocere animæ ad similitudinem Dei factæ. Qua dicente rursus : Quemadmodum igitur pati potes, o ancilla Christi, ut neminem prorsus videas, sed in solitudine tali contra acediam vel cogitationes habeas tam juge certamen? Hoc illa respondit : A principio, inquiens, diei nonam usque ad horam orationi vaco, ex lino opus per horas singulas faciens, reliquo autem temporis spatio cogitatione discurro per sanctos prophetas, apostolos, atque martyres, et patriarchas; cæteris vero horis cibum panis capio, appropinquante vespera cum maxima quiete Dominum meum glorificans, finemque vitæ meæ cum spe bona patienter exspectans.

Sed ne illos quidem tacitos præteribo, quorum vita omnis in contemptu quodam propriæ salutis fuit, ut ex hoc etiam bene meritos prædicemus, et legentibus cautelæ studio consulamus.

CAPUT II.

De quadam virgine, et de Nitriensibus monachis, Ammone, Or, Pambo, Ammonio, Benjamin.

Virgo quædam solo nomine Alexandriæ fuit (*Pallad.*, *cap.* 6), quæ quantum ad speciem pertinebat, humilis videbatur; quantum autem ad propositum ipsius, animæ inflatioris erat, variis opibus satis dives, amatrix potius auri quam Christi; nusquam procedere solens, non peregrino, non virgini, non vim patienti, non monacho, non ecclesiæ, non pauperi vel exiguam stipem præbens. Hæc sanctorum Patrum frequentibus monitis, nunquam a se tam inutile animæ pondus abjecerat. Habebat autem et nonnullos parentes, inter quos filiam sororis suæ adoptaverat sibi, qua sola diebus ac noctibus fruebatur, omisso atque contempto amore cœlestium. Nonnunquam enim et hæc species, quam diabolus immittit, erroris est, ut sub affectus colore, qui deberi videtur affinibus, avaritia cupiditasque nutriatur. Quod autem nullam dæmon cupiditatis et generis curam gerat, hinc profecto monstratum est; ipse enim est qui homines

A in matres, in fratres, in patres cogit fieri parricidas. Qui etiamsi prætendere quibusdam aliquando videatur necessitudinem parentelæ, non ideo illud ut prosit iisdem facit, sed ut animabus eorum injustitiæ crimen accumulet, divinæ non ignarus sententiæ, quæ injustos ab hæreditate regni cœlestis excludit (*I Cor.* VI). Potest sane quis spirituali scientia divinoque amore commotus, nec propriæ animæ salutem contemnere, et suis parentibus, si forsitan egere videantur, vitæ alimoniam pie largiri; sed si penitus animam suam conculcat et despicit, sola propinquitatis sollicitudine occupatus, sententiam divinæ legis incurrit, animam, ut dixi, suam deputans vanitati. Sacer autem conscriptor ille Psalmorum canit de iis qui animæ suæ curam metu maximo gerunt, dicens :
B Quis ascendet in montem Domini? **945** hoc est dicere, satis raro. Aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam (*Psal.* XXIII). Illi namque in vano animam suam accipiunt, qui putant eam una cum corpore dissipari atque dissolvi, virtutum scilicet spiritualium contemptores.

Istam ipsam solo nomine virginem volens sanctus ille Isidorus [*Lege* Macarius, *ex Palladio*] presbyter detractione sanguinis (ut dici in proverbiis solet) facere a cupiditatis onere utcunque leviorem, tali erga eam usus ingenio est. Præerat autem, ut prius dixi, cellulis fratrum pauperum atque debilium, idemque in primis juventutis suæ annis in lapidibus et margaritis probandis videbatur peritus. Accessit
C igitur ad eam, dicens : Lapides ad me necessarii atque pretiosi smaragdi et hyacinthi subito venerunt; et sive quis invenerit eos, sive furatus sit, scire non possum; statuere autem ipsorum pretium nequeo, quia cujuslibet summam quantitatis excedunt, omnes enim simul quingentis solidis distrahuntur. Si ergo eos tibi placuerit comparare, poteris unum ex ipsis quingentis vendere solidis, et reliquos nepotis tuæ monilibus deputare. Suspensa igitur omnimodis illa quæ dicebatur virgo in affectu puellæ, decipitur hujusmodi ornatu, et complexa illius pedes orat et petit, ne quis memoratos lapides alter acciperet. Cui ille sanctus, dum avide hortatur, hæc dixit : Veni in domum meam, ut hæc quæ diximus videas. Ad quod illa non acquiescens, sed magis
D quingentos solidos in sinum illius fundens, ait : Quemadmodum vis, ipse eosdem lapides tolle, ego enim nolo eum videre qui vendit. Acceptos ille igitur quingentos solidos, pauperibus debilibusque mox dividit. Post aliquantum vero temporis spatium, quia magna opinio ipsius apud omnes Alexandriæ erat (quippe qui et misericors esset, et in cultura Dei præclarus et senior, qui jam usque ad centesimi quoque anni curricula pervenisset, quod ego etiam qui cum illo diu fueram, satis agnoveram), erubescebat eum virgo memorata super ipsis solidis admonere.

Ad postremum cum illum forte in ecclesia repperisset, alloquitur : Quid, inquit, jubes, precor, de

lapidibus illis, pro quibus quingentos solidos dedimus? Cui ille respondit : Ex quo, inquit, mihi aurum dedisti, ex eo illud pro pretio ipsorum lapidum dedi, et si venire desideras, ac videre eosdem in hospitio meo (illic enim jacent), veni et vide si possunt tibi placere; sin minus, aurum referes quod dedisti. Quo illa libenter audito, ad presbyteri domum pergit, in cujus superioribus feminæ debiles habebantur; in inferioribus autem viri. Ubi autem cum ea intra primas fores ingressus, dicit eidem : Quid vis primum videre, hyacinthos an smaragdos? At illa : Quod jusseris. Ducit itaque eam ad superiores domus partes, ostenditque ei conscissis feminas membris, et vultibus totis varia morbositate laceratis, dicens ad eam : Isti sunt hyacinthi. Inde descendens, ostendit ei similes in inferioribus viros, et ait: Isti sunt smaragdi : si placent tibi, ipsos considera; sin minus, aurum recipe quod dedisti. Itaque egressa est domum, nimio rubore confusa, et plurimum tristis, quia videret se illa voluisse facere quæ Deo placere non possent. Moxque ægritudinem incurrit, ut rediit; non enim hoc secundum Dei fecerat voluntatem, sed ingeniosa viri sanctissimi necessitate compulsa. Paulo post autem maximas presbytero gratias egit, propter quod puella, cujus nimiam curam gerebat, nupta quidem, sed sine filiorum educatione defuncta est.

Cum igitur per triennium in monasteriis (quæ circa Alexandriam sita sunt) commoratus fuissem (*Pallad.*, *c.* 7), et optimos illic viros abstinentiæ virtutibus adornatos usque ad duo millia hominum, sanctissimosque vidissem, inde descendens, ad montem cui Nitriæ nomen est veni. In medio autem istius montis et Alexandrinæ civitatis, interjacet lacus qui Mariæ vocabulo nominatur, per septuaginta millium spatia diffusus. Quem cum uno ac medio transfretassem die, ad meridianam partem præfati montis accessi. Cui monti penitus deserta adjacent loca, quæ Æthiopiam usque tenduntur, et usque ad Mazicum ad mauritanum solum. In quo monte degebant quinque millia (ut arbitror) virorum, qui diversum propositi sui institutum tenentes, prout vellent possentque vivebant, ita ut alii quidem liceret manere si cuperet, alius cum uno tantum fratre si vellet, alius cum multitudine, si hoc desiderasset, habitaret. Quo in monte tam memoratis quam illis, qui ad ultimas se solitudines contulere sexcentis viris, septem pistrinis alimenta præbentur. Hujus igitur montis per totum annum usus hospitio, plurimumque a beatis Patribus instructus et doctus, ab Arsisio majore, et Putubasto, Agione, Serapione et Chronio, multisque seniorum spiritualium relationibus super iis qui ante ipsos fuerant, incitatus, usque ad alia solitudinis loca interioris accessi.

In ipso autem Nitriæ monte unam ecclesiam maximam vidi, in qua sunt tres arbores dactylorum, ex quibus singulis singula flagra dependent : quorum uno hi qui peccant monachi verberantur, alio latrones (si inciderint forte) cæduntur; tertio delicta eorum

A qui undecunque convicti in peccato vapulari meruissent, memoratas amplectentes arbores, et certas tergo accipientes plagas dimittebantur. Est etiam circa ipsam ecclesiam cella, suscipiens peregrinos ac pauperes fratres : in qua cum acceperint advenam quemlibet, per tantum illic tempus alunt, donec ipse propria voluntate discedat, biennio ac triennio, si voluerit quis, illic manere non prohibentes. Unius autem septimanæ ex quo venisset, ei otium dabant, reliquos vero dies quodcunque opus eumdem facere cogebant; deputabantque eum aut pistrinis, aut hortulis, aut coquinis. Si autem honestior aliquis minusque aptus hujusmodi operibus videretur, legendum ei Codicem dabant, omnesque usque in horam sextam a conspectu ipsius et confabulatione prohibebant. In hoc monte et placentarii habentur et medici. Utuntur quoque vino; nam illic etiam vina venduntur. Omnes autem isti manibus conficiunt linteamen, ex cujus operis emolumento nulli eorum quidquam deficit ad vitam. Est autem maximæ voluptatis, circa vespertinas horas ex unaquaque mansione monachorum varias audire voces, psalmos Christo canentium. Quo tempore si quis assistat et diligenter advertat, putabit se subito sublatum, et in paradiso constitutum. Ad ipsam vero ecclesiam solo Sabbato et Dominico die convenire consueverunt.

Sunt autem in ipsa octo presbyteri, inter quos quandiu primus presbyter vivit, nullus præter ipsum alter aut sacra offert Deo, aut tractat (2), aut judicat, **946** sed silent semper, solo consessus honore

C contenti. Ille vero major Arsisius, et alii multi cum ipso senes sanctissimi, quos et ipse tunc vidi, ejusdem temporis cujus et beatus Antonius erant; qui nobis etiam sanctum Ammonem Nitriotem se nosse dicebat; illum, cujus animam dum ab angelis ferretur ad cœlum, vidit Antonius. Hic ergo referebat quod et Pachomium Tabennesiotem aliquando vidisset, virum prophetica gratia clarum, et in monasterio tria millia monachorum regentem; de cujus virtutibus post paululum loquar.

Ipsum autem Ammonem in hunc morem vixisse dicebat : Cum esset, inquit, puer a parentibus derelictus, et ad viginti duorum pervenisset numerum annorum, invitus ab avunculo suo matrimonii vinculis illigatus est (*Pallad.*, *c.* 8). Cui cum resistere

D non posset ei quæ a parente ingerebatur necessitati, et in nuptiis jussus est coronari, et in thalamo sedere compulsus est, et omnia patienter sufferre solemnia nuptiarum coactus est. Postquam autem universi a thalamo recesserunt novis nuptis in lectulo collocatis, sanctus Ammon surgit e lectulo, ostium claudit, vocatque residens benedictam illam, et vere unanimem conjugem suam, dicens : Veni, inquit, domina, ut tibi causam ipsam hujus conjunctionis exponam. Nuptiæ nostræ huc usque sunt tantum, nihilque in se amplius habent; bene ergo faciemus, si de reliquo quisque nostrum separatim quiescat, ut Christo placere possimus si intacta virginitate vivamus. Prolatum autem de sinu parvum libellum ne-

scienti Scripturas sanctas puellæ ex persona Apostoli ac Salvatoris legebat, cui lectioni alia secundum sensum suum longe plura conjungens, exponebat eidem castitatis virginitatisque conversationem, ut illa post satisfactionem in ictu gratia divinitatis impleta diceret : Mihi quoque persuasum scias, domine, castam vitam libenter amplecti. Quid ergo jubere amplius velis exspecto. Cui ille, Hoc, inquit, jubeo et rogo, ut unusquisque nostrum separatim ab hoc die maneat. Ad quod illa non acquievit, dicens : In eadem quidem cella, sed in lectulis separatis manere debemus. Cumque hoc utrisque placuisset, decem et octo annos vixerunt, ita ut illa quidem totis diebus esset in cella, ille autem insisteret operi in hortulo quem colebat, et balsamum ea qua peritus erat arte conficeret. Quod tamen balsamum multo labore ad imaginem vinearum et plantatur, et colitur, et putatur. Vespertinis autem horis regressus domum orationibus factis, et cum eadem cibo sumpto, ac rursus nocturnis precibus ex more celebratis, ad opus solitum primo mane pergebat.

Interea dum eorum esset hæc vita, exclusa ab utroque penitus omni corporalis illecebra passionis [1], oratione sancti id quod aliquando cupiebant, obtinere cœperunt. Ait enim eidem ad postremum beata illa : Domine, inquit, mi, habeo quod dicam ; in quo si me audieris, probabitur mihi quod me secundum Deum diligis. Hortatur ille ut quod ei placeret ediceret. At illa : Justum mihi hoc, inquit, videtur, cum ipse sis sexus virilis, et justitiæ totus inservias ; cumque ego quoque propositi tui æmuler viam, ut diversis ad multorum ædificationem mansionibus separemur. Inconveniens enim atque incongruum puto, propter me tantam in occulto te habere virtutem, nec ulli esse cognitum quod in hac castitate atque pudicitia Domini amore simul vivimus et manemus. Cui ille gratias agens, Deumque glorificans, ita respondit : Bene tibi placuit, mi domina soror ; habe igitur hanc ipsam cellam, ego autem aliam mihi facere tentabo. Egressusque ab ea, mox interiora loca Nitriæ penetravit (nec dum enim tunc monasteriorum illic fuerat multitudo) fecitque sibi duarum volumina cellularum, atque ita in solitudine viginti aliis annis ac duobus transactis, defunctus est ; imo magis somno quievit, cum sexaginta duos ætatis suæ annos finisset. Per singulos tamen annos secundo semper videbat beatam illam conjugem suam.

De hoc illud miraculum sanctus Athanasius Alexandrinus episcopus retulit, in eo opere quo vitam descripsit Antonii, quod cum aliquando una cum Theodoro discipulo suo Lycum nomine fluvium cupiens transfretare, erubesceret sibi vestimentum detrahere, ne nudum unquam suum corpus aspiceret, subito sine navi in alteram fluminis partem angelo vehente translatus est. Iste igitur Ammon ita vixit atque obiit, ut ipsius animam sanctus videret Antonius, cum ab angelis ferretur ad cœlum. Memoratum vero

[1] Caute lege contra impassibilitatis assertores.

A fluvium navi ego cum metu transivi. Est enim illic derivatio quædam magni illius fluminis Nili.

In hoc etiam qui Nitrias dicitur monte, monachus erat quidam, cui Hor fuit nomen (*Pallad.*, *c.* 9), cujus virtutem multorum quidem fratrum testimonia prædicabant [2], specialiter tamen ancilla Dei Melania, quæ ante me ad loca ipsius montis accesserat ; nam ego superstitem supradictum virum videre non potui. Hæc ergo de conversationis ejus virtutibus referebat, quod nec mentitus unquam fuerit, nec juraverit, nec maledixerit cuiquam, nec sine necessitate aliqua sit locutus.

Hujus montis habitator et beatus Pambo fuit. Quem et Dioscorus episcopus, et Ammonius, et Eusebius, et Euthymius fratres, et Origenes, et Dra-B contius viri admirabiles et nepos (3), habuerunt magistrum. Qui Pambo et cum multis ac variis virtutum prærogativis, palmisque præcelleret, inter ipsas etiam hoc habuisse præcipuum memoratur, quod in tantum auri argentique contemptor fuit, ut præceptum Domini videretur implesse. Referebat ergo mihi venerabilis ipsa Melania, quia profecta de urbe Roma, Alexandriam primum fuisset ingressa. Cumque multa de ipsius viri virtutibus Isidoro presbytero et Xenodocho referente cognovisset, et eodem duce ad eum in solitudinem pervenisset, obtulisse se illi trecentas argenti libras, ac precatam fuisse ut aliquid ex ejus rebus acciperet. Qui cum sederet, inquit, et vimen intexeret, sola me voce benedixit et ait : Det tibi mercedem Deus. Deinde C dicit œconomo suo : Suscipe caute, et divide per omnes qui sunt tam in Lybia, quam in insulis fratres : hæc enim monasteria plus videntur egere quam cætera ; hoc quoque ei præcipiens, ne quid ex ea pecunia iis qui in Ægypto degunt daret, propterea quod regiones illas alimentis sciret amplius abundare. Cum autem memorata femina, sicut retulit mihi, staret, et benedictionem pro munere dato exspectaret aut laudem, nihilque ab eo audiret, ulterius ait ad illum : Scito, domine, trecentas esse in hac argentaria libras. Qui iterum nec sursum quidem prorsus aspiciens, ita respondit : Cui exhibes ista hæc, o filia, non opus habet a te mensuram cognoscere, nam qui montes lance pensavit (*Isaiæ* XL, 12), multo 947 amplius novit quantum sit hujus ponD dus argenti. Et si quidem mihi istud offerres, competenter hoc diceres ; cum autem non mihi, sed illi Deo, quem non sprevisse, imo amplius honorasse duos illos nummos agnovimus (*Marc*, XII, 42), tace, quiesce.

Sic autem Dominum ordinasse dicebat, ut post paululum tempus, posteaquam ad ipsum venerat montem, Dei servus ille requiesceret ; qui non ægritudine, non febre aliqua fatigatus est, sed sportellam consuendo septuagesimæ ætatis suæ anno quievit in pace. Ante horam vero qua de sæculo exiens spiritum suum Deo commendarat, vocavit me, et in postrema consummatione sui operis confidenter ait :

[2] Hic Hor fuit Origenista.

Accipe hanc sportellam de manibus meis, quia non A habeo aliud quod relinquam tibi, ut memor sis mei. Cujus corpore involuto in linteo, et sepulturæ tradito, ex desertis locis abscessi usque ad finem proprium, hæreditatem sancti illius habens mecum

Hic ipse Pambo in fine vitæ suæ, ipsaque hora qua exiturus erat e sæculo, assistentibus ei Paulo presbytero et œconomo, et Ammonio, sanctitate famatis viris, et cæteris fratribus, hoc dixisse memoratur : Ex quo veni in istum solitudinis locum, et habitavi in cellula quam meis manibus exstruxi, panem gratis ab aliquo me manducasse non memini, nec verbum usque in præsentem horam locutus sum, de quo pœnitentiam agere debuissem : ita tamen ad Dominum meum pergo, tanquam necdum divinæ servitutis cultum attigerim. Asserebant autem nobis B referentes, et testimoniis confirmantes suis Paulus et Ammonius servi Christi, quia nunquam cum aliquid interrogatus fuisset vel de spiritualibus vel de sæcularibus scriptis, cito responsum sciscitantibus dedit; sed semper necdum se quod responderet invenisse dicebat. Sæpe autem et cum mensium spatia fluxissent, nec sic quidem responsum quærentibus dabat, adhuc se non asserens pervenisse ad notitiam veritatis. Tam diligentes autem cautasque secundum Deum sententias proferebat, ut eas omnes tanquam ab ipso Deo prolatas susciperent. Hanc enim Antonium quoque illum magnum in suis sermonibus perhibent habuisse virtutem.

Factum etiam hujusmodi ipsius Pambo inter alia fertur (*Pallad.*, *cap.* 11), quod cum Pior monachus C venisset ad eum proprium panem ferens, et ob hoc ab illo reprehensus fuisset, interrogatus ut diceret cur hoc fecisset, respondit dicens : Ne hospes ab hospite gravaretur; quem ille tantum tacendo reprehensum dimisit continuo. Post aliquantum vero temporis ad Pior, Pambo memoratus accedens, perfusum aqua panem, ut ab his edebatur, exhibuit. Qui interrogatus cur hoc fecisset, respondit: Idcirco aquam addidi, ne tibi onerosus existerem.

Præfatus autem Ammonius [1] discipulus ipsius (*Pallad.*, *cap.* 12), aliique tres fratres, et sorores duæ, summo Dei cultu et amore flagrantes, cum ad deserta pervenissent loca, separatas sibimet mansiones fecerunt, ita ut grandi a semetipsis spatio D separarentur. Hunc ergo Ammonium, quia supra modum lectioni scripturarum vacabat, civitas quædam episcopum sibi fieri postulavit : cujus cives cum hoc a benedicto Timotheo quodam petissent, et ille dixisset : Adducite eum ad me, et faciam ut vultis; cum magna multitudine ad eum, quo facilius abstraheretur, ingressi sunt, captumque se ille perspiciens, rogare cœpit eos, et per sacramenta firmare, acquiescere se omnino non posse ut vel exiret de solitudine quam tenebat. Cumque videret non concedi sibi ut faceret quod petebat, ferro aurem sinistram radicitus (cunctis videntibus) secuit; hæc dicens : Vel nunc probabitur vobis impleri non posse quod cupitis, jubente lege divina nullum aure præcisa oportere fieri sacerdotem. Et ita demum relicto eo, ad propria reverterunt. Cum vero remeassent, et episcopo ista dixissent, ille respondit : A Judæis lex ista servatur; ego autem si dederitis mihi aliquem etiam naribus truncum, sed moribus probum, non eum dubitabo episcopum facere. Hoc audito pergunt ad ipsum instantissime, eum rursus rogantes; quo non acquiescente, vim quoque inferre tentabant. Quibus juratus ille respondit : Si me cogere volueritis ulterius, etiam linguam meam (quia propter ipsam mihi molesti estis) abscindam. Tunc demum sic eum, cum super hoc nihil proficerent, reliquerunt.

Cujus Ammonii fertur tale miraculum. Cum quædam delectatio carnalis sine ulla corpusculum ejus intermissione vexaret, candenti ferro propria membra laniabat, ut ex omni parte plenus esset semper ulceribus. Esca vero ejus fuit hujusmodi. A juventute sua usque ad obitum crudis est usus cibis, interdum etiam præter panem. Vetus autem Novumque Testamentum memoriter retinens, etiam libros eloquentissimorum virorum Didymi, Pierii, atque Stephani [*Pallad.*, Athanasii et Basilii] usque ad sexcenta millia versuum legendo transivit. Hæc autem de eo testificantur etiam Patres sanctissimi in eremo commanentes. Hujus etiam prophetica virtus multis innotuit. Inter fratres vero qui secreta eremi diligebant, nullus illo in officio consolationis superior. De hoc sententiam beatus Evagrius spiritualis vir et virtute discretionis præcipuus, proferebat, dicens nullum se vidisse hominem qui sic superaverit corporeas passiones. (*Caute lege.*)

[Hic idem sanctissimus cum a Ruffino (4) temporis illius præfecto prætorii multiplici supplicatione rogatus fuisset, ut magno illo Ammonio Constantinopolim ob necessarias eremi actiones adveniente, ipse quoque dignaretur venire, vehementer id precantibus sanctis diversarum provinciarum episcopis, aliisque quampluribus eremitis (qui ad dedicationem basilicæ, quam ipse condiderat, convenerant), memoratum Ruffinum propriis manibus suscepit sacro fonte mundatum. Quem suæ conversationis merito plurimum veneratus est, sancto Ammonio cupiens in omnibus obedire : qui paulo post dormivit in Domino, sepultusque est in basilica, quæ appellatur Ruffiniana; in cujus sepulcro curari feruntur cuncti diversis febribus laborantes.] [2]

In monte Nitriæ, de quo supra diximus (*Pallad.*, *cap.* 13), quidam vir fuit mirabilis, nomine Benjamin, per octoginta annos in abstinentiæ virtutibus summam donorum spiritualium gratiam consecutus : qui sive manus cuiquam imposuisset, sive olei benedictionem dedisset, ab omni languoris molestia solvebatur. Hic ergo qui talibus divinæ gratiæ muneribus præminebat, ante octo menses dormitionis suæ aquoso languore pervasus, in tantum miseranda plu-

[1] Hic Ammonius fuit Origenista.

[2] Hæc inclusa desunt Palladio.

gnedine suæ carnis intumuit, ut nostris temporibus secundus Job putaretur.

Assumens itaque nos Dioscorus episcopus, qui tunc presbyter Nitriæ fuit, me et beatum Evagrium hoc modo est allocutus : Venite, et videte **948** novum Job, in tanto tumore corporis atque insanabili passione singularem patientiam possidentem. Euntes igitur vidimus hominem tanto corporis tumore distentum, ut minorem manus ejus digitum, utrarumque manuum nostrarum conjuncti digiti minime complecti valerent. Cumque non possemus dura passionis ejus diu respicere, oculos nostros ab eo deflexímus. Tunc ille beatus Benjamin ait nobis : Orate, filii, ut homo meus interior isto languore sit liber; hoc namque corpus nec sua me sanitate sublimem reddidit, nec dolore dejectum. Per octo itaque menses illos facta est ei sella latissima, in qua incessanter sederet, jam non valens in lectulo requiescere propter reliquas corporis necessitates. Qui tamen in hujusmodi sui corporis passione constitutus, alios Dei gratia sanare consueverat quolibet languore vexatos.

Necessarium igitur existimavi referre hujus sanctissimi passionem, ut non admiremur quoties viris justissimis quædam corporales necessitates contingunt. Defuncto autem viro fortissimo, postes januarum (nec enim aliter tanti tumoris corpus ejici potuisset) sublati sunt.

CAPUT II.

Vita abbatis Apollonii cognomento Ex negotiatoribus, et duorum aliorum fratrum conversorum.

Apollonius quidam nomine (*Pallad.*, *cap.* 14), unus ex negotiatoribus renuntians sæculo, montemque Nitriæ habitans, cum jam neque artem discere prævaleret senio præpeditus ætatis, neque abstinentiam spirituali Scriptura mandatam exercere, hujusmodi continentiam sibi instituisse cognoscitur. Ex propriis pecuniis atque laboribus, omnem remediorum speciem atque cellaria in Alexandria comparans civitate, cunctis fratribus languentibus necessaria exhibebat. Videres autem eum a principio diei nonam usque horam universa tam virorum quam feminarum monasteria peragrantem, et per singula ægrotos ostia visitantem, portantemque secum uvam passam, malogranata, ova, siligines, quæ maxime necessaria videntur infirmis. Ad talem vitam, cui solum aptus erat, suam hic famulus Christi instituerat senectam; qui tamen ante obitum suum cum aliquem sui similem reperisset, ei omnem ministerii hujus supellectilem tradidit, comprecatusque est eum, ut hujusmodi curam fratribus exhiberet. Cum enim quinque millia monachorum in supradicto monte consistant, necessaria vel maxime talis sollicitudo est et consolatio, sine qua in desertis illis non vivitur locis.

Alii etiam duo quidam fratres fuerunt [1], quorum pater emendis vel mutandis mercibus studens, usque ad Hispaniam semper negotiando pergebat. Quo

A mortuo, diviserunt inter se substantiam ejus, quæ in mobilibus tantum erat : in auro quidem quinque millia solidos, in mancipiis vero vel vestibus quidquid invenire potuerunt. Isti igitur uno animo communique consilio inter se tractare cœperunt, dicentes invicem sibi : Quam, frater, eligimus viam vitæ! si mercationem in qua pater noster vixit arripimus, etiam ipsi labores nostros aliis relinquemus, nosque fortasse euntes in pericula, præcipites vel marini (ut assolet) fluctus, vel latronum tela consument. Sequamur igitur, frater, solitudinem magis vitamque monachorum, ut et paternam hereditatem lucremur, et animas nostras nulla rerum malarum contagione perdamus. Quod propositum cum utrisque placuisset, in electione solitariæ vitæ diversum singuli tenuerunt iter.

B Divisis igitur quas pariter reliquerant rebus, unum quidem habuerunt uterque propositum ut placerent Deo, sed non in una institutione vivendo ambo placuerunt. Alter enim ex ipsis omnibus suis rebus per omnia monasteria, et ecclesias, et carceres divisis, artem sibi reperit quamdam, ex qua quotidiani cibum panis acquirens, et quam elegerat vitæ et orationi vacabat; alter autem nulli ex substantia propria quidquam dedit, sed monasterium sibi fecit, ubi paucis secum fratribus collocatis, omnes advenas, omnes senes, omnes pauperes, omnes suscipiebat infirmos, et per Dominici ac Sabbati diem ternas et quaternas mensas indigentibus exhibebat, hisque universam suam substantiam modis quoad vixit expendit. Quo utroque defuncto, beati ambo, diversis

C opinionibus probabilis vitæ consummatione celebrantur. Et iste quidem aliis, ille vero aliis semper placebat.

Ex quorum laudibus orta inter fratres contentione, quod uterque videretur fuisse perfectus, ad sanctum Pambo, ut ab eo verum cognoscerent, pergunt. Quem cum judicem elegisse se dicerent, petentque ut quis e duobus fecisset melius edoceret, utrumque ille apud Deum perfectum esse respondit. Nam alter quidem ex ipsis Abrahæ, alter Eliæ moribus vixit. Cumque non sedato intra se certamine dicerent, deprecantes, quemadmodum pares possunt videri, et non magis præcedat ille qui evangelica præcepta complevit, qui cuncta vendidit, pauperibus donavit, quique per omnes horas, omnes dies, omnes-

D que noctes, Dominicam crucem portans, perpetua Salvatorem oratione comitatur? Cumque alii diversa ex parte contenderent dicerentque, Quia iste, quem nos amplius prædicamus, tantum circa egentes suum ostendit affectum, ut aggeribus publicis assideret, tribulantes undecunque colligeret, et non suæ tantummodo consuleret animæ, sed multas atque multorum curando infirmitates, ac necessaria præbendo salvaret. Ita beatus Pambo ad utrosque respondit : Idem iterum vobis loquor, pares ambo sunt apud Dominum, et utrisque me satisfacturum puto. Hic enim si tam perfectus monachus non fuisset, dignus

[1] Palladius, c. 15, 16, vocat *Pæsium* et *Isaiam*, atque ita hic Ms. etiam habet.

profecto non esset ut eum bonitati illius compararem; ille vero reficiens egenos atque peregrinos, aliquod ex ipsa communione solatium sentiebat. Nam et si labores ipsius esse magni oneris videbantur, attamen habebat et requiem aliquam cum labore. Exspectate autem, ait, ut super hoc (Deo revelante) cognoscam; quod cum veneritis ad me, deinceps audietis. Post paucos itaque dies cum eum rursus rogarent, beatus ille ita respondit, dicens : Ante Deum vobis loquor, utrosque in paradiso simul stare conspexi.

CAPUT IV.

Vita Macarii monachi homicidæ.

Juvenis quidam, qui Macarius dicebatur (*Pallad.*, *cap.* 17), annorum decem et octo, dum cum æquævis suis pecora pascens juxta lacum (cui Mariæ nomen est) ludit, homicidium fecit invitus; nullique quidquam dicens, ad deserta perrexit, in tantum humano atque divino territus metu, ut amens factus per triennium videretur, dum sine tecto in **949** solitudine permaneret. Est enim terra ipsa semper sine pluviis. Norunt hoc quod loquor cuncti, qui et scripturarum lectione, et experientia rerum periti sunt. Ipse beatissimus, quem dico, in deserto sibi cellulam fecit. In qua viginti quinque alios annos ætatis suæ vivens, talem divinam gratiam meruit, ut exsultans solitaria vita, illuderet dæmones atque despiceret.

Hic mihi, apud quem multum temporis feci, interroganti quas animus ipsius de facto homicidii cogitationes haberet? usque adeo se tristem non esse dicebat, ut ex ipso homicidio quod ignarus admiserat, Deo gratias actitaret. Inde enim aiebat occasionem sibi salutis allatam : dicebat autem, Scripturarum testimonia proferens, quod nunquam magnus ille famulus Dei Moyses divinitatis meruisset intuitum, neque tantum assecutus donum Dei fuisset ut mysteria cœlestia ac sancta conscriberet, nisi Pharaonis regis metu propter homicidium quod in Ægypto admiserat, ad Sina montis deserta fugisset (*Exod.* II).

Hæc autem ego dico, non ut ad homicidium quemquam videar incitare, sed ut ostendam magis, quod ex malis rebus interdum, si in eas incidamus inviti, occulta Dei providentia ad virtutis gloriam pervenimus; alia enim genera virtutum necessitati ascribimus, alia voluntati.

CAPUT V.

Vita beati abbatis Nathanaelis.

Fuit alter quidam de antiquis viris nobilissimus agonista, nomine Nathanael (*Pallad.*, *cap.* 18), quem ego superstitem quidem videre non potui; quieverat enim ante quindecim annos adventus mei : ab illis tamen qui una cum ipso per multum tempus vixerant monachis virtutem ipsius viri diligentius requisivi. Ostenderunt autem mihi et cellam ipsius, in qua manere consueverat, in qua tamen post ipsum nullus habitavit, eo quod viciniam ipsius loci homines incolebant. Tunc enim cellam suam ille beatus constru- A xerat, quando raro adhuc aliqui se ad secreta solitudinum conferebant.

Hoc autem ab illis magnum continentiæ bonum de memorato agnoscebam viro, quod tantæ in cella sua patientiæ fuit, ut in proposito suo nunquam omnino titubaverit, ex quo primum irrisus atque tentatus videbatur a dæmone, qui omnes et illudit et fallit, cujus fraude ex priore, acediam perpessus, cella dicitur recessisse, aliamque vicinam vico cuidam fabricare cœpisse. At ubi et perfecit alteram mansionem, et in ea cœpit habitare, post tres vel quatuor menses per noctem ad eum dæmon accessit in speciem militis, imaginemque carnificis figuratus, qui pannis obsitus, sordere deformiter, sonumque flagris facere videbatur. Ad quem beatus Nathanael hæc dixit : B Quisnam, inquit, tu es, qui talia in hospitio meo facere conaris? Ille respondit : Ego sum qui te ex priore cella fugavi, quoque nunc veni, ut ex hac quoque mansione te pellam. Quo audito, ille ubi illusum se vidit a dæmone, reversus est statim ad habitaculum prius, ac triginta et septem annos in eadem mansione complevit, ne ipsum quidem limen egrediens, contendendo cum dæmone quem superare cupiebat. Qui quidem tantis eum machinationibus impugnando vexabat, ut quocunque modo cellam suam cogeretur exire, quantas singulatim referre non possum.

Inter quæ immundus ille spiritus hoc quoque aggreditur, ut eum a propositi sui lege deflecteret. Captato namque adventu quorumdam septem sanC ctorum episcoporum, qui ad requirendum eum sive providentia Dei, seu dæmonis tentatione venerunt, cum episcopos ipsos post orationem factam egredientes, ne uno quidem passu prosequeretur, dicunt ad eum diaconi episcoporum : Superbam rem admodum facis, abba, quod non deducis sanctos episcopos. Quibus hoc ille responsum dedit : Ego et dominos meos episcopos veneror, et omnem clerum debita honorificentia prosequor, cunctorumque hominum me extremum esse non dubito; sed et his et universo sæculo mortuus sum : occultum autem propositum et mei cordis arcanum Deus novit, propter quod sanctos non prosequor viros. Deceptus igitur dæmon ac lapsus de spe præsentis ingenii, aliam contra ipsum ante novem menses obitus ejus artem machinatur.

D Fit subito parvulus puer veluti annorum decem, minans asinum, panes in cista ferentem : qui cum ad cellam ipsius multa satis nocte venisset, asinum in terram ruisse simulavit, et clamantem parvulum finxit. Abba, inquit, Nathanael, miserere mei, et manum mihi porrige. Audita ille ista quasi pueri parvuli voce, intra ostium, cujus partem recluserat, stat dicens ei : Quis es tu? vel quid a me cupis fieri? Puer sum, inquit, illius monachi, et eidem panes porto, quia ipse frater tuus agapen facturus est. Crastino autem illucescente Sabbati die, necessaria est hæc oblatio spiritualis. Quæso igitur ne despicias jacentem, ac ferarum morsibus tradas; multæ enim belluæ illa esse per deserta noscuntur.

Stabat sanctus Nathanael velut æneus, et vehementer incertis cogitationibus stupens, sensuque turbato secum ista versabat: Necesse est me aut misericordiam, quod est maximum in præceptis divinis, non facere, aut a proposito deviare. Ad postremum autem rationabili confirmatus ingenio, satis esse melius judicavit, si et diabolus erubesceret, et tantum ei ac tot annorum meritum non periret. Oratione igitur ad Deum facta, respondit ei, qui quasi parvulus loquebatur: Audi, infans, credo in ipso cui servio, qui dominatur omni spiritui, quia si necessarium habes alicujus auxilium, ipse præstabit, nec tibi aut feras aut quempiam alium nocere patietur. Si autem quædam res ista tentatio est, jam nunc Dominus meus aspiciat, et suam faciens voluntatem, non me ex ea lædi concedat ulterius. Tunc clauso ostio, se recepit. Confusus autem dæmon et victus, resolutus est in turbinem venti, et in sues agrestes [*Ms.*, onagros], discursibus ac strepitu lascivientes. Hæc beati Nathanael vita fuit perpetua, hic finis, hæc palma.

CAPUT VI.

Vita duorum magnorum Macariorum, unius Ægyptii, alterius Alexandrini, necnon et Marci monachi.

Illa autem quæ de prædicabilibus ac beatis referuntur viris duobus Macariis (*Pallad.*, c. 19, 20), ut innumera atque infidelibus incredibilia dubito referre vel scribere, ne forte etiam mendacis nomen incurram. Quod autem apud Deum pereant omnes qui loquuntur mendacium, sententia sancti Spiritus declaravit (*Psal.* v). Me itaque, fidelissime virorum Lause, gratia Domini non mentiente, tu quoque
950 sanctorum triumphis incredulus non existas.

Ex his duobus Macariis unus quidem genere Ægyptius, alter vero junioris tempus ætatis vincens virtutibus, Alexandrinus negotiator erat [*Ms. addit :* qui poma vel legumina, nucesque vendebat]. Prius tamen de illo Ægyptio loquar qui vixit nonaginta omnes simul annos: ex quibus sexaginta in desertis implevit locis, ad quæ juvenis fuerat ingressus trigesimo ætatis suæ anno; tantoque abstinentiæ monachilis intra decem annos vixit certamine, ut jam tunc discretionis sapientia præmunitus, senis puer nomen acciperet, eo quod velocius ad matura conscendit certamina. Ubi enim primum esse quadragenarius cœpit, et contra spiritus aerios, et in curationibus hominum, et denuntiationibus futurorum divinam gratiam meruit, postremo etiam sacerdotis (ut dignus erat) nomen accepit. Discipulos hic secum habebat duos, in desertis interioribus quæ Scythiæ vocantur: quorum unus minister ipsius erat, nec ab ejus latere recedebat, propter eos qui causa curationis frequentare consueverant; alter autem separatim in propria cella manebat. Post aliquantum autem temporis dum prævidentibus futura oculis intuetur, ait Joanni nomine ministro suo (qui postmodum etiam ad presbyteratum, loco ejusdem sancti Macarii meruit pervenire): Audi, inquit, me, o Joannes frater, et suadenti mihi id quod tibi proderit acquiesce. Tentaris enim, et te cupiditatis atque avaritiæ spiritus vexat; sic namque vidi, et scio quod si acquieveris mihi, consummaberis in hoc quem adeptus es loco, et gloriaberis, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo (*Psal.* xc); sin vero me audire nolueris, Giezi tibi finis adveniet, cujus et morbo laboras (*IV Reg.* v).

A Evenit igitur ut post obitum beati viri, tam salubria ejus dicta contemneret post quindecim vel viginti annos: unde eum ita totum ille exsecrabilis morbus invasit (eo quod in pauperes fratres, more Judæ, furti crimen admiserat), ut non posset incolumis vel una pars ejus corporis inveniri, ne in tali quidem spatio quod unus alicujus digitus occuparet. Est ergo et hoc ex iis quæ sanctus Macarius longe ante prædixerat.

B De cibo autem ejus et potu referre superfluum puto, præsertim cum etiam a negligentioribus monachis videamus ista servari, ne aut deliciosis aut sæcularibus pares esse dicantur, maxime in illis locis, ubi vix necessaria ipsis alimenta sufficiunt, et ubi sunt tantorum quæ imitari student exempla sanctorum. De aliis igitur meritis ipsius loquar. Sine intermissione semper in quadam esse translatione animæ putabatur, imo magis plurimum vitæ suæ tempus cum Deo agere, et cælestibus amplius quam terrenis negotiis interesse; in quo et divina quædam miracula fuisse memorantur.

Nam Ægyptius quidam cum amore vesano alienæ uxoris arderet, nec posset ad effectum tam scelestæ cupiditatis pervenire, eo quod illa pudicitiæ dedita,
C virginitatis suæ conjugem nimis amaret, maleficum precatus est, ut aut se amari ab ea faceret, aut quocunque illam modo a marito proprio repudiari. Maleficus autem multis muneribus illectus, solito propriæ artis ingenio, fecit illam equam videri, non feminam. Quam ubi talem vir ejus, domum regressus, aspexit, tam monstruosa novitate turbatus (quod jacere in lectulo suo equam videret), ingemiscebat ac flebat, eo quod ipsum alloquens animal, nullum loquentis poterat audire responsum. Rogabat igitur presbyteros ipsius vici, duxitque eos domum, et quid illa pateretur ostendit. Et ne tunc quidem causam tantæ calamitatis agnoscit. Quæ tamen jam per triduum, nec ut equa feno, nec pane ut homines utebatur, utriusque escæ alimoniis destituta. Ad postremum ut
D magnificaretur gloria Dei, et ut sancti illius Macarii virtus innotesceret cunctis astantibus, subito in cor mariti ejus ascendit, ut cum ea loca deserta penetraret. Illigatam igitur eam ita ut jumenta vinciri solent, ad deserta deduxit; cumque jam sancti Macarii cellulæ appropinquaret, juxta quam monachi stabant, objurgare cœperunt memoratum virum ejus, cur cum equa ad monasterium venire voluisset. Ad quos ait ille: Veni huc ut possim misericordiam sancti orationibus promereri. Illisque interrogantibus quid mali haberet: Uxor, inquit, mea est hæc, sed in equam videtur esse conversa: habet autem hodie tertiam diem ex quo nullum penitus cibum sumit. Quod cum supradicti fratres oranti sancto Ma-

cario (cui jam et hoc ipsum Deus notum fecerat) retulissent, et pro eadem instanter oraret, hæc fratribus dixit: Vos, inquit, equi estis, qui equorum habetis oculos; illa enim mulier est, nec transfigurata in aliam naturam videtur, nisi eorum oculis qui præstigii vanitate falluntur. Confestimque benedictam capiti ipsius nudæ infundens aquam (oratione completa), subito videri eam omnibus feminam fecit, jussitque eam refici, et gratias agentem Deo cum conjuge suo remeare præcepit, hæc dicens: Nunquam omnino a communione sanctorum mysteriorum separetur, nunquamque ab ecclesiæ oratione discedat. Hoc enim idcirco perpessa est, quia per septimanas quinque mysteria divina non attigit.

Aliud iterum ipsius factum proloquar. Per longum temporis spatium, cuniculum quemdam sub obscuro terræ profundo a cella sua duxit, per dimidii spatium stadii usque ad soli alterius summitatem: ubi speluncam sibi proprio sudore perfecit, ut quoties ferre non poterat molestiam frequentantium, relicta cella sua per occultum iter se ad speluncæ latebras conferret, itaque a nullo unquam se voluisset videri. Referebat ergo nobis quidam de studiosis ipsius aliquando discipulis, quod quoties de mansiuncula sua ire ad speluncam solebat, viginti et quatuor eundo orationes, et totidem redeundo faciebat.

De hoc ipso fama vulgavit, quod et mortuum suscitarit, dum quemdam hæreticum vult docere, qui resurrectionem corporum negabat futuram. Quæ fama in desertis illis locis, sicut est vera, permansit.

Ad hunc aliquando filium juvenem dæmone laborantem, lamentans mater exhibuit, eumque duo in singulis lateribus vinctum tenebant viri. Cujus dæmonis hanc operam esse dicebant: Posteaquam infelicem hominem, trium modiorum panes edere, et unius amphoræ lagenam [*Ms.*, vel cilicensis lagenæ aquam] bibere coegisset, ructando universa quæ devoraverat, in aerem quemdam fumumque convertere consueverat, atque ita omnia vel comesta vel potata quasi quodam ignis ardore solebat absumere. Est autem et legio dæmonum, quæ flammea nominatur. Sicut enim inter homines, ita et inter illos multa est distantia, non naturalis substantiæ, **951** sed diversæ ac dissonæ voluntatis. Iste igitur juvenis, cum ei tam enormes cibos mater propria parare non posset, edebat frequenter egestionem sui corporis ac bibebat. Ob quod flens mater infelix de intolerabili calamitate filii sui, sanctum illum, ut miserabilem juvenem curaret, orabat. Cumque continuas apud eum preces plurimasque fudisset, orante super illum, Deumque precante viro sanctissimo, post unum vel alterum diem cœpit tanti mali medicina procedere. Ait autem matri ipsius: Quantum vis ut comedat filius tuus? At illa, Decem inquit, panes. Quam ex hoc sanctus ille reprehendens: Quid, inquit, locuta es? Septem itaque diebus jejunans et orans pro eo, tres eum libras panis jussit accipere, ita tamen ut opus propriis faceret manibus. Quem hoc modo per

A gratiam Dei curatum, et ad pristinam sanitatem reductum, propriæ reddidit matri. Hoc quoque miraculum per sanctum famulum suum Deus fecit, quem virum ego in corpore videre non potui; ante annum enim quam ad illas solitudines introirem, ille tantus decertator quievit in Domino.

Illum autem Macarium qui Alexandriæ presbyter fuit, vidi in his locis quæ Cellæ nominantur, in quibus Cellis ego per annos novem mansi; in quibus triennii tempus cum eo vixi, et illa quidem miracula sub oculis meis fecit, alia vero ex ore ipsius didici, cætera autem aliorum relatione cognovi.

Habebat itaque hoc in proposito vitæ suæ, ut si quid magnum a quibuscunque sanctis in abstinentia fieri didicisset, hoc ferventer impleret. Cognito igi-
B tur a quibusdam quod Tabennensiotæ nihil cocti cibi per quadragesimam totam edere dicerentur, statuit intra semetipsum, ut per septem annos nihil quod coctum fuisset igne, gustaret, sed crudo tantum olere contentus esset; ita ut si forte unquam leguminis aliquid reperisset, neque inde gustaret. Hoc ergo cum amplius quam volebat imitando fecisset, de reliquo, tanquam nihil esset grave, contempsit.

De alio iterum qui unam tantum panis libram comederet, audivit hic eximius monachorum, cupiensque eum imitari, confractum atque in partes redactum modicas buccellatum (5) in lagenas misit, et statuit tantum ex eo edere, quantum posset manus ipsius una proferre; et ita mihi lætus ipse postea referebat, hoc dicens: Plures quidem particulas buccel-
C lati intra lagenam comprehendebam, totum tamen quidquid intrinsecus tenere potuissem, foras proferre non poteram propter angustias oris exigui. Publicanus etenim meus, ut omnino non ederem non sinebat. Per triennium ergo sub hac observatione vixit, quatuor aut quinque tantum uncias panis assumens, et tantumdem bibens aquæ, unumque expendens sextarium olei, quod per totum illi annum sufficiebat

Aliam rursus propositi ipsius agnosce virtutem. Hic virorum fortissimus somnum aliquando vincere statuit; et hoc ipse dicebat, quod per viginti dies nec semel quidem sub tectum aliquod fuisset ingressus, ut sic vinceret somnum, diurni quidem æstus ardoribus flagrans, nocturno autem frigore tremens,
D et quemadmodum ipse referebat, ipse velocius ad tectum rediisset, somnumque cepisset, usque adeo sibi aruisse jam cerebrum intelligebat, ut sine sensu propemodum putaretur. Vici ergo, inquit, quantum ad me pertinet somnum; naturæ vero, quem exigebat usum debitum, cessi.

Hic quodam die dum in cella sua matutinus sederet, culicem sensit: a quo vulneratus in pede, dolensque eum manu sua peremit, qui et moriens, plurimum cruoris effudit. Reprehendens igitur factum suum, in eo quod injuriam propriam vindicasset, ita condemnare se voluit, ut in pratis eorum locorum quibus Scythiæ nomen est, qui in solitudinibus extremis jacent, nudus per sex menses sederet, ubi

culices, crabronibus similes, aprorum quoque perforant cutem. Ergo illic exulceratus est totus, quibusdam tuberibus per omnia ejus membra turgentibus, ut unus crederetur ex illis esse, qui elephantiosi vocantur. Post sex autem menses regressus ad cellam suam, sola (quod ipse esset Macarius) ejus voce patefactum est.

Hic idem desideravit aliquando (sicut solebat referre) hortum, in quo essent Jannes et Mambres malefici sepulti, videre, qui sub Pharaone plurimum potuisse memorantur. Qui longo in tempore et grandi potentia suæ artis quadratis lapidibus supradictum opus exstruxerant, in quo superposita fuerat memoria prædictorum, ubi et aurum reconderant, et variis arbusculis locum repleverant; puteum quoque fecerant, eo quod sine aliquo videretur humore idem B locus esse. Hæc autem omnia idcirco fecisse dicuntur, quod se post obitum in eodem loco tanquam in paradiso crederent esse mansuros. Ignorans itaque famulus Christi Macarius quænam ad memoratum locum deduceret via, æstimatione quadam animi solas cœli stellas (quod in mari nautis solet fieri) dum per deserta ambulat, sequebatur. Fascem vero calamorum portaverat secum, ut per millenos passus singulos figeret, quo facilius posset agnoscens sua signa remeare. Per novem igitur dies itinere confecto, præfatis appropinquavit locis: cui ferocissimus dæmon, qui semper adversum Christi athletas dimicare consuevit, collectos omnes ex propriis locis calamos a mille passibus prædictæ memoriæ quiescenti, subito ad caput posuit. Cumque sanctus Macarius surrexisset a somno, agnovit eos quos alibi reliquerat calamos. Credo autem quod et hoc permittente Deo ad examinationem memorati viri contigerit, ne spem aliquam haberet in calamis, sed magis in Dei gratia, qui in columna nubis per quadraginta annos iter populo Israel in deserto monstravit. Dicebat autem, de supradicto horto septuaginta dæmones ad adventum ipsius prosiluisse clamantes, et circa oculos ejus ac vultum corvorum more volantes, dicentesque: Quid vis, Macari? quid vis tentator monache? quid ad loca nostra venisti, in quibus manere non poteris? numquid et nos aliquos monachorum tentavimus? Habes eremum propriam cum tui similibus, unde nostros quoque propinquos expellere festinas, nihil nobis tecum commune est. Quid nostras regiones ingrederis? si habitator es eremi, tua tibi solitudo sufficiat; nobis hunc locum sui tradiderunt incolere conditores. Qui! hanc possessionem quæris irrumpere, in quam nullus unquam hominum, postquam nobis a fratribus nostris nostra hic manu sepultis est tradita, vivens ingressus est? Cumque adhuc dæmones plurima replicarent, atque lugerent, beatissimus ille respondit: Ingrediar 952 tantum ut videam, continuoque discedam. Et dæmones: Hoc, inquiunt, nobis per tuam conscientiam sponde fideliter. Christi vero servus ait simpliciter: Hoc faciam. Continuoque dæmones ab ejus oculis recesserunt. Ingressum se igitur, atque illic suspen-

A sum æneum cadum reperisse dicebat circa puteum cum catena ferrea, longa jam temporis vetustate consumptum, mala etiam granata intrinsecus vacua, ac nimio solis ardore siccata. Sic itaque inde discedens, per viginti totos ad cellulam suam revertitur dies. Cui cum aqua quam portaverat cum panibus deesse cœpisset, et grandi molestia penuriæ laboraret, ac pene deficeret, apparuit ei quædam (ut ipse referebat) puella, puro linteo cooperta, ferens ampullam aquæ stillantis, uno a se stadio separata. Quam per triduum ambulans supradictum vas sibi ostendentem videbat, et velut stantem vicinius, ac se invitantem, ita ut putaret quidem assequi eam posse, nec tamen valeret. Igitur spe bibendi, laborem se trium dierum patienter sustinuisse dicebat. Multitudo autem bubalorum grandis apparuit (sunt autem illic plurimi hujusmodi greges) inter quos una de bubalis cum pullo suo astitit subito, ut et ipse referebat, cui lac ex ubere fluebat in terram. Subjeci me ergo, inquit, et labia feriuis uberibus in os meum expressuras apposui, quousque ad satietatem refectus sum; idque sibi suffecisse dicebat, usque dum ad cellam perveniret. Quem ipsa etiam bestia subsecuta, ubera eidem sua præbebat, neque proprium fetum sancti illius contemplatione suscipiens.

Alio rursus tempore dum ad requiem monachorum puteum facit, inter virgulta vel frutices aspidis dente percussus est, cujus morsum necesse est continuo mors sequatur. Correptam igitur eam, et utraque manu ab ore distentam, scidit mediam, dicens C ei: Cum te non miserit Deus meus, cur ausa es huc venire?

Habebat autem diversas in desertis locis cellulas, in quibus virtutum operabatur insignia: unam in interiore solitudine, cui nomen est Scythi; aliam in Libya, ubi Cellæ vocantur [Ms., aliam in Libya, aliam in Cellis]; aliam in monte Nitriæ, ex quibus quædam sine fenestris erant, ubi per totam quadragesimam sedere in tenebris hic beatissimus dicebatur. Alia cella angustior erat, in qua pedes suos extendere non valeret. Alia latior, ad quam venientes ad se suscipere consueverat. Tantas autem hic hominum dæmoniis laborantium curabat catervas, ut numerus esse non posset, nobis etiam illic degentibus.

De Thessalonica ad eum nobilis ac dives virgo D perducta est, quæ jam per multos annos paralysi laborabat. Quæ cum ei fuisset oblata, atque ante cellam beati viri projecta, motus in eam misericordia, per viginti dies propriis manibus oleo sancto perungens, ac Domino pro ea preces fundens, incolumem suæ reddidit civitati. Quæ postea plurima ad solitudines, cum fuisset propriis pedibus regressa, transmisit.

Hic idem cum audisset grandem vitæ conversationem Tabennensiotas habere, veste mutata ad similitudinem alicujus operarii, sumpto habitu sæculari, intra quindecim dies per deserta iter faciens, Thebaidem usque pervenit. Cumque pervenisset ad monasterium memoratorum hominum, primum quidem,

quem archimandritam vocitant, requisivit, Pachomium quemdam nomine, probabilem per omnia virum, habentem spiritualem gratiam prophetiæ, cui tamen de Macario nihil fuerat revelatum. Ad quem cum venisset, hæc dixit : Quæso ut me in monasterio tuo suscipias; monachus enim esse desidero. Ait illi magnus ille Pachomius : Senilibus annis gravaris, et monachus esse jam non potes, neque inter cæteros fratres qui hoc ab adolescentia didicerunt, vivere vales, eo quod consuetudinem eorum laboremque non pateris; cumque abstinentiæ tentationes non ferens, læso animo egressus ab his fueris, maledicere eis incipies quos non potueris imitando sectari. Noluit itaque nec primo eum nec secundo die, nec per totam suscipere septimanam. Dumque jugiter persisteret in rogando jejunus, ad postremum, Suscipe me, inquit, abba, et si me in jejunio, vel in opere inferiorem ipsis deprehenderis, statim de tuo monasterio pelle. Quo audito, ille persuasit fratribus ut in monasterio reciperetur. Est autem illic unius numerus mansionis, habens etiam usque in præsentem diem ad mille quadringentos viros. Cum igitur fuisset ingressus in eam sanctus Macarius, et post breve tempus supervenissent quadragesimæ dies, videretque diversos vario more viventes, alium vespertinis horis solventem jejunium, alium vero post biduum, alios etiam post dies quinque gustantes, alium stantem totis noctibus, et per diem sedentem, laborantemque; ille de arboribus dactylorum cortices tenens infusos ac copiosos, in uno angulo stabat usque ad quadragesimæ finem et principium Paschæ, non panem, non aquam gustans, non flectens genua, non in terra jacens, sed tantum modica cauliculorum folia cruda Dominico die sumens, ut manducare aliis videretur. Si quando autem ad corporalem necessitatem fuisset egressus, confestim remeabat, ac stabat, non os aperiens, non alicui quidquam loquens, sed cum summa taciturnitate consistens, et in corde suo tantum jugiter orans, atque id solum operis quod in manibus tenebat efficiens. Quem cum esse tam duræ atque inimitabilis vitæ monachi omnes considerassent, quasi quadam adversum principem suum seditione commoti : Unde, inquiunt, nobis istum adduxisti, qui ita vivit quasi in carne non sit humana, ad condemnationem omnium nostrum? Audi igitur, et aut tolle eum a nobis, aut scito omnes nos ex hoc monasterio hodie recessuros. Ille autem tali conversatione atque virtute ejus audita, deprecatus est Dominum, ut quis esset eidem revelaret. Quo statim facto, arreptum eum manu ad oratorium suum duxit, ubi erat altare divinum, osculatusque eum dicit illi : Veni, optime senex, tu ille Macarius es, et mihi te celare tentabas; ex multis annis te videre cupiebam, audiens de te magna miracula : gratias tibi ago, quia colaphos infantibus nostris dedisti, ne magnum aliquid in conversatione vitæ suæ facere se putarent. Revertere igitur nunc ad loca unde veneras; sufficienter enim nos omnes ædificasti, et ora pro nobis. His verbis rogatus ab omnibus, inde discessit.

Quodam rursus tempore hoc retulit nobis, dicens : Quodcunque genus vitæ, et quoscunque mores abstinentiæ spiritualis desideravi, imitatus sum, atque perfeci. Iterum inquit : Aliquando animum meum quædam novæ cogitationis cupiditas occupavit, ut vellem quinque diebus continuis **953** sensum cordis mei inseparabilem a Deo facere. Statuensque intra mentem meam, et clausis ita ostiis cellæ atque vestibuli, ut nullus hominum responsum a me posset accipere, cœpi instare a principio septimanæ, dicens sensui meo : Vide ne velis a cœlo ad terram descendere. Habes illic angelos atque archangelos, altissimasque virtutes, cherubim ac seraphim, primumque omnium creatorem Deum : illic conversare, sperne illa quæcunque infra cœlestia videntur habitacula, ne carnales cogitationes incurras. Atque in hoc, inquit, duobus diebus ac duabus noctibus perseverans, usque adeo dæmonem provocasse ac stimulasse me sensi, ut ille in flammam ignis subito conversus, omnia quæ habere intra videbar incenderet; ipsamque etiam matiam (6) super quam stare consueveram, ut totum jam me arsurum esse crederem. Ad postremum tanto timore percussus, ab hujusmodi proposito tertia abscessi die, cum viderem tam jugiter individuum Deo animum me habere non posse. Descendi ergo iterum ad cogitationes sæculares, ne aliquod mihi ex perpetuo divinitatis intuitu genus arrogantiæ nasceretur.

Ad hunc ipsum Macarium cum aliquando venissem, reperi ante fores cellæ ipsius presbyterum quemdam, cujus totum caput adeo exesum et consumptum erat illa valetudine, quæ carcinus (7) nominatur, ut os etiam verticis videretur : quique illuc ut curaretur advenerat, nec tamen usque in illum diem a sancto Macario susceptus fuerat aut ab eo visus. Ego itaque tunc ipsum rogans petivi ut ejus misereretur, et saltem responsum ei daret. Ad quod mihi ille sanctus hoc dixit : Non est dignus iste curari; hanc enim pœnam ex præcepto Divinitatis accepit. Si autem vis curari eum, persuade illi prius ut a sanctorum sacrificiorum immolatione discedat. Cumque ego dicerem : Cur, obsecro, id fieri jubes? Quia fornicationis, inquit, immunditia pollutus ministeria Domini violare consueverat, ob quod talis supplicii atrocitate cruciatur; sed sicut dixi, si nunquam velut sacerdos sacrificia contigerit divina, accipere (Deo juvante) poterit medicinam. Cum ergo illi qui hac valetudine laborabat ista dixissem, ut cum sacramento mecum pacisceretur non se ulterius ad officium sacerdotis accedere, tunc demum a sancto illo vocatus est; qui eum his allocutus est verbis : Credis, inquit, Deum esse, cui nihil occultum est? Respondit ille : Credo. Non potuisti, inquit, virtutem Divinitatis ejus evadere? Respondit ille : Non potui, domine mi. Tunc magnus ille Macarius, Si agnoscis, inquit, peccatum, et vis evadere istam quam propter illud tibi Dominus intulit pœnam, emendare de reliquo. Quo audito, ille proprium confessus est crimen, et de cætero se nunquam pecca-

turum esse promisit, neque functurum sacerdotis officio, sed inter laicos jam futurum; et tunc demum illi manum sanctus imposuit, atque in paucis diebus capillorum quoque recuperatione curatus, Deumque glorificans, sancto etiam viro gratias referens, videntibus nobis ad propria remeavit.

Post hæc adducitur ad eum in mei præsentia puer quidam, qui sævissimi dæmonis spiritu laborabat. Cumque unam super caput ejus posuisset manum, et ad cor ipsius aliam, tandiu deprecatus est Deum, quandiu suspendi in aere eum faceret, qui puer in morem utris totus inflatus, supra quam æstimare quis posset intumuit, et subito aquam ex omni parte membrorum cum clamore maximo vocis effudit. Itaque paulatim omni illo tumore residente, ad pristinam sui corporis rediit sanitatem. Quem sanctus sancto perunctum oleo, et benedicta perfusum aqua, proprio reddidit patri, præcepitque ut per quadraginta dies nec carnes eum edere, nec vinum potare permitteret, et sic eum perfecte reddidit sanitati.

Hunc eumdem sanctum Macarium quodam tempore cogitationes vanæ gloriæ stimulando vexabant, volentes eum de cella ipsa ubi degebat abstrahere, et suadentes ei, atque demonstrantes quamdam veluti operis boni speciem, ut ejus causa pergeret Romam, sanaturus videlicet eos qui illic nequissimis dæmoniis vexabantur. Summa enim gratia divinæ virtutis hic beatissimus contra immundos spiritus utebatur. Cum ergo talibus incitamentis, quibus expulsare eum dæmon volebat, per multum tempus reluctaretur, fortiterque se videret urgeri, projecit se subito supra cellulæ suæ limen, ita ut extra cellulam suos relinqueret pedes, ac diceret: Ducite me, o dæmones, si potestis, et trahite; ego enim pedibus meis non ibo quo vultis. Si ergo hoc me modo portare potestis, en proficiscar, sacramenti quoque adjectione confirmans, quod usque ad vesperam de eo non consurgeret loco. Unde si me, inquit, non moveritis, sciatis vos ulterius a me non audiendos. Diu itaque jacens immobilis, tandem profunda vespera propinquante surrexit. Sed nocte quæ subsecuta est, rursus ei dæmones molesti esse cœperunt. Ille vero sporta duos modios recipiente arenis repleta, impositaque humeris suis, in desertis locis spatiabatur. Huic Theosebius quidam, genere Antiochenus, occurrens, cui et Cosmetor cognomen erat, dicit ei: Abba, quid tantum onus portas? in me potius quod devehis transfer, et noli tuos humeros fatigare. Ille autem dicebat: Vexo vexantem me; otio enim fruens, iter aliquod agere me compellit. Cum autem ita onustus ambulasset diutius, et confecisset illo pondere suum corpusculum, regressus in cellam est.

Hic ipse sanctus aliud miraculum retulit nobis (erat nam ue presbyter). Notavi mihi, inquiens, eo tempore quo sancta mysteria fratribus dabam, quod Marco monacho nunquam dedissem, sed semper ei A sancta de altari angelus dabat, solam tamen manum dantis videbam.

Erat autem Marcus iste summi ingenii, qui dum juvenis esset, Novum ac Vetus Testamentum memoriter retinebat, admodum placidus et quietus, et castitatis proposito singularis (*Pall.*, *c.* 21). Una igitur die dum ego aliud quod agerem non haberem, in ultima ejus senectute ad eum usque perrexi, et juxta ostium ipsius sedens quasi tiro novusque monachus, supra homines eum esse existimans, sicut et erat, audire quid loqueretur, vel quid ageret desideravi. Fuit autem solus intrinsecus, centum circiter annos agens, qui et dentes quoque longa nimium ætate perdiderat. Contra se ergo ipsum, et contra dæmonem litigabat, dicens: Quid amplius decrepite B senex quæris? ecce oleum vinumque gustasti. Quid ultra cupis in extremis ætatis tuæ, devorator ac ventris cultor? hujusmodi verbis in se injuriosus existens. Tum et dæmoni ista dicebat: Ne adhuc tibi debeo aliquid quod furari prævaleas, **954** nihil aliud invenis? Jam recede a me, hominum inimice. Atque hoc sibi quasi insultando dicebat: Veni, pessime senex, quandiu tecum morabor?

Referebat autem nobis Paphnutius quidam discipulus hujus beati viri, quod aliquando bellua quædam (8) exhibuit sancto Marco catulum suum cæcum, vestibulumque ostii ejus capite percussit, et ingressa ad eum sedentem foris in atrio, projecit ante pedes ipsius catulum suum [1]. Quem ille tenens et exspuens in oculos ejus, oravit: continuoque lucem C quam amiserat vidit, secumque tunc ipsum proprio lacte nutritum mater abduxit. Sequenti autem die eadem bestia sancto ac beatissimo viro pellem ovis exhibuit, quam memoratus servus Christi sancto Athanasio episcopo dereliquit; quamque sancta Melania postea a beatissimo viro Athanasio accepisse se dixit. Et quid mirum si ille qui mansuescere fecit Danieli leones, etiam huic belluæ talem sapientiam dedit?

Dicebatur præterea de beato Marco, quod ex quo lavacri gratiam spiritualem promeruit, nunquam exspuisset in terram, sexagesimum post baptismum agens annum, et quadragesimum ante baptismum.

Erat autem figura corporis hujus athletæ Christi (oportet enim me de hoc quoque tibi significare, fa- D mule Dei Lause, eo quod parvitas mea conversata cum eo diutius eumdem cognoverit diligenter) statura brevis, non multa barba faciem vestiebat, sed circa labia tantum erat, parumque circa mentum aliquid videbatur. Ex nimia enim abstinentia, et pene jugi inedia, etiam vultus ipsius nudus præter cæterorum hominum consuetudinem videbatur. Ad hunc ego cum admodum tristis aliquando venissem, diceremque ei: Abba Macari, quid jubes faciam, quoniam variæ cogitationes animum meum conturbant, dicentes mihi. Proficiscere hinc, quia nihil agere te cernis; ille respondit: Dic, inquit, ipsis cogitationibus tuis: Propter Christum parietes cellæ istius custodio. Illæ

[1] Palladius, c. 20, hæc de Macario narrat.

tibi, amator et famule Dei doctissime, pauca de multis A ex factis sancti Macarii vel dictis significavi.

CAPUT VII.

Vita Moysei Æthiopis, Ægyptii monachi.

Moyseus quidam genere Æthiops (*Pall.*, c. 22), colore corporis niger, servus alicujus curialis (9) erat : quem ob detestandos ejus mores dominus suus a se abjecerat. Dicebatur enim et palam latrocinari, et homicidia perpetrare. Necesse est autem ut malignitatem quoque ipsius dicam, quo magis possim pœnitentiæ ejus monstrare virtutem.

Referebant igitur quidam quod magister quorumdam latrocinantium exstitisset, cujus et hoc inter latrocinia ejus factum memorabatur : pastorem quemdam, qui in regione quadam una cum canibus suis morabatur, nocte ei ad scelestum eunti negotium B impedimento fuisse; qui tantum irascebatur, ut eum vellet occidere. Observabat ergo illum locum in quo suas oves ille claudebat. Cumque eidem nuntiatum fuisset quod trans fluvium Nili cum grege suo esset, atque in tantum fluvius ille crevisset, ut super alveum suum mille passus teneret, gladium suum mordicus tenens, et veste super caput imposita, totum fluvium natando transmisit, quousque ad ovium cubile pervenit. Cumque eum natantem respiciens, mersus in arena pastor lateret; tunc ille arietes quatuor electos, atque jugulatos, et fune connexos tenens, ita rursus natando remeavit. Reperto autem parvo et occulto loco, in quo nudatis pelle ovibus, carnibusque quæ videbantur esse optimæ devoratis, et reliquis venditis, ac vini commutatione distractis, decem et octo C Italicos (10) ipsius vini solus exhausit, et sic ad ea in quibus collegas suos reliquerat loca, per millia quinquaginta revolavit. Iste igitur talis qualem loquor, vix aliquando compunctus, ex alicujus necessitatis periculo ad monasterium se contulit fratrum, suæque pœnitentiæ vitam sic vehementer arripuit, ut etiam Clemonem malorum consortem suorum (11), qui a prima cum eo ætate peccaverat, ad cognoscendam virtutem Christi eminus collocaret [1].

Hoc quoque illius quondam factum refertur. Latrones quatuor numero, qui in cellam ipsius impetum fecerant, quis ille esset qui ibi degeret, nescientes inquirebant. Quos ille correptos pariter et ligatos, veluti saccum aliquem palearum impositos dorso suo, ad fratres ubi simul omnes morabantur exhibuit, hoc D dicens : Quia nulli nocere jam possum, quid de istis jubetis? Tunc ergo etiam ii quos ille detulerat, ad pœnitentiam venire cœperunt, confitentes Deo sua delicta, maxime cum amarent ipsum Moyseum, qui inter omnes dudum latrones, ut eorum princeps nominabatur. Glorificantesque Dominum, ipsi quoque conversi sunt propter hujus conversationem, et facti sunt monachi probatissimi. Rationem autem hanc suis sensibus colligebant, dicentes : Quod si iste qui tam potens erat tanquam invictus inter latrones, sic Deum agnovit et timuit, quare nos animarum nostrarum salutem dilatione remoramur?

[1] Palladio Herveti hoc deest.

Hunc ipsum beatum Moyseum (oportet enim eum tali jam vocabulo nuncupare) dæmones quondam urgere cœperunt, ut ad consuetudinem impuritatis et fornicationis antiquæ reverteretur. Qui tot ac tantis modis, ut referebat ipse, tentatus est, ut pene eum a proposito vitæ salutaris averterent. Venit iste igitur ad sanctum illum et beatum virum Isidorum, qui in locis quibus Scythi nomen est, morabatur, referens ei quibus impugnaretur modis. At ille respondit : Nolo, inquiens esse te tristem. Adhuc enim principia hæc tua sunt, et idcirco hujusmodi cogitationes tibi vehementer insurgunt, antiquam consuetudinem requirentes. Nam ut a macello canis, quo vesci assuetus est, non recedit, quod rursus si clausum fuerit, neque ullus in eo steterit, a quo aliquid canis speret, abscedit; ita et tu si perstiteris in proposito abstinentiæ tuæ, membra tua quæ sunt super terram mortificans, gastrimargiæ excludens introitum (quæ fornicationis est incentivum [*Coloss.* III]), fatigatus dæmon ac victus, cui fomenta ciborum non porrigis, ulterius tibi molestus esse cessabit. Quibus auditis, regressus ad propria servus Christi Moyseus, instanter ac fortiter sui curam gerebat, ante omnia abstinens a cibo, nihilque aliud accipiens nisi duodecim sicci uncias panis, maximo tamen operi incumbens, et quinquaginta diurnas faciens orationes. Cumque his modis suum consumpsisset corpusculum, nec sic quidem somnia circa ipsum vana cessabant.

Rursum igitur ad quemdam sanctorum alterum
955 probatissimum pergit, dicitque ei : Quid faciam, quod ita mihi pristina consuetudine semper in somnis obscuratur animus, sensusque turbatur, et a voluptatibus carnis experta memoria non recedit? Ille respondit : Idcirco adhuc hoc pateris, quia nec mentem tuam ab hujusmodi cogitationibus separasti. Si igitur paulisper te volueris vigiliis occupare, et orationibus puris perseveranter insistere, facile poteris ex hac molestia liberari. Qui etiam hujus hortatu suscepto consilio, tanquam ab homine qui hoc experientia didicisset, ad propriam revertitur cellam, statuitque per universam noctem nec genua solo flectere, nec oculis somnum dare. Atque ita per sex ibidem annos noctibus cunctis stans in medio cellulæ suæ, patentibus semper oculis, orare consueverat, et tamen nec sic quidem illo quo laborabat malo potuit liberari.

Aliud iterum genus durioris vitæ, ut vel sic dæmonem superaret, arripuit : vespertinis namque horis egrediebatur, et monachorum senum longa observatione viventium, per totas noctes habitacula circuibat. Quorum lagenas, quas hydrias vocant, sæpe tollebat, et aqua implebat, impletasque nullo sciente referebat. Ex longinquis enim locis interdum a duobus, frequenter autem a quinque millibus aquam sibi referebant. Insidiatur itaque ei dæmon quadam nocte venienti, non ferens ulterius tanti athletæ certamina, dumque aquam pronus tollit e puteo, renes ipsius desuper gravi quodam fuste percussit, ac semivivum

reliquit, neque quid, neque a quo fuisset passus sentientem. Postero die cum venisset illuc quidam monachus ad hauriendam aquam, memoratumque Moyseum aspexisset jacentem et hoc majori illi Isidoro Scythensi presbytero retulisset, egressus ipse cum quibusdam, prædictum ad monasterii sui ecclesiam fecit protinus exhiberi. Ubi per totum annum tali ægritudine laboravit, ut vix tandem ad pristinum robur corpus ejus revocari potuisset. Tunc illi sanctus Isidorus hæc dixit : Cessa, Moysee, in tantum dæmones provocare, et tam pertinaciter contra eos velle contendere. Est enim et modus certus in ipso vitæ monachorum proposito intra quem nos oportet nostras exercere virtutes. Cui hoc ille respondit : Tandiu ego ab hac intentione mei animi non recedam, quandiu somnia ac vanas cogitationes a me videam separari. Ait ergo tum illi : In nomine Jesu Christi recesserunt jam a te turpia somnia; ideoque ad sanctorum mysteriorum communionem confidenter accede. Scias autem quod idcirco dæmon ad tempus esse te fortior visus est, ne te jactare posses quod tantam tentationem facile superasses, ut ex hoc magis saluti tuæ res ipsa prodesset. Hæc audiens, rursus ad propriam reversus est cellam, diligenter custodiens deinceps sub quiete mensuram. Postea vero, hoc est post duos menses, a sancto Isidoro interrogatus utrum illi molestus memoratus spiritus exstitisset, hoc dixit : Nihil se hujusmodi ex ea hora, qua famulus Dei pro ipso oravit, ulterius fuisse perpessum. Tantam autem hic ipse adversum dæmones gratiam Dei promeruit, ut amplius nos a muscis, quam ille a dæmonibus terreretur.

Hanc Moysei Æthiopis vitam fuisse cognovimus, qui et ipse inter magnos illos numeratus est viros. Obiit autem septuagesimo et quinto ætatis suæ anno apud Scythin, ubi presbyter quoque factus, septuaginta discipulos moriens reliquit.

CAPUT VIII.

Vita Pauli monachi ex monte Pherme.

Mons est in Ægypto, qui ad vastissimam Scythensis regionis solitudinem tenditur, cui nomen est Pherme (*Pallad.*, *cap.* 23). In hoc monte pene quingenti resident abstinentissimi monachi; in quibus est quidam, qui Paulus vocatur, egregius monachus, qui hujusmodi moribus vixit : Non ex quacunque re negotiatus est unquam, non aliquod opus fecit, non ab ullo aliquid præter id quo vesceretur accepit; nihil autem aliud faciebat, nisi quod incessanter orabat : statutas sane atque manifestas, hoc est trecentas numero orationes habebat, ita ut totidem collectos intra suum sinum gestaret lapillos, ex quibus singulos, ubi fecisset singulas orationes, de sinu proprio jactare consueverat.

Hic ipse cum ad sanctum Macarium illum, cui erat cognomen Urbani, vivendi ipsius causa aliquando venisset, dixit ad eum : Abba Macari, valde tristis sum (*Pallad.*, *cap.* 24). Quem cum referre ille tristitiæ suæ causam cogeret, ita respondit : In vico aliquo, virgo quædam esse perhibetur, triginta annos in monasterio habens, quam jejunare cognovi, atque ita septimanas jugiter totas, post quinque semper dies gustando transigere, quotidie facere septingentas numero orationes. Quo cognito se desperasse dicebat, eo quod cum ipse esset vir, et sani corporis, plus quam trecentas orare non posset. Cui sanctus Macarius ad ista respondit, dicens : Ego sexagesimum annum agens, centenas orationes per dies singulos facio, et tantum operis exerceo, quantum sufficere mihi possit ad vitam; certum mihi etiam tempus excipio, quo salutationem atque sermonem fratribus reddo, nec me super hoc ut negligentem incusant atque reprehendunt cogitationes meæ. Si autem tu qui trecentas orationes facis, insuper a conscientia tua te redargui dicis, manifestum est quod aut has sine aliqua reprehensione non facias, aut quod plures nolis facere cum possis.

CAPUT IX.

Vita Chronii presbyteri et Eulogii scholastici.

Chronius mihi Nitriæ presbyter aliquando referebat : Cum essem, inquiens, adhuc juvenis, et fatigatus spiritu acediæ, quodammodo mente languerem, de archimandritæ mei monasterio fugi, et usque ad Antonii montem errando perveni (*Pallad.*, *cap.* 25). Sedebat autem ille in ultimo solitudinis, inter loca quæ Babylonis et Herculis habent nomen, unde itur ad Rubrum mare, prope triginta millibus a fluvio separata. Cum ergo venissem ad monasterium ejus, quod propinquum flumini erat, ubi discipuli ipsius in eo qui Pispir appellatur loco, Macarius et Amatus sedebant, quique supradictum virum defunctum sepelierunt, per quinque ibidem exspectavi dies, ut Antonium sanctum viderem. Dicebatur autem ad monasterium ipsum venire sæpissime, aliquando post decem, aliquando etiam post viginti, interdum post quinque dies, prout illuc eum exhibuisset Deus multis qui confluebant ad idem monasterium profuturum.

Plures igitur tunc diversis laborantes necessitatibus convenerunt fratres, inter quos et Eulogius quidam monachus Alexandrinus erat (*Pallad.*, *cap.* 26), cum alio qui elephantioso morbo cruciabatur, quos illuc **956** propter hujusmodi causam venisse memorabant.

Hic Eulogius scholasticus (12) erat sæcularibus litteris eruditus, qui immortalitatis desiderio captus, huic mundo renuntiaverat, distractisque rebus omnibus atque dispersis, parum aliquid pecuniarum reliquerat sibi, quibus (quia operari per se non poterat) uteretur. Cum igitur eum quædam animi defectio fatigaret, et nec cum multis in monasterio degere, neque solitariam vitam posset ferre patienter, reperit quemdam publice in platea jacentem, ita valetudine illa (quam superius dixi) repletum, ut sine manibus et pedibus videretur : cui lingua tantummodo immunis a tantis cruciatibus erat, qua magis posset ab intuentibus malorum suorum remedium promereri. Cumque eum assistens vidisset Eulogius, oratione facta ad Deum, et quadam cum Domino pactione celebrata, his allocutus est verbis : Domine, inquit, Deus, in tuo nomine suscipio istum tam immani valetudine

præpositum, et repauso (13) eum usque in diem mortis, ut propter istum possim et ipse salvari. Adsis ergo mihi, Christe, atque patientiam tali ministerio largiaris. Moxque ad jacentem illum ait : Vis, inquit, frater, suscipio te in domum meam, et quacunque potero ratione sustento? Cumque hoc ille libenter amplecti, si dignaretur, se diceret : Vadam ergo, inquit, et asinum quo veharis adducam. Cui vehementer exsultans consensit ægrotus; quodque mox fecit Eulogius, et memoratum ad hospitium suum sine ulla dilatione transvexit.

Per quindecim igitur annos jugi curatione et perpetua ei sollicitudine serviebat, per quod omne tempus, et ille cui tantum deferebatur obsequium cum gratiarum actione et patientia grandi, cuncta tolerabat. Et Eulogii manibus et medicamentis, cibisque et balneis, prout competebat valetudini, curabatur. Post quindecim vero annos instinctu dæmonis, supradictus ægrotus immemor tot laborum Eulogii, tantorumque meritorum, cœpit ab eo velle discedere, multisque eum injuriis atque opprobriis increpare, dicens : Fugitive, qui propriam domum devorasti, furatusque es alienam substantiam, in me occasionem salutis tuæ reperisse te credis? Eulogius autem rogabat eum, et satisfaciens animo ejus dicebat : Noli, mi domine, noli talia loqui, sed dic potius quid te contristaverim, et emendo. Elephantiosus autem cum furore dicebat : Vade, nolo istas adulationes tuas. Projice me, inquit, in publicum, refrigeratione tua non egeo. Eulogius autem, Obsecro te, inquit, placare, aut quid te contristaverim, venerande senex, edicito. Elephantiosus autem asperior, in furore dicebat ad eum : Jam non fero fraudulentas irrisiones tuas, adulationes et subsannationes tuas non tolero, nec mihi hæc arida parcaque vita jucunda est; volo carnibus saturari. Cumque exhibitæ ei a viro patientissimo Eulogio carnes fuissent, cœpit iterum proclamare : Non potes, inquit, meæ satisfacere voluntati, nec tecum solitarius habitare prævaleo. Populum videre, ad publicum ire desidero. Dicit ei Eulogius : Ego tibi adduco multitudinem fratrum. Rursus ferocior, ac pene blasphemus ægrotus : Væ, inquit, misero mihi, tuam faciem nolo videre, et adducis mihi similes tui, solius panis devorator es? concutiensque semetipsum inquieta voce proclamabat, dicens : Nolo, nolo; ad publicum ire desidero. O violentia! in eum locum me projice, unde me sustulisti. Tanta ergo erat ejus insania, adeoque sensus ipsius in ferinos quodammodo clamores converterat dæmon, ut et suspendisset forte laqueo se, si manus per quas hoc facere posset habuisset.

Ad vicinos itaque monachos pergit Eulogius, dicens eis : Quid faciam, quod elephantiosus iste me penitus desperare jam fecit? Dicunt ei : Quam ob causam? Respondit eis : Quia dura sunt quæ mihi conatur impendere; et quid agam ignoro : projiciam eum? sed aliter Deo dextras dedi, et satis vereor (14). Non projiciam eum? sed iterum tot ac tanta mala dierum ac noctium ferre non possum. Quid de ipso igitur a me fiat ignoro. Ad quem illi his verbis loquuntur : Dum A adhuc vivit et superest magnus ille (sic enim vocabatur) Antonius, ascende ad eum; ægrumque navi impositum in monasterium ipsius defer, exspectans ibi donec spelunca sua egressus adveniat. Quem cum videris, referes ei ista quæ pateris, atque ab eo consilium postulabis. Quidquid autem tibi super hoc dixerit, facies, et ejus monitionibus acquiesces, sciens a Deo juberi tibi quidquid ille præceperit. Mox igitur sermonibus fratrum libenter instructus, supradictum ægrum blandis precibus superans, littorali naviculæ imposuit, sustulitque de civitate per noctem, et ad discipulorum sancti Antonii habitaculum duxit. Evenit autem ut altero die horis vespertinis superveniret illuc sanctus Antonius, referente mihi Chronio quod chlamyde ex pellibus facta indutus advenerit. B Solebat autem veniens ad monasterium fratrum, vocare ex ipsis Macarium, eumque his verbis interrogare : Venerunt aliqui huc fratres? Et ille venisse dicebat. De Ægypto, inquit, sunt, an de Jerosolyma? hoc autem signum ab his jusserat dari, ut quoties aliqui non satis digni colloquio ipsius advenirent, venisse Ægyptii dicerentur. Quoties autem sancti quidam et spirituales viderentur viri venisse, de Jerosolyma nuntiarentur. Tunc ergo veniens juxta consuetudinem suam, cum interrogasset utrum Jerosolymitæ illic fratres, an Ægytii essent, respondit Macarius dicens, ex utroque illic quosdam genere se vidisse. Cum autem didicisset Ægyptios venisse, dixissetque illi sanctus Antonius : Fac illis lenticulam (15), et sumam cibum una cum eis; oratione completa, jubebantur C abscedere. At cum Jerosolymitas venisse didicisset, per totam cum ipsis noctem sedens ea illis quæ saluti eorum proficerent loquebatur. Memorata igitur eum nocte sedisse referebat, et unumquemque ad se de iis qui convenerant evocasse.

Cumque a nullo quis illic Eulogius vocaretur audisset, ipse in tenebris propria voce suo illum nomine ter vocavit. Cui cum supradictus scholasticus non responderet, putans quod alter aliquis Eulogius vocaretur, dicit ei rursus : Te voco, Eulogi, qui de Alexandrina civitate venisti. Dicit Eulogius : Quid, quæso, jubes? Et Antonius : Quid, inquit, huc venisti? Respondit Eulogius, dicens : Qui tibi nomen meum revelare dignatus est, ipse jam et adventus mei causam procul dubio revelavit. Tum ille : Quid, inquit, D veneris scio, sed ante omnes hos fratres, ut omnes audiant, refer. Jussus igitur a magno Antonio servus Christi Eulogius, retulit ante omnes : Istum elephantiosum in platea publica reperi projectum, cujus curam nullus hominum gerebat, et promisi Deo ut servirem ægritudini ejus, quo possem et ego per illum, et **957** per me ille salvari. Ex quo autem pariter sumus, quintus et decimus annus est, sicut et vestræ sanctitati credo omnia revelata. Quia igitur post plurimos annos, cum a me nihil mali pertulerit, variis me procellis ac tempestatibus vexat, ob quod et ego ipsum a me projicere cogitavi. Propterea ad sanctitatem tuam veni, ut quid ex hoc faciam digneris me tuis edocere consiliis, et orationibus adjuvare; pessimis enim motibus totus

fatigor et crucior. Cui hoc tunc Antonius severa atque iracunda voce respondit : Tu illum a te projicis, Eulogi? sed ille non projicit eum qui a se factum esse cognoscit. Projicis eum? meliorem te inveniet, et eliget Deus qui colligat destitutum. Cumque perterritus ad hæc Eulogius verba tacuisset, relicto sanctus Antonius Eulogio, rursus cœpit ægrotum propriis sermonibus verberare, et hæc ad eum cum clamore maxime loqui : Elephantiose, cœno ac luto horride, nec terra digne nec cœlo, non desinis in injuriam Dei vociferari. Nescis quia qui ministrat tibi Christus est? quemadmodum ausus es contra Christum talia loqui? nam propter Christum se iste servitio tali et obsequiis subjugavit. Quem et ipsum mordaci sermone laceratum reliquit. Conversisque verbis ad fratres alios, ad unumquemque ita, ut ratio singulorum exhibebat locutus, rursus ad Eulogium et ægrotum redit, dicitque eis : Ne quis vestrum, o filii, quoquam se vertat, neuter ab altero separetur, sed ad cellam vestram in qua per tantum tempus vixistis redite cum pace, omnem tristitiam ponentes; jam nunc enim ad vos Dominus meus mittet. Nam tentatio ista idcirco accidit vobis, quia ad finem vitæ ambo venistis, et jam uterque vestrum merebitur coronari. Nihil ergo aliter feceritis, ne forte vos angelus veniens in eo in quo dixi loco invenire non possit, vestrisque coronis fraudemini. Qui cum ad cellam suam velociter redeundo redintegrata pace venissent, intra quadraginta dies Eulogius prior obiit, et post aliud triduum supradictus defecit ægrotus, animo vehementer incolumi.

Chronius autem cum plurimum temporis in Thebaicis fecisset locis, ad monasteria Alexandrina descendit: evenitque ut ad illum occurreret diem qui unius quidem quadragesimus, alterius autem tertius, celebratus tunc a fratribus dicebatur. Cum igitur hoc Chronius didicisset, obstupuit; sumptoque Evangelio sancto, atque in medio fratrum posito, cum sacramento ipsis per ordinem cuncta exposuit, dicens: Horum omnium quos commemoravi, interpres fui ipse sermonum, eo quod Græce loqui sanctus Antonius nesciebat; ego autem utramque noveram linguam, atque inter ipsos loquebar, illis quidem Græco, isti autem Ægyptio ore respondens.

Hoc quoque Chronius ipse nobis referebat (*Pallad.*, *cap.* 27), quod ei sanctus Antonius, in illa ipsa nocte qua beatum dimisit Eulogium, dixisset quia per totum annum Deum deprecatus fuisset, ut ostenderentur eidem per revelationem loca peccatorum atque justorum. Et se vidisse dicebat procerum quemdam usque ad nubes gigantem tetri coloris, extentas manus ad cœlum habentem, atque infra pedes ipsius lacum ad speciem maris fusum. Ubi tanquam aves, inquit, animas volantes vidit Antonius; et illæ quidem quæcunque supra manus ipsius caputque volabant, conservabantur; quæcunque autem manibus ipsius repercussæ fuissent, mergebantur in lacum. Vocem autem tunc sibi talem venisse referebat : Has omnes animas quas volantes vides, scias animas esse justorum, quæ in paradisi habitatione requiescunt; illæ autem animæ ad inferna mittuntur, quod patiuntur quicunque carnali obedierint voluntati, et quicunque iracundiam retinentes, reddere malis paria tentaverint. Referebant autem nobis tam Chronius, quam sanctus Hierax, atque alii plures vicini fratrum, ista quæ dicam.

CAPUT X.

Vita Pauli Simplicis, beati Antonii discipuli.

Paulus nomine (*Pallad.*, *cap.* 28) rusticus quidam et agriculturæ vacans, ultra omnes optimus ac satis simplex, pulcherrimæ quidem vultu, sed moribus malæ conjunctus uxori. Cum eam per plurimum temporis occulta fraude peccantem, quadam die ex agro revertens turpiter invenisset, subitoque cum alio jacentem viro deprehendisset (unde tamen divina ordinatio memoratum Paulum ad meliorem vitæ tramitem provocabat), verecunde aliquantulum risit, tali loquens ad utrosque sermone : Bene, inquit, bene; unde certum sciatis ad me hoc nihil penitus pertinere, et per Jesum qui hæc respicit juro, quod ego hanc ulterius non habebo. Vade igitur, erit tua cum filiis suis; ego enim, inquit, ibo, et de reliquo me monachum profiteor. Et post hæc nulli quidquam dicens, ascendit octo proximas mansiones, et ad sanctum Antonium pergit. Qui cum fores ejus ab eo percuterentur, egressus est, et quid cuperet sciscitanti, ait illi : Monachus fieri volo. Respondit Antonius, dicens: Cum sis admodum senex, sexaginta annos agens, monachus hic fieri non potes, sed magis vade ad vicum tuum, et operi cultoris incumbe, ut et vivere operariorum vita, et gratias agere Deo possis; imparem te enim miseriis ac labori solitudinum scias. Rursum ad hæc senex ille respondit, hoc dicens : Quidquid me docueris, id faciam. Et rursum Antonius, Dixi tibi, quia multum senex es, nec vales implere quod quæris: discede, et si monachus esse desideras, ad leviora monasteria magis perge, ad eos fratres qui possunt infirmitatem tui corporis tolerare patienter; ego enim hic solus sedeo, post quinque dies, et hoc cum summa inopia, cibum sumens

His ergo et talibus verbis excludere Paulum volebat. Cui cum ille non acquiesceret, intra ostium cellulæ se recludit Antonius propter ipsum per triduum juge, nec inde progressus est, etiam cum necessitas corporalis urgeret. Neque tamen ille de foribus tandiu exclusus, abcessit. Quarto igitur die sanctus Antonius cum necessitate naturæ compelleretur, egressus est, iterum dicens ei: Vade, inquit, hinc senex, quid molestus es mihi? habitare non potes mecum. Ad quem Paulus hoc dixit: Aliud fieri non potest, nisi ut hic vivam, inquit, et moriar. Circumspiciens igitur huc atque illuc sanctus Antonius, vidensque quod nihil secum ad vitæ alimenta portaret, non panem, non aquam, non aliud quidquam, et quod quarto tamen die in continuo jejunio permaneret, timensque ne ignarus longi jejunii nimia defectione moreretur, et aliquam sibi ex hoc relinqueret maculam, tandem suscepit eum. Tali autem conversatione vitæ per omnes degere dies cœpit Antonius, qualem

958 se non sciebat expertum, nec cum adhuc juvenis videretur. Infusos itaque cortices dactylorum obtulit ei, dicens: Accipe, et intexe funes sicut meipsum facere vides. Quod cum arripuisset senex, et quindecim numero, quas orgyias (16) vocant, nonam usque horam cum maximo labore fecisset, ait illi: Male, inquit, intexuisti; solve quod factum est, et rursus intexe. Et hoc seni homini, et per quatuor dies jejuno tam grave pondus imponens, ut cum ille tanto labori imparem se videret, a sancto tandem Antonio, necessitate tali compulsus abscederet, vitamque desereret monachorum. Qui econtra fortior ad opus surgens, detexuit funes eosdem, et rursus intexuit, maxime cum difficilior iterati operis esset labor, eo quod tortum semel restem retorquere prius et revocare ad formam priorem; et sic iterum intexere aliter cogeretur. B

Videns igitur Antonius quod ejus ista præcepta et libenter senex et patienter audisset, neque ægre iteratum suscepisset laborem, aut in aliquo saltem ad momentum tristem vultum secum murmurando monstrasset, compuncta mens ejus est, et occidente jam sole, sic affatur senem: Dic, senex, vis edimus partem panis? Paulus ait: Ut placet tibi, abba. Talis autem rursus et ista responsio flexit Antonium, quod ad nomen cibi non protinus accurrit, sed quod omnia in ipsius qui jubebat posuit potestate. Pone ergo mensam, inquit Antonius, et panes affer. Quod cum obedienter fecisset, posuit eidem sanctus Antonius eos quos Ægyptii paximates vocant, habentes senas uncias, et suam quidem partem perfudit aqua, C sicci enim ipsi paximates erant; ante illum autem tres posuit portiones. Et psalmum sanctus Antonius quem consueverat dicens, orationes quadraginta fecit, ut et sic Paulum probaret: qui rursus cum eo patienter ac libenter oravit. Eligebat enim, ut arbitror, cum scorpionibus esse potius quam cum adultera victitare. Post vero duodecim orationes, profunda vix tandem ad *manducandum nocte sederunt. Sumpto igitur uno paximate, sanctus Antonius non contigit alium. Senex vero tardius comedens, cum adhuc haberet ex uno paximate aliquantulam partem, exspectatus ab Antonio est, dum totum quod edebat absumeret. Cui rursus hoc dixit Antonius: Manduca senex et alterum paximatem. Respondit ad hoc Paulus: Manducabo et hunc alterum, si idem facere te D videro; te non edente, non edam. Ad hoc dicit Antonius: Mihi hoc satis est; monachus enim sum. Respondit ad hoc Paulus: Mihi quoque sufficit; nam et ego monachus esse desidero. Post quæ surrexit Antonius, et dictis duodecim psalmis, totidemque orationibus factis, paulisper in principio noctis quievit. Rursusque consurgens a medio noctis usque in lucem psallendo et orando vigilavit. Similiter autem et Paulus fecit. Videns ergo sanctus Antonius tam paratum ad omnia senem, ait illi: Ecce, frater, si hujusmodi quotidie agere vitam potes, mecum manebis. Cui Paulus hoc dixit: Si forte aliquid amplius jubeas ignoro; nam ista quæ vidi facile me impleturum esse confido. Sequenti igitur die dixit ei: Ecce in nomine Domini jam factus es monachus. Tunc igitur sanctus Antonius posteaquam in omnibus sibi ab eo credidit satisfactum, post certos menses, quia perfectam jam esse animam comprobasset, eo quod habitaret in eo vera et tota simplicitas, gratia eum juvante divina, unam ei cellulam fecit a tertio vel quarto lapide; dixitque ei: Ecce quia jam monachus effectus es, solus mane, ut possis etiam dæmones experiri. Intra unum igitur annum illic commanens Paulus, divinam gratiam meruit contra ægritudines hominum et contra dæmonum potestatem.

Una igitur dierum cum ad sanctum Antonium quidam fuisset exhibitus, quem scelestus dirissime dæmon urgebat, tenens inter cæteros impuros spiritus principatum, qui et contra ipsum sacrilega cœlum verba jaciebat; viso eo sanctus Antonius, hoc iis qui eum perduxerant, dixit: Non est istud opus meum; necdum enim divinam gratiam contra principem diabolicæ legionis accepi: est hoc quod quæritur Simplicis Pauli. Tunc ipse igitur benedictus Antonius ad memoratum Paulum cum eis qui advenerant pergit; dicitque ei: Abba Paule, pelle hunc dæmonem ab hominis istius anima, ut incolumis ad propria revertatur, et Dominum benedicat. Respondit ad hoc Paulus: Tu enim quid? Dicit Antonius: Mihi non vacat, aliud opus exerceo. Relictoque eo sanctus Antonius rursus ad propriam revertitur cellam. Tunc igitur assurgens senex, et orationem intentissime faciens, hæc ad eum locutus est qui dæmone laborabat: Abbas Antonius dixit ut de homine isto recedas, et glorificet Dominum. Dæmon autem in injuriam divinitatis proclamando multa dicebat: Non exeo, detestabilis senex. Arrepta ergo pelle, qua humeros suos tegebat, verberabat eum, repetens ac dicens: Exi, quia hoc abbas Antonius dixit. Injuriosa autem et in sanctum Antonium dæmon protulit verba, vehementioresque Paulo contumelias irrogabat, hoc clamitans: Detestandi senes, quod oblivio nostra præteriit; insatiabiles, qui propriis contenti non estis; quid nobiscum vobis commune est? quid in nos exercetis vestram tyrannidem? Ad postremum sic ad eum locutus est Paulus: Egredieris ab isto, aut vado, et hoc a me audiet Christus. Per Jesum, inquit, si exire nolueris, jam nunc ibo et hoc Christo loquar, et væ tibi erit. Iterum autem dæmon ferocior contra Divinitatem vociferari cœpit, et dicere: Non egredior. Iratus itaque tunc Paulus contra dæmonem reluctantem, egreditur cellam suam in ipsis mediis flammis diei: tales autem sunt æstus Ægyptiorum, ut Babyloniæ fornacis ardoribus præesse credantur. In ipso igitur scopulo montis, velut columna cœlestis stetit Paulus immobilis, et his in oratione sua locutus est verbis: Tu vides, Jesu Christe, qui sub Pontio Pilato crucifixus es, quod non ante ego ex hac rupe descendam, non cibum ante sumam, non potum, sic profecto moriturus, quam ex hoc homine immundum spiritum pellas, liberumque eum a tali morte digneris efficere. Quo ista dicente, antequam ipsa hæc verba

sui oris complesset, maxima dæmon voce proclamans, ista dicebat: Vade, vade; exeo, vim patior: ecce discedo ab homine, nec accedo ulterius. Simplicitas me Pauli urget ac prosequitur, et quo eam nescio. Moxque immundus spiritus egressus ex homine, atque in immanem draconem cubitorum septuaginta conversus, in Rubrum mare protinus devolutus est, ut impleretur quod dictum est per Spiritum sanctum, Demonstratam fidem justus refert (*Prov.* XII). Et rursus in alio loco, Supra quem requiescit spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem verba mea (*Isaiæ* LXVI)? Solent enim miserrimi ac vilissimi dæmonum a magnis viris solo fidei robore, **959** magni autem dæmones a simplicibus vel humilibus fugari.

B Hæc sunt miracula simplicis atque humilis Pauli, aliaque complura his et majora [*Supple* fecit] qui ab hominibus Simplex est nominatus.

CAPUT XI.

Vita abbatis Pachomii [Al., *Pachonii*].

Pachomius quidam nomine [1], septuagesimum ætatis suæ annum agens, in ea quæ Scythin dicitur regione degebat. Contigit itaque, dum grandis cupiditas actus venerei me cœpisset urgere, graviterque ac moleste plus ferrem, adversus sordidas cogitationes et contra insomnia nocturna confligens, quod me ab his ubi eram solitudinibus vis ipsius compellebat exire. Vicinis quidem meis nihil de pestilentia et tali ardore dicebam, nec Evagrio quidem magistro meo tale aliquid confitebar; occulte tamen ad interiora ac vastiora deserti perrexi, ubi per quindecim C dies in eo qui Scythin dicitur loco, venerabiles multos, qui ibidem consenuerant Patres vidi; inter quos et, cum supradicto Pachomio potui habere colloquium. Et quia reperi eum inter cæteros monachos prope palmam tenere, fidenter ad eum detuli animi mei anxietatem. Quia ita locutus est mihi

Non sit tibi, inquit, nova res ista, quam pateris; nam quod non ex negligentia mentis atque desidia in id quo turbaris incurreris, sufficienter tibi testimonium præbet et locorum natura, et inopia omnium rerum, et ipsarum, quod nemini dubium est, absentia feminarum; sed magis tentatione ista laboras propter studium ac desiderium castitatis. Triplex enim ex fornicationis incursu nascitur pugna: et aliquando quidem caro nostra, si in nobis fuerit D nimis sana, lascivit; sæpe autem ex cogitationibus vanis morbus iste procedit; interdum dæmon contra nos, dum nobis invidet, præliatur. Ego enim frequenter ista pertractans, ita semper inveni. Nam, ut ipse vides, admodum senex per quadraginta annos in ista cellula degens, maximamque salutis propriæ gerens curam, etiam usque ad præsens tempus hujusmodi tentatione sollicitor. Cum sacramento autem istud sanctus ipse dicebat: Per duodecim annos post quinquagesimum, non nocte, non die unquam hic a me morbus abscessit, usque adeo ut privatum me jam Dei auxilio suspicarer, ob quod merito me putarem dæmonis virtute superari. Malui tamen eo tempore irrationabili quadam morte deficere, quam tali corporis morbo cum tam obscœna deformitate succumbere; moxque progressus ac peragrans solitudines totas, speluncam feræ [*Pallad.*, hyænæ] alicujus inveni, in quam me projeci per diem nudum, ut, quod sine dubio fore credebam, ab egredientibus ex ea bestiis devorarer. Cum autem vespertinas usque ad horas sic jacendo pervenissem (juxta id quod scriptum est, « Sol cognovit occasum suum; posuisti tenebras, et facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ. Catuli leonum rugientes, ut rapiant et quærant a Deo escam sibi [*Psal.* CIII]); » exeuntes bestiæ femina cum masculo, odore ad me ducente venerunt, a capite usque ad ipsos pedes lingua me blandiente lambentes; et dum me ab illis arbitror devorandum, sic me intactum atque incolumem reliquerunt, jacensque illic per totam noctem, nihil omnino perpessus sum.

Cogitans igitur et credens quod mihi prorsus Dominus pepercisset, mox revertor ad cellam. Paucis autem diebus dæmon quievit, et rursus iterum mihi multo vehementius quam solebat incubuit, ut pene me cogeret ore blasphemo peccare. Transfiguratus est enim in quamdam Æthiopissam puellam, quam ego memineram me in juvenili ætate vidisse messium tempore calamos colligentem: quæ cum subito sedere supra genua mea cœpisset, usque adeo omnia mea membra commovit, ut cum ea me pene scelus commisisse putarem. Iratus igitur ac sæviens, percussi eam dextera mea, statimque (ut visum est) evanuit. Et si mihi dicenti credis, per biennium totum fetorem ejus (qua illam percusseram) manus ferre non poteram.

Maxima igitur animi anxietate ac desperatione perterritus, ad intima atque vastissima errabundus deserta perrexi. Ubi cum aspidem modicam reperissem, manu tentam genitalibus membris iratus admovi, ut mortem mihi vel morsus ejus inferret: caput etiam serpentis perfricando, conterens in verendis, quasi ex his mihi tentationis causa procederet. Et ne sic quidem me anguis momordit, divina, sicut credo, me gratia providente, et hoc tunc cum mihi talis in sensus vox descendisset, audivi: Vade, inquit, Pachomi, insiste agoni tuo. Ob hoc enim permisi te dæmonis virtute superari, ne inciperes quasi fortior superbire; sed ut agnoscens infirmitatem tuam, nec ex conversatione vitæ tuæ aliquam fiduciam gerens, ad auxilia semper divina confugeres. Postquam igitur mihi satisfactum est, ad propria secreta remeavi, de cætero cum fiducia sedens, neque ullo certaminis angore vel sollicitudine jam laborans, sed reliquos ævi dies pacatis sensibus vivens. Ille autem meus inimicus, cum se ita a me contemptum esse videret, neque ultra molestus mihi esse posset, confusus abscessit.

His itaque verbis contra insidiantium dæmonum pugnas sanctus Pachomius me confirmans fortio-

[1] Pall., c. 29 dicitur *Pachon.*

remque faciens, ad certamen adversum spiritum fornicationis, divina gratia tolerandum, sufficienter me exhortatum remisit ad cellam.

CAPUT XII.

Vita Stephani monachi.

Stephanus quidam oriundus ex Lybia (*Pall.*, *c.* 30) in parte eorum locorum quibus Marmaricæ et Mareotidis nomen est, per sexaginta annos sedens, usque adeo perfectus factus est monachus, tantumque habuit in discernenda rerum ambiguitate judicium, ut ejusmodi divinam gratiam mereretur: hoc est, ut quicunque ad ipsum, ex quacunque re tristis aliquando venisset, post visionem ejus atque sermonem lætus abscederet. Notus autem hic et sancto viro Antonio fuit, pervenit autem etiam usque ad nostri temporis dies: quem ego quidem videre non potui, eo quod separabant nos longa intervalla terrarum.

Sanctus autem Ammonius et Evagrius, et qui cum ipsis erant, mihi aliquando referebant, dicentes quod reperissent eum quodam tempore tali ægritudine laborantem, ut in ipsis naturæ verendis quodam ulcere (quod quidam (17) phagedænam appellant) cruciaretur. Qui dum a quodam medico curaretur, invenimus, inquiunt, eum opus quidem manibus facientem suis, et torquentem de palmis funes, ac nobiscum sermocinantem; cæteras **960** vero corporis partes medico ferroque præbentem, qui adeo per gratiam patientiæ alienus erat à sensu corporis, ut alterius crederet membra concidi.

Abscisis itaque verendis partibus cunctis, nihil penitus sentiebat. In tantum separata mens ipsius erat a rebus humanis, et cœlestibus solis cogitationibus occupata. Nobis autem tam tristitia repletis quam ipsius languoris horrore confusis, cogitantibusque quod hujusmodi illius viri vita talem incidisset in morbum, ut sic eum necesse esset secari; hoc ille beatus Dei servus Stephanus sentiens, sic dicebat: Filii, videte ne animi vestri ex valetudinis (18) hujus contemplatione lædantur. Nihil enim eorum quæ facit Deus ex aliqua malignitate descendit, sed omnia ad bonum finem, et votivum exitum spectant. Fortassis autem et ipsa pars corporis talibus dedi suppliciis merebatur, meliusque illi erat hic recipere vicem, quam ad æterna tormenta post hoc sæculum reservari.

Hæc itaque suorum contemplatio sermonum, ad patientiæ studium nos ædificatos confirmatosque dimisit. Idcirco vero hæc retuli, ne quisquam forte miretur, si videmus sanctorum aliquem hujusmodi ægritudine laborantem, aut deinceps viderimus.

CAPUT XIII.

De Valente.

Valens nomine iterum fuit quidam, Palæstinus quidem genere, sed mente Corinthius, ideo sensu inflatus (*Pallad.*, *cap.* 31). In Corinthiorum enim animis semper tumor quidam et inflatio mentis apparet; sicut ad eos scribens beatus Apostolus Pau-
A lus, de hoc exprobrat vitio, dicens: Et vos inflati estis (*I Cor.* IV).

Hic ipse Valens postquam pervenit ad eremum, in qua per plurimos annos vixit nobiscum, difficilisque vitæ assecutus est studium, ad tantum superbiæ cacumen ascendit, ut diabolicis irrisionibus ac fallaciis vinceretur. Nam paulatim eum in docendi elatione deceptum, ad hoc dæmon adduxerat, ut ita se nescio quid esse magnum putaret, tanquam quotidie angelorum visione ministerioque frueretur.

Referebant igitur ejus notissimi, quod uno quodam die, dum in tenebris opus faceret, acus illi qua sportellam consuebat, excidisset e manibus, et cum eam non posset (quia in obscuro non cerneret) invenire, lampade ministerio dæmonis ei accensa, sic
B acum quam perdiderat invenisset; rursus ex ipsa inflatione refectus, in tantum superbiæ tumorem elatus est, ut sacrorum quoque mysteriorum Christi contemneret communionem.

Evenit autem ut quidam illuc peregrini venirent, variaque leguminum genera, nucum atque pomorum ad ecclesiam fratribus exhiberent: quæ cum suscepisset sanctus Macarius presbyter noster, misissetque singulis quantum manus capere posset unius, inter quos etiam cum Valenti partem cum cæteris destinasset, Valens eum qui transmissa detulerat, injuriis plagisque confecit; hoc ei dicens: Vade, et dic Macario, quod non sum illo deterior, ut benedictiones ad me transmittat. Cumque hunc ejus errorem Macarius sanctus audisset, atque ad eum alio
C die solatii causa consiliique venisset, diceretque ei: Seductus es, frater Valens, quiesce de cætero, ac Dominum deprecare, hoc ei persuadere non potuit. Et cum penitus ab eo non audiretur, tristis de ejus ruina factus, abscessit.

Certus igitur cœpit esse jam dæmon, quod ita ut ipse voluit, fallaciis ejus ac dolis cederet Valens; moxque de ejus perditione securus, ista machinatur. In effigiem Salvatoris transfiguratus, nocte ad eum venit cum choro quodam mille (ut finxerat) angelorum, lampades accensas tenentium, et cum flammea rota, in qua Salvatorem sedere simulaverat, præcedente uno ex ipsis, eique ista dicente: Placuit Christo conversatio tua ac fiducia probabilis vitæ, et venit ad te, desiderans te videre; egredere igitur e
D cella tua, nihilque aliud facias, nisi ut venientem eminus cernens, inclinans te, adorare festines, sic deinceps ad proprium habitaculum reversurus. Egressus igitur e cella sua, credensque se cernere divina ministerii cœlestis officia, cunctaque lampadum fulgore rutilantia, et ipsum Antichristum non ultra unius spatium stadii constitutum, procidit pronus in terram, et eum quem Deum crederet adoravit.

In tantum igitur læsa mens ejus est, ut cum sequenti die ecclesiam fuisset ingressus, collectis in unum fratribus diceret: Ego jam communione non egeo; Christum enim ipsum vidi hodie. Tunc demum venerabiles Patres ferreis cum vinculis illiga-

tum, per universum annum propriis orationibus cu- A
raverunt. Hæc autem fuit forma medicinæ. Sæcularis eum vitæ conversationi dederunt, ut ex eo quod nihil haberet commune cum sanctis, inflatio animi ipsius tumorque cessaret, ut solet dici, contrarias res contrariis debere curari remediis.

Valde autem et hoc necessarium credo, legentibusque arbitror profuturum, quod talium quoque vitas hominum paginis libelli hujus inseruimus, sicut et inter sanctas paradisi arbores lignum illud, per quod bonum malumque cognoscitur, insitum scimus (*Gen.* II); ut si quando in vita aliquid sua grande quis fecerit, non ex eo tanquam propriæ virtutis ostentatione se jactet. Frequenter enim et ipsa magnarum palma virtutum causa nobis cujusdam et occasio fit ruinæ, nisi ad gloriam propositi recto B
itinere venire properemus. Scriptum est enim : Vidi justum in sua perire justitia, et hoc utique vanitas est (*Eccl.* VII).

CAPUT XIV.

De Herone [Apud Lipom., *Nerone*].

Heron quidam nomine (*Pall.*, *c.* 32) fuit vicinitate proximus mihi, Alexandrinus genere, urbanus et juvenis, mentis argutæ, puræ et probabilis vitæ, et ipse post multos labores, nimiosque sudores, vitamque ad summum plenam virtutibus, animæ nescio quo tumore sic corruit, ut supra sanctos ac venerabiles Patres esse se crederet, tamque injuriosa contra sanctum Evagrium [*Pallad.*, Macarium] verba jactaret, ut diceret ei : Maximo errore falluntur qui doctrinæ tuæ credunt; non enim oportet alio præter C
Christum uti magistro.

Abutebatur autem et testimonio sancto ad propositum stultitiæ propriæ roborandum ; dicebatque quod Salvator ipse dixisset : Nullum in terris vocetis magistrum (*Matth.* XXV). Qui et ipse in tantam cordis obtusi incidit cæcitatem, ut eum quoque postea esset necesse catenis ferroque vinciri, eo quod jam nec ad sancta mysteria vellet accedere. Ut autem se rei veritas habet, immensæ virtutis ac vitæ fuit atque subtilis, ita ut multi qui cum 961
ipso vixerunt, referrent, post tres menses eum cibum frequenter accipere, sola sanctorum mysteriorum communione contentum, herbisque silvestribus, si quas invenire potuisset.

Ego quoque eum videor expertus eo tempore, quo D
simul cum beato Albano [*Pallad.*, Albino] pergerem Scythin, distabat autem ipsa Scythis a nobis quadragesimo lapide. In quibus bis manducavimus, et ter aquam bibimus; ille vero nihil penitus cibi sumens, sed pede iter faciens, quindecim primum reddidit psalmos. Tunc et illum, qui est maximus, dixit; postmodum illam quæ est ad Hebræos Epistolam, et Isaiam, partemque Jeremiæ, et Lucam Evangelistam, Salomonis Proverbia ita memoriter ambulans legit, ut eum gradientem assequi non possemus nimia velocitate properantem. Hic igitur ad postremum maligni dæmonis fraude quasi quodam exagitatus incendio, in cellam quidem suam non rediit.

Profectus autem Alexandriæ civitatem, veluti ordinatione divina, clavum clavo, ut dici solet, excussit; incidit enim propria voluntate in eos cum quibus istiusmodi more vivebat; unde tamen invitus postea remedium salutis invenit. Intererat enim et circi spectaculis et theatri, et in tabernis diebus ac noctibus morabatur. Cumque in his voracitati atque ebrietati se penitus dedisset, in feminei quoque desiderii incidit cœnum. Et dum peccare meditatur, cum mima quadam cœpit loqui, proprium ei vulnus insinuans. Postula enim quædam, quam carbunculum vocant, nata est ei in ipsis verendis, ac tanta per sex menses ægritudine laborabat, ut naturalia ipsius putrefacta radicitus caderent.

Postea vero cum sanitatem, excepta illa parte membrorum quam perdiderat, recepisset, ad divinam sapientiam rediit, sanctis Patribus quæ ei acciderant cuncta confessus; pœnitentiam tamen factis implere non potuit, quia post paucos dies debito fine quievit.

CAPUT XV.

De Ptolemæo.

Alius iterum, Ptolemæus nomine (*Pallad.*, *cap.* 33), eo more vivebat, ut difficile possit referri, quia inenarrabilis videtur. Habitavit autem inter initia ultra illa quæ Scythin sæpe diximus loca, in ea parte quam Clima vocant, in quo tamen loco nullus monachorum valebat habitare, eo quod octavo decimo lapide puteus aquæ remotus esse videretur.

Ille igitur cilicenses (19) illuc plures lagenas pertulit secum, quas Decembri et Januario mense, spongia ex petris colligens rorem (multum enim tunc in ipsis regionibus cadit roris) implebat. Idque ei per quindecim illic habitanti annos, sufficiebat ad potum, qui penitus separatus a doctrina spirituali, colloquioque sanctorum virorum, quorum ei sermo prodesse poterat, et a frequenti mysteriorum Christi communione, subito quasi alienus effectus, in tantum a recto itinere deviavit ut diceret nullam esse providentiam rerum, sed omnia suis quodammodo motibus ferri.

Persuasit igitur ei vitæ hostis humanæ, in ejus animam prorsus ingrediens, atque dicens : His ita se habentibus, quid frustra consumeris, Ptolemæe, aut qua mercedis retributione laboras, cum nulla sit remuneratio meritorum? quod si esset etiam retributio, quæ merces pro tantis laboribus tibi sufficeret? quale vero judicium scripturæ minantur, ubi sine providentia cuncta labuntur? His diabolicis cogitationibus miserrimus Ptolemæus infractus, fertur insaniens et a naturali discedens prudentia etiam usque ad præsens tempus in Ægypto cum ejusmodi errore versari, voracitati tantum ebrietatique deditus, ut nullum prorsus cum aliquo bonum soleat habere sermonem, sed velut æneus (20) revertens de publico, miserandum lacrymisque plenum spectaculum oculis Christianorum expositus; irrisio vero atque deceptio cunctis qui gratiam nostræ conversationis ignorant.

In hanc autem Ptolemæus est dilapsus insaniam ex irrationali quadam præsumptione, dum putat, illusus

ab auctore facinorum, quod omnes sanctos Patres scientiæ virtute præcellat, per quam suus hostis effectus, hanc foveam perditionis incurrit, nunquam cum talibus viris qui gubernaculis sapientiæ spiritualis usi sunt, loqui dignatus. Unde neglectus ac negligens, ad mortis profunda dilapsus est, sicut arbor foliorum exuberans, repente unius momenti tempore nuda aridaque monstratur, secundum quod scriptum est : Qui non habent gubernacula, cadunt sicut folia (*Prov.* XI).

CAPUT XVI.

De virgine Jerosolymitana.

Noveram virginem quamdam de Jerosolyma (*Pallad.*, *cap.* 34), cilicio vestitam, et per sex annos semper inclusam, nihilque ejus quod voluptatem aliquam posset exhibere gustantem ; quam ad postremum divino auxilio destitutam, tam immensæ superbiæ morbus invasit, ut talem ruinam qualem dicimus, sustineret.

Aperuit enim subito fenestram cellulæ suæ, suscepitque eum qui consueverat ei vitæ necessaria ministrare, cum eo concumbens. Hoc autem malum inde descendit, quod non secundum spirituale propositum, nec propter dilectionem Dei ad monachicam venerat vitam ; sed humanæ vanitatis illecebra, quæ ex inanis gloriæ cupiditate generatur, et per infirmam atque instabilem animi voluntatem. Dum enim cogitationes suas omnes alienæ vitæ maledicis reprehensionibus occuparet, discedente ab ea angelo sanctitatis, nullum omnino custodem propriæ reliquerat castitatis.

Idcirco autem utramque vitam religiosissimorum hominum, et eorum qui per neglectum post labores immodicos, et temporum spatia de summo fastigio ceciderunt describimus, ut unusquisque ex sua conversatione insidias inimici considerans, occultos ejus laqueos possit evadere. Sed cum sint magnorum virorum feminarumque quamplurimi, qui abrenuntiationis suæ principia virtute peregerunt, deinde ab hoste cunctorum hominum sunt elisi ; ideo ex pluribus, quorum etiam vitæ socius exstiti, paucos enumero, quia neque illos ad fortia jam revocare ulterius, nec mihi prodesse prævaleo, magnos Christi athletas laudans, nec imitans.

CAPUT XVII.

Vita abbatis Eliæ et Dorothei.

Elias quidam nomine, monachus optimus magnam habuit consideratione sexus infirmi devotarum Deo virginum curam (*Pallad.*, *cap.* 35). Sunt enim tales quorumdam animæ, quarum propositum ultimi finis testimonio comprobatur. Qui amore virtutis accensus, et feminei sexus miseratione, in ea **962** quæ Atrivis [*Pallad.*, Athribe] civitate dicitur, ex pecuniis quæ ipsi suppeditabant, monasterium immane construxit. Ad quem locum plurimas (quæ vagari et errare consueverant) feminas congregavit, omniumque, prout necessitas postulasset, curam gerebat : quibus cuncta præstiterat quæ ad vitæ solatium pertinebant,

A hortulos quoque et instrumenta diversæ supellectilis necessaria, et reliqua quæ humani usus ratio deposcit.

Istæ ex dissimilis vitæ genere intra unius habitaculi claustra collectæ, frequentibus se invicem jurgiis inquietabant : unde interdum necessitas exigebat ut inter eas simultatum talium causas ipse cognosceret, pacemque repararet. Collegerat enim illuc usque ad trecentarum numerum feminarum, nec sine mediatore ipso, conversatio earum poterat ordinari. Quod cum jam per biennium faceret, et adhuc pene ipse juvenis videretur (triginta enim vel quadraginta annos habebat), tentatus est subito corporali desiderio voluptatis. Relicto itaque monasterio dum per solitudines totas biduo jugi jejunus erraret, hujusmodi precem
B fudit ad Dominum : Domine, inquit, aut occide me, ne videam illas tristitia laborantes, aut a me tentationem hujus cupiditatis exclude, ut earum curam ita ut oportet aut convenit geram.

Vespertinis itaque horis subito eum in desiderio somnus oppressit, et tres numero angelos ad se venisse conspexit, ut ipse referebat. Tenuerunt igitur eum, dicentes : Cur egressus es de monasterio feminarum? Quibus cum ille transmigrationis suæ causam referret, et timuisse se diceret, ne aut sibi aut illis noceret ; hoc illi ad ista respondent : Si igitur ab hujusmodi tentatione per nos fueris liberatus, vadis, et rursus ipsarum suscipis curam? Ad quod cum libenter ille acquievisset, jusjurandum ab eo hujusmodi, sicut ipse referebat, exigere cœperunt : Jura, inquien-
C tes, his verbis, Per eum qui habet curam mei, illarum curam habiturum esse me juro. Cum ergo in hæc illis verba jurasset, tunc unus ex ipsis manus illius tenuit, et alter pedes, tertius autem arrepta novacula illum emasculare visus est ; non quod pro vero hoc faceret, sed quod facere videretur. Nam in quodam stupore animi eo tempore se esse credebat, atque hac sentiebat se ratione curatum. Tunc igitur angeli interrogant eum, an aliquid sibi factum suum profuisse sensisset. Ille respondit, Vehementer, inquiens, intelligo, onus quoddam mihi esse sublatum ; et satis credo omni quam formidabam me molestia liberatum. Dicunt ei : Ergo nunc vade ad monasterium tuum.

Qui post quinque regressus dies, ingressusque lu-
D gentium monasterium feminarum, in eodem exinde loco mansit in cella ex obliquo habitaculi illius posita, in qua cum magis ipsis proximus videretur, frequentibus eas quantum in ipso erat, emendationibus corrigebat. Vixit autem alios quadraginta annos, sanctis Patribus asseverans quod nunquam ultra in cor ipsius cogitatio talis ascenderit. Hanc ergo beatus ille Elias Dei gratiam meruit, ut sic propria cura muliebre monasterium gubernaret.

Huic succedit Dorotheus vir beatissimus, qui in moribus laudabilis vitæ consenuit, non quidem in monasterio ipso ita conversari prævalens ut prior, in superiore tamen se condidit cella, ubi unam fecit fenestram ex qua contemplari feminas in monasterio

suo posset. Quam fenestram et claudere et aperire A consueverat, cui et jugiter assidebat, ad unanimitatem pacemque sorores erudiens. Itaque in superiore illa monasterii parte consenuit, cum neque mulieres ad ipsum ascendere, neque ipse descendere posset ad eas, quia nec scalæ illic unquam positæ erant, per quas hujusmodi cuiquam pateret accessus. Hæc est beati Dorothei in abstinentiæ virtute perfectio, et finis hujusmodi.

CAPUT XVIII.

Vita Piamonis virginis.

Piamon nomine virgo quædam fuit quæ omnes ætatis suæ annos cum matre sua vixit, jugiter faciens opus lini, et post alterum semper diem circa vesperam cibum sumens (*Pallad.*, *cap.* 37). Hæc a Deo meruit accipere scientiam futurorum. Nam cum B apud Ægyptum quondam in ascensu fluminis Nili contra vici unius excidium vicus alter veniret (cum grandi enim certamine partiuntur irrigationis vices, usque adeo ut et ad vulnera sua mortesque descendant). Cum igitur fortior populus ad inferioris vici homines, in quo erat ista, venisset, numeroque suæ multitudinis fidens, et tam militaribus quam rusticis armis instructus, ad eversionem supradictæ possessionis accederet, astitit ei angelus adventum inimicorum nuntians, quem nullus illic poterat suspicari. Tunc virgo memorata vici presbyteros convocavit, hoc dicens : Exite et occurrite iis qui de vico illo ad internecionem vestram venire festinant, ac ne una et ipsi cum cellulis vestris cæde pereatis, deprecamini eos, ut ab apparatu certaminis hujus recedant. C

Cumque presbyteri admodum ad hæc dicta timuissent, proni ad pedes cadunt, rogantes eam, atque dicentes : Quia nos non audemus eis occurrere; scimus enim et ebrietates eorum, et audaciam non ferendam. Sed adde hoc quoque, inquiunt, misericordiæ tuæ, supra omnem hunc qui tremit vicum, et super istam quoque domunculam tuam, et magis ipsa progredere atque occurre venientibus, locumque istum redde pacatum. At illa hoc quidem se facturam negavit; ascendit tamen protinus superiora domus propriæ, et tota illic nocte in continua oratione permansit, ne genua quidem flectens, atque has Domino preces effudit : Domine (inquit) Deus, qui omnem judicas terram, cui nihil unquam placet injustum, ascendat ad te oratio mea, et adveniat virtus tua, D quæ in excidium nostrum ruentes in eo ipso, in quo illis occurrerit loco, veluti clavorum affixione confixos contineat.

Hoc ergo sermone, et hac oratione completa, hostes eorum in tertio jam vici lapide constituti, circa primam horam diei ita in memorato hæserunt loco, ut prorsus moveri inde non possent. Hoc autem et ipsis revelatione patefactum est, quod molitiones eorum orationes memoratæ virginis impedissent. Mox itaque quibusdam de suis ad vicum ipsius missis, postulant pacem, ista mandantes : Gratias Deo agite, qui vos orationibus Piamonis virginis ab excidio vestræ possessionis avertit.

CAPUT XIX.

Vita abbatis Pachomii.

Tabennensis nomine, in Thebaide provincia dicitur locus, in quo Pachomius quidam fuit (*Pallad.*, *cap.* 38), vir justus in tantum, ut per divinam gratiam **963** nosset futura, et angelica etiam visione frueretur. Hic ad perfectum misericors et humanus fuit, et inestimabili fratres amore dilexit. Ad quem in spelunca sedentem angelus Domini venit, dicens ei : Per omnia quæ ad propositum tuum pertinent, scias te esse perfectum ; unde jam in spelunca superfluo sedes, veni igitur, et relicto hoc loco, collige omnes monachos juniores, et cum ipsis habita, et eos juxta regulam vitæ, quam a me disces, institue. Tabulas autem illi æneas dedit, in quibus scriptum erat : Permittes unicuique ut tantum quantum poscit et cibi sumat et potus, et juxta manducantium et bibentium vires paribus quoque operibus eos subjugabis, et neque quemquam jejunare, neque manducare prohibebis : ita tamen, ut fortioribus et magis edentibus semper opus gravius injungas; infirmi autem et vere monachi ad operandum levius urgeantur. Diversas autem intra atrium domus cellulas facies, et ternos per singulas manere præcipies. In uno tamen loco cibus omnium fiat. Somnum vero capiant non jacentes, sed super instructas et paululum reclines cathedras, et velatas palliis suis sedentes quiescant. Utantur autem noctibus lineis vestibus (quas levitonas vocant) cincti, et singuli quique eorum pellibus caprinis bene confectis tegantur. Quas pelles, nec tunc quoque cum voluerint cibum capere vel somnum, deponant. Quando autem ad communionem Sabbati vel Dominici diei ingrediuntur, unusquisque suum cingulum solvat, pellemque deponat, et cum cucullo tantum ingrediatur. Cucullos autem ipsos si e villo parvulos fieri, ut infantibus ordinavit; in quibus et quædam signa de purpura fecit intexi. Jussit viginti quatuor esse ordines fratrum, juxta viginti quatuor numerum litterarum; et unicuique ordini superposuit litteram Græcam ab Alpha, et Beta, Gamma, Delta, et cæteris usque Omega.

Dum igitur interrogaret sanctus Pachomius, et in tanta multitudine singulorum requireret vitam, dicebat secundo illi qui erat in suo ordine prior, quemadmodum se habet Alpha, vel quomodo habet Beta? Et iterum : Saluta Zetha vel Lapda : unumquemque autem ex proprio signo et vocabulo litteræ requirebat. Et simplicioribus quidem perfectisque monachis, inquit angelus, Iotæ litteræ nomen, durioribus autem ac difficilioribus Xi litteræ nomen impones. Itaque unicuique ordini tales vocabulorum imprimes notas, ut mores per eas significentur animorum. Soli tamen spiritales noverant viri, qualem supposita elementa vitam sui ordinis indicare videantur.

Scriptum autem hoc in tabulis ipsis erat : Si quis, inquit, de alio monasterio peregrinus advenerit, aliam regulam sequens, nec manducet cum illis iste, nec potet, neque in mansionem eorum introducatur,

nisi forte in itinere eisdem fuerit adjunctus. Quicunque vero idcirco ad eos fuerit ingressus, ut cum ipsis permaneat, non illum nisi triennii tempus impleverit, in loca monasterii secretiora recipies. Sed cum prius per triennium totum laboriosius opus duriusque perfecerit, tunc receptum intrinsecus eum jam esse permittes.

Edentes cucullis capita sua velent, ne alter manducantem alterum fratrem aspiciat. Nec loqui cuiquam dum edit liceat, nec aspicere ad ullam alteram partem, nisi ad solum catinum, et ad solam cui superponitur mensam. Hoc etiam ordinavit et jussit, ut orationes duodecim numero per totum diem facerent, et rursus duodecim alias, quando ad vespertinum lumen venirent: in nocturnis quoque vigiliis totidem preces effunderent; tres autem solas ad horam nonam diei. Quando vero universa multitudo conveniebat ad manducandum, unicuique ordini in singulis orationibus statuit psalmum præcinere.

Tunc sanctus Pachomius quasi contradicere angelo voluit, hoc dicens : Paucæ sunt istæ orationes. Cui respondit hoc angelus : Has orationes fieri idcirco præcepi, ut et minores sine aliqua implere tristitia impositam sibi vivendi regulam possint. Qui vero firmioribus consummatioribusque sensibus vivunt, non est illis necesse aliena lege constringi; ipsi enim semetipsos intra cellas universamque vitam suam visioni et cultui Dei penitus dederunt. His ergo, inquit, ista præcepi, qui nec invenire possunt vel implere quæ prosint, ut cum servili quadam necessitate compulsi, ostenderint dignam in se sub proposito disciplinam, tunc demum ad fiduciam valeant divinæ notitiæ pervenire. His itaque dispositis, impletoque ministerio, angelus discessit a sancto Pachomio.

Plurima igitur sunt monasteria, in quibus usque ad septem millia sunt virorum, quæ hujusmodi instituta custodiunt. Sed maximum id habetur et primum, in quo Pachomius ipse degebat, ex quo videntur et cætera monasteria processisse, quæ ad mille quadringentos fratres habere noscuntur

Inter quos etiam est quidam famulus Dei, Aphthonius nomine, admodum mihi amicitiarum jure conjunctus, qui secundum in illo monasterio obtinet locum (*Pallad.*, *cap.* 39). Quem de vita ipsius et conversatione securi, Alexandriam sæpe transmittunt, ut illic ea quidem quæ in monasterio fecerint, vendat; ea autem quæ scit necessaria, emat semper ac referat. Sunt et alia monasteria ducentenos fratres et trecentenos habentia, in ea quam Panos civitate vocant: quam ego quadringentos habentem viros ingressus inveni. Inter quos sarcinatores quindecim reperi, fabros ferrarios septem, carpentarios quatuor, camelarios duodecim, fullones quindecim numero, singulos in arte propria laborantes. Et ex iis quæ quotidiano victui superesse poterant, etiam monasteriis feminarum carceribusque vicinis necessaria quæque A præbentes, [et qui sues etiam pascebant. Quod cum ego reprehendendum putarem, hoc quoque ex traditione majorum se suscepisse dicebant, quia idcirco in monasteriis esse oporteret sues, ne et cribratarum excrementa frugum perirent, et purgatorum folia olerum, et cætera quæ damnum (si projicerentur) inferrent. Occidi igitur sues ipsos jubebant, et carnes quidem ipsas ementibus vendi, ungulas tamen ac minimas partes eorum, in ægrorum ac senum epulas deputari, eo quod in regione illa grandis esse inopia rerum et frequentia hominum videretur. Blemmyos autem vicinos suis finibus habent.] [1]

Antelucanis igitur horis surgentes, qui per dierum vices reliquis serviebant, alii coquebant cibos, alii mensas parabant. Quas circa tertiam diei horam B ponere soliti, perfecto omni opere suo superponebant eisdem panes, et herbulas quasdam suo more conditas, quas lapsanas (21) vocant. Olivas **964** quoque, et caseum præter carnes, comminuta etiam diversi generis olera. Quibus in hunc ordinatis modum, alii sexta diei hora ingredientes, sumebant cibum, alii septima, alii octava, alii nona, alii decima, alii undecima, alii profunda jam nocte vesci consueverant; quidam autem post biduum etiam capiebant cibum. Ex propria tamen littera poterat hora uniuscujusque cognosci. Similiter etiam ipsis erant et opera divisa; alii enim agriculturæ inserviebant, alter hortum colebat, ille officinæ fabricæ vacabat, ille pistoris, alter carpentarii, alter vero fullonis arte clarebat, alter pellium, alter coriorum C confectione sudabat, alius Codicum lectione vel conscriptione gaudebat, alter sportellas grandes intexere solitus erat, alter minores; omnes tamen simul memoriter spirituales libros tenebant.

CAPUT XX.

Vita Tabennensiotarum feminarum, et de Virgine, de qua dictum fuerat falsum testimonium.

Est autem apud istos, feminarum quadringentarum numero monasterium, iisdem moribus atque eadem ordinatione viventium, excepto velamento pellium solo (*Pallad.*, *cap.* 39). Et mulieres quidem trans fluvium habitant, intra fluvium autem viri. Cumque defuncta una virginum fuerit, vestitam eam ut assolet deferunt aliæ, et supra ripam fluvii ponunt sorores. Quam inde cum olearum ramusculis pal- D musculisque navicula transfretantes viri, et psalmos canentes, ad suas transferunt partes, et in proprio cum reliquis deputato condunt sepulcro. Nullus tamen, excepto presbytero ac diacono, transit ad monasterium feminarum; et hoc per Dominicum diem tantum.

In hoc ipso mulierum habitaculo, res accidit talis. Quidam sarcinator vestium sæcularis transgressus fluvium, opus ab ipsis aliquod per ignorantiam postulabat (*Pallad.*, *cap.* 40). Cumque una de feminis juvenis processisset (tuto enim videbatur hoc facere, propter solitudines ipsius ac deserta regionis) subito eum non sponte conspexit, deditque illi tale respon-

[1] Uncinis inclusa desunt Palladio Herveti Latino. Sunt in Græco.

sum : Nos ad emendandas res nostras, artifices nostros habemus. Alia de feminis cum eos in hac visione quam retuli notasset, post tempus aliquantulum orto inter eas jurgio, ex diabolica suspicione et proprii cordis malignitate, iracundiæque fervore memoratæ virgini in conspectu aliarum sororum cœpit calumniari, eique nonnullæ ex ipsis, non tamen cum grandi malitia consentiebant. Illa igitur admodum tristis effecta, cum tam manifestam calumniam ferre non posset (sciebat enim se, ne intra sensus quidem suos tale aliquid cogitasse), occulte se præcipitavit in fluvium, atque hoc fine defecit. Quod ubi quæ calumniata ei fuerat audivit, non ferens tanti sceleris atrocitatem, et ipsa tunc laqueo innexa defecit. Aliæ autem sorores hujusmodi factum, ingresso ad eas presbytero, retulerunt. Tunc ille præcepit nullius quidem nomine ex iis quæ se tali morte necaverunt debere oblationem Deo fieri. Quæcunque autem viderentur ex illius dicti insusurratione discordes, veluti quæ consciæ peccati essent, quia tali calumniæ credidissent, jussit eas per septem annos sanctorum mysteriorum communione privari.

CAPUT XXI.

Vita sanctæ Virginis, quæ inter illas stultitiam simulaverat.

Fuit alia in hoc monasterio virgo (*Pallad., cap.* 41), quæ stultam se esse propter Christum, ac dæmonem se finxit habere, ut virtutem sui propositi posset implere. Quæ cum se admodum humiliaret atque dejiceret, usque adeo omnibus aliis horrori erat, ut ne cibum quidem cum ea caperent. Talem ergo gratanter elegerat vitam, et a coquina nunquam recedens, totius illic ministerii tanquam ancilla cunctis obediens, implebat officium, eratque secundum vulgare proverbium, universæ spongia domus. Impletum a se, rebus probans, quod in sancto Evangelio scriptum legimus : Si quis inter vos vult esse major, sit omnium servus et omnium minister (*Matth.* XX; *Marc.* X). Et beatus Apostolus : Si quis, inquit, ex vobis putat esse sapientem in hoc mundo, fiat stultus, ut efficiatur sapiens (*I Cor.* III)

Hæc igitur involutum pannis habebat caput, et ita omnibus serviebat; cæteræ autem virgines tonsæ cucullis cooperiuntur. Nulla hanc potuit de quadringentis videre manducantem : nunquam per omne ævum suum sedit ad mensam, a nulla vel modicam partem panis accepit; sed micas tantum detergens illa mensarum et abluens ollas, his solis alimoniis contenta vivebat : nunquam calceamentis est usa, nulli unquam fecit injuriam : nulla ipsius murmur audivit, nulli autem parum, aut satis unquam locuta est, et certe cum ab omnibus cæderetur, cum omnium viveret odio, cum maledicta omnium sustineret.

De hac sanctissima beato Piterio [1] (cui hoc vocabulum erat) probatissimo viro, semperque inter deserta viventi, astitit angelus quondam sedenti in Porphyrite qui dicitur loco, affatusque est eum his verbis : Cur grande, inquit, aliquid esse te credis in tuo proposito, et in hujusmodi degens loco? Vis videre mulierem te sanctiorem? Vade ad Tabennensiotarum monasterium feminarum, et unam ex ipsis illic invenies, in capite habentem conscissum pannum, ipsamque te cognosce esse meliorem; nam dum contra tantas sola diebus ac noctibus pugnet, cor ipsius a Deo nunquam recessit; tu autem uno in loco residens, neque quoquam aliquando progrediens, per omnes animo et cogitatione urbes vagaris. Statim ad supradictum monasterium venit, et magistros fratrum rogavit ut transveheretur ad habitaculum feminarum. Quem mox illi ut vita gloriosum virum, et jam provectioris ætatis, cum fiducia grandi fluvium transire fecerunt.

Ingressus autem, post orationem omnes sorores desideravit inspicere, inter quas solam illam propter quam venerat, non videbat. Ait ergo ad postremum : Omnes mihi adducite, deesse enim videtur aliqua. Dicunt ad eum : Omnes hic sumus. Quibus respondit : Una deest, quam mihi angelus demonstravit. Dicunt ei : Unam stultam [*Pallad.*, Salem] habemus intrinsecus in coquina. Sic enim eam quæ dæmone vexatur appellant. Ait ille : Exhibete mihi quoque ipsam, ut eam videam. Quo audito, memoratam vocare cœperunt; quæ cum nollet audire, sentiens credo aliquid, aut fortassis hoc divina jam revelatione cognoscens, dicunt ei : Sanctus Piterius te videre desiderat. Erat enim famæ ac nominis grandis. **865** Cumque ad eum fuisset exhibita, vidissetque panno frontem illius involutam, projecit se ad pedes ejus, dicens : Benedic me, Amma. Procidens autem et ipsa ad pedes ejus, dixit : Tu me benedic, domine

Omnes igitur sorores obstupuerunt, simul dicentes : Noli, abba, talem injuriam sustinere, fatua est enim ista quam cernis. Tunc sanctus Piterius hoc ipsis omnibus ait : Vos estis fatuæ; nam hæc vestra et mea, cum sit melior, est Amma (hoc enim nomine vocant illi spirituales matres) et precor Deum, ut dignus ipsa in die judicii merear inveniri. Quo audito, omnes simul ad pedes sancti Piterii prociderunt, singulæ varia peccata propria confitentes, quibus illam sanctissimam contristarunt. Et alia quidem dicebat : Ego eam delusi : alia, Ego habitum ejus dejectum derisi; alia, Ego eam, quod esset tacita, injuriis affligebam; alia abluens sordes catini, super eam se fudisse dicebat; alia colaphis eam a se verberatam sæpe memorabat; alia nares ipsius sinapi impletas a se esse deflebat; cæteræ quoque diversas referebant se ei injurias irrogasse. Pro quibus omnibus sanctus ille una cum rememorata sanctissima virgine, fusis Deo precibus, regressus est.

Post paucos autem dies, non ferens illa tantam sui gloriam, tantoque se nolens sororum honore cumulari, gravarique se credens satisfactionibus singularum, egressa de monasterio illo, quo ierit, in quem

[1] Pallad., cap. 42, dicitur *Pitirum*.

diverterit locum, vel quo fine defecerit, ad nullius A potuit hactenus notitiam pervenire.

CAPUT XXII.

Vita abbatis Joannis, qui in Lyco habitavit, et Pœmeniæ virginis.

Fuit quidam Joannes in oppido cui Lycus vocabulum est (*Pallad.*, *cap.* 45), qui carpentarii quidem artem, dum adhuc esset puer, didicit, fratrem tamen tinctorem habuit : quique postmodum cum jam viginti et quinque esset annorum, huic sæculo renuntiavit. Et per quinque annos in diversis monasteriis degens, ad postremum solus sese in Lycum contulit montem ; in cujus cacumine trium sibi voluminum [*Pallad.*, tholorum] cellulas fecit (22). Ingressusque illuc, ita se inclusit, ut aditum quoque ipsum per quem introiit, obstruxerit. Erat igitur unum volumen B ad corporales deputatum necessitates, aliud in quo opus facere et cibum sumere consueverat, tertium in quo orabat

Hic igitur cum triginta jam annos complesset inclusus, per solam semper fenestram necessaria victui suo ab administrante suscipiens, meruit talem gratiam Dei, ut haberet scientiam futurorum. Nam et sanctæ memoriæ Theodosio imperatori frequenter et varia ex iis quæ essent eventura prædixit. Primum quidem de Maximo tyranno quod et superaturus eum esset, et Galliarum ex partibus reversurus ; postea autem et de Eugenio tyranno, eidem quæ subsecuta sunt, ante prædixit ; quod eum quidem superaturus esset, sed ipse ibidem vitam finiturus, filiumque suum successorem imperii relicturus. De quo apud omnes C grandis semper fama convaluit. Propter quod et Theodosius imperator, prophetali eum venerari honore consueverat, asserens illum magnæ esse virtutis. Cum igitur nos, hoc est ego et beatus Evagrius, et Ammonius, et Albinus circa Nitriæ solitudines degeremus, cupiebamus diligenter agnoscere memorati viri virtutem. Ait ergo nobis tunc sanctus Evagrius : Libenter audirem ab eo, qui mentem atque sermonem bene novit probare, qualis sit iste vir quem loquimur. Si enim eum non prius alio referente cognovero, necesse jam erit ut ad montem ejus ascendam. Quod cum audissem ego, neque cuiquam quidquam tale dixissem : uno die tantum moratus, alio clausi cellulam meam, et me atque ipsam commendans Deo, Thebaidem usque perrexi. Diebus decem et octo omni D itinere confecto, partim ambulando pedibus, partim per fluvium navigando. Agebatur autem hoc eo tempore, quo fluvius solebat ascendere, quando multi ægrotare consueverant, quod sum et ipse perpessus.

Cum ergo illuc venissem, clausum septum [*Ms.*, membrum] illud inveni, quod ante ingressum cubiculorum ipsius erat ; postea enim ipsum locum exstruxerant fratres. Talis autem erat ædificii ipsius magnitudo, ut fere centum caperet viros. Clausum autem semper ipsum habentes locum, solo Sabbati et Dominico die aperire consueverant. Cognita ergo causa ob quam clauderetur, quievi exspectans Sabbati diem : qui cum advenisset, ingressus sum circa horam secundam, ut supradictum viderem virum. Inveni igitur eum assidentem fenestræ, ex qua ad se ingredientibus solebat loqui. Post primam itaque salutationem hoc mihi per interpretem dixit : Unde es, vel cur advenisti ? nam ego de sociis Evagrii unum te esse conjicio. Respondi me esse peregrinum, et de Galatiæ partibus venire, et unum me ex Evagrii fratribus esse confessus sum.

Interea dum loquimur, ingressus est summo provinciæ ipsius præses, Alipius nomine ; ad quem, relicto quem mecum habebat sermone, se contulit. Secessi igitur ab iisdem paululum, et loco cedens eminus steti. Prolixas autem eorum fabulationes graviter ac moleste ferens, intra meipsum bonum illum senem reprehendebam, eo quod, meo sermone contempto, illum potius honorasset. Ideoque cum mihi ingratum fuisset, spreto eodem, recedere cogitabam. Vocavit itaque ad se tunc ille Theodorum nomine interpretem suum, dicens : Vade ad fratrem illum, et dic ei : Noli esse pusillanimis ; jam nunc enim dimittam præsidem, et tecum loquar. Cognovi igitur ex hoc esse hominem spiritualem, et omnia prævidere, et idcirco eo magis cœpi remorari.

Egresso vero mox inde præside, me vocavit, his me alloquens verbis. Cur, inquit, animam tuam mea reprehensione læsisti ? quam in me inveneras culpam, ut ea in tuis sensibus cogitares, quæ nec in me cognosco, nec tuos scio mores decere ? An ignoras illud quod scriptum est, quod non incolumes ac fortes, sed quod male sani medico semper indigeant (*Matth.* IX ; *Marc.* X ; *Lucæ* V) ? Nam tu me cum velis, et rursus ego invenire te possum, et si ex me forsitan nullum, ex aliis tamen fratribus aliquod Patribusque poteris habere solatium. Iste vero totus ex sæcularibus rebus diabolicæ deditus potestati, vix brevis horæ spatio potuit respirare. Et nunc tentans, sicut quidam servus austerum dominum suum fugiens, venit ut salutare hic inveniret auxilium. Inconsulta igitur atque importuna res fieret, si illum relinquerem, et tecum morarer, qui jugiter salutis tuæ commodis vacare consuesti. Quem ego magnopere precatus sum, ut pro me dignaretur orare ; hoc enim mihi spiritualem illum virum esse certissime persuasit

966 Tunc ille jam lætior dextera sua in sinistra me leniter vultus mei parte percussit, hoc dicens : Multæ te tribulationes manent, passus es multa ut exires de solitudine, et interim hoc formidans aliquantulum facere distulisti. Pias autem tibi, et quasi rationabiles causas afferens dæmon, ventilare te tentat. Admonuit enim et circa patris desiderium, et quemadmodum frater tuus sororque converti, atque in solitudine agere vitam suam deberent. Ecce nunc tibi hoc ego renuntio, utrosque salvatos esse cognosce. Renuntiaverunt enim ambo sæcularibus rebus. Et pater, inquit, tuus alios septem victurus est annos ; insiste igitur ac vive in desertis ut cœpisti locis, neve parentum causa tuorum ad patriam redire festines ; scriptum est enim : Nemo mittens super aratrum ma-

num suam, et retro aspiciens aptus est regno cœlorum (*Lucæ* IX).

Vehementer igitur atque mordaciter ex hujusmodi verbis instructus ac doctus, gratias egi Deo, maxime posteaquam occasiones quæ me solitudinem relinquere compellebant, juxta votum meum impletas esse cognovi. Rursumque mihi hoc cum risu placido et jocis dixit : Vis, inquit, episcopus fieri? Ego autem me jam esse respondi. Interrogabat, Ubi? dixi ego : In coquinis, mensis, tabernis, officinisque figulorum; hæc enim cuncta, inquam, diligenter inspicio, et si fuerit acidum vinum, a prandio meo illud excludo, quod autem fuerit bonum, bibo. Similiter inspicio et ollas coquorum, et si deesse sales videro, aut aliquod condimenti genus, addo, meliusque conditos cibos comedo. Hic est episcopatus meus, voracitas enim mea talem me episcopum fecit. At mihi hoc ille sanctus subridens : Remove, inquit, jocos; nam episcopus es futurus, plurimumque tribulationum habiturus es ac laborum. Si igitur ista vis fugere, noli relinquere solitudines nostras, nullus enim te in desertis degentem locis episcopum faciet. Descendens autem tunc ego a memorato viro, regressus sum ad deserta in quibus esse consueveram, venerandis illis Patribus hæc ipsa quæ illic cognoveram de spirituali divinoque referens homine, qui post duos menses ad eumdem beatissimum navigando venerunt. Ego autem miserrimus dictorum ejus immemor fui.

Post triennii igitur tempus, valetudinem ex infirmitate stomachi ac splenis incurri. Et ex supradicto loco a fratribus Alexandriam usque transmissus, atque illic hydropem medicans. Ab Alexandria quoque profectus suadentibus medicis, peto Palæstinam causa commodarum quæ esse ibidem putabantur aurarum; tenuiores enim aeris magis ægritudo mei corporis requirebat. De Palæstina autem ad provinciam Bithyniam veni. In qua nescio quomodo, utrum studio hominum, an voluntate divina (hoc Deus novit) episcopus ultra meritum meum factus sum. In quo tempestatis illius quæ sub sancto Joanne commota est, interfui malis, et per decem menses in obscurissima cellula occultatus, cœpi illius sancti dicta reminisci, cum ea illic quæ prædixerat, sustinerem. Hæc autem forte mihi tunc ille magnus athleta Christi dicebat, cupiens me ad sustinendam solitudinum vitam, hujusmodi prænuntiationibus provocare. Nam quadraginta octo annos in eadem cellula sua se habitare dicebat, nullius se unquam feminæ vultum vidisse confirmans, ne sororis quidem, neque semetipsum edentem aut bibentem ab altero visum.

Ad hunc videndum et ancilla Christi Pœmenia venerat (*Pall.*, *c.* 47). Cui ille non visæ quædam per alium secreta mandavit, admonuitque eam ne de Thebaidis regione proficiscens, divertere Alexandriam vellet; quod si eum nollet audire, in tentationem eam quamdam necesse esset incidere. Sed cum illa seu per negligentiam, sive per oblivionem suam, non ita ut jusserat sanctus ille, fecisset, Alexandriam

A venit, ut cerneret sibi incognitam civitatem. Dum ergo iter conficeret juxta oppidum cui Nicius nomen est, applicuerunt naves ejus ad resolvendum longæ navigationis laborem. Ingressi igitur pueri ad terram, quadam protervitate ducti contra loci illius rusticos, quorum superbiam audaciamque nullus fert, jurgia excitare cœperunt. Ex quibus multitudo memorata eunucho quidem uni digitum abscidit, ac rapuit, et alium trucidavit, sanctum autem Dionysium quem vulgus esse episcopum nesciebat, prope mersit in fluvium, ipsam vero injuriis terroribusque confecit, reliquis omnibus pueris vulneratis.

CAPUT XXIII.

Vita beati Possidonii monachi Thebæi.

De Possidonio Thebæo viro probatissimo atque B patientissimo inenarrabilia quædam et multa memorantur (*Pall.*, *c.* 77). Tam autem mansuetum virum, tam vere monachum, tamque nihil habentem in se malitiæ, nullum ego alterum vidi; nam apud Bethleem cum eo per annum integrum vixi eo tempore, cum sederet in illa regione, quam Pœmenion dicunt, et multo plures in eo scio me vidisse virtutes; inter quas hoc mihi quondam et ipse referebat, dicens : Uno anno cum in eo loco, qui Porphyrites vocatur, habitarem, nullum hominum dum illic degerem vidi, sermonem nullius audivi, non attigi panem, sed de paucis tantum dactylis vixi et herbis agrestibus, si quas invenire potuissem. Interea aliquando cum penitus alimenta, quibus sustentari poteram, defecissent, egressus sum de spelunca mea, ut usque ad C eas partes quæ ab hominibus inhabitantur accederem, et per totam ambulans diem, vix habitaculum meum duobus millibus abesse cognovi. Circumspiciens igitur velut equitem quemdam videre me credidi, habentem militis speciem, et cassidem capite suo gestantem, cui in tiaræ modum crista surgebat. Quem cum militem vere putarem, ad speluncam redire properavi. Inveni autem illic reversus continuo cistellam, quæ uvas et ficus recenter lectas habebat : quam statim rapui, et sic speluncam lætus intravi. Per duos autem menses cibus ipse maximo mihi solatio fuit.

Miraculum vero sanctissimus Possidonius circa Bethleem fecisse memoratur hujusmodi : Quædam mulier prægnans a spiritu immundo fatigabatur, et tempore partus sui cum maxima difficultate pariebat; D eam enim spiritus ille cruciabat. Cum igitur mulier infelix sic vexaretur a dæmone, maritus ejusdem ad sanctum Possidonium decucurrit, rogans eum ut dignaretur venire, atque orare pro ea. Ingressisque nobis ad orationem simul, cum ille stans cœpisset orare bis in terra tantummodo fixis genibus, impurum illum spiritum mox fugavit. Assurgens autem de solo, dicit hoc **967** nobis : Orate rogo; jam nunc enim, dum spiritus ille expellitur, signum quoddam monstrabitur nobis. Et ut satisfieret nobis, post hæc ipsius sancti dicta, a fundamentis parietem vestibuli dæmon abscedens eruit totum atque dejecit. Per totum autem septennium ipsa muliercula semper muta permanserat. Postea vero quam a sancto illo

qui eam a dæmone liberavit visitata est, mox et peperit, et loqui promeruit.

Hujus viri etiam prænuntiationem (quam prophetiam vocant) aliquando cognovi (*Pall.*, *c.* 82); postea et Simonem admirabilem virum, quem interim ego notasse ac nosse me memini.

Hic mihi beatissimus atque abstinentissimus Possidonius etiam ista referebat, quod a quadragesimo ævi sui anno, usum panis in victu proprio non haberet, neque usque ad medium diei spatium iracundiam adversus ullum tenuisset. Hæc sunt miracula atque signa fortissimi in Christo Possidonii quæ divina gratia operatus, in bis vitam famatam finire promeruit.

CAPUT XXIV.

Vita Serapionis monachi, Cleomenis et cujusdam Virginis

Alius quidam Serapion nomine fuit (*Pall.*, *c.* 83), qui Sindonius cognomen acceperat, quia nulla alia veste nisi sola sindone utebatur. Quem nihil unquam habuisse vel possedisse satis notum omnibus fuit, propter quod et apathes, id est impassibilis, vocabatur, quia nullum patiebatur desiderium possidendi. Peritissimus autem erat scientia litterarum, Scripturasque omnes tenaciter memoriterque recolebat. Qui ex nimia abstinentia omnium rerum, et ex jugi divinorum meditatione librorum, cellulæ unius quiete non poterat esse contentus, sed per diversas mens semper ipsius trahebatur. Toto igitur mundi fine discurrens, ad talis gloriæ virtutem ascendit. Hujus enim habitus (id est voluntatis[1]) mens ejus erat; unde et voluntatum affectionumque differentias, non substantiarum vocamus.

Hoc autem de eo patres sancti aliquando referebant, quod per monachum aliquem conlusorem suum (23), in oppido quodam viginti solidorum pretio paganis semetipsum distraxerit mimis; et quos signatos pro se acceperat solidos, apud se ipse servaverit. Tandiu ergo, cum prædictis qui eum emerant mimis, in tali servitute permansit, quandiu et Christianos eos faceret, et a ludis theatralibus separaret. Nullo autem alio ad victum suum, excepto pane et aqua, uti solebat, neque unquam Scripturas sanctas legere cessabat. Interea longi temporis spatio prior mimæ maritus animo stimulante compunctus est, tunc et ipsa ejus conjunx, ad postremum etiam domus tota. Dicebatur autem, quod antequam aliquis ejus cognosceret vitam, pedes quoque ipsis lavaret, ut dominis: postea vero quam spirituale lavacrum uterque suscepit, uterque a theatrali actu recessit, conversique sunt ad castam pariter ac piam vitam. Vehementer autem memoratum ac dulciter diligebant virum, hoc dicentes ei: Veni, frater, jam te libertate donamus, eo quod ipse nos prior de turpi servitio liberasti. Ad quos magnus ille Serapion respondit: Nunc vobis ego jam necessarius non sum, opus in vobis suum Deus per me implevit, et utriusque vestrum anima salvata est. Unde secretum meum vobis, atque hoc quod hactenus celaveram pando. Ego, inquit, A miseratione vestrarum adductus animarum, quas magno errore implicitas videbam, cum essem liber monachus, ex Ægypto genus ducens, propterea meipsum vendere volui, ut vos liberi a magnis peccatis esse possetis. Quia igitur ad plenum per humilitatem meam hoc fecit Deus, gaudeo; idcirco aurum quod pro me dedistis, accipite, ut alios quoque quibus subvenire possim, reperiam. Qui cum illum frequenter atque instanter rogarent, vera assertione dicentes, quod tanquam suarum dominum animarum, patrem habiturum essent eum, si una cum ipsis manere dignaretur ac vivere, neque tamen ullo modo persuadere hoc ei possent, tunc dicunt ad eum: Dabis ergo ipse aurum illud pauperibus, quod nos veluti arrhas quasdam pro nostra salute dedisse cognoB vimus. Et ait illis: Date hoc vos, quia vestrum est; ego enim alienas pecunias non dono pauperibus. Dicunt ergo ei: Saltem hoc te magnopere deprecamur, ut vel post anni circulum nos requiras Athenis.

Hic itaque sanctissimus famulus Christi frequenter peregrinando ad Helladam pervenit, ac per triduum moratus Athenis, a nullo panem quo vesceretur accepit. Nam neque pecuniam habebat, non pellem, non peram, non quidquam aliud secum præter sindonem, qua fuerat amictus, ferebat. Cum jam ergo usque ad quartam diem nihil penitus edendo venisset, esurire vehementer cœpit. Nihil enim eo jejunio pejus, quod extorquetur invito, ex cujus necessitate procedit sæpe perfidia. Stetit ergo supra quemdam colliculum civitatis, ubi primates ejusdem oppidi C concilium habere consueverant, et illic manus etiam suas percutiendo clamabat vim se maximam pati, his sermonibus dicens: Athenienses viri, succurrite. Concurrentes autem omnes simul quoscunque palliis, quoscunque cernimus birris esse vestitos, interrogant eum quid haberet, unde venisset, vel quid diceret se pati. Tum ille respondit: Ab Ægyptiorum quidem genere descendo, conversatione monachus. Ex quo tamen de patria mea quæ erat mihi vera, discessi, in trium feneratorum manus incurri: ex quibus duos quidem, quocunque modo debitum solvens, potui declinare, et sic ea quæ ab ipsis objiciebantur effugere; tertius autem adhuc ille me retinet nec habeo unde ei satisfacere possim. Cumque illi requirerent ab ipso feneratores quibus se debitorem D esse diceret, sciscitabantur ab eo qui illi essent, vel ubi degerent, vel quis ille qui ei molestus esset; quem si ostenderet, adjuturos se in omnibus eum pollicentur. Tunc ille: A principio, inquit, juventutis meæ, hi tres mihi semper molesti fuerunt, cupiditas pecuniæ, desiderium voluptatum, et voracitas ventris: ex quibus rebus duas, hoc est pecuniæ ac voluptatum cupiditatem evasisse jam videor, neque mihi ulterius sunt molestæ; tertiam vero (quam dixi voracitatem) ferre non possum. Nam cum quarto die jam ex necessitate jejunem, urget me illa sicut severissimus fenerator, exigens debitum solitum semper ac flagitans, et nisi reddidero, mortem minatur.

[1] Hoc deest in Ms. Moret.

Tunc quidam philosophorum putantes eum composita quædam et ficta narrare, unum solidum offerunt ei. Quo ille sumpto, et cuidam qui panes vendebat, dato, unoque tantum ab eo pane suscepto, mox ab eadem profectus est civitate, neque tamen unquam postea ad ipsam reversus est. Cognito **368** autem eo philosophi illi, omnique rei veritate perspecta, magnum nescio quem virum esse firmantes, reddito unius pretio panis, solidum ab eo quem ille susceperat, receperunt.

Cum ergo venisset beatissimus ille circa Lacedæmonis loca, unum illic de prioribus civitatis, bonum in cæteris rebus virum, omnesque de domo ipsius Manichæos esse cognovit. In hac rursus domo juxta exemplum superius vendidit se, et intra duos annos tam ipsum domus dominum ab exsecrabili secta, quam conjugem ejus totamque familiam abstractos, Ecclesiæ tradidit. Quem illi jam non quasi famulum diligebant, sed quasi fratrem attendebant potius aut patrem, verum benedicentes Deum.

Post paululum tempus, cum ab eis discessisset hic spiritualis adamas Serapion, cum multis aliis et ipse ingressus est navem, reddito pretio prius quod acceperat a dominis, quasi Romam navigaturus. Nautæ vero suspicantes quod sumptus haberet, et quod quasdam secum auri species attulisset, susceperunt eum, nihil ab eo penitus requirentes, nec ambigentes quod unus aliquis ex ipsis res ejusdem quoque ut cæterorum, in parte navis constituisset. Dum igitur navigarent, et jam abesse quingentis ab Alexandria stadiis viderentur, cœperunt omnes qui cum ipso ingressi fuerant, circa solis occasum sumere cibum, quod et nautæ ipsi jam fecerant. Cumque eum primo die non viderent edentem, causam esse aliquam de navigationis molestia crediderunt. At cum nec tertio quoque nec quarto die cibum caperet, epulantes ipsi jam quinto die in summa illum quiete perseverantem sic alloquuntur : Cur, inquiunt, homo, hic solus ipse non comedis? respondit, non habere se dicens. Quo audito vicissim se nautæ interrogare cœperunt quisnam res ejus ac sumptus suscepisset in navi. Et cum nulli ab eo datum aliquid reperissent, objurgabant eum, ista dicentes : Quemadmodum ascendisti sine sumptibus navim? unde mercedes daturus es nobis? unde ipse victurus es? Ait ille virorum patientissimus : Ad me nihil pertinet; educite me atque projicite ad illum ubi me invenistis locum. Nautæ indignantes dicebant : O ira! etiam si centum solidos dares, nunquam hoc libenter faceremus, cum sit navigii tanta prosperitas ; quapropter propositum cœptæ navigationis implemus. Ita igitur mansit in navi securus, ut ei usque Romam nautæ omnes alimenta præberent.

Ubi ergo attigit Romam athleta Christi fortissimus (*Pallad., cap.* 84), cœpit requirere curiosius quisnam illic magnus esse aliquis monachus diceretur, vel quæ virgo Dei prædicaretur a cunctis. Cum interea Domnioni cuidam fortissimo atque abstinentissimo, miraculisque famigerato factus est notus, cujus lectulus post ipsius mortem solebat curare languentes. Viso hoc igitur ab eodem, et ædificatus et doctus est ad perfectum. Ille enim vir eruditus atque instructus scientia et bonis moribus erat.

A quo forte cum quæreret quis alter monachus vel quænam virgo devota in urbe memorata degere diceretur (*Pallad., cap.* 85), cognovit esse illic virginem quamdam quæ se ab omnibus separata clausisset intra cellulam suam, atque illic quiescens, nullum hominum unquam videret. Quærit mox ipsius domum : quam cum invenisset, accedit ad vetulam quamdam, quæ in ministerio memoratæ virginis erat, hoc ei dicens : Vade, et nuntia virgini, quia necessario eam videre desidero. Illa vero reddidit responsum dicens quod ex multis annis neminem vidisset. Dicit ei : Vade, nuntia ei ; Deus enim me ad colloquium ipsius misit. Illa vero nec sic quidem voluit nuntiare. Cum itaque illic duos vel tres dies observasset, et tum demum ab ea susceptus fuisset, ait eidem : Quid hic sedes? Illa respondit : Non sedeo, sed ambulo. Dicit ille : Quo ambulas? Illa, ad Dominum, inquit. Ait ille : Vivis, an mortua es? Illa respondit : Credo in Deo meo, esse me mortuam sæculo; nam carne qui vivunt, ad Dominum ire non possunt. Ait ille : Si igitur hoc ipsum persuadere vis mihi, fac ipsa quod facio. Illa respondit : Si possibilia tantum jusseris, faciam. Tunc ille respondit : Possibilia cuncta sunt homini huic sæculo mortuo, præter solam impietatem. Deinde ait : Egredere et procede. Et illa respondit : Vigesimum et quintum annum ago, ex quo nunquam ex hoc loco egredior : quam ob causam ergo vis hodie procedam? Ait ille : Vah, nonne tu dixisti quod sæculo mortua sis? unde manifestum est quod et sæculum tibi. Quod si verum est, et mortuus nihil sentit; unum ergo est, sive non procedas, sive procedas; ergo progredere. Hæc audiens virgo, processit.

Postquam autem processit e cellula sua, et ad quamdam basilicam venit, rursus ille sanctissimus illic ad eam loquitur : Si ergo vis suadere mihi certissime, quod mortua sis, nec jam cum hominibus placens vivas, fac et ipsa quod facio, et vere te mortuam sæculo scio. Et ait virgo : Quid vis amplius faciam? Exue te, inquit, vestibus tuis, et omnes res quibus uteris, ita ut ego, super humerum tuum pone, et sic transi per mediam civitatem, et eodem more me nudum nec aliqua verecundia perturbatum sequere præcedentem [1]. Ad hoc illa respondit : Sed multorum animas, quæ me tam deformiter ambulare viderint, lædo, et aut insanam cuncti esse credent, aut dæmonem pati dicent. Ait ille : Et quid hoc ad te, si aut dæmoniosa credaris, aut voceris insana? Tu enim apud illos qui hæc loquuntur, ut dicis, mortua es. Mortuæ autem nunquam curæ est siquis ei vel detraxerit, vel irriserit ; nihil enim horum potest sentire. Tunc dixit ei virgo : Obsecro te, quidquid aliud vis in meo proposito, jube, et faciam. Ad hanc enim usque vitæ

[1] Mirandum hoc non imitandum.

mensuram nondum perveni : oro autem pervenire quandoque. Tunc ille famulus Christi dixit : Vide ergo, soror, ne magnum jam aliquid esse te credas, et tanquam cunctis hominibus sanctiorem, et te mortuam rebus sæcularibus glorieris. Didicisti enim quod vivis, et adhuc hominibus places. Nam longe plus te mortuus ego sum, qui per memetipsum omnibus opere monstro verum esse quod dico, faciens hoc quod ipsa non potes facere ; nec pati me aliquid, nec in aliquo deformari puto. Tunc igitur eam talibus verbis in studio humilitatis edoctam, et de quadam superbiæ vel tumoris arce depositam, reliquit abscedens.

Multa præterea sunt magna admirandaque quæ fecit, ex quibus non sentire se quod in mundo esset probavit ; sexagesimo autem anno finivit hanc vitam, et in desertis ipsis sepultus est locis.

CAPUT XXV.

Vita Evagrii diaconi monachi.

De Evagrio diacono (*Pallad.*, *cap.* 86) qui ubique memoratur viro [1], qui apostolorum moribus vixit, non **969** est justum tacere, sed oportet nos ipsius facta monumentis tradere litterarum, sine dubio legentibus cunctis, et gloriam bonitatis Salvatoris nostri agnoscentibus profutura. Dignum igitur existimo ut a principio vitæ ejus incipiam, diligenter exponens quemadmodum ad propositum tale pervenerit, quam congruo stupendæ ac prædicabilis vitæ fine defecerit in ipsis solitudinibus constitutus, quinquagesimum ætatis et quartum annum agens. De quo Scriptura sancta, quod dixit, probavit : In parvo tempore multos implevit annos ; vere enim placita erat Domino anima ejus (*Sap.* IV).

Hic ergo genere Ponticus fuit, ex oppido quod Hiberorum nominatur, filius presbyteri, multarum ecclesiarum curam gerentis, quos Periodeutas (24) vocant. Primum factus est lector a sancto Basilio Ecclesiæ Cæsariensis episcopo, circa fines montis Argei. Post mortem autem sancti Basilii, videns eum spiritualibus aptissimum rebus benedictus atque venerandus Gregorius Nazianzenæ [Nyssenæ *Palladio Herveti*] episcopus civitatis, ille qui insignis providentia, doctrinaque præclarus, nulla se humani generis passione læsum probavit, diaconum supradictum Evagrium fecit. Unde cum sanctus Gregorius ad maximum conventum episcoporum vocatus Constantinopolim usque venisset, sancto eum Nectario episcopo tradidit ac reliquit, grandi Scripturarum peritia hæreticorum omnium nænias destruentem.

Cum igitur vehementer impugnans perversarum vanitatem erroremque sectarum, in urbe memorata floreret, ac maximo omnium honore frueretur, prior quidem, ut ipse referebat postmodum nobis, laqueis desiderii mulieris implicitus, ex his tamen ipse continuo liberatus, amari ab eadem muliere quam amaverat cœpit. Quæ quidem cujusdam illustris et unius de magnatibus viri conjunx erat. Evagrius igitur Deum ante omnia metuens, tum autem et conscien-

A tiam erubescens suam, atque ante oculos dedecoris exsecrandi magnitudinem ponens, et omnium hæreticorum ex alienis malis gaudium atque lætitiam, intentissime deprecabatur Deum, ut conatus tantos ipse qui solus poterat impediret. Cumque prædicta ei mulier insisteret, neque posset ille prior a voluptate rabiei ipsius separari, eo quod multis irretitus jam esset ac variis ejus officiis, ipsaque insistente paratum esset periculum, post paululum tempus suscepta a Deo oratione quam fecerat, antequam ejus, quo flagrare cœperat, mali experiretur incendium, visio quædam ei ostenditur angelorum, habentium militum speciem, quæ ad præfecturæ officium pertineret. A quibus ad exitium suum missis teneri se subito videbat, ferroque per totum corpus ligatum in B carcerem trahi, nec ab aliquo tamen causam ob quam talibus pœnis succumberet, audiebat.

Ipse autem conscientiam cogitans suam, cum intelligeret ac videret quod propter illa quæ norat, ista pateretur, putaretque quod ad præfectum omnia maritus mulieris detulisset, dumque sub tali metu ante fores judicis intremiscit, qui quasi aliam in manibus habens causam, et de simili crimine occupatos variis quosdam tormentis conficere videbatur. Dum ergo fortiter timet, atque ultra modum anhelare se sentit, subito angelus ille qui tali eum visione tremefecerat, in cujusdam amici ipsius convertitur formam, ac sic eum quem cum quadraginta reis aliis vinctum videbat, alloquitur : Quid, inquiens, domine diacone, sic teneris ? Ille respondit : Quantum ad rem quidem C veram spectat, ignoro ; suspicor tamen quod quidam ex præfecturæ officio me incusaverit, matrimonio me suo credens insidiari ; et vereor ne forte corruptus pecuniis ipsius judex supplicio me mortis addicat. Tunc ille : Si consilium, inquit, amici tui accipis, non expedit tibi diutius in hac civitate versari. Ad hæc dixit Evagrius : Si me Deus ex his liberaverit malis, et ulterius in Constantinopolitana urbe me videris, scias tales me modo pœnas merito sustinere, et majoribus his debere torqueri. Tunc ille ait : Si hæc vera sunt, affero tibi Evangelium, in quo si juraveris mihi quod ex hac civitate discedas, et animæ tuæ de cætero curam geras, faciam te de necessitatis hujus periculo liberari.

Exhibito itaque Evangelio, atque in eodem sacra- D mento ipsi dato, quod præter unam diem quo recellulas suas deferret ad navem, non esset Constantinopoli moraturus, cœpit videre quod jusjurandum quod eidem præbuerat profuisset, et quod quasi a quæstione illa judiciorum, quod in præsenti nocte metuerat, fuisset penitus absolutus. Consurgens ergo de somno, secum cogitabat, hoc dicens : Quamvis in somnis juraverim, tamen jurasse me memini. Mox igitur ingressus cum recellulis suis navim, Jerosolymam navigavit.

Quo cum esset advectus, atque illic a sancta Melania Romana illa femina fuisset exceptus, iterum cor ipsius, ut Pharaonis aliquando, dæmon obduravit. Et

[1] Evagrius Origenista fuit.

quoniam adhuc in ipsis ardoribus juvenilis ævi erat, A quædam rursus et illic alia tentatio sensus ejus invasit, nullique quidquam tale significans, cœpit illic iterum vestes sibi mutare, et disserendo cum multis gloriæ vanæ illicitamenta sectari. Sed ille qui semper perditiones nostras impedit Deus, memoratum gravissimo febrium igne corripuit. Ex quo eum longa ægritudine domuit, et per sex mensium spatia corpus ejus attrivit, carnesque consumpsit, unde habere proprii mali fomenta consueverat.

Cum igitur plurimorum ars exquisita medicorum omnia quidem facere tentaret, neque ullum tamen curationis genus quod ad salutem ei proficeret inveniret; hæc sancta Melania ad ipsum locuta est : Multum, inquit, mihi displicet hujus tuæ ægritudinis longitudo ; dic ergo mihi, quæ sunt tui cordis ar- B cana? infirmitas enim ista sine voluntate ac judicio Dei non est. Tunc ille omnem feminæ sanctæ confessus est causam. Cui hoc illa respondit : Promitte, inquit, mihi ante conspectum Dei, quod ad propositum monachorum habitantium solitudinem revertaris, et ego quamvis ipsa peccatis videar involuta, tamen precabor Dominum, ut tibi vivendi tribuat commeatum. Cumque hoc se facturum fuisset pollicitus, intra paucos dies recepit sanitatem. Et de lectulo surgens, mox cœpit de profectione quam spoponderat cogitare. Tunc benedictæ ipsius Melaniæ studio, veste mutata inde descendit, et ad Ægyptiacum Nitriæ proficiscitur montem; in quo degens cum biennii tempus implesset, tertio anno ad interiores solitudines pergit. Ubi quatuordecim annos in iis locis quas C Cellas nominant, vixit, unam quotidie panis libram edens, unumque sextarium absumens olei in mensibus tribus, ille **970** qui inter copias magnas atque delicias cum maxima semper voluptate vivebat. Faciebat autem quotidie centum orationes, hoc tantum per singulos annos scribens, quod ex mercede operis sui posset ei ad emendatioris vitæ alimenta sufficere. Subtiliter enim illa scribebat manu, quam Oxyrinchum (25) vocant Græci.

Intra quindecim ergo annos ad perfectum mente purgatus divinam gratiam meruit, ita ut haberet et notitiam et sapientiam spiritualem, ut et bonorum ac malorum spirituum differentias nosset. Scripsit iste libros, quos his vocabulis nominavit, unum Epea, alterum Nonaxon, tertium Antiphyron (26), D artesque monstravit quibus possent dæmones subjugari.

Fortiter huic semper spiritus fornicationis incubuit; nam sicut nobis et ipse referebat, per totam noctem hiemis tempore nudus stabat in puteo, ut gelu quoque carnes ejus constringerentur.

Aliquando iterum blasphemiæ spiritus eum cœpit urgere, et ad sacrilega eumdem contra Deum verba compellere, ob quod quadraginta jugiter dies sine tecto fuit, ut ipse dicebat, in tantum ut per corpus ipsius totum quædam papulæ illi, quas sæpe in corporibus vidimus, exirent.

Huic quodam die tres simul dæmones astiterunt in specie clericorum, de fide cum eo tractare cupientes, ex quibus unus Arianum, alter Eunomianum, tertius Apollinarium se esse dicebat. Quos omnes sapienter ac breviter disserendo superavit.

Idem iterum quadam die cum ecclesiæ claves perissent, invocato Christi nomine signavit illam ostii partem unde erat clavis, et aperuit, manu pulsans fores.

Hic ipse tam vehementer expertus est dæmones, atque ab his toties verberatus est, ut numerus esse non possit.

Uni quidem discipulorum suorum omnia quæ ipsi post decem et octo annos essent futura, singulatim res ipsas prophetando prædixit.

Dicebat autem : Ex quo, inquit, ad solitudines veni, non lactucæ, non silvestris oleris cibum sumpsi; non viride attigi, non uvas, non poma, non carnes, non balneas vidi. Ad postremum sexto decimo talis vitæ suæ anno, in qua nihil quod coctum esset edebat, cum necesse esset corpori ejus propter stomachi infirmitatem ut coctum sumeret cibum, panem quidem attigit nunquam, olera tantum, et poscam (27), et lenticulam per solum biennium gustans; ita exivit a sæculo, ut tantum in ecclesia per sanctam Epiphaniam communicaret.

Circa ipsum igitur vitæ suæ finem referre consueverat, quod tertium agit annum ex quo se carnali desiderio intelligeret esse liberatum, et hoc post talem ipsius vitam, post sudores tantos, post tantos labores, post illas tam juges orationes. Nuntiata est huic patris sui mors quondam, atque hoc ei qui nuntiaverat dixit : Quid, inquit, blasphemas, o homo? immortalem ego patrem meum novi.

CAPUT XXVI.

Vita Picris monachi.

Pior quidam Ægyptius juvenis (*Pallad.*, *cap.* 87), cum huic mundo renuntiasset egressus e paterna domo, tanti animi circa religionem fuit, ut statueret ante conspectum Dei ne ullum jam suorum unquam videret. Post quadraginta igitur annos, soror ipsius senio admodum gravis cum fratrem suum vivere comperisset, amentium modo cœpit ardere, donec ad conspectum ipsius veniret. Cumque ad vastissima illa deserta non posset accedere, ab episcopo loci illius petiit ut ad sanctos scriberet Patres qui in solitudinibus ex more degebant, ut videndum sorori transmitterent fratrem. Qui vi maxima Patrum venire compulsus, cum alio quodam itineris sui socio ad sororis propriæ domum venit, ubi se venisse significavit, hoc dicens : Pior, inquit, frater tuus venit, et pro foribus assistit. Datoque januæ sono, putans quod anus ipsa in occursum fratris exiret, clausis ad eam oculis proclamavit, nomine suo illam vocans, et dicens : Ego sum Pior frater tuus, ego sum, inquam; quantum volueris aspectu meo fruere. Cumque illi satisfecisse propriis sensibus credidisset, projecit se in orationem, et cum penitus ei ut surgeret soror ejus persuadere non posset, benedicens gloriam Dei

ingressa est ad habitaculum suum; ille vero oratione in limine domus facta, ad solitudinum secreta remeavit.

Hoc autem ipsius miraculum fertur, quod cum in eo ubi degebat loco fecisset sibi puteum, et aquam illic amarissimam reperisset, ibidem usque ad finem ultimum vixit, contentus inventæ amaritudinibus aquæ, ut patientiam cunctis propriæ virtutis ostenderet. Multi tamen postea monachi, post illius mortem degere in cella ipsius pertinaci voluntate cupientes, ne uno quidem anno illic habitare potuerunt. Habet enim ipse locus et timorem maximum semper, et solatium nullum.

CAPUT XXVII.

Vita Moysis Libyci.

Moyses quidam de Libya oriundus fuit, vir mansuetudinis summæ et dilectionis immensæ, qui cœlesti gratia ægros curare promeruit (*Pallad.*, *cap.* 88).

Hic retulit mihi, quod cum adhuc juvenis in monasterio suo esset, ac puteum maximæ capacitatis effoderet, viginti in latum habentem pedes, et centum in profundum, et in tanto spatio nullum aquæ signum videret, præsertim cum etiam infra ipsum nulla indicia, in quibus esse aliquid humoris putabatur, apparerent, dum centum pene alios effodissent pedes, ac nec tunc quidem humorem aliquem invenire potuissent; tristes, inquit, admodum facti, a tam inutili opere cogitabamus abscedere. Ecce autem subito sanctus Pior de ultimis solitudinum locis in maximo ardore æstus, hora sexta diei admodum ex pelle velatus astitit nobis, et his postremo locutus est verbis:

Quid, homines parvæ fidei, angustiamini, et desperare voluistis? Ab hesternæ enim diei spatio usque nunc tristitia absorbemini. Descendens ergo in profundum, per eas quas illi fecerant scalas, oratione illic cum omnibus facta, ter ferro quod in manu ceperat, solum putei percussit, hoc dicens: Deus sacrorum patriarcharum, te, inquit, precamur ac petimus, ne sine causa impensi sint tanti fratrum labores, sed præsta ipsis usum ejus quam desiderant aquæ. Continuo ebullientes de visceribus soli latices perfuderunt precantes. Cumque rursus orasset, cœpit ad propria velle remeare, qui cum ad sumendum cibum ab illis retineretur, hoc illis locutus est: Propter quod **971** sum, inquit, missus, hoc factum est; nam ut cibum caperem, nemo me misit.

CAPUT XXVIII.

Vita Ephræm diaconi Edisseni.

De Ephræm diacono Edissenæ ecclesiæ (*Pallad. cap.* 101), multa te audisse non dubito, dignus enim fuit qui esset in ore sanctorum. Qui cum ita ut oportebat, iter viæ spiritualis implesset, neque unquam a recto tramite deviasset, meruit per gratiam Dei naturalium habere notitiam rerum: cui benedictio divina successit, atque illa quæ exinde nascitur beatitudo. Semper igitur vitam quietam agens, atque omnes qui ad videndum eumdem veniebant, per annos plurimos docens, ad postremum de cella sua talis rei necessitate processit.

Cum fames admodum gravis in Edissena civitate sæviret, miseratus ille pereuntem multitudinem rusticam, accessit ad divites, hoc eis dicens: Quare nulla vos, inquit, humanæ naturæ sic ante oculos vestros deficientis misericordia movet, sed putrefacta intrinsecus ad condemnationem vestrarum servatis animarum? Tunc illi: Non habemus, inquiunt, quibus pecuniam egentibus dividendam ad comparationem ciborum credere debeamus. Omnes enim negotiari pro suis commodis volunt. At ille ista dicentibus: Talis, inquit, vobis videor? Habebat autem magnam apud omnes homines ipse vir famam. Qui tunc ei non falsa dicentes, ista respondent: Scimus te, inquiunt, hominem Dei esse. At ille: Credite ergo mihi pecunias vestras; etiam nunc propter vos ego ordino me ipsum, suscepturus ministerium peregrinorum atque miserorum

Accepta igitur pecunia interclusit certis parietibus porticus civitatis, et trecentos in ipsis lectulos posuit, in quibus fame pereuntes reficiebat; morientes quidem sepeliens, eos autem quibus adhuc spes aliqua vitæ erat, in ipsis eorum laboribus curans: omnibusque pereuntibus fame qui illuc undecunque confluxerant, quotidianum ministerium suum ad necessariam sollicitudinem præbens, ex iis quæ ad eum singuli quique divites deferebant.

Impleto autem memorato anno, postquam copiæ frugum grandes fuerunt, singulis quibusque ad domicilia propria regressis, cum quibus vel circa quos faceret non haberet, confestim ad suam revertitur cellulam, in qua obiit post spatium mensis unius. Hujusmodi autem occasionem circa finem illius, ad exemplum Stephani, pietas divina præstiterat. Multa vero reliquit, quæ ipse conscripsit, ex quibus plura magna laude celebrantur

Necessarium autem valde et hoc puto, ut mulieribus quoque, sicut præfati sumus, viriles mores habentibus atque honestos, ad memoriam sempiternam libelli nostri paginam præbeamus, quibus Deus noster non inferiora sexu virili certamina donavit et præmia, ut demeret aliis negligentibus omnem excusationis occasionem. Quæ quia sexus inferioris videntur, non posse se dicunt ad commendandam virtutis gloriam pervenire [1]

CAPUT XXIX.

De Paula, Eustochio, Veneria, Theodora, Usia, Adolia, Bassianilla, Photina, Sabiniana, Asella, Avita.

Multas igitur feminas vidi, plurimasque tam viduas quam virgines novi, inter quas Paulam Romanam (*Pallad.*, *c.* 125), matrem Toxotii (28), feminam ad genus vitæ, quod est secundum spiritum, dexterrimo ingenio: [cui quidem, quominus ei se daret, impedimento fuit Hieronymus quidam genere Dalmata, qui

[1] Lipomanus hic interserebat Testamentum sancti Ephræm, quod nec in Heraclide nec in Palladio est: habes id inter opera Ephræm.

mulierem optima indole ad genus vitæ perfectum, cum in eo multos, ne dicam omnes, longissimo post se intervallo videretur posse relinquere, ipse invidia motus ad suum peculiare vivendi institutum pertraxit[1]. Ejus filia nomine Eustochium in Bethleem vitam adhuc monachalem exercet (*Pallad.*, *cap.* 126), quam quidem ego nunquam allocutus sum; cæterum fertur insigni esse pudicitia, et regere societatem virginum quinquaginta.

Novi etiam Veneriam nomine quamdam (*Pal.*, *c.* 127), comitis Vallacini relictam, quæ divisit bene atque dispersit onus cameli, seque vulneribus, quæ solent fieri ex nimio onum pondere, liberavit.

Theodoram quoque tribuni alicujus conjugem quondam (*Pal. c.* 128), adeo nihil de propriis sibi bonis reliquisse cognovi, ut ante mortem suam aliorum ei misericordia stipem ad alimenta præberet.

Defecerat autem in monasterio quod Escyca vocabulo nominatur [*Pal.* Hesycha], proximo mari, femina justæ [Usia, *Pal.*] semper (29) ac per omnia probabilis vitæ (*Pal.*, *c.* 129), cujus sororem etiam Adoliam noveram (*Pal.*, *c.* 130). Quæ etsi non potuit germanæ meritis comparari, dignam tamen pro modo virtutis propriæ famam habuisse fertur et vitam.

Bassianillam quoque nomine feminam vidi (*Pal.*, *c.* 131), magistri quondam militum Candidiani relictam, prompta mente et moribus sanctis usque ad præsens quoque tempus, vehementer institutione monachicæ vitæ ac labore sudantem.

Est et alia Photina nomine (*Pal.*, *c.* 132), presbyteri Theoctisti filia virgo, quæ valde honesta habetur et sancta.

[Antiochiæ quoque Sabinianam nomine, diaconissam honestissimam vidi; quæ cum ipso colloqui putabatur Deo, quæque amita beati Joannis episcopi fuit[2].]

Romæ etiam Asellam nomine bonam valde Christi virginem novi in monasterio senuisse (*Pal.*, *c.* 133), feminam mitem atque mansuetam, multorumque curam illic gerentem. Ubi viros etiam cum conjugibus suis vidi, monachorum eo tempore vitas et instituta discentes.

Avitam aliquam Deo dignam cum Aproniano quodam ipsius viro, et filia eorum Eunomia vidi (*Pal.*, *c.* 134), adeo placentes Deo, ut transferri ad cœlestem vitam ante conspectum ipsius mererentur. Et ipsi enim jam ultimo fine naturæ nunc in Christo quiescunt, qui peccatorum quidem omnium nexibus absoluti sunt. Divinarum autem rerum peritiam atque notitiam semper habuerunt.

CAPUT XXX.

Vita beatorum Juliani et Adolii monachorum.

De Juliano quodam in Edissenæ provinciæ partibus sito viro (qui vere monachus dicebatur) audivi (*Pal.*, *c.* 102), quod usque adeo omnes corporis sui carnes ad nihilum redegisset, ut pellem in se solam et ossa monstraret, ob quod ipse mercedem a Deo, curationum gratiam in ultimo vitæ suæ fine promeruit.

Alium quoque vidi apud Jerosolymam, Adolium nomine, ducentem ex Tarso oppido genus (*Pal.*, *c.* 104), qui cum venisset illuc, a nullo pene detritam ingressus est viam; quique non tale quale nos plurimi, **972** iter tenuit, sed novum sibi quoddam et ultra homines propositum conversationis invenit, in tantum, ut dæmones quoque contremiscerent austeritatem ejus, ac fugerent ab ingenti ejus abstinentia, continuationeque magnarum vigiliarum; ut prope id quod dicunt phantasma, hoc est non res vera, sed imago esse aliqua putaretur.

Per Quadragesimam quidem quinto quoque die edebat; reliquo vero anni tempore, post biduum semper cibum capere consueverat. Hoc autem in eo magnum, quod a vespertinis horis usque ad tempus matutinorum, quo rursus cæteri fratres ad oratorium colliguntur, ille in monte Oliveti stans in eo loco unde Salvator assumptus est, psallendo et orando pernoctare consueverat, et sive sub nimbis, sive sub pluviis seu pruinis; immobilis permanebat. Qui posteaquam hoc modo solitum tempus implesset, signo mallei, quo fratres cæteros excitabat, percutiens fores omnium cellularum, ad propria oratoria deducebat. In quibus cum unoquoque eorum unum vel alterum in antiphonas psalmum canens, totidemque cum singulis preces fundens, sic ante lucem adhuc revertebatur ad cellulam suam. Quem fratres (vere enim sub Deo loquar) spoliatum vestibus suis aquam sæpius stillantibus, aliis induebant, donec illæ siccarentur. Sic ergo paulisper somno refectus usque ad horam tertiam, iterum psalmos canens, venire ad alterius diei vesperam nitebatur.

Hæc Adolii Tarsensis virtus fuit, qui Jerosolymæ, consummatis patientiæ moribus, vixit, et ultimo ibidem fine defecit.

CAPUT XXXI.

Vita Innocentii presbyteri.

De beatissimo Innocentio (*Pallad.*, *cap.* 103), qui in ea quæ est ad Olivam ecclesia presbyter fuit, a multis quidem et magnis viris audisti, nihilominus tamen etiam a nobis, qui cum eo annis tribus viximus, pauca cognosces. Nam quidquid aliorum oculos latuit, nobis non potuit occultari.

Hic ergo simplicissimus omnium fuit; qui cum sub imperatore Constantio, in principiis ejus imperii in magnorum virorum ordine militasset, quique cum usque ad illud tempus cum propria uxore vixisset, habuissetque filium nomine Paulum domesticum militantem; ad postremum renuntiavit sæcularibus rebus. Maledixit autem proprio filio Pater, eo quod presbyteri alicujus filiam corrupisset, deprecatusque est Dominum, dicens: Da illi, Domine, spiritum talem, ut nullum unquam ad peccandum in carne sua tempus inveniat. Rectius fore credens, si cum atrocitate dæmonis, quam cum corporeæ voluptatis impuritate certaret. Quod quidem ita ut dixit, factum est; nam et usque in præsentem diem Paulus ipse ferreis catenis vinctus, in eo qui est Oliveti

[1] Uncinis inclusa desunt Heraclidi Fabri.

[2] Uncinis inclusa desunt Palladio.

monte consistit, et ab immundo spiritu pro criminis A sui correptione cruciatur.

Hic ipse Innocentius quam misericors fuerit, si veraciter referre voluero, delirare me in quibusdam forsitan, pro ejus simplicitate quis judicabit. Nam frequenter eum surripuisse suis fratribus cibos, et egentibus dedisse cognovi. In immensum enim modum simplex erat, neque quidquam mali cor ipsius norat. Unde divinam quoque hic gratiam contra dæmones meruit.

Ad quem cum aliquando videntibus nobis, juvenis quidam fuisset exhibitus, quem spiritus immundus impleverat, et omnibus totum solverat membris; in tantum, ut ego videns eum eminus talem, neque ambigens non posse curari, matrem ejus qui videbatur exhibitus, aliosque qui eum deduxerant, propelli jube- B rem. Evenit autem inter hæc ut superveniret senex, ac stantem et cum lamentatione deflentem propter tam inenarrabilem filii morbum matrem videret. Victus ergo continuo vir ille venerabilis lacrymis ejus, ex affectu sancti cordis ingemuit, juvenemque apprehendit manu, et intra oratorium suum, quod ipse construxerat, et in quo reliquias sancti Joannis Baptistæ collocaverat, duxit, atque illic orationem pro eo faciens a tertia nonam usque horam diei, incolumem eum ipso die reddidit, purgatum dæmone, atque constrictum omnibus membris; quæ usque adeo fuerant dissoluta, ut quoties infelix puer voluisset exspuere, in tergum sputa jactaret. Ita eum distorserat dæmon.

Anicula quædam adiit memoratum virum, quærens C ovem quam se perdidisse deflebat. Dicebat ergo ei: Ostende mihi ipsum, in quo perdidisti, locum. Quem mulier cum ad illa quibus Lazarion nomen est deduxisset loca, stetit illic, et instanter oravit. Juvenes autem qui furati ovem fuerant, jam etiam occiderant eam. Dum igitur precem fundit, nullo penitus confitente, carnibus autem ipsius pecoris intra vineam quæ adjacebat abstrusis, subito supra ipsas volitans corvus stetit, partemque inde auferens carnis, rursus abscessit. Quo viso, ille venerabilis senex furtum quod celabatur invenit. Mox autem juvenes ipsi confitentes proprium reatum, ad pedes ejus prociderunt. A quibus postea pretium quod justum videbatur exactum est, et mulieri redditum.

CAPUT XXXII.

Vita Philoromi presbyteri.

Philoromum nomine presbyterum quemdam in Galatiæ regione cognovi (*Pallad.*, *c.* 113), cum quo multo etiam tempore fui. Quem virum patientissimæ fuisse virtutis, ac perfectum per omnia monachum comprobavi, qui ex ancilla quidem matre, ab ingenuo tamen patre fuerat procreatus. Tantæ autem conversationis et libertatis quæ ad Christum pertinet fuit, ut etiam illi qui nobilitate generis insuperabiles videbantur, erubescerent ac stuperent mores ejus atque virtutes.

Hic eo tempore, quo Julianus infelix tenebat imperium, sæcularibus renuntiavit rebus, magnaque eidem, interrogatus ab eo, cum auctoritate respondit. Quem tunc ille (calvitie eidem prius facta) jussit pueris verberari. Qui supplicium plagarum patientissime ferens, maximas ei gratias egit, sicut postea nobis et ipse referebat. Huic tamen inter principia cum fornicatione ac ventris voracitate gravissima fuit pugna; quos ille animi et corporis morbos ita superavit, velut si quis immensum incendium validissimis aquis exstinguat. In quadam enim se cellula clausum, ferro semper oneravit, non panem factum ex tritico edere voluit, nullum coctum ignibus cibum sumpsit. Ac tum demum in decem et octo annis, memoratis passionibus domitis, dignum tali victoria hymnum Deo cecinit, dicens: Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me (*Psal.* XXIX). Cui frequens semper et varius cum spiritibus impuris per quadraginta annos, patientissime intra unius monasterii claustra degenti, conflictus fuit.

973 Hoc quoque nobis solebat idem referre, quod per quadraginta ac duos annos ex nullo pomorum genere gustasset. Cum autem metus illum mortis aliquando vexaret, per sex annos clausisse se intra memoriam mortuorum, ut dæmonem, quem ex formidine sepulturæ terribilem sentiebat, in sepulcris habitando superaret. Libenter hunc sanctus Basilius episcopus habuit in memoria, districtos in eo mores semper ac simplices, intentionemque ad Deum dirigens: qui usque ad præsentes dies non desinit libros propria manu scribere, etiam cum octoginta annos agat.

Dicebat hoc etiam ipse beatissimus, quod ex quo accepisset lavacrum regenerationis, atque mysterii gratiam spiritualis, usque in præsentem diem, sine causa se alterius pane usum fuisse nesciret; sed quod ex laboribus propriis, sicuti persuadere ante Deum nobis solebat, ducentos quinquaginta solidos elephantioso laborantibus morbo dedisset, memoratamque pecuniam non ex cujusquam alterius vel levi damno, sed ex manuum suarum operibus præstitisse.

Qui pedester iter omne conficiens, Romam usque pervenit, atque in ecclesia sancti Petri Paulique orationibus factis, rursus ad Alexandriam pedester re- D meavit; ubi iterum precem fudit in basilica martyris Evangelistæ Marci. Jerosolymæ etiam secundo fuit, pro honore sanctorum locorum, propriisque semper sumptibus ac pedibus martyres sanctos in omnibus sufficienter honoravit. Qui et hoc ad nostram ædificationem sæpe dicebat, non se meminisse quod unquam sensibus suis a Deo fuerit separatus.

Hæc sunt beatissimi Philoromi certamina, quibus invictus apparuit, et hæc sanctorum Patrum immarcescibilis ei gloriæ corona donata

CAPUT XXXIII.

Vita Melaniæ senioris

Sancta illa et multum beata Melania (*Pallad.*, *cap.* 117), de Hispano vel urbico genere descendens, filia

quidem Marcellini cujusdam exconsulis fuit, A uxor autem cujusdam honorabilis viri, cujus nomen meminisse non possum. Quæ vigesimo ac secundo ætatis suæ anno ad viduitatem redacta, divinitatis amore, æterno sponso meruit copulari, usque in finem vitæ suæ diligens eum. Quæ nulli secreta animi sui prodens (prohibebatur enim inter principia Valentis imperii), procuratore ante filio suo constituto, ea quæ habere in mobilibus videbatur cum certis pueris ac puellis in navem misit, itaque festinans Alexandriam navigavit. Ex qua (posteaquam illic omnia vendidit, et in pecunias totum atque in aurum redegit) Nitriæ attigit montem; atque ibidem venerabiles patres vidit Pambo beatissimum, Arsisium famulum Christi, Serapionemque majorem, Scythensem Paphnutium, et Isidorum confessorem atque episcopum illius civitatis quæ vocatur Hermopolis, et sanctum Dioscorum. Apud quos in desertis locis sex tantum mensibus commorata, omnes qui illic erant sanctos viros peragravit ac vidit

Post hæc autem cum Alexandriæ præfectus Augustalis Isidorum, et Pithimum, Adelphium, Paphnutium, Pambo, inter quos etiam et quemdam senem Ammonium, unam habentem auriculam, et duodecim episcopos presbyterosque, et alios quosdam, usque ad centum duodecim numero, circa Palæstinam et Diocæsaream damnasset exsilio; istos hæc beatissima omnes secuta est, et ex propriis facultatibus eis ministerium suum præbuit. Cumque ab illis qui in memoratorum custodia erant probiberetur hæc facere (sicut mihi et ipsi sæpe referebant, nam et ego sanctum Pithimum, et Isidorum, et Paphnutium vidi), benedicta tunc illa sumpta veste puerili, circa vespertinas horas omnia eis vitæ necessaria deferebat.

Quo cognito, Palæstinæ provinciæ consularis, credens quod sinus suos posset fumo quodam atque terrore ex pecunia ejus implere, jussit eam (ignota enim ipsis erat) corripi atque in carcerem tradi. Ex quo loco tunc ei per internuntios quosdam sancta illa mandavit: Ego, inquit, illius filia, et illius conjux fui, ancilla vero nunc Christi sum; ne ergo me ob vilitatem præsentis habitus contemnendam putaveris, quia facile extollere, si velim, ipsa me possum: nec terrere igitur me in aliquo vales, neque quidquam mihi de meis rebus auferre. Atque ideo ne hæc fortassis ignorans periculum aliquod aut crimen incurras, idcirco ista tibi mandavi. Quasi quæ diceret: interdum enim necesse est adversus imprudentes hæc agi, et veluti accipitre vel cane contra eos arrogantia uti, quæ congruo tempore superbos comprehensura immittatur. Talibus ergo verbis mox ipse territus judex, excusavit eidem factum suum, et ita eam ut meruerat honoravit. Et jussit ut ad illos viros, quoties vellet, accederet.

Hæc autem revocatis ab exsilio memoratis viris, monasterium apud Jerosolymam sibi fecit, in quo viginti et septem annorum tempus implevit, quinquaginta secum sorores virgines habens.

Erat etiam cum ea Ruffinus quidam nomine, civis Italus ex Aquileiensi oppido, vir nobilium, et in proposito singulari satis fortium morum; qui et ad presbyteratum postea meruit pervenire. Quo nullus mansuetior, fortior, et placidior, tanquam omnia sciens, in sexu virili potuit inveniri. Isti igitur in viginti et septem annis omnes apud Jerosolymam sanctos atque peregrinos episcopos, monachos, virginesque (hoc enim voverant Deo) suscipere propriis sumptibus ac fovere consueverant, omnesque ad se venientes meliores tantarum ac talium rerum contemplatione fecerunt. Illos etiam quadringentos numero monachos qui propter Paulinum se ab Ecclesia separabant, sanctæ rursus Ecclesiæ reddiderunt, omnesque etiam præter hos perversæ sectæ homines, et contra B Spiritum sanctum sacrilego ore certantes, ad Ecclesiam nostram, vera suadendo, ac jugiter cunctos docendo revocaverunt, honorantes quidem ac sæpe pascentes ejusdem loci clericos. Et hæc pariter facientes, vitam suam pio studio finierant, nulli quidem ex se vel levem dantes scandali suspicionem, totum vero orbem terrarum spirituali ædificatione plenissimum relinquentes.

CAPUT XXXIV.

Vita Chronii presbyteri.

Chronius quidam nomine (*Pallad.*, *cap.* 89), oriundus ex vico cui Phœnicis vocabulum est, quique desertis est proximus locis, quindecim millia passuum, dextro pede (30) numerans, a proprio vico usque ad C certum desertorum emensus est finem. Ubi facta oratione, puteum effodit sibi, in quo optimæ aquæ reperit venam, septem tantummodo (quas orgyas vocant) ad putei ima descendens; circa quem et cellulam sibi parvulam fecit. **974** Ex quo die in eadem mansione se constituit, summis Deum precibus oravit, ne ad ea quæ ab hominibus habitantur loca ulterius accederet. Post paucos autem annos meruit presbyter fieri: habuitque secum collectos ex diversis fratribus usque ad ducentos numero viros.

Magnam vero hanc ipsius dicunt fuisse virtutem, quod per sexaginta annos altari serviens Dei, ac fungens officio sacerdotii, nunquam de solitudinibus egressus est, nec nisi proprio opere ac sudore quæsitum attigit panem.

CAPUT XXXV.

D *Vita Jacob monachi, et Paphnutii Cephala, et de quibusdam subito mortuis, et lapsis aliis.*

Jacob etiam nomine aliquis (*Palladius*, *cap.* 90) qui Clodus nomen acceperat, ex vicinis eidem conjunctus est locis, unaque ambobus vita perfecta in monasterio erat. Utrosque autem benedictus Antonius norat.

Quodam igitur die, cum sanctus quoque Paphnutius, quem Cephalam cognominabant (*Pallad.*, *cap.* 91), una cum ipsis degeret, vir magnam Dei dono scientiam Scripturarum habens, qui tam vetus Testamentum omne quam Novum interpretari solebat, cum tamen ipse nihil de Scripturis sanctis aliquando legisset. Adeo autem erat mitis et placidus, ut pro-

pheticam quoque posset mansuetudine vitæ superare virtutem. De quo tale refertur præconium, quod per octoginta annos nunquam habuerit duas simul tunicas.

Hos igitur cum ego et sancti diacones Evagrius et Albinus vidissemus, simul quærebamus ex ipsis, scire cupientes quænam esset causa quæ nonnullos fratrum errare faceret, interdum et peccatum aliquod incurrere, aut penitus a recti itineris proposito deviare.

Acciderat enim illis ipsis diebus, ut Cheremon homine monachus (*Pallad.*, *cap.* 92), residens in cathedra sua repente moreretur, defunctumque in eo ipsum atque in manibus opus quod faciebat tenentem, subito alii fratres viderent.

Evenerat etiam ut unus ex fratribus, dum puteum conatur effodere, terrenæ molis aggere obrutus interiret (*Pallad.*, *cap.* 93).

Utque alter quoque de Scythensibus locis veniens, in ipso itinere, cum sitim non posset ferre, deficeret (*Pall.*, *c.* 94).

Inter quos eo ipso tempore et Stephanus quidam relicto monasterio fratrum, libidinis causa ad sæcularem descenderat vitam (*Pallad.*, *cap.* 95). Et de Eucarpio et de Herone Alexandrino, et Palæstino Valente, et de Ptolemæo Ægyptio, qui in Scythensibus degebat locis, quæcunque ipsis adversa provenerant, referebantur. Propter quæ omnia sanctos illos precabamur viros, ut nobis causas earum exponerent rerum, quæ homines tam probabilis vitæ in desertis degentes locis, aut mente mutari, aut ad turpia ac libidinosa transferri, aut quibuscumque aliis modis decipi vel perire compellerent.

CAPUT XXXVI.

De responsionibus ad interrogata præcedentia.

Illi vero nobis hujusmodi dedere responsum (*Pallad.*, *cap.* 95), pariterque cum illis etiam ipse Paphnutius, in quo maxima omnium rerum scientia erat, quod omnia quæcunque in hoc sæculo fiunt, dupliciter dividuntur, in voluntatem et in permissionem Dei. Quæcunque igitur ex animi virtute procedunt, et ad Dei gloriam fiunt, ex Dei voluntate proveniunt: quæ autem periculosa sentimus atque damnosa, in quibus aut perversitatem aliquam deprehendimus, aut ruinam, hæc rursus permissione Dei fiunt. Permissio autem ipsa ex ratione descendit, id est, ex peccato aliquo, vel infidelitate surrepente paulatim. Non potest enim fieri ut is cujus sapientia probatur et vita, in peccatum alicujus turpitudinis ruat, aut dæmonum dolis in laqueos præcipitetur erroris.

Quicunque igitur corrupto mentis proposito, quicunque temeraria voluntate a tramite virtutis exorbitant, illi facile peccare consueverunt. Deseruntur enim divinitatis auxilio, ne possint intelligere profutura; ut cum se a Deo intellexerint derelictos, casumque perversæ mutationis agnoverint, incipiant vel propositum suum vel factum emendare. Interdum autem actus ipse noster in crimen est, quando non ex recto proposito, nec ex eo quo convenit more a no-

A bis aliquid perpetratur. Quod novimus frequenter accidere. Ut si is qui turpiter vivit, flagitioso animi proposito circa juvenem puellam misericors esse videatur, propter finem quidem ipsius rei turpem, sed per actum rationabilem, quo quasi puellæ et desolatæ defensionem se præbere demonstret. Evenit rursus ut ex proposito quispiam recto misericordiam quidem ægroto impendat aut seni, et ex divite se pauperem faciat, parca tamen manu, et cum mœrore quodam mentis invitæ, ut rectum quidem videatur esse propositum, actus autem ipse indignus suo proposito judicetur. Oportet enim misericordem cum lætitia et cum largitate misereri.

Præterea memorati viri prærogativas quasdam in sensibus plurimorum esse dicebant. Quorumdam enim

B faciles ad virtutem et acutas animas, prædicabant habere optimos mores in proposito institutisque monachorum. Sed quando aliquid non fit propter idipsum quod novimus bonum, neque factum, neque ingenium mentis humanæ, neque illæ ipsæ prærogativæ quæ infixæ sunt mentibus plurimorum, imputantur datori bonorum omnium Deo, sed magis totum ascribitur voluntatis propriæ potestati. Tunc cum necessario relicti a Deo fuerint, incidunt in turpitudinem aliquam, in qua erubescenda multa vel patiuntur, vel faciunt per eum ipsum qui in his turpis vitæ actu lapsus cecidit. Cumque paulatim sobrietate mentis admoniti, ab eo animi tumore discedunt, quam putabant magnam aliquam, esse virtutem, donatore cognito damnare coguntur.

C Quoniam vero ille qui arrogantia eloquentiæ suæ, et ex ingenio vel acumine mentis inflatus est, non ascribit ante omnia originem atque fomenta ipsorum bonorum Deo, quæ ex ipsius tantum fonte descendunt, sed sui hoc esse existimat studii suæque naturæ, removet tunc ab ipso providentiæ suæ angelum Deus. A quo cum fuerit destitutus ille qui ex alienis sibi donis placens cœperat superbire, a dæmone inimico suo expugnatur ac vincitur, et in aliquod turpitudinis crimen incurrit. Ex quo irrationabilium animalium vel canum more, usque ad diabolicam illam persuasionem, quæ superbia est, insaniendo descendit. Illo enim semel casta ac probabilis vitæ teste sublato, quodcunque **975** hi tales vel qualecunque jam dixerint, nec credi ab aliquo, nec suscipi potest.

D Nam quicunque sancti disserentes eos audire consueverant, incipiunt ipsos fugere, exsecrantes flagitiosi animi morisque doctrinam, velut fontem qui sanguisugis plenus est, licet quisquam sitiens, tamen vitare cogatur, ut sermo divinarum Scripturarum probetur, hoc dicens: Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum (*Psal.* XLIX)?

Et vere similes esse peccantium mentes pollutis fontibus putes. Nam voracitati atque ebrietati studentes, cœnosis locis comparantur; pecuniæ cupidi vel rapaces, iis quos impleverunt ranæ; illi vero qui sunt invidi vel superbi, habentes in se aliquam tamen scientiæ peritiæque notitiam, pares iis fontibus judi-

cantur, qui serpentes inter latices suos nutriunt. Quibus semper quidem sermo facundus ut utilis humor exuberat, sed a nullo tamen possunt libenter hauriri, propter suorum amaritudinem morum. Unde sanctus David hæc tria sibi dari a Deo dona postulabat, bonitatem, et disciplinam, et scientiam (*Psal.* CXVIII). Sine bonitate enim et disciplina scientia nimis inutilis est. Et si quidem iste qui talis est se emendare festinet, relicta ea causa, ob quam deseruit eum Deus (superbiam loquor) volueritque mensuram sui cognoscere, ut jam de reliquo, neque contra alios se ut melior aut major extollat, sed Deo semper gratias agat, rursus ad eum profecto remeabit scientia bonorum actuum testimonio gloriosa. Nam facundia spiritualis nisi cum honestis moribus vitæ castisque concordet, illis erit similis spicis, quæ ventorum corruptione vitiatæ speciem tantummodo spicarum gerunt, non tamen habent ea quæ possunt hominem juvare vel pascere.

Omnis igitur lapsus hominis, qui vel linguæ vel sensus vitio procreatur, quique ex uniuscujusque actibus, vel ex omni corporis nostri parte descendit usque ad superbiæ magnitudinem, ex eo semper accidere solet, quia Dei favore nudamur. Qui tamen hoc ideo facit, ut parcat magis iis hominibus quos relinquit. Nam si cum damnabili illa (quam in se habent) morum perversitate, ingeniis quoque eorum eloquentiæ fomenta suppeditassent, quasi testimonio quodam suo animaret eos Dominus; sine dubitatione perfecti dæmones fierent, cum intelligerent se vitæ sordibus inquinatos ad sublimia conscendere.

Hæc quoque nobis memorati dicebant sanctissimi atque optimi viri : Quando aliquem videritis pessimæ quidem vitæ, eloquentiæ tamen magnæ, dæmonis illius meminisse debetis, quem cum Christo loquentem legimus in Scripturis sanctis (*Matth.* IV). Recordari etiam vos oportet et illius loci in quo novimus scriptum : Serpens autem sapientissimus ferarum omnium in terris erat (*Gen.* III), cui illa sapientia magis obfuit, quia nullum in se habuit alterius virtutis auxilium. Oportet enim bonum ac prudentem virum sapere quidem illa quæ ei Deus dederit, loqui autem illa quæ sapit, et illa facere quæ loquitur. Nam si non occurrat eloquentiæ veritas cum virtutibus vitæ, moribusque honestis, panis profecto sine salibus fatuus esse videbitur, qui manducari juxta Job dicta non poterit (*Job.* VI), aut mortis causa iis qui eum comederint erit. Si enim panis sine salibus edi potest, poterit esse et aliquis bonus gustus in sermonibus vanis, et qui non bonorum actuum testimonio roborentur

Diversis autem modis famulos interdum suos deserit Deus. Aliquando enim hunc propter alicujus occultam virtutem, ut cæteris revelari possit ac prodi, veluti in sancto illo athleta Job, cui Deus secreta sua manifestans, ista dicebat (*Job.* XL) : Noli mecum recusare judicium, neque ob aliam causam putaveris me tibi hæc dedisse responsa, nisi ut justus omnibus demonstreris. Mihi quidem, cui nihil potest esse ce- A latum, notus admodum eras; sed quia alii te homines nesciebant, qui me propter divitias (quas acceperas) a te existimabant coli; idcirco hujusmodi tentationem ad te venire permisi, idcirco omnes opes tuas abstuli, ut ostenderem cunctis sapientiam tuam, quæ etiam in illo statu posset gratias agere.

Alio iterum modo relinquere homines videtur Deus, quando eos a superbiæ malo avertere cupit, quod in sancto novimus Paulo; nam et Paulus tunc a Deo putabatur relictus, cum tot ac tantis opprimebatur undique colaphis, tamque diversis quas Scriptura sancta numerat tribulationibus fatigabatur (Datus est mihi, inquit, velut angelus Satanæ, qui me colaphizet, ut non extollar [*II Cor.* XII]), ne forte si cum iis quæ per divinam gratiam miranda faciebat, aliquam B habuisset quietem aut abundantiam rerum, cum illo tanto honore, quantus illi ab hominibus deferebatur, diabolus eum palpatum pluribus bonis atque resolutum, superbia quadam novi tumoris extolleret.

Relictus est a Deo quondam paralyticus et ille propter propria delicta, cui dixit Jesus : Ecce factus es sanus, noli amplius peccare, ne quid tibi deterius contingat (*Joan.* V).

Judas quoque relictus est, qui verbo Dei præposuit argentum, ob quod laqueo se suspendit et periit (*Act.* I). Relictus est Esau, et peccati crimen incurrit; intestinorum enim maluit sordes quam benedictiones paternas (*Gen.* XXVII). Quæ omnia cogitans Spiritu sancto plenus beatissimus Paulus, dicebat de talibus qui deseruntur a Deo : Et sicut non probave- C runt Deum in notitia habere, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt (*Rom.* I). De aliis autem quibusdam qui putant divinam habere notitiam, sed qui corruptæ et superbæ essent mentis, sic dixit : Quoniam cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, elationis atque tumoris dæmonio copulati. Unde sequitur : Propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis. Idcirco hoc intelligere nos oportet, non posse fieri ut quis peccati grandis alicujus crimen incurrat, nisi ante eum divina providentia pro malis moribus dere- D linquat.

CAPUT XXXVII.

Vita abbatis Elpidii et collegarum ejus Ennesii, Eustathii, et Sisinnii Elpidii discipuli.

Elpidius quidam fuit de Cappadocia genus ducens (*Pallad.*, *c.* 106), qui postea et ad presbyteratus honorem meruit pervenire. Erat autem de monasterio Timothei Cappadocis cujusdam chorepiscopi (31), viri admodum magni. Qui Elpidius in una de memoratis speluncis habitaculum sibi fecit.

Tantum autem abstinentiæ studium in se ipso
976 monstravit, ut vinceret cunctos. Per viginti enim et quinque quos vixit annos, solo Dominici ac Sabbati die sumebat cibum, et per noctes totas stando

et orando psallebat. Quem sicuti apes regem suum, A ita innumera multitudo fratrum secuta, fecit quamdam videri in speluncis ipsis ac solitudinibus civitatem. Erat autem maximæ voluptatis, stupendam vitæ varietatem et conversationis eorum cognoscere. Hunc ipsum Elpidium veræ spei gloria gratulantem, et propter Christum tribulationum pericula sustinentem, cum quadam psalleret nocte nobiscum, scorpio vulneravit, quo ille calcato, nec stando quidem in quo fuerat mutavit spatium. Ita eum, quem ipsius scorpionis ictus intulerat, contempsit dolorem.

Quodam autem die cum unus ex fratribus exiguam partem sarmenti ex arida vite teneret, accipiens illam a fratre, dum in summitate montis sederet, velut plantans eam infodit solo, et certe cum tempus plantationis omnino non esset, quod ita in immensum B crevit modum, et tam magna exinde vitis effecta est, ut se ad superiora diffundens, totius ecclesiæ tecta cooperiret.

Erat etiam cum hoc athleta Christi Ennesius vir magnus et honestus, ac frater ejus Eustathius, quibus una vita continentiæ, atque eadem consummatio fuit in Christo (*Pallad.*, *cap.* 107, 108).

Usque adeo autem memoratus Elpidius nullis animi vel corporis passionibus subjacebat, propriis membris vario abstinentiæ labore consumptis, ut solis instar ossium ejus junctura luceret.

A quibusdam autem studiosis ejus discipulis, talis fertur relatio, quod per viginti et quinque annos nunquam se ad Occidentem converterit (et sane speluncæ ostio mons in altum editus imminebat), et quod post C sextam quoque horam a medio mundi vertice in partes occiduas declinantem nunquam viderit solem, neque ab Occidente surgentes conspexerit stellas. Qui ex quo memoratam speluncam ingressus est, nunquam de ejus monte descendit, donec corpus ejus sepultum est.

Hujus Elpidii Sisinnius nomine discipulus quidam fuit in Cappadocia natus, ex servili quidem origine genus ducens, sed habens in Deo fiduciæ libertatem (*Pallad.*, *cap.* 109). Debemus enim humillimum etiam genus quorumdam conscribere, ut major gloria ingenuitatis appareret quæ donatur a Christo, per quam ad veram atque cœlestem nobilitatem libertatemque revocatur. Is itaque cum apud magistrum suum per sex vel septem annos fuisset, ad postre- D mum intra sepulcrum se clauserat quoddam, in quo triennii tempus stans semper orabat : ubi non nocte, non die aut deambulavit, aut sedit, aut jacuit. Quique gratiam quoque contra dæmones meruit spiritualem. Nunc autem regressus ad patriam presbyter factus est, collegitque in unum fratres pariter ac sorores. Qui adeo sine ullo vitio mentis et corporis vixit, ut nullam generis esse distantiam inter mares ac feminas comprobaret, ut Scripturæ sanctæ illud impleretur : In Christo enim Jesu neque masculus neque femina sumus (*Galat.* III). Est autem et peregrinis omnibus hospitalis, et certe cum sit cognitum satis nihil eum penitus possidere, ad eorum opprobrium atque supplicium qui, cum sint divites, nihil unquam egentibus largiuntur.

CAPUT XXXVIII.

Vita Gaddani servi Dei.

Novi ego Palæstinæ quemdam Gaddanum nomine senem (*Pallad.*, *c.* 110), qui sine tecto semper circa loca Jordanis fluminis vixit. Contra quem aliqui Judæorum invidiæ furore præcipites, dum ille in regionibus Mortui maris degit, armati gladio aliquando venerunt, et cum unus ex ipsis eumdem ferire voluisset, tale miraculum Deus fecit, ut dextera ejus quam erexerat percussurus aresceret, gladiusque ex illius digitis, a quo tenebatur, excideret.

CAPUT XXXIX.

Vita Eliæ monachi.

Elias quidam nomine monachus (*Pallad.*, *c.* 111), in illis ipsis locis intra speluncam solitus vivere, vir castigatorum ad perfectam regulam morum, hospitalis et charitate plenissimus, cum quadam die quorumdam ad eum fratrum multitudo venisset (nam publicus illic transitus erat), subito ei defuit panis. Qui propria nobis fideliter relatione narravit quod cum admodum tristis esse cœpisset, ingressusque esset speluncam suam, tres illic panes magnos atque recentes subito reperisset. Ex quibus viginti simul fratres usque ad satietatem refecti sunt. Unum autem ex ipsis panem superesse, eumque postea per viginti et quinque dies victui suo sufficisse memorabat.

CAPUT XL.

Vita Sabæ servi Dei.

Sabas quidam nomine [1], Jerichuntinus genere, sæcularis vir et uxorem habens, in tantum omnes monachos diligebat, ut per deserta omnium cellas noctibus circuiret, et ante singulas quasque poneret mansiones modios singulos dactylorum, tantum et olerum quantum putaret posse sufficere, eo quod usum panis nesciunt ii monachi qui in Jordanis regionibus vivunt. In quem leo quadam die impetum fecit, quemque intra unum lapidem consecutus corripuit atque dejecit, et asinum tantummodo ejus avertit ac rapuit.

CAPUT XLI.

Vita Abramii monachi.

Abramius quidam nomine fuit (*Pallad.*, *c.* 105), Ægyptius genere, qui satis duram atque asperam vitam in desertis locis habuit. Qui cum aliquo tempore ex una quadam præsumptione mente captus fuisset, ad ecclesiam venit, et jurgari cum presbyteris cœpit, hæc dicens : Presbyter a Christo factus sum ista nocte, et suscepit me divina sacra facientem. Quem postea Patres sancti a solitudinibus separatum, traditumque sæculari magis atque communi conversationi hominum, reduxerunt ad pristinam animi sospitatem, curatumque atque omni superbia liberatum, per quam illum dæmon illuserat ad agnitionem humilitatis propriæ infirmitatisque revocaverunt.

[1] Palladio, cap. 112, dicitur *Sabbatius*.

CAPUT XLII.

De Melania seniore, juniore, Piniano, Albina, Silvia, Jovinio.

[De sancta illa atque admirabili Melania summatim quidem aliqua superius indicavi (*Pallad.*, c. 118), nihilominus tamen et reliqua quæ desunt in his sermonibus comprehendam [1].] Quantum opum illa dispenserit, amore maximo Dei, veluti flamma ignis accensa, meum tantum non est referre, sed illorum quoque qui in Persidis regionibus **977** vivunt. Cujus memorabilia in bonis facta omnes cœli quatuor plagæ norunt atque senserunt. Per triginta enim atque septem annos suscipiens ac pascens semper miseros advenasque, propriis sumptibus alimenta ac necessaria omnia ministravit ecclesiis, monasteriis, carceribus, atque peregrinis. Cui parentes quoque B ejus, ac filii procuratores ipsius, ex facultatibus propriis multa præbebant. Quæ in tantum atque ita jugiter in suscipiendo omnes ac fovendo permansit, ut ne unius quidem in solo palmi spatium voluerit possidere. Ut nunquam sic unici desiderio filii et amore caperetur, quatenus aliquando a dilectione Christi posset avelli. Cujus orationibus magis atque perpetuis, et ipse ille juvenis eruditione laudabili, moribus bonis, et sæcularibus quoque honoribus crevit, pervenitque ad nobilium matrimonium nuptiarum, ex quo et filios suscepit duos.

Post multum vero temporis cum audisset cuidam nupsisse neptem suam Melaniam viro, renuntiare autem post nuptias sæculo huic velle cognovisset, metuens ne qui malæ vitæ homines ac malæ sectæ C perversæque doctrinæ eidem jungerentur, ob hoc ipsum cum jam admodum senex, hoc est sexaginta esset annorum, de Cæsariensium civitate ad urbem Romam intra dierum viginti spatium navigavit, atque illic propter quos venerat visis, benedictum illum quidem neptis suæ maritum, Pinianum nomine, honestum ac nobilem virum, paganum tamen, instantissime docuit, et Christianum protinus fecit, cui persuadere spiritualiter potuit, ut etiam a concubitu propriæ se conjugis abstineret.

Confirmatos hos ergo simul, hoc est Melaniam neptem suam, et Pinianum ejus maritum, Albinam quoque cum ipsis nurum suam, hoc est uxorem filii sui per omnia docuit. Itaque istis omnibus suasit, ut rebus quascunque habebant in urbe distractis, ad ca- D stum atque tranquillum vitæ portum venirent. Contra omnes autem alios Romani nominis viros atque matronas, veluti contra feras aliquas quotidie dimicabat. Prohibebant enim illi eam ab omnibus cæteris, verentes ne et alios ad tale propositum doctrinæ suæ sermone converteret. Illa autem ipsis ista dicebat: Scriptum est ante quadringentos numero annos: Quia hora jam venit extrema (*I Joan.* II). Quid ergo tam libenter moramini in vanitate istius vitæ? timere debetis ne Antichristi tempus adveniat: neque vobis divitiis vestris ac parentum bonis frui jam li- A ceat. Et hos igitur omnes sæcularibus laqueis liberatos, ad solitudinum vitam fecit venire. Filium quoque admodum juvenem consilio docuit ut volebat, et ad Siciliam usque perduxit; omnibusque rebus suis ibi distractis, atque auro de prædiorum annumeratione collecto, Jerosolymam rursus transvexit. Ubi omnibus suis opibus ex propria voluntate divisis, intra quadraginta dies, optima ac mansuetissima feminarum beato fine requievit, relicto apud Jerosolymam monasterio, sufficientibusque ei sumptibus deputatis.

Ubi vero omnes isti abscesserunt e Roma, tempestas quædam ac procella barbarica oppressit ipsam urbem repente, et usque adeo omnia ejus invasit ac rapuit, ut ne æs quidem quod in publico stare consueverat, reliquerit; ita cuncta hostilis impetus præda evertit ac perdidit, ut illa Roma quæ in mille et ducentis annis aucta semper fuerat, ac semper ornata, una subito quædam ruina ac solitudo maxima videretur. Tunc igitur et illi qui saluberrimæ doctrinæ obtemperaverant, lætabantur, quod intolerandis malis, quorum mater est semper obsidio, subtracti fuissent. Et illi quidem qui obedire noluerunt, stupuerunt virtutem et gloriam Dei, qui tali permutatione rerum credere persuasit incredulis; quia omnibus aliis sub captivitatis jugum missis, memoratæ solæ evaserunt atque servatæ sunt domus, quæ studio sanctæ Melaniæ tanquam sacrificium illud (quod holocaustoma vocant) a Deo fuerant reservatæ; cæteris in urbe qui eorum adversabantur saluti sera pœnitentia infructuosaque conclusis.

Evenit autem ut postea simul ad Ægyptum ex Ælia proficisceremur, sanctam Silviam [2] deducentes virginem Dei, Ruffini autem expræfecti sororem.

Erat etiam nobiscum Jovinius [3] tunc diaconus, nunc vero civitatis Ascalonensium episcopus, vir admodum sanctus, et amator et lector studiosissimus litterarum. Cum ergo in itinere nos æstus vehementissimus occupasset, et Pelusium oppidum fuissemus ingressi, sanctus Jovinius æstu nimio fatigatus, cœperat manus ac pedes proprios frigidissimæ aquæ refovere infusione. Quo ita ut desideraverat facto super pellitam se atque in solo stratam projecerat plumam. Ad quem sancta illa Silvia veluti filium verum sapiens mater accessit, et mollitiem ipsius deliciasque reprehendens, ista dicebat: Quemadmodum ausus es, hanc ætatem agens, in qua adhuc sanguis tuus vivit, sic curare ac fovere corpus tuum? non intelligis quæ ex hoc nasci soleant animæ læsiones? Crede igitur mihi confidenter loquenti, quod sexagesimum ipsa ævi annum agens, excepta summitate digitorum meorum, non ora, non pedes, non partem aliquam membrorum aqua lavi, et hoc cum variis semper ægritudinibus laborarem, et ab ipsis quoque cogerer medicis uti lavacro, nunquam tamen volui antiquum corporis mei morem palpare,

[1] Uncinis inclusa desunt Heraclidi seu Palladio Lipomani.

[2] Palladio, c. 142, dicitur *Silvania*.
[3] Palladio, c. 143, dicitur *Jubinus*.

non in lecto quievi, non in lectica recumbens iter A fieci.

Hæc ipsa eloquentissima fuit, magnumque amorem habuit litterarum, ut ita legendo noctes in dies verteret, omnes antiquorum interpretum libros notissimos habens. Inter quos tricies centena millia versuum legendo transierat: Gregorii, Pierii quoque, et Stephani, Basiliique et aliorum studiosissimorum virorum vicies centena millia. Quæ tamen non quasi perfunctorie transcurrebat, sed unumquemque septies auctorem revolvens. Unde mendacii scientia nominum atque sectarum penitus liberata, cœlestibus pennis per gratiam litterarum ad æternam spem Salvatoris, gallina spiritualis effecta, potuit evolare, immortales ab eo vicissitudines receptura.

CAPUT XLIII.

B *Vita Olympiadis viduæ.*

Cujus vestigia subsecuta Olympias nomine, castissimis moribus femina ac Dei amore flagrantibus (*Pallad.*, *cap.* 144), proposito ejus exhibuit parem vitam, in omnibus divinarum sequens Scripturarum consilium. Quæ Seleucii quidem ex comitis secundum carnem filia fuit; neptis vero Ablavii præfecti, nurus autem paucis tantum diebus Nebridii, qui præfectus Constantinopolitanæ urbis fuit, sed uxor omnino nullius; dicunt enim eam virginem esse defunctam, Verbi **978** veritatis magis conjugio gloriantem. Quæ omnes facultates suas in pauperes fratres dispersit atque divisit. Cui non parvum fuit semper pro veritatis assertione certamen. Multas etiam alias feminas docuit, multos ut oportebat pres- C byteros atque episcopos honoravit. Ad confessorum quoque palmam, pro veritate quam co'uit, meruit pervenire. Cujus nomen ac vitam in Constantinopolitani urbe degentes, ipsis, ut dixi, student confessoribus comparare. Nam talis in hoc mundo finis quoque ipsius fuit. Omnibus ad postremum periculis se propter nomen Dei opposuit.

CAPUT XLIV.

Vita Candidæ viduæ, et Gelasiæ.

Quam rursus secuta est similis moribus vitæ beata mulier, nomine Candida (*Pallad.*, *cap.* 145), Trajani magistri militum filia, magna Christiani nominis et cultrix egregia castitatis, conversatione laudabilis, ecclesias sanctas atque episcopos colens. Quæ filiam quidem propriam, doctrinæ suæ virgini- D tatis ordine copulatam præmisit ad Christum, ut maximum donum laterum suorum atque virtutum. Postmodum vero consummato castitatis ac sanctitatis officio, bonis omnibus rebusque suis competenti distributione dispersis, et ipsa suam filiam subsecuta est.

Hanc ego laborantem noctibus ac propriis manibus molentem semper ad infringendas vires corporis sui noveram; atque hoc referentem sæpius audiebam, quia cum jejunium ei solum sufficere non posset, etiam laboriosas sibi vigilias addidisset, quæ adversum incorporeas potestates una cum jejunio dimicarent, quo superbiam mentis tumoremque deponeret.

Hæc ipsa ab omni animalium carne semper abstinuit, piscem autem et olera cum oleo festis ac sanctis diebus sumere solens; per reliquum ævi sui tempus posca et sicco pane contenta vivebat.

Cujus deinceps imitata est vestigia Gelasia nomine castissima mulier, quæ sensibus piis ad jugum virginitatis accessit (*Pallad.*, *cap.* 146). Tribuni autem cujusdam filia fuit. Hujus et optimæ feminæ memorabilis virtus refertur, quod nunquam iracundiam ipsius viderit solis occasus, sive contra servum, sive contra ancillam, sive contra quemque alium fuisset irata. Fugiebat enim hæc beatissima memoriam malitiæ, sciens quod iter ejus ad æternam mortem perduceret.

CAPUT XLV.

Vita Salomonis anachoretæ.

In Antinoo Thebaidis provinciæ civitate quatuor annis jugiter fui, per quod omne tempus monasteria illic universa cognovi (*Pallad.*, *cap.* 96). Habitant autem mille et ducenti viri probatissimi in memoratæ territorio civitatis, suarum se manuum sudore pascentes. Ex quibus multi (quos anachoretas vocant) ad rupium et solitudinum se speluncas contulerunt.

Inter quos Salomon nomine, monachus castissimus atque mitissimus fuit, qui gratia divinitatis acceperat patientiam singularem; quique se quinquagesimum in spelunca sua annum habere dicebat, manibus semper suis victui suo sufficientissime subministrans. Scripturas autem sanctas omnes didicisse videbatur.

CAPUT XLVI.

Vita abbatis Dorothei et Dioclis.

Dorotheus quidam presbyter in spelunca alia degens immensæ bonitatis fuit (*Pallad.*, *cap.* 97), et irreprehensibilem ipse vitam peregit. Qui eo quod meruerat sacerdotis officium, omnibus illic sancta mysteria fratribus ministrabat.

Huic quondam junior illa Melania majoris Melaniæ neptis, de qua in sequentibus dicam (*Infra*, *c.* 49), quingentos numero transmiserat solidos, rogans ut fratribus illic degentibus eos ipse divideret. Ex quibus ipse tres tantummodo tulit, reliquos Diocli cuidam solitario monacho jussit dari, viro omnium rerum scientia prædito, quem longe ille sapientiorem se esse dicebat, qui posset sine aliqua læsione animæ cuncta dividere, cum sciret amplius ac rationabilius quantum cuique distribuere debuisset, dicens sibi illos tres solidos posse sufficere.

Hic ipse Diocles grammaticus quidem primum fuit (*Pallad.*, *cap.* 98), philosophiæ autem se postea dederat; sed tempore procedente, cum vigesimum octavum annum ageret ætatis, gratia eidem divina persuasit, ut sæcularibus doctrinis renuntiaret, ad institutionem vero Christi scientiamque cœlestis philosophiæ se conferret, et ipse eo tempore trigesimum et quintum annum in speluncis habens, nobis ista dicebat: Sensus humanus cum a cogitatione re-

cesserit Dei, aut dæmoni efficitur similis, aut mutis animalibus comparatur.

Cujus dicti rationem cum ab eo cuperemus accipere, ista dicebat : Quia si quis a Deo recesserit, necesse est ut aut in desiderium aliquod, aut in aliquam iracundiam ruat. Desiderium quidem illud insensatorum animalium, iracundiam vero dæmonum esse dicebat. Me autem contradicente, quemadmodum posset fieri, ut cum Deo jugiter maneat sensus humanus; hoc tunc ille dicebat : In quacunque cogitatione, vel in quolibet actu anima hominis illius fuerit qui secundum Deum vivit, si pia est, eidemque placere festinat, cum Deo eum esse manifestum est.

CAPUT XLVII.

Vita abbatis Capitonis.

Hic juvenis erat Capito quidam nomine (*Pallad.*, *cap.* 99), qui priore vitæ suæ tempore latro fuerat; quique cum in spelunca sua quinquaginta implesset annos, nec usque ad quartum lapidem Antinoensis oppidi unquam voluit accedere, nec usque ad fluvium Nilum qui erat proximus · dicebatque quod necdum se conversationi atque sermoni hominum plurimorum posset ingerere, eo quod adhuc fortiter repugnaret communis inimicus.

Cum isto vidimus et alium quemdam ex illis solitariis viris (*Pallad.*, *cap.* 100), æque et ipsum intra speluncæ suæ secreta viventem, qui vanæ gloriæ stimulis sub imagine somniorum illusus atque deceptus, simili et ipse modo solebat eos quos inducebat illudere, et pastor quodammodo insipiens videbatur esse ventorum, atque persecutor umbrarum (*Eccli.* xxxiv, 2), incorruptam quidem habens corpoream castitatem : sine dubio et propter ipsam senectam, et propter plurimum quod habebat in desertis locis tempus, et propter ipsam forsitan inanis gloriæ vanitatem, quæ cor ejus ac sensus perversarum (ut solet) rerum cogitatione vitiaverat, divinæque conversationis fecerat alienum.

CAPUT XLVIII.

Vita Amatæ (32) *et Taor*, *et alterius virginis.*

Sunt vero in eadem Antinoensium civitate duodecim monasteria virginum feminarum **979** perfecta conversatione viventium (*Pallad.*, *c.* 137); in quibus Amatam quamdam nomine, ancillam Christi senem vidi octoginta jam in monasterio suo annos habentem, sicuti vicinæ ipsius et ipsa referebant. Cum qua sexaginta numero mulieres habitantes, atque in abstinentiæ puritate per ejus doctrinam viventes, intantum eadem omnes diligebant, ut ne clavem quidem vestibulo monasterii ad similitudinem cæterarum necesse esset infigi. Sola enim illic omnes eas immensa dilectio anus ipsius doctrinaque retinebat, ad incorruptionis gloriam corpora earum mentesque conservans.

Hæc ipsa quam dixi senex usque adeo puræ mentis et corporis erat a cogitatione et passione peccati, ut cum ad ipsam ingressus fuissem, atque sedissem, juxta me indifferenter sederet, manus etiam suas

A supra humeros meos poneret, stupendaque illic erat in Christo immensæ fiducia castitatis.

In hoc ipso virgo quædam Taor nomine (*Pallad.*, *cap.* 138), discipula illius, triginta annos in monasterio habens, non tunica, non mavorte (33), non calceamentis unquam novis uti voluit, hoc dicens : Nihil tale desidero, ne propter hoc et foras progredi cogar. Aliæ quidem omnes Dominico tantum die, causa divinæ communionis procedere ad ecclesiam solebant; sancta vero illa extremis induta pannis, in monasterio sola residebat, opus jugiter suum faciens. Tam elegantis autem formæ erat, ut castissimum quemque et constantissimum virum vultus ipsius ac pulchritudo posset illicere, nisi ita moribus esset ornata, ut in semetipsa haberet inæstimabilem

B quemdam custodem propriæ castitatis. Qui et oculos cujusquam turpiter cupientis, ad immensum pudorem compelleret ac timorem.

Alia quoque in vicino commanebat (*Pallad.*, *cap.* 139), cujus ego faciem quidem videre non potui; nunquam enim ex quo huic mundo renuntiavit, de monasterio fertur egressa, in quo sexaginta annos una cum matre sua habitans implesse memoratur. Cui ad postremum cum recessura esset e sæculo, in visione adstitit Colothus vocabulo martyr, qui in eisdem colebatur locis (34), hoc ei dicens : Hodie ad Dominum tuum perges, ubi et sanctos videbis omnes; veni igitur in basilicam martyrii mei, ut illic prandeas mecum. Quo audito, prima statim luce surrexit, ac solito more vestita, in sportella sua panem, et olivas,

C et olera comminuta sustulit secum. Et tunc primum post tot annorum curricula procedens, ad martyrium sancti venit. Ubi orationibus rite perfectis, opperiri cœpit tale tempus diei, quo omnes penitus a memorato recederent loco. Quod cum ita factum videret, cœpit sedere et invocare sanctum martyrem, dicens : Sancte Colothe, benedic escam meam, atque interventibus tuis mecum proficisci dignare. Sumpto igitur cibo, et facta rursus oratione, circa solis occasum ad monasterium suum rediit : ubi matri suæ, Clementis, qui Stromateus dicebatur, libellum dedit, in Amos prophetæ dicta conscriptum, hoc ei dicens : Istum episcopo qui exul stat, dabis, dicesque ei ut pro me orare dignetur, proficiscor enim ad Dominum meum. Et in ipsa nocte defecit, et neque aut dolorem

D ullum capitis, aut calorem corporis sensit, sed ipsa se ut erat sepelienda composuit, spiritum suum manibus Dei commendans.

CAPUT XLIX.

Vita Melaniæ junioris, Piniani ejus mariti, et Albinæ matris.

Et quoniam in superioribus relaturum de juniore Melania me spopondi, necessarium nunc debitum reddam (*Pallad.*, *c.* 119; *supra*, *c.* 46). Nec enim justum est veluti prætereundo, transire tam laudabilem ipsius in corpore juventutem, tantamque ejus sine aliqua memoria litterarum præterire virtutem, quæ senibus ac studiosissimis circa Deum feminis merito nunc præfertur.

Hanc igitur parentes quidem ipsius vi maxima nubere coegerunt, primo cuidam Romani nominis viro. Quæ tamen semper cum jugibus aviæ suæ doctrinis stimularetur, eo usque spiritualiter in civitate processit, ut non diu in nuptiali proposito permaneret. Nam cum suscepisset filios duos, et utrique defuncti fuissent, venit ad tantum pro Christi nomine odium nuptiarum, ut hoc Piniano marito suo Severi expræfecti filio diceret: Si diligis castitatem, et monachus vis esse mecum, te vitæ meæ dominum confitebor; si autem tibi grave hoc videtur ut juveni, accipe quascunque habeo facultates, et liberum mihi meum corpus relinque, ut de cætero secundum voluntatem Dei vivens, possim implere quod cupio. Et uti secuta ejus virtutem, aviæ hæredem me esse, cujus et nomen habeo, recognoscam. Nam si voluisset Deus ut hoc sæculo frueremur, nunquam mihi utrumque quem peperi, immatura morte rapuisset.

Cum diu itaque altercantium contentio jugum nuptiale vexasset, ad postremum Deus miseratus est juvenem, inspirans etiam ipsius animæ, ut sæcularia ac terrena desideria contemneret; ut in ipsis quoque sancta vox posset impleri per Apostolum, dicens: Unde scis, mulier, si maritum salvum facies? Unde scis, vir, si mulierem salvam facies (*I Cor.* VII)? Nupta igitur viro est cum tredecim esset annorum, septem vero annos cum eo vixit, vigesimo renuntiavit.

Et primum quidem quidquid vestium sericarum in mavortibus habuit, sanctis altaribus dedit, quod et benedictam Olympiadem fecisse cognovimus. Reliquas vero quas habebat sericas vestes, per varia ecclesiarum distribuit ornamenta. Argentum atque aurum suum per Paulum quemdam Dalmatam civem, monachum atque presbyterum, navigio maris Orientem usque transmisit. Et ita divisit cuncta, ut Ægypto atque Thebaidi delegaret decem millia; Antiochenæ civitati atque illis quæ circa ipsam videntur esse regionibus, decem millia; provinciæ quoque Palæstinæ quindecim millia solidorum; ecclesiis quæ per singulas insulas sunt, una cum iis qui erant exsilii damnati relegatione, decem millia; illis autem ecclesiis, atque monasteriis, et xenodochiis quæ sunt sub Occidentali plaga, cunctisque egentibus per semetipsam omnia quæ sciret, iisdem necessaria ministraret.

Hæc autem et universa et alia longe plura quam diximus, ut Deus novit, ex manibus Alarici fide propria tanquam ex ore leonis eripuit (*II Tim.* IV, XVII). Servos vero promiscui sexus quicunque manumitti volebant, usque ad octo millia liberos fecit. Namque reliquos qui servire fratri ipsius maluerunt, concessit eidem, ternis per singulos solidis **980** distributis. Possessiones omnes quascunque habuit in Aquitania, Gallia, Tarracone, Hispaniis Galliisque distraxit. Eos vero tantummodo agros quos intra Siciliam, Campaniam et Africam possidebat, sibimet reservavit; ex quibus monasteria deinceps aleret ac foveret. Hæc hujus feminæ sapientia in distribuendo onere divitiarum fuit.

Propositi autem ipsius vita hujusmodi erat. Post alterum diem semper cibum capere consueverat; nam inter ipsa principia quinto quoque gustabat die, idque observans faciebat et diurnas cum ancillulis suis ministerii sui vices, quas tanquam in monasterio ut sorores habebat.

Erat autem cum ipsa et mater ejus Albina (*Pallad.*, *c.* 120), parem vitam habens, similiterque proprias separatim opes et ipsa dispergens. Habitant vero in possessionibus suis semper, et interdum intra Siciliam, nonnunquam intra Campaniam degunt cum eunuchis quindecim, et sexaginta virginibus, et cum aliis ingenuis vel ancillis.

Parem quoque et Pinianus conjux ipsius cum triginta monachis agit vitam (*Pallad.*, *c.* 121); qui aut lectioni sanctarum Scripturarum vacat, aut hortorum amœnitatibus delectatur, aut conspectibus atque sermonibus fruitur honestissimorum virorum; nec nobis quidem (et certe cum plurimi simul essemus qui Romam propter beatum episcopum Joannem perrexeramus) exigua præstiterunt; sed dum et in illis partibus degeremus, officiosissimo nos susceperunt hospitio, largissimisque sumptibus cum exinde proficisceremur, honoraverunt.

CAPUT L.

Vita Pammachii, Macarii, Constantii.

Horum parens (35) Pammachius nomine (*Pallad.*, *cap.* 122), vir proconsularis, similiter sæcularibus pompis renuntiavit, multumque laudabilibus moribus vixit. Qui omnes proprias facultates, partim dum in sæculo esset ipse dispersit, partim fratribus atque pauperibus moriens migransque ad Dominum reliquit.

Hoc idem et alter, Macarius nomine, ex vicariis fecit (*Pallad.*, *c.* CXXIII).

Et Constantius quidam, qui consiliarius præfectorum in Italiæ fuit regionibus (*Pallad.*, *c.* 124); nobiles valde et scholastici viri ac plurimo Dei amore sublimes; quos adhuc credo superesse, egregia monachorum institutione viventes.

CAPUT LI.

Vita virginis Alexandrinæ, quæ per sex annos magnum Athanasium occultavit.

Virginem quamdam in Alexandria noveram civitate, quam ego septuaginta annos agentem vidisse me memini (*Pallad.*, *cap.* 136). Cui testimonium clerici illic omnes ferebant, quod tunc cum adhuc juvenis videretur, viginti fortassis annorum, pulchritudinis magnæ, conspectus omnium vitare consuevisset, ne qua propter miraculum vultus ejus ex suspicione quorumdam macula notaretur. Quo in tempore accidit ut Ariani sub Constantio imperatore per præpositum ejus Eusebium beato Athanasio Alexandrino episcopo facerent factionem, et exsecrandas ei criminum calumnias excitarent.

Tunc igitur ille venerabilis, corruptum judicium pollutumque declinans, non amico se, non clerico, non parenti, non cuiquam alii credidit atque commisit; sed cum subito quidam præfecturæ apparitores

ipsum investigantes, domum ejus intrassent, tunica ille tantum sua birroque vestitus, medio noctis fugiens, ad hanc virginem venit. Ad quam tam inopinatæ rei novitate perterritam, his sanctus episcopus locutus est verbis : Ab Arianis, inquit, plurimum quæror, et calumniosis criminibus incusor; ne igitur et ego irrationabili nota deformer, et propter me qui ad meam pœnam inique parati sunt in peccatum ruant, fugiendum magis credidi. Deus autem mihi hac nocte revelare dignatus est, dicens : Apud nullum ita ut apud illam scias te posse salvari. At illa cum gaudio lætitiæ spiritualis erecta, projectisque cogitationibus vanis, cœpit totis sensibus esse cum Deo, sanctumque illum virum per sex annos intra cellæ suæ secreta celavit, quoad memoratus Constantius vixit. Ipsa illi abluens pedes, ipsa per se omnia et quæcunque necessaria erant præparans ac ministrans, libros quoque quos ille quærebat, mutuo sumens, atque illi præbens legendos. Nullus tamen hominum in Alexandria civitate, per sexennium totum, ubinam sanctus Athanasius degeret potuit invenire.

Ubi mors autem primum Constantii nuntiata est, et hoc ad aures ipsius venit, nocte rursus, ut fecerat prius, indutus bene propriis vestibus, in ecclesia subito stupentibus cunctis et admirantibus invenitur. Quem omnes tunc veluti ex mortuis suscitatum se videre credebant. Amicis autem intimis suis satisfaciebat, hoc dicens : Propterea me ad vestras non contuli latebras, ut tuto jurare possetis, ubinam degerem vos nescire dicentes. Et propterea quia necesse erat ubique me quæri, in cella vero illius virginis latui, ubi me celari nulla poterat esse suspicio, eo quod et pulchra et juvenis videretur. Dupliciter hoc meo consilio gaudens, quod et me lucrifacerem, et salutem ipsius; profui enim et ipsi, et famæ vel gloriæ meæ.

CAPUT LII.

Vita Julianæ virginis.

Quædam iterum virgo, nomine Juliana, in Cæsariensi Cappadociæ civitate scholasticissima esse ac fidelissima dicebatur (*Pallad.*, *cap.* 147). Quæ Origenem illum qui multa conscripsit, paganorum seditiones metuendo fugientem, per biennium totum suscepit atque celavit, propriis ei sumptibus necessaria cuncta sufficiens, ac ministerio suo eumdem recreans. Quæ ego in vetustissimo quodam Codice scripta versibus legi, in hoc notatum erat Origenis ipsius manu; hunc, inquit, libellum inveni apud virginem quamdam nomine Julianam in Cæsarea civitate, dum apud ipsam laterem, quæ illum ab ipso Symmacho interprete Judæorum se accepisse referebat.

Non sine causa autem virtutes quoque harum posui feminarum, ut sciamus quod multis proficere modis possumus si velimus.

CAPUT LIII.

De Juvene qui maluit mori quam Christi virginem stuprari.

In alio quoque vetusto admodum Codice, qui scriptum nomen Hippolyti ejus (quem apostoli norant) habebat in titulo, relationem historiæ inveni hujusmodi (*Pallad.*, *c.* 148).

Nobilissima quædam et pulcherrima, inquit, **981** puella, proposito virginitatis ac vita, in Corinthiorum civitate degebat. Quam eo tempore, cum apud judicem paganum quemdam tunc persecutio vesana flagraret, veluti dies ipsorum, sacrilegisque imperatoribus conviciantem, nonnulli criminibus impetebant. Insidiabantur autem pulchritudini ejus; volebantque ex ea lucrum ii qui hujusmodi mercium negotiatores esse consueverant.

Judex vero insanus amore femineo, votivam a calumniatoribus occasionem, veluti quadam alicujus aure quadrupedis, mox accepit. Sed posteaquam machinamentis atque artibus variis non potuit eidem persuadere quod voluit, novo contra eam furore desæviens, non aut pœnæ eam alicui destinavit aut morti, sed, quod erat gravius atque crudelius, in lupanari eamdem prostitui præcepit, lenonique ipsarum turpitudinum, ut ternos ad eum per singulos dies ex concubitu ipsius solidos exhiberet injunxit. Quam pecuniam cum a se leno sine dubio intelligeret flagitandam, in omnium eam qui vellent dedit potestatem.

Quod ubi prædæ talis accipitres verum esse didicerunt, ibant atque observabant perditionis officinam. Datoque infelicissimæ spei pretio, loquebantur cum ea optabilium sibi principia voluptatum. Illa vero precibus immensis singulos rogans, vulnus quoddam in interioribus corporis sui se habere dicebat : cujus si venientes ad eam fetorem sentirent, necessario semper effugerent, ipsius contagionis horrore. Ob quod universos miserabiliter precabatur ut paucos eidem concederent dies, habituri postmodum ipsius prout cuperent, et sine pecuniis potestatem.

Interea dum et istis sic loquitur, et orationes ad Dominum perpetuas ac maximas facit (*Pallad.*, *c.* 149). illis ipsis diebus videns castitatem sanctæ virginis Deus, custos salutis humanæ, juvenem quemdam agentem in rebus (36) tam vultu quam moribus bonum, ita mente commovit, ut ille divino amore succensus, pro ea cuperet interire. Sub specie ergo turpitudinis perpetrandæ, hora profunda noctis ad lenonem lupanaris ipsius venit, quinque solidos offerens ei, petensque ut manere ipsi cum eadem nocte illa concederet. Ingressus itaque ad secretiorem domus partem, sic affatus est virginem : Surge, salva te ac libera. Spoliavitque se vestibus suis (hoc est camisia, chlamyde et aliis virilibus rebus cunctis) atque induit puellam, dicens ei : Summa parte chlamydis vela caput tuum, et velata recede. Quæ cum se signasset in nomine Domini, ita ut jussit egressa est. Quam sic Dominus intactam incorruptamque servavit.

Postero autem die, cognito omnibus hoc facto, agens in rebus ille judici traditus, ac bestiarum feritate discerptus est, ut etiam in hac parte confusus erubesceret dæmon, videretque eum tam pro sua salute, quam propter beatæ illius nomen duplici martyrio coronatum.

CAPUT LIV.

Vita Excomitis et Bospheriæ conjugis, servorum Dei.

In Ancyra Galatiæ provinciæ civitate, clarissimum quemdam nomine Excomitem [*Pallad.*, Severianum] una cum Bosphoria conjuge ipsius vidi (*Pallad.*, *c.* 114). Quorumque conversatio tantum spe bona fruitur, ut filiorum quoque suorum lucra præsentia futurarum opum præmeditatione ac provisione contemnant. Nam possessionum omnium reditus pauperibus et egentibus largiuntur, quatuor habentes filios, ac filias duas. Quibus ne unam quidem unciam (exceptis iis qui jam nupserant) tradiderunt, dicentes, quod post mortem parentum futura necessario essent omnia filiorum. Ipsi autem agrorum suorum colligunt fructus, et per ecclesias, et monasteria, et xenodochia, cunctosque egentes civitatum vicorumque distribuunt.

Hoc etiam de ipsis egregium et admirandum scimus. Nam cum adeo illi fame quodam tempore laborarent, ut homines ne affectibus quidem parcerent suis (37), proprio illi beneficio largitatis, hæreticorum gregem ad catholicæ fidei rectam viam et gloriam veram transire fecerunt, plurima in possessionibus suis frumenta condentes, omniaque ea pauperibus et famem patientibus dividentes. Ipsa autem species habitus atque vestitus memoratorum tam honesta videtur et parca, ut humiles quidam atque despecti etiam ex propriis vestibus existimentur; cibus vero eorum satis parvus ac tenuis, vitaque omnis ipsorum admodum casta ac Deo probata est.

In possessionibus maxime suis degunt, fugientes conversationem et illecebras civitatum, timentesque ne ex ipsarum rerum atque sermonum communicatione, participata cum ipsis quadam labe vitiorum, a proposito sui tramite deviare cogantur.

CAPUT LV.

Vita Magnæ.

In hac eadem Galatiæ civitate, multæ quidem et aliæ virgines, usque ad duum millium vel eo amplius numerum, abstinentia grandi, honestis valde atque ornatis moribus vivunt (*Pallad.*, *c.* 135).

Inter quas Magna quædam vocabulo videtur excellere merito sanctitatis, femina multum probata; quam utrum virginem an viduam vocem, nescio, mater enim illam maxima vi coegit ut nuberet. Illa vero semper variis modis ægrotam se simulans, conjugem suum fefellit, ac distulit, ut pura atque intacta (ut dicitur) permaneret.

Quæ post breve admodum tempus, defuncto marito, cunctarum facultatum domina simul effecta, totam se penitus ad Deum contulit, sub proposito ac vita monachorum, honestam propriæ domus curam gerens. Cujus quoties hoc ratio vel necessitatis postulasset causa, castus apud omnes et sermo et conspectus erat. Ut eam propter immensæ meritum sanctitatis, episcopi quoque revereri atque erubescere semper solerent.

Omnia hæc propriarum superflua facultatum in

A peregrinos ac debiles atque episcopos transeuntes dividere atque erogare consuevit. Neque a tali unquam opere destitit, tam per se hoc hilariter et occulte, quam per eos (quos fidelissimos novit) servulos faciens. In nocturnis tamen orationibus ab ecclesia nunquam recedens, in omnibus abstinentiæ studium spe vitæ reservans et exsequens.

CAPUT LVI.

Vita Misericordis monachi.

In hac eadem similiter civitate monachum invenimus quemdam [1], qui ad tale propositum post militiam parvi temporis veniens, presbyter quidem fieri (cum sæpius cogeretur) semper recusavit; vigesimo tamen anno in monasterio degit, hujusmodi consuetudinem habens. A sancto quidem viro civitatis ejusdem epi-

B scopo non recedit. **982** Tantæ autem humilitatis est ac tantæ misericordiæ, ut etiam in noctibus totis loca cuncta circumeat, manum dando petentibus. Ipse non clausis carcere, non ægritudine fatigatis, non pauperibus, non divitibus unquam suum in quo deberet aut posset, negavit auxilium; sed omnibus consuluit semper ac profuit, quosdam quidem duros atque crudeles ad misericordiam provocando, alios vero (si hoc debere fieri intelligeret) protegendo, nonnullos pacifica concordatione placando, cæteris quoque ad corporales necessitates, quæcunque pastus eorum atque vestitus ratio exigit, etiam ministrando. Est autem illic, quod esse in majoribus semper civitatibus solet: in porticu namque ecclesiæ multitudo pauperum jacet atque languentium, ex quibus alii quidem conjugati,

C alii vero sine conjugibus esse noscuntur

Contigit una dierum hiemis tempore, horis nocturnis, urgeri quamdam mulierem partus angustiis; hac vero præ nimia difficultate stimulata doloribus atque ululante, memoratus vir beatissimus, derelicta oratione, quam positus tunc in ecclesia solemniter celebrabat, egrediens, vidensque quod miserandæ mulieri in hujusmodi dolore nullus assisteret, nimia pietate commotus (horrore illo qui parturientium feminarum consuetudinem sequitur, paulisper seposito) ipse ministerium obstetricis assumpsit, ne misericordiæ genus amitteret.

Cujus viri vestis qua induitur, abjecta nimis et vilis est, esca vero castigata vehementer et parca. Qui tanto humanitatis retinetur affectu, ut præ desiderio

D hujus operis nullum habeat studium lectionis. Nam si quis ei ex fratribus donaverit Codicem, continuo hunc vendere consuevit. A quo dum quidam causam quare id faceret, postulasset, ita respondit : Unde probabo magistro meo, quod ejus artem diligenter didicerim, nisi distractis ipsius Codicibus, artis necessaria mihi providere festinem ?

Hic ergo sanctissimus hujusmodi hodieque exsequens actionem, immarcescibilem sui memoriam nominis cunctis illis regionibus dereliquit, ipse nimirum gaudiorum cœlestium pro his quæ impendit egentibus, æterna retributione securus.

Tunc etiam ancilla Dei quædam virgo cum aliis vir-

[1] Palladio, cap. 115, dicitur *Eleemon*.

ginibus duabus cohabitans, abstinentiamque novem vel decem annis custodiens, a quodam cantore sollicitata atque corrupta est (*Pallad.*, *c.* 140). Quæ statim concipiens, partu explicito in tantum prorupit odium corruptoris, ut nimia compunctione peccati, ultra mensuram quoque resumens pœnitentiæ continentiam, fame semetipsam vellet occidere, lacrymosis precibus jugiter Dominum interpellans, et dicens : Tu Deus magne, qui peccata omnium nostrorum, totiusque mundi immoderatam malitiam portare consuesti, qui non vis mortem peccantium, nec perditione delinquentium delectaris (*Ezech.* XXXIII), sed universæ creaturæ tuæ probaris esse misericors, quia tua voluntas est cuncta salvari; me quoque perditam in hoc ostende, si saluti restitues, ut quod ex mei peccati perditione creatum est (solitis tuis miraculis super me miseram demonstratis) ex hac celerius luce tollatur, ne forte minus audita, aut laqueo aut præcipitio perire compellar. Cujus preces exauditas eventus ostendit ; statim namque quod peperit morte subtractum est.

Ex illo igitur die captivatori quidem suo non est visa ulterius, attamen summis pœnitentiæ continentiæque se tradidit angustiis. Ita ut divinitatem sibi propitiam cupiens reddere, elephantiosis mulieribus per annos triginta serviret. Cujus preces humiles misericors Dominus non fefellit; revelavit namque cuidam sancto presbytero, dicens : Illa virgo plus mihi in pœnitentia quam in virginitate sua placuit. Hæc autem nunc ego dico, ut nemo contemnendos eos credat, qui vere pœnitentiam egerint.

CAPUT LVII.

Vita Eustathii lectoris.

Presbyteri cujusdam filia erat apud Cæsaream Palæstinæ provinciæ civitatem, quæ cum in virginitatis esse proposito videretur, præceps ruit (*Pallad.*, *c.* 141). Cui ille, a quo inducta atque corrupta fuerat, persuasit ut factum proprium in alium mentiendo transferret, et ut lectori cuidam civitatis calumniosum crimen imponeret. Cumque jam gravida videretur, patre ut proderet tanti sceleris auctorem cogente, a memorato lectore vitiatam esse se dixit. Presbyter, ut putabat, veritate comperta, suggessit episcopo; episcopus in conventum omnium clericorum lectorem fecit accersiri.

Agitabatur quæstio : interrogante episcopo, lector nihil se fecisse tale poterat confiteri. Nam quomodo confessio sequeretur ubi non præcesserat crimen? Episcopus lectori suo vehementer iratus, quasi qui impudenter negaret, ei ista dicebat : Infelix et miser atque impuritate sordium plene, non confiteris? Respondit hoc lector : Ego quidem quod erat in conscientia mea dixi, nihil me cum hac habere commune, neque peccatum me aliquod, quantum ad memoratam virginem spectat, agnoscere; sed si vis audire quod non est, ego hoc crimen admisi. Quem ista dicentem gradu lectoris deposuit episcopus statim.

At ille tunc memoratum adiit sacerdotem, et cum rogaret hoc dicens : Quoniam qui me peccasse cogno- A sco, jube ipsam mihi in matrimonium dari ; quia neque illa jam virgo, neque ego clericus esse possum. Episcopus eam dedit potestati ejus, putans quod illam juvenis ipse diligeret, quodque non posset ullo modo ab eadem separari.

Acceptam igitur juvenis, et tam ab episcopo quam a patre traditam sibi commendavit monasterio feminarum : quarum abbatissam deprecatus est ut haberet illic eam, donec pareret, sustentandam. Ipse vero, ea derelicta in monasterio memorato, in angusta cellula se concludens, arripiensque abstinentiam nimis difficilem, adiit Christum corde contrito, cum lacrymis atque gemitibus dicens : Tu Domine, cui nota sunt omnia, actus quoque meos agnoscis ; nec est quisquam locus, qui omnipotentiæ tuæ oculis sit oc- B cultus, qui universa nosti antequam fiant. Tu solus profunda prospicis cogitationum, quarum sincerissimus atque acutissimus judex esse consuevisti. Tu auxiliator injusta patientium, tu calumniam subeuntium consolator ; cui nihil placet iniquum, apud quem mensura justitiæ inaccessibili semper luce perspicua est, et omne opus hominum coram te est. Tuæ est igitur æquitatis incommutabilisque judicii, causam quoque meam divina manifestare sententia.

Itaque cum juvenis infatigabiliter Dominum precaretur, jejuniisque vigilanter ac diligenter incumberet, intra breve tempus, puella cum proprios **983** implesset dies, advenerat ei hora pariendi, simulque instabat justum Dei judicium ; nam cum eam urgerent vehementer gemitus ac dolores, atque jam ipsa in- C ferna calumniatrix miseranda conspiceret, neque expedire se partus ipsius posset angustiis, tantumque cruciatum a primo usque ad septimum diem mulier sustineret, intolerabili dolore compulsa, cum jam sine dubio se videret esse morituram, neque ulterius aut manducare, aut bibere, aut somnum oculi ejus capere potuissent, hoc maxima proclamando voce dicebat : Væ miseræ mihi, quæ ad hoc periculum dupliciter perveni ; primum quod virginitatem perdidi, deinde quod falsum lectori illi crimen imposui. Quod statim defertur ad patrem ipsius. Pater autem veritus ne quasi calumniatorem eum reprehenderent alii, velut incredulus quievit et tacuit. Per aliud igitur biduum, imminente ei divino judicio, neque moriebatur neque pariebat puella.

D Et quoniam clamores ipsius atque gemitus diutius circumstantes sorores ferre non potuerunt, episcopo quod audierant celeriter retulerunt, confessam in dolore hoc etiam dudum esse dicentes, quod calumniata memorato lectori fuisset, et idcirco parere non valeret. Tunc ad eum diaconos episcopus mittit, mandatque ei : Ora, inquit, ut calumniatrix tua pariat. Quibus nullum dedit responsum ille, neque aperuit ostium propriæ mansionis, in qua jugiter, ex quo fuerat ingressus, jejuniis vigiliisque Dominum precabatur. Pergit igitur pater ipsius ad episcopum ; rursus orationes in ecclesia maxime fiunt; et nec sic quidem illa aliquod remedium sentiebat

Tunc igitur episcopus ipse ad lectorem venit :

pulsat ostium, et ingressus, hoc dicit : Surge, frater A Eustathi, et solve quod ligasti. Ipsoque momento, cum lector una cum episcopo genua sua flexisset, mulier enixa est. Tantumque jugis innocentiæ oratio valuit, ut et calumnia periret, et calumniatrix emendaretur in pœnis, et ut possemus agnoscere quemadmodum insistere orationibus deberemus, quarum tantam scimus esse virtutem.

CAPUT LVIII.

Vita fratris socii Heraclidis.

Pauca nunc de fratre loquar quodam, qui mecum a principio juventutis usque in hodiernum diem vixit, atque ita nunc ponam finem meo libello (*Pallad.*, *cap.* 151).

Hunc ego plurimum temporis admodum noveram, nullo desiderio mentis aut corporis victum, vel ad B jejunandum noluisse placere hominibus, vel ad edendum carnis illecebra superatum. Vicisse autem eum existimo tam divitiarum quam vanæ gloriæ ex parte majore cupiditatem, atque id sibi solum sufficere credentem, quod haberet in manibus. Nullo ornatu vestium delectabatur. Pro contemptu etiam suo, semper gratias agere consueverat, et pro veris amicis etiam periculum subire cupiebat. Expertus est etiam millies et forte amplius dæmonum potestates, usque adeo ut quadam die pacisci cum eo diabolus vellet, hoc dicens : Promitte mihi vel semel te peccaturum, et feminam tibi quacunque de hoc mundo desideraveris, exhibebo.

Alio quodam tempore per quatuordecim noctes confligens cum eo dæmon (sicuti ipse mihi referebat), C cum pedibus eum nocte de cella sua traheret, humana ei voce dicebat : Noli adorare Christum, et nunquam ad te ulterius accedam. Cui hoc dabat ille responsum : Propterea, inquiens, magis et adoro eum, et jugiter adorabo, et in immensum modum admirabor gloriam ipsius ac stupebo, quia hoc ipso quod facio angeris multum atque cruciaris.

Centum et sex civitates ipse cognovit, longo etiam tempore in plurimis moratus est. Favore et misericordia Christi, feminam expertus est nullam, neque inter somnia, nisi in certaminis visione atque conflictus. Scio et eum ter accepisse ab angelis cibum : uno autem die in vastissimis solitudinum locis, cum ne micam quidem panis haberet, tres calidos in pelle sua reperit paximates; alio quoque tempore vinum ac D panes pariter invenit. Quodam die eum alicui dixisse reminiscor, quod angelo loquente hæc audierit, Didici et quod alimenta vitæ necessaria non haberes : vade, inquit, et ab illo frumentum atque oleum tibi datur. Cumque ad eum ille ipse venisset, is ad quem fuerat ipse transmissus ait eidem : Tu ille nescio quis? Et ille se esse respondit. Ad quem dixit hoc ille : Jussit aliquis ut tibi triginta frumenti modios, et decem olei sextarios darem. De hoc ergo maxime gloriabor qui talis fuit; quem novi frequenter, cum videret aliquos necessitate gravissima ac penuria laborare, multum flevisse, et dedisse iisdem præter corpus suum quæcunque habere posset. Novi etiam pro aliquo monacho, qui inciderat in peccati ruinam, tantum in precibus suis fudisse lacrymarum, ut eum ad pœnitentiam magnam orando ac flendo revocaret. Hic idem mihi aliquando juravit, hoc dicens : Deprecatus sum Dominum, ne unquam aliquid maxime a peccatore vel divite, ex iis quæ necessaria victui vel usui meo viderentur acciperem.

Mihi tamen hoc sufficit quod merui tantorum meminisse sanctorum, et quod tradidi eos memoriæ litterarum; neque enim sine instinctu Dei ad hoc tuus sensus accensus est, ut velles a me tibi ista conscribi, et ut istorum omnium vitas comprehendi præciperes hoc libello.

Tu vero, felicissime Christi famule Lause, libenter hæc recole, maximam in his imaginem resurrectionis agnoscens. Beatas sanctorum vitas virorum, et intolerandos labores, et admirandam patientiam lege, promotisque sensibus sequere, et spe rerum bonarum cœlestiumque nutri, sciens paucos fore qui sequentur eos qui hos præcesserunt dies. Pro me autem orare dignare, talemque te mihi atque omnibus præbe, qualem esse te novi a consulatu Titiani usque in præsentem diem, et qualem postea te præsulem cubiculi piæ sedis inveni. Namque opes, dignitas, et potestas, in nullo minorem te erga amorem Dei timoremque fecerunt. Totus ille jam Christi es; illius, cui aliquando dæmon hoc dixit : Omnia tibi ista dabo, si me pronus volueris adorare (*Matth.* IV). [Sed hunc Dominus confudit, cum dixit : Vade retro. Quem tu quoque imitans, repudiatis fluxis divitiis et umbratili vitæ hujus gloria, cœlestem illam immortalem vitam, et æternum regnum, et perpetuo manentem gloriam, et bona illa adamasti, quæ neque oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascenderunt (*Isa.* LXIV, *I Cor.* 2); quorum utinam hæredes nos faciat una cum omnibus sanctis suis patriarchis et prophetis, apostolisque ac martyribus, et iis quorum in hoc libro memoriam celebravimus, gratia ipsius Salvatoris nostri Jesu Christi. [1]] [2]

[1] Inclusa desunt Editioni Fabri.

[2] In Edit. Fabri sequebatur hic peroratio. Est eadem cum prooemio supra.

PALLADII LAUSIACA

INCERTO, SED VETERI INTERPRETE.

Prologus.

984 Multa quidem et varia diversis temporibus a diversis conscripta habentur de his, qui illecebras sæculi derelinquentes, ad Christum fecere confugium, quorum bonum animi desiderium et religiosæ mentis affectum supernæ gratiæ inspiratio, quasi adjectum flammæ oleum nutriebat, in ædificationem eorum qui fide integra voluntarii permanent in doctrina Salvatoris nostri Christi. Consideranti autem quam gratum sit Deo sacrificium, lucrum animarum, visum est et mihi humili reverentia pro possibilitate mea fraternæ saluti consulere, et illustrium non tantummodo virorum, sed etiam feminarum mores et vitam ostendere, propalare virtutes, et miracula declarare, eorum scilicet quos vidi, et de quibus audivi, cum quibus et conversatus sum tam in Ægypti solitudine, quam etiam in Libya et Thebaida, et Syene [*Vetus Editio* Sirene. *An* Cyrene?] simul, et qui dicuntur Tabenneosiotæ; deinde in Mesopotamia, Palæstina, et Syria, et eorum qui in occiduis partibus, Romæ et Campaniæ morantur. Desiderio siquidem humilitatis et obedientiæ auditor effectus monasticæ institutionis, trigesimum et tertium agens ætatis annum in congregatione fratrum, nihilominus et in solitaria vita diversatus sum, ubi plurima didici imitanda, pariter et vitanda, quæ in hoc libro, qua potero brevitate, contexam; ut in compendio salutifere commoniti, indeficientem animæ capiamus medicinam; omnem videlicet obliviscamur desidiam, mentisque somnolentiam et carnale desiderium; omnemque dissensionem animi, commotionem iracundiæ, tristitiam et irrationabilem timorem per hæc repellamus; vanam gloriam et ambitionem sæculi despiciamus, ut in fide veritatis et in desiderio æternitatis proficiamus. Audientes igitur fortia sanctorum gesta, accingamur et nos; augescat in nobis fides, spe vincendi charitas incalescat, et certi simus quia Christus bellatores suos adjuvabit, victores coronabit.

CAPUT PRIMUM.

Isidori et Dorothei conversatio, et passio cujusdam virginis.

Cum primum ad Alexandriam perrexissem civitatem, reperi virum mirabilem, undique ornatum moribus, conversatione, et scientia, Isidorum presbyterum, et xenodochio constitutum Alexandrinæ ecclesiæ (*Heracl. cap.* 1). Qui quidem primæ juventutis illecebras dicebatur in solitudine macerasse, cujus etiam nos cellam vidimus in monte Nitriæ. Inveni autem eum annorum septuaginta senem, qui post quindecim alios annos defunctus est in pace. Hic usque ad exitum vitæ suæ non linteo usus est, non balneo. Cujus corpus gratia Dei ita refertum [*Al.*, refectum] erat, ut putarent omnes ignorantes conversationem ejus, quia in deliciis degeret. Hujus virtutes animi si voluero exponere, deficiet me tempus narrantem. Hic inter cæteras virtutes nimis misericors ac benignus erat, ut etiam inimici ejus et infideles gentiles revererentur eum. Tantam autem scientiam habuit Scripturarum divinarum instructione librorum, ut inter ipsa etiam convivia fratrum mente excederet spiritualibus visionibus. Cumque deprecaretur referre quis esset excessus mentis ejus, dicebat cum lacrymis: Quia mente raptus sum in visione quadam spirituali. Ego vero cognovi hunc frequenter lacrymantem super mensam, cum cibum caperet; et causam interrogantes, audivimus eum dicentem: Quia erubesco accipiens corporalem escam sicut irrationalia animalia, cum utique homo rationalis a Deo creatus sim, et qui deberem paradisi deliciis frui.

A

Hic notus cum esset Romano senatui, omnibus matronis magnificorum et illustrium virorum, cum Athanasio episcopo causa fidei fuit Romæ, deinde etiam cum Demetrio episcopo; et abundans divitiis in ratione xenodochii, et sufficientiam habens, nullum testamentum scripsit moriens; sed neque unum nummum reliquit in solatium sororibus suis, in virginitatis proposito constitutis; sed commendavit eas Christo Domino, dicens: Qui creavit vos, gubernet vitam vestram, sicut et meam. Erat autem cum germanis ejus congregatio virginum septuaginta.

Huc venienti juveni mihi et deprecanti eum ut institueret me, confirmaretque in monachorum vitam

B

ferventem juvenili ætate, verbo quidem me non est consolatus, sed magis laborem 985 induxit corporalem. Eduxit enim me foras de civitate ad ea quæ dicuntur secretiora loca, milliario quinto, tradens me Dorotheo cuidam abstinentissimo viro, Thebæo, sexagesimum agenti annum in spelunca, et jussit me implere apud ipsum tres annos, ad edomationem corporis passionum; sciebat enim senem grandi districtione viventem. Iterum mihi reverti ad se præcepit spiritualis instructionis causa. Non valens autem tres annos implere, infirmitate detentus, ita ante triennium reversus sum ab eo.

Erat enim ejus vita dura et ardua. Per omnes quidem dies in æstu et solitudine secus mare colligebat lapides, eosque ædificans et cellulas faciens, tradebat non valentibus sibi ædificare, per singulos annos singulas explicans cellulas. Ego autem deprecans eum, dixi ei : Quid facis, Pater, in tali senectute interficiens corpus tuum? Respondens autem, dixit mihi : Occidit me, occido illud. Sumebat autem in cibum panis uncias sex, et de minutis olerum condimentis fasciculum. Bibebat autem ex aqua parum quid. Nescio vero extendisse eum pedes; nescio requiescentem eum super mattulam neque super lectum, sed per omnes noctes sedens et operans, plectebat ex palmarum foliis sportas, in rationem cibi sui. Arbitrans autem ego, ne forsitan propter me solum hoc faceret, satis egi, et ab aliis discipulis ejus scrutando qui permanserunt singulariter cognovi, quoniam a juventute semper talem habuit conversationem, nunquam dormiens ex causa nisi operando, aut certe manducans claudebat oculos per dormitationem, ita ut frequenter panis caderet de ore ejus præ nimia dormitione in tempore refectionis. Compellente autem me eum aliquando parumper super mattam reclinari, contristatus dicebat : Si suaseris angelos dormire, suades et ferventem spiritum.

Verum aliquando cum essem apud eum circa horam nonam, mittens me implere vas aquæ ad usus refectionis nostræ, evenit me abeunte aspidem deorsum videre in puteo, et vas non impletum aqua abjiciens dixi ei : Quoniam mortui sumus, Pater; aspidem enim vidi in puteo. Qui subridens, solum diu intendit, et movens caput dicebat : Si placet diabolo per singulos puteos serpentes immittere, sive aliam aliquam bestiam, nos nunquam habemus bibere? Et egrediens, per semetipsum hausit; jejunusque primus ipse bibens, ait : Ubi crux Christi superducitur, non prævalebit malitia diaboli.

Beatus autem Isidorus referebat nobis, quia cum vidisset beatum Antonium hominem Dei, scripturæ dignam retulit mihi causam, audiens ab ipso, quomodo tempore Maximiani persecutoris, pulcherrima puella fuit ancilla cujusdam [1], quam multis invitans promissionibus dominus ejus, decipere eam non potuit. Novissime autem exardescens in iracundiam, tradidit eam tunc constituto præfecto Alexandriæ interficiendam quasi Christianam, blasphemantem et tempora et imperatorem. In ipsis vero persecutionibus submittens ei quosdam cum pecuniis, dixit : Si consenseris voluntati meæ, a pœnis te custodiam; si autem permanes in duritia tua, rogabo judicem ut torqueat te usque ad mortem, ut non viva derideas voluntatem meam. Adducta autem ad tribunal judicis, diversa pœnarum tormenta fortiter contemnebat conscientia bona munita. In quibus tormentis et caldariam magnam plenam fervente pice jussit succendi judex. Fervente ergo pice et nimis exardescente, proponebat ei judex, dicens : Vade, aut subdere voluntati domini tui, aut certe noveris quia in hanc caldariam te jubeo mitti. Illa autem respondit, dicens : Non fiant aliquando tales judices, qui jubeant subdi luxuriæ. Fremens ergo jussit eam exspoliatam mitti in caldariam ferventem pice. Illa autem emisit vocem, dicens : Per caput tui imperatoris te conjuro, quem colis, si statuisti sic torquere me, jube me paulatim deponi in caldariam, ut videas quantam mihi patientiam donavit Christus, quem tu ignoras. Et deposita paulatim in præparatum ferventem cacabum, eadem hora refriguit pix cum circa collum ejus pervenit. Quamplurimi autem videntes tale miraculum, confirmati sunt in fide Domini nostri Jesu Christi in Alexandrina ecclesia, qui digni fuerunt terræ mansuetorum, sicut dicit Dominus in Evangelio : Beati mansueti, quoniam ipsi possidebunt terram (*Matth.* v).

CAPUT II.

De Pasco, et quomodo tentamenta carnis evicerit.

Pasco quidam nomine [2] erat septuagesimum agens annum ætatis in Scythia. Igitur dum graviter me spiritus fornicationis tentaret, super concupiscentia muliebri exagitantibus me cogitationibus, pene egressus sum de eremo, compellente me nimia passione. Et vicinis quidem mihi monachis non indicavi causam; latenter autem perrexi in solitudinem, et circuivi sanctos Patres usque dies quindecim, eos qui in Scythia senuissent. In quibus reperi Pascum, quem omnes qui in illa eremo erant Patres, venerabantur. Itaque præsumpsi ego, et cum lacrymis deprecans eum, confessus sum ei passionem, quæ me nimis et incessanter non desinebat impugnare. Et ipse ait mihi : Non conturbet te hæc causa; nec enim pateris hæc a negligentia; attestatur quippe tibi et locus, et difficultas rerum, et quia non est in locis illis ulla visitatio feminarum, sed magis invidia diaboli, qui semper insidiatur et decipere festinat animas hominum. Ecce, ut vides me jam senem hominem, quadragesimum annum habeo in hac cella, et auxiliante gratia Christi, sollicitus de salute animæ meæ; tamen usque nunc tentationem sustineo. Nam cum sacramento dicebat mihi : Quia super duodecim annos post quinquagesimum annum, non nocte mihi, non die pepercit; in tantum, ut putarem quia forte dereliquit me Deus, et ideo instanter sine cessatione hujus passionis molestiam paterer. Elegi ergo magis mori irrationabiliter, quam talem pati corporis passionem. Egressus ergo, circuibam pene omnem solitudinem, et inveni leænæ speluncam, et posui me jacere ibi per totum diem nudum, ut ingredientes feræ comederent me. Cum ergo facta esset vespera, secundum quod scriptum est, Posuit tenebras, et facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvarum (*Psal.* CIII); egredientes bestiæ masculus et femina odorati sunt me a capite usque ad pedes, et lingentes me totum, recesserunt a me. Ego autem putabam quod

[1] Heraclidi, cap. 1, virgo hæc dicitur *Potamenia*.
[2] Heraclidi, cap. 11, dicitur *Pachomius*; Palladio, cap. 29, *Pachon*.

devorarent me. Jacui ergo ibi per totam noctem, sed non accesserunt ad me.

Cogitavi ergo quia pepercit mihi Deus, et reversus
986 sum in cellam meam. Post paucos autem dies iterum eadem tentatio insurrexit validius, ita ut pene ad blasphemiam pervenirem. Conversus enim dæmon in Æthiopissam puellam, quam videram in juventute mea spicas colligentem, sedit super genua mea, et vehementer me commovit. Unde cum nimio furore dedi ei pugnos et alapas in maxillas, et statim non comparuit phantasma illud; per biennium enim manus meæ unde percussi quasi faciem ejus, fetorem et brumum (1) sufferre non poteram. Desperabam ergo de salute animæ meæ, et præ tristitia nimia defectio animi affligebat me, et nimio mœrore tabescebam. Audivi autem vocem factam in sensu meo, et dicentem : Vade, Pasce, certare; propterea enim hæc permisi te pati, ut non altum sapias, nec extollaris quasi in virtutibus tuis (*Rom.* XI); sed recognoscas infirmitatem tuam; et non confidas in conversatione tua, sed subditus et humilis sis in adjutorio Dei confidens. Ita certus effectus de auxiliante misericordia Domini Salvatoris, pacificos habui reliquos dies.

CAPUT III.

De Didymo, et beatis virginibus Alexandria ac Melania.

In sanctis Patribus Didymus [1] fuit sacrorum expositor librorum, qui multos libros ex divinis Scripturis exposuit (*Heracl., cap.* 1). Hic absque oculis fuit, cujus et notitiam habui. Hic septuaginta quinque annorum defunctus est. Iste cæcus cum esset, ut ipse mihi narravit, quatuor annorum in infantia visum amiserat, nec litteras noverat, neque apud magistros fuit. Habuit autem naturalem magistrum robustissimum propriam conscientiam; qui tanta gratia ornabatur scientiæ, ut Vetus et Novum Testamentum interpretaretur ad verbum. Liberale autem studium ita exsecutus est subtiliter, et minutissime exponens sermonem, ut omnes superaret antiquos scientia. Compellebat autem me, ut in cella ejus facerem orationem. Et non acquiescente me, dicebat mihi, referens : Quia in cellulam istam tertio ingressus est beatus Antonius, visitans me; et deprecatus a me, ut orationem faceret, statim inclinavit genua in hoc domicilio, et non compulit me repetere sermonem, erudiens me ad obedientiam. Narravit autem mihi et hoc : Quia cum essem sollicitus propter vitam Juliani imperatoris miserabilis, et nimis tristarer, quadam die usque ad alteram vesperam non gustavi panem propter sollicitudinem. Et evenit, et in cathedra sedente me, oppressus somno video in excessu equos albos discurrentes, cum sessoribus dicentibus : Dicite Didymo quia hodie hora diei septima mortuus est Julianus. Surge ergo, comede, et mitte, et nuntia hoc Athanasio episcopo, ut et ille noverit. Et annotavi statim horam, et mensem, et septimanam, et diem; inventumque est ita, quemadmodum oppresso somno videbatur.

Retulit autem et mihi de ancilla cujusdam, nomine

A Alexandria, quæ derelicta civitate in sepulcro quodam recludens semetipsam, per foramen quoddam recepit panem, qui necessarius erat victui, usque ad annos duodecim; duodecimo autem anno quasi dormientem se composuisse. Et cum abisset qui consuetudinem habebat ministrare ei, et non accepisset responsum, nuntiavit nobis. Destruentes autem ostium et ingredientes, invenimus eam defunctam. Dicebat et de ipsa beata Melania, de qua postea dicturi sumus, quia ad faciem quidem non vidi eam; ad foramen tamen stans, interrogavi eam ut diceret mihi causam quare, secedens de civitate, ingressa fuisset sepulcrum? Illa autem per foramen locuta est mihi, dicens : Quia gravatus fuit quidam mente in me, et ut non accusarem eum, elegi magis vivam meipsam in sepulcro hoc
B includere, quam scandalizare animam ad imaginem Dei factam. Me autem dicente ei : Quomodo nunc perseveras, non videns quemquam, sed affligeris tam gravi maxime inertia? dixit mihi : Quia a mane usque ad horam nonam oro per singulas horas, nens linum; reliquas autem horas jejuna percurrens, et hora competenti comedens cibum meum requiesco, et video in somnis patriarchas, prophetas et apostolos cum martyribus. Persevero autem, finem exspectando, cum spe in Deum suavissime.

CAPUT IV.

De Ammonio, fratribus ejus, ac tribus sororibus religiosis.

Beatus Ammonius habuit duos fratres germanos suos, qui cum eo pariter in sancto proposito conversabantur (*Heraclides, cap.* 2). Nam senior eorum frater
C Dioscorus in episcopatum electus est. Habent autem tres sorores in virginitate Domino servientes, non minus a fratribus suis in omni spirituali studio et abstinentia conversantes. Septem enim sunt, quatuor viri et tres sorores eorum, omnes virgines ex utero matris suæ. Aiunt enim, seniorem sororum eorum tantam scientiam Scripturarum habere divinarum, ut admirarentur fratres ejus. Nam vespere nimis lectioni insistens, post lectionem autem paululum somni capiens, ipsa lectionis verba per somnum meditatur. Habebat autem et alias tres peregrinas famulas Christi secum; similiter et fratres earum habent tres viros eruditos nimis et eloquentissimos; qui et ipsi conversationem eorum imitantes, præclari in Christo habentur. Omnes ergo nimis in Christi amore fer-
D ventes perrexerunt in eremum, et sororibus suis sequestratim fecerunt monasterioli habitaculum, et sibi ipsis separatim fecerunt, ut inter se et ipsas intervallum habeant non parvi loci. Statuerunt autem sibi ut neque fratres earum alias mulieres ad salutandum suscipiant, neque illæ alios viros.

Quoniam vero supra modum eruditus in omni parte erat Ammonius, tam in scientia Scripturarum, quam etiam sermonis, dum in quadam civitate episcopus defunctus esset, amatores Ammonii suggesserunt episcopo Alexandriæ, petentes ut Ammonium eis ordinaret episcopum. Dicebat autem eis archiepiscopus Adducite mihi eum ut ordinetur episcopus. Illi autem

[1] Didymus Origenista fuit.

festinantes perrexerunt cum adjutorio ad eum. Cum autem vidisset se præventum, deprecabatur eos, et cum sacramento affirmabat non suscipere se ordinem episcopatus, neque de eremo egressurum. Illis autem non concedentibus, sed violenter instantibus, præsentibus eis, accepit forficem, et aurem suam sinistram ab imo abscidit, dicens eis : Vel nunc certi estote quia impossibile est me fieri episcopum, quia lex prohibet debilem in aliquo membro fieri sacerdotem. Tunc relinquentes eum, recesserunt. **987** Abeuntes autem dixerunt episcopo. Et ait eis episcopus : Ista lex apud Judæos observabatur; mihi autem etiam eum qui nasum abscisum habet si adduxeritis, ita tamen ornatum moribus ut dignus sit sacerdotio, ordinabo eum. Abeuntes ergo iterum rogabant eum. Ipse autem juravit, dicens : Quia si me coegeritis, etiam linguam meam abscido. Ita ergo relinquentes eum recesserunt.

Hujus Ammonii fertur miraculum : quia quando desiderium carnis surgebat, et incitabat ad libidinem membra ejus, nunquam pepercit carni suæ; sed ferrum ignitum apponebat membris suis, ut semper vulneratus esset; et ita desiderium passionis compescebat magnitudo doloris. Sic quidem abstinentia ejus fuit a juventute usque ad mortem. Nihil quod per ignem transit, comedit, absque pane duntaxat.

Quodam vero tempore in eremo ædificanti ei cellam supervenit quidam frater, et dixit ei : Cur in tali ardore æstus affligis temetipsum, abba? Respondensque beatus Ammonius, ait : Crede mihi, frater, quia, donante Dei gratia, Scripturas sanctas memoriæ commendavi. Nam et Vetus et Novum Testamentum ab ineunte ætate ad plenum didici, necnon etiam et sanctorum antiquorum Patrum orthodoxorum sacerdotum Domini sexcentas myriadas expositionum in lege divina conscriptas perlegi (sicut testabantur ei de hoc et pene omnes in eremo Patres), et si uno die satiatus fuero pane, et minime in opere me exercuero, extollitur sensus meus, et velut irrationabilium animalium efficitur.

Quodam tempore adveniens beatus Evagrius ad sanctum Ammonium [1] visitationis spiritualis gratia, dum multa de sanctis Scripturis inter se conferrent, et lætarentur uterque spiritualiter in Domino, postmodum dixit Evagrius ad Ammonium, quasi exprobrando ei quia aurem sibi inciderat : Non times, inquit, grave peccatum; quia ut non susciperes sacerdotium, aurem tibi abscidisti? Respondens autem Ammonius, dixit ei : Deprecor te, ut exores pro me ad Dominum, ut de aliis peccatis meis indulgentiam accipere merear; nam de hoc admisso non valde turbatur animus meus. Verumtamen te magis oportet timere et sollicitudinem gerere, qui eruditus es secundum sæculi sapientiam, et tantam scientiam divinarum Scripturarum habes, quam Dei gratia tibi contulit, unde posses multos populos erudire, et elegisti magis in eremi solitudine degere. Et ego quidem auriculam abscidi, nam ipse linguam abscidisti quæ multos populos docere potuit.

Dicebat sanctus abbas Dioscorus presbyter, qui in eremo Scythiæ habitabat : Quia non oportet monachum desideria gulæ ventrisque facere. Nam in quo differt a sæcularibus, si expleat delectationes suas? Denique frequenter videmus homines sæculares pro causa ægritudinis a deliciis et delectationibus abstinere ut sanitatem corporis adipiscantur; quanto magis diligenter studere debet monachus pro salute et incolumitate animæ suæ, ut possit ad illas veras et æternas paradisi delicias, et ad cœlestis regni gloriam pervenire?

CAPUT V.

De Hor, Pambo et Melania Romana.

In hoc monte Nitriæ vir abstinentissimus Hor [2] nomine fuit (*Heracl., cap. 2*), cujus multas attestabatur virtutes omnis fraternitas monachorum; ego vero non inveni eum viventem. Etiam et hoc dicebant narrantes de eo, quia neque mentitus est aliquando, neque juravit, neque maledixit, neque sine necessitate locutus est.

In monte hoc fuit et beatus Pambo, præceptor Dioscori qui postea episcopus ordinatus est, et Ammonius, et Joannes, fratres Dracontii, viri mirabilis. Hic autem Pambo habebat in sanctitate et virtutibus famam magnam, et ita erat contemptor auri et argenti, ut vera deposcit ratio. Denique retulit mihi beata Melania, quia in primis cum advenisset de Roma in Alexandriam, et audisset de ejus virtutibus Isidorum referentem, qui etiam et perduxit eam in solitudinem ad visitandum sanctos Patres. Dicebat ergo sancta Melania : Quia obtuli ei argenti ærarium trecentarum librarum, deprecans eum, ut de rebus meis acciperet ad erogandum pauperibus. Ipse vero sedebat et texebat de foliis palmarum sportellas. Benedixit autem me, dicens : Dominus Deus retribuat tibi mercedem. Et dixit dispensatori suo Theodoro : Suscipe et dispensa hæc in omni Lybia, et in insulis fratribus, hæc enim monasteria magis indigent. Præcepitque ei nulli in Ægypto dare, eo quod abundantior esset provincia. Ego autem stabam exspectans quasi honorari et glorificari super quod obtuleram. Et nihil audiens ab eo, dixi : Ut scias, domine, quantum est, quoniam trecenta pondo sunt. Ipse vero nec respiciens me, respondit dicens : Cui obtulisti hæc, filia, pensare opus non habet. Qui enim pensat montes et omnem molem terræ (*Isaiæ* XL), multo amplius novit quantitatem hujus argenti. Si enim mihi hoc dedisses, bene mihi diceres quantum est; si autem Deo obtulisti, ille qui viduæ minuta non despexit pauperis (*Marci* XII), nec tuam oblationem tradet oblivioni.

Ita ergo gubernavit ac dispensavit Dominus, ut quando ingressa sum in montem, post paucos dies defunctus est homo Dei, non infirmatus, sed sportellam consuendo defunctus est sine febribus, annorum septuaginta. Vocavit autem me novissime, cum

[1] Et Evagrius et Ammonius Origenista fuit

[2] Hic Hor fuit Origenista.

transpungeret sportellas et compleret, et dixit mihi: Suscipe istam sportellam de manibus meis, ut memor sis mei; aliud quod tibi relinquam non habeo. Quem ipsa sepelivit, sindone corpus involvens: et ita ipsa egressa est de eremo. Sportellam vero usque ad mortem pro benedictione sibi reservavit.

Iste beatus Pambo in ipsa hora sui exitus, astantibus Macario presbytero et Ammonio, viris nominatissimis in conversatione sancta, etiam præsentibus et aliis fratribus, hoc dixisse perhibetur: Quia ex eo quo veni in hunc montem solitudinis, et ædificavi mihi cellam, et mansi in ea, de labore manuum mearum vixi, et non recordor aliquando me panem gratis manducasse; nec pœnitet me de verbo quod locutus sum usque in hanc horam, et ita vado quasi nunc incipiens Deum colere.

CAPUT VI.

De sancti Benjamin hydropico patientissimo.

In hoc monte Nitriæ Benjamin quidam est (*Heraclid., cap.* 2), sanctus vir, qui vixit usque ad octoginta annos abstinentissimus, et studium gerens circa virtutes animi. Consecutus est autem a Domino gratiam sanitatum; et si cui manus imponebat, aut oleum benedictum dabat, omnis ab eo infirmitas repellebatur. **988** Hic itaque qui tantæ gratiæ dignus habitus est, ante octo menses mortis suæ hydropicus factus est, et in tantum corpus ejus tumuit, ut alterum Job putares.

Assumens ergo nos beatus Macarius, qui tunc erat presbyter in monte Nitriæ, me et Theodorum ac Macariolum, dixit nobis: Venite, et videte novum Job, in tanto tumore corporis et passione insanabili, immensam gratiarum actionem Deo semper reddentem. Abeuntes ergo vidimus eum in tanto tumore corporis, ut non posset digitus manus alteri digito conjungi. Intuentes autem hanc passionem crudelissimam, oculos avertebamus. Tunc dicit nobis beatus Benjamin: Orate, filioli, ut non interior homo meus hydropicus fiat, iste autem nec bene patiens profuit, nec male patiens nocuit. Per octo ergo menses sella ei ponebatur latior, in qua incessabiliter sedebat propter reliquas corporis necessitates; nec enim jacere poterat. In hac tamen passione positus alios sanabat. Necessarie autem enarravimus passionem hanc, ut non conturbemur, si quando aliqua gravissima ægritudo viris justis evenerit. Defuncto autem eo, limen de ostio tulerunt et postes, ut posset corpus ejus efferri. Tantus erat tumor corporis.

Referebat abbas Benjamin [1]: Quia quodam tempore ego et presbyter de Cellia applicuimus ad quemdam seniorem, habitantem in eremo Scythi, et obtulimus ei modicum olei. Ille autem dixit nobis: Ecce illud modicum vasculum, quod ante triennium dedisti mihi, sic plenum manet usque hodie. Nos autem hæc audientes, diximus: Et quapropter, Pater, vel in diebus festis non gustasti de ipso oleo? Et respondens, dixit nobis: Ideo percipere nolui ex eo, ne forte consuetudo mihi fiat, et requiram de A suavitate olei conditos cibos, et per occasionem suavis conditura compellar descendere ad civitatem seu ad vicos emere oleum, et reverti ad eremum, iterumque descendere et reverti ad cellulam meam, et per hanc occasionem (ut dixi) descendendi et ascendendi incipiat vagari sensus meus et mens mea, et perdam utilitatem secretioris vitæ. Diabolus enim multiformis est, et diversa retia texit ut capiat mentes hominum. Igitur nos hæc audientes, admirati sumus prudentiam et conversationem sancti senioris.

Item referebat nobis abbas idem Benjamin [2], quia perrexissent ad quemdam senem, qui tenuit eos ad refectionem, et paravit illis lenticulæ cibum coctum. Misit autem in condituram oleum quod de semine raphanorum in locis illis fieri solet. Nos autem diximus ei: Pater, magis de bono oleo mitte, ut B possimus comedere. Ille autem hoc audiens, et signo crucis se signans, dixit nobis: Et est aliud oleum præter ipsum? ego hoc nunquam audivi. Erat enim ipse senior ex infantia sua in eremo enutritus, et semper permansit apud sanctos seniores, et neque in civitates neque in vicos aliquando egressus est.

CAPUT VII.

De sancto Apollonio, qui quinque millibus monachorum ministravit.

Apollonius quidam nomine (*Heracl., cap.* 3), ex negotiatore fuit, renuntiansque sæculi actibus, et conversus ad servitium Christi, habitavit in monte Nitriæ, neque artem discere potuit, neque vacare in scribendis libris præ senectute. Vivens C autem in supradicto monte viginti quinque annis, hoc habuit studium, ut ex propriis pecuniis et suis laboribus omnia cellaria compararet de Alexandria, et in omni fraternitate ministrabat infirmantibus: et erat videns eos a prima luce usque ad horam nonam, per singula ostia ingrediens monasteriola, ne quis forte jaceret. Portabat autem uvam passam, mala granata, et similia quæ infirmis necessaria sunt. Hanc exercuit conversationem in senectute sua. Qui moriens similem sibi dereliquit apothecarium, rogans eum hanc exercere administrationem; quinque enim millium monachorum habitantium in monte necessaria erat talis ministratio; propterea quod eremus esset locus ille.

CAPUT VIII.

D *De sancto Nathanael, et tentamentis ejus a dæmone.*

Fuit alius quidam de antiquis monachis, nomine Nathanael (*Heraclid., cap.* 5). Hunc ego non inveni; transierat enim de corpore ante adventum meum ante annos quindecim; eos autem qui conversati sunt cum eo, inveni. Interrogavi autem eos virtutem viri. Ostenderunt autem et mihi cellam ejus in qua habitaverat, sed tunc nullus habitabat in ea, propterea quod propior esset cuidam vico cohabitantibus sæcularibus. Ille enim eam tunc construxit, quando rariores erant servi Dei, qui dicuntur anachoretæ, id est, qui recedunt in secretiora eremi loca.

Referebant autem hæc de eo, præcipue quia tan-

[1] Deest Heraclidi. Pelag., libell. IV, n. 12.

[2] Deest Heraclidi.

tam habebat patientiæ virtutem in cella, ut non mo- A vereiur a proposito suo. In quibus illusus in primis ab eo qui omnes illudere festinat et decipit dæmone, tædio quodam oppressus, egressus est de prima cella, et aliam construxit sibi prope quemdam vicum. Postquam autem perfecit eam, habitavit in ea. Post tres vero menses affuit dæmon quadam nocte, tauream (2) tenens sicut carnifex, indumentum habens quasi militis consutum, et faciebat strepitus de taurea illa. Ad quem ait beatus Nathanael : Quis es tu, qui talia præsumis super hospitiolum meum? Respondens autem dæmon, dixit ei : Ego sum qui de illa alia cella te expuli, et veni ut et de hac te effugarem. Cognoscens autem quia illusus esset, revertitur statim ad priorem cellam; et complens in ea triginta et septem annos, non transivit limen ostii cellulæ, con- B tendens contra dæmonem.

Qui tanta adinveniens, ostendebat ei ut eum compelleret egredi, quanta referre satis longum est. In quibus hoc. Observans septem episcoporum sanctorum virorum visitationem, sive ex Dei promissione factam, sive ex tentatione maligni, paulo minus fecit eum excedere a proposito suo. Episcopi autem postquam orassent egredientes, non deduxit eos nec passum pedis. Dicunt ei ministri, id est diaconi : Superbam rem fecisti, ut non deduceres episcopos. Ipse autem dixit eis : Ego et dominis episcopis, omnique sæculo mortuus sum; habeo enim occultum propositum mentis meæ, et scit Deus cor meum, qua de causa non deduxi eos.

Expavens autem dæmon de circumventione hac, C subornavit se ante novem menses mortis ejus, et efficitur quasi infans novem annorum, minans asinum portantem panes in cophinis. Et **989** propinquans vespera profunda, ad ejus cellam finxit cadere asinum. Et clamans quasi infans : Abba, inquit, Nathanael, miserere mei, et da mihi manum tuam. Qui audiens vocem quasi infantis, aperuit ostium, et stans ab intus, dixit ei : Quis es tu, et quid vis ut faciam tibi? Dicit ei : Illius sum puerulus, et panes fero, propter quod convivium fratris ipsius est, et crastino Sabbato illucescente necessaria est ista oblatio. Deprecor ne despicias me, ne forte a bestiis et leænis comedar. Multæ enim sunt in illis locis. Stans autem et stupens beatus Nathanael, com- D motis visceribus conturbatus, cogitabat intra se, dicens : Quia aut de mandato habeo cadere, aut de proposito. Post hæc autem cogitavit : Melius est me non transgredi quam tantorum annorum propositum perdere, in confusionem Satanæ. Et cum orasset, dicit loquenti ad se quasi infanti : Audi, infans, crede in Deum, cui servio, quia si necessarium sit ibi adjutorium, transmittet tibi Deus, et neque leæna nocebit te, neque aliquis. Si autem tentatio, confestim revelabit Deus. Et claudens ostium introivit. Confusus autem dæmon quia superatus est, in turbinem resolutus est, quasi onagri exsilientes, et fugientes, et sonos emittentes. Iste triumphus beati Nathanael fuit, et hæc conversatio, et hic finis.

CAPUT IX.

De vita et mirificis gestis sanctissimorum virorum Macarii Ægyptii et Macarii Alexandrini.

De magnis et præcipuis, et sanctis ac beatissimis viris multa et incredibilia piget me dicere vel scribere, ne forte mendacii opinionem feram. Quia autem perdit Deus omnes qui loquuntur mendacium, pronuntiavit Spiritus sanctus mihi (*Psal.* v); ergo non mentienti, famule Dei fidelissime, non discredas.

Duo namque Macarii erant (*Heraclid.*, *cap.* 6), unus quidem Ægyptius genere, alius vero grutaria (3) vendens. Primum ergo referam de Ægyptio, qui vixit annos nonaginta : itaque in solitudine fecit annos sexaginta, triginta annorum ingrediens juvenis, et tantam consecutus est discretionem, ut dicerent eum neapoteponta [*An* νεκρογέροντα?] (4), id est, juvenem senem, propter quod et celerius profecit. Quadraginta enim annorum factus, contra spiritus dæmonum accepit gratiam sanitatum, et responsis divinis dignus fuit. Huic commorabantur duo discipuli in solitudine interiori, quæ vocatur Scythi. Ex quibus unus quidem erat minister ejus juxta eum, propter venientes curari ab infirmitatibus et languoribus suis; alius autem secessit separatim in cellulam. Tempore autem aliquanto transacto, prævidens spiritu inspecto oculo cordis, dicit illi qui ministrabat ei, vocabulo Joannes, qui postmodum factus est presbyter in loco ipsius Macarii : Audi me, frater Joannes, et acquiesce monitis meis : tentat te spiritus cupiditatis, ita enim vidi; et scio quia si mihi acquiescis, confirmaberis in loco hoc, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo (*Psal.* xc); si autem mihi inobediens fueris, exemplum Giezi veniet super te (*IV Reg.* v), cujus ex passione languesces.

Evenit ergo eum non obedire, et post dormitionem sancti Macarii, post quindecim annos ita elephantiosus factus est, fraudans quæ erant pauperum, ut non inveniretur in corpore ejus liber locus, in quo quis digitum figeret. Et hæc est prophetia sancti Macarii.

De esca autem ejus et potu superfluum est enarrare, quando nec apud negligentiores invenitur quis abundantius cibos percipere aut exquisitius in locis illis, tam pro indigentia eorum quæ minime inveniuntur, quam etiam et propter imitationem habitantium ibidem multorum monachorum. De alio autem ejus studio dicebatur eum sine intermissione excedere mente, et magis ampliori tempore Deo adhærere sensus ejus, quam in istius mundi habitatione. Hujus feruntur multa miracula, quæ fecit Deus per eum; nam multos vexatos a dæmonibus et diversas ægritudines sustinentes curavit Dominus precibus ejus.

Vir enim quidam Ægyptius concupivit ingenuam mulierem maritatam; et non valens eam capere, locutus est malefico, dicens : Facito eam ut amet me, et ita age ut projiciat eam vir ejus. Accipiens ergo maleficus, sufficienter usus est maleficio, et fecit eam equam videri. Videns autem vir ejus veniens deforis

A mirabatur quia in lecto ejus equa jaceret, et cœpit plangere et ejulare; nam loquebatur animali, et responsum non dabat. Itaque deprecatus est presbyteros possessionis, et adducens, ostendit eis, qui non invenerunt causam. Usque ad tres dies, neque fenum accipiebat, quomodo equa; neque panem, sicut homo: utroque privabatur cibo. Ad ultimum, ut glorificaretur Deus, et appareret virtus sancti Macarii, ascendit in cor viri, ut deduceret eam in solitudinem. Et vinxit eam quasi equam, et duxit in solitudinem. Cum appropinquaret ergo, stabant fratres juxta cellam Macarii, litigantes et dicentes: Quid adduxisti huc equam istam? Dicit eis: Ut misericordiam consequatur. Dicunt ei: Quid enim habet? Qui respondit: Uxor mea erat, et in equam conversa est; et hodie B habet tertium diem, non gustans quidquam. Qui retulerunt sancto Macario intus oranti. Propterea enim revelaverat ei Deus. Respondit ergo fratribus, et dicit eis: Equi vos estis, qui equorum oculos habetis; illa autem mulier non est transfigurata, sed solum in oculis eorum qui seducuntur videtur equa. Et benedicens oleum, a vertice perunxit eam nudam, et superoravit, et statim fecit eam mulierem videri ab omnibus. Dans autem ei cibum, fecit eam manducare, et dimisit cum proprio viro, gratias referentem Deo. Et præcepit ei, dicens: Nunquam cesses a communione. Hæc autem tibi evenerunt, quia per quinque septimanas non appropinquasti divinis.

Alia quoque puella ad eum deducta est [1], cujus obscena corporis ita ex omni parte computruerant, C ut consumptis carnibus, interiora quoque et secretiora naturæ nudarentur, ac vermium inde ebulliret innumera multitudo, ita ut non accederet quisquam ad eam præ fetoris horrore. Hæc cum allata a parentibus, et projecta fuisset ante fores ejus, miserans virginis cruciatus: Æquo animo esto, inquit, filia, hæc tibi ad salutem Dominus, non ad interitum dedit. Unde providendum est magis ut sanitas tua nullum tibi periculum inferat. Et cum stetisset in orationibus per septem continuos dies, et **990** oleum benedicens in nomine Domini, perungeret membra ejus, ita eam sanam reddidit, ut et reparata naturæ qualitas, et perfecta muliebris in ea species appareret, essetque ei de cætero inter homines conversatio absque pristinæ infirmitatis obstaculo.

D Aliud iterum refertur ejus gestum continentiæ in longo tempore. Sub terra fecit transitum a cella sua usque ad dimidium stadium, et speluncam constituit ad ultimum: et si quando ei plures molestabantur, occulte de cella sua egrediens ibat ad speluncam, et nemo eum inveniebat. Referebat ergo nobis quidam de strenuis discipulis ejus, quia eundo usque ad speluncam, viginti quatuor orationes Dominicas faciebat, et revertendo viginti quatuor.

De hoc egressa est opinio quia mortuum suscitaverit, et suaserit hæreticum converti, non credentem resurrectionem corporum fieri; et famam obtinebat in solitudine. Dicebant enim, aliquando venisse ad eum hæreticum quemdam Hieracitam, quod genus hæreseos invenitur apud Ægyptum [2]. Hic cum per multam loquendi artem plurimos fratrum, qui habitabant in eremo, conturbaret, ausus est etiam coram ipso fidei suæ asserere pravitatem. Cui cum senior resisteret et contradiceret, ille verba simplicia argumentis callidis eludebat. Sed cum videret sanctus fidem fratrum periclitari: Quid opus est, inquit, nos verbis contendere ad subversionem audientium? exeamus ad sepulcra fratrum qui nos præcesserunt in Domino, et cui nostrum concesserit Dominus resuscitare mortuum de sepulcro, sciant omnes quia illius fides probatur a Deo. Sermo hic placuit omnibus qui aderant fratribus, et processerunt ad sepulcra. Hortatur Macarius Hieracitam, ut evocaret mortuum in nomine Domini. At ille: Tu, inquit, qui proposuisti, prior evoca. Et Macarius prosternens se in oratione ante Dominum, ubi sufficienter oravit, elevatis sursum oculis suis: Tu, inquit, Domine, quis ex duobus nobis rectam fidem teneat ostende, elevato hoc mortuo. Hæc cum dixisset, fratris cujusdam nomen, qui nuper fuerat defunctus, evocavit. Cui ille cum de tumulo respondisset, accedentes fratres continuo quæ supraposita erant auferunt, et eductum eum de sepulcro, resolutis fasciolis quibus constrictus erat, exhibuerunt viventem. Hieracita vero ubi hæc vidit, obstupefactus in fugam convertitur. Quem fratres omnes insequentes, extra terminos terræ illius turbaverunt.

Huic oblatus est aliquando dæmonem patiens juvenis a propria matre tota conscissa duobus funibus colligatus, et hanc habebat immissionem dæmonis: postquam manducasset trium modiorum panes, et bibisset lagenam de aqua, eructans in aera solvebat escas. Ita enim consumebantur quæ devorasset vel bibisset quasi ab igne. Est enim turma quæ dicitur ignita. Diversa sunt quippe dæmonum genera, sicut et hominum, non substantiæ, sed voluntates. Hic ergo juvenis, non sufficiente sibi esca, propriam bibebat urinam. Plangente ergo matre et deprecante sanctum Macarium, accipiens eum, imprecatus ac supplicans Deum, post unam et secundam diem attenuavit passionem. Dixit ergo matri ejus: Quantum vis ut comedat? Quæ respondit: Decem pondo panis. Corripuit ergo eam, quia multum dixit. Superorans vero ei usque ad septem dies, statuit ei in tria pondo, ut posset operari, atque ita curans eum, reddidit matri. Multa etiam et alia ferebantur de eo, quæ nimis prolixa sunt ad scribendum; sed ex his paucis etiam cætera opera ejus noscuntur. Hunc ego non vidi; anno quippe ingressionis meæ in solitudinem quievit.

Quodam tempore cum ad beatum Macarium quidam venisset desiderans in proposito monachorum servire Christo [3], et deprecaretur sanctum senem, ut instrueret eum ac doceret, et ex fonte doctrinæ sa-

[1] Deest hoc Heraclidi.

[2] Deest hæc narratio Heraclidi. Est verbotenus in Ruff., supra, lib. II, c. 28.

[3] Deest Heraclidi.

lutaris, quæ in eo per Spiritus sancti gratiam abundabat, confirmaret, et qualiter posset, juvante Domino, insidias atque impugnationes maligni evadere, præmoneret; respondens beatus Macarius, dixit: Si vere desideras ex toto corde renuntiare huic sæculo, filiole, et adhærere Domino Salvatori, sicut dicit Propheta in psalmo: Adhæsit anima mea post te, me autem suscepit dextera tua (*Psal.* LXII). Parata enim est dextera Domini confugientes ad se suscipere; oportet te renuntiare huic mundo, et omnes actus ejus abjicere, sicut dicit Apostolus, scribens ad Colossenses: Mortui enim estis huic mundo, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum enim Christus apparuerit vita nostra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria (*Coloss.* III). Hæc audiens junior, dixit: Crede, mihi, beatissime Pater, quia et mentem meam alienavi ab hoc mundo et ab omnibus quæ in eo sunt, ut jam tanquam mortuus degam in hujus temporis vita. Cognovi enim quoniam temporalia et transitoria atque corruptibilia sunt omnia quæ in hoc mundo videntur esse bona. Tunc dicit ei senior: Audi me, fili, et vade ad sepulcra mortuorum, et quamplurimis injuriis, multis conviciis, ac maledictis etiam et lapidibus eos detestare, ut provocati irritentur adversus te. His auditis, junior statim perrexit ad monumenta mortuorum. Cumque secundum præceptum beati senioris multis eos, ut putabat, injuriis affecisset, reversus ad sanctum Macarium, dixit ei quod fecerat. Interrogavitque eum senior, si nihil ei respondissent illi mortui? Et respondens, dixit: Nihil penitus dixerunt, domine. Iterum autem præcepit ei, dicens: Perge crastino die, et multis præconiis collauda et glorifica eos. Abiit iterum frater ad sepulcra mortuorum, et cœpit laudare, honorificisque sermonibus glorificare eos, dicens: Vos magni estis et sancti, et similes apostolicis viris, et justitia magna in vobis est. Et alias quamplurimas laudes cum ad eos dixisset, reversus ad cellam, dixit seniori: Ecce secundum præceptum tuum, domine Pater, laudavi et glorificavi illos mortuos, et nihil mihi penitus dixerunt. Tunc dixit ei sanctus Macarius: Considera, fili, quoniam sicut injuriis et contumeliis exprobrasti illos mortuos, et nihil tibi locuti sunt; ita ergo et tu si vis salvus esse et in sancto proposito placere Salvatori nostro, imitare ipsum Dominum Salvatoremque nostrum, sicut dicit beatus Joannes apostolus et evangelista: Qui dicit se in Christo manere, debet quemadmodum ille ambulavit et ipse ambulare (*I Joan.* II). Unde et in Evangelio quidem legimus, quoniam ipsi perfidissimi nostræ fidei æmuli Judæi, multas injurias, instigante humani generis hoste diabolo, in Dominum nostrum Jesum Christum Salvatorem dixerunt, **991** Samaritanum esse, et dæmonium habentem, et in Beelzebub principe dæmoniorum ejicientem dæmonia; nam et seductorem eum ausi sunt dicere: et hæc omnia patienter ipse pius Dominus noster Jesus Christus cœli, terræ, et maris, omnium quoque eorum quæ in eis sunt creator, su-

A stinuit; ut nobis patientiæ suæ, lenitatis, et humilitatis præberet exemplum. Nam si voluisset potentiam suæ majestatis ostendere, et injurias vindicare, omnem subito mundum in chaos deduceret, et nec genus hominum, nec ipse saltem appareret mundus, sed in momento omnia interirent. Verumtamen noluit hæc facere inenarrabilis Christi Domini pietas bonitatis, qui non ad puniendum, sed ad salvandum venerat mundum. Ideo enim patienter omnia sustinuit, ut nobis exempla patientiæ et humilitatis ostenderet. Unde et sequentibus se discipulis dixit: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris (*Matth.* XI). Sed et omnes a sæculo sancti tam prophetæ quam apostoli, opprobriis et injuriis, ac diversis afflicti tormentis, semper
B immobilem virtutem patientiæ et humilitatis tenuerunt, et nequaquam humanis laudibus sunt decepti. Respuentes namque inanis gloriæ præsentis vitæ vanos rumores, illam solam cœlestem æternamque gloriam concupiscunt qui Christo placere desiderant, quæ ex Deo est, et permanet in æternum: cujus claritatis splendorem nulla humana lingua potest exponere. Hæc ergo exempla patientiæ et humilitatis considerans, filiole, si quando irrogatæ tibi fuerint injuriæ, fortissime virtutem patientiæ et humilitatis custodi, imitans Prophetam, qui dixit: Ego autem tanquam surdus non audiebam, et sicut mutus non aperiens os suum; et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones (*Ps.* XXXVII). Quod certe ad commonendum sensum no-
C strum quotidie in synaxi psallitur. Cave etiam, ne vana gloria laudeque hominum delecteris, et perdas omnia quæ laborando in bonis operibus acquisieris, fructusque jejunii et abstinentiæ tuæ, vigiliarumque et orationum mercedem in æterna vita non consequaris a Domino, quia ipse dixit in Evangelio de eis qui laudes hominum quærunt: Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam (*Matth.* VI). Et alia multa sunt, quæ de cavenda vana gloria sanctæ Scripturæ admonere non cessant. Cave ergo, o fili, et neque ad irrogatas injurias exardescat in iracundia animus tuus. Et si incitatum fuerit cor tuum, ipse tamen districte in timore Domini refrena ab iracundia animum tuum, ut possis virtutem humilitatis ac patientiæ custodire. Et tunc veraciter ostendis quod promisisti,
D dicens, quia tanquam mortuus degas in hoc mundo, si nihil turbulentum respondeas eis, qui tibi injurias irrogant; sicut nec illi de monumentis mortui, in quos multas injurias et convicia dixisti, et nihil tibi penitus responderunt. Ideoque oportet ut fortiter custodiamus virtutem humilitatis ac patientiæ, quatenus possimus ad cœlestia præmia et ad æternæ vitæ gloriam pervenire, sicut dicit in Apocalypsi Dominus: Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam (*Apoc.* III).

Sanctus abbas Macarius commonebat sæpe discipulos suos, et docebat eos, dicens [1]: Mementote semper quia ante conspectum Domini omnipotentis

[1] Deest Heraclidi.

conversamini, qui prospicit omnium hominum cogitationes, et singulorum corda scrutatur. Quod etiam et sanctæ Scripturæ testantur, et Apostolus docet, et dicit : Vivus est enim sermo Dei et efficax, et acutior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad animæ divisionem ac spiritus, compagum quoque et medullarum, discretor cogitationum et intentionum cordis; et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus (*Hebr.* IV). Ideoque si nos, fratres, pulsaverit delectatio carnis, et concupiscentia fornicationis, festinemus repellere et abjicere de corde nostro sordidissimam et pessimam cogitationem, invocantes intentissime adjutorium Domini nostri Jesu Christi in orationibus ac jejuniis, ut virtute potentiæ suæ eripiat nos, et protegat, et conterat Satanam sub pedibus nostris. Oportet ergo ut etiam nosmetipsos pœnitendo et a peccatis abstinendo corripiamus, dicamusque ad animam nostram : Quoniam delectatio quidem corporis, quæ te male oblectat, ad modicum tempus est; nam tormenta et cruciatus animæ et corporis in igne æterno gehennæ in perpetuas permanent pœnas. Illud etiam admonentes animam nostram, dicamus : Si erubescis homines similes tui peccatores, ne videant te peccantem, quare non magis revereri et timere debes majestatem Dei omnipotentis, qui omnium secreta cordium considerat, sicut et Apostolus ait : Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus (*Hebr.* IV). Talibus ergo cogitationibus si increpamus nosmetipsos, continuo timor Domini venit in corde nostro, et in amorem castitatis confirmatur anima nostra, etiam et ad omnia præcepta Domini facienda incitamur, adjuvante nos gratia Domini nostri Jesu Christi, qui servientibus sibi in sanctitate et castitate promisit cœlestia et æterna donare in illa gloria futuri sæculi vita, cum angelis sanctis in perpetui luminis splendore semper gaudere.

CAPUT X.

Vita et conversatio alterius Macarii, videlicet Alexandrini presbyteri, et Marci monachi.

Alium autem Macarium contemplatus sum Alexandrinum presbyterum (*Heraclid., cap.* 6), in loco qui dicitur Cellia, in quibus Cellis habitavi ego annis novem, in quibus et tribus annis post me supervixit. Et quædam vidi apud eum, quædam autem audivi, quædam et ab aliis didici. Erat autem observatio ejus hæc: quia si quid audivit alicubi, modis omnibus hoc apprehendere festinabat. Audiens ergo a quodam quia Tabenensiotæ monachi per omnem quadragesimam absque igne cibum sumunt, statuit septem annis quod per ignem transit non manducare, nisi olera cruda, et si quando inveniebatur, legumen infusum, nihil aliud gustans. Complens autem hoc, pro nihilo duxit hujusmodi usum.

Audivit iterum de alio quodam, quia libram panis comederet; frangens sibi buccellatim, et condens in lagenam misit : decrevitque tantum comedere, quantum posset manus afferre per os lagenæ. Et sicut referebat ipse, quia gaudens quidem apprehendebam amplius de fragmento panis, sed non permittebar eximere, pro eo quod angustius esset foramen lagenæ; usque enim ad tres annos hanc habuit abstinentiam, quatuor aut quinque uncias comedens, tantumdem et aquam bibens. **992** Nam unum sextarium olei totum annum expendebat.

Iterum alia ejus observatio talis fuit : Decrevit superare somnum, et, sicut referebat, non intravit sub tectum usque ad viginti dies, ut vinceret somnum. Ita nimio quidem æstu urebatur per diem, per noctem autem constringebatur frigore, et (ut dicebat) nisi velocius ingressus sub tectum fuissem, somnumque cepissem, ita mihi exsiccatum fuisset cerebrum, ut pene excessum paterer mentis. Quanto ergo me, inquit, vici, tanto ad naturæ necessarium requirentis somnum cessi.

Iste aliquando tentatus est passione fornicationis, et condemnavit semetipsum in paludem Scythiensem, quæ est in solitudine, sedere nudum mensibus sex, ubi sunt culices sicut nebulæ (5); quæque etiam agrestium porcorum perforant pellem. Ita ergo perforatus est totus, et strumas fecit, ut putarent aliqui, quia elephantiosus esset factus. Veniens ergo post sex menses in cellam suam, de voce cognitus est quia ipse erat Macarius.

Desideravit aliquando ipse in hortum sepulturæ Jannæ et Mambre ingredi, sicut nobis retulit. Ipse autem hortus sepulturæ factus est a magis, qui potentes erant quondam apud Pharaonem. De quadris ergo lapidibus construxerunt opus, et sibimetipsis sepulcrum fecerunt, et multum aurum recondentes, plantaverunt etiam arbores; humectus est enim locus, in quo et puteum fecerunt. Quia ergo viam ignorabat, arbitrium quoddam sequebatur stellarum, sicut in maris pelago navigantes observare solent. Ita in solitudinem ingrediebatur, accipiens ligaturam calamorum per unumquodque milliarium indicii gratia figebat, ut semitam adinveniret unde reverteretur. Perambulans ergo diebus novem, pervenit ad locum. Dæmon autem qui semper dimicatoribus Christi resistere solet, colligens omnes calamos, quos pro indicio sibi posuerat a milliario horti illius sepulcri, dum ipse requiesceret, ad caput ipsius posuit. Surgens igitur reperit calamos. Et hoc factum est, Deo permittente, ad ejus probationem, ut non in calamis speraret, sed in columna nubis quæ præcedebat filios Israel quadraginta annis in solitudine. Dicebat autem quia castra dæmonum obviassent ei egredientium de illo horto, clamantium, inquit, quasi corvi contra faciem meam, et dicentium : Quid vis, Macari? quid vis, monache? quid venisti in locum nostrum? Non potes manere hic. Dixi ergo eis ego : Quia oportet me ingredi et videre. Ingrediente autem eo in hortum, occurrit ei Satanas cum gladio evaginato comminans ei. Contra quem sanctus Macarius hoc dedit responsum : Tu venis ad me cum gladio, ego autem occurro tibi in nomine Domini sabaoth Dei Israel. Ingrediens ergo

invenit situlam æream dependentem, et catenam ferream super puteum, jam de multis temporibus resolutam, et fructus malorum granatorum, nihil intus habentium, propterea quod aruissent a nimio solis ardore; abominationes etiam idolorum quam plurimas aureas. Ita ergo revertens, venit post dies viginti. Deficiente ergo ei aqua quam portabat et pane, in multam angustiam devenit. Et cum jam deficeret, apparuit ei puella, stans (sicut referebat) mundissimo linteo amicta, et habens hydriam stillantem aquæ, quam dicebat longe a se quasi stadium unum. Et usque dies tres ambulans, et videns eam cum hydria stantem, appropinquare non valebat, sicut somnians; spe autem videndi exspectando confortabatur. Postea apparuit ei multitudo bubularum, ex quibus una quæ habebat vitulum stetit; sunt enim multæ in illis locis, et, sicut ipse dicebat, decurrebat ei de uberibus lac. Et facta est vox desuper, dicens: Macari, accede ad bubulam, et suge. Supposuit ergo se ei, et lactatus resumpsit vires. Venitque bubula illa usque ad cellam ejus lactans eum, et vitulum suum non suscipiens.

Reversus ergo ad fratres cum indicasset de opportunitate loci, multorum inflammati sunt animi, ut pergerent illuc cum eo [1]. Sed ubi sancti Patres senserunt animos juvenum concitatos ad pergendum, represserunt eos salubri consilio, dicentes: Locus iste si vere, ut dicitur, a Janne et Mambre constitutus est, non aliud de eo credendum est, nisi quod diaboli opere ad deceptionem nostram forsitan præparatus sit. Si enim deliciosus est et abundans, quam requiem sperabimus in futuro sæculo, si hic deliciis fruimur? Hæc atque alia dicentes, juvenum animos represserunt. Licet enim diversorum pomorum amœnus esset locus, et abundans omnibus necessariis, sed non posse dicebat adduci illuc plures fratres, ne forte venientes per eremum a dæmonibus deciperentur. Multos enim aiebat esse dæmones, quorum fremitus et calliditates ferre multitudo fratrum insueta non posset.

Quodam tempore idem sanctus Macarius puteum fodiebat, et in proximo fruteti silvæ ab aspide percussus est (*Heraclid.*, *cap.* 6). Qui mortiferum animal a faucibus apprehendens, manibus utrisque scindens, dixit ei: Non permittente Deo, quare usurpasti venire?

Habebat autem diversas cellulas, unam in monte Nitriæ, aliam in solitudine interiori Scythi, et aliam in loco qui dicitur Cellia: et quædam absque fenestris sunt, in quibus dicebatur sedere in quadragesima; alia angusta erat, in qua jacens extendere pedes non poterat; alia autem latior erat, in qua suscipiebat venientes ad se. Hic vero, donante gratia Christi, tantam multitudinem vexatorum a dæmonibus curavit, ut omnes mirarentur, et glorificarent virtutem Salvatoris nostri Jesu Christi, qui per eum operabatur magnifica.

Cum autem nos ibidem essemus, oblata est ei

A virgo quædam de Thessalonica veniens, quæ multis annis in paralysi laborabat. Hanc itaque usque ad viginti dies oleo sancto perungens, et orationibus pro ea insistens, sanam remisit ad propriam civitatem. Quæ postquam pervenit ad domum suam, multas oblationes direxit per diversa sancta monasteria.

Hic itaque Macarius audiens, quia magnam conversationem et regulam disciplinæ Tabenensiotæ monachi haberent, mutato habitu, accipiensque indumenta rustici, per dies quindecim ascendit in Thebaidam per solitudinem. Et ingressus monasterium Tabenensiotarum quærebat abbatem, ut ejus præsentaretur aspectibus, virum sanctum, Pachomium nomine, probatissimum famulum Christi, B gratiam prophetiæ habentem, cui occultatus est nutu Dei adventus Macarii. Repræsentatus ergo, dixit ei: Deprecor te, domine sancte Pater, suscipe me in monasterium tuum, ut efficiar monachus. Dixit ei Pachomius: Jam senectute **993** provectus, abstinentiam non vales sustinere, fratres enim continentissimi sunt, et non ferens eorum laborem, scandalum passus, et regredieris detrahendo eis. Et non suscepit eum, nec prima nec secunda die, usque ad dies septem. Cum ergo perseveraret etiam jejunus permanens, post hæc dixit ei: Suscipe me, abba, et si non jejunavero sicut et alii fratres, operatusque non fuero sicut et illi, tunc jube me jactari foras. Hæc audiens abbas, jussit fratribus ut susciperent eum. Est autem congregatio per singula monasteria C mille quadringenti viri. Multorum enim monasteriorum beatus Pachomius Pater erat, et multa millia monachorum congregatio erat, etiam et usque nunc sunt Christi gratia largiente. Ingressus est ergo in monasterium. Transacto autem pauco tempore, supervenit quadragesima, et vidit singulos quosque addentes jejuniis abstinentiæ. Quidam enim eorum post duos dies reficiebant, alii autem post quinque dies capiebant cibum, alii vero per totam noctem vigilantes orationibus insistebant, per diem autem opera manuum exercebant. Hic vero sanctus Macarius stabat in angulo, tam diebus quam noctibus non discedens quoquam, usquequo dies quadraginta complerentur. Advenit et Pascha; neque tunc panem gustavit, neque aliud quoque pulmentum, nisi folia tantum de D caulibus, et hæc semel in septimana die Dominica sumebat. Nec discedebat de angulo illo, ubi elegerat stare, nisi tantum corporalis necessitatis causa, et statim festinanter revertebatur, et claudebat ostium super se, et nihil penitus loquebatur, sed in silentio tantum labia ejus movebantur. Et non cessabat continue et sine cessatione in corde suo eloquia Domini divinamque Scripturæ commemorationem meditari, et opera manuum incessanter exercere multo amplius quam alii fratres. Hæc fratres videntes, pene omnes scandalizati sunt; murmurantesque dixerunt præposito monasterii: Unde nobis hunc adduxisti, tanquam sine carne degentem ad condemnationem

[1] Deest Heraclidi.

nostram? Projice eum, cognosce, quia valde scandalizantur fratres in eo. Hæc audiens præpositus monasterii, admirans tam districtam conversationem ejus, oravit Dominum, dicens: Manifesta mihi peccatori servo tuo, Domine, quid agere debeam. Et revelatum est ei, quod ipse esset Macarius. Eduxit autem eum foras in oratorium, ubi altare positum erat, et amplectens osculatus est eum, et dixit ei: Vere vir beatus es, sancte Macari, et lætificasti nos. Olim enim ex multo tempore desiderabamus videre sanctitatem tuam; et gratias agimus Domino nostro Jesu Christo, quia in spiritualibus bonis, maximeque in virtutibus abstinentiæ erudisti nos et parvulos nostros non alta sapere in conversatione sua. Revertere ergo ad locum tuum, non enim parum ædificasti nos, beatissime Pater, et ora indesinenter pro nobis.

Quodam tempore visitationis atque ædificationis gratia perrexi ego ad eum, et inveni ante ostium atrii ejus jacentem quemdam presbyterum toto corpore ulceribus plenum, capitis autem ejus etiam ipsa ossa computruerunt, qui ideo advenerat, ut orationibus ejus sanitatem reciperet. Sed sanctus Macarius non suscipiebat eum: ego autem prostravi me in terram ad pedes ejus, et deprecabar ut susciperet eum. Respondensque vir beatus, dixit mihi: Indignus est ut sanitatem recipiat, sed magis increpa eum, et suade ei, ut non audeat accedere ad sacrosanctum altare Domini, et offerre sacrificium Domino, quia fornicando offert; propter hoc castigatur. Suade ergo ei ut resipiscat et condignam agat pœnitentiam, ut misericordiam a Domino mereatur accipere. Itaque ego egressus ad illum infirmum, dixi ei omnia. Et ille terribiliter conturbatus, intremuit, juravitque quia in exitum vitæ suæ non usurparet ad altare Domini accedere. Post hæc præcepit ut ingrederetur, suscepitque eum, et dixit ei: Credis quia Deus est quem nihil latet? Respondit: Etiam, domine. Dixit ei: Nunquid potuisti illudere aut latere Deum? Respondit: Non. Ait ergo: Si ergo cognoscis tanti criminis peccatum tuum, et Dei castigationem intelligis, pro qua causa tanti mali plaga in corpore tuo est, ideoque percussus es; cessa a malis tuis, et corrige de cætero, et confitere semper cum lacrymis pœnitentiæ, et intimo cordis dolore in conspectu Domini peccatum tuum, ut in die judicii possis aliquam misericordiam ac pietatem Domini invenire. Dedit ergo sacramentum se nunquam peccare, neque ad sacrosanctum altare accedere, nec oblationem consecrare; sed sicut laici sortem habere. Itaque post hæc imposuit ei manum, et oravit pro eo ad Dominum, et in paucis diebus sanus factus est, capillique capitis ejus creverunt, et abiit sanus.

Ipsis diebus oblatus est ei juvenis qui vexabatur ab immundo spiritu, et imposuit manum super caput ejus, et aliam super pectus ejus, et tandiu super eum oravit, usquequo in aera suspendit eum ille immundus spiritus: inflatus autem totus intumuit puer sicut uter, ita ut ex omnibus membris aquam funderet, et A subito clamans attenuatus est, ac redditus mensuræ suæ. Tradidit ergo eum patri suo sanum, ungens eum oleo sancto, præcepitque ut per quadraginta dies, neque carnem ederet, neque vinum sumeret, et ita sanus redditus est.

Referebat autem nobis idem sanctus vir Macarius, admonens ut caveamus, inquit, multiformes insidias dæmonum, quia quodam tempore nimis ei molestæ fuerunt cogitationes vanæ gloriæ, scilicet ut qualicunque modo ejicerent eum de cella ejus, et de secreta eremi conversatione, suggerentes ei, ut ædificationis gratia ad remedium et sanitates hominum Romam pergeret pro salute animarum multarum; inerat enim ei gratia Domini contra immundos spiritus. Et cum diutius insisterent ei hujusmodi cogitationes, B et nec oranti ei cessarent, jactavit se pronus in terram, et extendit pedes suos a foris limen ostii cellulæ suæ clamans et dicens: Trahite, dæmones, trahite, ego enim pedibus meis non vado; sed si potestis, me hinc abducite: ego quippe testor Deum quod hic jaceo ad vesperam. Sic ergo jacuit usque ad vesperam. Postmodum surrexit ad consuetum opus Domini.

Referebat autem nobis de quodam fratre Marco, monacho nimis abstinentissimo; sanctus enim Macarius presbyter erat. Dicebat autem: Quia notavi mihi tempora, quando traditur sacrosancta communio. Ego nunquam dedi communionem Marco monacho, sed angelus dabat ei de altari; solum autem articulum manuum dantis videbam. Marcus autem juvenis C erat, et Novum Vetusque 994 Testamentum sacræ Scripturæ memoriter observaverat. Mansuetus ultra modum, castus super omnes. Cum autem esset in ultima senectute sanctus Macarius, perrexi ad eum, et inveni ostium cellulæ ejus clausum. Stans autem ad ostium, auscultabam quid diceret, vel cum quo loqueretur; audiebam enim eum loquentem. Putavi autem quod aliquis cum ipso esset cum quo loqueretur. Ipse enim cum centesimum ageret annum siquidem jam et dentes amiserat. Igitur cum esset solus, sibi ipsi litigabat, et quasi corpori suo dicebat: Quid vis o tu qui male senuisti? ecce jam et oleum accepisti et vinum: de cætero quid vis jam, decrepite senum? semetipsum increpans etiam ut et diabolus confunderetur.

D Referebat nobis vir summæ sanctitatis Paphnutius discipulus ejus, quoniam quadam die leæna accipiens catulum suum cæcum, obtulit sancto Macario, et capite pulsans atrii ejus ostium aperuit, et ingressa sedente sancto viro projecit catulum ad pedes. Ipse autem accipiens eum, exspuit in oculos ejus, et oravit, statim aperti sunt oculi ejus, et aspexit. Et lactavit eum leæna, levavitque eum, et abiit. Altera die pellem ovinam grandem attulit ei leæna. Sanctus vero pellem videns, dicebat leænæ: Unde tibi hoc, nisi quia comedisti cujusdam ovem, forsitan et pauperis? Quod ergo de injustitia est non accipio a te. Illa vero inclinans caput suum in pavimento, de recabatur eum, et ad pedes sancti deposuit pel-

lem. Ipse vero dicebat ei : Dixi tibi quia non accipiam illam, nisi mihi promiseris ut nunquam amodo contristes pauperes, devorando quadrupedia eorum. Illa vero quasi consentiens nutu capitis sui, quasi promittebat : tunc suscepit pellem ab ea. Et quid mirabile est, fratres, si Dominus creator omnium, qui leones Danieli prophetæ mansuefecit, ipse etiam et Macario leænam fecit esse mansuetam?

Dicebat autem quia ex quo baptizatus est, non est locutus otiosum sermonem : sexagesimum habebat annum, ex quo erat baptizatus. Erat autem statura brevis, super labium tantummodo pilos habens et in summitate menti. Ex nimia enim abstinentia pili barbæ ejus rari nati sunt. Huic aliquando confessus sum : Quid faciam, abba, quia cogitationes acediæ tribulant me, dicentes : Quia nihil agis, egredere de hac solitudine? Ipse autem dixit mihi : Dic eis, Quia propter Christum hic sedeo, et parietes istos custodio. Hæc pauca ex multis ejus mirificis indicavi gestis.

CAPUT XI.

De beato Joanne abbate.

Dicebant sancti Patres de sancto Joanne, qui cognominabatur Colob [1], quia cum de messis opere reverteretur valde fatigatus, repræsentabat se sanctis senioribus, factaque cum eis oratione, statim pergebat ad cellam suam, et per multa tempora in silentio vacabat orationibus et lectionibus ac meditationi Scripturarum sanctarum, et opera manuum quotidie exercens, nullum ad se permittebat venire. Dicebat enim : Quoniam per occasionem in messis opere dispergitur, et pervagationem patitur mentis intentio, et ideo diversis cogitationibus obligatur. Addebat autem sibi magis abstinentiam, dicens : Quia propter laborem messis in diebus illis quotidie panem in saturitate edebam. Nunc autem quoniam in cella mea quiesco, oportet me abstinentiam et vigilias addere, ut compensetur et reparetur quod in illis diebus intermissum est.

Quidam ex fratribus interrogaverunt hunc ipsum beatum Joannem de causa abstinentiæ. Et respondit eis, dicens : Quia Daniel propheta dixit : Panem in concupiscentia non comedi (*Dan.* x). Dicebat etiam monendo fratres : Considerate, dilectissimi, quoniam nihil fortius est in bestiis leone, et tamen propter ventrem suum cadit in laqueum, et illa feralis et magna fortitudo ejus humiliatur. Tali etiam exemplo ipse beatus Joannes instruebat fratres, dicens : Si voluerit imperator aliquam adversariorum obtinere civitatem, prius escam eorum et potum interdicit, et ita necessitate contriti humiliantur, et imperio ejus subjiciuntur. Similiter quoque passiones ac vitia corporis nostri, si fame jejuniorum ac labore macerentur vigiliarum, tunc etiam adversariorum nostrorum, videlicet dæmonum, virtus humiliatur, quam per corporis nostri fortitudinem contra nos impie solent exercere.

[1] Deest Heraclidi.

CAPUT XII.

De Marciano famulo Christi.

Sed et de famulo Christi Marciano simile exemplum referemus [2]. Soror ejus cum filio suo abiit ad eum in monasterium, ut post multa tempora visitaret eum. Ipse autem sororem suam accipere non acquievit, nec videre; filium autem ejus suscepit. Qui intente deprecabantur eum et petebant ut susciperet tunicam et pallium quæ detulissent ei. Sed noluit penitus suscipere, dicens : Ab infantia mea usque in hanc horam Dominus meus me gubernavit, etiam usque in finem exitus mei ipse mihi præbebit omnia quæ necessaria sunt; non enim expedit hæc in carnalibus parentibus, expectare aut suscipere. Ille autem prostravit se ad pedes ejus, dicens : Non tanquam parenti, sed tanquam servo Dei et monacho hæc offerimus. Respondens autem beatus abbas Marcianus, dixit : Per quot monasteria venistis de itinere ad nos? Qui respondens, dixit ei : Plurima monasteria transivimus. Et quare, inquit, non dedistis ex his vestimentis eis, tanquam servis Dei et monachis? Ipse vero respondens, dixit : Quia nulli aliquid dedimus. Ait ergo ad eum beatus Marcianus : Ecce manifestum est, quia non servo Dei et monacho, sed tanquam parenti et propinquo vestro hæc ad me detulistis. Noluit ergo suscipere. Orationem autem pro eis intentissime faciens, pro salute animarum eorum Dominum deprecatus est, et dimisit eos. Præcepitque eis ut ulterius nunquam venirent ad eum.

CAPUT XIII.

De Virgine quadam solo nomine.

Non autem prætermittam narrare etiam et de his qui contemptibiliter conversantur, ad laudem scilicet eorum qui vitam emendant, et ad admonitionem legentium. Virgo quædam fuit in Alexandria (*Heraclid., cap.* 2), schemate quidem indumenti humilis, proposito autem mentis elata, dives in pecuniis nimis, nunquam autem procedens, et neque peregrino, aut virginibus, seu ecclesiæ vel pauperibus nummum aliquando porrexit. Hæc multis monitis Patrum non abjecit silvam divitiarum. Erat autem ei et genus non minimum, in quibus adoptavit sibi filiam germanæ suæ, cui nocte et die promittebat substantiam suam. A cœlesti enim desiderio mentem alienatam gerebat. Species enim et in hoc errore diaboli est, sub occasione amoris propriæ generationis in avaritia laborare. Quia **995** autem illi non pertinet propter genus, qui fratricidia et patricidia docet, manifestum est. Sed si videatur parentum sollicitudinem ingerere, non rectæ mentis motu hoc facit, sed ut animam injuste facientis in avaritiæ laqueo obliget, sciens sententiam quia injusti et avari regnum Dei non hæreditabunt (*I Cor.* vi). Potest autem quisquis prudenter et rationabiliter, nec suam contemnere animam, et parentibus suis maxime si dehabent (6) et egentiores sunt, consolationem præstare. Quando autem quis animam suam despicit conferendo suæ progeniei, subjicet legi, quia in vano de anima sua

[2] Deest Heraclidi, Theodoretus, Philoth., cap. 3,

cogitat. Cantat autem sanctus psalmista David de eis qui pro anima sua solliciti sunt in timore: Quis ascendet in montem Domini, id est, quia difficile, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam (*Psal.* XXIII). Isti autem in vano eam accipiunt, putantes eam cum corpore dissolvi, dum virtutes negligunt.

Hanc ergo virginem, ut ita dicam, volens flexam domare ad revelationem avaritiæ sanctissimus Macarius presbyter et præpositus pauperum leprosorum, composuit et invenit artem hujusmodi; fuerat enim a juventute sua cambiarius, quod dicunt gemmas distrahere; qui abiit et dixit ei: Lapides pretiosi smaragdi et hyacinthi incurrerunt mihi, et sive inventitii sint, sive furtivi dicere non possum; pretiosi autem sunt nimis, ita ut non possint æstimari quam præclari habeantur. Vendit autem qui habet eos quingentis solidis. Si placet tibi eos tollere, de uno lapide potes accipere quingentos solidos; alios autem in ornamento neptis tuæ præparabis. Virgo autem intentissime audiens delectata est, et cadens ad pedes ejus, dixit: Per sanctitatem tuam ne quis alius eos comparet. Invitavit ergo eam presbyter, dicens: Veni usque ad cellam meam, et vide eos. Quæ non acquievit, sed adorans eum, dedit quingentos solidos, dicens: Quomodo vis tolle eos, ego enim causam non habeo. Ipse autem accipiens erogavit pauperibus. Tempore autem transacto, eo quod magnæ opinionis ac reverentiæ erat vir in tota Alexandria amator Dei, et multum misericors (pervenerat enim usque ad centum annorum ejus senecta; cum quo etiam et nos commorati sumus), reverebatur eum commonere supradicta virgo.

Ad ultimum inveniens eum in ecclesia, dixit: Rogo te, domine, quid jubes propter lapides illos pro quibus dedimus quingentos solidos? Qui respondit, dicens ei: Ex tunc quo dedisti mihi aurum, tradidi illud in pretium gemmarum, et si vis venire et videre in hospitio ubi sunt, veni et vide; ibi enim jacent. Et si tibi placuerint, bene; sin vero, tolle quod tuum est, et vade. Quæ promptissime perrexit ad cellam ejus. Erat autem hospitium pauperum, in quo leprosi jacebant. In inferioribus quidem habebat mulieres, in superioribus vero viros. Adducens ergo eam, inducit eam in januam, et dicit ei: Quos vis videro prius, hyacinthos aut smaragdos? Dicit ei: Quos ipse vis, domine. Et ait: Ecce isti sunt hyacinthi. Iterum autem ipse deposuit eam in inferiora, et ostendens ei mulieres, dixit: Ecce smaragdi: si tibi placent, bene; sin autem, recipe quod tuum est. Itaque verecundiam passa, egressa est. Et abiens ex multa tristitia, quia non secundum Deum fecerat rem, infirmata est. Post hæc etiam gratias egit presbytero. Puella autem de qua sollicita erat, post nuptias sine filiis, defuncta est.

CAPUT XIV.

Vita et conversatio Moysi quondam latronis.

Quidam Moyses nomine (*Heraclid.*, *cap.* 7), Æthiops genere, servus cujusdam fuit curialis, quem propter multam perversitatem et furta et latrocinia projecit dominus ejus. Dicebatur enim quia usque ad homicidia pervenisset. Compellor enim dicere mala ejus, ut ostendam virtutem patientiæ ejus.

Dicebatur ergo quia dux latronum erat, sicut ex ipsis operibus ejus ostenditur in furtis et latrociniis. Denique cuidam pastori malitiam retinens, subito voluit in nocte irruere et interficere eum: perquisivit autem loca ubi caulas haberet ovium; indicatumque est ei, quia trans Nilum esset, irrigato flumine, et tenere in latum milliario. Ille mordicus tenens gladium in ore, tunicam imposuit super caput suum, et transnatavit fluvium. Dum ergo ille nataret, ita studuit pastor ille se occultare et latere. Nam ille utpote latro quatuor arietes occidit, et ligans eos, trahensque per flumen iterum renatavit. Et egressus de flumine excoriavit eos, et comedens optima quæque carnium, reliqua in vina distraxit, bibitque decem et octo calices. Statimque quinquaginta milliaria itinere sub die fecit, et pervenit ad locum ubi erant socii ejus. Iste ergo talis ac tantus in tantis malis conversatus est.

Quodam tempore a quodam viro religioso audiens verbum Dei [1], et in die judicii futuram examinationem inter justos et peccatores, inter criminosos et sanctos, ac etiam inter amaras gehennæ et ignis æterni pœnas, et cruciatus sine fine in tenebris exterioribus, quæ præparata sunt iniquis et peccatoribus; item audiens æternam gloriam, et æternos honores, et requiem in regno cœlorum inter angelos sanctos quæ præparavit Deus sanctis et justis, servientibus sibi; compunctus corde cœpit amarissime flere cum gemitu et ejulatu. Ingressusque monasterium, dedit se in pœnitentiam, et cruciabat semetipsum in multis lacrymis, indulgentiam et veniam peccatorum suorum de pietate et misericordia a Domino postulando, et ita permansit in monasterio.

Quodam tempore in cellulam ejus latrones ingressi sunt, ignorantes quis esset (*Heraclid.*, *cap.* 7). Erant autem quatuor: quos ligavit simul sicut zabernam (7) de paleis, et imposuit eos sibi in dorsum, et detulit eos ad ecclesiam fratrum, dicens: Quia jam mihi non expedit nocere aliquem, quod jubetis de istis disponite. Tunc illi latrones cognoverunt quod ipse esset Moyses qui fuerat sceleratissimus inter latrones, et compuncti sunt corde, glorificantes Deum, qui non repellit peccatores, sed suscipit pœnitentes, ut salventur in æterna salute. Et hæc dicentes, ut dixi, compuncti sunt corde, et dederunt se in pœnitentiam, abrenuntiantes omnibus malis actibus et concupiscentiis, carnalibusque desideriis.

Huic Moysi institerunt dæmones, secundum consue

[1] Deest Heraclidi.

tudinem ejus antiquam luxuriam fornicationis ingerentes ei. Qui tam valide tentatus est, sicut ipse referebat, ut paulominus de proposito excideret suo. Itaque ex hoc validius abstinebat, et vigilias amplius addebat sibi, et opera manuum propensius exercebat, tabefaciens corpus suum. Denique proposuit sibi se non dormire jacentem in mattula, sed per totam noctem stando in cella orabat, et psalmodiam explebat. Nam parietibus **996** se reclinans, parum quid somni capiebat. Iterum posuit sibi observantiam aliam. Egrediebatur noctibus, et ibat per cellas seniorum, et tollebat hydrias eorum, in quibus illi sibi hauriebant, et portabat illis aquam; in longinquo enim habebant aquam, et quidam duo milliaria, alii autem etiam et quinque millia. Quadam vero nocte non sufferens dæmon ferventem ejus fidei conversationem, inclinato eo in puteum dum hauriret aquam, percussit eum in renes de retro, et reliquit eum; denique de nimio dolore obmutuit, et remansit velut mortuus. Alia die veniens quidam haurire aquam, invenit eum jacentem, et nuntiavit beato Isidoro presbytero Scythii, qui misit; et levaverunt eum, et detulerunt ad ecclesiam, et prope per annum ita infirmatus est, ut vix resumeret vires suas. Dixit autem ei Isidorus presbyter: Quiesce, Moyses, et noli indiscrete præsumere, sed magis cum discretione tam abstinentiam quam vigilias et opera manuum exerce. Respondens autem Moyses ait: Non quiescam, beatissime Pater, usquequo quiescant, adjuvante me gratia Domini, immundissimæ cogitationes et somnia, quæ immittunt nequissimi dæmones, sicut scriptum est: Persequar inimicos meos, comprehendam illos, et non convertar, nec quiescam donec deficiant (*Psal.* XVII). Videns autem beatissimus Isidorus fixam in Domino fidei ejus constantiam, surrexit et expandit manus ad orationem, dixitque ei: In nomine Domini nostri Jesu Christi, donante gratia ejus, ex hodierna die jam quieverunt somnia quæ inquietare te solebant. Igitur glorificans et gratias agens Salvatori Domino, reversus est ad cellulam suam. Post aliquod autem temporis interrogavit eum Isidorus presbyter de molestia cogitationum carnalium. Et ille respondens dixit: Protegente me Christo Domino, et orationibus tuis, nihil tale patior. Huic ergo Deus donavit gratiam, ad effugandos ex obsessis corporibus dæmones, ita ut muscas non magis timeamus quam ille dæmones. Hæc conversatio Moysi Æthiopis, qui etiam ipse erat inter magnos annumeratus Patres. Defunctus est autem annorum septuaginta quinque. Reliquit vero discipulos, monachos septuaginta.

CAPUT XV.

Vita Evagrii.

Beati Evagrii [1] vere Deo digni diaconi, et eruditissimi in divina scientia viri (*Heracl.*, *cap.* 25), non est justum silere vitam, sed oportet hanc scripturæ mandare ad utilitatem legentium, et gloriam Salvatoris nostri Jesu Christi. Quam etiam paulo latius A exponere debemus, quomodo conversationem suam, auxiliante gratia Christi, dignam Deo exhibuit. Defunctus est autem cum esset in solitudine annorum quinquaginta quatuor. Hic ergo lector ordinatus est a sancto Basilio episcopo. Vidensque irreprehensibilem ejus conversationem beatissimus et admodum clarus in doctrina Christi Gregorius Nazianzenus episcopus, provexit eum ad diaconatus officium. Exinde in magna synodo Constantinopolitana conjunctus est beato Nectario, ejusdem civitatis episcopo. Cum esset ergo instructissimus in divinis Scripturis, contra omnes hæreses florebat, in magna civitate, etiam eloquio potentissimo, ut ex hoc nimis ab omni civitate cum honore et dilectione haberetur. Unde fascinatio nugacitatis diabolicæ, quæ insectatur ob- B scurare bona, immisit in corde ejus cogitationes desiderii carnalis concupiscentiæ muliebris. Denique, sicut postmodum nobis ipse referebat, adamavit eum mulier, quæ erat magnifici cujusdam de primatibus palatii viri uxor. Evagrius autem timens Deum, et verens propriam conscientiam, ac præ oculis ponens magnitudinem confusionis, maximeque in gaudentes hæreticos, orabat Dominum, deprecans Salvatorem Christum, ut impediretur tam rabida mulieris contra se instantia. Nam ipse quidem volebat recedere, sed non valebat, colligationibus obsequiorum ejus detentus. Postquam autem multis precibus exoravit Dominum ut liberaret eum a peccato maximo, quod opere pene perpetrabatur, affuit ei angelica visitatio in schemate præfectiani (8), et rapiens eum perduxit ad C prætorium præfecti, et misit eum in custodiam carceris, ferreisque catenis cervicem et manus ejus colligavit. Sed pro qua causa hoc pateretur, non dicebat ei.

Ipse autem in conscientia sua noverat qua de causa hæc sustineret. Arbitrabatur enim quod vir illius matronæ interpellasset accusans eum. Cum autem vehementer angeretur, audiebat enim strepitum et voces aliorum qui diversis suppliciis torquebantur apud judicem pro criminalibus causis, et ideo permanebat valde territus, et contremiscens. Cum autem transfigurasset se angelus qui visionem concinnaverat, quasi in figuram ejus amici qui valde diligebat eum, dixit ei cum teneretur in vinculis inter quadraginta reorum personas: Quid hic teneris, domine diacone? Respondit Evagrius, dicens: In veritate tibi dico, D non novi quapropter hic teneor; suspicio autem mihi est, quia vir ille magnificus ex præfectis interpellavit contra me judicem, irrationabili zelo percussus, et timeo ne forte pecuniis judex corruptus, tormentis me subjiciat. Respondens, dixit ei: Si audis me amicum tuum, non expedit tibi in civitate hac conversari. Respondens autem Evagrius, dixit ei: Si Deus liberaverit me de angustia, et circumventione hac, et videris me in Constantinopoli, scito quia juste sustineo pœnas. Ait ei: Affer Evangelium, et jura mihi in Evangelio, quia recedes de civitate hac, et sollicitus eris de salute animæ tuæ, et liberabo te de hac necessitate.

Detulit ergo Evangelium, et juravit, dicens: Quia

[1] Evagrius Origenista fuit.

una solum die ut vestimenta mea possim in navim mittere, remoror. Et sacramento dato, rediit de excessu quem perpessus in nocte fuerat. Et exsurgens cogitavit apud se, quia licet in excessu fuit sacramentum, sed tamen juravi. Et mittens omnia quæ habebat in navim, venit Jerosolymam. Suscepit autem eum beata Melania, quondam senatrix Romana, cujus filii et nepotes sunt primi in senatu, nunc autem famula Christi vera.

Iterum autem diabolus induravit cor ejus tanquam juvenis. Cœpit etiam ibi mutare vestes ejus, et in eloquio sermonis exaltabatur in gloria vana. Deus autem qui propter suam magnam misericordiam impedit occasiones perditionis nostræ, permisit ut nimietas febrium tabefaceret corpus ejus, et infirmitate longa laceraretur per sex menses.

Adhibentes enim ei medici diversa medicamina, nihil proficiebant. Tunc dixit ei sancta Melania : Non mihi placet, fili, tam longa infirmitas tua : dic ergo mihi quæ sunt in corde tuo, non enim est absque permissu Dei hæc infirmitas tua. **997** Et statim confessus est omnia quæ in animo ejus erant. Ait ei famula Dei : Promitte nunc coram Deo quia teneas promissionem solitariæ vitæ quam Domino spopondisti, et licet peccatrix deprecor Dominum ut detur tibi tempus vitæ, quatenus adimplere possis quæ pro salute animæ tuæ statuisti. Ipse vero acquievit salutaribus monitis ejus, et in paucis diebus sanus factus, petiit et deprecatus est ut famula Dei pro se oraret. Ipsa enim vestimenta monachilis propositi induerat. Egressus autem, profectus est in montem Nitriæ qui est in Ægypto, in quo habitavit duos annos. Tertio autem anno ingressus est solitudinem, et ibi conversatus est quatuordecim annis in his quæ dicuntur Cellia. Comedebat autem libram panis in die, et in tres menses Italicum olei (9), nam nihil coctum sumebat in cibum, nec aliquid de pomis gustabat, vir certe ex multa opulentia et abundantia deliciarum veniens. Faciebat autem in die orationes centum, exceptis vigiliis nocturnis. Scribebat vero ut de opere manuum suarum sumeret cibum; pulchre enim scribebat libralem manum (10). Intra paucos ergo annos lumen scientiæ, et veritatis, et divinæ scientiæ, et discretionis spirituum gratiam a Domino Christo percipere meruit. Quantos autem libros et expositiones de divinis Scripturis conscripsit, manifestum est omnibus, et maxime his qui præclara ejus opuscula admirantes, ad fidem Domini Salvatoris relicto errore conversi sunt. Nam et ad instructionem sanctæ monachorum conversationis multa ex divinis Scripturis, et nimis apta testimonia contra vitia et impugnationes immundorum dæmonum, continens ejus valde admirabilis et salutaris doctrina est.

Hunc aliquando graviter impugnabat fornicationis dæmon, sicut ipse referebat nobis, et per totam noctem tempore hiemis nudus stetit sub aere, ita ut congelarent omnes carnes ejus.

Alio iterum tempore impugnabat eum spiritus blasphemiæ, et per quadraginta dies ac noctes non A intravit sub tectum, ita ut corpus ejus sicut irrationalis animalis rhinocerotis duceret (11).

Huic quodam tempore dæmones tres in die supervenerunt, de verbo fidei conquirentes. Et unus quidem dicebat se Arianum esse, alius Eunomianum, alter vero Apollinaristam. Et istos per divinæ Sapientiæ gratiam, dum de testimoniis sanctarum Scripturarum concluderet, illi subito conturbati, et magnum strepitum facientes, phantasma schematis eorum dissolutum est, et nusquam comparuerunt. Frequenter autem a dæmonibus flagellatus est; sed divina gratia eum adjuvante, superabat malignitatem eorum.

Sextodecimo vero anno conversationis ejus, in quibus nihil coctum in cibo accipiebat necessitate B corporis, propter infirmitatem stomachi coctum cibum accipere compulsus est. Panem quidem jam non contigit. Olera vero et ptisanas, ac legumen usque ad duos annos accipiens, ita defunctus est, communicans sacrosancta mysteria in ecclesia, in die Epiphaniæ Domini.

Referebant autem nobis qui circa eum erant, et observabant eum, quia ante unum diem mortis suæ dixit : quia jam tertius annus est, ex quo non molestor a carnali concupiscentia : certe post tantam et talem vitam, et aridam abstinentiam, et labores, ac dolores, et orationes sine intermissione. Huic in monasterio degenti nuntiata est mors patris sui ; qui dixit nuntianti sibi : Cessa blasphemare, meus enim pater immortalis est.

C
CAPUT XVI.

De Cronii presbyteri vita, et de Eulogii longanimitate.

Cronius presbyter ecclesiæ Nitriæ (*Heraclid.*, *cap.* 9), retulit mihi dicens : Quia dum juvenis essem in monasterio nimiam patiebar acediam. Unde fugiens cœpi vagus per eremum ambulare, et perveni usque ad montem ubi sanctus Antonius degebat, id est, inter medium Babyloniæ et Heracliæ in vastissima solitudine, quæ ducit ad mare Rubrum. Veniens ergo in monasterium secus flumen, quod dicitur Pisper (12), ubi ejus sedebant discipuli Amatus et Macarius, qui et sepelierunt eum, exspectavi dies quinque, ut viderem sanctum Antonium. Dicebant enim eum venturum ad illud monasterium, aliquando D quidem post decem dies, aliquando autem post viginti dies, quemadmodum ei Dominus revelasset pro utilitate advenientium in monasterium.

Quam plurimi ergo eramus congregati fratres, diversas habentes necessitates, in quibus et Eulogius quidam Alexandrinus, et alius leprosus, qui simul aderant pro tali causa (*Pasch.*, *c.* 19, *num.* 3). Hic Eulogius scholasticus erat, et eruditus vir ; qui amore divino compunctus, abrenuntiavit turbis urbium, omnemque substantiam suam distraxit et erogavit pauperibus, sicut scriptum est : Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi (*Psal.* CXI) ; et in Evangelio dicente Domino : Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur (*Matth.* V). Itaque

paucos denarios in usus proprios reservavit, cogitans apud semetipsum: Quia operari propriis manibus non valeo, nec in monasterii congregationem ingredi possum. Invenit ergo quemdam in platea jacentem leprosum, qui nec manus habebat nec pedes, cujus tantummodo lingua vigebat. Stans autem Eulogius prope eum oravit Dominum, et posuit quasi pactum cum Domino, dicens: Domine, in nomine tuo levabo hunc leprosum in domum meam, et ministrabo ei, et repausabo eum usque ad mortem, ut propter hunc et ego inveniam misericordiam tuam. Dona ergo mihi, Christe Domine, patientiam ad hujus obsequium. Et accedens ad leprosum, dixit ei: Si vis, Pater, suscipio te in domum meam, et repausabo te. At ille respondens dixit: Si digneris facere, gratias ago. Adduxit ergo asinum, et levavit eum, et duxit in domum suam, et adhibebat ei curam diligenter.

Ita per annos quindecim gubernabatur, et accipiebat curam de manibus Eulogii, et condigne nutriebatur. Post quindecim autem annos insidiatus est ei diabolus, et clamare cœpit contra Eulogium, multisque injuriis et detractionibus afficere virum. Dicebat enim ei: Multa mala commisisti, fugitive forsitan domini tui; alienas pecunias furatus es, et per me vis a peccatis tuis liberari. Et clamabat: Jacta me in plateam ubi ante jacebam, carnes desidero manducare. Hoc cum audisset Eulogius, obtulit ei carnes in cibum. Iterum ille clamabat: Non acquiesco, sed, ut dixi, jacta me in plateam, populos volo videre, jacta me ubi me invenisti. Forsitan si manus habuisset, exsuffocare se potuit, in tantum eum dæmon exagitabat.

998 Ideoque valde sollicitus Eulogius, perrexit ad monasteria virorum Dei, et dixit eis: Quid faciam, domini mei Patres, quia in desperationem me inducit leprosus iste? Projicere eum timeo, quia Deo dextras dedi, et promisi usque ad mortem tenere et repausare eum. Si ergo non projecero eum, sed per violentiam tenere voluero, pessimos dies et amarissimas noctes faciet mihi. Ad hæc illi dixerunt ei: Dum adhuc in corpore est magnus ac beatissimus famulus Dei Pater Antonius, ascende in navim pariter cum illo leproso, et vade in monasterium ubi monachi ejus sunt, et exspecta ibi usquequo dum egrediatur de spelunca et veniat ad monasterium, et quidquid dixerit tibi, hoc observa, et acquiesce ejus sententiæ. Deus enim tibi per ipsum dicet. Misit ergo leprosum illum in navim, ipseque pariter ascendit. Et navigantes venerunt ad monasterium discipulorum beati Antonii. Evenit autem in alia die, ut veniret pater Antonius, jam vespera peracta, sicut referebat Cronius. Quando autem adveniebat in monasterium, hanc habebat consuetudinem: vocabat Macarium, et interrogabat eum, dicens: Frater Macari, venerunt aliqui fratres huc? Respondebat: Etiam, venerunt. Iterum interrogabat: Ægyptii sunt an Jerosolymitæ? dederat enim eis signum, dicens: Quando videritis inquietiores, dicite: Quia Ægyptii sunt; quando autem religiosiores, dicite: Quia Jerosolymitæ sunt.

A Interrogavit autem secundum consuetudinem: Fratres Ægyptii sunt an Jerosolymitæ? Respondit Macarius et dixit: Quia misti sunt. Quando autem dicebat: Quia Ægyptii sunt, jubebat beatus Antonius ut pulmentum lenticulæ apponerent eis cibum, et quando refecissent, faciebat eis orationem, et dimittebat eos. Quando autem dicebat: Quia Jersolymitæ sunt, sedebat per totam noctem, disputans cum eis de verbis Dei quæ ad salutem animæ pertinent. In illa ergo vespera sedebat, et vocabat omnes fratres. Qui cum advenissent, subito vocavit Eulogium tertio, cum nullus indicasset ei nomen ejus. Eulogius autem non respondebat ei; arbitrabatur enim quod alium Eulogium ex monasterio vocaret. Tunc dicit ei: Tibi dico, Eulogi, qui ab Alexandria venisti.
B Respondit Eulogius et dixit: Quid jubes, domine? Interrogavit eum Antonius: Quid huc venisti? Ait Eulogius: Et quis revelavit tibi nomen meum, causamque manifestavit? Dixit ei Antonius: Scio propter quid venisti, sed coram omnibus edicito, ut et ipsi audiant. Eulogius dixit: Hunc leprosum inveni jacentem in platea, et levavi eum, et promisi Deo ut eum repausarem quatenus et ego salvus efficiar, et ipse per meum obsequium repausationem habeat. Et quia post tot annos recedere vult a me, et nimis exacerbat me, dum festinat recedere, et cogitavi projicere eum, ideo ad sanctitatem tuam veni, ut mihi des consilium quid agere debeam, et ores pro me; nimis enim sollicitus sum, et tribulor pro ista causa. Tunc austero vultu respiciens eum Antonius, dixit: Tu
C projicis eum? sed qui fecit eum, non projicit eum. Jactas eum tu? sed suscitabit Deus meliorem te, et consolabitur eum. Et silens Eulogius pavefactus est. Item beatus Antonius cœpit asperioribus verbis increpare leprosum illum, et clamans dicebat ei: Leprose inveterate dierum malorum, indigne cœli et terræ, non quiesces blasphemare Deum? Ignoras quia Christus est qui ministrat tibi? Quomodo audes adversus Christum talia proloqui? Nunquid non propter Christum semetipsum servum se exhibuit Eulogius ad tuum ministerium? Increpans ergo et hunc reliquit.

Post hæc coram omnibus dixit eis quæ expediebant saluti animæ eorum, admonens Eulogium et leprosum, ut non separarentur ab alterutro: Sed in
D cellam vestram, inquit, pergite; incontinenter enim vos visitat Deus; et tentatio hæc evenit quia uterque circa finem estis, et coronæ vobis præparantur, ne veniens angelus non inveniat vos in eodem loci proposito, et perdatis tanti temporis mercedem boni operis. His auditis, cum festinatione reversi sunt ad propriam cellam. Et post quadraginta dies defunctus est Eulogius, et post tres dies similiter requievit leprosus. Post aliquot vero dies Cronius de Thebaida descendit in monasterium Alexandriæ, et invenit quosdam fratres diem tertium leprosi celebrare, quosdam autem quadragesimum Eulogii. Agnovit ergo Cronius et obstupuit, et accipiens Evangelium proposuit fraternitati, et juravit referens eis, quo-

modo omnia quæ evenerunt Eulogio et leproso, prædixit beatus Antonius.

Etiam hoc referebat nobis Cronius (*Pasch.*, *c.* 19 *num.* 4; *Vita Antonii*, *c.* 58): Quia in nocte illa dum verbo Dei prolixius nos doceret sanctus Pater Antonius, et hoc intulit, dicens: Quia annum integrum oravi ut revelare mihi dignaretur per gratiam suam Dominus locum justorum et peccatorum. Et vidi excelsum quemdam gigantem usque ad nubes pertingentem, manus extentas habentem, et subter eum stagnum velut mare, et ignis flammabat, fervebatque velut caldaria, et videbam animas velut in specie avium volantes, et quantæcunque quidem supervolabant manus ejus et caput, salvabantur, et usque ad cœlum perveniebant; quantæ autem usque ad manus ejus pervenissent, non valentes superius volare, percutiebat eas manibus suis, et allidebat, cadebantque in stagnum fervens. Audivi quoque vocem dicentem mihi has esse animas peccatorum; nam illas quæ gigantem illum supervolant, ipsas esse animas justorum, quas pondus peccati non gravat, et ideo possunt ad altiora conscendere, quæ in paradiso Dei salvantur; aliæ autem sunt peccatorum, quæ ideo in infernum demerguntur, quia non egerunt pœnitentiam dum in corpore erant, ut indulgentiam peccatorum vel criminum suorum a Christi Domini pietate mererentur accipere, nunc autem traduntur ad infernorum tenebras, ubi est fletus et stridor dentium præ nimietate pœnarum æternarum.

CAPUT XVII.

Vita et sufferentia beati Stephani.

Stephanus quidam Libycus genere, ex latere Marmaritis et Mareotæ sedebat usque sexaginta annos (*Heracl. cap.* 12). Hic summæ continentiæ fuit; nam et discretionis gratiam et consolationis accepit a Domino, ita ut omnes tribulati, pro qualibet causa tristitiæ affecti venissent, læti discederent per verbum consolationis ejus. Notus autem erat et beato Antonio. Pervenit vero etiam ad tempora nostra, quem ego quidem non vidi propter longinquitatem locorum.

Qui autem cum sancto Ammonio et Eulogio [*Heracl.*, Evagrio] erant videntes eum, retulerunt nobis, quia invenimus **999** eum, inquiunt, infirmitatem hujusmodi habentem in ipsis locis in testiculis, et in summitate naturæ vulnus habentem, quod dicitur cancer seu carcinus. Hic ergo cum incideretur in vulnere illo a medico, tamen manibus suis operabatur et plectebat palmas, et loquebatur nobis. Reliquo autem corpore ita erat immobilis quasi si alius incideretur.

Abscissis ergo membris, quasi si pilus ei abscideretur ita non sentiebat. Validissimam enim habebat per gratiam Dei sufferentiam. Nobis autem contristatis et flentibus dixit: Filioli, in nullo lædamini de causa ista. Nihil enim quod permittit Deus fieri malum est; sed voluntate benigna perferendum est; fortasse enim et obnoxia erant membra ista tormentis, satisque melius est hic persolvere pœnas quam post exitum vitæ hujus, in æterno igne cruciari. Ita A ergo nos consolatus est, et confirmans in fide ac patientia, ædificavit nos. Hæc autem narravimus, ut non conturbemur quando sanctos aliquos videmus gravissimis corporis infirmitatibus laborare.

CAPUT XVIII.

Vita et zelus pro castitate sancti Innocentii.

Beatus Innocentius presbyter in monte Oliveti fuit (*Heracl.*, *cap.* 31). Multa autem audivi ab his qui conversati sunt cum eo tribus annis. Iste simplex supra modum erat, nam et in palatio clarus in militia fuit. Verumtamen in initio imperii Constantini [*Heracl.*, Constantii] abrenuntiavit sæculo cum uxore sua. Hic habebat filium nomine Paulum domesticum militantem, qui instinctu diaboli peccavit cum filia presbyteri. Quod cum audisset pater ejus B Innocentius, oravit Dominum, dicens: Domine Deus amator castitatis, da ei talem correptionis spiritum, ut jam non inveniat tempus peccandi in carne sua: melius existimans ut magis dæmonio vexaretur quam luxuria. Quod et factum est. Nam usque nunc in monte Oliveti ferro vinctus tenetur, quia vexatur ab immundo spiritu crudeliter.

Iste Innocentius, qualis et quantum fuit misericors, si voluero quæ vera sunt de eo dicere, fortasse mendacii opinionem incurro. Nam frequenter furabatur de expensis fratrum, et dabat indigentibus. Cum autem esset simplicissimus, accepit a Domino Christo gratiam contra dæmones. Inter quos aliquando adductus est ei juvenis, videntibus nobis, a spiritu immundo comprehensus, simul et paralysi laborans. C Quem ego intuens, volui matrem ejus repellere, quæ adduxerat eum; desperabam enim posse sanari eum. Cum autem vidisset eam senior stantem et flentem super inenarrabili casu filii sui, cum esset benignissimus, misericordia motus flevit. Et accipiens juvenem, ingressus est oratorium suum, quod sibi ipse ædificaverat, in quo reliquiæ erant beati Joannis Baptistæ, et oravit super eum ab hora tertia usque ad horam nonam, et donante gratia Christi, sanum reddidit juvenem matri suæ, et paralysis ejus et dæmon virtute Salvatoris nostri effugata sunt. Talis autem erat ejus paralysis, ut quando spuere voluisset puer, super dorsum suum spueret, ita erat extortus.

CAPUT XIX.

D *Eustathii lectoris sufferentia.*

Presbyteri cujusdam filia in Cæsarea Palæstinæ cecidit infeliciter de virginitatis proposito (*Heracl.*, *c.* 57), et ab eo qui eam corruperat præmonita est ut lectorem incriminaretur. Cum autem concepisset, et utero tumente apparuisset crimen, cœpit pater ejus requirere et discutere eam. Illa autem statim accusavit lectorem. Hæc audiens pater ejus presbyter, retulit episcopo; episcopus vero congregavit presbyteros, et jussit vocari lectorem.

Interrogatus ab episcopo lector, non confitebatur. Quod enim non fecerat, quomodo dicere? Indignatus ergo episcopus, cum terrore dicebat ei: Non confiteris, infelix et immunditiis plene? Respondens le-

ctor dixit: Ego quidem quod erat verum dixi, quia non habeo causam; immunis enim sum. Si autem jubes quod non est audiri, ecce dico, Quia feci. Hoc cum dixisset, statim deposuit eum episcopus de gradu lectoris.

Ille autem deprecatus est episcopum, et dixit ei: Quia ergo peccavi, jube eam mihi dari uxorem. Neque enim ego ero ex hoc clericus, neque illa virgo. Et tradita est in potestatem lectoris.

Accipiens ergo eam ab episcopo et a patre ejus, commendavit eam in monasterium mulierum, et deprecatus est diaconissam, quæ erat præposita sororibus monasterii, ut usquequo generaret sufferret eam. Itaque in pauco tempore impleti sunt dies partus, et affuit hora judicii: gemitus, dolores, anxietates, ac infernales tormentorum dolores; et partus non egrediebatur. Transiit prima dies, secunda, et tertia, et septima dies, mulier præ nimiis doloribus inferno appropinquabat. Non comedit, nec bibit, nec dormivit, sed exclamabat, dicens: Heu mihi infelicissimæ, periclitor quam maxime, quia incriminata sum lectorem. Abeuntes autem, dixerunt patri ejus: Pater vero timens ne reprehenderetur, quasi qui calumniatus lectorem fuisset, tacuit alios duos dies.

Puella autem in tormentis posita, nec pariebat, nec moriebatur, intantum ut, clamorem ejus non ferentes, nuntiarent episcopo, dicentes: Testatur cum sacramento infelix illa, clamans diebus ac noctibus, quia criminata est lectorem. Tunc misit episcopus ad eum diaconum, et mandavit ei, dicens: Ora ut liberetur quæ te criminata est. Ipse autem nec respondit ei, nec ostium aperuit. Ex qua die autem ingressus clauserat se, deprecabatur Christi Domini misericordiam. Pergit iterum pater ejus ad episcopum, et fit oratio in ecclesia, et nec sic liberata est.

Surgens autem episcopus, ivit ad lectorem, et pulsans ostium, ingreditur ad eum, et dicit ei: Eustathi, surge, solve quod ligasti. Et cum inclinasset genua lector cum episcopo, statim enixa est mulier. Prævaluit autem deprecatio et instantia orationis ad demonstrandam calumniam, et arguendam criminatricem, ut ex hoc discamus quantum prævalet instantia orationum de periculis liberare, et cognoscamus apud Deum earum potentiam.

CAPUT XX.

1. Solebat beatus abbas Pastor [1] exponere fratribus de Scripturis prophetarum, ubi dicitur: Quia nisi Nabuzardan princeps cocorum Nabuchodonosor regis venisset in Jerusalem, utique non fuisset incensum templum Domini. Hanc autem parabolam ex hoc exemplo ita exponebat spiritualiter, dicens: Quia et nos cum pulsaverit spiritus gastrimargiæ, id est, gulæ concupiscentia, in aliquas delectationes ac saturitatem ventris, si qui obaudientes atque explentes voluptates ac desideria gulæ, tunc inceditur igne libidinis **1000** templum Domini, id est, corpora A nostra, sicut dicit Apostolus: Nescitis quia corpora vestra templum Dei sunt? Si quis ergo violaverit templum Dei, disperdet illum Dominus (*I Cor.* III).

2. Quidam frater veniens ad abbatem Pastorem, dixit ei quod grandem tentationem pateretur. Dixit ei senior: Perge de loco quantum tres dies et noctes ambulare potes, et fac annum integrum, jejunans usque ad noctem. Cui frater respondit: Et si mortuus fuero antequam annus transeat, quid de me fiet? Dixit ei abbas Pastor: Confido in Deo, quia si cum tali proposito, vel qualicunque pœnitentia inventus fueris, salvus eris.

3. Cum venisset abbas Pastor in partibus Ægypti habitare, evenit quemdam cohabitare illi ex fratribus, habentem mulierem. Et sciebat senior, et nunB quam arguebat eum. Evenit autem eam nocte parere; et cognovit senior; et vocans fratrem suum juniorem, dicit illi: Accipe tecum unum vasculum chindii vini (13), et da vicino; hodie enim opus est illi. Et nesciebant fratres causam ejus. Ille vero fecit sicut præcepit ei senior. Ædificatusque est frater ille atque compunctus. Post paucos enim dies ipse dimisit mulierem, et ivit ad seniorem, et pœnituit.

4. Frater interrogavit abbatem Pastorem, dicens: Damnum patior animæ meæ, quod sum cum abbate meo, quia mores ejus non sustineo; quid ergo jubes? maneo adhuc apud eum? Et sciebat abbas Pastor, quia læderetur anima ejus per abbatem suum, et admirabatur quare interrogaret eum si cum eo manere deberet. Dixit ei: Si vis, esto. Et vadens, C mansit apud eum. Venit iterum, dicens abbati Pastori: Gravo animam meam. Et non dixit ei abbas Pastor: Discede ab eo. Venit et tertio, dicens: Crede mihi, jam non ero cum eo. Et dixit ei senior: Ecce modo salvus es, vade, et non sis ultra cum eo. Dixit autem senior eidem: Homo qui timet pati damnum animæ suæ, non opus habet interrogare; de occultis vero cogitationibus debet quis interrogare, et seniorum est probare. De manifestis autem peccatis non est opus requirere, sed statim abscidere. Interrogavit autem eum frater, dicens: Quomodo debeo esse in cœnobio? Respondit illi senior: Qui sedet in cœnobio, oportet eum omnes tanquam unum existimare, et omnes æqualiter justificare, et neminem condemnare nisi se, et conservare os suum D et oculos, et tunc requiescet sine sollicitudine. Dixit ei abbas Isaac, quando vidit illum mittentem parum aquæ super pedes suos: Quomodo quidam usi sunt discretione, macerantes corpus suum? Respondit illi abbas Pastor: Nos non sumus docti corporum esse interfectores, sed passionum.

5. Interrogavit frater eumdem abbatem Pastorem, dicens: Si cecidero in modicam culpam, mordet me cogitatus meus, dicens: Cur delinquis? Respondit illi abbas Pastor: In quacunque hora deliquerit homo, et dixerit, Peccavi, statim remissum est illi. Frequenter dixi quia nullius miseretur, nisi corde

[1] Deest Heraclidi. Sequentia habentur fere supra in aliis libris inter Verba Seniorum; Ruff. l. III n. 52; Pelag., libell. IV, n. 29.

contrito. Interrogavit eum iterum frater, dicens : Conturbant me cogitationes meæ, et non permittunt me curam habere delictorum meorum, sed cogunt me aspicere excessus fratris mei. Respondit ei abbas Pastor de abbate Theodoro, quia sedebat in cella sua plangens semetipsum, et discipulus ejus in altera cella sedebat. Venit autem discipulus senis ad eum, et invenit eum flentem, et dicit illi Pater. Quid ploras? Respondit illi senior : Peccata mea. Dicit illi discipulus : Non habes peccata, Pater. Respondit ei senior : Certe, fili, si permissum fuerit flere peccata mea, non viderem aliorum ; nec tamen sufficeret mihi flere peccata mea, etiam si alii tres vel quatuor plangerent mecum. Qui semetipsum videt, homo est; judicare autem alios, solius Dei est. Derelinquimus splendidam et directam viam, hoc est, ut plangat seipsum homo, et sit contentus peccatis suis : et spinosam ambulamus viam et tenebrosam, ut proximi tantum videamus delicta et non nostra. Monachus malorum retributor, et derisor, et iracundus, monachus non est.

6. Senem frater interrogavit, dicens : Quare laborantium Patrum quorumdam facies florent, aliorum minus? Et dixit : Quicunque laborant, et deprecantur veniam peccatorum, antequam veniat ad eos gratia quæ sustinet laborem eorum, isti non virentes sunt, sed laborantes. In quibus autem appropiavit qui ante laboraverunt, per sufferentiam Jesu florent. Corde enim lætante floret facies. Mens clara et munda est lucida sicut sol. Cum enim non fuerint nebulæ, splendet clare et lucide; et cum nebulæ operuerint eum, tenebrescit. Et anima donec, passiones eam obtinent, obscuratur ; cum autem munda fuerit per gratiam Dei, ita fiet sicut scriptum est : Magna gloria ejus in salutari tuo (*Psal.* xx).

7. Ad beatum Apollonem cum germanus suus intempesta nocte venisset, petens ut de monasterio suo paulisper egressus ad elevandum bovem, qui in paludis cœno cecidisset, ei præberet auxilium, flebiliter querebatur, quia eum solus non posset eruere. Cui abbas Apollo instanter obsecranti ait : Cur juniorem fratrem nostrum, quem præteriens viciniorem quam me habuisti, non rogasti? Cumque ille mortem olim sepulti fratris oblitum ex nimia abstinentia, sollicitudinis ac solitudinis jugitate velut impotem mentis existimans respondisset : Quemadmodum poteram eum de sepulcro, qui ante annos quindecim obiit, vocare? abbas Apollo respondit ei, dicens : Ignoras me quoque ante annos viginti huic mundo fuisse defunctum? nullaque jam posse de hujus cellulæ sepulcro, quæ ad præsentis vitæ pertinent statum, ubique conferre solatia, quem intantum Christus ab intentione abrenuntiationis mundi abreptum, vel modicum ad extrahendum bovem tuum non patitur relaxari, ut ne brevissimum quidem momenti inducias sequenti se discipulo pro patris in dulserit sepultura?

8. Abbati Ammona prophetavit abbas Antonius, dicens : Habes proficere in timore Dei. Et eduxit eum de cella ad lapidem, et dixit ei : Injuria hunc lapidem, cæde eum. Et ita fecit. Et dixit abbas Antonius : Ita et tu debes perficere mensuram hanc. Et cum factus esset episcopus, obtulerunt ei virginem in utero habentem, et dicunt ei : Homo iste malum hoc operatus est, da ei disciplinam. Qui signans uterum ejus, jussit illi dari sex pares sindones, dicens : Ne forte eum veniat ejus partus, moriatur aut ista, aut certe infans, ut inveniat vel sepulturam. Dicunt illi accusatores : Quid hoc fecisti? Da ei disciplinam. Respondit episcopus : Videtis, fratres, quia prope mortem est, et quid ego habeo facere? Sufficit dolor quem habet, et confusio; dimisitque eam, **1001** et non est ausus eam condemnare.

9. Dixit quidam senex ad alterum senem habentem charitatem, et suscipientem tam monachos multos, quam et sæculares : Lucerna multis lucet, rostrum tamen proprium incendit (*Pasch.*, *c.* 1, *n.* 2).

10. Quidam senex dixit : Si audieris de aliquo fratre verbum malum, vel quod agat iniqua, responde, dicens : Nunquid ego judex ejus sum? ipse hodie, ego cras. Opera quidem ejus infirma tibi nota sunt, et perscrutaris ea ; quare fortia ejus opera et utilia nescis? Ego jam mortuus sum in peccatis meis, sufficiunt mihi peccata mea.

11. Iterum dixit quidam senex ad fratrem : Non oportet, fili, monachum requirere quid agat ille vel ille, aut quemadmodum abstrahatur ille ab oratione in detractionem et verbositates, quæ nihil proderunt. Unde nihil melius quam tacere et Deum rogare, ut unde alius cadit, tu contineearis.

12. Frater interrogavit senem, dicens : Abba, cogitatio mea insurgit mihi, dicens : Quia bene sum. Respondit ei senior : Qui non videt peccata sua, nunquam in bonis erit. Ut autem aliorum videamus, nostra negligimus ; ideo nunquam in bonis versamur. Videntem propria peccata, decem millia cogitationum non possunt suadere quia in bonis est ; scit enim quid videt. Opus ergo est laborare multum. Negligentia enim et desidia excæcant nos in extremo vitæ.

13. Interrogavit quidam frater beatum Antonium, dicens: Quid est detractio, et quid est alium judicare? Ille respondit : Detractio in omnibus dicitur omnis sermo malus, quem non audet quis præsente fratre suo dicere : judicare autem, qui dixerit de aliquo; Quia frater ille negotiator est, et avarus, et cætera. Hoc est proximum judicare. Judicasti hujusmodi actus, hoc pejus est quam detractio.

14. Quidam frater interogavit senem [1], dicens : Si contristavero fratrem meum, quomodo deprecabor eum? Respondit ille : De profundo cordis tui cum dolore reconciliare ei ; et videns Deus propositum tuum, satisfaciet illi. Et respondit : Læsus sum a

[1] Pasch., c. 10, n. 2, nomine *Eliæ ;* Pelag., libell. xvi, n. 10; Pasch., c. 7, n. 1, nomine *Sisoi;* Ruff., lib. III, n. 77

fratre meo, et volo meipsum vindicare. Senior autem rogabat eum, dicens: Fili, relinque Deo vindictam, et melius est. At ille, Non desistam, inquit, nisi fortiter memetipsum vindicavero. Cui ait senior: Quatenus semel hoc in animo tuo constituisti, vel oremus. Et exsurgens senior, his verbis cœpit orare: Deus, jam non opus habemus tuo judicio, neque nobis jam necessarius es, ut curam habeas de nobis, quia nos ipsi, sicut frater iste dicit, et volumus et possumus nos vindicare. Quod cum ille frater audisset, ante pedes senis effusus, veniam postulabat, promittens se cum illo cui irascebatur nunquam deinceps certaturum.

15. A quodam fratre senior aliquis interrogatus est: Quid est humilitas? Respondit: Si peccaverit in te frater tuus, remitte illi antequam tibi reconcilietur, et in omni vituperatione ne vituperes hominem, nisi temetipsum, dicens: Propter peccata mea hæc mihi evenerunt. Quoniam si commemoraverimus quæ ab hominibus inferuntur nobis, auferimus virtutem memoriæ Dei. Si autem commemoraverimus mala quæ a dæmonibus inferuntur nobis, erimus insaucii. Suspiravit autem, et dixit: Omnes virtutes ingressæ sunt in cellam hanc unam, et ex ipsis laboribus constat homo. Et interrogaverunt eum: Quæ hæc est virtus? Respondit, Ut homo vituperet semetipsum.

16. Frater quidam abiit haurire aquam de flumine; et inveniens mulierem lavantem vestimenta, peccavit cum ea. Hauriens autem aquam, ibat ad cellulam. Insiluerunt autem in eum dæmones per cogitationes, et contristabant eum, dicentes: De cætero ubi vadis? non est tibi ulterius salus. Ut quid etiam sæculum perdis? Intelligens autem frater ille quia volunt eum omnino perdere, erigens se viriliter per confidentiam, dicit cogitationibus suis: Unde ingressæ estis in me, cogitationes malæ, et contristatis me, volentes me omnino perdere? Non peccavi, et iterum dico, Non peccavi. Et ingressus in cellulam suam, continebat se sicut heri et nudius tertius. Revelavit autem Deus uni vicino ejus seniori, quia frater ille ruens, et in ipso casu subruisset diabolum, et vicisset. Veniens autem ad illum senior, dicit illi: Quomodo habes, frater? Ipse respondit: Bene, abba. Dicit ei senior: Et non es passus tristitiam his diebus? Respondit ei frater: Non. Dicit ei senior: Re-
A velavit mihi Deus, quia ruens subruisti diabolum, et vicisti. Tunc frater retulit omnia illi quæ sibi advenissent. Senior autem dixit illi: Certe frater, discretio tua contrivit virtutem inimici.

17. Dixit abbas Macarius: Si aliquem corripueris commotus ad iracundiam, propriam passionem adimples. Nec enim ut alium salves, teipsum perdere debes. Erue proximum tuum a peccatis sine improperio, inquantum prævales, quia ad se Deus convertentes non projicit. Sermo autem malitiæ non demoretur in corde tuo contra eum, ut possis dicere: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Quæ præcepta nobis facienda sunt cum fratribus nostris. Dei autem est dimittere, et confirmare petitionem nostram.

B 18. Referebant quidam fratres de abbate Nytera (*Pelag.*, *libell.* x, *n.* 36, *nomine Natyra*), qui fuit discipulus abbatis Silvani: qui quando in cella sua in monte Sina degebat, moderate abstinebat pro necessitate corporis. Quando autem episcopus ordinatus est in Faran, nimis constrinxit se ipsum in duriore abstinentia, et in vigiliis propensius, atque in orationibus intentius agebat. Hæc autem videns discipulus ejus, dixit ei: Quid est, domine, hoc? quia quando in eremo conversabamur, non tantum in abstinentia laborabas? Respondit ei beatus vir, dicens: Considera, frater, quoniam ibi eremus erat, et secreta vita, et paupertas: nunc autem egressi de eremo cum sæcularibus conversamur hominibus, et multæ ac variæ nobis occasiones occurrunt; et ideo
C timeo, ne in fine vitæ meæ in aliqua occasione Deum offendamus. Si enim sanctus apostolus Paulus, qui Christum in se loquentem habebat, et qui tantas virtutes animi possidebat, ut usque ad tertium cœlum adhuc in corpore positus ascenderet, tamen dicebat: Macero corpus meum, et servituti subjicio, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus inveniar (*I Cor.* IX); quid nos humiles et peccatores oportet facere?

19. Sedente aliquando abbate Sisoi in cella, erat frater prope illum, et subito suspiravit, et non cognovit, eo quod esset frater in proximo illi; erat enim in excessu mentis. Et mittens sibi pœnitentiam, dixit: Ignosce mihi, frater, quia nondum factus sum monachus; suspiravi enim coram te.

ÆGYPTIORUM PATRUM

SENTENTIÆ

AUCTORE GRÆCO INCERTO,

MARTINO (1) DUMIENSI EPISCOPO INTERPRETE [1].

1002 1. Abbas Joannes dicebat ad discipulos suos: Patres manducantes panem tantum et salem,
D fortes facti sunt in opere Dei, dum angustiarent seipsos; constringamus ergo nos in ipso pane et

[1] Quædam ex his etiam supra occurrunt in aliis libris.

sale. Oportet enim servientes Deo in ipsis coarctari, quia ipse Dominus dixit : Arcta et angusta est via quæ ducit ad vitam (*Matth.* VII).

2. Interrogavit frater eumdem senem, dicens : Jejunia et vigiliæ quas agimus quid faciunt? Respondit : Ipsa faciunt animam humilem fieri. Scriptum est enim : Vide humilitatem meam, et laborem meum, et dimitte omnia peccata mea (*Psal.* XXIV). Si enim laborat in his anima, miseretur et condolet illi Deus.

3. Abbas Pœmenius dixit : Cum cogitatione fornicationis et detractionibus proximi, cum his duobus in corde tuo ne loquaris, neque acquiescas omnino inquinamento ipsorum in anima. Quod si volueris hæc in corde tuo meditari, sine mora noxietatem eorum senties, quia instigatio perditionis est; sed per orationem et bona opera ad nihilum deducas malignum, et magis repelle illa, et habebis requiem.

4. Frater requisivit senem dicens : Quid faciam, Pater, contra cogitationes passionum? Respondit; Ora Dominum ut videant oculi animæ tuæ auxilium, quod a Deo est, qui circumdat hominem et conservat.

5. Quidam frater vadens in mercatum interrogavit abbatem Pœmenium, dicens : Quomodo vendam opera mea? Dixit ei senex : Ne velis aliquid super quod valet vendere, sed magis si gravaris, esto amicus ei qui tibi violenter plus tollit, et cum requie vende. Ego enim aliquando vadens in mercatum, nunquam volui de pretio operis mei plus juvari, et fratrem meum gravari, hanc habens spem, quia lucrum fratris mei opus fructificationis est.

6. Venit quidam frater ad abbatem Agathonem (*Pelag.*, *libell.* IV, *n.* 8) dicens : Pater, permitte me habitare tecum; suscipiensque illum vidit nitrum in manu ejus, et dicit ei : Unde habes nitrum? respondit frater : Inveni illud in via dum venirem. Dixit illi senex : Tu illud posueras? respondit : Non. Et dicit ei senex : Si ergo tu non posueras, quomodo veniens habitare mecum hoc tulisti quod non posueras, dum præ oculis Deum et mandata ejus habemus, dicentem : Non concupisces, non facies furtum (*Deut*, V)? An ignoras quia qui furatur rem alienam, dæmon efficitur? Mox autem remisit eum, dicens : Reporta illud in locum unde tulisti, et habita mecum.

7. Interrogavit frater abbatem Sisoium (*Pelag.*, *libell.* X, *n.* 56, *nomine Pastoris; Pasch.*, 36, *n.* 4), dicens : Dimissa est mihi hæreditas a parentibus meis, quid de illa faciam? Respondit senex : Quid tibi dicam, frater? Si dixero tibi : Da illam in ecclesiam clericis, epulantur ex ipsa. Si dixero : Da consanguineis tuis, nullam mercedem habebis. Si ergo me vis audire, da illam egentibus, et sine sollicitudine eris.

8. Abbas Moyses dixit (*Pelag.*, *libel.* I, *n.* 14, *nomine Pastoris*) : Privatio rerum materialium, id est, voluntaria paupertas, et tribulatio cum patientia, et discretio, instrumenta sunt monachi. Scriptum est enim : Si fuerint tres viri isti, Noe, Job, et Daniel;
A vivo ego, dicit Dominus, ipsi salvi erunt (*Ezech.* XIV). Noe enim est in persona voluntariæ egestatis, Job in persona tribulationis et patientiæ, Daniel in persona discretionis. Si ergo trium istorum sanctorum virorum actus in aliquo homine fuerint, Dominus in eo est, habitans cum ipso, suscipiens eum, et repellens ab eo omnem tentationem et omnem tribulationem supervenientem ab inimico.

9. Referebant Patres sancti (*Pelag.*, *libel.* XVII, *n.* 20) : Tres fratres fuerunt ad conductionem agri metendi, et postquam conduxerunt et cœperunt metere, unus ex his infirmatus discessit in cellam suam; alii ergo duo fratres dixerunt ad invicem : Frater noster infirmatur, adhortemur nos ipsos modicum, et speremus per orationes illius, quia et locum
B ipsius metemus. Postquam ergo messuerunt, et acceperunt mercedem conductelæ (2) suæ certam tritici mensuram, tunc vocaverunt et illum fratrem, dicentes : Veni, leva mercedem conductelæ tuæ. Ille autem dixit : Qualem mercedem habeo, cum non potuissem metere? illi vero responderunt : Propter orationem tuam nos complevimus et tuum opus et nostrum, et ideo accipe mercedem tuam. Ille autem noluit ab eis aliquid accipere : multis autem illum compellentibus, et illo non acquiescente, abierunt ad quemdam senem dijudicari (3); dixit autem frater qui infirmatus fuerat : Perreximus, domine mi abba, nos tres metere conductum agrum; infirmatus autem ego post unum diem discessi in cellam meam, et modo compellunt me isti tollere merce-
C dem pro opere quod non laboravi. Respondentes autem duo fratres dixerunt : Audi, domine noster Pater; si fuissemus toti tres, cum labore grandi fortasse completuri fuissemus opus nostrum; nunc per orationes fratris nostri Deus nos adjuvavit, et perfecimus totum agrum, et non vult tollere mercedem suam. Hæc audiens senex miratus est nimis, et convocatis fratribus suis dixit : Venite, fratres, et audite hodie justitiæ judicium. Exposuit 1003
utriusque partis singula verba, et omnes mirati sunt in utrisque; uno quidem non consentiente accipere aliquid, illis vero compellentibus violenter suscipere fratrem mercedem suam. Tunc astantibus omnibus ordinavit fratrem accipere mercedem suam, et dispensare eam sicut vellet. Ille vero abiit tristis et
D plorans.

10. Dixit senex : Si habitas cum proximo, esto sicut columna lapidea, quæ si injurietur non irascitur, si glorificetur non extollitur (*Paschas.*, *c.* 42, *n.* 2).

11. Dixit abbas Sisoius : Cum fuissem aliquando cum fratre in mercato vendere sportellas, videns quia iracundia appropinquabat mihi, dimittens nostra vascula fugi (*Paschas.*, *c.* 37, *n.* 1).

12. Dixit abbas Joannes : Ascendens aliquando viam eremi Scythiæ, et texens plectam, audivi camelarium loquentem sermones vanos; et ne forte irascerer, dimisi plectam meam, et fugi (*Paschas.*, *c.* 37, *n.* 2; *Pelag.*, *l.* IV, *n.* 20).

13. Idem senex, in sectura messis dum esset, au-

divit fratrem proximo suo cum ira dicentem : Et tu A loqueris? et dimittens agrum fugit.

14. Interrogavit frater abbatem Pœmenionem, dicens : Quid est quod Dominus dixit : Majorem hac charitatem nemo habet, quam ut quis animam suam pro amico suo ponat (*Joan.* xv)? quomodo hoc fiet? Respondit senex : Si quis audit verbum malum a proximo suo, et dum possit ipse similia illi reddere, pugnat tamen in corde suo, portans laborem tristitiæ, et vim sibi facit, ne respondens illi malum contristet illum, iste talis animam suam ponit pro amico suo (*Ruff.*, *lib.* III, *n.* 201; *Pelag.*, *libell.* XVII, *n.* 10; *Pasch.*, *c.* 37, *n.* 3).

15. Item abbas Macarius dixit : Si reminiscimur malorum quæ ab hominibus patimur, perdimus virtutem memoriæ Dei; si autem recolamus malorum B quæ a dæmonibus patimur, sine perturbatione erimus (*Pelag.*, *libell.* X, *n.* 34; *Paschas.*, *c.* 37, *n.* 4).

16. Idem dixit : Culpa est monachi, si læsus a fratre aut injuriatus, primus illi purgato corde in charitate non occurrat. Nam Sunamitis non meruisset suscipere Elisæum in domo sua, nisi quia cum nullo aliquam habuit causam. Sunamitis erat in persona animæ, et Elisæus in persona Spiritus sancti figuratus, nisi pura anima non meretur suscipere Spiritum Dei. Ideo ira inveterata excæcat oculos cordis, et animam excludit ab oratione (*Joan.*, *libell.* I, *n.* 7; *Paschas.*, *c.* 37, *n.* 4).

17. Interrogaverunt fratres abbatem Pœmenionem pro quodam fratre jejunante sex diebus perfecte in C septimana, iracundiose autem nimis, propter quod hoc pateretur? respondit senex : Qui addiscit sex diebus jejunare, et non vincere iracundiam, oportebat illum in parvo labore magis studium adhibere.

18. Abbas Pœmenius habebat proximum suum monachum secum in cella, qui habebat causam cum alio fratre foris monasterium suum sedente, et dixit ei abbas Pœmenius : Proxime mi frater, nolo te habere aliquam actionem cum aliquo, qui foris monasterio nostro est. Ille autem non audivit eum. Surgens autem abbas Pœmenius, venit ad alterum senem magnum, et dixit ei : Proximus frater meus habet causam cum aliquo foris monasterio nostro, et non requiescimus. Dixit ei senex : Pœmeni, et tu adhuc vivis? sed vade in cella tua, et pone in corde tuo quia habeas annum quod in sepulcro sis. D

19. Sedente aliquando abbate Pœmenio in cella, litigaverunt fratres ad alterutrum nimis, et nihil locutus est omnino illis senex. Ingrediens autem abbas Paphnutius, invenit eos rixantes, et dixit ei : Quare dimisisti fratres, et non es illis locutus ne litigarentur. Dixit illi Pœmenius : Fratres sunt, iterum pacificantur. Dixit ei Paphnutius : Quid est hoc? vides quia rixantes usque ad sanguinem pene venerunt, et tu dicis quia iterum pacificantur? Dixit ei Pœmenius : Sic pone, frater, in corde tuo quia non sum hic. Sic ergo erat quietus et tacens cum charitatibus abbas Pœmenius.

20. Venerunt aliquando hæretici ad abbatem Pœmenionem et cœperunt detrahere de archiepiscopo Alexandriæ; senex autem tacebat. Vocans autem discipulum suum, dixit illi : Pone mensam, et fac illos manducare, et sic dimitte illos cum pace.

21. Interrogavit frater abbatem Pœmenionem dicens : Quomodo oportet sedere in cella? Respondit : Sedere in cella est manifeste operari manibus, et meditari verbum Dei, et quiescere, et solitarie panem tantum edere. Absconsus vero profectus est sedentem suas reprehensiones semper arctare. Et ubicunque vadit, orationum canonicas horas implere, et secretius non negligere, sed meditare; postremo conversationem bonam retinere, a malo vero recedere.

22. Interrogavit frater senem (*Pelag.*, *libell.* III, *n.* 22; *Paschas.*, *c.* 21, *n.* 4), dicens : Cor meum durum est, et non timet Deum; quid faciam ut possim timere Deum? Respondit : Ego sic arbitror, quia homo arguens se ipsum semper in corde suo, pervenit ad timorem Dei. Dixit frater : Quid est arguere seipsum? Respondit senex : Ut in omni causa arguat animam suam, dicens ei quod oportet astare ante Deum, et iterum dicere : Quid volo ego cum homine aliquam habere malitiam? Arbitror ergo quod si in istis permaneat, veniet in animam ejus timor Dei.

23. Abbas Macarius dixit (*Pasch.*, *c.* 38, *n.* 2) : Si facta est monacho despectio quasi laus, et paupertas sicut divitiæ, et esuries sicut epulæ, nunquam moritur. Impossibile enim est bene credentem et pie colentem Deum, cadere in passionem immundam et in errorem dæmonum.

24. Dixit senex : Surgente vel ambulante vel sedente vel aliud quodlibet faciente, si est Deus præ oculis tuis, in nullo poterit te inimicus exterrere. Si ergo cogitatio hæc manet in homine, virtus Dei adhæret illi.

25. Dixit quidam frater Petro abbati (*Pelag.*, *libell.* XI, *n.* 26) : Cum in cella sum, in pace est anima mea; cum autem egredior foris, si audiero aliquos sermones loquente fratre conturbor. Respondit senex : Clavis tua aperit ostium alienum. Dixit illi frater : Quid est hoc verbum? Respondit senex : Quia interrogatio tua aperit ostium sermonis illius, ut audias quæ non vis. Dixit frater : Quid ergo faciemus superveniente fratre, quid loquemur ad illum? Respondit senex : Omnium doctrina luctus est. Ubi non est luctus, non potest observari.

26. Requisivit frater abbatem Sisoium (*Paschas.*, *cap.* 39, *n.* 1) : Post quantum tempus debet homo a se abscidere passiones? Respondit senex : In quacunque hora venerit passio, abscide illam, quia fragilis est anima; ante armetur, quam inquinetur.

27. Quidam frater requisivit abbatem Agathonem, dicens : Non discedunt a me passiones. Respondit senex : Vasa ipsorum intra te sunt; da illis arrhas retributionis ipsorum, et fugient a te.

28. Quidam frater venit ad aliquem anachoretam, et cum ille in charitate suscepisset illum, discedens

1004 dixit illi : Indulge mihi, abba, quia de consuetudine tua movi te. Ille autem respondit, dicens : Mea consuetudo est, frater, ut venientem reficiam cum pace, redeuntem dimittam cum charitate.

29. Requisivit frater senem, dicens : Quomodo Deus cum promittit bona animæ per sanctas Scripturas, et non vult anima in illis manere, sed inclinatur ad transitoria et immunda ? Respondit senex : Quia necdum gustavit dulcedinem cœlestium, ut ex toto corde exquirat Deum; ideo ad immunda citius revertitur.

30. Requisivit frater senem, dicens : Quomodo anima delectatur in passiones. Respondit : Anima delectatur in passiones, sed spiritus Dei est qui continet illam. Plangere ergo debemus, et attendere quæ in nobis immunda sunt, rogantes Deum, qui potens est in omnibus, ut amputet a nobis maligna semina. Maria ergo dum inclinans se in monumentum flevit, mox apparuit illi; sic est et in anima, si lacrymas diligat.

31. Interrogavit frater senem, dicens : Dic mihi, abba, verbum salutis. Respondit : Vade, roga Deum ut donet tibi luctum habere et humilitatem, et attende semper ad peccata tua.

32. Dicebant de abbate Pœmenio, quod cum in ecclesia in congregationem egressurus erat de cella sua, sedebat prius quasi hora una, discernens in se ipso cogitationes suas, et sic ingrediebatur.

33. Frater requisivit senem, dicens : Quid faciam pro peccatis meis? Respondit : Qui vult liberari a peccatis, planctu liberatur ab eis, et qui vult in se ædificare virtutes, planctu ædificet. Ipsa enim Scriptura planctus est. Nam et Patres nostri hoc discipulis suis dixerunt : Plangite. Altera enim via non est ad vitam nisi ipsa.

34. Requisivit frater senem (*Pelag., libell.* III, *n.* 13, *nomine Pastoris*), dicens : Quid faciam, Pater? Respondit : Abraham quando ingressus est terram repromissionis, sepulcrum prius acquisivit sibi, et propter sepulcrum hæreditavit terram. Dixit illi frater : Quid est sepulcrum? Respondit : Locus est planctus et luctus.

35. Abbas Moyses dixit (*Ruff., l.* III, *n.* 202) : Si non concordant actus et oratio, in vanum laborat homo; cum enim orat quis pro se ipso, ut indulgeantur illi peccata, observet ne illa faciat iterum. Quando enim voluntatem peccandi quis dimiserit, et ambulat permanens in timore Dei, istum mox cum gaudio suscipiet Dominus (*Joan., libell.* IV, *n.* 4).

36. Requisivit frater senem (*Ruff., l.* III, *n.* 203), dicens : Quid faciet homo in omni tentatione veniente super se et omni cogitatione immissa ab inimico? Respondit : Plangere debet in conspectu bonitatis Dei, ut succurrens auxilietur illi. Scriptum est enim : Dominus mihi adjutor est, et ego vindicabo super inimicos meos (*Psal.* CXVII).

37. Interrogavit frater senem : Ecce homo cædit servum suum pro culpa quam fecit, quid dicet tunc servus domino? Respondit : Si non est servus malus, dicet domino, Peccavi, miserere mei, et aliud nihil

A dicit (*Joan., libell.* IV, *n.* 7, *nomine Moysis*). Sed cum ipse cognoscit peccatum suum, et confitetur quia peccavit, indulget illi dominus.

38. Requisivit frater senem : Si fuerit persecutio pro causa fidei, ubi est fugiendum? Respondit : Ubi audieris orthodoxos esse fideles, illic vade.

39. Requisivit frater abbatem Pœmenem, dicens : Quid faciam, quia conturbant me cogitationes sedentem in cella (*Ruff., l.* III, *n.* 100; *Pelag., libell.* IX, *n.* 8; *Pasch., c.* 39, *n.* 2)? Respondit : Neminem despicias, nullum dijudices, de nullo malum loquaris, et Deus dabit tibi requiem, et statuet sessionem tuam sine conturbatione; custodi enim sermonem, et qui seipsum intendit, et discretio directiones sunt animæ. Si quis ergo projiciat seipsum in conspectu B Dei, et non seipsum exaltans mensuret cum magnis, et suam voluntatem non statuat, sed sedens in cella sua ordinem suum servet, non conturbatur, quia hæc sunt animæ instrumenta. Ex omnibus tamen his tota hæc virtute custodi, ut non statuas propriam voluntatem, et habebis requiem.

40. Interrogavit frater senem, dicens : Quid faciam, quia molestant me cogitationes? Respondit : Vade et loquere eis : Dicite mihi, quid quæro ego, aut quam causam habeo vobiscum? et habebis requiem. Esto despectus, et voluntatem tuam jacta post te, nullam habeas sollicitudinem, et fugient a te cogitationes.

41. Interrogavit frater senem, dicens : Quare aliquoties dum psallo, festino ad finem celerius pervenire? Respondit : Quomodo ergo apparebit homo, C qui amat Deum, nisi cum aliqua submissio dæmonis est, et tunc compellimus nos ipsos violenter charitate et timore Dei retenti.

42. Idem dixit : Succensæ ollæ non appropinquant muscæ, tepidæ vero superinsidunt. Ita et monachum succensum divini Spiritus igne fugiunt dæmones, tepidum vero illudunt (*Ruff., l.* III, *n.* 104; *Pasch., c.* 3, *n.* 3).

Item dixit : Si te persequuntur adversarii, primo fuge, secundo fuge, tertio esto rhomphæa contra ipsos, et exies super eos, concide illos.

43. Quidam frater venit ad abbatem Pœmenem in diebus quadragesimæ (*Pelag., libell.* 13, *n.* 5), et dum consuluisset illum pro cogitationibus suis, dixit seni : Dubitabam in his diebus venire huc; dicebam D enim : Ne forte in diebus Quadragesimæ inclusus esses. Respondit senex : Non didicimus nos ligneum claudere ostium, sed magis ostium linguæ.

44. Venerunt aliquando fratres de Scythi ad Joannem monachum in silentio sedentem et operantem; cumque salutassent eum, conversus in alteram partem cœpit operari. Dicunt illi fratres : Joannes, quis tibi dedit schema monachi, et quare non docuit te suscipere fratres, et dicere illis : Orate, vel, Sedete. Dicit eis Joannes : Non vacat homo peccator. Ad hæc dicit abbas Theodorus : Verum dices : Homo, qui est in supplicatione et pœnitentia. Deus non requiret hoc mandatum.

45. Frater requisivit abbatem Pœmenem, dicens :

Pater, doce me quid faciam. Respondit : Scriptum est : Quoniam iniquitatem meam ego pronuntiabo, et cogitabo pro peccato meo (*Psal.* L).

46. Requisivit frater senem (*Pasch.*, *c.* 41, *n.* 1), dicens : Pater, quid faciam? Respondit : Vade, et ama tibi ipsi vim facere ; evagina gladium tuum, et exi in bellum. Dicit ei frater : Non me permittunt cogitationes. Respondit senex : Scriptum est : Invoca me in die tribulationis tuæ, et eripiam te, et glorificabis me (*Psal.* XLIX). Invoca ergo Deum, et eripiet te.

47. Erant aliquando abbas Theodorus et abbas Or mittentes lutum in tectum cellæ (*Pelag.*, *libell.* III, *n.* 19), et dixerunt unus ad alterum : Modo si visitat nos Deus, quid sumus facturi ? Tunc ad alterutrum ambo plangentes dimiserunt opus imperfectum, et unusquisque in cellam suam recesserunt.

48. Abbas Silvanus dum sederet in cella factus in exstasi pendebat in facie sua, et post multas horas surgens plangebat (*Ruff.*, *l.* III, *n.* 205; *Pelag.*, *libell.* III, *n.* 25). Astans autem discipulus ejus dixit : Quid habes, Pater? Ille autem tacens plangebat. Dum autem molestus illi esset discipulus **1005** ut diceret ei cur plangeret ; violenter compulsus dixit : Ego in judicium raptus sum, fili ; et vidi multos schematis monachilis euntes in suppliciis, et multos laicorum euntes in regnum.

49. Abbas Moyses venit ad puteum haurire aquam, et vidit fratrem Zachariam orantem, et Spiritum Dei super eum requiescentem (*Pelag.*, *libell.* XV, *n.* 17).

50. Dicebatur de abbate Joanne quia nunquam permittebat cogitationem otiosam ascendere in corde suo, neque loquebatur de causis sæculi hujus (*Pelag.*, *l.* XI, *n.* 13). Tentaverunt ergo eum fratres, dicentes : Gratias agimus Deo, Pater ; pluit enim nimis, et palmæ arbores irrigatæ producunt germina, ex quibus inveniant fratres folia quæ operentur. Dicit illi senex : Sic est, fratres, et Spiritus Dei cum descenderit in corda sanctorum, adaperiuntur, et producent fructus in timore Dei.

51. Interrogavit frater senem, dicens : Quid est quod dixit Dominus : In carcere eram, et venistis ad me (*Matth.* XXV) ? Respondit : Licet hoc in proximis sibi Dominus imputet factum, tamen quia carcer est sedere in cella, si quis sedens in cella memoriam semper habeat Dei, illi recte dicendum est : In carcere eram, et venistis ad me.

52. Requisivit frater senem, dicens : Quid faciam, quia cogitationes me conturbant? Respondit abbas Besarion : Tu quiesce, et non te mensures cum magnis, sed esto tacens in corde tuo.

53. Interrogavit frater abbatem Antonium, dicens : Quid est pro nihilo seipsum homo æstimare ? Respondit : Similem se jumentis irrationabilibus æstimare, pro eo quod nihil dijudicant sicut scriptum est : Ego autem velut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum (*Psal.* LXXII).

54. Requisivit abbas Pambo abbatem Antonium, dicens : Quid facio sedens in cella ? Respondit : Non sis confidens in merito justitiæ tuæ, et non cogites de rebus transitoriis, et esto tenens linguam et ventrem (*Pelag.*, *libell.* I, *n.* 2).

55. Requisivit frater senem, dicens : Putas bonum est habere æstimationem bonam in conspectu hominum ? Respondit : Æstimationes istæ virtutem non habent. Ne ergo velis æstimationem habere apud fratrem tuum, sed magis fuge.

56. Interrogavit frater senem, dicens : Quid est humilitas ? Respondit : Si quis benefacit facienti sibi malum, humilitas perfecta est. Dicit frater : Quod si non potest quis ad hanc mensuram venire ut hoc faciat ? Respondit : Fugiat, et quiescat.

57. Frater requisivit senem, dicens : Quid est profectus monachi? Respondit senex : Humilitas. Quantum enim quis in humilitate inclinatur, tantum profit in excelso.

58. Requisivit frater senem, dicens : Quomodo anima suscipere potest humilitatem ? Respondit : Si sua semper scrutetur mala (*Pasch.*, *c.* 13, *n.* 10; *Ruff.*, *l.* III, *n.* 171).

59. Abbas Pœmenius dixit cum gemitu (*Pasch.* *c.* 22, *n.* 2) : Omnes virtutes ingressæ sunt in cellam meam præter unam virtutem, et ex ejus labore stat homo. Interrogaverunt eum fratres, quæ esset ista virtus talis? Respondit senex : ut semper seipsum reprehendat homo.

60. Quidam frater rogavit senem, dicens : Veni in cellam meam, si mereor ut lavem pedes tuos. Ille autem noluit. Iterum secundo et tertio dixit illi, et non ivit. Novissime abiit in cellam senis, et mittens pœnitentiam ante ipsum (4), rogavit eum ut veniret in cellam ejus. Et surgens venit cum eo, et dixit ad senem : Quare toties ante rogatus non venisti ? Respondit senex : Cum verbis solum dicebas, non satisfecisti cordi meo ut venirem ; cum vero monachile opus humilitatis vidi in te, et ego tunc gaudens veni ad te.

61. Dixit senex : Quod non didicit homo, et ipse non observavit, quomodo docere proximum potest ? esto ergo semper humilis ad discendum.

62. Dixit senex : Virtus monachi est, in omni tempore seipsum arguere.

63. Dixit senex : Non potest homo videre cogitationes suas foris, sed cum intus insurgunt, et si quis est bellator, expellit illas.

64. Dixit senex : Opus monachi est, videre cogitationes suas a longe.

65. Dixit senex : Causa quæ non prævidetur, non permittit nos in meliora proficere.

66. Dixit senex : Non mensures teipsum, sed adhære bene conversanti.

67. Dixit senex : Omnem causam quam non abscidit a se homo, iterum in ipsa implicatur.

68. Dixit senex : Omnis labor qui supervenit homini, victoria est illi.

69. Dixit senex : Abominatio est ante Deum omnis carnalis delectatio.

70. Dixit senex : si venerit tibi cogitatio pro car-

nali necessitate, et tangit te semel et bis et tertio, A non audias.

71. Dixit senex : Si non dixerit homo in corde suo : Quia Deus et ego solus in isto mundo sumus, non habet requiem (*Pelag., libell.* XI, *n.* 5, *nomine Allois*).

72. Dixit senex : Peregrinatio est tacere.

73. Dixit senex : Imminens quis humanam notitiam et ventrem habet requiem (*Pasch.*, *c.* 32, n. 4).

74. Dixit senex : Oportet monachum cor forte habere ad singula, et salvabitur.

75. Dixit senex : Si videris vel audieris aliqua, non renunties fratri, quia nutrimenta sunt pugnæ.

76. Dixit senex : Voluntas propria, et requies, et consuetudo istorum dejicit hominem.

77. Dixit senex : Charitas, et taciturnitas, et oc- B culta meditatio operantur puritatem.

78. Dixit senex : Quæcunque super mensuram sunt, dæmonum sunt.

79. Dixit senex : Quid opus est ædificare alienam domum et propriam subvertere ?

80. Dixit senex : Unicuique inter medium Dei et hominis propria voluntas murus est æreus et petra anteposita. Si ergo superaverit homo voluntatem suam, potest verissime dicere : Et in Deo meo transgrediar murum (*Psal.* XVII).

81. Dixit senex : Nos derelinquentes rectam et luminosam viam, per spinosam et tenebrosam gradimur; id est, derelinquentes plangere nos ipsos et nostra peccata, in negligentias proximorum semper aspicimus. C

82. Dixit senex : Non est monachus qui de alio detrahit; non est monachus qui reddit malum pro malo; non est monachus iracundus; non est monachus cupidus, superbus, avarus, aut elatus, aut verbosus; sed qui vere monachus est, humilis et quietus, et charitate plenus, habens timorem Dei semper in corde suo.

83. Dixit senex : Vide ne contemnas fratrem tibi astantem; nescis enim utrum in te sit Spiritus Dei an in illo.

84. Dixit senex : Humilitas et castitas et timor Dei superiora sunt omnibus virtutibus.

1006 85. Dixit senex : Æqualis est causa monacho, si contra eum qui vi nocuit, causare velit ac D si contra diabolum.

86. Dixit senex : A minore actione usque ad majorem quam agit homo, totum in fastu ejus ponitur, sive in cogitationibus, sive in operibus.

87. Dixit senex : Humilitas non est sumptus, sed in omni sumptuali est condimentum.

88. Dixit senex : Humiliare seipsum, et despectum se apud ipsum habere, pro muro est monacho.

89. Dixit senex : Qui vult ædificare domum, multa necessaria procurat, ut possit perficere; ita et monachum multam curam habere oportet ut possit opera Dei perficere.

90. Dixit senex : Beatus qui sustinet laborem cum gratiarum actione.

91. Dixit senex : Non est fortior virtus quam nullum spernere.

92. Dixit senex : In omnibus sibi unumquemque vim facere, hæc est via Dei, et opus monachi.

93. Dixit senex : Qui sibi vim facit propter Deum, similis est homini confessori.

94. Dixit senex : Homo habens mortem præ oculis omni hora, vincit pusillanimitatem.

95. Dixit senex : Esto liber in loquendo, non servus.

96. Dixit senex : Impossibile est sine custodia oris proficere hominem vel in una virtute; prima enim virtus custodia oris est.

97. Dixit senex : Ego tres res timeo, id est, cum anima egressura est de corpore, et cum in præsentia Dei venturus sum, et cum sententia contra me data fuerit (*Pelag., libell.* III, *n.* 4, *nomine Eliæ*).

98. Dixit senex : In quocunque loco sedens non respicias ad illos qui habent consolationem suam, sed ad egenum non habentem panem aut requiem.

99. Dixit senex : Si habes passionem, et relicta illa pro alia re oras Dominum, non exaudieris; sed primum pete pro impugnatione tua, et cum pulsans ingressus fueris, tunc pro aliis aliqua petitione roga.

100. Dixit senex : Tria sunt ista capitula, timor Dei, et oratio assidua, et bene facere proximo suo.

101. Dixit senex : Sicut flatus egrediens de naribus sine quo non vivitur, ita homo timorem Dei et humilitatem semper debet habere in se (*Pelag., libell.* XV, *n.* 32, *nomine Pastoris; Pasch.*, *c.* 27, *n.* 2).

102. Dixit senex : Quid opus est incipere artificium, si non discat perficere illud? nihil est ergo quod incipitur et non perficitur.

103. Dixit senex : Homo si cordi tuo non satisfacit, ne credas illi conscientiam cordis tui.

104. Dixit senex : Constitue tecum nulli unquam homini male facere, sed purum habere cor ad omnem hominem.

105. Interrogavit frater senem, dicens : Si videro inter fratres aliquam negligentiam, jubes ut arguam? respondit : Si sunt seniores vel coætanei tui, humiliter admone sine increpatione, ut in hoc ipso humilis inveniaris.

106. Frater requisivit senem, dicens : Fratres alii mecum cohabitant, et volunt ipsi ut ego illis præcipiam quomodo jubes ut faciam? Respondit : Fac tu quod præcipis, ut non tantum illis præcepta, sed et formulam præbeas (*Pasch.*, *c.* 43, *n.* 1, *nomine Serapionis*)

107. Dicebant pro abbate Macario majore, quia sicut Deus protegit totum mundum, et portat peccata hominum, ita et ille quasi quidam Deus terrenus fuit in fratribus, operiens delicta illorum, et ea quæ videbat vel audiebat, quasi non videns et non audiens.

108. Interrogavit abbas Moyses abbatem Silvanum

(*Pasch.*, *c.* 43, *n.* 2), dicens : Potest homo per singulos dies apprehendere initium ? respondit : Si est operarius , potest per singulos dies sumere initium ; oportet enim apprehendere unumquemque parum aliquid ex omnibus virtutibus. Singulis ergo diebus surgens mane, sume initium unum in omnem virtutem, et in omne mandatum Dei. In magna patientia et longanimitate, cum timore et charitate Dei, cum humilitate animæ et corporis, in multa sustentatione, in tribulatione et commoratione cellæ, in oratione et deprecatione , cum gemitu , cum puritate cordis , et oculorum , et custodia linguæ et sermonum , in abrenuntiatione rerum materialium et desideriorum carnis, in certamine crucis, id est, cruciatione et paupertate spiritus , in continentia spirituali et agone pugnæ , in pœnitentia et luctu, in simplicitate animæ et taciturnitate, in jejunio et vigiliis nocturnis, in operatione manuum secundum quod docet Paulus apostolus , dicens : Operantes manibus nostris , in fame et siti, in frigore et nuditate, in laboribus et tribulationibus, in necessitatibus et angustiis et persecutionibus , in foveis et speluncis et cavernis terræ (*II Cor.* xi). Esto factor verbi, et non auditor tantum; operans talentum in duplo , habens vestem nuptialem, firmatus super firmam petram , et non super arenam (*Jacobi* i). Eleemosyna et fides non te derelinquant , cogitans omnem diem mortis esse vicinam, et quasi jam clausus in monumento, nihil de hoc sæculo cures (*Ruff.*, *l.* iii, *n.* 206). Inedia escarum, et humilitas, et luctus non recedant a te , et timor Dei permaneat in te omni hora. Scriptum est enim : Propter timorem tuum, Domine, in utero accepimus, et doluimus, et peperimus spiritum salutis (*Isa.* xxvi). Hæc ergo et si qua alia virtus est, in his perspice, ne teipsum mensures cum magnis , sed crede te inferiorem esse omni creaturæ , id est, deteriorem a quovis homine , quamlibet peccatore. Habeto discretionem, discernens temetipsum, et non dijudices proximum, neque inspicias aliena delicta , sed tua plange peccata , et de nullius hominis actibus sollicitus sis. Esto mansueti spiritus, et non iracundi. Nihil in corde tuo contra aliquem cogites mali, nec habeas inimicitiam in corde tuo, neque odium contra inimicantem tibi sine causa , neque irascaris inimicitiæ ejus , neque despicias eum in necessitate et tribulatione ejus, nec reddas malum pro malo, sed esto pacificus cum omnibus; hæc est enim pax Dei. Non te credas malum facienti , neque congaudeas ei qui facit proximo malum. Non detrahas alicui, quia Deus cognoscit omnia , et videt unumquemque. Non credas detrahenti, neque congaudeas ad malum eloquium ejus. Non oderis aliquem propter peccatum ejus, quia scriptum est : Nolite judicare, et non judicabimini (*Matth.* vii); neque despicias peccantem, sed ora pro illo , ut det illi Dominus conversionem in patientia et misereatur illius, potens enim est Dominus. Et si audieris pro aliquo quia agit iniqua , responde dicens : Nunquid ego judex sum? homo sum peccator, mortuus sub peccatis meis, et lugens mea propria mala ; mortuus enim causam non habet curare pro aliquo. Hæc omnia ergo qui cogitat et procurat, **1007** operarius est universæ justitiæ sub gratia et virtute Domini nostri.

109. Hæ sunt sententiæ septem, quas locutus est abbas Moyses ad abbatem Pœmenionem, quas si quis in cœnobio, aut in solitudine, aut in ipso sæculo positus custodierit, poterit salvari.

1. In primis, sicut scriptum est, debet homo diligere Deum ex tota anima et ex tota intelligentia sua (*Joannes libell.* iv, *initio*, *per aliquot numeros*).

2. Debet homo diligere proximum sicut seipsum.

3. Debet homo mortificare seipsum ab omni malo.

4. Non debet homo dijudicare fratrem suum in aliqua causa.

5. Non debet homo malum facere alteri.

6. Debet homo priusquam exeat de corpore, mundare seipsum ab omni inquinamento carnis et spiritus.

7. Debet homo semper cor contritum et humiliatum habere. Quod ille potest implere, qui semper sua peccata et non proximi considerat, opitulante gratia Domini nostri Jesu Christi, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IN APPENDICEM AD VITAS PATRUM

ROSWEYDI NOTATIO.

IN HERACLIDIS PARADISUM.

(1) *Heraclidis.*] Prima editio addit, *quondam Palæstinæ episcopi.* Quod unde promptum sit, ignoro. Certe deest hoc Manuscripto meo, quem ex abbatia Amandina, a vetusta quidem manu, sed valde mutilum, nactus sum. Ms. Moretianus, Vezelianus et Insulensis, *Paschasium* sive *Palladium diaconum* libri hujus auctorem faciunt. Eadem prima Editio, in fine libri Heraclidem *Bithyniæ episcopum* facit. Meminit hujus Petrus a Natalibus in Catalogo sanctorum lib. xi, cap. 87, et quæ ibi de eo texit, ex hoc libro desumpta sunt; quare non exscribo.

(2) *Aut tractat.*] Proprie vertit interpres, quod in Herveto est, *habet sermonem*. Græce, οὐχ ὁμιλεῖ. Hinc sæpe in scriptis Patrum *Tractatus* et *Tractatores*. Vide Onomasticon.

(3) *Et nepos.*] Quid *nepos* hic faciat, non video, an *Nepos* nomen proprium? sed nulla ejus vestigia vel in Palladio veteri, vel in Palladio Herveti. Nam Palladius vetus, cap. 5 habet *fratres Dracontii*, *viri mirabilis*. Palladius Herveti : *Et Joannis filii fratris Dracontii*, *viri admirabilis*. Græce est in Veneto Ms. Καὶ Ἰωάννου τοῦ ἀδελφοῦ Δρακοντίου ἀνδρὸς θαυμαστοῦ : *Et Joannis fratris Dracontii viri mirabilis*. Ut verear ne pro ἀδελφοῦ, *fratris*, legerit interpres Heraclidis ἀδελφιδοῦ, *nepotis*. Alias suspicari quis possit Ἀδελφίου

legendum. Certe et infra, c. 33 occurrit *Adelphius* inter monachos cum Ammonio, Pambone et aliis. Hæc in prima Editione palpans in tenebris scripseram vel divinaram; nunc hac secunda Editione cum textus Græcus Palladii perfectior prodierit, totum hunc locum ita corrige: *Et Origenes Dracontii viri admirabilis nepos*. In Græco Parisiensi est: Ὠριγένους τοῦ ἀδελφιδοῦ Δρακοντίου ἀνδρὸς ἐνδόξου καὶ θαυμαστοῦ.

(4) *Hic idem sanctissimus cum a Ruffino.*] Baronius, tomo IV, anno Christi 394, Siricii papæ 10, Theodosii imp. 16, agens de synodo Constantinopolitana, in encœniis, ita ait: Quamobrem illud existimo hujusmodi episcoporum conventum non convocatum esse vel ecclesiasticorum dogmatum causa, vel disciplinæ ecclesiasticæ terminandæ studio; sed ad hoc, ut novam basilicam apostolorum Petri et Pauli nomine erectam a Ruffino præfecto prætorio, penes quem summa erat in toto Orientali imperio auctoritas, iidem dedicarent; huncque ipsum esse conventum episcoporum, cujus Palladius (intelligit Baronius hunc nostrum Heraclidem, ut monui Prolegomeno generali 4, § 3) res suorum temporum scribens meminit, cum de Evagrio Pontico agit, qui una cum Ammonio et aliis ex Ægypto vocatus a Ruffino ea de causa Constantinopolim venit. « *Hic idem*, inquit, *sanctissimus cum a Ruffino* (*Pallad.*, *in Lausiac. cap.* 2), etc., subdens de Ammonio ibidem defuncto, et in eadem basilica Ruffiniana dicta, sepulto. Certe quidem ad dedicationem basilicarum vocari solitos e remotissimis quoque regionibus episcopos, quæ dicta sunt superius de Antiochenæ ac Jerosolymitanæ ecclesiarum encæniis docent.

Meminit ejusdem a Ruffino erectæ basilicæ Sozomenus lib. VIII, cap. 17, ædificatamque fuisse ait trans mare prope Chalcedonem, in loco dicto, *Ad Quercus*; ubi ab eodem Ruffino sumptuosa villa exstructa erat, erectæque regiæ ædes, ipsaque basilica in honorem præcipuorum apostolorum Petri et Pauli dedicata, dicta quoque nomine communiori, *Apostolæum*; in qua postea a Theophilo episcopo Alexandrino collecta synodus fuit adversus Joannem Chrysostomum, ut suo loco dicetur. Hactenus Baronius.

(5) *Buccellatum.*] Ita legendum ex Ms., cum antea esset *buccellatim*. Vide Onomasticon.

1008 (6) *Mattam.*] Ita vertit interpres, quod apud Palladium in Græco est ψίαθος. Vide Onomasticon.

(7) *Carcinus.*] Retinuit interpres Græcam vocem κάρκινος, qui Latinis *cancer*.

(8) *Belua quædam.*] Palladius hic habet *hyænam*. An igitur hic *belua* pro *belba* est, id est *hyæna*? Certe *b* et *u* sæpe inter se commeant. Sic infra, c. 11, ubi in nostro *feræ*, in Palladio *hyænæ*. Capitolinus, in Gordiano III, *Belbi, id est hyenæ, decem*. Quanquam et *belua* quoque pro hyæna scribitur. Gloss. ὕαινα ζῶον, *belua*. Certe *belua* apud auctores nunc pro elephanto, nunc pro hyæna, nunc pro ceto capitur. Pro *hyæna* quoque videtur capi hic, supra, cap. 5, in Nathanaele: « multæ enim beluæ illa esse per deserta noscuntur. » Ubi Hervetus ex suo Græco textu vertit: *Sunt enim hyænæ in his locis*.

(9) *Curialis.*] Hervetus, cap. 22, Palladii: « Servus cujusdam qui regebat rempublicam »; οἰκέτης ὑπῆρχεν πολιτευομένου τινός. Vide Onomasticon.

(10) *Italicos.*] Ms. Moretianus et Insulensis, *Cyathos*. In Palladio Græce est cap. 22, Σαῖτεν πιὼν ὡς Ἰταλικῶν δέκα καὶ ὀκτώ. « Cum saltem Italicorum circiter octodecim ebibisset. »

(11) *Clemonem malorum consortem suorum.*] In Græco Palladio Parisiensi, συμπαίκτην αὐτοῦ, *collusorem suum*. In Palatino erat συμπρώκτης. Utrobique autem in Græco erat δαίμονα pro κλήμονα. Sed ex Heraclide Palladius emendandus. De eadem historia Sozomenus lib. VI, cap. 29.

(12) *Scholasticus.*] Apud Palladium Græcum, cap. 26 σχολαστικὸς ὑπῆρχεν ἐκ τῶν ἐγκυκλίων παιδευμάτων, *disciplinarum liberalium scholasticus*. Vide Onomasticon.

(13). *Repauso.*] Id est, reficio, non obvia significa-A tione. Apud Græcum Palladium est, ἀναπαύω, quod significat *reficere*. Hoc interpres Latino *repausandi* verbo expressit.

(14) *Satis vereor.*] Id est, *valde vereor*. Ita sæpe capitur in sacris litteris, et aliis auctoribus.

(15) *Lenticulam.*] Apud Palladium, cap. 26. Græce est φακὸν, *lentem*, quam existimo fuisse pultem ex lente, ut alias his in libris occurrit.

(16) *Orgyias.*] Hervetus, in Palladio, c. 28, ὀργυίας, vertit *ulnas*.

(17) *Fagedænam.*] Græcis φαγέδαινα. Latinis *Phagedæna*, triplici significatu. Vel enim ulcera in genere significat, quæ semper majora et deteriora fiunt; vel certam speciem ulceris tumidi, profundi, vicinas partes excedentis; vel nimiam cibi appetentiam. Vide Joannis Gorræi Definitiones medicas.

(18) *Valetudinis.*] Id est, invaletudinis. Sic supra, cap. 6: « Caput consumptum erat illa valetudine, quæ carcinus nominatur. »

B (19) *Cilicenses.*] An amphoræ vel lagenæ ex Cilicia? Vide Onomasticon.

(20) *Æneus.*] Fabri editio *Eneus*, Lipomani, *Æneus*, tanquam si ad proprium aliquod nomen alluderetur. Sed Græcum verbum retinuit interpres, *eneus* ab ἐνεὸς vel ἐννεὸς, quod significat, *perculsum*, *mutum*. Vide dicta supra, libro I, ad vitam Abrahæ, cap. 5, notat. 10, et Onomasticon.

(21) *Lapsanas.*] Id est, olera agrestia. Vide Onomasticon.

(22) *Trium sibi voluminum cellulas fecit.*] Id est, *trium tholorum*, seu *tres tholos*, τρεῖς θόλους, ut est apud Palladium, cap. 43. Vide Onomasticon.

(23) *Collusorem suum.*] In Palladio capite 83. Græce est, συμπαίκτην ἀσκητήν. Hervetus vertit *exercitatorem, qui cum eo luderet*. Intellige eum subornasse quemdam monachum, qui eum nimis distraheret.

(24) *Periodeutas.*] Explicat ipse, *presbyteri, multarum ecclesiarum curam gerentis*. Deest hoc Palladio. Vide Onomasticon.

C (25) *Oxyrincham.*] Palladius Herveti, capite 86, habet *celerem manum*. An igitur Hervetus in Græco invenit ὀξὺν χεῖρα, pro quo Heraclidis interpres legerit litterarum transpositionem, ὀξυρίνχα? Græcus Palladii textus Venetus Ms. habet ὀξύρογχον χαρακτῆρα. Paris. ὀξύρυγχον. Vide Onomasticon.

(26) *Unum Epeta, alterum Nonaxon, tertium Antiphyron.*] Hic vero hæreo, nec video qui me expediam. Palladius Herveti, capite 86, hæc tantum habet: « Composuit tres sacros libros monachorum, qui dicuntur Ἀντιῤῥητικά, hoc est, Contradictoria. » Invenio in Ms. Veneto: Συντάττων οὖν τρία βιβλία ἱερομοναχικὰ, ἀτιρητικὰ λεγόμενα.

Subjungam hic auctores, qui agunt de operibus Evagrii, si forte ex iis verum exsculpere possimus. In primis hæc de Evagrii scriptis narrat Socrates lib. IV, c. 23, secundum Græcos, vel 18, juxta Latinos: Τούτῳ καὶ βιβλία ἄγαν σπουδαῖα συγγέγραπται· ὧν τὸ μὲν, Μοναχὸς. ἢ περὶ πρακτικῆς ἐπιγέγραπται· τὸ δὲ, Γνωστικὸς, ἢ τὸν καταξιωθέντα γνώσεως. Κεφά-D λαια δὲ αὐτοῦ πεντήκοντα. Τὸ δὲ, Ἀντιῤῥητικὸς ἀπὸ τῶν θείων γραφῶν πρὸς τοὺς πειράζοντας δαίμονας, ἐν ὀκτὼ διῃρημένον μέρεσι, κατὰ τὸν ἀριθμὸν τῶν ὀκτὼ λογισμῶν· καὶ ἑξακόσια προγνωστικὰ προβλήματα. Ἔτι μὴν καὶ στιχηρὰ δύο, ἓν πρὸς τοὺς ἐν κοινοβίοις, ἢ ἐν συνοδίαις μοναχοὺς, καὶ ἓν πρὸς τὴν [Suid., παρθενείαν] παρθένον. Ἅτινα ὅπως ἐστὶ θαυμαστὰ, οἱ ἐντυγχάνοντες εἴσονται. « Itemque libri ab illo accurate conscripti: quorum unus, Monachus sive de vivendi ratione, quæ in agendo cernitur; alter Gnosticus, sive scientia præditus, dicendus sit, in quo sunt capita quinquaginta; alter Antirrheticus, id est, adversus dæmones tentantes confutatio, ex sacris litteris collecta, inque octo partes divisa, numero octo cogitationum mentis nostræ apte respondentia. Sexcenta præterea problemata de rerum præsensione futurarum. His accedunt duo carminum libri: unus, ad monachos qui in cœnobiis et conventibus ætatem degunt, alter ad virginem. Qui qui-

dem quam eximii sint, facile intelligent hi qui sunt A eos perlecturi. » Quæ totidem verbis habes apud Suidam in Μακάριος, et Nicephorum, lib. XI, c. 42. Gennadius vero, de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus, cap. 11, hæc prodit:

Evagrius monachus, supradicti Macarii (Ægypti) familiaris discipulus, divina atque humana litteratura insignis, cujus etiam liber, qui attitulatur *Vitæ Patrum*, velut continentissimi et eruditissimi viri mentionem facit, scripsit multa monachis necessaria. Ex quibus ista sunt:

Adversum VIII *principalium vitiorum suggestiones*, quas aut primus advertit, aut inter primos didicit, VIII *ex sanctarum Scripturarum testimoniis opposuit libros*: ad similitudinem videlicet Domini, qui tentatori suo semper Scripturarum testimoniis obviavit, ita ut unaquæque species vel diaboli, vel vitiosæ naturæ suggestionum, contra se haberet testimonia. Quod tamen opus eadem simplicitate qua in Græco inveni, jussus in Latinum transtuli.

B
1009 Composuit et anachoretis simpliciter viventibus *librum centum sententiarum* per capitula digestum, et eruditis ac studiosis *quinquaginta sententiarum*. Ego Latinum primus feci. Nam superiorem olim translatum, quia vitiatum per tempus et confusum vidi, partim reinterpretando, partim emendando, auctoris veritati restitui.

Composuit et cœnobitis et synoditis *doctrinam aptam vitæ communis.*

Et *ad virgines Deo sacratas* libellum competentem religioni et sexui.

Edidit et *paucas sententiolas* valde obscuras; et (ut ipse in his ait) solis monachorum cordibus cognoscibiles, quas similiter ego Latinis edidi.

Vixit longa ætate, signis et prodigiis pollens. Hactenus Gennadius.

Ex his Evagrii Operibus tria nunc hæc dubia vel explicanda vel corrigenda.

An quia dicitur scripsisse στιχηρά, quod Christophorsonus apud Socratem *carminum libros*, Langus C apud Nicephorum *versuum libros* vertunt, pro *Epeta* legendum est *Epea*, a Græco ἔπεα? Sane Ms. Moretanus *Epea* diserte habet. Quanquam alii στιχηρὰ vertunt *Elementaria*, ut Palthenius in præmissis ad Homilias sancti Macarii. Nisi quis suspicetur *epea* ortum ex Græco ΙΕΡΑ, quæ pars est verbi ἱερομοναχικά. Equidem librarii sæpe P Græcum cepere pro *P* Latino, et Græca Græce scripta velut Latinis litteris scripta exscribebant. Similem conjecturam suggeram mox ad Palladii Lausiacam, c. 9 notation. 4.

Jam reliquorum duorum vocabulorum facilior est ratio. Pro *Nonaxon* enim videtur legendum *Monachon*; nam eo nomine librum ab Evagrio scriptum testantur auctores.

Pro *Antiphyron* legero *Antirrheticon*. Ita etiam in Græco Veneto pro ἀτιρητικὰ restituendum Ἀντιῤῥητικά.

(27) *Poscam.*] Palladius Herveti, *ptisanam*, ubi in Græco est πτισάνη. Lexicon Græcolatinum vetus: Ὀξύκρατον, *posca*. Infra, capite 42: « Per reliquum D ævi sui tempus posca et sicco pane contenta vivebat. » Ita ibi restituo pro vulgato *postea*. Nam Palladius Herveti cap. 145, in eadem re habet *oxycraton*. Græce est ὀξύκραμα, quod proprie *posca*. Ms. Moretianus et Insulensis pro *posca* habebant *aqua*.

(28) *Inter quam Paulam Romanam, matrem Toxotii.*] Heraclides Ms.: « Inter quas et Paulam nomine, urbicam quamdam, Toxotii matrem, mulierem prudentem et spiritualem vidisse me memini, cujus filia Eustochium nomine apud Bethleem usque ad præsens tempus in monasterio suo degit; quoniam ipse quidem nescio, audivi tamen a pluribus ipsam esse castissimam, habentem quinquaginta virgines secum. » Heraclides Fabri eodem modo, nisi quod pro *Toxotii* habet *Eustochii*.

(29) *Justæ semper.*] Palladius, cap. 129, *Usia* proprium nomen habet. Heraclides videtur *justam* Theodoræ epitheton facere.

(3) *Dextro pede.*] Quid *dextro pede numerari?* Credo, intelligitur Chronium a cella sua versus dextram abiisse ad desertum, et ibi puteum effodisse. Id est, locus ubi puteus effossus est, distabat a Phœnice vico, unde oriundus erat Chronius, quindecim millibus passuum, *dextro pede numeratorum*, id est, eundo a cella ejus versus dextram. Apud Palladium, capite 89 Græce est: Ἀπομετρήσας ἀπὸ τῆς ἰδίας κώμης πλησίον οὔσης τῆς ἐρήμου μύρια πεντακισχίλια βήματα, τῷ δεξιῷ ποδὶ ἀριθμούμενα.

(31) *Chorepiscopi.*] Ante erat, *coepiscopus*, sed Palladius, cap. 106 χωρεπίσκοπον habet. Vide Onomasticon.

(32) *Amatæ.*] Existimo hic errorem esse in Heraclidis interprete; nam Palladio, cap. 137, dicitur *Amma Talida*. Jam vides unde *Amata* profluxerit. *Amma* in his libris aliquoties occurrit pro nomine appellativo, non proprio.

(33) *Mavorte.*] Mox, cap. 49, *quidquid vestium sericarum in mavortibus habuit*. Scribitur nunc *mavorte*, nunc *maforte*, Græcis μαφόριον.

(34) *Colothus vocabulo martyr, qui eisdem colebatur locis.*] Hinc Palladius Herveti explicandus. Ubi vulgatus marginum notator margini ascripserat: *Martyr hic dicitur, qui præest martyrio;* sed imposuit illi non plana Herveti versio.

(35) *Parens.*] Cave hic *parentem* pro patre accipias. Sæpe ævo inferiore *parens* pro cognato et affini accipitur. Sic supra, cap. 2: « Habebat autem et nonnullos parentes, inter quos filiam sororis suæ adoptaverat sibi. » Et sequenti cap. 51: « Non amico se, non clerico, non parenti, non cuiquam alii se credidit atque commisit. » Palladii vetus interpres, capite 12: « Non tanquam parenti, sed tanquam servo Dei, et monacho hæc offerimus. » Loquitur soror Marciano fratri. Vide Onomasticon.

(36) *Agentem in rebus.*] Palladio dicitur, *Magistrianus*. Nec ibi pro nomine proprio accipias. Dixi alias de hoc Magistriani nomine ad Martyrologium Adonis, 2 Julii. Vide etiam supra, ad Pelagium, libello VI, num. 24. Vide Onomasticon.

(37) *Ne affectibus quidem parcerent suis.*] Videtur insinuare tantam famem fuisse, ut homines ne quidem *affectibus suis*, id est, liberis parcerent. Palladius Græcus habet, cap. 114, Λιμοῦ γενομένου μεγάλου καὶ κατὰ σπλάγχνα χωροῦντος πάντων ἀνθρώπων. « Cum esset magna fames, et quæ omnium hominum pervadebat viscera. » Auctores sæpe usurparunt *affectus* pro liberis. Vide Onomasticon.

IN PALLADII LAUSIACAM.

(1) *Brumum.*] Intelligit *fetorem*. Inde *brumosum*, fetidum. [Vide dicta supra, ad librum III, num. 39, notat. 9.

(2) *Tauream.*] Male hoc cepit Hervetus pro *pelle taurina*, quasi carnifex taurina pelle induatur. Vult Palladius carnificem *taurea* seu flagello instructum.

(3) *Grutaria.*] Heraclides, cap. 6, simpliciter vocat *negotiationem*.

(4) *Neapoleponta.*] Divinabam proxime ad litteras has accedens, νεαρογέροντα, vel νεογέροντα. Nempe P, id est ρ Græcum, primis Editoribus visum fuit esse P, id est *p* Latinum. Apud Palladium, capite 19, dicitur παιδαριογέρων.

(5) *Nebulæ.* Heraclides, cap. 6, *crabrones*. Credo Palladii veterem interpretem incidisse in corruptum Codicem, et pro σκνίφες legisse νέφος vel νεφέλην, *nubem, nubilum, nebulam*, vel simile aliquod Græcum affine vocabulum.

(6) *Dehabent.*] Rarius verbum, nec facile obvium. Heraclidis interpres, cap. 2 hoc effert: *si forsitan egere videantur*. Hervetus, in cap. 6 Palladii: *si quid eis defuerit*. Hieronymus, epist. 22, ad Eustochium, De custodia virgin., *ut nemo quid postulet, nemo dehabeat.*

1010 (7). *Zabernam.*] Heraclidis interpres, cap. 7 *saccum* habet. Ita et Hervetus Palladii novus interpres, c. 22. Græce in Palladio Veneto est ζάβερνον, in aliis σάκκον. Vide Onomasticon.

(8) *Præfectiani.*] Ita correxi ex conjectura, Mss. destitutus, cum ante esset, *præfaciani*. Noti *præfectiani* posterioribus sæculis, pro apparitoribus præfecti prætorio. Et res ipsa hic ita capiendum docet.

(9) *Italicum olei.*] Sic cap. 8 Heraclidis : « decem et octo Italicos ipsius vini solus exhausit. » Vide Onomasticon.

(10) *Libralem manum.*] Heraclides, cap. 25, *Oxyrinchum*. Palladius Herveti, cap. 86, *celerem manum*. Intelligit Evagrium fuisse antiquarium, vel ταχυγράφον vel καλλιγράφον. Vide Onomasticon.

(11) *Rhinocerotis duceret.*] Palladius Herveti, cap. 86, ante habebat : « adeo ut corpus ejus, non secus ac corpus ferarum animantium, scateret muscis. » Correxi nunc, *ricinis scateret*. Heraclides, cap. 25 : « ut per corpus ipsius totum quædam papulæ illi, quas sæpe in corporibus vidimus, exirent. » Ubi Græce : Ὥστε τὸ σῶμα αὐτοῦ καθάπερ τῶν ἀλόγων ζώων κροτῶνας ἐκβρᾶσαι. κρότων Græcis nunc *ricinus*, id est vermis canibus infestus, nunc frutex est, nunc oleæ morbus, nunc cartilaginea pulmonis bronchea.

Sed quis his sensus, quæ constructio? *ut corpus ejus sicut irrationalis animalis rhinocerotis duceret?* si *rhinocerotis* jungatur cum *animalis*, deest sensui aliquid, et nescio an *rugas duceret*, vel simili aliquo modo supplendum sit. Quid vastum animal *rhinoceros* hic faciat, si quidem alios interpretes inspiciamus) non video. *Ricinus* pro Græco vocabulo κρότων facit. An ergo legendum *ricinos duceret*, id est, *ricinis* vermibus vel insectis scateret? an *cynorrhaistas duceret*, quod κρότων seu *ricinus* etiam Græcis dicitur κυνοῤῥαϊστής a canum infestatione? Atque ita *ricinus* vel *cynorrhaistes* degenerasset in *rhinocerotis*

Unam hanc conjecturam adhuc annectere placet, ut legamus *durescerel*, pro, *duceret*. Ita et sensus et constructio constabit. Notum durissimam rhinocerotis pellem esse. Vide Onomasticon.

κρότων etiam Græcis pro ulcere capitur apud Pollucem, lib. v, cap. 15. An igitur ex diurna nocturnaque sub dio statione totum exulceratum est? Ita accepit hic κροτῶνας Heraclidis interpres, qui *papulas* vertit.

(12) *Pisper.*] Fluminis hujus nomen deest Herveti versioni. Ab hujus vicinitate ipse mons Antonii ita etiam vocatus. Ruffinus, lib. II Hist., cap. 8 : « Pœmen et Joseph in Pispiri, qui appellatur mons Antonii. »

(13) *Chindii vini.*] Chindium vinum nondum mihi alibi lectum. Notum vinum *Chium*. Sed non existimo intelligi de vino Chio, quasi ejus usus apud eremitas Ægyptios fuerit. Potius lego *Chydæum*. Notum vinum *Chydæum* inter vina factitia e Chydæis palmulis. Plinius, lib. XIV, cap. 16. Vide Onomasticon.

IN ÆGYPTIORUM PATRUM SENTENTIAS.

(1) *Martino.*] Fuit hic abbas Dumiensis, et bracarensis episcopus. Vide prolegom. 25.

(2) *Conductelæ.*] Ita Ms. Toletanus. In Ms. Sancti Floriani est, *Conductilem*. Inferiori sæculo variæ voces formatæ ea inflexione. *Conductela* pro conductione rarius occurrit.

(3) *Dijudicari.*] Ita Ms. Toletanus; sed in Ms. Floriani est *dirimari*.

(4) *Et mittens pænitentiam ante ipsum.*] Interserebatur in Ms. Toletano glossema, *id est, jactans se ad pedes ejus*, quæ vera est explicatio ejus quod Græcis est βάλλειν μετάνοιαν. Vide dicta supra, ad Vitam sancti Basilii cap. 11, n. 54, et Onomasticon.

ONOMASTICON

RERUM ET VERBORUM DIFFICILIORUM

QUÆ IN HIS PATRUM VITIS OCCURRUNT.

1011 Memineris, lector, multa in notationibus explicata, quorum hic nulla fit rememoratio. Rariora nunc tantum quædam attingo, quæ supra obiter perstricta, nunc pluribus firmantur testimoniis. Quanquam et nonnulla hic annotata invenies, quorum nulla in notationibus facta mentio. Nec omnia tamen, quæ de singulis collegi, nunc insimul do. Sufficiant hæc nunc ad lucem quarumdam rerum et verborum obscuriorum.

ABSIDA. Vita Macarii Romani, cap. 8 : « Et ecce ante nos maximam invenimus absidam, in circuitu scriptam. » Ita constanter Mss.

Dubitatum olim an *absis*, an vero *absida* diceretur. Paulinus Severo epistola duodecima : « In qua æque absidem factam indicavit. Sed de hoc absidam aut absidem magis dicere debuerim, tu videris; ego nescire me fateor, quia hoc verbi genus nec legisse reminiscor. » Quem locum respicit Isidorus, lib. XV Originum, cap. 8 : « Sed utrum absidam an absidem dicere debeamus, hoc verbi genus ambiguum quidam doctorum existimant. Utrumque auctoribus usurpatum. »

Occurrit *absis* apud sanctum Augustinum, epist. 225, ad Albinam : « Dicebam ego quibus poteram, qui ad nos in absidem honoratiores et graviores ascenderant. » Concilium Carthaginense III, can. 32 : « Cujuscunque autem pœnitentis publicum et vulgatissimum crimen est, quod universa Ecclesia noverit, ante absidem manus ei imponatur. » Quod etiam citatur Capitularium lib. V, tit. 53, et in Decreto, causa 16, q. 9. Aimoinus, lib. IV, capite 252, *Absis ecclesiæ*.

Absidam habet Augustinus epist. 203, ad Maximinum episcopum Donatistarum : « Transit honor hujus sæculi, transit ambitio. In futuro Christi judicio nec absidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ, nec sanctimonialium occursantium atque cantantium greges adhibebuntur ad defensionem. » Evodius, lib. I, cap. 3, de miraculis beati Stephani : « Cum in loco absidæ super cathedram velatam essent reliquiæ constitutæ. » Et lib. II, c. 1 : « Ipsaque etiam per se gradus absidæ

conscendens, universis eminus conspicienda astabat. » Isidorus, lib. XV Origin., capite 8 : « Absida Græco sermone, Latine interpretatur lucida, eo quod lumine recepto per arcum resplendeat. » Quæ exscribens Walafridus Strabo de rebus Ecclesiast. cap. 6 : « Absida Græce, Latine lucida dicitur, quia lumen acceptum per arcum intromittit. » Gregorius Turonensis, De Gloria martyrum lib. I, cap. 63 : « In pariete, qui a parte erat oratorii, absidam collegit. » Ita Ms. vulgo, *in absida collegit.* Idem, libro De Gloria confessorum, cap. 96 : « Ante vitream absidam, qua sancta (Albini) concluduntur membra, sedebat. » Ita Ms. Idem, libro de Vitis Patrum, in Gregorio Lingoniensi episcopo, cujus reliquias Tetricus episcopus transferre volebat: « Ante altare basilicæ fundamenta jacit, erectaque absida miro opere construit, et transvolvit. » Ita Ms. Hincmarus, Rhemensis episcopus, de gestis habitis pro divortio Thietbergæ, respectans ad concilium : « Et sacri canones jubent ut pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt, imposituram manuum et cilicium super capita a sacerdote, sicut ubique vulgatum est, ante absidam capiant. Quod unusquisque publice pœnitens ab episcopo suo, de cujus parochia est, debet suscipere. » Annales Francorum, pag. 29 : *In absida ecclesiæ.* Glossæ veteres : *Absida, sedes episcoporum.* Ibi sedem episcopi fuisse declarat locus Augustini supra, epist. 225, ubi præcedit : « ad nostra subsellia, relicta turba, redieram. »

Absidas has loco eminentiore fuisse, ideoque gradatas, declarant loca Augustini et Evodii supra adducta. Leo Marsicanus, lib. I, cap. 19 : « In basilicæ absida media, ad quam per octo gradus ascenditur, altare constituit. »

Supersedeo plura aggerere loca. Hæc autem aggessi, ut ex iis *absidæ* usus aliquo modo innotesceret. Onuphrius Panvinius, in explicatione vocum quarumdam ecclesiasticarum *absidæ* nomine intelligit quam Itali *ecclesiarum tribunam* vocant : « Forte quia olim vocabatur tribunal, » vel certe *tribunal* in abside erat. Gregorius Turonensis, lib. II Miracul., cap. 2 : « Denique oratione facta, erigo oculorum aciem ad tribunal, conspicioque in eo versiculos hoc modo conscriptos :

> Heroas Christi geminos hæc continet aula,
> Julianum capite, corpore Ferreolum.»

Quod Hesychius ἀψῖδας, præter rotæ circulum etiam καμάρας explicat, dum ait, Ἀψῖδες, τὰ κύκλα τῶν τροχῶν, αἱ περιφέρειαι, ἢ καμάραι, intelligit id de quo hactenus egimus. Sic *camera* Gregorio Turonensi, lib. I, De gloria martyrum, cap. 47 : « Dum in honore **1012** ipsorum martyrum, missarum solemnia celebrarentur, cecidisse e camera tabulam unam. » Severo Paulinus, epist. 12 : « Basilica igitur illa, quæ ad Dominædium nostrum communem patronum in nomine Domini Christi jam dedicata celebratur, quatuor ejus basilicis addita, reliquiis apostolorum et martyrum intra absidem trichora sub altaria sacratis, non solo beati Felicis honore venerabilis est. Absidem solo et parietibus marmoratam camera musivo illusa clarificat. »

Ex dictis quadruplex *absidæ* usus eruitur, ut tum significet curvaturam rotæ, tum arcum cui aliqua fit inscriptio, tum locum editiorem ubi sedet episcopus, tum cameram in qua reliquiæ Sanctorum conduntur. Quæ fere Glossarium Camberonense manuscriptum exprimit : « Absida dicitur exedra, id est, sacratorium ; vel loculus, id est feretrum. » Idem : « Absida Græce interpretatur lucida, eo quod lumine accepto per arcum resplendeat. » Quod verbotenus ex Isidoro supra citato acceptum vides. Idem : Absida, sphæra seu hemisphærium. »

ABSPES. Vita Onuphrii, cap. 10 : « Abspes eram multoties vitæ. » Quod Græcis ἀπελπίζων.

ACIES. Leontius, in Vita sancti Joannis Eleemosynarii, cap. 21 : « quæ collecta erant a Mauris in acie ipsorum. » Dubium videri possit an in Græco fuerit φάλαγξ, quod nunc aciem seu multitudinem exercitus, nunc trutinam significat. Certe hic stateræ fit mentio, in qua dicuntur actus ejus appensi. Hinc *aginari* et *acinari* a scapo trutinæ. Festus : « Agina est, qua inseritur scapus trutinæ, id est, in quo foramine trutina se vertit. Unde aginatores dicuntur qui parvo lucro moventur. » Glossarium Camberonense Ms : « Aginator, negotiator; dictus ab agina. Agina enim dicitur illud foramen in quo scapus trutinæ inseritur, et in quo trutina se vertit. Inde aginator dicitur, qui parvo lucro movetur. » Idem : « Aginare, explicare, agitare, fugare, dictum ab agina, quod est scapus trutinæ, quæ ideo sic vocatur quod ea mensura ponderis agatur. » Glossæ Isidori : *Agginantes, explicantes.* Et quia *g* et *c* mutuas sibi operas præstant, hinc in Glossis Isidori : *Acinari, tricari, in parvo morari.* Ita etiam habet Glossarium Camberonense Ms.

Alia significatione in Glossario : *Aginat*, στρατεύεται. *Aginare*, στρατεύειν. Existimo enim intelligi *Agentes in rebus*, qui pars militiæ erant. Jos. Scaliger, ad Festum, legit τρακτεύεται et τρακτεύειν, id est, *negotiari.* Forte quispiam divinabit legendum στραγγεύειν et στραγγεύεται. Nam a στράγξ *gutta*, fit στραγγεύω, *guttatim exprimo*, et metaphorice, *premo, et quasi per angustum foramen exire cogo.*

ACUTI. Pelagius, libello XV, n. 48 : « Sicut impossibile est navim fabricari sine acutis. » An in Græco ab ὀξὺς aliquod nomen deductum fuerit, quod interpreti occasionem dederit vertendi *acutos*, equidem nescio. Existimo tamen hic per *acutos* intelligi ἥλους ἢ γόμφους, *clavos vel gomphos*, quod utrumque in navium compactione refertur a Polluce, lib. I, c. 9, § 2. Isidorus, lib. XIX Orig., cap. 34 : « Clavati quasi calceati, eo quod minutis clavis, id est, acutis soleæ caligis vinciantur. » Sic forte ab acutis gomphis rastrum, instrumentum rusticum, dictum Græcis ὀξίνα. Hesychius : Ὀξίνα, ἐργαλεῖόν τι γεωργικὸν σιδηροῦς γόμφους ἔχον ἑλκόμενον ὑπὸ βοῶν. « Oxina, instrumentum rusticum, ferreis gomphis constans, quod a bobus trahitur. Aliud infra bisacuti.

Adviveré [1]. Probum verbum, sæpe in *adhuc vivere* mutatum. Hieronymus, in Vita Malchi, num. 3, *ut dum adviveret mater*. Idem, libro I contra Jovinianum, cap. 28 : « Licet certior hæreditas sit, dum advivis, bene abuti substantia tua, quam tuo labore quæsita in incertos usus relinquere. » Tertullianus, de Anima, cap. 57 : « Et hi vel maxime, qui in ipsis tunc fuerunt cum adviverent. » Gregorius Turonensis, lib. IX : *Dum advivit possideat*. Jurisconsultis quoque nota vox, l. 23, § Testamento, d. De liber. leg.; l. 50, d. De adim. leg.; l. 30, § Testamento, d. De testam. milit.; leg. Visigoth., lib. IV, tit. 2, l. 13 : « Medietatem vero, dum advixerit, pater sibi vindicet, filiis post obitum relinquendam. » In iisdem, lib. V, tit. 2, l. 4 : « Ita et illa quæ usu hoc ad possidendum percepit, omnia dum advixerit, sine cujuslibet inquietudine suis incunctanter utatur expensis. » Item, lib. XII, tit. 3, l. 13 : « Jurare debebunt, quia quæ eorum professio continet, sincero et non maculato corde profiteantur, se donec advixerint conservare. »

Ægyptus olim varie divisa, seu provincias, seu diœceses spectes. Vide Philippi Berterii Pithanon Diatribam I, cap. IV. Sæpe apud auctores occurrit *Ægyptus inferior* et *superior*. Socrates, lib. IV, c. 18, Ægyptum superiorem opponit Alexandriæ. Agens enim de duobus Macariis ait : Ὧν ὁ μὲν ἐκ τῆς ἄνω Αἰγύπτου ἦν· ὁ δὲ ἐκ τῆς Ἀλεξανδρείων πόλεως : « Quorum alter ex superiore Ægypto, alter ex urbe Alexandria oriundus. » Fere Thebais et Ægyptus inter se distinguuntur. Hieronymus, in Vita Pauli primi eremitæ : « Multas apud Ægyptum et Thebaidem tempestas sæva populata est. » Ægyptus absolute posita, vel totam regionem Ægypti significat, vel etiam Thebaidam comprehendit, vel partem ejus circa Alexandriam, quam vocant Ægyptum inferiorem ; uti Thebaida vocant superiorem Ægyptum. Ptolemæus, de Delta et fluviis circa Delta in inferiore Ægypto : καλεῖται δὲ κοινῶς ἡ περὶ τούτους τοὺς ποταμοὺς χώρα κάτω : « Vocatur autem communi vocabulo regio, quæ circa hos est fluvios, inferior. » Et de superiore parte, seu Thebaide : Τὰ δὲ ἔτι μεσημβριώτερα τῶν Ἑπτανομίων καλεῖται Θηβαῒς, καὶ ἄνω τόποι : « Quæ autem adhuc australiora Heptanomis sunt, vocantur Thebais, et loca superiora. » Regiones et diœceses Ægypti et Thebaidis colligi possunt ex subscriptione concilii Niceni, et aliorum.

Æther neutro genere. Vita Onuphrii, cap. 16 : « Æthera angelicis cantibus resonantia. » Complures auctores sequiore ævo ita æther usurparunt. Ennodius, lib. II, epist. 13 : « Non sic pernix æther acta nervis arundo proscindit. » Idem, lib. VI, epist. 38 : « Facilius credo cursus fluminum in diversa revocari, et relictis fluentorum alimoniis æther vacuum pisces expetere. » Idem, in Apologetico, de Synodo : « Videbant æther tantum directis a se jaculis verberari. » Marius Victor Massiliensis, lib. I :

Sed quid est quod mundus erat, quod sidera et ortus,
Ætheraque et vitreum pelagus.

Beda, in Vita Cutperti, cap. 9 :

Clausa diu reserans credentibus æthera sæclis.

Fortunatus, lib. IX, carm. 1 :

Aera temperie faveant tibi tempora pace.

Aldelmus De octo principalibus vitiis :

Adduci merear, Christo regnante per æthra.

Ita Ms. *æthra* pro æthera, ubi Canisius *æthram* substituit. Idem, de Laude virginitatis, in præfatione :

Aut Zonæ mundi, quæ stipant æthera celsa.

Idem, cap. 5, in Joanne Baptista :

1013 Æthera celsa tonant dum fatur Rector Olympi.

Idem, de Laude virginitatis, cap. 37, in sancta Thecla :

Quamvis verborum rorarent imbre parentes,
Sicut nimbosis stillabant æthera guttis.

Idem, ibidem, cap. 23, in sancta Babyla :

Æthera glauca petit devicta morte triumphans.

Affectus, id est, parentes, liberi et nepotes, quibus affectum et amorem natura duce debemus. Heraclides, c. 54 : « Nam cum adeo illi fame quodam tempore laborarent, ut homines ne affectibus quidem parcerent suis. » Apuleius, de Philosophia : « Nec angetur charissimis orbatus affectibus. » Marcus imperator : « Quod interim a te publicari nolo, ne aut ad ipsum Papirium, aut ad ejus affectus perveniat. » Capitolinus Maximino : « Timentes igitur milites, quorum affectus in Albano erant. » Idem Gordianis : « Affectus suos unice dilexit, filium et nepotem ultra morem, filiam et neptem religiose. » Idem, in Antonino philosopho : « Antoninus quidem non est satis motus defectione Cassii, nec in ejus affectus sæviit. » Vulcatius Gallicanus, in Avidio Cassio : « Nec tamen Antoninus graviter est iratus rebellione cognita, nec in ejus liberos aut affectus sæviit. » Paulinus senior ad militem : « Ideo nec affectum, nec patriam, nec honores, nec divitias Deo præferre debemus. » Paulinus junior, in Eucharistico :

.... jamdudum cunctis affectibus expers,
Prima socru, ac matre dehinc et conjuge functa.

Agape. Pelagius, libello XIII, n. 15 : *ut acciperent agapem*. Clare hic agape usurpatur pro eleemosyna, seu parte aliqua, quæ ex charitate egenti datur. Sæpius hæc vox in his libris occurrit. Pelagius, libello X, num. 46 : « Semino agrum meum, et facio ex ipso agapem. » Idem, libello XV, num. 31 : « Præbentes ei quæ necessaria erant, ut faceret pro eis agapem. » Palladius, cap. 18 : « Et fero panes, quoniam est agape tui noti fratris ; et cras illucescente Sabbato opus est oblationibus. » Heraclides, cap. V : « Quia ipse frater tuus agapen facturus est. » Sic Cassianus, collatione XXIV, capite 12 : « Agapen alienæ operationis exspectat. » Agapen vocat opem largitionis alienæ, et opponit rei, quam quis proprio labore comparavit. Tertullianus, ad martyres, cap. 2 : « Imo et quæ justa sunt, caro non amittit per curam ecclesiæ et agapen fratrum. » Paulus Diaconus, de Gestis Langobardorum, lib. I, cap. 26 :

Signat adesse dapes agapes, sed lividus obstat.

Capitur fere pro solemni convivio in templis vel memoriis martyrum exhiberi olim solito. Vide concilium Gangrense, can. 11 ; Laodiceum, can. 27 et 28.

[1] Vide supra, col. 208, quia in hoc verbum Rosweydus nosque simul notaverimus. (Edit.)

AGENS IN REBUS. Heraclides, cap. 53 : « Juvenem quemdam agentem in rebus, etc., commovit. » Quo loco Palladius, cap. 148, Græce, μαγιστριανὸς habet. Erat e Palatinis officiis. Ambrosius, epist. 13, lib. II, ad Marcellinam sororem : « Palatina omnia officia, hoc est, memoriales, agentes in rebus, apparitores diversorum comitum. » Tamen et in provinciis species annonarias curabant, et præerant etiam evectioni publicæ. Dicuntur et *Magistriani*. Vide infra.

• ALMIRIDENSES. Vita Epicteti et Astionis, cap. 6 : « In Scytharum fines ingressi sunt, atque in Almiridensium civitatem devenerunt. » Ex his colligitur Almiridensium civitatem in Scythia esse. Sed apud quem auctorem hujus urbis memoria? Existimo Almiridensium, seu Halmiridensium civitatem dictam a lacu, qui Halmyris Plinio lib. IV, cap. 12, dicitur in hoc tractu : « Ex eodem alveo et super Istropolim lacus gignitur LXIII m. p. ambitu, Halmyrin vocant. » Lacum hunc Danubius facit, quem Pinetus in suo Plinio vulgo vocari ait *Lac de Notre-Dame de Danubi*, id est, *lacus divæ Virginis Danubianæ*. Forte *Salmorudis* Antonini. Nicephorus, lib. XII, cap. 29, postquam dixit Eunomium jussu Theodosii Halmyridem deportatum, addit : « Est autem Halmyris Mysiæ in Europa locus, ad Istrum situs. » Haud dubie hinc Halmyridensium civitas dicta, itaque scribenda.

Ex descriptione Plinii, juxta Peucen collocanda est, quæ est in Mysia inferiore. Mysia autem inferior etiam Scythiæ nomine venit, unde in Mysia inferiore sunt Tomi, locus exilii Ovidii, quos in Scythia ponit ipse Ovidius. In Notitia imperii multa loca Mysiæ inferioris invenies ad Scythicam præfecturam pertinere.

AMMA. Pelagius, libello XVIII, n. 19 : « Vos, inquit, estis fatuæ; nam hæc et vestra et mea est Amma. Hoc enim in ea vocant illi feminas spirituales. » Palladius, cap. 42 : Αὐτὴ γὰρ καὶ ὑμῶν καὶ ἐμοῦ ἀμείνων οὖσα Ἀμμάς ἐστιν, οὕτω γὰρ καλοῦσι τὰς πνευματικὰς μητέρας. « Hæc enim et vobis et me melior existens Amma est. Sic enim vocant matres spirituales. » Sic apud eumdem Palladium, cap. 37, *Amma Piamun*; cap. 137, *Amma Talida*. cap. 138, *Amma Taor*. Non abeunt ab hac Ammæ significatione quæ Hesychius habet : Ἀμμά, μήτηρ, τροφός. Amma, mater, nutrix. Ἀμμάς, τροφὸς Ἀρτέμιδος, καὶ ἡ μήτηρ, καὶ ἡ Ῥέα, καὶ ἡ Δημήτηρ. « Ammas, nutrix Artemidis, et mater, et Rhea, et Demeter, » seu Ceres. Quod igitur abbas erat inter monachos, hoc Amma inter virgines sacratas.

ANTIQUARIUS. Velus Lausiaca Palladii, cap. 15 : « Pulchre enim scribebat libralem manum. » Lexicon Græcolatinum καλλιγράφος, *librarius*, id est, *antiquarius* erat. Nam antiquarii erant qui bibliothecæ Codices componebant, vel vetustate oblitteratos reparabant, ut docent impp. Constitut., l. II, in princ. Cod. Theod.; de Stud. lib. urb. Rom., lib. XIV Cod. Theod. Augustinus, de Verbis Domini, serm. 44 : « Quemadmodum qui videt litteras in Codice optime scripto, et non novit legere, laudat quidem antiquarii manum, admirans apicum pulchritudinem. » Lexicon

A Latinogræcum, *Antiquarius*, ἀρχαιογράφος, καλλιγράφος. Apud Cassiodorum, lib. II Histor. Tripart., cap. 16 : « Quinquaginta membranaceos Codices, bene confectos et ad usum habiles, ab artificibus antiquariis, et perfecte artem scientibus scribi præcipias. »

APHRODITOS. In Vita sancti Hilarionis, *num.* 30, intelligitur de Aphrodite, quæ Stephano dicitur juxta Athribin, quæ Aphroditopolis Straboni lib. XVII. De ea intelligi hunc locum colligitur ex itinere Hilarionis; et ex monte Sancti Antonii, ad quem properabat.

APOCRISIARIUS. Moschi cap. 88, habes Thomam *apocrisiarium* cœnobii; et cap. 88, alium quemdam *apocrisiarium* Gennadii patriarchæ Constantinopolitani : unde colligitur apocrisiarios curasse negotia ecclesiarum et cœnobiorum. Glossæ Isidori : *Apo-*
B *chrysiarius, minister Romanæ ecclesiæ*. Glossarium Ms. Camberonense: *Apocrisiarius, secretarius*. Papias vocabulista : *Apochrysarius, thesaurarius, vel legatus*. Justinianus, novella 6 : Διὰ τῶν τὰ πράγματα πραττόντων τῶν ἁγιωτάτων ἐκκλησιῶν, οὓς ἀποκρισιαρίους καλοῦσιν : « Apocrisiarii vocantur, qui sanctissimarum ecclesiarum negotia curant. » Occurrit passim apud scriptores posterioris ætatis. Est videlicet *apocrisiarius* ὁ ἐπὶ τῶν ἀποκριμάτων, a *responsis*. Quod apud Georgium patriarcham Alexandrinum in Vita sancti Chrysostomi est ἀποκρισιάριος, Godefridus
1014 Tilmannus vertit, *secretarius*. De munere hoc vide Hincmarum epist. 3, cap. 13.

AQUA ASPERGI. Vita Hilarionis, *num.* 20 : « Scyphum fictilem aqua jussit impleri, etc.; equos asper-
C sit. » Vide ibi. Sosipater Charisius, Inst. Gram. l. I, capite *Deficientium*, ait : « Ad æquas an ad aquas vocari dici debeat, quæsitum est. Qui ad aquas dicunt, enarrant quod ex luco Camœnarum aqua religiosa afferri soleat, purificandi causa. Sed melius ad æquas, quod olim greges equorum in Circum inducebantur; ibique per populum cursu æquabantur. » Philippus Rubenius, Electorum lib. II, cap. 18, præfert legi *ad aquas*, atque ita interpretatur quod est apud Ulpianum. De his qui notantur infamia, l. IV : « neque agitatores, nec qui aquam equis spargunt, » videlicet, non de vulgari aliqua sparsione aut ad recreandos equos, uti Alciatus, VI Parerg., capite 3, sed de solemni quadam et cum religione, imo superstitione, conjuncta. Nam fuisse mos videtur, ut quoniam Cir-
D censes sacri ludi erant, honorique deorum dicati, equi certaturi prius lustrarentur, et aqua e certo loco petita spargerentur. Idem existimat Hilarionem hunc ritum in mente habuisse, et profanam hanc aquam alia aqua damnasse. Sic forte putat legendum in lapide veteri inter officia Circensium, *Sparsor* pro *Spartor*, nisi, inquit, hoc a sparto sit, et ad circi metarumque dealbationis munus pertineat. Nam in Glossis ita scriptum *Spartum*, λευκαία ἐν θεάτροις.

ARCHISTERIUM. Vita sancti Antonii, cap. 53 : « Et cum judices, qui ad interius archisterium propter asperitatem itineris, etc., ire non poterant. » Glossarium Stewechii Ms., *Arcisterium, monasterium*. Glossarium Camberonense Ms., *Archisterium, monaste-*

rium. « Archisterium, principalis statio; sterion enim statio dicitur, archos princeps. » Idem : « Sterion Græce, Latine statio. » Ibidem : « Sterium, solitarii habitatio. » Equidem Antonii *archisterium interius* in monte erat præcipua et principalis ejus habitatio. Capitur tamen pro quovis monasterio. Vita sancti Walburgis, lib. III. « Et adjacens arcisterio cœmeterium. » Ibidem : « Hujus sancti atrium arcisterii merui contemplari. » Paulus Langus, in Chronico Citizensi (tomo I Germanorum Scriptorum a Pistorio editorum), anno 1469 : « In carmine quodam, quod in præconium præfati Bursfeldensis archisterii ediderам. » Idem, pag. 886 : « Sub Trithemii militabam obedientia in archisterio divi Jacobi prope Herbipolim. » Hinc *archisteriale.* Vita sancti Willibaldi : « Verum et arcisteriali jam jugo constrictus, nunquam sine abbatis sui licentia pergere judicaret dignum. »

A

Arsinoe. Vitæ Antonii cap. 14 : « Quid sane et in Arsenoitarum oppido gestum sit, non transibo silentio. » Cum duplex sit Arsinoe et Arsinoites Nomus in Ægypto, hic intelligitur de Arsinoe seu Crocodilorum oppido ad Nilum, ut patet hic ex adjunctis, cum ad Arsinoen Nilum crocodilis infestum transit Antonius. Alia Arsinoe est ad Charandram sinum,

B

Artaba. Vitæ Joannis Eleemosynarii, cap. 3 : « Omnia in una Campana statera, modio et artabe, vendere et emere contestabatur. » Palladius, c. 76 : « Acceperunt unusquisque frumenti annuas duodecim artabas, qui sunt veluti quadraginta, qui apud nos dicuntur modii. » Interpres Aristophanis, in Acharn., de artaba : Περσικὸν δὲ καὶ Αἰγύπτιον τὸ ὄνομα : « Artaba Persicum et Ægyptium nomen est. » De Ægyptiorum artaba Fannius :

> Est etiam terris, quas advena Nilus inundat,
> Artaba, cui superat modii pars tertia post tres.
> Namque decem modiis explebitur artaba triplex.

C

Hieronymus, in cap. v Isaiæ : « Pro *triginta modiis*, quos nos pro *coro* posuimus, qui Hebraice dicitur *homer*, LXX verterunt ἀρτάβας ἕξ., quæ mensura Ægyptiaca est, et facit modios viginti. » Plane quadrat æstimatio artabæ apud Hieronymum, cum ea, quæ est apud Palladium jam citatum. Idem, in cap. XI Danielis : « Ita ut (Ptolemæus Philadelphus) de Ægypto per singulos annos quatuordecim millia et octoginta talenta argenti acceperit, et frumenti artabas (quæ mensura tres modios et tertiam modii partem habet) quinquies et decies centena millia. » Ignotus Græcus libro de ponder. et mensuris : Αἰγυπτία ἀρτάβη μέτρον ἔχει μοδίους ε'· ὁ δὲ μόδιος ὁ Αἰγύπτιος καὶ ὁ Ἰταλικὸς ἔχει χοίνικας η'. « Ægyptia artaba capit modios quinque; modius vero Ægyptius et Italicus continet chœnicas octo. » Papias : « Artaba, genus mensuræ Syriacæ, quæ tres modios facit et trientem. »

D

De Persarum et Medorum artaba Hesychius : Ἀρτάβη μέτρον Μηδικὸν σίτου, Ἀττικὸς μέδιμνος : « Artaba mensura frumenti apud Medos, Atticus medimnus. » Herodotus Clio, seu lib. I : Ἡ δὲ ἀρτάβη, μέτρον ἐστὶ Περσικὸν, χωρέον μεδίμνου Ἀττικοῦ πλεῖον χοίνιξι τρισὶ Ἀττικῇσι : Est autem artaba mensura Persica, capacior quam Atticus medimnus, tribus chœnicibus Atticis. » Sed omnino varia mensura fuit artaba. Nam Eupolemus, apud Eusebium, lib. IX, cap. 4 Præpar. Evang., explicans epistolam Salomonis ait : Ὁ δὲ κόρος ἐστὶ ἀρταβῶν ἕξ : « Corus vero est artabarum sex. » Consule Villalpandum nostrum, Apparatus in Ezechielem parte II, lib. III, cap. 11.

Aruræ. Evagrius interpres Vitæ sancti Antonii, cap. 2 : « Aruræ autem erant ei trecentæ uberes et valde optimæ. » Retinuit interpres vocem Græcam ἄρουραι, pro quo vulgo substitutum *palmæ*. Occurrit eadem vox hac eadem Vita, cap. 15 : « Et statim intelligit parvis aruris, et parietibus, vel modica auri portione contempta, nec gloriari se debere, quasi magna dimiserit. » Ubi pro *parvis aruris* in Græco est, ὀλίγας ἀρούρας; quod Hœschelius vertit *campos exiguos*, et Coloniensis editio habet, *parvis thesauris*. Propria Ægypto terræ divisio in aruras. Strabo, lib. XVII, de Ægypti divisione : Ἡ δὲ χώρα τὴν μὲν πρώτην διαίρεσιν εἰς τομοὺς ἔσχε, δέκα μὲν ἡ Θηβαΐς, δέκα δ' ἡ ἐν τῷ Δέλτα, ἓξ καὶ δέκα δ' ἡ μεταξύ· ὡς δέ τινες, τοσοῦτοι ἦσαν οἱ σύμπαντες νομοὶ, ὅσαι αἱ ἐν τῷ λαβυρίνθῳ αὐλαί· αὗται δ' ἐλάττους τῶν τριάκοντα. Πάλιν δ' οἱ νομοὶ τομὰς ἄλλας ἔσχον· εἰς γὰρ τοπαρχίας οἱ πλεῖστοι διῄρηντο, καὶ αὗται δ' εἰς ἄλλας τομάς, ἐλάχισται δ' αἱ ἄρουραι μερίδες : « Regio initio in præfecturas divisa fuit, quas Nomos vocant : Thebaica quidem in decem; quæ vero in Delta, in totidem; intermedia autem in sedecim, et (ut quidam volunt) tot erant hujusmodi præfecturæ, quot aulas labyrinthus habebat, quæ circiter triginta erant. Rursum hæ præfecturæ divisiones liberas habent; majore enim e parte in toparchias divisæ fuerunt; toparchiæ rursus in portiones alias, quarum minimæ aruræ erant. » Non recte interpres hic *arva* verterat. Horapollo, lib. I, cap. 5 : Ἔτος τὸ ἐνιστάμενον γράφοντες, τέταρτον ἀρούρας γράφουσιν· ἔστι δὲ μέτρον γῆς ἡ ἄρουρα, πηχῶν ἑκατόν : « Instantem annum significantes, quartam aruræ partem pingunt. Est autem ἄρουρα terræ mensura, centum complectens cubitos. » Herodotus, Euterpe, seu lib. II : Γέρεα δέ σφι ἦν τάδε ἐξαραιρημένα μούνοισι Αἰγυπτίων πάρεξ τῶν ἱερέων· ἄρουραι ἐξαίρετοι δώδεκα ἑκάστῳ ἀτελέες· ἡ δὲ ἄρουρα **1015** ἑκατὸν πήχεών ἐστι Αἰγυπτίων πάντη· ὁ δὲ Αἰγύπτιος πῆχυς τυγχάνει ἴσος ἐὼν τῷ Σαμίῳ. « His solis (qui dicuntur Calasiries seu pugnatores) Ægyptiorum præter sacerdotes hoc eximium honoris habebatur, ut singulis duodecim aruræ essent exemptæ et immunes. Est autem arura centum cubitorum Ægyptiorum quoquoversus. Ægyptius vero cubitus Samio par est. » Suidas : Ἀρουραία μάντις, ἐπὶ τῶν νωθρῶν καὶ ἀπράκτων. Ἔστι δὲ ἀκρὶς δυσκίνητος, χλωρὰ, καλουμένη μάντις, ἧς τινες προσέχοντες ταῖς κινήσεσι μαντεύονται. Ὅτι ἡ ἄρουρα πόδας ἔχει ν', « Rusticana vates, de segnibus et ignavis. Est autem locusta admodum tarda motu, viridis, quæ vocatur mantis, id est, vates; cujus motus quidam observantes vaticinantur. Arura pedes habet quinquaginta. » Ubi Æmilius Portus sensum non percepit, cum extrema vertit : « Rus pedes habere dicitur. » Et ingenue professus est, N. L. Legerat ille ἔχειν, cum legendum esset

ἔχει ν'. Ita habet Ms. noster Antuerpiensis. Nempe arura est dimidium plethri, plethrum autem continet pedes centum quaquaversum, ut idem Suidas ait.

Arura Scriptoribus Latinis etiam usurpata, non pro certa terræ portione, sed generatim pro terra seu agro. Velius Longus, de Orthographia : « Filix, quam ita credo dictam, quod sit minus felix aruræ. » Hinc *aruræa*, id est agrestis, rurestris. Marcellus Empiricus, lib. de Medicamentis, pag. 63 : « Lacertas pisinnas, quæ in segetibus morantur, quas Græci aruræas vocant. » Unde proverbium, Μάντις ἀρουραία, ut in Suida jam citato.

Aspitare. Vita Joannis Eleemosynarii, cap. 51. « Uno hinc et altero hinc aspitantibus. » Ita Mss., ubi Editi, *assistentibus*. Glossæ Isidori : *Aspita, ruina*. Ita et Glossarium Ms. Camberonense. Videndum tamen num pro *ruina* legendum sit *veruina*. Certe *spitum* dicitur *veru*. Glossarium Camberon. : *Assium, veru*; *id est spitum*.

Assuesco, id est, *assuefacio*. Hieron., in prologo Vitæ Malchi : « Dispositumque per tabulata militem, pendenti gradu, et labente vestigio firmiter stare assuescunt. » Ita Mss., quod vulgo mutarunt in *adsuefaciunt*. Dionysius Exiguus, Vita Pachomii, capite 23 : « Sed paulatim assuescit ea, levioribus exercens ante ponderibus. » Ita Mss. et vetus editio, ubi Coloniensis substituit, *assuefacit*. Priscianus, lib. VIII, cap. de Verbis communibus : « *Assuesco*, absolutum est, invenitur tamen pro *assuefacio*. Lucanus, in V : « Adde quod assuescis satis, » pro assuefacis.

Babæ. *Vide* Vavæ.

Baia. Occurrit vox hæc in Græco Palladio, uti in Glossario suo Græcobarbaro citat Joannes Meursius, sed non recte eam percepit. Quod enim Palladii, c. 61, est, Βαΐα ὀλίγα παρὰ τοῦ πρεσβυτέρου αἰτησάμενος, τοῖς ζώοις ζώνας εἰργάσατο, recte ita Gentianus Hervetus vertit : « Cum paucos palmæ ramos petisset a presbytero, efficiebat cingula animalibus. » Et subditur miraculum per unum e cingulis editum. Fiebant autem ea ex palmæ ramis seu foliis, quæ βάϊα dicta. Hesychius in Lexico : Βάϊς, ῥάβδος φοίνικος καὶ βαΐων : « Bais ramus palmæ, et baiorum. » Hieronymus, libro II contra Jovinianum, cap. 9 ex Chæremone Stoico, de Vita antiquorum Ægypti sacerdotum citat : « Cubile eis de foliis palmarum, quas baias vocant, contextum erat. » Idem, in cap. VIII Ezechielis, explicans illud, *Et ecce applicant ramum ad nares suas*, inquit : « Haud dubium quin palmarum, quas Græco sermone τὰ βάϊα vocant, ut per hoc eos idola adorare significet. » Non recte Meursius supra existimavit, loco illo Palladii per βάϊα intelligi quodcunque donum generaliter ita dictum. Quem Meursii lapsum video etiam notatum Gretzero nostro, lib. II de Benedictionibus, cap. 41.

Baptismus nudorum. Solebant olim nudos tam viros quam feminas oleo catechumenorum inungere et baptizare. Pratum spirituale Joannis Moschi, cap. 3 : « Venit puella ex Perside, ut baptizaretur; quæ ita speciosa erat ac tantæ pulchritudinis, ut non

A posset presbyter nudam eam sancto oleo inungere. »

Sed disputatio inter doctos viros orta, an baptizandi omnino nudi fuerint, an tantum superiori veste exuti.

Josephus Vicecomes, in Ecclesiasticis suis Observationibus de antiquis baptismi ritibus, lib. II, cap. 37, et lib. IV, cap. 10, 11, 12, 13, conatur astruere plane nudos, nullo vestis vel tegumenti genere amictos olim catechumenos inungi solere et baptizari.

Sunt qui contradicant (Joannes Viringus noster in tractatu Ms. ea de re) censeantque Ecclesiam nimisquam semper honesti tenacem fuisse; nec simile vero esse eamdem tam evidenti sacrilegiorum periculo sacramentum hoc exponi voluisse.

Ego vero, perpensis utriusque partis momentis, existimarim, si quis recti libram judicii tenere volet,
B et nudos et non nudos olim catechumenos inunctos et baptismo tinctos fuisse asseret.

Nudos quidem, quantum ad mysterium pertinet, quo vita nobis anteacta emendanda et in melius commutanda denotabatur. Nam nudi censebantur, quibus superior vestis, qua in publicum procedere soliti erant, detrahebatur. Integre illa ponitur, quia nihil veteris hominis superesse potest.

Non nudos, quia vel interulam vel præcinctorium aliquod linteum baptizandi ad honestatem servabant, qua re servata non omnino nudi erant, sed quasi nudi : nudique dici poterant, quod qui ita in publico appareret, nudus prodire censeretur. Sic Saul, I Reg. XIX, nudus cecinisse dicitur tota die ac nocte cum prophetis, deposito scilicet amictu regio, nec enim prophe-
C tæ nudi erant. Sic David, II Reg. VI, nudus ante arcam saltasse dicitur, et tamen eo tempore indutus erat Ephod lineo, ut ibidem habetur. Sic Joannis XXI, Petrus nudus dicitur, quod breviori veste piscationi aptæ indutus esset; quare ne ita nudus Christo se sisteret, *tunica se succinxit*, ἐπενδύτῃ, id est, veste quæ alteri injicitur. Nec desunt graves auctores (inter eos Gaspar Sanctius noster) qui ita quoque Isaiam nudum et discalceatum (Isaiæ XX) intelligunt. Ad hanc loquendi scribendique consuetudinem facit Seneca, lib. V de Beneficiis cap. 13 : « Quædam etiamsi vera non sint, propter similitudinem eodem vocabulo comprehensa sunt. Sic illitteratum non ex toto rudem, sed ad litteras altiores non perductum; sic qui male vestitum et pannosum vidit, nudum se
D vidisse dicit. »

Basterna. Vita Eugeniæ, cap. 3 : « vobis itaque duobus juxta basternam ambulantibus. » Est vehiculi genus mollius stratum, matronis usitatum. Ammianus, lib. XIV : « Opertis capitibus et basternis per latera civitatis cuncta discurrunt. » Hieronymus, in cap. LXVI Isaiæ : « Ubi posuere LXX *cum umbraculis* (quæ nos *dormitoria* interpretari possumus vel *basternas*), alii voce consona transtulerunt φορεῖα, quæ nos varii generis interpretamur vehicula. » Ennodius, epigram. 129, inscriptionem habet : « In basterna uxoris Bassi Violæ. » Glossarium Nomicum : Λεκτίκιον, βάστερνα, κράβατον : « Lecticula, basterna, grabatum. » Glossarium Camberonense manuscri-

ptum : « Basternæ sunt quædam ferocissimæ gentes, non procul a Macedonia. **1016** Basternæ etiam dicuntur quædam matronarum in itinere vehicula, quæ desuper cooperta, et mollioribus stramentis composita, a duobus equis trahuntur. » Papias : « Basterna vehiculum est itineris, mollibus stramentis composita, quasi vesterna. » Glossæ Isidori : « Basterna tecta manualis. » Intelligitur, opinor, lectica tecta, quæ manu fertur. Nisi quis legat, *mannualis*, quod a mannis rapietur. Ovidius, lib. II Amorum, eleg. 17 :

Parvaque quam primum rapientibus esseda mannis,
Ipsa per admissas concute lora jubas.

Per *parva esseda* videntur intelligi quæ posteriori sæculo dicebantur *basternæ*; quæ quia a mannis trahebantur, forte ideo dicta sunt *mannuale vehiculum*. Glossarium quoque Camberonense Ms. *essedum* interpretatur *basternam*. Hieronymus, epist. 20, ad Pammachium de obitu Paulinæ : « Ibi ferventes buricos mannos, comatulos pueros. » Nempe *ferventes manni*, rapientes basternam, et raptim currentes. In iisdem est *Bortanea tecta manualis*, pro quo in Glossario Camberonensi manuscripto, *Bortama, testa manualis*, nescio an ex *Basterna* utrumque sit depravatum. Cerda noster, cap. 141 Adversar. sacror., n. 407, legit : *Portanea testa, manualis*, quod manu portetur. Mihi potius *tecta* dicitur basterna, quod undique clauderetur; claudebantur enim plerumque speculari lapide. Unde Juvenalis, sat. 4 :

Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.

Ubi Glossæ veteres : *lecticam clausam dicit*. Ennodius supra :

Quam vaga constantem retinent hæc tecta decorem,
Mittitur a domina quidquid habent pretii.
Nam rutilat fulvum Violæ de luce metallum,
Possessor radios spargit ubique suos.

Nempe per lapidem specularem tralucebat decor et ornatus Violæ. Et quod clausæ essent lecticæ, *caveas basternarum* vocat Hieronymus epist. 22, ad Eustochium, De custodia virgin. : « Præcedit caveas basternarum ordo semivirorum. » Unde Isaiæ LXVI, σκιάδια vertere LXX, id est, « umbracula, quæ nos dormitoria interpretari possumus vel basternas, » inquit ibi Hieronymus.

Basternæ originationem hanc affert Isidorus, libro XX Orig., cap. 12 : « Basterna vehiculum itineris, quasi viæ sterna : mollibus stramentis est posita, a duobus animalibus deportatur. » Unde videtur sua hausisse Papias, etsi apud eum *vesterna* pro *viæ sterna*.

Ex dictis auctorum locis apparet nunc servorum manibus, nunc ab animalibus gestatam basternam. Nam quod Meursius in Glossario Græcobarbaro apud Isidorum *animalia* interpretatur *servos*, non persuadet.

Alia basternæ significatio apud Græcos jurisconsultos, quibus pro transennis et pro tectis accipitur. Vide Cujacium, lib. XIII Observat., c. 30.

Belluæ. Quod Vitæ Antonii interpres, cap. 25, habet *belluas*, ibi Græcus textus habet ὑαίνας. Bellua subinde pro hyæna capitur. Vide dicta (*supra*, *col.* 395, *not.* 8) ad cap. 6 Heraclidis (*qui scripsit* BELUA). Clemens Recognitionum lib. VIII, c. 7 : « Alia quædam animalia marem vicibus alternis in feminam verterent, et sexum per annos singulos commutarent, ut lepores et hyenæ, quas belluas vocant. » Postremum hoc, *quas belluas vocant*, interpretamenti vicem addidit Ruffinus Clementis interpres. Glossæ : Ὕαινα, ζῶον, *bellua*.

Alias bellua de elephantis capitur, ut apud Curtium; lib. VII.; Ammianum, lib. XXV; Arnobium, libro VII. Item pro cetis et pistricibus, apud Suetonium Nerone, c. 12; et in Glossario : *Bellua*, κῆτος. Item κῆτις, *pistrix*, *de bellua*. Item, *bellua marina*, κῆτος.

Bema seu Bhma. Vita sancti Basilii, cap. 11. *In sanctum tribunal*, Græce, εἰς τὸ ἅγιον βῆμα. Quod certum in templis antiquorum juxta altare locum significat. Quod ut melius intelligatur, ita de veterum Græcorum ecclesia Genebrardus vel potius Claudius Sanctesius, in Liturg., ut citat Gretzerus noster tomo II de Cruce, in notis ad relationem περὶ τῆς σταυροπροσκυνήσεως, *de adoratione Crucis*.

Ecclesia Græcorum in quinque partes dividitur :

Prima pars dicitur ἅγιον βῆμα, *sanctum tabernaculum*, quod gradibus in eam scandatur : ubi duo sunt altaria, majus in medio, quod dicitur θυσιαστήριον, *sacra mensa*, *sancta sanctorum*, *locus Dei requies*, *propitiatorium*, *magni sacrificii officina*, *Christi monumentum*, *et ejus gloriæ tabernaculum*. Minus altare, in quo sacerdos sacra præparat, dicitur πρόθεσις, quasi *propositio*, quod panis consecrandus in eo primum ponatur.

Secunda pars templi dicitur ἱερατεῖον, *chorus*, *locus clero et cantoribus deputatus*, ubi tabulatum duo habens ostia, et vela utrique ostio oppansa.

Tertia pars ἄμβων, *pulpitum*, ubi recitantur Evangelia et Epistolæ, et verba fiunt ad populum. Unde εὐχὴ ὀπισθάμβωνος, *oratio pone ambonem seu suggestum*.

Quarta pars ναός, *templum* seu *navis Ecclesiæ*, ubi populus orat, in qua viri a mulieribus sejuncti sunt per tabulata.

Quinta est *baptisterium*, prope πρόναον, prope *vestibulum templi*, ubi hærent pœnitentes. Hactenus Claudius Sanctesius. Vide et infra dicenda in verbo Templum Græcorum, ex Gentiano Herveto

Benedictio. Quanti hæc olim æstimata fuerit habes in Vita sancti Antonii cap. 39, qui episcoporum et presbyterorum benedictiones submisso capite excipiebat. Vita Mariæ Ægyptiacæ, cap. 9 : « Ille (Zosimas) autem in terra prostratus, poscebat benedictionem secundum morem accipere. Prostravit autem se et ipsa, et utrique jacebant in terra, unus ex alio benedictionem poscens. » Sic apud Gregorium Nyssenum, oratione de Vita sanctæ Macrinæ : « Cum fecissemus et precandi et benedicendi finem, atque illæ, inclinato prius capite benedictioni, honeste discedentes abiissent. » Beda, lib. III Hist. Eccl., cap. 26 : « Accurrebant, et flexa cervice vel manu signari, vel ore illius (monachi vel clerici) se benedici gaudebant. » Vita sancti Fulgentii, 1 januarii, habet concursum populi, quis ab exsilio reverenti *primus salutaret agnoscendus*, *quis benedicenti caput supponeret*. Palladius, in Vita Chrysostomi : « Ei

caput vestrum inclinate, ut Joanni, per omnia. » Ita A viduas diaconissas, ut futuri episcopi, benedictionem capite inclinato accipiant, monet Chrysostomus.

Parvuli quoque sacerdotibus et viris sanctis, ut benedictionem percipiant, offerri soliti. Theodoretus, hic, capite 2, in Juliano Saba, cap. 8, in Aphraate, capite 9, in Petro eremita Galata. Vita Epiphanii episcopi: « Omnis ætatis et sexus turba confluebat, offerens parvulos. » Auctor Operis imperfecti, in Matth. XIX: « Præsens locus instruit omnes parentes, ut filios suos indesinenter sacerdotibus offerant. » Eudoxia quoque imperatrix jam natum in purpura Theodosium juniorem Patribus obtulit, ut habetur in Vita sancti Porphyrii, 26 Febr. **1017** Cum Columbanus, in Vulciaco villa hospitio exciperetur, « infantes mater ad benedicendum viro Dei obtulit. » Vita ejus, B 21 Novemb. Columba quoque abbas Domnallo regio infanti benedixit. Vitæ ejus per Adamannum lib. I.

Quin et infantes adhuc in utero existentes benedictioni sanctorum virorum fuere oblati. Ita Eudoxia imperatrix infantem, quem utero gestabat, Patrum benedictioni obtulit, in Vita Porphyrii jam citata. Sic Stephanus Junior etiamnum existens in utero, benedictioni Germani patriarchæ Constantinopolitani oblatus a matre est.

Qua in re cavendus est error Cajetani, qui censuit simili benedictione, in voto parentum, salvari posse infantem, etiam non baptizatum, in utero. Ita enim ille ait in III partem divi Thomæ, q. 68, ad art. 11: « In articulo undecimo occurrit scribendum et consequenter dicendum, sub correctione tamen, parvu- C los in maternis uteris periclitantes, posse salvari, sicut superius (art. 2) diximus de infantibus qui non possunt baptizari. Posse autem salvari dico per sacramentum baptismi non in re, sed in voto parentum susceptum, cum aliqua benedictione prolis, seu oblatione ipsius ad Deum cum invocatione Trinitatis. » Quem refutatum vide apud Alphonsum de Castro, adversus hæreses, libro III, verbo *Baptismus*, hær. 9.

Plura de variis benedictionibus vide in indice rerum, et copiose apud Gretzerum, libro ea de re edito.

Berœa. Vitæ Malchi num. 3 [1]. Syriæ est civitas, circa quam eremus Chalcidos. Duplex Berœa apud Stephanum de urbibus, una in Macedonia, altera in Syria, quæ hæc nostra, quam et Beroen dictam ait. De Macedonica Plinius, lib. IV, cap. 10; de Syriæ Be- D rœa idem, lib. V, cap. 26: « Infra Palmiræ solitudines Stelendena regio est, dictæque jam Hierapolis ac Berœa, et Chalcis.

Birrus. Vita Pelagiæ, cap. 12: « Induit se tunicam tricinam et birrum sancti Nonni episcopi. » Heraclides, cap. 51, de Athanasio episcopo: « Tunica ille tantum sua, birroque vestitus. » Unde constat birrum fuisse vestem episcopalem, quod etiam clarum ex Actis sancti Cypriani: « Exuit se lacernum birrum, quem indutus erat. » Baronius, tomo II, anno Christi 271, Dionysii papæ 1, Valeriani et Gallieni impp. 7, hæc de birro ad eum locum notat:

In quo illud imprimis animadvertendum, non simpliciter dici birrum, sed *lacernum birrum;* licet Sulpicius Severus, dialog. 1, cap. 14, birrum a lacerna, utroque tamen existente habitu clericali, distinguat, cum invehitur in voluptuosos clericos, dicens: « Hæc charis viduis ac familiaribus mandat tributa virginibus; illum ut birrum rigentem, hæc ut fluentem texat lacernam. » At primum quod attinet ad lacernam, si ethnicos consulas, reperies eam breve fuisse indumentum ad arcendam pluviam, ut ex his quæ Cicero, Philip. II, ac Plinius, lib. XVIII, capite 25 tradunt, evidenter apparet. Porro ad humeros brachiaque tegenda fuisse compositum ejusmodi vestimenti genus, docet Festus Pompeius, in verbo *Lacerna;* dum de lacerna agens, ait eam minorem fuisse capitio; capitium vero ait Varro, de Ling. Lat. l. IV, fuisse *muliebre pectoris indumentum*, ita dictum, quod pectus capiat, et comprehendat brachia; quæ enim sine eis incedebant, pectore et brachiis erant apertis. Super tunicam vero superduci lacernam, Gellius, lib. XIII, cap. 20 testatur, cum ait: « Cum me præsente discipulos quosdam suos senatores vidisset die feriato tunicis et lacernis indutos, et gallicis calceatos: Equidem, inquit, maluissem vos togatos esse: pigitum est cinctos saltem esse et penulatos.

Quod vero habent Acta *lacernum birrum*, vox *birrum* ad colorem pertinet; nam notat Festus in verbo *Birrum*, apud antiquos rufum colorem dictum esse birrum. Ac proinde lacernam rufi fuisse coloris. Sive dicere velimus *lacernum birrum*, hoc est sericum; βήρους enim veteres dixere serica, ut Zonaras et Theodorus interpretantes duodecimum canonem Gangrensis concilii tradunt. Vide Cujacium, in l. IV Cod. De vest. holoser., lib. XI; sive magis placeat *lacernum birrum* significare birrum ipsum in modum lacernæ compositum. (Porro *birrus* et *birrum* masculino et neutro genere dictum reperitur.) Utcunque sit, constat quidem testimonio sancti Augustini, etiam clericos in Africa uti consuevisse linea atque birro, sed episcopos birro pretiosiore. Nam eo sermone, quo clericorum suorum disciplinam componit, hæc ait serm. de divers. 50: « Nemo det birrum, vel lineam tunicam, seu aliquid, nisi in commune; de communi accipiam mihi ipsi. » Et paulo post: « Offeratur mihi verbi gratia birrum pretiosum, forte decet episcopum, quamvis non deceat Augustinum, » id est, hominem pauperem, de pauperibus natum. Utuntur ex institutione sancti Augustini regulares tunica linea, atque cum volunt, diebus præsertim solemnibus, in Italia etiam birro, quem in Hispania semper gestant. Eamdem quoque consuetudinem viguisse in Ecclesia Orientali, ut episcopi super tunicam birro induerentur, ex iis quæ scribit Palladius in Lausiac., cap. 51, de sancto Athanasio episcopo Alexandrino possumus intelligere dum ait, *eum tunica birroque vestitum secessisse.* Meminit et Gregorius Turonensis de sancto Britio, qui ardentes prunas in birro suo posuit, ad declarandam sui animi innocentiam.

[1] Vide quid de hoc nomine Rosweydus nosque notaverimus supra, col. 208. Edit.

Cæterum propter ejus indumenti brevitatem, Venantius Fortunatus nominat birrum ipsum palliolum, cum agit de sancto Germano Parisiorum episcopo visitante Clotharium regem; atque de ipso rege ait: *allambit sancti viri palliolum.*

Quod vero sanctum Gangrense conc., cap. 12, monachos Eustachianos incedentes palliatos, atque damnantes birris utentes, anathematis sententia perculerit, non placet quod per birrum alii interpretati sunt vestem pretiosam simpliciter, sed potius quod illi amicti pallio sui longitudine et latitudine diffluente, eos damnarent, qui birro nempe breviori uterentur indumento: quod vile vel pretiosum (ex sententia Augustini superius recitata) ad libitum cujusque esse potuisse, certissimum est; pretiosiores vero fuisse birros Atrebatenses et Canusinos, Flavius Vopiscus in Carino testatur. Cum itaque eadem Acta Cypriani passionis habeant, ipsum *lacernum birrum* complicuisse, et ad genua posuisse, illud fuisse perbreve, ac parvi negotii operam egisse demonstrant; nam non sic de tunica eum fecisse, sed diaconis dedisse tradunt.

Ex his itaque jam exploratum haberi videtur episcoporum fuisse antiquum habitum, ut post vestem superinduerent lineam, et desuper eam solutam tunicam, ac deinque numeros tantum tegens et brachia lacernum birrum: quo genere indumenti hodie videmus uti S. R. E. cardinales, atque episcopos illos, qui ex regularibus ad eam dignitatem provecti sunt. Romanum vero pontificem birro absque tunica super lineam, sed serico atque rufo, interdum vero albo, pro temporis ratione. Porro ex dignitatis ordine birrum pretiosius fuisse, ex Augustini sententia dictum est. Hactenus Baronius.

1018 In Palladio nostro bis terve *birrum* occurrit, uti, cap. 83: *pallium gestabant et byrrum.* Ubi Græce est, τριβωνοφόροι καὶ βυῤῥοφόροι. Hervetus Latine extulerat, *qui pallium gestabant et pileum.* In Editione Lugdunensi legebatur, καὶ κιῤῥοφόροι. Et in notis suis Meursius ex conjectura corrigit σκιῤῥοφόροι: fortasse, ait Fronto noster, quia scholiastes Aristophanis exponit σκιῤῥὸν τὸ ῥυπῶδες τῶν τυρῶν; et apud Eupolidem, βαδίζει σκιῤῥὸν ἠμφιεσμένη, ut hic dicuntur σκιῤῥοφόροι, *qui sordidis vestibus amicti*; sed emendationem e Regio Ms. erutam βυῤῥοφόροι, confirmat Heraclidis interpres: « Concurrentes omnes simul, quoscunque palliis, quoscunque cernimus birrhis esse vestitos; » deinde quod dixerit convenisse primates illius oppidi; postremo, quod quosdam philosophorum dicat unum ei solidum dedisse, ac proinde non omnes viles homines ibi et abjectos fuisse constet.

Item, cap. 136, de sancto Athanasio: *accepto suo stichario seu tunica, et birro.* Hervetus verterat, *accepto suo sticharío et cereo.* Græce est, λαβὼν ἑαυτοῦ τὸ στιχάριον καὶ τὸ βίῤῥιον. Hervetus κηρὸν fortasse legerat.

Alia de birro addi possent, sed hæc nunc sufficiant. Quod ad birrum canonicorum regularium attinet, hoc, opinor, intelligit Glossarium Cameronense manuscriptum: « Birrus planeta, pallium villatum, mantellum fimbriatum. » Hoc habitu in Belgio utuntur canonici regulares, qui vel solus cum linea tunica eos ex divi Augustini instituto esse declarat, cum ille suos clericos *linea* et *birro* ornarit, ut constat ex ejus Sermone 50 de diversis.

Bisacutus. Vide dicta ad Vitam Antonii cap. 25, et Frontonii cap. 1. Vita Antonii: « Ut sarculum sibi bisacutum cum frumento deferret. » Ita distinguendum eum locum in notationibus monui. Sic in Vita Frontonii, cap. 1: « Deferentesque ad eremum secum parva olerum semina, et bisacutos parvosque sarculos. » Glossarium Camber. Ms. « Bisacuta, ferramentum quoddam utrinque incidens. »

Bruchium. Vita Hilarionis, num. 33: « Divertit ad quosdam fratres notos sibi in Bruchio, haud procul ab Alexandria. » Et post pauca: « De Bruchio per inviam solitudinem intravit Oasim. » Eusebius, in Chronico, anno 1 Claudii, ante Aurelianum: « Alexandriæ Bruchium, quod per multos annos fuerat obsessum, tandem destruitur. » Ammianus, lib. xx: « Alexandria, etc., amisit regionum maximam partem quæ Bruchion appellatur, diuturnum præstantium hominum domicilium. » Epiphanius, libro De ponderibus et mensuris locum Bibliotheca a Philadelpho structa insignem fuisse indicat. Erat enim ibi Musium. Spartianus in Hadriano: « Apud Alexandriam in Musio multas quæstiones professoribus proposuit. »

Quod Scaliger ad Eusebium, supra, ait Βρουχεῖον ante ῥακῶτιν dictum, sine auctore asserit. Ipsa Alexandria ita dicta est, teste Stephano.

Originationem ejus venatur Casaubonus, ad Hadrianum Spartiani, quasi olim dictum fuerit Πυρουχεῖον, quam vocem integram servat Eusebius, Historiarum lib. vii, cap. 32, ubi Christophorsonus interpres, quia corrupte legerat τοῦ πυροῦ χρείας οὔσης, verterat, *cum ibi magna esset frumenti inopia.* In Vita Apollonii Grammatici Alexandrini dicitur Προυχεῖον. Notum litteras β et π invicem permutari. Atque ita Bruchium fuerit Alexandrinis, quod Prytaneum Atheniensibus, videlicet πυροῦ ταμιεῖον: *frumenti reconditorium.*

Brumosum. Varie hoc scriptum, nunc *brumosum*, nunc *bromosum*, nunc *bramosum*. Ruffinus, lib. iii, n. 39: « Et cum feteret brumosa aqua odore, non permittebat ut aliam aquam mutarent. » Palladii Lausiaca, in appendice, ex veteri interprete: Per biennium enim manus meæ, unde percussi quasi faciem ejus, fetorem et brumum sufferre non poteram. » Glossæ Isidori: *Brumosus, annosus, resinosus.* Item: *Brumalia, resinosa pluvia.* Item: *Bromosa immunda.* Turnebus, lib. xxviii Adversar., cap. 5, citat ex Onomastico perantiquo Petri Danielis: *Bramosa, immunda* additur: *quod verbum Græcæ linguæ est.* Zeno, Veronensis episcopus, in Exodum, serm. 8: « Quis non intelligit, fratres, illud Pascha non esse, sed bramosum latronis cruenti convivium? Idem, serm. in Psal. xlix: « Si diis corporalibus convenit sacrificium corporale, utique et spiritale Dei sacrifi-

cium est necessarium : spiritale, quod non ex sacculo, sed ex corde profertur, quod non bramosis pecudibus, sed suavissimis moribus comparatur. »

Buccellatum. Panis biscoctus, seu ξυρὸς ἄρτος, *siccus panis*, qui eremitis et militibus in usu erat, quia diutius durat. Heraclides, cap. 6 : « Confractum atque in partes redactum modicas buccellatum in lagenas misit. » Ammianus, l. xvii : « Frumentum, ex eo quod erat in sedibus consumendum, ad usus diuturnitatem excoctum, buccellatum ut vulgo appellant, humeris imposuit libentium militum. » L. vi Codicis Theodosiani, De erog. milit. annon.: « Expeditionis tempore buccellatum, ac panem, vinum quoque atque acetum, sed et laridum, carnem vervecinam etiam milites nostros ita solere percipere. » Spartianus, in Pescennio Nigro : « Idem pistores sequi expeditionem prohibuit, buccellato jubens milites et omnes contentos esse. » Vulcatius, in Avidio Cassio : « Et præter lardum ac buccellatum atque acetum, militem in expeditione portare prohibuit. » Constantinus, περὶ θεμάτων : Βούκελλος τὸ κρικελλοειδὲς ψωμίον καλεῖται : « Buccellus orbiculatum frustrum vocatur. » Mauritius, in Tacticis : Χρὴ ἐν ἡμέρᾳ πολέμου, ἐν ταῖς σέλλαις ἐπιφέρεσθαι ἕκαστον στρατιώτην ὕδωρ καὶ Βουκελάτα : « Die belli debet quisque miles aquam et buccellatum in sellis secum ferre. »

Ab hoc pane expeditionali seu buccellato eleganter panem, quem benedictionis loco transmittebant, vocarunt Paulinus et Therasia ad Romanianum epistola 36, apud Augustinum : « Ne vacuum fraternæ humanitatis officium videretur, de buccellato Christianæ expeditionis, in cujus procinctu quotidie ad frugalitatis annonam militamus, panes quinque tibi pariter, et filio nostro Licentio misimus. »

Bucolia. Vita Antonii, cap. 24, ubi Latine est *pastoralia*, Græce est Βουκολία. Hieronymus, in Vita sancti Hilarionis, cap. 36, servavit Græcum vocabulum : « ad ea loca quæ vocantur Bucolia. » Heliodorus : Βουκολία σύμπας κέκληται πρὸς Αἰγυπτίων ὁ τόπος : « Bucolia apud Ægyptios dictus est totus locus, » videlicet, *ad lacum*, quod præcessit. Locus hic erat apud Alexandriam juxta mare sub rupibus. Vita sancti Marci post Abdiam, anonymo auctore : « Marcus iterum Alexandriam venit, et reperit fratres multiplicatos in gratia et fide Domini, ecclesiamque constructam ab eis in loco qui vocatur Buculus, id est, Bubulci, juxta mare sub rupibus. » Hinc *Bucolici* milites Capitolino, in Marco Antonino : « Per Ægyptum Bucolici milites gravia multa fecissent. »

Buda. Pelagius, libello x, num. 76. « Videns autem **1019** Ægyptius vestitum mollibus rebus, et budam de papyro, et pellem stratam sub ipso. » Glossæ Isidori : *Buda, historia*. Non legendum, *storea?* Sic ex veteri *Spania*, addito seu præfixo *hi* fecere *Hispania*. Glossarium Camberonense ms. : « Buda, stramentum lecti de biblo, id est, papyro. » In Glossis Isidori etiam invenio : « Buda, ornamenta regalia vel camelorum. » Item, « Bulla, stramenta regalia. » Quod vero in manuscripto Camberonensi Glossario etiam est, *Buta, historia*, puto corrigendum, *Buda, storea*. Donatus, in l. ii Æneid., ad versum, *obscurus in ulva*, notat : Ulvam plerique eam dicunt esse, quam vulgo budam appellant. » Sic in Papia : *Buda, storia*. Forte hoc postremum *Buta* ortum ex Buta historico, cujus meminit Arnobius lib. v : « Sicut suis scribit in Causalibus Butas. » Forte Teutonibus 𝔅𝔢𝔡 id est, lectus, a *buda*, quod olim storeis incubarent.

Bulla et **bullare**. Vitæ Basilii cap. 10 : « Et plumbo bullavit chartam illam. » Vitæ Joannis Eleemosynarii cap. 51 : « Non potes scribere, et bullare, et afferre mihi? » Et post : « Dat ei proprium pictacium bullatum. » Glossarium Camberonense ms. : « Bullæ, ceræ sigillatæ. » Idem : « Bullare, sigillare. » Sic et posterioribus Græcis βοῦλλα et βουλλεύειν. Vide Glossarium Græcobarbarum Meursii.

Camelauchium. Vita Mariæ neptis Abrahæ, cap 5 : « Camelauchium quoque longum capiti suo, ut facies ejus velaretur, imposuit. » Et cap. 9 : « Auferens quoque camelauchium a capite suo. » Verbum hoc sæpe in Manuscriptis et primis Editionibus depravatum, in quibus fere *calemanchus*, vel *calamancus*. Unde in Glossis Isidori : « Galeros, calamancos. » Lege, *camelauchios*. Similiter apud Bedam, de Tabernac., libro iii, cap. 8 : « Super caput autem gestat pileum in modum parvuli calamaci, sive cassidis, quod extenditur supra summitatem capitis. » Lege, camelauchii. Frequenter posteriori ævo consonantes vel inter se commutabant vel postponebant. Sic fere semper in Manuscriptis *corcodrillus*, pro *crocodilus*. Sed χαμελαύχιον, vel χαμαλαύκιον rectum esse suadet originatio apud Etymologicum : Καυσία εἴρηται μὲν χαμελαύκιον, παρὰ τὸ ἐλαύνειν τὸ καῦμα. « Causia dicitur camelaucium, quod arceat calorem. » In Glossario Camberonensi manuscripto est : « Camelaucus, vestimentum papæ ; » et Calamaucus, pileus similis tiaræ. » Occurrit aliquoties apud Suidam χαμελαύχιον, vel χαμμελαύκιον. In Hesychio verbo Τιάρα babes etiam χαμελαύχιον, uti et apud scholiasten Aristophanis ad Acharnenses.

Camisia. Palladius, cap. 149 : « Cum eam suis vestibus induisset, tunica, camisia, et chlamyde, et omnibus virilibus. » Græce ibi καμισίοις. Glossæ Basilicorum : καμίσιον, ὁ ἐπὶ χαμάτων χιτών. Isidorus, lib. xix Orig., cap. 22 : Camisias vocamus, quod in his dormimus in camis, id est, in stratis nostris. » Id est, indusium vel lintea sindon. Idem, ibidem, c. 21 : « Poderis est tunica sacerdotis linea, corpori astricta usque ad pedes descendens. Hæc vulgo camisia vocatur. — Ad Palladii locum de milite proprie facit Hieronymus epist. 128 : « Solent militantes habere lineas, quas camisias vocant, sic aptas membris et astrictas corporibus, ut expediti sint vel ad cursum vel ad prælia, dirigere jacula, tenere clypeum, ensem librare, et quæcunque necessitas traxerit. » Item Beda, De tabernaculo : « Quia solent milites habere lineas, quas camisias vocant. » Eadem vox sæpius occurrit tam pro camisia vulgari, quam pro linea exi-

mie ornata. Victor, De persecutione Wandalica, lib. I : « Atque de pallis altaris, proh nefas ! camisias sibi et femoralia faciebant. » Beda in Martyrologio : « Ita ut impii Ariani de ipsis palliis altaris camisias sibi et femoralia facerent. » Bonifacius papa, lib. II Histor. Anglic., apud Bedam, cap. 10 : « Præterea benedictionem protectoris vestri beati Petri apostolorum principis, vobis dereximus, id est camisiam cum ornatura in auro unam. » Vita Otthonis episcopi : « Camisias aurifrigio in ora capitii, et sutura humerali atque brachiali curari iis fecit. »

CAMPANA, tintinnabulum armentorum gregibus appendi solitum. Vita Frontonii, cap. 8 : « Sed campanæ sonitum audire non potuit perstrepens sonus hymnorum. » Cujus rei varii auctores meminere. Phœdrus, lib. II :

Clarumque collo jactans tintinnabulum.

Paulinus, Natali 6 sancti Felicis :

. .... ut præsepia vidit
Nuda boum, et nullos dare tintinnabula pulsus ;
Excussa ut cervice boum crepitare solebant,
Mollibus aut lentis cava linguis æra ferire.

Endeleichus Rhetor, De mortibus boum :

Plaustris subdideram fortia corpora
Lectorum, studio quo potui, boum,
Queis mentis geminæ consona tinnulo
Concentu crepitacula.

Sidonius, lib. II, epist. 2 : « Inter greges tintinnabulatos per depasta buceta reboantes. »

Fortunatus, lib. II, de sancto Medardo :

Tintinnum rapit alter inops, magis improbus ille,
Qui jumentorum colla tenere solet.

Legis Gothorum lib. VII, tit. 2, 11, Antiq. : « Si quis tintinnabulum involaverit de jumento vel bove. Legis Burgundionum tit. 4, § 5 : « Qui tintinnum caballi vel bovis furto abstulerit. » Idem Legis Boiariorum cap. 8, tit. 11, § 1.

Cur pecoribus tintinnabula fuerint apposita, varia est opinio, quibusdam censentibus id factum ad feras noxias arcendas ; aliis, ad deprehendendum quibus locis nemorum pascant ; aliis, ut pinguescant facilius, quod existiment pecora harmonia oblectari ; aliis, ornatus gratia. Ex hac Vita videtur colligi id factum, ut eminus audirentur in deserto ab hospitibus cameli, qui necessaria deferebant, ut et hospites iis strata aptarent. Vide Hieronymum Magium, libello De tintinnabulis, cap. 8

Vide quoque Joannem Stephanum Durantum, lib. I De ritibus ecclesiæ, cap. 22, de campanis seu tintinnabulis sacris agentem.

CAMPANA STATERA. Vita Joannis Eleemosynarii cap. 3 : « In una campana statera. » A Campania regione Italiæ ita dictam vult Isidorus, lib. XVI Orig., cap. 24. Ex quo videtur sua hausisse Papias vocabulista : « Campana ponderatio. Hæc tamen duas lances non habet, sed est nigra signata libris et unciis. Unicuique autem ponderi certus est modus propriis nominibus designatus. Dicta, quia prius in Campania reperta est. » Ubi pro *nigra* lege *virga* ex Isidoro. Hinc apud posteriores scriptores Campana et καμπανὸς absolute pro statera usurpata. Glossæ Græcolatinæ, κυμπανός, *stater*. Glossæ Arabicolatinæ, *Campana*,

A *statera*. Unde χαμπανίζειν, *ponderare* apud Nicetam in Alexio Angelo, lib. III, et Myrepsum, lib. de Malagm., c. 21 ; et χαμπανιστικὸν, quod libripendi publico solvebatur, apud Phranzem, Chronici lib. III, cap. 24. Item παραχαμπάνισμα, *injusta ponderatio*, apud Nicetam, libro II, in Andronico. Vide Meursium, supra.

CANCELLARIUS. Vita Joannis Eleemosynarii, cap. 3 : « Mittens œconomos et cancellarios, et reliquos quibus erat dispositio civitatis credita. » Et cap. 23 : « Convocat per cancellarium suum monachum. » Hinc apparet non palatinos tantum, quod nimis quam notum, sed et ecclesiasticos fuisse cancellarios. Hincmarus, epist. 3, c. 16 : « Apocrisiarius autem, quem nostrates capellanum vel palatii custodem appellant, omnem clerum palatii sub cura et dispositione sua

B regebat. Cui sociabatur summus cancellarius, qui a secretis olim appellabatur. »

CANDIDATUS. Vitæ Hilarionis, num. 22 : « Candidatus Constantii imperatoris. » Certum militiæ genus candidati, scutarii fere protectoresque principum. Ammianus, lib. XXV : « Cum Julianus inter belli discrimina versaretur, clamabant hinc inde candidati, quos disjecerat terror, ut fugientum molem tanquam ruinam male compositi culminis declinaret. » Victor Tunnunensis, in Chronico : « Cui nepos **1020** Justinianus vocabulo fuit, candidati militia functus. » Duplex horum schola, *seniorum* et *juniorum*. Vide Fastos Siculos et Cedrenum.

CANTHELIUM. Joannes Moschus, Prati spiritualis cap. 107 : « Portabat canthelium capientem ampho-

C ras quatuor, ferebatque aquam in monasterium. » Græce est, χανθήλια. Erat genus clitellarum ad aquam ferendam, quod utrinque asini gestant. Nam χανθήλια *clitellæ* sunt.

CARABUS. Joannis Moschi Pratum spirituale, cap. 76 : « Ecce ego ascendo in carabum. » Isidorus, Origin. lib. XVIII, cap. 1 : « Carabus parva scapha, ex vimine facta, quæ contexta crudo corio, genus navigii præbet. » Papias vocabulista : « Carabus, navicula discurrens in Pado, id est, linter. Est autem ex vimine et corio. » Glossarium Camberonense.

CANONARCHOS, id est, præfectus Canonis, qui lignum pulsare solebat, ut convocaret fratres ad collectam. Joannes Moschus, lib. X Vitarum Patrum, cap. 50 : « Cum quadam nocte surrexissem, ut pulsarem signum

D (ea quippe cura mihi ut canonarchæ injuncta fuerat, ut excitarem fratres ad collectam). Græce est : Ὅτι ἐν μιᾷ νυκτὶ ἠγέρθην, ἐφ' ᾧ κροῦσαι το ξύλον (ἤμην γὰρ κανόναρχος). Idem, cap. 11 : Καὶ κρούσαντος κανονάρχου τὸ ξύλον, ἐφ' ᾧ πάντας τοὺς ἀδελφοὺς συναχθῆναι. » Cum pulsaret præfectus canonis lignum, quo fratres omnes convenirent.

CARACALLA. Vestis genus. Palladius, cap. 117 : « Fortis mulier induta servili caracalla. » Græce, παιδαρίον καρακάλλιον. Eucherius, De vest. : « Ephod vestis sacerdotalis, quæ superindumentum vel humerale appellatur. Est autem velut in caracallæ modum, sed sine cucullo. » Glossarium Græcolatinum : καρακάλλιον, *Caracalla*. Spartianus, in Caracalla imp. :

« Ipse Caracalli nomen accepit a vestimento, quod A populo dederat, demisso usque ad talos. » Xiphilinus, in Caracalla : « Proprium genus vestimenti in modum penulæ (μανδύης) excogitavit. » Beda, De gestis Anglorum libro I, cap. 7 : « Mox se sanctus Albanus pro hospite (qui clericus erat) ac magistro suo, ipsius habitu, id est, caracalla, qua vestiebatur, indutus, militibus exhibuit. » Ms. : « Carabus est quædam navicella. »

CARICÆ. Hieronymus, in Vita sancti Pauli primi eremitæ, num. 6 : « Quinque caricis per singulos dies sustentabatur. » Item, in Vita sancti Hilarionis, num. 5 : « Herbarum ergo succo, et paucis caricis, post triduum vel quatriduum deficientem animam sustentabat. » Interpretantur caricas esse ficus siccas. Certe ex ficuum genere caricas esse docet Plinius, libro XIII, cap. 5 : « Syria præter hanc peculiares habet arbores. B In nucum genere pistacia nota. Prodesse adversus serpentium traduntur morsus, et potu et cibo. In ficorum autem, caricas, et minor ejus generis, quæ cottana vocant. »

CARTICA. Pelagius, lib. V, libello X, n. 76 : « Videns autem Ægyptius vestitum mollibus rebus, et bodam de papyro, et pellem stratam sub ipso, et modicum capitale de cartica sub caput ejus. » An cartica est linum ? Nam quod in Vita Onuphrii apud me Ms. est : *Operabar cum fratribus charsicariam*, de eadem re hic, lib. VI, apud Joannem, libello III, n. 2, est : *et opus meum erat lini textura*. Sane linum cervicali convenit. Quare in Vita Onuphrii vel *carticariam* legendum, vel apud Joannem *charsica*. In excerptis Glossarii Græcolatini, col. 308, *Carticula*, δεῖπνον. C

CAUCUS. Poculi genus esse colligitur ex variis locis. Vita Abrahæ, cap. 3 : « Caucum quoque permodicum, in quo edere seu bibere solitus erat, habebat. » Glossarium Camberonense Ms. : « Caucum, vas ligneum ad bibendum. » Spartianus, in Pescennio : « Tantæ fuit severitatis, ut cum milites quosdam in cauco argenteo expeditionis tempore bibere vidisset, jusserit omne argentum submoveri de usu expeditionali, addito eo, ut ligneis vasis uterentur. » Trebellius Pollio, in Claudio, ex epistola Valeriani : « Item in caucos, et scyphos, et zemas pondo undecim. » Marcellus Empiricus, de medicamentis, cap. 25 : « Vermis terrenus effoditur, et in ligneo cauco ponitur. » Hieronymus, libro II in Jovinianum, de Diogene : « Quodam tempore habens ad potandum caucum ligneum, vidit D puerum manu concava bibere, et elisisse fertur ad terram, dicens : Nesciebam quod natura haberet poculum. » Apud Ennodium, epigrammate 25, inscriptio est : *De cauco cujusdam habente Pasiphaen et Taurum*. Eadem inscriptio epigramm. 29. Plerisque locis non recte *caveam* vel *cavum* vel *glaucus* hactenus impressum est. Papias, *Caucus vasis genus*, ex incorruptis ut apparet exemplaribus olim citat. Occurrit etiam epistola 40, inter Bonifacianas : « Reverentiæ vestræ direxit devotio mea caucum argenteum intus deauratum, et duo repta. » Quid *reptum* sit, dubitat ibi Serarius noster et Gretzerus, lib. II de Benedict., cap. 28. Aliquid suggerit Glossarium Camberonense manuscriptum : « Renones sunt velamina humerorum, intortis villis hispida, quos vulgo reptos vocant, eo quod longitudo villorum quasi reptat. » Occurrit et apud Bonifacium epist. 77 : « Misimus vobis parva xenia, id est, reptem ruptilem unam. »

CHAMEUNIÆ, id est, humicubationes, Græce χαμαιευνίαι seu χαμευνίαι. Ea vox Latinis auctoribus sæpe usurpata. Vita Abrahæ, cap. 18 : « Chameuniis quoque et contritione corporis nunquam omnino lassatus est. » Vita Mariæ neptis Abrahæ, cap. 9 : « Ubi vigiliæ, ubi chameuniæ ? » Papias : « Cameuniæ, storiæ lecti. » Item, « Cameuniæ, vigiliæ in hieme. » Non percepit vim verbi. Hieronymus, in cap. XLI Ezechielis : « Puto perspicuum esse lectori semper angustiora esse quæ deorsum sunt in jejuniis, χαμαιευνίαις, et victus continentia. » Idem, in cap. III Amos : « Et percutiet domum hiemalem, eos hæreticos qui laborant continentia, et jejuniis, xerophagiis, chaumeuniis ; e quibus Tatianus est et Manichæus ? »

CHÆREUM. Vita sancti Antonii, c. 54 : « Ad primam mansionem Alexandriæ, quæ appellatur Chæreum. » Locus fors ab Ægypti civitate ita dictus, nisi hæc mansio ipsa sit civitas. Stephanus, De urbibus : Χαιρέου, πόλις Αἰγυπτίου, κατ' ἔλλειψιν τοῦ πόλις· τὸ ἐθνικὸν Χαιρεώτης, ὡς Νικιώτης. Hujus idem meminit in Ἀργαίου νῆσος. Procopio, lib. VI De ædificiis. Justin. Χέραιος, Ægypti locus, quod Ortelius esse putat Chercu Antonino, circa Canobum.

CHALCIDOS EREMUS. Hieronymi habitatio. Vitæ Malchi, num. 3 : « Perveni tandem ad eremum Chalcidos, quæ inter Immas et Berhœam magis ad Austrum sita est. » Est in Syria. Hieronymus, epist. 43, ad Chromatium, Jovinum et Eusebium : « Nam postquam, Evagrio transmittente, in ea ad me eremi parte delatæ sunt, quæ inter Syros ac Saracenos vastum limitem ducit. » Idem, epist. 41, ad Ruffinum : « Syria mihi velut fidissimus naufrago portus occurrit. » Idem, præfatione in Abdiam : « Quando ego et Heliodorus charissimus pariter habitare solitudinem Syriæ Chalcidis nitebamur.

1021 CHINOBOSCIUM. Vitæ Pachomii cap. 5, 40, 53. Rectius scribas Latine *Chenoboscium*, quod forte ibi anseres pascerentur : quanquam nec inde nomen suum traxisse existimat Stephanus, De urbibus : Χηνοβοσκία, πόλις Αἰγύπτου. Ἀλέξανδρος ἐν πρώτῳ Αἰγυπτιακῶν. Ἀντικρὺ δὲ τοῦ Διοπολίτου Χηνοβοσκίον, μηδὲν εἰς τὴν προσηγορίαν ἐμφέρουσα, νομὰς γὰρ χηνῶν οὐκ ἂν ἴδη τις οὔσας. « Chenoboscia, civitas Ægypti. Alexander in libro primo Ægyptiacorum. Est e regione Diopolitis nomi, nullam nominationis ejus causam secum ferens. Nec enim unquam ibi anseres pasci quis vidit.

CHOREPISCOPUS. Heraclides, cap. 37 : « Erat autem de monasterio Timothei Cappadocis cujusdam chorepiscopi. » In Palladio, cap. 106. Glossarium Camberonense Ms. : « Chorepiscopi dicuntur episcoporum vicarii, qui propter pauperum sollicitudinem in villis et vicis constituti gubernant commissas ecclesias, habentes licentiam constituere usque ad sub-

diaconos. » De munere eorum vide Baronium, tomo III, anno Christi 357.

CHYDÆUM VINUM. In Palladii Lausiaca, ex veteri interpretatione, in appendice, cap. 20, n. 3 : « Accipe tecum unum vasculum Chydæi vini. » Ita ibi legendum existimo pro *Chindii*, ut in notatione monui. Plinius, libro XIII, capite quarto, de palmis agens et earum dactylis : « Nam quos ex his honori deorum dicamus, Chydæos appellavit Judæa, gens contumelia numinum insignis. » Idem lib. XIV, cap. 16, agens de vinis factitiis : « Primumque e palmis, quo Parthi et Indi utuntur, et Oriens totus, maturarum quas vocant chydæas modio in aquæ congiis tribus macerato, expressoque. » Chydæi significationi fors lucem dabit locus Exod. I, 7 : *Filii Israel creverunt, et quasi germinantes multiplicati sunt.* Apud LXX est : Οἱ δὲ υἱοὶ Ἰσραὴλ ηὐξήθησαν, καὶ ἐπληθύνθησαν, καὶ χυδαῖοι ἐγένοντο. Arias Montanus vertit : *At filii Israel creverunt et multiplicati sunt, et abundantes fuerunt.* Ubi Romana Editio habet : *et effusi facti sunt*, χυδαῖοι ἐγένοντο. Interpres Origenis : *et in multitudine magna diffusi sunt.* Χυδαῖον sæpe significat *vulgare, et ex copia vile.* Quare admonet Theodoretus, q. 1, non esse hoc loco accipiendum quasi per contumeliam dictum, quemadmodum nonnulli acceperint ; sed tantum numerosam multitudinem significare. Ita enim creverunt, inquit, ut per universam illam terram diffunderentur. Aquila ἐξήρπωσαν, Symmachus ἐξῆρψαν, *erepserunt.* Eustathius, in Homerum : Χυδαῖοι, παλαὶ ἐλέγοντο οἱ πεπληθυσμένοι, νῦν δὲ οἱ οὐδαμένοι. « Chydæi olim dicti multiplicati, nunc autem nullius pretii. »

CILICENSIS AMPHORA. Palladius, cap. 19, 20 : « Postquam amphoræ unius Cilicensis aquam bibisset. » Μετὰ τὸ πινεῖν ἀμφορέα Κιλικίσιον ὕδατος. Suspicor maximam amphoram fuisse, nam præcedit : « Trium modiorum panem postquam comedisset, et amphoræ, » etc., ut sit proportio aliqua inter tres modios et amphoram unam Cilicensem. Idem, cap. 33 : « Cum ergo multa vasa fictilia portasset, » Græcus addit, *Cilicensia.* Βαστάσας οὖν ἐκεῖνος κεράμια κιλικίσια. Heraclides, cap. 6 : « unius amphoræ lagenam bibere coegisset. » Ubi quidam Ms., *Cilicensis lagenæ aquam.* Apud Athenæum, lib. III, *Cilicii* panes, sunt panes magni, quorum etiam meminit Eustathius ad Homerum. Isidorus, lib. XX Orig., cap. 6, meminit *Siculæ* vasis. Lagena et situla Græca nomina sunt, inflexa ex parte ut fierent Latina. Illi enim λάγηνος, nos lagenam ; illi sicilo, nos situlam dicimus. » Papias Vocabulista : « Sicula vas aptum ad vinum vel aquam, a Græco tractum, id est sicia. » Et ne vitium hic in orthographia suspiceris, legendumque *situla*, in alio post litterarum ordine situlam ponit.

CINERENTE ET CACCABATE. Pelagius, libell. XV, n. 29 : « Bene tibi fecerunt cinerente et caccabate. » Describit seipsum luridum et nigrum. Ibidem, num. 25, de Macario fornicationis falso accusato : « Et appenderunt in collum meum caccabatas ollas, et ansas vasorum. » Paulinus, epistola 12 : « Cum ædificia, quæ immaculata adhuc operis tui grata splendent obscurata næniis insipientiæ meæ, et (ut digno meis versibus verbo utar) caccabata, ridentibus multis vel nauseantibus confusus aspicies. » Ad quem plura de hac voce diximus.

CLINICUS. Vita Fabiolæ, capite 5 et Paulæ, capite 4. Capitur hic pro ægro, qui lecto decumbit, nec se movere potest. Plinius, lib. XXV, cap. 5 : « Medetur ita morbis comitialibus, ut diximus, vertigini, melancholicis, stomachicis, spasticis, clinicis. » Sic paralyticum Joannis V Cyprianus *clinicum* vocat epist. 76 : « Ego enim, qui clinicum de Evangelio novi. »

Erant et clinici medici qui lectulis ægrorum assidebant, quo alludit Martialis, lib. I, epigr. 31, ubi Raderum nostrum de hoc medicorum genere vide.

Clinici quoque tempore Cypriani dicebantur, qui morti proximi in lecto baptizabantur. Cyprianus, epistola 76 : « Porro autem quod quidam eos salutari aqua et fide legitima Christi gratiam consecutos, non Christianos, sed clinicos vocant. »

COLOBIUM. Vita Pachomii, cap. 14 : « Lebiton autem linea vestis erat, instar colobii. » Ruffinus, hic, libro II, c. 3 : « Quibus usus est indui colobiis, quasi saccis lineis. » Glossarium Camberonense manuscriptum : « Colobium, vestis cucullæ similis, nisi quod cucullo caret. » Papias Vocabulista : « Colobium genus vestis dictum, quia longum est, et sine manicis. Hoc antiqui utebantur. Sed quia nuditas brachiorum culpabatur, usus colobiorum in dalmaticas est mutatus. » Existimo Colobium dictum a κολοβὸς, quod mutilum esset videlicet manicis. Nicetas, Thesauri orthodoxi lib. I, cap. 39, agens de Scribis Judæorum : « Dalmatica, quæ nunc colobia dicuntur, purpuraque prætexuntur, induti, phylacteria sua ostentabant, breves nimirum chartulas, quibus inscripta lex erat, quas illi pretiosis fasciis ornatas, auroque distinctas, tanquam Judæorum magistri, deferebant. » Etiam colobiis monachorum signum erat intertextum e purpura. Vide Dorotheum, Doctrina 1. Habes etiam *colobium purpuratum*, apud Anastasium, in Eutychiano.

CONTERNATIO. Vita sanctæ Paulæ, num 11 [1] : « Segor vitulam conternantem, » id est trimam, Isaiæ XV. Papias : « Conternans, vitula tertium agens annum. » Vocabularium Gerardi, de Scheuren : CONTERNANS, *die in synen derden iaer is.* Vide hanc lectionem accurate explicatam apud nostrum Gabrielem Alvarez in Isaiam. Rarius vocabulum eo significatu. Diu ibi lectum *consternantem.* Utraque lectio est in Glossario Ms. Camberonensi, « *Conternare* vel *contrenare* est tremere. Unde et Segor vitula conternans a Propheta dicitur : *Vitula*, quia parva ; *conternans*, quia per tremorem terræ sæpe subruta. *Consternans*, repellens, vel cadens. *Consternatio* dicitur subita concitatio ex aliquo metu, a sternutando dicta.

[1] Vide Patrol. t. XXII, col. 887 init., ubi lapsu typographico scriptum est : *Consternantem.* EDIT.

Unde et alii prædictam Segor non *conternantem* sed *consternantem* dicunt, quasi ad hostilem adventum repentino timore turbandam. » Aliud est *Conternatio* Hygino, De limit. constit., videlicet ternorum comparatio : « Quod si illis permissum fuerit ut inter convenientes conternentur, conternati sortiri debebunt, qui tres primam centuriæ sortem accipere debeant. Conternationum factarum singula sortibus nomina inscribemus. »

CONTINENTIA IN MATRIMONIO. Frequens ea meliore ævo. Et quidem perpetuæ continentiæ exempla habes hic in indice, Ammonis cum uxore, Anastasii

1022 et Theogniæ, Eucharistii et Mariæ, Magnæ cum marito, Olympiæ cum Nebridio, cujusdam anonymi, qui postea presbyter creatus est, cum uxore. Quibus adde, Pelagii, post Laodicensis episcopi, cum uxore, apud Theodoret., l. IV Hist. Eccles., c. 12; Juliani et Basilissæ apud Metaphrasten, 9 Jan.; Zachariæ calcearii cum Maria uxore, ut habes in Græcorum Menæis, 17 Novembris; Cæciliæ cum Valeriano nobili Romano, 22 Novembris apud Surium; duorum Amantium apud Gregorium Turonensem, De Glor. Confess., cap. 33; Cononis Isaurici cum Maria conjuge in Menæis, ut Martii; Eduardi Angliæ regis cum conjuge Editha; Henrici imp. Augusti cum Cunegunde uxore, ut habet Surius, 3 Martii; Elzearii comitis Ariani, et Dalphinæ, 27 Septemb., apud Surium cap. 32; Edelfridæ cum duobus regibus Angliæ, apud Bedam, lib. IV Hist. Anglic., cap. 25; Bolestai Pudici Poloniæ regis cum Cunegunde. Aliorum aliquot similia exempla vide apud Canisium nostrum, lib. II De Maria virgine, cap. 11.

Temporariæ continentiæ castimoniam post susceptos liberos coluere Antigonus et Euphraxia, Protocomes cum uxore annis XXX; Pinianus cum Melania juniore, quæ in indice Vitarum Patrum vide, quibus addi possunt Andronici et Drusianæ, apud Abdiam, libro V, in Actis sancti Joannis evangelistæ; Andronici et Athanasiæ conjugum anachoretarum, ut habent Menæa, 9 Octobris, cum Martyrologio Romano, et Metaphrastes, 27 Februarii.

Vide etiam aliquot continentiæ in matrimonio exempla apud Joannem Nyder, Formicarii lib. I, cap. 5, et ibi scholiasten Georgium Colvenerium.

His annumerandi non videntur Macarius Romanus cum sua sponsa in Vitis Patrum, sanctus Alexius cum puella regii sanguinis, apud Surium, 17 Julii, Pharaildis cum Guidone viro nobilissimo, quod consensus mutuus defuerit.

COPADIUM. Pelagius, lib. V, libello IV, num. 63 : « Et accipiens archiepiscopus unum copadium, dedit juxta se recumbenti. » Papias : « Copadium particula carnis, quod Græci copium dicunt. »

CORONA MARTYRUM. Frequens *corona* et *coronari* de martyrio. Vita Antonii, cap. 23 : « Episcopo Petro jam ob martyrii gloriam coronato. » Vita Malchi, in prologo : « Per quos Christi Ecclesia nata sit et adulta, persecutionibus creverit, martyriis coronata sit. » Vita Paulæ, cap. 27 : « Mater tua longo martyrio coronata est. » Vita Pachomii, in prologo : « Simul cum Petro Alexandrinæ civitatis episcopo, perpetuas coronas et immortalia præmia sunt adepti. » Martyrologium Romanum, 1 Januarii : « Ibidem via Appia coronæ sanctorum militum triginta martyrum sub Diocletiano imp. Et passim apud ecclesiasticos scriptores.

CORONA REDIMIRI. Erat solemne olim tam sponsum quam sponsam corona redimiri. Palladius, c. 8, de Ammone sponso : « Visum est ei et corona redimiri, et sedere in thalamo, » ἔδοξεν καὶ στεφανοῦσθαι. Tertullianus, De corona militis, cap. 13 : « Coronant et nuptiæ sponsos; et ideo non nubimus ethnicis, ne nos ad idolofatriam ducant, a qua apud illos nuptiæ incipiunt. » Ita quidem observatum fuit in primitiva Ecclesia, cum periculum esset idololatriæ, quod coronæ alicui Deo profano sacræ sunt. Postea, semoto periculo, etiam mos hic apud Christianos invaluit, ut hic vides. Claudianus, de nuptiis Honorii :

Tu festas Hymenæe faces, tu Gratia flores
Elige, tu geminas Concordia necte coronas.

Idem exhortans Stiliconem ad nuptias ait :

Solitas galea fulgere comas
Stilico molli necte corona.

Vide plura apud Carolum Paschalium, De coronis.

CRUX E COLLO GESTATA. Leontius, in Vita sancti Joannis Eleemosynarii, de Zacharia ejus discipulo, c. 1 : « Abstulit a se quam ferebat crucem argenteam, et dat ei. » Crucem e collo gestavit Procopius seu Neanias martyr tempore Diocletiani, ut testatur Nicephorus, lib. VII, cap. 15, et concilium Nicænum, Act. 4, et Metaphrastes apud Surium, 8 Julii. Ita et Oresdes miles Christianus, ut habetur in Vita sancti Eustratii martyris et sociorum 13 Decembris, apud eumdem Surium. Vide plura exempla apud Gretzerum nostrum, de Cruce, lib. I, cap. 78, et lib. II, cap. 27. Item lib. II, c. 34, de Encolpio episcoporum, qui cruciculam auream e collo gestant.

CUBA. Vita Pauli primi eremitæ, num. 61 in notatione vide et *cubam* et *gubam* dici posse (*supra, col.* 112). Sic apud Theodoretum Philothei, lib. IX, cap. 13. Macedonius *Gubba* dictus, quod staret in fossa profunda. « Id autem nomen, inquit, si ex lingua Syriaca in Græcam transferatur, significat λάκκον, id est, lacum. »

Aliud *Cuba* vel *Cumba* Festo : « Cubam Sabini vocant eam quam militares lecticam, unde videtur derivatum esse cubiculum. » In Glossis Isidori est, *Cumba, cuneus, ripa.* Glossarium Camberonense manuscriptum : « Cuba, extrema pars navis, dicta eo quod incubet aquis. Cumba vero dicitur lectica a cubando. » In iisdem, *Gumba, cuneus.*

Invenitur et *Cubella* apud postremissimos scriptores, pro lintre, in quo pasta formari solet. Niderus in Formicario.

CURARE, id est, ἐνταφιάσειν, curare funus, lavare, ungere, condire aromatibus, et cætera præstare, quæ requiruntur ante sepulturam. Palladius, cap. 10 : « Quem dum ego curassem, et linteis sancti corpus involvissem, et deposuissem. » Ὃν ἐνταφιάσασα ἐγώ, καὶ ὀθόναις τὸ σῶμα τοῦ ἁγίου εἵλιξασα, καὶ ἀποθεμένη. Hervetus verterat : *Quem cum ego sepelissem,*

et linteis, etc. Nempe ἐνταφιάζειν, *curare funus*, credidit idem esse quod θάπτειν, *sepelire*. Atqui non poterat sepeliri corpus antequam involveretur. Rectus ordo *curare*, lavare et ungere corpus, *linteis involvere*, et *deponere*, seu sepelire. Proprium verbum huic rei funebri *curare* Latinis, uti Græcis ἐνταφιάζειν.

Quod Gen. I, 2, est *Præcepitque* (Joseph) *servis suis medicis, ut aromatibus condirent patrem*; LXX habent : Καὶ προσέταξεν Ἰωσὴφ τοῖς παισὶν αὐτοῦ τοῖς ἐνταφιασταῖς, ἐνταφιάσαι τὸν πατέρα αὐτοῦ. *Et præcepit Joseph servis suis funeratoribus, funerare patrem suum*; ibi olim erat *sepultoribus*. Augustinus, in Locut. : *Sepultoribus* : « Non invenit lingua Latina, quemadmodum appellaret ἐνταφιαστάς. Non enim ipsi sepeliunt, id est, terræ mandant corpora mortuorum, quod non est Græce ἐνταφίασαν, sed ἔθαψαν. Illi ergo ἐνταφιασταὶ id agunt, quod exhibetur corporibus humandis, vel condiendo, vel siccando, vel involvendo, et alligando ; in quo opere maxime Ægyptiorum cura præcellit. Quod ergo dicit, etiam sepelierunt, curaverunt intelligere debemus. »

Idem tractatu priore De resurrectione mortuorum, c. 12 : « Ægyptii diligenter curant cadavera mortuorum. » Pius episcopus Romanus (ut creditur) ad Justum episcopum Viennensem, epistola 2 : « Cura autem sanctorum Martyrum corpora, sicut membra Dei, quemadmodum curaverunt apostoli Stephanum. » Suetonius, Nerone, cap. 49 : « Imperavit aquam simul **1023** et ligna conferri curando mox cadaveri. » Spartianus, in Hadriano : « Curasse delicatos, eosdemque sepelisse. » Nisi ille capiendus sit de cura depilatoria catamitorum, legaturque, *sæpe lisse*. Eginhartus, in Vita Caroli Magni : « Corpus more solemni lotum et curatum. »

CURIALIS. Heraclides, cap. 7 : « Moyseus servus alicujus curialis erat. » In Palladio, cap. 22, est οἰκέτης ὑπῆρχεν πολιτευομένου τινός. Vetus Palladii Lausiaca, cap. 14 : « Moyses servus cujusdam fuit curialis. » Innocentius I, epist. 2, ad Victricium Rothomag. episcopum, cap. 11 : « Frequenter quidam ex fratribus nostris, curiales vel quibuslibet publicis functionibus occupatos, clericos facere contendunt. » Sunt curiales qui curiis ascripti erant. Glossæ : *Curialis*, βουλευτής, βουλευτικός.

CYPHONISMUS. Sunt qui *cyphonismum* velint describi a sancto Hieronymo in Vita sancti Pauli primi eremitæ, num. 2 : « Martyrem jussit melle perungi, et sub ardentissimo sole, religatis post tergum manibus, resupinari, scilicet ut muscarum aculeis cederet. » Vide Gallonium, De tormentis, cap. 1.

DÆMONUM PRÆDICTIO. Recte de ea ratiocinatur sanctus Antonius, ut habetur Vitæ ejus cap. 17. Augustinus vero, tomo III, lib. II de Gen. ad litteram, c. 17, ita ea de re disserit : « Quibus quædam vera de temporalibus rebus nosse permittitur, partim quia subtilioris sensus acumine, partim quia corporibus subtilioribus vigent, partim experientia callidiore, propter tam magnam longitudinem vitæ, partim sanctis angelis, quod ipsi ab omnipotente Deo discunt, etiam jussu ejus sibi revelantibus, qui merita humana A occultissimæ justitiæ sinceritati distribuit. Aliquando autem iidem nefandi spiritus etiam, quæ ipsi facturi sunt, velut divinando prædicunt. Quapropter bono Christiano sive mathematici, sive quilibet impie divinantium, maxime dicentes vera cavendi sunt, ne consortio dæmoniorum animam deceptam pacto quodam societatis irretiant. »

Idem, tomo III, lib. XII De Genesi ad litt., c. 17 : « Cæterum alicubi longe jam facta quod nuntiant, quæ post aliquot dies vera esse firmentur, non est mirandum. Possunt enim hoc efficere, non solum acrimonia cernendi etiam corporali incomparabiliter præstantiore quam nostra est, sed etiam ipsorum corporum longe utique subtiliorum mira velocitate. Comperimus etiam in domo constitutum patientem B spiritum immundum, dicere solere, quando ad eum venire cœpisset ex duodecim millibus presbyter, et per omnia loca itineris ubi esset, et quam propinquaret, et quando ingrederetur, et fundum, et domum, et cubiculum, donec in conspectu ejus astaret. Quæ omnia etsi non oculis patiens ille cernebat; tamen nisi aliquando modo cerneret, non tam veraciter enuntiaret. Erat autem iste febriens, et tanquam in phrenesi ista dicebat. »

Idem, tomo III, lib. De divin. dæmonum, cap. 4 et 5, præclare ea de re inquirit.

Idem, lib. II De civ. Dei, cap. 24, de servo Lucii Pontii per dæmonem vaticinantis : « Adjecit arsurum esse Capitolium. Hoc cum dixisset, continuo egressus e castris, postera die concitatior reversus est, et C Capitolium arsisse clamavit. Arserat autem revera Capitolium. Quod quidem dæmoni et prævidere facile fuit, et celerrime nuntiare. » Sic lib. VIII, cap. 25, docet unde Hermes Trismegistus scire potuerit superstitiones Ægyptiacas auferendas. Et l. IX, c. 22, distinguit inter scientiam dæmonum et angelorum, quod angeli « certius temporalia et mutabilia ista noverunt, quia eorum principales causas in Verbo Dei conspiciunt, per quod factus est mundus : quibus causis quædam probantur, quædam reprobantur, cuncta ordinantur. Dæmones autem non æternas temporum causas, et quodammodo cardinales in Dei sapientia contemplantur, sed quorumdam signorum nobis occultorum majori experientia multo plura quam homines futura prospiciunt, dispositiones quoque D suas aliquando prænuntiant. Denique sæpe isti, nunquam illi omnino falluntur. »

DÆMONUM EXSUFFLATIO. Nihil frequentius in sanctorum gestis *dæmonum exsufflatione, insufflatione, insputatione*

De exsufflatione habes in Vita Pachomii, capite decimo septimo : « Qui signo crucis frontem suam muniens exsufflavit in eum, moxque fugatus est. » Et capite 48 : « Et exsufflans in eum dixit. » Irenæus, libro primo, capite nono : « Jam vero quædam ex fidelissimis mulieribus, quæ habent timorem Dei, et non sunt seducibiles, quas similiter ut reliquas affectavit seducere, jubens eas prophetare, exsufflantes et anathematizantes eum separaverunt se ab ejusmodi insano. » Quod hic est *exsufflantes*, Græce apud Epi-

phanum, hæresi 34, est καταφυσήσασαι. Tertullianus, A
De idololatria, cap. 11 : « Quo ore Christianus thurarius si per templa transibit, quo ore fumantes aras despuet, et exsufflabit, quibus ipse prospexit? » Severus Sulpicius, libro III De virtutibus sancti Martini : « Vidit post tergum ipsius dæmonem miræ magnitudinis assidentem, quem eminus (ut verbo, quia ita necesse est, parum Latino utamur) exsufflans, Avitianus se exsufflari existimans : Quid me, inquit, sancte, sic aspicis? Tum Martinus : Non te, inquit, sed eum, qui cervici tuæ teter incubuit. » Sic dæmoniorum exsufflatio inter cæremonias baptismi apud Dionysium Areopagitam, Hierarchiæ Eccles: cap. 2, et passim apud alios ecclesiasticos scriptores : quo respicit divus Augustinus, tract. 11 in Joannem agens
adversus Donatistas rebaptizatores, qui semel rite B
baptizatum exsufflabant, atque ita Christum potius quam dæmonem exsufflabant : « Adversus exsufflatores Christi, adversus blasphematores baptismi. » Item: « Quando vident Christum a quo liberati sunt, exsufflari in Christianis? » Quem locum non recte percepit Desiderius Heraldus, Notis ad Minutium Felicem.

De insufflatione Prudentius, in Agone Romani, hymn. 14, vers. 919 :

Ingressus ille, ut hos paratus perspicit,
Insufflat, ipsos ceu videret dæmones.

Palladius, in Vita sancti Joannis Chrysostomi : « Dæmones credentium una insufflatione ligantur. »

Exsufflatio hæc dæmonum et insufflatio sæpe fiebat cum disputatione. Vitæ Antonii cap. 20 : « At ego
sputaculum maximum in os ejus ingeminans, totum C
me in eum Christi nomine armatus ingessi. » Unde despuere et exsufflare subinde conjunguntur. Tertullianus, De idololatria, cap. 10 : « Quo ore Christianus thurarius si per templa transibit, quo ore fumantes aras despuet, et exsufflabit, quibus ipse prospexit? » Idem, lib. II ad uxorem cap. 5 : « Latebisne tu cum lectulum, cum corpusculum tuum signas, cum aliquid immundum flatu exspuis? »

Subinde despuere solitarie ponitur. Tertullianus, De spectac., cap. 13 : « Nec minus templa quam monumenta despuimus. » Minutius Octavio : « Deos 1024 despuunt. » Prudentius, libro I contra Symmachum :

Quis in urbe
Qui Jovis infectam sanie non despuat aram?

Unde non mirum Vitæ sancti Antonii cap. 20 variam D
lectionem esse, ut ibi monui, cum Evagrius vertit *sputaculum ingeminavi*. Ubi in Græco est ἐνεφύσησα.

Defensor. Vita Joannis Eleemosynarii, capite 5 : « Et volentes adire eum, timore cancellariorum et ecclesiæ defensorum atque ei astantium prohiberentur. » Et cap. 23 : « Ceciderunt eum ecclesiæ defensores. » Concilii Chalcedonensis can. 2, qui Græce dicitur ἔκδικος Latine est *defensor*; et can. 2, 23, habes ἔκδικον *defensorem* ecclesiæ Constantinopolitanæ. In Codice canonum ecclesiæ Africanæ, can. 117, habes ἐκδίκους σχολαστικούς, *defensores scholasticos*, id est advocatos. Ut hi erant defensores ecclesiæ, ita alii erant defensores in palatio. Vide Codinum, De offic. aulæ Constantinopolitanæ.

Dehabere. Rarius verbum, nec facile obvium. Habes in appendice, in Palladii Lausiaca, ex veteri interpretatione, cap. 13 : « Maxime si dehabent et egentiores sunt. » Præter Hieronymum ibi citatum, usurpat et Æthicus, de Oceani Occidentalis fluminibus, in Tiberi : « Insula vero, quam facit intra urbis portum et Ostiam civitatem, tantæ viriditatis amœnitatisque est, ut neque æstivis mensibus, neque hiemalibus pastulæ admirabiles herbas dehabeat. »

Dehonestamentum. Vita Antonii, cap. 30 : « Tali dehonestamento corporis plurimum gloriabatur. » Ex Gellio sumptum, ut videbis. Etsi rarius verbum, auctoribus tamen aliquot usurpatum. Salustius, lib. I Historiar. : « Fusidius honorum omnium dehonestamentum. » Tacitus aliquoties usurpat. Occurrit et apud Justinum. Seneca, de Constantia Sapientis, cap. 19 : « Contumelias et verba probrosa, et ignominias, et cætera dehonestamenta velut clamorem hostium ferat. » Gellius, lib. II, cap. 27 : « Quo ille dehonestamento corporis maxime delectabatur. » Arnobius, lib. II : « Ad vitiorum dehonestamenta traduci. » Trebellius Pollio, in Claudio : « Gallus Antipater ancillariorum et histrionum dehonestamentum. » Ammianus, lib. XXVI : « Ad hoc igitur dehonestamentum bonorum omnium ludibriose sublatus. » Glossæ : *Dehonestamentum*, αἰσχύνη

Dictum et *inhonestamentum*. Apuleius, Apologia : « Ne quid maculæ aut inhonestamenti in me admittam. » Isidorus, libro II Originum, cap. 21, ex C. Graccho citat : « Pueritia tua adolescentiæ tuæ inhonestamentum fuit; adolescentia senectutis dedecoramentum; senectus reipublicæ flagitium. »

Sic honestamentum Ennodio, lib. II, epist. 1 : « Nec magistro opus sit ei quem fecerunt actuum suorum emendationes et honestamenta conspicuum. » Apuleio, Apologia : « Itemque multos philosophos ab ore honestissimos memoriæ prodi, qui gratiam corporis morum honestamentis ornaverunt. »

Diptycum. Vita Pelagiæ, capite 7 : « Statim transmisit diptychum tabularum per eosdem pueros. » Græcum verbum *diptychum* δίπτυχον, Latinis tamen usurpatum, sed sæpe apud eos depravatum. Etymologicum : Δίπτυχα, ὄνομα οὐδέτερον. Γέγονε δὲ ἐκ τοῦ δίπτυξ, ἀρσενικοῦ· τοῦτο ἐκ τοῦ πτύσσω τὸ σφαλίζω, πτύξω, πτύξ, καὶ μετὰ τοῦ δύο, δίπτυξ, δίπτυχος κλίνεται καὶ μετάγεται εἰς εὐθεῖαν· καὶ τὸ οὐδέτερον, τὸ δίπτυχον. Δίπτυχα ποιήσαντες, διπλώσαντες τὴν κνίσαν· νῦν δὲ λέγει τὴν ἐπίπλουν : « Diptycha, nomen neutrum. Fit a masculino δίπτυξ quod fit a verbo πτύσσω, plico. Futuro πτύξω, unde πτὺξ plica, et cum δύο duo δίπτυξ, δίπτυχος flectitur, et traducitur ad rectum casum. Et neutrum diptychum. Diptycha facientes, id est duplicantes arvinam, nunc autem dicit ἐπίπλουν, omentum. » Alludit hic etymologicum ad versus Homeri, de quibus post.

Diptychum igitur hic capitur pro libello duarum plicarum, seu foliorum, seu paginarum, quasi dicas *duplices*. Unde Ovidio, lib. I Amorum, eleg. 12 :

Ergo ego vos rebus duplices pro nomine senos,
Auspicii numerus non erat ipse boni.

Quas Joannes Wouwerius, ad lib. I Sidonii, epist. 5, non rite refert ad combinas seu diplomata impp.

Sic Martiali, l. VII, epigr. 52, *triplices*, seu *τρίπτυχα* a tribus foliis:

Bis senos triplices, et dentiscalpia septem.

Et eodem libro, epigr. 71:

Nec vani triplices, brevesque mappæ.

Idem, lib. XIV, epigr. 6:

Tunc triplices nostros non vilia dona putabis,
Cum se venturam scribet amica tibi

Sic apud eumdem Martialem, lib. XIV, ep. 4, *quintuplices*, seu *πεντάπλυχα* habes:

Cæde juvencorum domini calet area felix,
Quintuplici cera cum datur altus honor.

Duplex autem fuit diptychorum usus, profanus et sacer. Profani mentio apud veteres, qui ea muneris loco sæpe mittebant, maxime in editione munerum. Symmachus, in Auctario epistolarum, epist. 7, quam fratribus scribit: « Religiosum atque votivum est, ut a Quæstoribus candidatis dona solemnia potissimis atque amicissimis offerantur. In eo numero jure censemini. Offero igitur vobis eburneum diptychum, et canistellum argenteum librarum duarum filii mei nomine, qui quæstorium munus exhibuit. » Idem, lib. II, epist. 81, ad Flavianum: « Filius noster Symmachus peracto munere candidati, offert tibi dona quæstoria, et cæteras necessitates nostras pari honore participat. Quæso igitur ut ejus nomine diptycha et apophoreta suscipere dignemini. » Idem, lib. V, epist. 56, ad Sallustium: « Ad te diptychum candidati, et apophoreticum librarum argenti duarum per hominem tuum misimus, approbare cupientes editioni nostræ te animo non defuisse. » Idem, lib. IX, epist. 109: « Non aspernabere, ut existimo, diptychi et apophoretici oblationem. »

Erant diptycha quæ muneris loco mittebantur, fere eburnea: quod epitheton etsi non semper additur, tamen subintelligendum videtur. Sic cape diptychum absolute positum apud Symmachum, lib. II, epist. 81. Nam subdit, quasi explicans: « Cæteros quoque amicos eburneis pugillaribus et canistellis argenteis honoravi. »

Cum eadem principi mittebantur, inaurari solita. Symmachus, lib. II, epist. 81: « Præterea domino et principi nostro ad referendam largitati ejus sedulam magis quam parem gratiam, auro circumdatum diptychum misi. »

Prohibitum post ne minor consulari magistratus diptycha ex ebore et sportulas aureas daret. L. 1, De expens. ludor., C. Theod., ita constituunt impp. Valentinianus, Theodosius, et Arcadius Augg.: « Illud etiam constitutione solidamus, ut, exceptis consulibus ordinariis, nulli prorsus alteri auream sportulam, diptycha ex ebore dandi facultas sit, cum publica celebrantur officia. Sit sportulis nummus argenteus, alia materia diptychis. » Unde Claudianus, lib. III de laude Stiliconis consulis, ab eo sparsas in populum eboreas tabellas canit:

A Tum virides pardos, et cætera colligit Austri
1025 Prodigia, immanesque simul Latonia dentes,
Qui secti ferro in tabulas, auroque micantes,
Inscripti rutilum cælato consule nomen
Per proceres et vulgus eunt. Stupor omnibus Indis
Plurimus, ereptis elephas inglorius errat
Dentibus.

Cur diptycha seu pugillares tabulæ in editione munerum dono missa fuerint, equidem nescio. Ludovicus Carrion, lib. II Emendat., cap. 6, supra, existimat ea a quæstoribus candidatis offerri solita, quod iis ipsis essent in usu frequenti. Sed et consules aliique diptycha obtulerunt.

Videntur diptycha amantium fuisse tabellæ. Unde vetus commentator, ad illud Juvenalis, satyr. 9:

. . . Et blandæ assiduæ, densæque tabellæ
Sollicitent.

ascribit: *blandis te epistolis et diptychis sollicitet.*
B Glossarium Camberonense ms.: « Diplicæ, dicuntur tabellæ, quibus corruptores puellis suis inscribunt amorem. » Papias vocabularista: « Diplicæ tabellæ, quibus corruptores amorem suum inscribunt puellis. » Apud Ovidium quoque, lib II Amorum, eleg. 15, habes *tabellas arcanas* ad hanc rem.

Quod Carrion putat diptycha universum fuisse plerumque *eburnea*, falli eum existimo. Nec enim simile vero, *diptycha epistolica*, quæ vulgo epistolæ loco sibi mutuo mittebant, quibusque arcana sua declarabant, fuisse eburnea; sed potius lignea, cera inducta. Unde Ovidius supra amicæ suæ *duplices*, seu diptycha, quibus noctem negaverat, exsecrans ait:

Quid precer iratus? nisi vos cariosa senectus
Rodat, et immundo cera sit alba situ.

C Unde colligitur lignea fuisse. Et eodem lib. I, eleg. 11, quæ priorem præcedit de tabellis suis amatoriis, ait:

Subscribam. Veneri fidas sibi Naso tabellas
Dedicat. At nuper vile fuistis acer.

Alia erant *sacra diptycha*, quorum usus erat in Ecclesia catholica, a communi in privatam notionem deflexa.

Erant igitur hæc sacra diptycha duplices tabulæ, quarum una parte inscribebantur nomina episcoporum pie defunctorum, altera vero vivorum.

Et quidem quod mortuos spectat, earum tabularum, quæ *ἱεραὶ πτυχαὶ* ibi vocantur, mentio est apud Dionysium Areopagitam, Eccles. Hierarch., cap. 3, ubi agitur de mysterio synaxeos, sive communionis:
D *Καὶ ἀσπασαμένων ἀλλήλους ἁπάντων, ἡ μυστικὴ τῶν ἱερῶν πτυχῶν ἀνάῤῥησις ἐπιτελεῖται.* Quæ ita vertit Perionius: « Cum omnes se inter se salutaverunt, mystica sanctorum recitatio fit. » Ambrosius Camaldulensis: « Et cum se mutuo omnes salutaverint, mystica sanctorum recitatio fit. » Uterque omisit vertere vocem *πτυχῶν*. Rectius igitur Joannes Scotus, vetus Dionysii interpres: « Et omnibus salutantibus inter se invicem, mystica sacrorum voluminum prædicatio perficitur. » Item Joannes Saracenus: « Et osculatis se invicem universis mystica sanctarum tabularum prædicatio perficitur. » Recte ita verterunt, modo per *volumina* et *tabulas* intelligant diptycha.

Rursus eodem capite, in Theoria: Ὁ δὲ θειότατος

ἀσπασμὸς ἱερουργεῖται, καὶ τῶν ἁγιογράφων πτυχῶν ἡ μυστικὴ καὶ ὑπερκόσμιος ἀνάῤῥησις. Perionius : « Divina autem salutatio, sive osculum, adhibetur, sanctorumque animorum, qui scripti sunt, mystica cœlestisque prædicatio. » Ambrosius Camaldulensis : « Porro sacratissima consalutatio idcirco celebratur, sanctorumque descripta nomina mystice et modo supramundano prædicantur. » Clarius veteres interpretes. Joannes Scotus : « Divinissima autem salutatio sancte agitur, et hagiographorum voluminum mystyca et supermundana recitatio. » Joannes Saracenus : « Divinissimum autem osculum sancte agitur, et hagiographarum tabularum mystica et supermundana enuntiatio. »

Iterum in ejusdem capitis theoria, qua hujus rei contemplatio et explicatio continetur : Τῶν δὲ ἱερῶν B πτυχῶν μετὰ τὴν εἰρήνην ἀνάῤῥησις, ἀνακηρύττει τοὺς ὁσίως βεβιωκότας, καὶ πρὸς ἐναρέτου ζωῆς τελείωσιν ἀμεταστάτως ἀφικομένους. Quæ ita vertit Perionius : « Sanctorum autem animorum, quæ pos pacem adhibetur, prædicatio eos qui pie sancteque vixerunt, atque ad vitæ virtuti consentaneæ perfectionem pervenerunt, laudibus afficit. » Rursus hic Perionius ψυχῶν legit pro πτυχῶν. Ambrosius Camaldulensis : « Enimvero sanctorum post pacem illam nominum prædicatio eos præconio attollit qui pie sancteque vixerunt, atque ad finem usque virtutis vitam constanter, nusquam ab ea deflectendo, tenuerunt. » Clarius Joannes Scotus : « Sacrarum autem tabularum post pacem recitatio prædicat sancte firmatos, et ad strenuæ vitæ consummationem immutabiliter C advenientes. » Item Joannes Saracenus : « Sanctarum autem tabularum post pacem prædicatio prædicat illos qui sancte vixerunt, et ad virtutum vitæ perfectionem intransmutabiliter pervenerunt. »

Ut hic habuimus ἱερὰ πτυχά, quæ Maximus et Pachymeres scholiastæ Dionysii δίπτυχα interpretantur; ita διπτύχων diserta mentio in epistola Ægyptiorum episcoporum ad Anatolium Constantinopolitanum episcopum contra Timotheum invasorem sedis Alexandrinæ, quæ habetur parte III concilii Chalcedonensis ex Romana editione : « Etiam in venerabili diptycho (in quo piæ memoriæ transitum ad cœlos habentium episcoporum vocabula continentur, quæ tempore sanctorum mysteriorum secundum sanctas regulas releguntur) posuit suum nomen et Dioscori, D qui sub damnatione anathematis a Deo et universali concilio esse decretus est; et delevit exinde sanctæ memoriæ et secundum Deum viventis Proterii nomen, regulariter archiepiscopi constituti. » Item in sexta synodo, act. 13 : Τοὺς τοιούτους ἐν ἁγίᾳ τῇ μνήμῃ τρεῖς ἄνδρας, τουτέστι Θωμᾶν, Ἰωάννην, καὶ Κωνσταντῖνον συνείδομεν ἐν τῇ αὐτότητι μεῖναι καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς διπτύχοις ἀναφέρεσθαι τῶν ἁγιωτάτων ἐκκλησιῶν : « Ilos sanctæ memoriæ tres viros, id est, Thomam, Joannem, et Constantinum prævidimus in identitate manere, atque in sacris diptychis sanctarum ecclesiarum recitari. » Theoderetus, Ecclesiasticæ historiæ libro γ, cap. 35 : Οὗτος τὴν Ἰωάννου τοῦ πάνυ προσηγορίαν A πρῶτος τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς διπτύχοις ἐνέταξε : « Iste (Alexander Antiochenus episcopus) primus magni Joannis nomen ecclesiasticis diptychis inseruit. » Quod etiam habes in Historia Tripart., lib. x, cap. 25, et apud Georgium Alexandrinum, in Vita Chrysostomi, capite 71. Isidorus, Trimethensis episcopus, in Vita Joannis Chrysostomi : Τὸ ὄνομα Ἰωάννου τοῖς ἱεροῖς ἐγκαθυπογράψαι διπτύχοις : « Nomen Joannis sacris inscribe diptychis. » Innocentius papa ad Arcadium et Eudoxiam, apud Georgium Alexandrinum patriarcham, de Vita Chrysostomi : Προστάξαι δὲ κελεύσατε καὶ τὸ ὄνομα Ἰωάννου τοῖς ἱεροῖς ἐγγραφῆναι διπτύχοις : « Jubete autem Joannis nomen sacris inscribi diptychis. » Epistola Justiniani imperatoris ad quintam synodum generalem, quæ est Constantinopolitana II : B « Sicut et eos qui injuste condemnati sunt, revocaverunt post mortem, et in sacris diptychis 1026 scripserunt. Quod factum est et in Joanne (Chrysostomo) et in Flaviano religiosæ memoriæ episcopis Constantinopolitanis. » Citatur can. *Sane*, 24, q. 1. In Sacramentali Gregorii Magni habes orationem *Super diptycha* : Memento etiam, Domine, famulorum tuorum, qui nos præcesserunt et dormierunt in somno pacis. » Et in Liturgia sancti Marci : Ὁ διάκονος τὰ δίπτυχα τῶν κεκοιμημένων : « Diaconus legit diptycha defunctorum. » Ad hanc consuetudinem defunctorum nomina in missa recitandi alludit Cyprianus epistola 10, ad Clerum et presbyteros, qui temere pacem lapsis dederant : « Offertur nomen eorum. » Et epistola 63, ad presbyteros, diacones, et plebem C Furnitanam : « Neque enim apud altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes et ministros voluit avocare. »

Uti rite defunctorum episcoporum nomina sacris diptychis inscribebantur, ita hæreticorum et schismaticorum ex iisdem tollebantur. Justinianus imperator, in Confessione rectæ fidei adversus tria capitula, seu in edicto de fide catholica, quod habetur post quintam synodum : Ἀμέλει τοι καὶ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς ἐν Μοψουεστίᾳ ἐκκλησίας, ἐν ᾗ λέγεται ἐπίσκοπος γεγενῆσθαι, διὰ τὰς βλασφημίας, δι' ἅσπερ Ἕλλησί τε καὶ Ἰουδαίοις καὶ Σοδομίταις παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων συνηριθμήθη, ἀπήλειψαν ἐξ ἐκείνου τῶν ἱερῶν τῆς ἐκκλησίας διπτύχων τὴν τούτου προσηγορίαν : « Itaque et omnis plenitudo Mopsuestenæ ecclesiæ, in qua episcopus D dicitur fuisse, cum invenisset quod paganis et Judæis et Sodomitanis a sanctis Patribus connumeratus est, deleverunt ipsi ex illo tempore e sacris Ecclesiæ diptychis ejus nomen. » Justinianus imperator, epistola ad quintam synodum, quæ habetur ibi, act. 1, de Theodoro Mopsuesteno : « Propter istas (blasphemias) superioribus temporibus deletum est et nomen ejus e sacris diptychis Ecclesiæ, cujus fuit episcopus. » Divalis sacra Constantini Pogonati ad dominum papam Agathonem, quæ præmittitur sextæ synodo generali, quæ est Constantinopolitana III : Πολλὴν γὰρ ἔνστασιν ἡμῖν ἐπόρισαν ὅ τε ἁγιώτατος καὶ μακαριώτατος τῶν ἐνταῦθα πατριάρχης, καὶ Μακάριος ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης Θεουπόλεως ἐκβαλεῖν Βιταλιανὸν

τὸν μακαριώτατον ἐκ τῶν διπτύχων, φάσκοντες Ὀνώριον A ἐν τοῖς διπτύχοις διὰ τὴν τιμὴν Ἀποστολίκου θρόνου τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης : « Multam enim nobis instantiam fecerunt tam hic sanctissimus ac beatissimus patriarcha, quam Macarius sanctissimus patriarcha Theopoleos, ut ejiceretur Vitalianus beatissimus de diptychis, asserentes Honorium memorari in diptychis, propter honorem apostolicæ sedis antiquæ nostræ Romæ. » Ecclesiastica historia Theodori Lectoris Constantinopolitani, apud Damascenum, oratione 3 De imaginibus : Εἰς τοσοῦτον γὰρ ἐλήλυθε τῆς τόλμης, ὥστε καὶ τὰ τῶν ἐκεῖ γεγονότων μακαρίων ποιμένων ὀνόματα, τῶν ἱερῶν διπτύχων ἀνεῖλε, καὶ τὰς αὐτῶν εἰκόνας καθεῖλε, κατακαύσας τυραννικῶς. Quæ Franciscus Zinus Veronensis ita vertit : « Eo vero provectus est audacia, ut beatorum qui illic fuerant epi- B scoporum nomina, sacerdotum geminorum sustulerit, tyranniceque combusserit. » Qui non recte percepit ἱερῶν διπτύχων, quod vertit, *sacerdotum geminorum*, cum vertendum sit *e sacris diptychis*, ut recte monuit Jacobus Billius notis ad eam orationem. Sic quod ex eadem historia citatur apud Damascenum : Ἀναθεματίσαι τὰς τῶν ἐπισκόπων εἰκόνας, καὶ τῶν ἱερῶν διπτύχων ἀπαλεῖψαι : « Episcoporum imagines anathemate damnare, et e sacris diptychis delere, » ibi rursus Zinus verterat : *sacerdotes geminos delere*. Innocentius papa, epist. ad Arcadium imperatorem, apud Georgium Alexandrinum de Vita Chrysostomi, ut Arsacii etiam mortui memoria eradatur : Οὗ τινος οὐδὲ τὸ ὄνομα ἐγγραφήτω [*F.* ἐγγραφέσθω] τοῖς ἱεροῖς διπτύχοις : « Cujus ne nomen quidem inscribi sa- C cris diptychis censeo. » Anastasius, in Agathone : « Abstulerunt de diptychis Ecclesiarum nomina patriarcharum, velde picturis ecclesiæ figuras eorum. » Victor Tunnunensis, in Chronico : « Nomina Proterii et Salafatiatii de ecclesiasticis diptychis tollit, et Dioscori et Æluri, qui Proterium interfecit, scribit. » Atque hactenus de mortuorum nominibus quæ diptychis inscripta.

Vivorum, qui diptychis inscribi solent, meminit Joannes diaconus, in Vita sancti Magni Gregorii lib. IV, capite 23 : « Orientales præcipue retinent hactenus sedes, ut in suis diptychis nullius pontificis nomen describant, quousque synodicam ipsius suscipiant ; et tandiu defunctum pontificem inter viventes numerent, quandiu successor illius suas litteras studuerit destinare. » Concilium Chalcedonense, act. 11 : D Ἐδέξατο γὰρ αὐτὸν, καὶ ἐκοινώνησεν αὐτῷ ὁ μακάριος Πρόκλος, καὶ ἐποίησε συνοδικὰ γράμματα, καὶ εἰς τὰ δίπτυχα αὐτὸν ἔταξεν : « Suscepit enim eum, et communicavit ei beatæ memoriæ Proclus, et fecit synodicas litteras, et in diptychis eum posuit. » Et pleraque priora exempla, quibus post mortem quorumdam nomina e diptychis expuncta docetur, satis ostendunt, dum viverent, diptychis inscripta fuisse. Gregoras, lib. V : Ἐν ταῖς ἱεραῖς ὑμνῳδίαις τὸν Πάπαν εἰς τὰ δίπτυχα μνημονεύεσθαι ὁμοῦ τοῖς ἑτέροις τέτταρσι πατριάρχαις : « In sacris hymnodiis mentionem faciunt papæ, cum oratio super diptycha recitatur, una cum aliis quatuor patriarchis. »

Uti viventium episcoporum nomina sacris diptychis inserebantur, ita ex iisdem tollebantur quandoque viventium nomina. Proclus, archiep. Constantinopolitanus, ad domnum Antiochenum episcopum, pro causa Athanasii Perrhæ episcopi, cujus viventis nomen e sacris diptychis erasum erat, habetur in concilio Chalcedonensi, act. 14 : Καὶ τῶν ἱερῶν δέλτων περιελεῖν τὸ ὄνομα τοῦ ἐπισκοποῦντος. Ubi vetus interpres vertit : *et episcopi nomen de sacris diptychis abstulisse*. Vigilius papa in damnatione Theodori : « Etiam Alexandrinæ Ecclesiæ sacerdotem fratrem nostrum Zoilum, cujus nomen usque ad memoratum diem communicatum vobis fuerat, diptychis eximentes, Apollinarem quemdam perversorem atque Ecclesiæ ipsius adulterum vobis sociastis. »

Nomina viventium, quæ sacris diptychis inscribebantur, erant fere episcoporum et patriarcharum, ut passim patet. Quare nescio an referendus sit ad hæc diptycha quæ altari imponebantur, liber vivorum, seu sacra delta, quorum meminit Dionysius Areopagita Ecclesiasticæ Hierar. c. 2, quibus nomina illuminatorum et susceptorum inscribebantur, quæ Ζώντων δίπτυχα, *vivorum diptycha*, vocata esse existimat Pachymeres : Τότε τὴν χεῖρα τῇ κεφαλῇ ἐπιτίθησι, καὶ κελεύει τοῖς ὑπ' αὐτὸν πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις ἐν δέλτοις ἱεραῖς ἀπογράψασθαι τὰ ὀνόματα τοῦ τε προσελθόντος καὶ τοῦ ἀναδόχου· ταῦτα δὲ, οἶμαι, εἰσὶ τὰ τῶν ζώντων δίπτυχα : « Tunc manum capiti imponit, et presbyteris ac diaconis ipsi subditis, jubet in sacris deltis nomina scribere, tam ejus qui ad baptismum venit, quam susceptoris. Hæc autem, opinor, sunt vivorum diptycha. »

Vivorum et mortuorum simul mentionem facit Chrysostomus in Liturgia : Ὁ διάκονος θυμιᾷ γύρωθεν τὴν ἁγίαν τράπεζαν, καὶ τὰ δίπτυχα, τῶν τε κεκοιμημένων καὶ ζώντων, ὡς βούλεται, μνημονεύει : « Diaconus incensat in **1027** circuitu sacram mensam et diptycha ; defunctorum autem et vivorum, uti vult, memoriam facit. »

Permansit hujus rei, tam vivos quam mortuos in missa commendandi, consuetudo in canone missæ, cum primo viventium, inde defunctorum mentionem facimus per duplex *Memento*. Vide Alcuinum, De div. Offic., cap. De celebratione missæ, et Florum Magistrum, qui de hoc diptychorum usu eadem habent.

Ex dictis colligitur, non ideo diptycha dicta, quod gemini essent libri, unus viventium, alter mortuorum, ut existimavit Meursius in suo Glossario Græcobarbaro, cum unus idemque liber utrorumque nomina continere potuerit; et solus liber viventium, item solus mortuorum, etiam diptychum sint dicta. Dicta igitur diptycha, quod liber ille duobus foliis seu tabulis constaret, ut supra dixi. Unde et apud Georgium Alexandrinum, cap. 71, supra citato, pro διπτύχοις alia lectio habet διθύροις, quod liber hic duarum quasi januarum seu valvarum esset, seu, ut Ausonius loquitur, *bipatens pugillar*. Quomodo in Evagrio, lib. VI, Eccl. Hist., cap. 20, ἀμφίθυρον Οὐννικὸν, capio

de *amphithyro* seu *diptycho* opere *Hunico* facto; nisi malis de velo cum aliis capere.

Tale ex ebore diptychum vidisse me memini in ecclesia sancti Lamberti Leodii, cui aliquot sanctorum et quorumdam episcoporum nomina inscripta sunt. Videtur ex profano consulari diptycho, qualia in editione munerum amicis mittere consules solent, ut supra attigi, in ecclesiasticum diptychum translatum. Sane nomen Saviniani seu Sabiniani consulis inscriptum habet, qui consul fuit anno Domini 505, continetque varios figuras, quæ profanam militiam spectant, cum hac etiam inscriptione : COM. DOMEST. EQUIT. Effigiem diptychi hujus hic subjecissem, si ad me correcta inscriptio transmissa fuisset. Alias forte correctum exprimere dabitur. Et diptycha ecclesiarum fere eborea fuisse, colligere quoque est ex Fortunato, lib. x, carm. 10:

Nomina vestra legat patriarchis atque prophetis,
Cui hodie in templo diptychus edit ebur.

Sane diptycha olim ex præstanti materia fuisse, ita ut capsis includerentur, colligitur ex Ekkehardo Juniore, cœnobita sancti Galli, de Casibus monasterii sancti Galli in Alemannia, cap. 5 : « Capella citata fit oratorium, in quod invehuntur cruces, et diptychiis capsæ, necnon et pene omnis, præter libros repositorios, ecclesiæ thesaurus. » Quæ habes Alemannicarum rerum tomo I, parte I. Ubi Goldastus scholiastes per diptycha intelligit libros anniversarios, in quibus eorum nomina perscripta, qui pro suæ aliquid animæ remedio monachis et clericis legassent, custodiæ quorum capsæ istæ paratæ. Dubito an diptycha illa communia mortualia apud monachos ita ornari sint solita, ut inter thesauros numerari possint. Potius per diptycha eo loco intellexerim diptycha sanctorum, vel librum Evangeliorum, vel similes, quorum coopertorium diptychum, seu extremæ tabulæ egregie ornari solent, auro, argento, figuris, et in processione circumgestari.

Originem hujus rei, nomina, videlicet sanctorum martyrum, imperatorum, pontificum summorum, et aliorum fide ac meritis excellentium virorum sacris diptychis inserendi, et inter hymnodias recitandi, Isaacus Casaubonus Animadversionibus ad Athenæi librum VI, cap. 14, acceptam refert gentilitati Romanæ, qui eorum nomina, quos eximio honore vellent decorare, Saliari carmine canenda decernebant. Ita Germanico, inquit, mortuo hic honos inter alios tributus, auctore Tacito, libro II. Et M. quoque Antoninus philosophus, mortuo filio Vero, jussit ut nomen ejus Saliari carmini insereretur, teste Spartiano. Jam olim id Romæ institutum, ut ex iis constat, quæ de Mamurio Veturio et Lucia Volumnia scribunt Varro, Ovidius, Festus, Plutarchus, et alii. Vetus quoque, inquit, Ecclesia Christiana hunc, ut videtur, morem ad pium usum traduxit. Qua de re, addit, dicemus multa alibi, si vitam Deus produxerit, scitu digna, nec protrita.

Quam vellem Casaubono mentem meliorem fuisse, ne ab ethnicis sacra nostra arcesseret, quam a veteris Testamenti ecclesia, ne Patres ethnicorum magis
A rituum, quam sacræ legis gnaros observantesque faceret! Meminisset apud magnum Dionysium, quem merito veterem Patrem asserit et æstimat, esse; Σκόπει δὲ, ὅτι καὶ μνημοσύνοις ἱεροῖς ἀνατίθενται, τῆς θείας μνήμης οὐκ ἀνθρωπικῶς ἐν τῇ τοῦ μνημονικοῦ φαντασίᾳ δηλουμένης, ἀλλ' ὡς ἄν τις φαίη, θεοπρεπῶς, κατὰ τὴν ἐν Θεῷ τῶν τετελεσμένων θεοειδῶν τιμίαν καὶ ἀμετάστατον γνῶσιν. Ἔγνω γάρ, ἔφη τὰ Λόγια, τοὺς ὄντας αὐτοῦ· καί, Τίμιος ἐναντίον Κυρίου ὁ θάνατος τῶν ὁσίων αὐτοῦ· τοῦ θανάτου τῶν ὁσίων ἀντὶ τῆς ἐν ὁσιότητι τελειώσεως εἰρημένου. « Sed animadverte eos in sacris etiam memoriis inesse, non quod more hominum divina memoria in ea parte memoriæ quæ visa recipit, inesse declaretur, sed ut aliquis dicat pro Dei dignitate, pretiosam, immutabilemque in Deo eorum qui divinam speciem perfecte
B prætulerunt, scientiam significat. *Novit enim*, inquit Scriptura divina, *qui sunt ejus* (*II Tim.* II). Et : *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus* (*Psal.* CXV). Morte sanctorum dicta, pro perfectione in sanctitate. » Meminisset ab Ecclesiastico dictum, cap. XLIV : *Laudemus viros gloriosos et patres nostros in generatione sua.* Qui ibi et sequentibus capitibus catalogum virorum justorum texit. Non huc potius quam ad Saliaria carmina respexit vetus Ecclesia?

Quin, ut notat Brouwerus noster ad Fortunatum, in Diptychis librorum vitæ quamdam ideam adumbrasse majores videntur. Ut enim in horum albo nonnulli inscripti, qui non pereuni, sed brevi justitiæ laude commendati; alii qui certo et immutabili
C Numinis decreto in sortem sanctorum cooptati; ita diptychis eorum quoque nomina irrepsisse meminimus, quorum ad tempus simulata virtus id non meruerat; aliorum vero firmius insedisse, quorum constans exstitit, et illibata fidei et morum integritas. Usus itaque finisque diptychorum fuit in sacris, tum memoriæ sanctorum retinendæ, tum pacis ecclesiasticæ et communionis sanciendæ: cum dignos cœlo ac sempiterna memoria viros reciperent, indignos vero respuerent et excuterent. Hactenus Brouwerus.

De diptychis sacris commentariolum olim scripsit Joannes Baptista Cardona, episcopus Dertosanus, rogatu Gabrielis cardinalis Paleotti, quem cum aliis ejus commentariolis impressit Philippus Mey Tarracone, anno 1587. De iisdem etiam quædam habet
D Joannes Stephanus Durantus, de Ritibus Ecclesiæ, cap. 43, qui litteras Innocentii papæ et Arcadii imp., quas supra habes, non rite contrario modo citat. De iisdem etiam agit frater Angelus Rocca Camers, ad librum Sacramentorum divi Gregorii.

Habuimus hactenus diptycha pro sacris tabulis mortualibus, quæ duplices, seu duorum foliorum, erant. Eo respectu Augustinus tomo VI, libro XV, contra Faustum Manichæum, cap. 4, tabulas Moysis lapideas vocat diptychium : « Nam in illo diptychio lapideo, jam tu non corde lapideo intelligis quid duro illi populo congruebat. » Item epist. sancti Petri, ex **1028** qua quædam citarat : « Lege sane etiam illud diptychium, ne timeas, plane sponsi tui est. » Item : « Et hoc diptychio repellis adulterum. »

Item : « Nulli ergo reformidare diptychium, quo tibi scripta olim, quæ nunc agnosceres, mittebantur. » Item : « Hoc ergo diptychium ille præmisit, qui tibi hæc duo præcepta veniens commendavit. » Item : « O pudicum diptychium, in quo vetere figura ille dilector et dilectus tuus prænuntiavit tibi canticum novum, in decachordo psalterio. » Item : « O diptychium conjugale, quod non sine causa odit adultera. » Ita etiam usurpat Isidorus, lib. De vocatione Gentium, c. 14 : « Et non quidem foris in lapideis diptychis, sed intrinsecus in tabulis cordis. »

Hoc modo a Prudentio librum suum, qui titulos historiarum Veteris et Novi Testamenti continet, Diptychon quidam inscriptum volunt. Quod ad Prudentium cum bono Deo aliquando examinabimus.

Aliud est diptychum apud Homerum, Iliad α et 6, videlicet duplex membrana seu tunica omenti, ut insinuat supra citatum Etymologicum. Quo etiam Suidam existimo respicere : Διπτύχια, δύο περιβόλαια ἔχοντα, ὡς τὸ μὲν ὑπεστρῶσθαι, τὸ δὲ ἕτερον ὑποβεβλῆσθαι. Quæ Cujacius Observat. lib. IV, cap. 27, Carrion, supra, et Dionysius Gothofredus, ad lib. I, Cod. De summa Trin. et fid. cathol., tit. 1, l. 7, § 5, de diptychis tabellis intelligunt et citant. Sed textus apud Suidam depravatus est et mutilus. Et intelligenda verba illa de duabus omenti tunicis. Locus integrior exstat apud Hesychium : Δίπτυχα· δύο ἐπιβολὰς ἔχοντα, ἢ διπλοῦν, ὥστε τῷ μὲν ὑπεστρῶσθαι τὸν ἐπίπλουν, τῷ δὲ ἐπιβεβλῆσθαι : « Diptycha, sic dicta, quod duas commissuras habeant, seu duplex operimentum, sicut pars una omento substernatur, altera eidem superjiciatur. » De duabus omenti tunicis vide Joannem Gorræum, in Definitionibus Medicis, verbo Ἐπίπλοον seu ἐπίπλουν.

Aliud quoque diptychum ostrei, id est, duplex ostrei testa, qua se includit. Ambrosius, lib. V, Hexaemeri, cap. 8, agens de cancro insidiante ostreo : « Explorat si quando ostreum remotis in locis ab omni vento contra solis radios diptychum illud suum aperiat, et reseret claustra testarum. »

DOMNIO. Palladius, cap. 84, ait Serapionem Sindonitem Romæ « incidisse in quemdam Domnionem. » Forte hic ipse est, cujus memoria in Martyrologio Romano, 28 Decemb. « Romæ sancti Domnionis presbyteri, » cujus etiam meminit divus Hieronymus epistola 154, ad Desiderium : « Quod si exemplaria libuerit mutuari, vel a sancta Marcella quæ manet in Aventino, vel a Lot temporis nostri Domnione, viro sanctissimo accipere poteris. » Eum etiam ut virum sanctissimum celebrat divus Paulinus, epist. 45, ad Alipium : « Eusebii historiam reperi apud parentem nostrum vere sanctissimum Domnionem. » et post : « Si ipsam membranam sancti Domnionis acceperis, transcriptam nobis remittere dignaberis. » Ad eumdem scribit Hieronymus epistolam 51, quæ apologeticon continet contra Ruffinum, qui jactabat eum matrimonio detraxisse, ubi Hieronymus Domnionem *patrem charissimum* vocat. Scripsit eidem et Rogatiano

A epistolam 108, quæ est præfatio in librum Paralipomenon, et 109, quæ est præfatio in Esdram et Nehemiam. Ruffinus, lib. II Invectivarum, Domnionem vocat *beatæ memoriæ senem*.

DROMADES vel DROMEDES. Vita Hilarionis, num. 30 : « qui loeatis dromadibus camelis. » Vita Malchi, num 10 : « Vidimusque camelos quos ob nimiam velocitatem dromedarios vocant. » Glossarium Camberonense manuscriptum : « Dromedus, et dromas, et dromedarius, idem. Animal est minus camelo, sed velocius atque currentius. Unde et dromones vocantur longæ quædam naves veloces. » Idem : « Dromedarii etiam dicuntur dromadum ductores. » De velocitate camelorum Aristoteles, libro, XI Histor. animalium, c. 50 : Θέουσι δὲ θᾶττον τῶν Νισαίων B ἵππων πολύ, ἐὰν θέωσι, διὰ τὸ μέγεθος τοῦ ὀρέγματος : « Currunt cameli celerius quam equi Nisæi, propter laxiorem sui gradus glomerationem. »

ECULEUS. Hieronymus, in Vita sancti Pauli primi eremitæ, num. 3 : « Inter eculeos laminasque victorem. » De eculeo varii varia sensere et scripsere. Nunc quidem huic tractationi supersedebo, cum obiter tantum hic ejus mentio fiat, auctores aliquot, qui de eo tractarunt, assignasse contentus. Vide imprimis Baronium, notationibus ad Martyrologium Romanum, 22 Januarii; Antonium Gallonium, libro De sanctorum martyrum Cruciatibus, capite 3, et Hieronymi Magii libellum posthumum singularem De eculeo.

ENEUS. Rarum Latinis usurpatum vocabulum, nec memini legere præterquam in Vitis Patrum. In quibus C tamen depravatum erat in *æneus* vel *Eneus* proprium nomen. Vita Abrahæ, cap. 5 : « Et nimio stupore perculsi quasi enei quidam effecti sunt. » Heraclides, Paradisi cap. 15 : « Sed velut eneus revertens de publico. » Hesychius : Ἐννεός, ἔκπληκτος. « Enneus, obstupefactus. » Idem : Ἐνεός, νωχελής, μετέωρος, κωφός, βαιός, μωρός, ὃς οὔτε ἀκούει, οὔτε λαλεῖ : « Eneus, tardus, suspensus animo, surdus, modicus, stultus, qui neque audit, neque loquitur. » Idem : Ἐνεοί, ἄφωνοι. « Enei, muti. » Suidas : Ἐννεός, ἄφωνος, κωφός, ἐξεστηκώς, νωθός, νωχελής, μετέωρος : « Enneus, sine voce, surdus, mente commotus, edentulus, tardus, animo suspensus. »

ENNATON. Pelagius, libello XI, n. 2 : « Dixit abbas Theodorus de Ennato. » Joannes Moschus, cap. 184 : « Eramus in Nono Alexandriæ. » Ὄντες ἡμεῖς ἐν Ἀλεξ- D ανδρείᾳ ἐν τῷ Ἐννάτῳ. Corrige hinc eumdem, capite 145. Προσβάλομεν ἐν τῷ ἐννάτῳ Ἀλεξανδρείας, εἰς τὸ κοινόβιον Σαλαμᾶ. « Accessimus in cœnobium, quod dicitur Salama, nono ab urbe milliario distans. » Impressum est ἐν τὸ ναῷ. Vide, infra, NONUM

EPENDYTES. Vita Antonii, cap. 23 : « Lavit ependyten suum. » Vita Hilarionis num. 4 : « Et pelliceum habens ependyten, » Græcis ἐπένδυμα vel ἐπενδύτης, omne genus extimarum vestium dicitur. Apud asceticos scriptores ependytes propria vestis monachorum. Plerique existimant esse scapulare. Non recte Marius Victorinus, ad Vitam Hilarionis, existimat ἐπενδύτην esse intimam vestem, quæ Latine dicitur interula vel subucula ; imo exterior vestis

est, vel scapulare, vel pallium, vel simile quid. A

EPIBATÆ. Vita Epicteti et Astionis, cap. 21 : « Cumque egressi de navi epibatæ fuissent. » Apud Clementem Romanum, epistola ad Jacobum episcopum Jerosolymitanum, ante libros Recognitionum, ita sanctus Petrus loquitur : « Similis est omnis Ecclesiæ status navi magnæ, quæ per undosum pelagus diversis e locis et regionibus viros portat, ad unam potentis regni urbem properare cupientes. Sit ergo navis hujus Dominus ipse omnipotens Deus; gubernator vero, Jesus Christus. Tum demum proretæ officium episcopus impleat, presbyteri nautarum, diaconi dispensatorum teneant locum ; qui catechizant, nautologis conferantur, epibatis autem totius fraternitatis multitudo sit similis. »

Epibatæ, ἐπιβάται, dicti ἀπὸ τοῦ ἐπιβαίνειν, *a conscendendo*. Sunt milites classiarii, seu bellatores in re navali. Hirtius, libro IV De bello Alexandrino : « Capta est una hostium quadriremis, depressa est altera, alteraque perturbata; deinde omnes epibatis nudatæ. » Idem, lib. V De bello Africo : « Ibique Gætulis remigibus epibatisque complet. » Hic capitur pro ipsis nautis vel vectoribus, id est, ἀντὶ τῶν ὀχουμένων, ut subinde etiam apud Græcos accipitur. B

EPITIMIUM. Pratum spirituale Joannis Moschi, cap. 78 : « Ut ego congrua illi admoveam epitimia seu multas. » κἀγὼ ταύταις ἁρμόζοντα προσάγω τὰ ἐπιτίμια. In usu Epitimium Ecclesiasticis scriptoribus pro multa ecclesiastica. Menæa, 15 Octobris, in martyrio monachi anonymi : Καταφρονήσας καὶ τοῦ ἐπιτιμίου, ἐπετιμηθεὶς διὰ τὴν τῆς ὑπακοῆς ἀθέτησιν. « Et pœnam epitimii sibi ob contumaciam irrogatam contempsit. » Concilium VIII œcumenicum, quod Raderus noster vulgavit, hæc habet act. 2, de epitimiis : « Præscripta epitimiorum pœna cunctis lapsis audientibus C
1029 legatur, etc. Qui carnibus vescuntur, pœna esto, nec carnibus, caseo, ovo vescantur. Qui alias a carnibus abstinent, abstineant ab ovo, caseo, pisce, feria quarta et sexta; oleraque et legumina comedant cum modico oleo et vino. In genua procumbant quotidie quinquagies, et illud (Domine, ignosce mihi) inclamant centies, recitentque Psalmos VI, XXXVII, L. » Joannes Diaconus, lib. II Vitæ sancti Gregorii, cap. 45 : « In hoc itaque non mediocriter tristatus est, quia, antequam exiret de hac vita, non solvit eum ab excommunicationis epitono. »

ERACIESTES. Ubi in Vita Hilarionis est, num. 4 : « Et pelliceum habens ependyten, » addit Editio Joannis Andreæ, *et eraciesten*. Non capio. Petrus noster Lansselius legebat *eriacesten*, quasi *lanam acu consutam*. Alteri alicui fors aliud occurret. Mihi nunc satis, donec rectius aliquid occurrat, de hac lectionis varietate monuisse. D

EREMI. Varia eremus occurrit in Vitis Patrum. Eremum in qua Paulus primus eremita versatus est, investigavi ex eremo seu habitatione sancti Antonii; Antonii vero habitationem ex peregrinatione Hilarionis. Vide Tabulam Geographicam.

De eremo Chalcidis, in qua versatus est sanctus Hieronymus et Malchus, vide in CHALCIS.

De eremo juxta Thecue, ita Hieronymus, procemio in Amos ad Pammachium : « Fuit de oppido Thecue, quod sex millibus ad Meridianam plagam abest a sancta Bethlehem, quæ mundi genuit Salvatorem : et ultra nullus est viculus, ne agrestes quidem casæ et furnorum similes, quas Afri appellant mapalia. Tanta est eremi vastitas, quæ usque ad mare Rubrum, Persarumque et Æthiopum atque Indorum terminos dilatatur. Et quia humi arido atque arenoso nihil omnino frugum gignitur, cuncta sunt plena pastoribus, ut sterilitatem terræ compensent pecorum multitudine. »

De eremo Oasis, vide Baronium, notationibus ad Martyrologium Romanum, 12 Junii.

ESOPHORIUM. Vita Joannis Eleemosynarii, capite 21 : « Exspoliavit se esophorium suum. » Vox est a recentioribus Græcis composita, ἐσωφόριον seu εἰσωφόριον, *quod interius gestatur*, *interula*. Glossarium Camberonense Ms. « Esephorium, vestis interior, id est, camisia, quæ a Marciano interula appellatur. »

EUCHARISTIAM MANU SUMERE. Ita olim solemne fuit, non sacerdotibus tantum, sed etiam laicis. Palladius, cap. 144, de Sylvania : « Ecce ago annum ætatis sexagesimum ; præter extrema manuum mearum (et hoc propter communionem) non pes meus aquam tetigit, etc. Tertullianus, De Baptismo, adversus Quintillam, cap. 20 : « Benedicti, quos gratia Dei exspectat, cum de illo sanctissimo lavacro novi natalis ascenditis, et primas manus apud matrem cum fratribus aperitis, petite de patre, petite de Domino, peculia, gratias, distributiones charismatum. »

Cyrillus Jerosolymitanus, Catech. mystag. 5 : « Accedens ad Eucharistiam non expansis manuum volis accede, neque disjunctis digitis : sed sinistram veluti sedem quamdam subjicias dextræ, quæ tantum Regem susceptura est; et concava manu suscipe corpus Christi, dicens : Amen. » Formabantur autem manus in formam crucis. Sexta synodus, can. 102 : « Eucharistiam accepturus, manus in crucis formam figurans, sic accedat. »

Ita quidem viri cava nudaque manu excipiebant Eucharistiam : feminæ vero non nisi linteamine. Maximus contra Monothelitas : « Mulieres nitida exhibeant linteamina, ubi corpus Christi accipiant pura mente et munda conscientia. » Augustinus, serm. 252, de Tempore : « Omnes viri quando communicare desiderant, lavant manus suas, et omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi corpus Christi accipiant. » Concilium Antisiodorense, can. 36 : « Non liceat mulieri nuda manu Eucharistiam sumere. » Hinc linteum seu sindon hæc *dominicale* dicta. Idem concilium, can. 42 : « Unaquæque mulier quando communicat dominicalem suum habeat. »

Linteum hoc quo Eucharistiam sumebant videtur μουζίκιον dictum. Pratum spirituale, cap. 79 : Καὶ βαλὼν τὴν ἐν μουζικίῳ ἀπέθετο ἐν τῷ ἰδίῳ ἀρμαρίῳ. « Accipiens eam in linteo mundissimo, in proprio armario reposuit. » Nescio an μουζίκιον dictum sit a μοῦσα, quod apparet in Euchologio capi pro *linteo* Typicum Sabæ, cap. 41 : Ἀπογυμνοῦσιν αὐτὴν παντε-

λῶς, καὶ πρῶτον μὲν σαίρουσιν αὐτὴν διὰ μούσης καθαρωτάτης. Nudant omnino eam (sacram mensam) et primo quidem purgant musa (seu linteo) mundissima. » Ibidem : Κομίζει ὁ σκευοφύλαξ μούσας τε καὶ δισκάρια τὰ κοινῶς λεγόμενα τέστα, ὁ λέγεται λεκάνη, καὶ ἀποσπογγίζεται ἡ ἁγία τράπεζα. « Præparat vasorum custos musas (seu lintea) et discaria vulgo dicta testa, quæ dicitur pelvis; et detergitur sacra mensa. » Quæ non recte cepit Meursius in Glossario Græcobarbaro, existimans μοῦσαν esse *tessellam varie* picturatam. Si forte μοῦσα et μουσίνιον etiam fuerint variegata, non magnopere pugnavero. Constat enim non solum cameras et fornices, sed etiam alia fuisse ex musivo et variegata.

Hic usus ad aliquot sæcula duravit tam in Occidentali quam Orientali Ecclesia, uti liquet ex Prato spirituali, cap. 79, ubi linteum quo Eucharistiam domum deferebant, Græce μουσίκιον vocatur. Auctor autem ejus vixit tempore Zenonis, Anastasii, et Justini impp., quo tempore, Hormisda pontifice, celebrata fuit synodus Cæsaraugustana, in qua ea consuetudo antiquatur his verbis : « Eucharistiæ gratiam si qui probatur acceptam non consumpsisse in Ecclesia, anathema sit in perpetuum. »

Evectio. Vitæ Antonii, cap. 17 : « Secreto ab imperatore evectionem petiit. » Significat cursus publici exhibitionem. Severus Sulpicius, libro II Sacræ historiæ : « Hilarius, data evectionis copia, adesse compellitur. » Paulinus, libro IV De miraculis sancti Martini :

> Dicite quid vestri velox evectio Regis
> Efficiat tardante Deo.

Symmachus, libro I, epist. 15 : « Accepi evectiones quatuor, immane quantum commodas in excursus et recursus meorum. » Idem, l. VII, epist. 48 : « Favore tuo factum est ut evectionum adminicula sumeremus. » Eodem libro, epist. 95 : « Si igitur et hoc insigne detuleris, quod annonarum et evectionum cumulet adjectio. » Eodem libro, epist. 105 : « De impetratis evectionibus in adminiculum prætoriæ functionis. » Idem, libro IX, epist. 20 : « Curam tuam provoco, ut illis et velocitas transeundi, et evectionum præstetur adjectio. » Sæpius vox hæc occurrit in libris jurisconsultorum. Vide Lexicon Juridicum Barnabæ Brissonii.

Eulogia. Vita Frontonii, cap. 9 : « Velut eulogias revocans Domino rerum. » Et mox : « easdemque eulogias indigentibus distribuit. » Vocantur hic eulogiæ cibaria benedictionis gratia transmissa. Post missas alicui eas dare vel transmittere, erat signum communionis et charitatis. Gregorius Turonensis, libro V Hist. Franc., c. 14 : « Post missas autem petiit ut ei eulogias dare deberemus. » Sed fecit accurata Gretzeri nostri diligentia, ut nihil hic præterea de Eulogiis addam. Ejus lib. De benedict. consule.

Exenium. Vita Antonii, cap. 27 : « Antonius lætantibus de adventu suo cunctis, quasi xenia de monte portans, spiritualiai impartitur alimenta. » Ubi Mss. plerique et veteres Editiones habent *exenia*. An *e* præfixum *xenio*?

Alias notum *exenium* aliis scriptoribus, sed nescio an eodem significatu. Leges Langobardorum, libro II, tit. 1, l. 6 : « Si aliquis ex amicis accepto exenio ipsi mulieri aliquid dederit. » Testamentum sancti Remigii : « Et inc læ loci illius multiplicibus exeniis gravati obnixe deprecantes, quod regi debebant, ecclesiæ meæ solvendum, me petere compulerunt. » Ita Ms. loco vulgati, *xeniis*. Baldericus, Historiæ Jerosolymitanæ lib. III : « Condito corpore quibus potuerunt
1030 aromatibus, imperialibus exeniis illud prosecuti sunt. » Glossæ veteres : *Exenium, servitium*. Papias Vocabularista : *Exenium, donum, servitium*. Glossarium Camberonense Ms. : *Exenium, honor, munus*.

An *xenium* proprie donum, munus, noto significatu, et *exenium*, servitium, quod subditus superiori debet? Idem forte quod *soniaca* dicitur Anselmo canonico Leodiensi in Gestis Pontif. Leodiens. et Trajectens., cap. 40 : « Præcepit ne soniacam episcopis Leodiensibus debitam, ab eodem loco ubi ipsius sancti corpus quiescit, accipere præsumeret. » Ubi doctissimus scholiastes Joannes Chappeavillus *soniacam* hærens interpretatur *obsonium episcopis debitum*. Existimo intelligi *servitium episcopo debitum*, seu *certam annuam pensionem*, quæ Gallis *Essogne* dicitur. Vide Francisci *Rageau* Indicem Jurium regalium.

Fauni. Hieronymus, in Vita sancti Pauli primi eremitæ, num. 8 : « Quos vario delusa errore gentilitas Faunos, Satyrosque et Incubos vocans, colit. » De Faunis multa collecta vide apud Lilium Gregorium Giraldum, syntagmate 15 Historiæ deorum, et apud Natalem Comitem, Mythologiæ lib. V, cap. 9. Vide et Conimbricenses nostros, in libro II Physicorum, cap. 9, q. 5, art. 3, ubi quærunt an fieri possit ut ex humana et belluina specie homines nascantur. Vide et Delrium, Magiæ tom. I, lib. II, q. 27, sect. 2.

Frigoretici. *Vide* Typi.

Flabellum, ῥιπίδιον. Usus ejus in sacris, quod diaconi gestabant. Pratum spirituale Joannis Moschi, cap. 150 : « Diaconum illum prope me assistentem, qui flabellum tenet, ab altari remove. » Græce : Τὸν διάκονον τὸν κατέχοντα τὸ ῥιπίδιον. Simeon Thessalonicensis, De divino templo, ubi agit de Processione ante missam : « Ideo et ὠμοφόριον cum cruce præcedit; quo docetur Jesum et signum ejus de cœlo ostensum iri. Quod mox sequuntur diaconi, qui angelorum ordinem referunt : id quod et flabella quæ dicuntur, et a sancto Dionysio alæ vocantur, significant. » Sanctus Germanus, in Theoria rerum Ecclesiasticarum : « Flabella vero typum referunt cherubim. » Hildebertus, Cenomanensis episcopus, epist. 7 : « Flabellum misi tibi congruum scilicet propulsandis muscis instrumentum. Est etiam quod in munusculo nostro interpretari te oporteat. Attende ergo quibus muscis immolantes Domino sacerdotes gravius infestentur, quibus frequenter impediantur salutaria altaris officia. Mille sunt occursantium phantasmata cogitationum, mille diaboli suggestiones, mille mortalium tentationes animorum. » Subdit : « Dum igitur destinato tibi flabello descendentes

super sacrificia muscas abegeris, a sacrificantis mente supervenientium incursus tentationum, catholicæ fidei ventilabro exturbari oportebit. » Hieronymus quoque muscaria matronarum huc trahit, et spiritaliter explicat epistola 20, ad Marcellam : « Quod autem et matronis offertis muscaria parva, parvis animalibus eventilandis, elegans significatio est, debere luxuriam cito restinguere, quia muscæ moriturae oleum suavitatis exterminant. »

Adumbratum hoc in Ecclesia ex facto Abraham. Idem Hildebertus : « Talium portenta muscarum patriarcha Abraham propulsanda præsignavit, cum a sacrificiis aves abegit incursantes. » Erant hæc flabella seu muscaria vel ex *tenuibus membranis*, vel *ex pennis pavonis*, aut ex *linteo*, ut habetur apud Clementem, l. VIII Constit. Apostol., cap. 12.

FUNUS. Aliquot funebres ritus in Vitis his notatos habes; quosdam uberius explicabo.

Linteo obvolvebantur nobilium et martyrum corpora apud Ægyptios. Vita Antonii, cap. 57 : « Mos Ægyptiis est, nobilium, et præcipue beatorum martyrum corpora linteamine obvolvere. » Sic de Christi corpore, Joannis XI : *Ligaverunt illud linteis cum aromatibus.* Acta Abibi martyris, apud Metaphrastem, 15 Novembris : « Pretioso linteo eum circumdederunt, et unguentis unxerunt. » Prudentius, hymno 10 Cathemer.

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est.

Eusebius, lib. VII, capite 17, de Asterii in Marinum martyrem pietate : Περιστείλας τε εὖ μάλα πλουσίως, τῇ προσηκούσῃ ταφῇ παραδίδωσι : « Quod cum magnifico et sumptuoso linteo involvisset, decenti sepulcro condidit. » Idem, eodem lib., cap. 10 et 18, lintea illa vocat περιστολάς. Hieronymus, epist. 49, de muliere septies icta : « Clerici, quibus id officii erat, cadaver cruentum linteo obvolvunt. » Et quidem vetustissimus mos fuit cadavera linteo involvendi. Homerus, Illiad. Σ, de Patrocli funere :

Ἐν λεχέεσσι δὲ θέντες ἑανῷ λιτὶ κάλυψαν,
Ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς, καθύπερθε δὲ φάρει λευκῷ.

In lectum autem imponentes linteo subtili texerunt
Ad pedes a capite; desuper autem alba veste.

Auratis etiam vestibus obvolvebantur quorumdam corpora. Vita Pauli primi eremitæ, cap. 14 : « Cur et mortuos vestros auratis obvolvitis vestibus? » Quem vanum sæculi morem etsi Hieronymus ibi reprehendat, ornatus tamen splendidior non repudiatus fuit in funere sanctorum. Gregorius Nyssenus, de Macrina sorore : « Nunc quidem invidiosum non erit, si defunctæ splendidiorem adjecerimus ornatum, et puram illam immaculatamque carnem clarioribus vestimentis induerimus. » Eusebius, supra : Ἀστύριος ἀνὴρ, τῶν ἐπὶ Ῥώμης συγκλητικῶν, τὸν ὦμον ὑποθεὶς, ἐπὶ λαμπρᾶς τε καὶ πολυτελοῦς ἐσθῆτος ἄρας, τὸ σκῆνος, ἐπιφέρεται : « Asterius vir e senatorum Romanorum numero cadaver (Marini martyris) tollit, splendida et pretiosa obtegit veste, atque humeris impositum inde deportat. »

Hæc obvolvendi linteo, vel ornatu splendidiore ca-
A davera servata, ubi commode fieri poterat. Alias quavis obvia re cadavera fuere involuta. Sic in eremo Pauli primi eremitæ corpus pallio. Vita ejus, c. 10 : « Pallium, quod tibi Athanasius episcopus dedit, ad obvolvendum corpusculum meum defer. » Macrinæ quoque corpori pallium superjectum, ne ascititius ornatus splendidior quorumdam oculos offenderet. Gregorius Nyssenus, in Vita sancti Macrinæ.

Cum psalmis et hymnis deducta olim cadavera et condita, frequentissime in his Vitis Patrum occurrit. De hoc Christianorum ritu vide Gretzerum nostrum, de Funere Christiano, cap. 5. Cur autem, hymni et psalmi in funeribus decantati sint, hanc rationem reddit Chrysostomus, homilia 4 in Epist. ad Hebræos: Τί δὲ οἱ ὕμνοι; οὐχὶ τὸν Θεὸν δοξάζομεν, καὶ εὐχαριστοῦ-
B μεν, ὅτι λοιπὸν ἐστεφάνωσε τὸν ἀπελθόντα, ὅτι τῶν πόνων ἀπήλλαξεν, ὅτι τῆς δειλίας ἐκβαλὼν ἔχει παρ᾽ ἑαυτῷ; οὐ διὰ τοῦτο ὕμνοι; οὐ διὰ τοῦτο ψαλμῳδίαι; ταῦτα πάντα χαιρόντων ἐστίν : « Quid etiam hymni? Nonne ut Deum glorificemus, eique gratias agamus, quod jam coronavit discedentem, quod a laboribus liberavit, quod a timore liberatum apud se habet? Nonne propter hoc hymni? Nonne propter hoc psalmodia? Omnia **1031** ista gaudentium sunt. » Plura hic addi possent; sed eam rem jam exsecutus est Jacobus Gretzerus noster singulari libro De funere Christiano.

GABBARA. Vide de iis dicta ad Vitam sancti Antonii, c. 57, ubi ea Athanasius describit, et Augustinus nomen prodidit. Vocabulum paucis notum. Plinius, lib. VII, cap. 16 : « Procerissimum hominem ætas
C nostra divo Claudio principe, Gabbaram nomine, ex Arabia advectum, novem pedum, et totidem unciarum vidit. » Quæ exscribit Solinus, cap. 5 : Cave Gabbaram existimes proprium viri nomen. Omnia mortuorum cadavera condita ita vocabantur. Glossæ Isidori : « Galbares, mortuorum condita corpora. » Lege, *Gabbares* vel *Gabbara*. Eadem : « Gabarus, insulsus, barbarus, unde Gabares mortuorum. » Papias : « Gabbari, inclusi barbari. Unde Gabbares mortuorum corpora condita. » Ubi lege, *insulsi*, *barbari*. Sic in Glossario Camberonensi Ms. « Gabator sive gabitor, dicitur homo jocosus. » Teutonibus *gabberen*, ridere, jocari.

GALILÆI. Ita olim Christiani dicti per contemptum. Vitæ Epicteti et Astionis, cap. 7 : « Et a Galilæis fu-
D ratus es. » Plangit mater Astionis. Lucianus, in Philopatr., de sancto Paulo agens : Ἡνίκα δέ μοι Γαλιλαῖος ἐνέτυχεν, ἀναφαλαντίας, ἐπίῤῥινος, ἐς τρίτον οὐρανὸν ἀεροβατήσας : « Quando autem me Galilæus ille convenit recalvaster naso aquilo, qui in tertium usque cœlum per aerem ingressus est. » De quo loco vide Baronium, tomo I, anno Christi 68. Julianus Misopogone : Ἐμισηνοὶ Χριστὸν ἐπόθουν, οἱ πῦρ ἐμβαλόντες τοῖς τάφοις τῶν Γαλιλαίων; « An vero Emiseni Christum amabant, qui Galilæorum sepulcra incenderunt? » Idem ibidem post : Νυνὶ δὲ ὑμῶν ἕκαστος ἐπιτρέπει μὲν τῇ γυναικὶ πάντα ἐκφέρειν ἔνδοθεν εἰς τοὺς Γαλιλαίους : « Nunc vero unusquisque vestrum mandat uxori ut omnia Galilæis largiatur. » Idem, epist.

53, ad Aetium episcopum hæresiarcham : Λοιποῖς μὲν A ἅπασι τοῖς ὁπωσοῦν ὑπὸ τοῦ μακαρίτου Κωνσταντίου πεφυγαδευμένοις ἕνεκεν τῆς τῶν Γαλιλαίων ἀπονοίας ἀνῆκα τὴν φυγήν : « Cæteris omnibus, qui a Constantio vita defuncto, ejecti patria fuerant propter amentiam Galilæorum, exsilium condonavi. » Idem, epistola 7, ad Artabium : Ἐγὼ, νὴ τοὺς θεοὺς, οὔτε κτείνεσθαι τοὺς Γαλιλαίους, οὔτε τύπτεσθαι παρὰ τὸ δίκαιον, οὔτε ἄλλο τι πάσχειν κακὸν βούλομαι : « Ego, per deos, neque interfici Galilæos, neque cædi præter jus et æquum, neque molestiæ quidquam perpeti volo. » Theodoretus, lib. III Hist. Eccl., cap. 7 : Καὶ πρῶτον μὲν ἀπηγόρευσε τῶν Γαλιλαίων τοὺς παῖδας (οὕτω γὰρ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν τοὺς θιασώτας [sic] ὠνόμαζεν) ποιητικῶν καὶ ῥητορικῶν καὶ φιλοσόφων μεταλαγχάνειν λόγων : « Ac primum vetuit, ne Galilæi (sic enim fidei Servatoris B nostri consecratos nuncupabat) poeticam, rhetoricam, aut philosophiam discerent. » Chrysostomus, homilia de sancto Hieromartyre Babyla, agens de furore Juliani : Ἐκ μέσης ἀναρπάσασθαι τῆς οἰκουμένης τὸ τῶν Γαλιλαίων ἔθνος ἐπηγγέλλετο : « Ex orbe terrarum exterminaturum se Galilæorum nationem pollicebatur. »

Atque adeo Christianorum nomen Juliano exosum erat, ut edicto sanxerit, ne quis Christianos, sed Galilæos appellaret. Chrysostomus, oratione contra Gentes : Γαλιλαίους ἀντὶ Χριστιανῶν αὐτός τε ἐν τοῖς διατάγμασι καλῶν, καὶ τοὺς ἄρχοντας τοῦτο προτρέπων ποιεῖν : « Galilæos pro Christianis nos in edictis suis tum ipse appellans, tum principes ut idem factitarent, exhortans. » Gregorius Nazianzenus, oratione 3 contra Julianum : Γαλιλαίους ἀντὶ Χριστιανῶν ὀνομάσας τε καὶ καλεῖσθαι νομοθετήσας : « Galilæos pro Christianis nominans, atque ut ita vocaremur, publica C lege decernens. »

GALLICA. Vita Malchi, cap. 4, de Ismaelitis : « Pallia et latas calliculas trahentes. » Ubi manusc. Audomarensis habet *gallicas*. Nescio an promiscue *gallica* pro *caliga* accipiendum. Tertullianus carmine ad senatorem qui ex Christiano factus est idololatra Ægyptius, ex consule sacerdos Isidis, videtur distinguere :

Nunc etiam dicis, quod te non fecerit ætas,
Sed tua relligio calvum, caligaque remota,
Gallica sit pedibus molli redimita papyro.

Ita distinguendus hic locus. Nam Pamelius, qui *Gallica* conjungit cum *caliga*, et vult in *Gallica* hic *a* ablativum corripi, frustra fuit. Hoc vult, senatorem hunc, relicto Romano habitu (quales *caligæ*, unde *militia caligata* Tertulliano libro De idololatria capite 19), ad Ægyptium habitum sacerdotis Isiaci transiisse, id est, ad *gallicam* ex molli papyro pedibus circumdatam ; quare *gallicam* puto soccum esse, quia mollis. Certe Gallis Cybeles Isiacis *luteos calceos* tribuit Apuleius Milesia 8 : *Pedes luteis induti calceis*. Catullus, *luteos soccos* in nuptiis Hymenæo tribuit, quia luteus seu croceus amoris est color :

..... Lætus huc
Huc veni, niveo gerens
Luteum pede soccum.

Gallicas dici Gallis *galoches* existimat Bayfius. Calceorum genus esse colligitur ex Cicerone, Philippica 2 : « Quod quærebas quomodo redissem ; primum luce, non tenebris ; deinde cum calceis et toga, nullis nec gallicis nec lacerna. » Et mox, de Antonio : « Cum gallicis et lacerna cucurristi. » Ita utrobique Mss. pro *caligis*. Gellius, lib. XIII, cap. 20, narrat Titum Gastritium reprehendisse discipulos senatores *lacernis indutos et gallicis calceatos*. Postremum hoc interpretatur mox per *soleatos*. Glossarium Camberonense ms. : « Gallicula, calceamenta pastorum. » Idem apud Papiam.

In Suida γάλλιξ pro chlamyde accipitur. Ἄλλικα, χλαμύδα κατὰ Θεσσαλούς· οἱ ἰδιῶται γάλλικα ταύτην φασί. Certe in Vita Malchi *pallium* et *gallica* conjunguntur.

GELLO, seu GILLO. Ruffinus, lib. III, num. 14 : « Gello cum aqua, quem ad potum sibi præparaverat, vertebat se. » Mox eodem numero dicitur *gellunculus*. Pro quo in Pelagio, num. 21, est *suriscula*. Cassianus, Institut. lib. IV, cap. 16 : « Si quis gillonem fictilem, quem baucalem nuncupant, casu aliquo fregerit. » Cap. 20 : « Si gillonem aqua impleverint. » Glossæ Isidori, *Gellonem*, *baucalem*. Glossarium Latinogræcum : *Gillo*, βαυκάλιον. Item ποδόκελλον, *aquale*, *gello*. Glossarium Camberonense ms. : « Gillo, vas fictile, id est, baucalis. » Papias : *Gelonis*, *baucalis*, *vas*. Hinc Legum Visigoth., lib. II, tit. 4, l. 4, *Gillonariorum præpositi*. Hispani nunc *congilonem*, Itali *boccalem* vocant. Inter Catalecta veterum poetarum, lib. II, est carmen de mensium pictura, ubi :

Augustum penitus torret Phaethontius ardor,
Quem recreat fessum gillo, facella, melo.

GENUFLEXIO. Sæpius hic ritus in oratione occurrit in his Patrum Vitis. Tria nunc attingam, ejus antiquitatem, quando genu flectere vetitum, et quam aliqui genuflexionem frequentarint.

Omnino vetustus Ecclesiæ mos, genua flectere in oratione. Omne genu Domino flectendum monent Scripturæ, psal. XXI, Isaiæ XLV, Rom. XIV, Philipp. II, Ephes. III. Christus quoque in terram procidens orasse legitur; Lucæ XXII ; Eusebius, lib. V; 1032
Hist. Eccl., cap. 5, refert milites ἐν τῇ πρὸς τοὺς πολεμίους παρατάξει γόνυ θέντας ἐπὶ τὴν γῆν, κατὰ τὸ οἰκεῖον ἡμῖν τῶν εὐχῶν ἔθος ἐπὶ τὰς πρὸς τὸν Θεὸν ἱκεσίας τραπέσθαι : « In ipsa acie contra hostes instructa, genibus humi positis, ut nobis cum oramus in D more est, se ad preces Deo adhibendas totos convertisse. » Hieronymus, in Isaiæ cap. XLV : « Moris est enim ecclesiastici Christo genu flectere. Quod Judæi, mentis superbiam demonstrantes, omnino non faciunt. »

Flectendo genua magis impetramus. Apud Justinum, q. 115, ad Orthodoxos : Τὸ κλίνειν τὸ γόνυ ἐν ταῖς προσευχαῖς τοῦ ἑστῶτας εὔχεσθαι μᾶλλον Θεῷ τοὺς εὐχομένους παρίστησι καὶ πλεῖον ἐφέλκει τὴν θείαν συμπάθειαν : « Genuum inclinatio in precationibus, magis precatores Deo commendat, quam si stantes orent ; magisque ea res divinam permovet commiserationem. » Tertullianus, ad Scapulam, cap. 4 : « Quando non geniculationibus et jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depul-

me? » Idem, adversus Marcionem, lib. III, c. 18 : « Jam vero Moyses quid utique tunc tantum cum Jesus adversus Amalech præliabatur, expansis manibus orabat residens, quando in rebus tam attonitis, magis utique genibus positis, et manibus cædentibus pectus, et facie humi volutante, orationem commendare debuisset? » Ambrosius lib. VI Hexaem., cap. 9 : « Flexibile genu, quo præ cæteris Domini mitigatur offensa, ira mulcetur, gratia provocatur. Hoc enim Patris summi erga Filium donum est, ut in nomine Jesu omne genu curvetur. » Augustinus, libro De cura pro mortuis agenda, cap. 5 : « Nam et orantes de membris sui corporis faciunt, quod supplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, et si quid aliud visibiliter faciunt; quamvis eorum invisibilis voluntas et cordis intentio Deo nota sit, nec ille indigeat his indiciis ut humanus ei pandatur animus; sed his magis seipsum excitat homo ad orandum gemendumque humilius atque ferventius. Et nescio quo modo, cum hi corporis motus fieri nisi motu animi præcedente non possint, iisdem rursus exterius visibiliter factis ille interior invisibilis, qui eos fecit, augetur; ac per hoc cordis affectus, qui, ut fierent ista præcessit, quia facta sunt, crescit. » Hieronymus, in cap. III ad Ephes. : « Hæc autem spiritaliter exponentes, non statim juxta litteram orandi consuetudinem tollimus, qua Deum genu posito suppliciter adoramus, et fixo in terram poplite, magis quod ab eo poscimus impetramus. Legimus enim et Paulum in littore sic orasse, et geniculationes in oratione præceptas. » Theophilus episcopus Alexandrinus, epistola Paschali 2, contra Origenem : « Genu flectere sollicitæ et humillimæ mentis indicium est. »

Sed cum genu flectendus simul animus, interiora videlicet genua; parum alias prodest genuflexio exterior. Hieronymus, in cap. III ad Ephesios : « Sed sicut illud ædificat simplices, sicut veram geniculationem esse docemus in animo, quia multi corporale flectentes genu, animæ nequaquam poplitem curvaverunt; et contra, alii erecto Deum corpore deprecantes, magis se animo curvaverunt. » Quem vide ibidem disserentem, quomodo peccatores genua flectant peccato.

Et quidem hic ritus toto anni tempore in oratione servabatur, exceptis Dominicis et tempore inter Pascha et Pentecosten. Vide hic, libro IV, cap. 19, ex lib. II Instit. Cassiani, cap. 11. Concilium Nicænum, can. 20 : Ἐπειδή τινές εἰσιν ἐν τῇ Κυριακῇ γόνυ κλίνοντες, καὶ ἐν ταῖς τῆς Πεντηκοστῆς ἡμέραις· ὑπὲρ τοῦ πάντα ἐν πάσῃ παροικίᾳ ὁμοίως φυλάττεσθαι, ἑστῶτας ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τὰς εὐχὰς ἀποδιδόναι τῷ Θεῷ : « Quoniam sunt quidam qui die Dominico genua flectunt, et in diebus Pentecostes; ut omnia similiter in omni parœcia serventur, visum est sanctæ synodo, stantes Deo orationes persolvere. » Quod ipsum repetitur in concilio Carthaginensi VI, can. 20. Et habetur can. Quoniam, De consecr., dist. 3. Tertullianus, De corona milit., cap. 3 : « Die Dominico jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare; eadem immunitate a die Paschæ in Pentecosten usque gaudemus. » Hilarius, Prologo in Psalmorum explanationem : « Et hæc quidem sabbata sabbatorum ea ab apostolis religione celebrata sunt, ut his quinquagesimæ diebus nullus neque in terram strato corpore adoraret, neque jejunio festivitatem spiritualis hujus beatitudinis impediret. Quod id ipsum extrinsecus etiam in diebus Dominicis est constitutum, qui ultra sabbati numerum per plenitudinem evangelicæ prædicationis accedunt. » Hieronymus, procemio ad Paulam et Eustochium in Epistolam ad Ephesios : « Permansit autem Ephesi usque ad Pentecosten; tempus lætitiæ atque victoriæ, quo non flectimus genua, nec curvamur in terram, sed cum Domino resurgentes ad cœlorum alta sustollimur. » Idem, dialogo adversus Luciferianos, cap. 4 : « Die Dominico, et per omnem Pentecosten, nec de geniculis adorare, et jejunium solvere, multaque alia quæ scripta non sunt, rationabilis sibi observatio vindicavit. » Ambrosius, serm. 61, de Pentecoste, qui est etiam apud Maximum Taurinensem : « Scire debet sanctitas vestra hanc sanctam Pentecostes diem qua ratione curemus, vel cur istorum quinquaginta dierum numero sit nobis jugis et continuata festivitas; ita ut hoc omni tempore neque ad observandum indicamus jejunia, neque ad exorandum Deum genua succidamus; sed sicut Dominica solemus facere, erecti et feriati resurrectionem Domini celebramus. » Augustinus, epistola 119, capite 15 : « Quinquaginta dies celebrantur post Domini resurrectionem, jam in figura non laboris, sed quietis et lætitiæ; propter hoc et jejunia relaxantur, et stantes oramus, quod est signum resurrectionis : unde etiam omnibus diebus Dominicis id ad altare observatur. » Et c. 17 : « Ut autem stantes in illis (Pentecostes) diebus, et omnibus Dominicis oremus, utrum ubique servetur ignoro; tamen quod in eo sequatur Ecclesia, dixi, ut potui, et arbitror esse manifestum. »

Causa hujusce commutationis assignatur apud Justinum, quæstione et responsione supra citata : Ἡ ἐν ταῖς ἓξ ἡμέραις ἡμῶν γονυκλισία σύμβολόν ἐστι τῆς ἐν ταῖς ἁμαρτίαις πτώσεως ἡμῶν. Τὸ δὲ ἐν τῇ Κυριακῇ μὴ κλίνειν γόνυ, σύμβολόν ἐστι τῆς ἀναστάσεως, δι' ἧς τῇ τοῦ Χριστοῦ χάριτι, τῶν τε ἁμαρτημάτων, καὶ τοῦ ἐπ' αὐτῶν τεθανατωμένου θανάτου ἠλευθερώθημεν, etc., ἐν ᾗ (Πεντηκοστῇ) οὐ κλίνομεν γόνυ, ἐπειδὴ ἰσοδυναμεῖ τῇ ἡμέρᾳ τῆς Κυριακῆς, κατὰ τὴν ῥηθεῖσαν περὶ αὐτῆς αἰτίαν. « Genuum per sex dies inclinatio, symbolum et nota est lapsus per peccata nostri. Quod vero die Dominico genua non inflectimus, signum est et designatio resurrectionis, per quam gratia Christi, et a peccatis, et a mortificata in eis morte liberati sumus. In Pentecoste genua non inflectimus, quoniam pari est cum die Dominico potestate, juxta eam quæ de illa est dicta causam. »

Et profundius hic adhuc mysterium investigat Basilius, **1033** libro De Spiritu sancto, cap. 27 : Ἀναγκαῖον οὖν τὰς ἐν αὐτῇ προσευχὰς ἑστῶτας ἀπο-

πληροῦν τοὺς ἑαυτῆς τροφίμους ἡ Ἐκκλησία παιδεύει, ἵνα τῇ συνεχεῖ ὑπομνήσει τῆς ἀτελευτήτου ζωῆς τῶν πρὸς τὴν μετάστασιν ἐκείνην ἐφοδίων μὴ ἀμελῶμεν. Καὶ πᾶσα δὲ ἡ Πεντηκοστὴ, τῆς ἐν τῷ αἰῶνι προσδοκουμένης ἀναστάσεώς ἐστιν ὑπόμνημα· ἡ γὰρ μία ἐκείνη καὶ πρώτη ἡμέρα ἑπτάκις ἑπταπλασιασθεῖσα, τὰς ἑπτὰ τῆς ἱερᾶς Πεντηκοστῆς ἑβδομάδας ἀποτελεῖ. Ἐκ πρώτης γὰρ ἀρχομένη εἰς τὴν ἀρχὴν καταλήγει, δι' ὁμοίων τῶν ἐν τῷ μέσῳ ἐξελιττομένη πεντηκοντάκις· διὸ καὶ αἰῶνα μιμεῖται τῇ ὁμοιότητι, ὥσπερ ἐν κυκλικῇ κινήσει, ἀπὸ τῶν αὐτῶν ἀρχομένη σημείων, καὶ εἰς τὰ αὐτὰ καταλήγουσα. Ἐν ᾗ τὸ ὄρθιον σχῆμα τῆς προσευχῆς προτιμᾶν οἱ θεσμοὶ τῆς Ἐκκλησίας ἡμᾶς ἐξεπαίδευσαν, ἐκ τῆς ἐναργοῦς ὑπομνήσεως, οἱονεὶ μετοικίζοντες ἡμῶν τὸν νοῦν ἀπὸ τῶν παρόντων ἐπὶ τὰ μέλλοντα. Καὶ καθ' ἑκάστην δὲ γονυκλισίαν καὶ διανάστασιν ἔργῳ δείκνυμεν, ὅτι διὰ τῆς ἁμαρτίας εἰς γῆν κατερρύημεν, καὶ διὰ τῆς φιλανθρωπίας τοῦ κτίσαντος ἡμᾶς, εἰς οὐρανὸν ἀνεκλήθημεν. « Necessarium igitur in hoc die Ecclesia suos alumnos docet stantes absolvere preces suas, ut assidua commonitione vitæ illius nunquam desituræ, non negligamus ad eam demigrationem parare viaticum. Quin et totum tempus usque ad Pentecosten, admonitio est resurrectionis, quam in illo sæculo exspectamus; nam unus ille et primus dies septies multiplicatus, septem sacræ Pentecostes hebdomadas absolvit. A primo enim incipiens in principium desinit, per similes qui in medio intercedunt dies quinquagies evolutus. Unde et æternitatem similitudine refert, dum velut in motu circulari ab iisdem orsus signis in eadem desinit. In quo corporis erecto habitu precari potius nos Ecclesiæ ritus docuerunt, nimirum per evidentem commonitionem quasi transferentes mentem nostram a præsentibus ad futura. Insuper et quoties genua flectimus, et rursus erigimur, ipso facto ostendimus, quod ob peccatum in terram delapsi sumus, et per humanitatem ejus qui creavit nos, in cœlum revocati sumus. » Quæ eadem repetita habes apud Anastasium Nicænum, Quæst. in sacram Scripturam, q. 94. Germanus, patriarcha Constantinop., in Theoria rerum Ecclesiasticarum : Τὸ μὴ κλίνειν γόνυ τῇ ἀναστασίμῳ ἡμέρᾳ τῆς ἁγίας Κυριακῆς, σημαίνει τὴν τῆς καταπτώσεως ἡμῶν ἀνόρθωσιν γενομένην, διὰ τῆς τριημέρου τοῦ Χριστοῦ ἀναστάσεως· τὸ δὲ μέχρι τῆς Πεντηκοστῆς μὴ κλίνειν γόνυ, ἔστι τὰς ἑπτὰ ἡμέρας μετὰ τὸ ἅγιον Πάσχα ἑπταπλουμένας κρατεῖν τῇ διακινησίμῳ· τὸ ἑπτάκις ἑπτὰ, τεσσαρακονταεννέα, καὶ ἡ Κυριακὴ πεντήκοντα. « Genu non flectere sancto die Dominico resurrectionis, significat lapsuum nostrorum erectionem factam per triduanam Christi resurrectionem. Non flectere genu ad Pentecosten usque, est septem dies post sanctum Pascha in septem multiplicatos contineri die Pentecostes. Nam septies septem quadraginta novem, et Dominico addito quinquaginta. » Vide et Officii ecclesiastici scriptores, Isidorum, lib. I Offic., cap. 33; Rhabanum, lib. II De institut. cleric., cap. 44 et alios; item Turrecrematam, in locum Decreti supra citatum.

Origo hujus rei seu mutationis ad apostolica refertur tempora, apud Justinum, q. 115, ad Orthodoxos : Ἐκ τῶν Ἀποστολικῶν δὲ χρόνων ἡ τοιαύτη συνήθεια ἔλαβε τὴν ἀρχὴν, καθώς φησιν ὁ μακάριος Εἰρηναῖος ὁ μάρτυς καὶ ἐπίσκοπος Λουγδούνου, ἐν τῷ περὶ τοῦ Πάσχα λόγῳ : « A temporibus autem apostolorum consuetudo talis accepit initium, prout ait beatus Irenæus, martyr et episcopus Lugdunensis, in libro De Paschate. »

Quod vero Paulus, Act. XX, legitur positis genibus orasse tempore inter Pascha et Pentecosten, Baronius, tomo I, anno Christi 58, existimat nondum tunc invaluisse eam de geniculis non adorandi eo tempore consuetudinem, sed paulo post. Lorinus noster in eum locum nil obstare existimat dictum eo etiam tempore ritum jam receptum fuisse, verumtamen in publicis solemnibusque precibus, quales non videntur fuisse quæ fusæ sunt in littore Tyri.

Quam sancti quidam genuflexionem frequentarint, constat vel ex tabulis excavatis, vel ex genubus induratis. De tabula ex geniculatione excavata, habes apud Joannem Moschum, Prati spiritualis capite 185. De sancti Jacobi genubus induratis, Hieronymus, De viris illust., cap. 2 : « Flexis genibus pro populo deprecabatur, in tantum, ut camelorum duritiem traxisse ejus genua crederentur. » Idem, epist. 15, ad Marcellam, De laudibus Asellæ : « Cujus oculis durities de genibus camelorum in illo sancto corpusculo præ orandi frequentia obcalluisse perspecta est. »

GRUTARIA. Palladii Lausiaca, ex veteri interprete, cap. 9, de Macario Alexandrino : « Alius vero grutaria vendens. » Heraclides, cap. 6, simpliciter : « negotiator erat. » Ubi tamen Mss. addunt : « qui poma vel legumina, nucesque vendebat. » Palladius ex interpretatione Herveti, « qui vendebat bellaria. » Græce est, τραγήματα. Forte alius textus habuerit, γροῦττα vel γρῦτα, unde vetus interpres Palladii *grutaria* fecerit. Facit huc quod habent Glossæ Græcobarbaræ : Ἀναγηστὶς, μάζα, σημηδία, γροῦτα, πανώδα. Item : Ἰδία σημηδίας, ἡ γρούτας. Lexicon Latinograecum : *Crusta*, γρῦτα. In Lexico Græcolatino habes, Γρύτη, *scruta*. Quo facit, quod habet Hesychius in Γρυμαία, qui λεπτὰ σκευάρια ait γρύτην dicta, apud quem et Γρύται, σκεύη. Item, Γρυτεύεται, παρασκευάζεται.

HEBDOMON. *Vide* SEPTIMUM.

HEBDOMADARII. *Vide* SEPTIMANARII.

HEMIPHORIUM. Palladius, cap. 119, de Melania juniore, ex interpretatione Herveti : « Omnia sua serica superhumeralia tegumenta dedit altaribus. » In Græco est : Πάντα αὐτῆς τὰ σηρικὰ ἡμιφόρια καλύμματα τοῖς θυσιαστηρίοις ἐδωρήσατο. « Omnia sua serica hemiphoria amicula altaribus dedit. » Epiphanius, contra Ariomanitas, de Ario : Ἡμιφόριον ἀεὶ καὶ κολοβίωνα ἐνδιδυσκόμενος, γλυκὺς ἦν τῇ προσηγορίᾳ. « Arius hemiphorium et colobium indutus, in colloquiis blandus erat. » Hesychio ἡμιφάριον, ἥμισυ ἱματίου, *hemipharium, dimidium vestis*, seu, *dimidiata vestis*. Videtur Hervetus in Palladio legisse ὠμοφόρια, vertens *superhumeralia*. Sed cum *hemiphorium* fuerit tantum dimidiata vestis, forte tantum caput et paululum ultra humeros texit. Et eo sensu etiam ὠμοφόριον dici posset.

HEMITRITÆUS. Vitæ Hilarionis num 14 : « Hemitritæo pariter arrepti omnes a medicis desperati sunt. » Est semitertiana febris. Vox Græca Ἡμιτριταῖος usurpata Latinis. Martialis, lib. II, epig. 40 :

Uti Tongilius male dicitur hemitritæo.

Idem, lib. IV, epigr. 81 :

Declamas æger, declamas hemitritæus.

Idem, lib. XII, epigr. 92 :

Cui gravis et fervens hemitritæus erat.

Celsus, lib. III, cap. 3. Item, cap. 8 : « At ubi id genus tertianæ est, quod hemitritæum medici appellant, magna cura opus est, ne id fallat. » Latini medici vocem hanc Græcam retinuere, vel quod Latine non posset commode efferri, vel quod Græco malebant uti. Q. Serenus Sammonicus, ubi superstitiosum **1034** simul contra eam febrim remedium suggerit :

Mortiferum magis est, quod Græcis Hemitritæum
Vulgatur verbis ; hoc nostra dicere lingua
Non potuere ulli, puto, nec voluere parentes,
Inscribi chartæ, quod dicitur Abracadabra.

HIPPOCENTAURUS. Hieronymus, in Vita sancti Pauli primi eremitæ, num. 7 : « Conspicit hominem equo mistum, cui opinio poetarum Hippocentauro vocabulum indidit. » Non congeram hic auctorum de Hippocentauris loca. Remittam ad auctores qui de iis copiose agunt. Vide in primis e veteribus Phlegontem in Mirabilibus. E recentioribus Hieronymum Magium, Miscellaneorum lib. I, capite 20, et Franciscum Sabinum, Floridor. libro II, cap. 6 ; Covarruviam, Var. resolut. lib. IV, cap. 2.

JEROSOLYMITANA PEREGRINATIO. Crebra hujus jam ab antiquis temporibus peregrinationis mentio in Vitis Patrum. Hieronymus, epist. 17, ad Marcellam : « Longum est nunc ab ascensu Domini usque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui episcoporum, qui martyrum, qui eloquentium in doctrina ecclesiastica virorum venerint Jerosolymam, putantes se minus religionis, minus habere scientiæ, nec summam, ut dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primum Evangelium de patibulo coruscaverat. » Idem, præfat. in lib. IV Commentar. in Jerem. : « Multis et de toto orbe huc confluentium turbis, et sanctorum fratrum, monasteriique curis occupatus, commentarios in Jeremiam per intervalla dictabam, ut quod deesset otio, superesset industriæ. »

IGNOSCE. Συγχώρησον. Eremitarum mos loquendi usitatissimus, qui sæpissime in his Vitis occurrit. Notavit id Sozomenus, lib. VIII, cap. 17 : Ταραχθέντες δὲ μοναχοί, καὶ τοῦτο χρῆναι ποιεῖν νομίσαντες, πολλῶν ἐπισκόπων προκαθημένων, τοῦτο δὴ τὸ σύνηθες αὐτοῖς λέγειν κἂν ἀδικῶνται, Συγχώρησον ἔφασαν. « Monachi perturbati, atque hoc plane fieri oportere rati, multis episcopis præsidentibus, illud scilicet, quod ipsis dicere solemne est : Etiamsi injuriam fecerimus, Ignosce, inquiunt *. » Quod Gallis *pardonne moi*. Videtur mos hic in aulicismum abiisse, cum sibi invicem propinarent, vel etiam calicem ex alterius manu acciperent. Pelagius, libello XV, num. 20 : « Quando abbas Theodorus cum fratribus manducabat, acci-
A piebant calices cum reverentia et taciturnitate, nec dicebant, sicut mos est, Ignosce.

IMMÆ. Vita Malchi, num. 3 : « Perveni tandem ad eremum Chalcidos, quæ inter Immas et Berœam magis ad Austrum sita est. » Syriæ est civitas, circa quam eremus Chalcidos. Chronicon Eusebii, anno 2 Aureliani : « Zenobia apud Immas, haud longe ab Antiochia vincitur. » Jornandes, De regnorum successione, in Aureliano : « Contra quam (uxorem Odenathi) expeditionem suscipiens Aurelianus, apud Immas vicum Antiochiæ superavit. »

INCARDUUM. Palmæ medulla. Joannes, libello I, num. 6 : « Est vero in palma unum incarduum et ipsum candidum. » Credo ex Græco ἐγκάρδιον. Dioscorides, lib. 1, cap. 150, agens de palma elate :
B Καὶ τὸ ἐγκάρδιον δὲ τοῦ πρέμνου λευκὸν, καὶ αὐτὸ πρόσφατον, βιβρωσκόμενον, καὶ ἀφεψόμενον, ποιεῖ πρὸς ὅσα καὶ ὁ βάρασσος. « Cæterum alba quoque caudicis (palmæ) medulla tum recens comesta, tum decocta ad eadem facit, ad quæ etiam barassus. » Ubi Dioscorides medullam trunci seu caudicis vocat ἐγκάρδιον, *corculum*. Vide ibi Janum Antonium Saracenum, et Dalechampium, ad lib. XIII, c. 4, Plinii, ubi de cerebro seu ἐγκεφάλῳ palmæ agit ; quod tamen ab ἐγκαρδίῳ distinctum esse docet Janus Saracenus. Sic fertur ἀνακάρδιον arbor Indica nomen sortita, a fructu aviculæ corculo non dissimili. Vide Gorræum.

INCENTIVUM. Vita sancti Antonii cap. 15 : « Lubricæ carnis incentiva. » Sæpe ea voce utitur divus Hieronymus. Sic epist. 4, ad Rusticum : « Et adolescen-
C tiæ, imo pubertatis incentiva calcantem. » Item : « Dum incentiva adolescentiæ calcas. » Ibidem : « Incentiva vitiorum, ardoremque naturæ ferre non poteram. » Idem, epist. 2, ad Nepotianum, *incentiva vitiorum*. In Isaiæ LVIII : « Corporis me superavit ardor, adolescentiæ incentiva vicerunt. » In Ezech. XVI : Hac bysso accinguntur renes, quoties pinguia libidinis incentiva tenuanda sunt, nihilque in eis crassi humoris relinquitur. » Ibidem mox : « Quæ vitiorum incentiva suppeditant. » Rursum : « Levem punctum sensuum, et incentiva vitiorum. » Item : « Sæculi hujus incentiva. » Idem, in cap. XXXIII Ezech. : « Non omnia cogitationum incentiva suscipiat. » In Matth. IV : « Suppeditare incentiva vitiorum. » Item in ejusdem cap. XV : « Incentivum diaboli. » In
D Commentario ad Galat. VI : « Per singulos commotionis oculos, et incentiva vitiorum. » Eodem sensu eadem vox et aliis usurpata. Ambrosius, lib. VI Hexaemer., cap. 4, *Odiorum incentiva*. Eidem, Psal. CXVIII, et serm. 15, *Incentiva delictorum*. Cassianus, collat. II, cap. 13, *Incentivorum stimuli*. Idem, collat. VII, c. 1, *Naturalibus incentivis inquietari* ; et cap. 2 : « Ecce incentiva carnis tuæ abscisa sunt. » Quæ duo loca posteriora habes supra, lib. IV De vitis Patrum, capite 50. Prudentius, Apotheosi, *Incentivum peccaminis*. Sidonius, libro VI, epist. 1 : « Nec per carnalium vitiorum incentiva flammati ad altare Domini ignem diutius accendemus alienum. »

Nonnunquam in aliam partem capitur. Arnobius,

* Consule notam paginæ 55 tomi præcedentis subjectam. EDIT.

lib. VI : « Incentivo extollitis laudis. » Cyprianus, De laude martyrii, *mercedes incentivum.*

INCHORIS. Joannes Subdiaconus, lib. VI Vitarum Patrum, libello I, num. 12 : « Duo fratres erant ei vicini, unus peregrinus, et unus inchoris, » a Græco ἐγχωρής. Nam χώρα est regio, unde ἐγχωρής, qui in regione sua semper manet, et opponitur peregrino. Divus Ambrosius, lib. V Hexaemeron, cap. 14, *enchorium* vocat : « Alia quoque avium genera enchoria, quæ manent in locis semper ; alia adventitia, quæ obeunt regiones alias, et peracta hieme revertuntur. » Sic ἐπιχώριον vocabulum Græci vocant, quod familiare est alicujus regionis seu loci. Divus Hieronymus, epist. 140 : « Pro eo quod nos transtulimus, *domibus eburneis*, quia in Græco scriptum ἀπὸ βαρέων ἐλεφαντίνων, quidam Latinorum ob verbi ambiguitatem, *a gravibus*, interpretati sunt ; cum βάρεις verbum sit epichorium Palæstinæ, et usque hodie, domus ex omni parte conclusæ, et in modum ædificatæ turrium ac mœnium publicorum, βάρεις appellentur. »

INCUBI. Hieronymus, in Vita sancti Pauli primi eremitæ, num. 8 : « Quos vario delusa errore gentilitas Faunos Satyrosque et Incubos vocans colit. » De Incubis copiose disserit Martinus noster Delrio, commentario in Senecæ Herc. fur., parte III, et in Magicis suis, lib. II, quæst. 15.

JOANNES CHRYSOSTOMUS. Pratum spirituale Joannis Moschi, cap. 128, quamdam revelationem seu visionem de gloria Joannis Chrysostomi supra omnes Ecclesiæ doctores refert, ad quam hæc severe Baronius, tomo V, anno Christi 407, Innocentii **1035** papæ 6, Arcadii et Honorii impp. 13, ita notat : Sunt autem hæc parum fide tuta, utpote quæ in primis ejusdem Joannis Chrysostomi testimonio mendacii arguantur (*Chrysost., epist.* 126), dum ab eo ponitur Treius episcopus Arabissi, et non Adelphius.

Sed et cum tradat auctor in domo Adelphii hospitatum esse Joannem, cum Cucusum in exsilium missus esset, plane erroris arguitur ; nam licet id ipsum de hospitio Cucusi dicant Leo et Metaphrastes, tamen ipse Chrysostomus (*Epistola* 13) disertis verbis narrat a Dioscoro se susceptum hospitio, et non ab aliis, licet id complures expetierint. Cum autem hæc compingat ea narratione mendacia, quæ fides in reliquis?

Sane quidem et illa invidiosa nimis assertio est, omnes qui unquam fuerunt in Ecclesia doctores, in inferiore ponere gradu, et super omnes Chrysostomum collocare, cum præsertim ex iis complures martyres fuerint coronati, ut inter alios Hippolytus et Methodius ; ut taceam de reliquis absque sanguine vita functis sanctis, nempe Basilio, duobus Gregoriis, Thaumaturgo atque Theologo, itemque omnibus sine invidia præferendo Magno Athanasio.

Sed et quæ illa absque ratione distinctio, ut omnes doctores fuerint oculis ea videntis perspicui, solus autem Joannes ob excellentem gloriam invisibilis? perinde ac si solus inter doctores ipse Chrysostomus fuerit perfectam gloriam consecutus. Sed facessant jam isthæc ; non enim indigent sancti nostris illustrari mendaciis, qui propriis virtutibus decorantur. Hactenus Baronius.

Annotator quidam (nescio an Fronto noster) in editione Parisiensi Græcolatina Joannis Moschi, ita rem hanc temperari posse censebat. Verum, inquit, monemus quoque ejusmodi revelationes interdum fieri non ad ostendendam majorem in omnibus alicujus sancti gloriam, sed ad indicandam excellentem quamdam et peculiarem cujuspiam beati prærogativam, qua aliis præeminuit : cujusmodi fuit zelus justitiæ, qui in pectore Chrysostomi adeo exarsit, ut merito propterea in visione divina dictus sit assistere throno Dei. Hujus generis visio illa fuit sancti Petri Dominico oblata, cum visis diversorum ordinum religiosis in cœlo, nullum ex suis alumnis aspexit : quos tamen sacra Deipara eximio et singulari favore sub pallio suo occultans, eidem postmodum ostendit. Deinde facile in epistolam Chrysostomi nomen Treii, pro Adelphio potuit irrepere, vel fuit binomius Treius Adelphius. Denique verbum *mansit* cur necessario referendum ad hospitium? Et est verisimile Chrysostomum domum episcopi invisisse. Hæc pro assertione libri alioquin præstantis auctoritatis. Ita Annotator ille.

Quod si mihi liceat inter tantos viros judicium interponere, censerem ego nihil hic de Joannis Chrysostomi gloria indicatum divinitus, sed potius de Joannis Baptistæ prærogativa responsum datum. Cum enim divina providentia vel nunquam vel raro soleat curiosulis vel contentiosis de sanctorum inter se prærogativa præcise respondere ; sed potius vel generali responso, nullius dignitatem de quibus controvertitur præferendo ; vel alio quovis modo iis satisfacere ; videtur hic de Joanne Chrysostomo, de quo instituebatur quæstio, fuisse dissimulatum ; et Joannis Baptistæ (is enim proprie pœnitentiæ dux) gradum et gloriam obiter introductam. Nam cum postulatio Adelphii clara fuerit, non clara tamen fuit responsio vel ostensio. Nam ductor primus non satisfecit voto ejus. Petierat sibi ostendi Joannem Chrysostomum, ille ostendit alios doctores ; quare tristis recedit non viso suo Joanne, cujus gloriam videre amabat. Ostiarius vero cum eum tristem videret, intellectaque causa animadvertens curiositatem hic intercedere, declinavit a Joanne Chrysostomo ad Joannem Baptistam. Ἰωάννην τὸν τῆς μετανοίας λέγεις ; « Joannem dicis pœnitentiæ ducem? » Respondetque interrupte in Græco, non interloquente interrogatore : Ἄνθρωπος ἐκεῖνον ἐν σαρκὶ οὐ δύναται αὐτὸν ἰδεῖν· ἐκεῖ γὰρ περίσταται ὅπου ὁ θρόνος δεσποτικός. « Ipsum homo in carne vivens videre non potest ; illic enim assistit, ubi thronus est Domini. » Quod in sanctum Joannem Baptistam quadrat, quo inter natos mulierum major non surrexit, Veritate ipsa attestante. Christus etiam discipulos de prærogativa in regno cœlorum quærentes compescuit, et dubios reliquit. Quare optime Thomas a Kempis, libro III De imitatione Christi, cap. 58, monet : « Noli inquirere nec disputare de meritis sanctorum, quis alio sit

sanctior, aut quis major fuerit in regno cœlorum. Talia sanctis displicent. »

Irenarcha, princeps pacis, qui paci provinciarum incumbit, pacator. Palladius, cap. 116 : « Transiens quidam Irenarcha agnovit senem. » Justinianus, in Codice, lib. x, tit. 75 : « Irenarchæ, qui ad provinciarum tutelam quietis ac pacis per singula territoria faciunt stare concordiam, a decurionibus judicio præsidum provinciarum idonei nominentur. » Michael Syngellus, in encomio Dionysii Areopagitæ Christum Irenarcham vocat : Ὁ ὄντως ἀρχιποίμην καὶ εἰρηνάρχης Χριστὸς παρὰ πάντων ὁμοφρόνως δοξάζοιτο. « Vere princeps pastorum et irenarcha Christus ab omnibus concorditer habeatur. »

Jurare per caput imperatoris. Palladius, cap. 3 : « Per caput imperatoris, quem tu times. » Τὴν κεφαλὴν τοῦ βασιλέως σου, ὃν σὺ φοβῇ. Addidit Potamiæna, *quem tu times*, quia gentilibus solemne fuit, jurare per imperatoris caput. Vide Lipsium, in Tacitum, lib. i Annal. Alias illicitum jurare per genios impp. Tertull., Apologet. c. 32 : « Sed et juramus, sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem eorum. » Vide ibi Cerdam nostrum bene commentantem.

Lactorones. Rufinus, lib. iii, num, 200: « Et unus quidem deferebat nuces, alius lactorones. » Cum notationes in hunc locum scriberem, nondum mihi ea vox lecta erat, postea occurrit. Plinius, lib. xxiv, cap. 18 : « Herba lanaria, ovibus jejunis data, lactis abundantiam facit. Æque nota lactoris vulgo est, plena lactis, quod degustatum vomitiones concitat. Eamdem hanc aliqui esse dicunt, alii similem illi quam militarem vocant, quoniam vulnus ferro factum, nullum non intra dies quinque sanat, ex oleo imposita. »

Laminæ. Hieronymus, in Vita sancti Pauli primi eremitæ, num. 3 : « Inter eculeos laminasque victorem. » Hæc fu iorem tractatum exigunt. Interea consule Gallonii librum, De tormentis, cap. 6.

Lapides quadrati. Palladius, c. 19 et 20, de sepulchro Jannis et Mambris : « Construxerunt illud opus ex lapidibus quadratis. » Ἐκ τετραπέδων λίθων ἔκτισαν τὸ ἔργον ἐκεῖνο. Hervetus verterat : *ex lapidibus quatuor pedum longitudine*; quasi esset τετραπόδων, aut quasi essent quadrupedes lapides. Heraclides : « Quadratis lapidibus supradictum opus construxerunt. » Et alter vetus interpres : « De quadris ergo lapidibus construxerunt opus. » Sic Isaiæ ix, 10 : *Quadris lapidibus ædificabimus*. Et Thren. iii, 9 : *Conclusit vias meas lapidibus quadris*. II Paralip. xxxiv, 2 : Ἔδωκαν ἀγοράσαι λίθους τετραπέδους. *Dederunt ad emendum lapides quadratos*. Non ut Kircherus explicat in indice Græco, *lapides quatuor pedum*; possunt enim lapides quadrati et quatuor et quatuordecim et quadraginta pedum esse. Hebraice est אבני מחצב *lapides excisionis* vel *excisos*. Fronto.

1036 Lapsanum. Vita Pachomii, cap. 8: « Lapsanas enim, id est, agrestia olera, et herbas alias A præter oleum consueverant edere. » Sæpe in his libris olera agrestia, quæ λαψάναι in Græco textu, occurrunt. Plinius, lib. xx, cap. 11 : « Inter silvestres brassicas et lapsana est pedalis altitudinis, hirsutis foliis, napi simillimis, nisi candidior esset flore. » Meminit ejusdem Plinius, lib. xix, cap. 8, ubi milites exprobrant imperatori, *se lapsana vixisse apud Dyrrhachium*.

Lebiton, Lebeton, Lebitonarium, Levitio. Quod in Vita Onuphrii est, cap. 16, « Deinde tunicam per dimidium scidi, » Græce est λεβιτονάριον, quod Metaphrastæ interpres in Onuphrio retinuit *lebitonarium*, ut et sæpe alii interpretes. Vita Pachomii, c. 14 : « Ut nunquam lebitone alio uterentur. » Ubi explicatio additur : « Lebiton autem linea vestis erat B instar colobii, qua monachi utuntur hodieque per Thebaidam et Ægyptum. » Et c. 22 : « Induantur noctibus lebitones lineos. » Ubi in Græco apud Palladium, c. 38 est, ἐν ταῖς νυξὶ λεβιτῶνας λινοῦς ἐζωσμένοι. Joannes, libello iii, n. 10 : « Frater autem ille post hæc projecit levitionem. » Paschasius, cap. 12, n. 8 : « Vestitus ergo lebetone suo, » quæ propria monachorum vestis. Glossæ veteres : « Levitonarium, colobarium lineum sine manicis. » Suidas : Λεβητωνάριον, χιτὼν μοναχικὸς ἐκ τριχῶν συντεθειμένος. « Vestis monachica ex pilis composita. »

Lenticula. *Vide* Zippulæ.

Lethe. Vita Joannis Eleemosynarii, cap. 25 : « Et descendens in Persidam, retrusus est in carcerem, qui appellatur Lethe, hoc est oblivio. » Fuit C videlicet postremis temporibus apud Persas carcer, cui Lethe nomen impositum, in quem nullus nisi capitali supplicio destinatus conjiciebatur. Procopius, libro i De bello Persico ita scribit : Οἱ δὲ κτεῖναι ἄνδρα βασιλείου αἵματος οὐδ' ὅλως ἔγνωσαν, ἀλλ' ἐν φρουρίῳ καθεῖρξαι, ὅπερ τῆς Λήθης καλεῖν νενομίκασιν. Ἢν * γάρ τις ἐνταῦθα ἐμβληθείς τύχῃ, οὐκ ἔτι νόμος σφίσι μνήμην αὐτοῦ εἶναι· ἀλλὰ θάνατος τῷ ὀνομακότι, ἡ ζημία ἐστί· διὸ δὴ καὶ τὴν ἐπωνυμίαν ταύτην πρὸς Περσῶν ἔλαχεν. Ἅπαξ δὲ τῶν Ἀρμενίων ἱστορία φασὶ νόμον τοῦ ἀμφὶ τῷ Λήθης φρουρίῳ παραλῦσθαι [*F.* παραλῦσαι] τὴν δύναμιν Πέρσαις, τρόπῳ τοιῷδε : « Illi autem sanguine regio virum non necandum omnino judicabant, sed carceri mancipandum, quem Lethen vocari voluerunt. Quidam enim casu fortuito in hunc injectus fuit, nec ejus apud D illos memoriam superesse lex sivit; sed prædicto calamitas ipsa fuit mors, unde et denominationem hanc apud Persas accepit. Semel autem Armeniorum historia dicit, per legem carceris Lethes dissolutam esse Persarum potestatem hoc modo. » Paulus Diaconus, Histor. lib. xvii : « In Perside autem est carcer qui dicitur Lethe, et rex Persarum multos a diversis gentibus in hoc conclusit, una cum captivis civitatis Daræ. »

Ligatura auri. Vita Joannis Eleemosynarii, cap. 7 : « Dat mihi ligaturam auri centum numismatum. »

* Evidenter scribendum erat ἦν, cum accentu gravi, totaque phrasis hoc modo interpretanda : *Si quis enim in hunc carcerem conjectus fuerit, nullam ejus memoriam lex superesse sinit; sed mori ut aut mu'ctum minatur nomen ejus proferenti ; unde*, etc. Quam absurda sit interpretatio a Rosweydo admissa, nemo non videt. Edit.

Vix dubito in Græco fuisse ἀπόδεσμος; certe ita in Metaphraste est. Curopalates, De offic. aulæ CP., quales hæ ligaturæ fuerint, explicat, ubi agit de missilibus seu epicombiis in populum mitti solitis: Ἔστι δὲ τοιοῦτον. Τμήματα ἐκ πανίων κόπτοντες, καὶ ἐν ἑκάστῳ τμήματι νομίσματα χρυσᾶ μὲν τρία, ἀργυρᾶ δὲ τοσαῦτα, καὶ τρία ἐξ ὀβόλων περιδήσαντες ῥίπτουσιν εἰς τὸ πλῆθος. Ῥίπτουσι δὲ τοιούτους ἀποδέσμους ἀριθμὸν χιλιάδων ὅσον ἂν προστάξοι ὁ βασιλεύς: « Id hujusmodi est: Segmenta ex panno fiunt, et in segmento unoquoque numismata aurea quidem tria, argentea vero totidem, et tria obolaria colligantes projiciunt in multitudinem. Projiciuntque fasciculos seu ligaturas hujusmodi pro eo numero chiliadum, quem imperator præceperit.

LIMITEM [*Vallars.*, LINEAM] MITTERE. Vitæ Hilarionis, *num.* 25: « Non prius abire passi sunt, quam futuræ ecclesiæ limitem mitteret. » Ita vetustissimi Manuscripti, atque ea vera videtur lectio. Alia habet *lineam mittere.* Desumpta utraque phrasis a finium regendorum scriptoribus. Hygenus De limitibus constituendis: « Et quidam ne proximarum coloniarum limitibus ordinatos limites mitterent. » Ovidius, l. III Amorum, eleg. 7:

Nec valido quisquam terram scindebat aratro,
Signabat nullo limite fossor humum.

Lex Tiberii Cæsaris: Juxta perennem rationem unam lineam mittunt.

LOGOTHETA. Vita Joannis Eleemosynarii, c. 10: « Apprehendit consilium logothetæ et œconomi. » Ecclesiasticum hic est officium quod describit Codinus, De offic. aulæ Constantinop. et magnæ ecclesiæ: Ὁ λογοθέτης, εἰς τὸ λογογραφεῖν, καὶ εἰς τὰς δημοσιακὰς καὶ ἀρχοντικὰς ὑποθέσεις λογογραφεῖν: « Logotheta, scribendis rationibus, et quidem rationibus ad populum principemque sacerdotum pertinentibus præscribendis. » Simul œconomi ecclesiastici officium obiisse, discimus ex Vita Joannis Eleemosynarii.

LOTIO MANUUM. Antonio in manus aqua fuit affusa. In præfatione Vitæ ejus: « Qui ad præbendam ei aquam, non paululum temporis cum eo fecit. » Sic Eliseo quoque super manus ejus aqua effusa, IV Reg. III, 11. In Martyrologio Romano, 24 Junii, de Gallicano inter cætera hospitalitatis officia: « Videbant aquam manibus affundentem. » Varia varias ob causas fuit apud veteres manuum lotio. Lavabant ante mensam, lavabant post mensam, lavabant oraturi, lavabant sacrificaturi. Credo Antonium lavisse ante orationem. Id enim Christianis solemne erat. Tertullianus Apologetici c. 39: « Post aquam manualem et lumina, ut quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere. » Vide Julium Nigronium nostrum ad Regulas nostras, hac de re fuse disserentem.

LYCAONIA INSULA. Vita Eugeniæ, c. 28: « Hæc in insula Lycaonia gesta sunt coram omnibus, qui sequebantur agonem Eugeniæ. » Insulæ hujus mentio etiam occurrit in Actis sanctorum martyrum Eusebii et sociorum, quorum natalis celebratur 2 Decembr. Habes ea apud Baronium, tomo II Annalium, anno Christi 259 ex Ms. eruta: « Et relicta sunt corpora eodem loco, juxta insulam Lycaoniam. » Ubi margini ascribit Baronius: Lycaonia dicta insula inter duos pontes sita; sic appellata, quod ibi Jovis quoque Lycaonis templum esset.

MAGISTRIANUS. Palladius, cap. 149: « Quidam adolescens Magistrianus specie formosus, mente pius. » Utitur etiam eo vocabulo in Martyrologio suo Ado, 2 Julii: « Natalis sanctorum Processi et Martiniani, qui cum essent Magistriani Mellopriacipes. » Ubi ita olim annotavi. Sunt autem Magistriani seu Magisteriani ex officio militiæ palatinæ, qui et Agentes in rebus. Glossæ Latinogræcæ: *Agens in rebus*, μαγιστριανός. Quos eosdem cum Castrensiis seu Castrensianis faciunt Glossæ Basilicorum, in quibus μαγιστριανός, ὁ καστρίνσιος. Codex Justin., L. 12, diverso titulo Agentes in rebus a Castrensianis distinguit. Castrensiani tamen etiam Magistro officiorum suberant (uti Magistriani), ut habet titulus 26. Alii sunt *Magisteriani* apud Suidam, qui et κανστρίσιοι dicti, a κανστρίῳ, *canistro*, qui magistratus est Ecclesiasticus. Vide Meursium, in Glossario Græcobarbaro. **1037** In Glossis Basilicorum μαγιστριανὸς dicitur quoque μανθάτωρ. Magistriani occurrunt in Actis sancti Abercii episcopi Hierapolitani, 22 Octobris, apud Metaphrastem, ubi Antoninus imp.: « Valerium et Bassianum Magisterianos divinorum nostrorum officiorum misimus. » Et apud Evagrium, l. III, capite 16: Οὐ παρὰ τοὺς Μαγιστριανοὺς ἀπεστάλησαν. Malchus in Byzanticis: Ἀδειμάντοις δὲ ταῦτα πυθόμενος, προπέμπει τῶν ἱππέων τῶν βασιλικῶν τινα, οὓς Μαγιστριανοὺς καλοῦσι.

MAGNIFICUS. Vita Simeonis Stylitæ, cap. 2: « Ibat in monasterium sancti Timothei magnifici viri. » Intelligitur hic per *magnificum* qui magna signa facit, θαυματουργὸς, μεγαλοποιός.

MALCHUS. Vita Malchi, c. 1: « Senex nomine Malchus, quem nos Latine Regem possumus dicere. » Eunapius, in Porphyrio: Μάλχος δὲ κατὰ τὴν Σύρων πόλιν (an φωνήν?) ὁ Πορφύριος ἐκαλεῖτο τὰ πρῶτα, τοῦτο δὲ δύναται βασιλέα λέγειν: Porphyrius juxta Syrorum vocem prius Malchus dictus est, quod regem possumus dicere. » Hinc *Naarmalcha*, id est *regius fluvius*. In Ammiano, lib. XXIV: « Alia pars fluminis Naarmalcha nomine, quod Fluvius regum interpretatur, Ctesiphonta prætermeat. » Eodem libro: Ventum est hinc ad fossile flumen Naarmalcha nomine, quod Amnis regum interpretatur. » Simili compositione apud eumdem, eodem libro, *Braxamalcha* habes: « Ventum est ad locum Braxamalcha. » Item *Maiozamalcha*, eodem libro: « Cumque Maiozamalcham venisset, urbem magnam et validis circumdatam mœnibus. »

MANCIPIUM. Vita Joannis Eleemosynarii, capite 21: « Et animal portans siligines a mancipio, causa prandii ipsius. » Est hic *Mancipium* ipsum *pistrinum*. Socrates, lib. V Histor. Eccles., cap. 18, de panum præfectis, *qui*, inquit, μάγκιπες τῇ Ῥωμαίων γλώσσῃ καλοῦνται, *mancipes Romanorum sermone dicuntur*. Paulus Diaconus, Historiarum lib. XIII, im-

perante Theodosio: « Erat ab initio in urbe Roma domus ingenti magnitudine fabricata, in qua panis fiebat. Horum mancipes, tempore procedente, pistrina publica latrocinia esse fecerunt, etc. Hoc agnoscens imperator, et mancipes suppliciis occidit, et ipsum pistrinum destruere funditus præcepit. » Eo sensu Mancipes accipiuntur in l. 1, c. De frument. urb. Constantinop.; lib. XII, ut et l. II et l. ult., eodem tit. in Cod. Theod.; et in l. unic., c. De pistorib., lib. XI. In qua tamen *mancipiis* vulgo vitiose, *pro mancipibus* legi vult Brissonius, in Lexico Juris. Suidas: Ἀρτοπωλεῖον, τὸ μαγκιπεῖον, ἐν ᾧ οἱ ἄρτοι γίνονται: « Pistrinum seu mancipium, in quo panes conficiunt. »

MANSIO. Vita Antonii, cap. 51: « Ad primam mansionem Alexandriæ, quæ appellatur Chæreum. » Est Græce μονή, *mansio*, certus et status in itinere interquiescendi locus, quæ dictæ etiam ἀλλαγαί, συστήματα, ad eum modum quo hodie cursorum stabula digeruntur.

De Mansione ita Fronto noster, in Editione Parisiensi Palladii: Μονή, *habitationem et domicilium* sonat *monachorum*; ideo scripserat Hervetus apud Palladium, cap. 28: « pertransiit octo monasteria. » Sed ut intelligatur quantum iter emensus fuerit Paulus, verisimilius est Palladium designasse *mansiones*, quæ et ipsæ μοναί dicebantur. Unde Heraclides: « Ascendit octo proximas mansiones. » In Vita Antonii: « Ad primam mansionem Alexandriæ, quæ appellatur Chæreum. »

Sed distinguuntur a mutationibus mansiones, ut recte admonet doctissimus Pythœus in præfatione in Itinerarium Jerosolymit. Sunt enim mutationes veredorum vel animalium ad iter, quæ vehiculis et animalibus instructæ reperiuntur, sed non cæteris rebus ad usum vitæ humanæ peregrinantibus necessariis, ut mansiones, ideoque distinguuntur in libris Codicis Theodosiani v, XI, tit. 1. c. 9. Itaque ut videre est in Itinerario Antonini et Itinerario Burdigalensi ab eodem Pythæo edito, mansiones a mutationibus distinctæ sunt; nam a Burdigala Arelate usque mutationes sunt XXX, mansiones XI, et a Sardica Constantinopolim mutationes XIX, mansiones XV.

Sunt et qui pro itinere unius diei sine diæta una mansionem ponant, ut cum ait Plinius, lib. XII, c. 14, mansionibus octo distare thuriferam regionem a monte excelso, in quo pagus est Sabæorum Atramitæ.

Arbitraria mansio, de qua in Vita Hilarionis, capite 21: « Vix ab invito impetravit, ut suum quoque monasterium in mansionum ordine poneret. » Apud quosdam enim manebat Hilarion, quosdam tantum in transitu visitabat. Ibidem ante: « Et digereret in schedula apud quos manere, quos in transitu visitare deberet. »

MANUUM IMPOSITIO. Vita Abrahæ, cap. 5: « Per impositionem manus presbyter ordinatus. » Jam ab apostolorum temporibus episcoporum et presbyterorum ordinatio manuum impositione seu χειροθεσίᾳ facta. Divus Paulus, I Timoth. IV et V; Gregorius Nazianzenus, orat. 20, in laudem Basilii, de patre suo redeunte ab electione episcopi Cæsariensis: Ἐπάνεισιν εὐσθενής, ἄνω βλέπων, ῥωσθεὶς ἐκ τῆς χειρὸς, καὶ τῆς χρίσεως. « Redit firmus ac valens, sublimes oculos gerens, a manuum impositione et unctione. » Optatus Milevitanus, lib. I: « In Donatum sunt hæ sententiæ latæ: quod confessus sit se rebaptizasse, et episcopis lapsis manus imposuisse, quod ab Ecclesia alienum est. » Quod intelligendum, non quod episcopos manuum impositione reconciliaverit Ecclesiæ (quæ et ipsa solemnis cæremonia erat), sed episcopos semel per manuum impositionem rite creatos, rursus simili cæremonia eos creaverit.

MAPHORIUM, sive MAFORTE, sive MAVORTE. Palladius, c. 138: « Ea vestem novam, aut μαφόριον, aut calceum noluit accipere. » Quod Heraclidis interpres, c. 48, vertit: « Non tunica, non mavorte, non calceamentis unquam novis uti voluit. » Item Heraclides, cap. 49: « Quidquid vestium sericarum in mavortibus habuit. » Ubi Hervetus in Palladio, cap. 119: « omnia serica sua superhumeralia tegumenta. » Qui videtur in Græco suo textu invenisse ὠμοφόρια; in Græco textu Veneto est, ἠμιφόρια. Vide supra, in HEMIPHORIUM. Ἡμιφόριον interpretatus sum *mavortem*, quod ita Heraclidis interpretem vertisse aspiciam. Unde quoque colligimus mavortem fuisse breve et quasi dimidium palliolum, unde ἡμιφόριον dicitur.

De eo ita Baronius, tomo VIII, anno Christi 593. Ea voce diversi generis indumentum pro diversarum personarum conditione reperimus significari. Atque in primis Cassianus, lib. I Instit., cap. 7, de habitu monachi declarat fuisse super humeros apponi solitum habitum monachi, ubi ait: « Post hæc angusto pallio tam amictus humilitatem, quam vilitatem pretii compendiumque sectantes, colla pariter et humeros tegunt: quod mafortes (sive mavortes) tam nostro quam ipsorum nuncupatur eloquio. »

Cæterum etsi ejusdem nominis, haud idem erat hoc indumentum, de quo in hac synodali epistola synodi Pictaviensis, apud Gregorium Turonensem, libro X, capite 16: « De palla quod reputarent, protulit monacham **1038** nobilem, quæ ei mafortem holosericum, quem de parentibus detulit, muneris causa concesserit, et inde partem abscidisset, unde quod vellet et faceret; de reliquo vero quantum opportunum fuit, ad ornatum altaris pallam condigne condiderit; et de illa scissura, quæ pallæ superfuit, purpuram nepti suæ in tunica posuerit. » Etenim minime erat vile, quod holosericum esset; neque breve, ex quo et facta est altaris palla, et insuper ornata sponsa. Unde magis illius generis putamus fuisse mafortem, de quo sanctus Hieronymus ad Eustochium scribit epist. 22, cum hæc ait de luxu nimio stultarum virginum: « Et per humeros hyacinthina læna mavorte volitans. » Quibus intelligas, non breve fuisse palliolum et angustum, sed laxam vestem, quæ præ latitudine expanderetur ad ventum, uti etiam in statuis sculptum videmus. Commune tamen fuit utrique sexui, quod ad tegendum collum et humeros veluti pallium compositum erat, ob idque communi æque nomine mafortes diceretur. Hactenus Baronius.

Mafortis meminit etiam Cassianus, lib. IV Instit., cap. 13: « Præter colobium, mafortem, caligas,

melotem ac psiathium. » Isidorus, lib XIX Origin., capite 25 : « Stola, matronale operimentum, quod cooperto capite et scapula a dextro latere in lævum humerum mittitur. Eadem et ricinium Latino nomine appellatur, quod vulgo mavortem dicunt. Quod expressum ex Servio, in I Æn. « Ricinius dicitur ab eo quód post tergum rejicitur, quod vulgo mavorte dicitur. » Nonius : « Ricinium, quod nunc mafortium dicitur. » Suidas : κρήδεμνον, κεφαλοδέσμιον, ἢ μαφόριον : « Credemnon, capitis vinculum, sive maphorium. » Phavorinus : Μαφόριον κεφαλῆς περίβλημα : « Maphorium, capitis integumentum. » Glossæ Arabicolatinæ : « Maforium, fascialis, id est, angustum pallium quo utuntur monachi, collum pariter atque humeros tegens. » Ubi Meursius, in Glossario Græcobarbaro, legit *facialis*, hoc est, inquit, φακιάλιον, nec plura explicat. An Glossator ille *maforium* vocat *fascialem*, quod respiciat ad *resticulas*, seu *redimicula* et *rebrachiatoria*, de quibus Cassianus, libro I Institut., capite 6, quibus sequenti capite mafortes subjungit? Georgius Alexandrinus, in Vita Chrysostomi, cap. 55 : Ἔστι δὲ ὧν τὰ μαφόρια ἡρπάγησαν : « Sunt et inter eas, e quarum capitibus rapto detracta sunt flammea. « Passio beati Pauli nomine Lini edita : « Plautilla, commoda mihi pannum, quo caput tegis. » Mox : « Et ligans sibi de Plautillæ maphorte oculos. » Apud Bedam, in Martyrologio, 20 Septemb. : « Qui etiam jussit Faustam nudam, et sine maforte flagellatam, incarceratam caput terebrari. » Isidorus, supra, mavortis etymon investigare conatur : « Vocatum autem dicunt mavortem quasi martem. Signum enim maritalis dignitatis et potestatis in eo est. Caput enim mulieris vir est ; inde et super caput mulieris est. » Quæ fere Papias in Vocabulario suo exscribit.

MARTYRIUM. Templum Martyrum. Palladius, cap. 67 : « Quem etiam nos in martyrio precati, vidimus cum iis qui cum ipso fuerunt martyrio affecti. » Idem, cap. 103 : « Ingressus est in suum martyrium, quod ipse ædificaverat, in quo sitæ sunt reliquiæ Joannis Baptistæ. » Idem, cap. 113 : « Pedestri itinere venit Romam usque, ad orandum in martyrio sanctorum Petri et Pauli. » Idem, cap. 139 : « Veni ergo, et prande nobiscum in martyrio. » Ubique in Græco μαρτύριον, id est, templum martyrum, seu oratorium dedicatum in honorem martyrum. Sic in concilio Chalcedonensi crebra est mentio martyrii sanctæ Euphemiæ, id est templi in ejus honorem memoriamque consecrati. Habemus in l. ult., De sepulcris violatis, Cod. Theod., *martyrium* appellandum esse locum illum in quo martyr sepultus est. Walafridus Strabo, De rebus Ecclesiasticis, capite 6 : « Martyria vocabantur « ecclesiæ, quæ in honorem aliquorum martyrum fiebant. » Hieronymus, in Chronico : « Constantinopoli Apostolorum martyrium dedicatur. »

Martyrium quoque signate dictum, templum Resurrectionis Jerosolymis. *Vide* RESURRECTIO.

MATTA. Heraclides, cap. 6 : « Jamque etiam mattam, super quam stare consueveram, incenderet. » Est autem matta teges ex juncis contexta. Gregorius Turonensis, lib. De vita patrum, cap. 11 : « Nullum habens stratum feni paleæque molimen, nisi tantum illud quod intextis junci virgulis fieri solet, quas vulgo mattas vocant. » Isidori Glossæ : « Psiathium, matta. » Glossarium vetus : « ψίαθος, teges, matta. » Vetus Juvenalis interpres, in satyr. 6 : « Teges, ut matta, supellex cubilis obscœni. » Regula sancti Benedicti, cap. 55 : « Stramenta autem lectorum sufficiant matta et sagum. » *Vide*, infra, PLUMACIUM.

Petrus Venerabilis, lib. III, epist. 20 : « Sed et si palustria prope sunt loca, mattas antiquum opus monachorum compone, super quas aut semper aut sæpe dormias. » Idem lib. IV, epist. 50 : « Ipse ei in matta monachica, quæ sedi illi contigua erat, assedit. »

MEDIMNUS. Theodoretus, lib. IX, De vitis Patrum, cap. 2 : « Duos autem medimnos colligens. » Dicebatur et *medimnus* et *medimnum*. Estque vox tam Latinis auctoribus quam Græcis usurpata. Hesychius : Μεδιμναῖον, μέτρον μεδίου : « Medimnæum, mensura modii. » Μέδιμνον, μέτρον ὅμοιον, ἢ χοινίκων τεσσαράκοντα ὀκτώ : « Medimnum, mensura similis, sive chœnicum quadraginta octo. » Idem, apud Pollucem, l. IV, c. 23, et Suidam, qui etiam addit : Μέδιμνος, μέτρον ἐστὶ ξηρὸν, οἷος πυρῶν, ἢ κριθῶν· μέδιμνον σὺν μοδίων ς', ὡς εἶναι μέτρον ξεστῶν οβ', ἤτοι λιτρῶν ρη'. « Medimnus mensura est aridorum, ut frumenti, hordei. Medimnus igitur est modiorum sex, sextariorum duorum et septuaginta, sive librarum centum et octo. » Cornelius Nepos, in Vita Pomponii Attici : « Auxit hoc officium alia quoque liberalitate ; nam universos frumento donavit, ita ut singulis sex modii tritici darentur, qui modus mensuræ medimnus Athenis appellatur. » Fannius :

Hujus dimidium fert urna, ut et ipsa medimni
Amphora, terque capit modium ; sextarius istum
Sexdecies haurit, quot solvitur in digitos pes.

Cicero, lib. III in Verrem : « Sed tritici septem millia medimnum ex Nymphonis orationibus edicta pœna. » Ibid. : « In jugere Leontini agri medimnum fere tritici seritur. » Ausonius, in Grypho Ternarii :

Hinc Bromii quadrantal, et hinc Sicana medimna.
Hoc tribus, hoc geminis explicat usus agendi.

MEMBRANÆ PULCHRÆ. Pratum spirituale, capite 134 : « Testamentum Novum ostendit mihi, in membranis valde pulcbris. » Græce est : Καὶ ἔδειξέν μοι ἐν σώματι πολὺ καλῷ. Nempe Græcis membranæ dicuntur σώματα, unde σωμάτια membranulæ quibus utimur ad scriptionem, et σῶμα integer liber. Cicero ad Atticum : « Hoc totum σῶμα curabo uti habeas. » Glossæ : σωμάτιον, *membrana*. Longinus, Περὶ ὕψους, de Iliade : Ἰλιάδος σωμάτιον. Hesychius : Ἰλιάς, τοῦ Ὁμήρου σωμάτιον : « Ilias Homeri membrana. »

1039 MENDACIUM OFFICIOSUM. Varia olim hac de re fuit opinio, plurimis etiam viris doctis existimantibus mendacium officiosum esse licitum. Ita censuit Origenes in commentario Epistolæ ad Galatas, et in sexto Stromateon libro, cujus libri meminit Hieronymus, epistola 65, ad Pammachium et Oceanum, et Apologia adversus Ruffinum, cap. 4,

ubi verba Origenis ex sexto Stromateon, et Platonis A ex libro tertio de Repub. citat, quomodo mendacium interdum sit utile (qui Hieronymi locus non occurrit nostro Joanni de Salas tractatu de legibus, disput. 23, sect. 9, cum negat Origenem scripsisse libros Stromatum). Insinuare etiam hanc sententiam videri possit Hieronymus, in cap. II ad Galatas, et epist. 89, agens de concertatione Petri et Pauli quam ex simulatione factam vult. Quam simulationem de mendacio officioso intelligere Hieronymum existimavit Augustinus, epist. 86 et 97 apud Hieronymum. Sed Baronius, tomo I, anno Christi 51, existimat Augustinum non rite percepisse mentem sancti Hieronymi; Chrysostomus, Homilia 32 et 53, in Genes.; Maximus Tyrius, serm. 3; Cassian., collat. XVII, cap, 10, 15 et seqq., et lib. V Instit., capit. 37 et 39. Ex re- B centioribus in ea fuit sententia Martinus de Magistris, doctor Sorbonicus, tractatu De fortitudine, quæst. V, De martyrio, quem refutat Cajetanus, in 2-2, q. 124, artic. 5, ad Dubium 3. Marulus quoque, lib. IV, cap. 4, mendacium officiosum admittit, imo pene omnibus videri ait Augustinus lib. III, quæst. in Levit., cap. 68

Omne autem mendacium, etiam officiosum, illicitum esse docet divus Thomas, 2-2, q. 10, art. 3, et Augustinus lib. De mendacio, et lib. Contra mendacium, et epist. 86 et 97, apud Hieronymum jam citatis; et in Decreti parte II, causa 22, q. 2, capite 14, *Ne quis arbitretur*, allegatur ex Augustino, in psal. V, quod pro temporali vita alicujus nullus mentiri debeat. Quo respicit Alexander III, in libro V De- C cretalium Gregorii IX, tit. 19, De usuris, cap 4, *Super eo*, ubi cum dicit per Scripturam sacram prohiberi, pro alterius vita mentiri, videtur intelligere scriptum istud Augustini. Eodem tamen loco Decreti, cap. 21, ex Hieronymo ad Galat. II, utilis dicitur simulatio, et in tempore admittenda.

Adverte, mire ab auctoribus confundi et citari Origenem pro hac sententia. Quia enim Hieronymus, epist. 65 ad Pammachium et Oceanum, citat Stromateon librum VI Origenis, ubi agit de mendacio, et idem repetit Apologia contra Ruffinum, cap. 4, epist. vero 89, ad Augustinum, citat Stromateon librum X, quæ epistolam Pauli ad Galatas explanat. Puto hæc ita conciliari posse, ut dicamus decimo libro Stromateon haberi verba illa Origenis quæ Hie- D ronymus citat ex lib. VI Stromateon. Sed existimo Hieronymum vocare sextum Stromateon, quia decimum illum Stromateon librum, qui versatur in explanatione Epistolæ ad Galatas, adjungit quinque voluminibus quæ propria scripsit Origenes in Epistolam ad Galatas; atque ita decimus ille adjunctus quinque illis est sextus explanationum in Epistolam ad Galatas. Verba ejus epistolæ 89 sunt: « Scripsit Origenes in Epistolam Pauli ad Galatas quinque propria volumina; et decimum Stromatum suorum librum, commatico super explanatione ejus sermone complevit. »

MENOMENÆ. Libro I in Vita sancti Joannis Eleemosynarii, c. 19: « Mille restes siccatorum piscium qui menomenæ dicuntur. » Cassianus, lib. IV Instit., c. 22: « Pisciculi minuti saliti, quos illi mænominia vocant, summa voluptas est. » Ita plerique veteres libri, licet Ciaccon ibi legat μαινίδια ex Aristotele, qui Plinio *mænulæ*, Gazæ *haleculæ*. Existimo *mænas*, *mænomenas*, et μαινομένια ejusdem generis pisciculos esse. Martialis, libro XI, epigr. 32:

Fuisse gerres, aut inutiles mænas
Odor impudicus urcei fatebatur.

Idem lib. XI, epigr. 32:

Et caudam cybii, brevesque mænas.

Cicero, libro II De finibus: « Iis licet dicere, se acipenserem mænæ non anteponere. » Plinius, libro IX, capite 26: « Mutant colorem candidæ hieme mænæ, et fiunt æstate nigriores. » Meminit earum etiam libro XXXII, capite 8-11, Persius, Satyra 3:

Mænasque quod prima nondum defecerit orca.

Arnobius, lib. III: « Neptunus pistricum dominus atque mænarum. » Oppiano, lib. I dicitur μαινίς.

Dicitur autem ἀπὸ τῆς μανίας, quod Dianæ (quæ et Hecate, quæ μανίας causa) olim sacer esset. Vide Athenæum, lib. VII, et Eustathium, Iliad. α΄. De mænis etiam Dioscorides, lib. II, cap. 31, et Alexander Trallianus, libro VIII.

MENSIUM TABULA. Quia hic aliquoties mentio fit mensium Ægyptiorum qui variant a Romanis mensibus, dabo hic ex Beda eorum inter se comparationem. Beda igitur, tomo II, libro De temporum ratione, cap. IX: « Ægyptii, qui primi propter ociorem lunæ discursum, ne videlicet error calculandi ejus velocitate gigneretur, ad solis cursum, cujus motus tardior facilius poterat comprehendi, suos menses putare cœperunt, sumpto ab autumni tempore primordio, tricenis hos producunt includere diebus. Quorum primus mensis

1.	*Thoth*	IV Kal. Septembrium	(29)
2.	*Phaofi*	IV Kal. Octobr.	(28)
3.	*Athir*	V Kal. Novembr.	(28)
4.	*Choeac*	V Kal. Decembr.	(27)
5.	*Tybi*	VI Kal. Januar.	(27)
6.	*Mechir*	VII Kal. Februar.	(26)
7.	*Phamenoth*	V Kal. Martiarum	(25)
8.	*Pharmuthi*	VI Kal. Aprilium	(27)
9.	*Pachon*	VI Kal. Maiarum	(26)
10.	*Pauni*	VII Kal. Juniarum	(26)
11.	*Epiphi*	VII Kal. Juliarum	(25)
12.	*Mesori*	VIII Kal. Augustarum	(25)

die sumit exordium. Quem X Kalendarum Septembrium die terminantes, residuos quinque dies ἐπαγομένας vel intercalares sive additos vocant. Quibus etiam quarto anno diem sextum, qui ex quadrantibus confici solet, adnectunt. Unde fit ut eorum anni primi a bissexto III Kalendar. Septembr., cæteri vero IV Kal. earumdem die sortiantur initium: ipsi autem bissextiles anni, IV, cæteri V Kalend. memoratarum die terminentur. » Hactenus Beda. Ubi notat Joannes Noviomagus scholiastes, singulos mensium Ægyptiorum constare XXX diebus, postremum vero XXXV, et quarto quoque anno XXXVI. Subjungo tabulam juxta Bedæ mentionem digestam.

MENSIUM TABULA, IN QUA PRIMO STATIM INTUITU ÆGYPTIORUM FIXORUM MENSIUM CUM ROMANIS CONNEXIO APPARET.

MENSES ROMANI.																													MENSES ÆGYPTII.							
Januarius	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25					26	27	28	29	30	31	
	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30				Mechir, *sextus mensis Ægypt.* (26 Januarii)	1	2	3	4	5	6	
Februarius	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24						25	26	27	28			
	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30					Phamenoth, *septimus mensis Ægypt.* (25 Februarii)	1	2	3	4			
Martius	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26				27	28	29	30	31		
	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30			Pharmuthi, *octavus mensis Ægypt.* (27 Martii)	1	2	3	4	5		
Aprilis	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25					26	27	28	29	30		
	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30				Pachon, *nonus mensis Ægypt.* (2 Aprilis)	1	2	3	4	5		
Maius	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25					26	27	28	29	30	31	
	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30				Pauni, *decimus mensis Ægypt.* (26 Maii)	1	2	3	4	5	6	
Junius	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24						25	26	27	28	29	30	
	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30					Epiphi, *undecimus mensis Ægypt.* (25 Junii)	1	2	3	4	5	6	
Julius	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24						25	26	27	28	29	30	31
	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30					Mesori, *duodecimus mensis Ægypt.* (Julii)	1	2	3	4	5	6	7
Augustus	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28		29	30	31				
	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30	31	32	33	34	35	Thoth, *primus mensis Ægypt.* (29 Augusti)	1	2	3				
September	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27			28	29	30				
	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30		Phaofi, *secundus mensis Ægypt.* (28 Septembris)	1	2	3				
October.	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27			28	29	30	31			
	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30		Athir, *tertius mensis Ægypt.* (28 Octobris)	1	2	3	4			
November	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26				27	28	29	30			
	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30			Choeac, *quartus mensis Ægypt.* (27 Novembris)	1	2	3	4			
December	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26				27	28	29	30	31		
	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28	29	30			Tybi, *quintus mensis Ægypt.* (27 Decembris)	1	2	3	4	5		

1041 Comparemus jam loca utrorumque mensium, quæ in Vitis Patrum occurrunt, et videamus an recta Bedæ inter utrosque menses sit comparatio.

Vita Pachomii c. 3 : « Reddidit animam quarto decimo die mensis Pachon secundum Ægyptios, qui est juxta Romanos ad septimum diem Iduum Maiarum. » Incipit Pachon vi Kalend. Maii, id est, 26 Aprilis. Unde numerando, ad 9 Maii, erunt xiv dies juste.

Vita Pachomii, c. 29 : « undecimo mensis Tybi, id est, octavo Id. Januariarum, quædam apud Ægyptum celebratur ex more festivitas. »

Vita Mariæ Ægyptiacæ, c. 25 : « Transeunte mense Parmothi secundum Ægyptios, qui est secundum Romanos Aprilis die nona, id est, v Id. Aprilis. » Erit hic dies 14 Parmothi seu Pharmuthi mensis Ægyptii juxta superiorem tabulam.

Vita Onuphrii, auctore Paphnutio, in Vitis Patrum, cap. 16 : « Sanctus igitur Onuphrius obiit mense Junio, die undecimo, id est, tertio Idus ejusdem mensis. » Quæ non quadrant cum numero apud Metaphrastem : « Erat autem dies sextus quidem decimus mensis Pauen (seu Pauni), nonus autem Junii mensis apud Romanos. » Quod si recte Beda menses Ægyptios cum Romanis comparat, dies decimus sextus mensis Pauen erit decimus Junii.

Metanœam mittere. Quod Græcis est *βάλλειν* seu *ποιεῖν μετάνοιαν*, fere vertunt *metanœam* seu *pœnitentiam mittere* vel *facere*. Vitæ Basilii, c. 11 : « Et faciens metanœam, respondens ei, dixit. » Vitæ Joannis Eleemosynarii, cap. 14 : « Mittentibus igitur ambobus metanœam. » Quod rectius exprimitur ibidem, cap. 35 : « Et mittens genuflexiones. » Vide dicta ad utrumque locum. Sic cape illud apud Joannem, hic, libello iii, n. 2 : « Qui pœnitentiam agentes dixerunt, » id est, genuflectentes et caput inclinantes Macario. Septima synodus generalis, quæ est Nicæna ii, act. 4, ex scripto Maximi confessoris : *Καὶ ἐπὶ τούτοις ἀνέστησαν πάντες μετὰ χαρᾶς καὶ δακρύων, καὶ ἔβαλον μετάνοιαν, καὶ εὐχὴ γέγονε*. Vulgata versio : « Post hæc surgentes omnes, cum gaudio et lacrymis surrexerunt, pœnitentiamque egerunt, factaque precatione. » Anastasius Bibliothecarius : « Et in his surrexerunt omnes cum gaudio et lacrymis, et miserunt metanœam, et oratio facta est. » Ubi scholion in Codice Ms. Joannis Tilii Meldensis episcopi tale appingitur : Metanœa pœnitentia interpretatur. Hoc tamen in loco pro genuflexione ponitur. Unde cum dicit, *miserunt pœnitentiam*, nihil aliud intelligitur, nisi *posuerunt in terra genua*. Quia enim pœnitentium est maxime flectere genua, sæpe Græci *genuflexionem*, *metanœam*, id est, *pœnitentiam* vocant. Ita ex Codice Tilii citat Fronto noster Ducæus notis in Concil. Nicænum ii, post tomum III Conciliorum Editionis Binianæ. Liturgia Chrysostomi : *Ὁ δὲ ἱερεὺς σὺν τῷ διακόνῳ ποιοῦσι μετανοίας τρεῖς εἰς τὸ ἅγιον θυσιαστήριον*. Erasmus interpres : « Sacerdos autem cum diacono faciunt asconsiones tres in sanctum sacrarium. » Non recte. Recte Fronto noster : « Faciunt inclinationes tres ad sanctum altare. » In Græcorum Euchologio diaconus, multis locis, *τῷ ἱερεῖ τρεῖς μετανοίας βάλλει* : « Pœnitentis in modum tertio ante ipsum se incurvat. » Vide Baronium, t. VIII, an. Christi 656 et Billium, schol. 32 in orationem 1 Joannis Damasceni De imaginibus.

Miliarisium. Joannis Moschi Pratum spirituale, cap. 185 : « Habebant tamen quinquaginta miliarisia, quod numismatis genus est. Epiphanius, De ponderibus et mensuris : *Τὸ δὲ ἄργυρον, τοῦτό ἐστιν ὃ οἱ Ῥωμαῖοι μιλιαρίσιον καλοῦσιν, ὃ ἑρμηνεύεται στρατιωτικὸν δόμα*. « Argenteus a Romanis miliarisium dicitur, quod militare donativum interpretari possis. » Suidas : *Μιλιαρήσιον, νομίσματος δέκατον*. « Miliaresium, numismatis decima pars. » De hoc numismatis genere vide accurate inquirentem Dionysium nostrum Petavium ad Epiphanii librum jam dictum.

Mino. Joannes, libello ii, num. 10 : « Mittit persequens et minat me hinc. » Heraclides, cap. 5 : Fit subito parvulus puer veluti annorum decem, minans asinum panes in cista ferentem. » Anianus jurisconsultus : « Actus, quo pecora minare consuevimus. », Gregorius, Dialogorum lib. i, cap. 2 : « Tollite ut habeatis, qualiter hoc jumentum minare valeatis. » Paulus Diaconus : « Agere modo significat ante se pellere, id est, minare. » Idem : « Agasones, equos agentes, id est, minantes. » Apuleius, lib. iii Metam. : « Nos duos asinos minantes baculis exigunt. » Inde *comminare* apud eumdem, lib. vii Metam., et *prominare* lib. ix.

Minutum. Joannes Moschus, lib. x Vitarum Patrum, cap. 42 : « Ut per quatuor dies unam tantum oblationem manducaret minutorum viginti. » Destituit hic nos Græcus textus. Forte in Græco fuit *λεπτῶν* vel *φολέων*. Infra, cap. 134 : « Accipiebatque quotidianum stipendium novem minuta. Ubi in Græco textu *πέντε φόλεις*. Vide infra, in Pholes, et Petavium nostrum, ad Epiphanium, in Diatriba De *λεπτοῖς* et minutis.

Monticellus. Vita Onuphrii, cap. 11 : « Juxta summitatem ipsius monticelli. » Vox rarior, usurpata tamen agrariis scriptoribus. Innocentius, inter auctores finium regendorum : « Et super fontem terminum in monticello constitutum. » Idem : « Inter vallem et vallem monticellus descendit, et de latere hujus monticelli alveus. » Idem : « Arca in monticello constituta. » Latinus : « Etiam monticelli sunt in finibus constituti. » Vitalis et Arcadius inter eosdem : « Tres monticellos transit, et in tertium monticellum arcam circa lavacrum significat. » Idem Vitalis : « Nam et monticellos de terminis circumdedimus. » Faustus et Valerius : « Monticellos plantavimus de terra, quos botontinos appellavimus. » Sic apud Innocentium est *campicellus*, *collicellus*, *flumicellus*.

Muro septi (Pro). Hieronymus in Vita Malchi, cap. 9 : « Pudicitiæ tantum conscientia pro muro septi. » Proverbiali specie id dictum, expressumque

ex Sallustii Catilinario : « Audacia pro muro habetur. » A Cicero viii Verrina : « Ad omnes meos impetus quasi murus quidam boni nomen imperatoris opponitur. » Hieronymus, in Isaiæ cap. xxxviii : « Indignationem ita precibus quasi quodam muro intercludere. » Idem in Ezech. cap. xiii : « Dum conversi ad Deum hoc quasi muro et pariete firmissimo cingerentur. »

Muscus. Vita Pelagiæ, cap. 2 : « Totum implevit aerem ex odore musci. » Vita Marcellæ, cap. 3 : « Fragrare musco mure. » Inde *muscata* apud Ruffinum, lib. iii, num. 39 : « Quoniam propter thymiamata et muscata. » Hieronymus, in Jeremiam c. xxiii : Contemplemur hæreticos, quomodo semel desperantes salutem, gulæ se tradant et deliciis : vescantur carnibus, frequentes adeant balneas, musco fragrent, unguentis variis delibuti, quærant corporum pulchritudinem. » Idem, lib. ii adversus Jovinianum, cap. 7 : « Odoris autem suavitas, et diversa thymiamata, et amomum, et cyphi, œnanthe, B
1042 muscus, et peregrini muris pellicula, quod dissolutis et amatoribus conveniat, nemo nisi dissolutus negat. » Quo loco Volaterranus muscum pro parvo mure, coloris flavi, qui odoratissimus est, et in sylvis versatur, accipit.

De musci origine varia opinio. *Moschum* enim, seu *muscum*, quod odoramenti genus est, saniem e vomica capreæ collectam putat Aetius; alii e vomica unicornis volunt; ita Simeon Zethi. Martinus a Baumgarten, in Peregrinatione sua dicit animal quoddam esse, nisi esset grandiusculum, catto persimile, quod dum virgæ ictu ad iram concitatur, C odoriferum quiddam edit, quod auri pondere venditur. Juxta hujus animalis umbilicum nascitur apostema, quod extractum, gratissimi est odoris, et inter primas hominum delicias habetur. Id Itali *Zibetto*, Germani *Bifem* dicunt.

Myoparo. Vita Hilarionis, num. 41 : « Cumque piratæ duobus haud parvis myoparonibus occurrissent. » Paulinus, epistola ad Macarium : « Procurator Christiani viri fratris nostri Posthumiani esse dicitur, qui eam navem in Brutiorum littore, quo possessio senatoris alluitur, avarior mari, et sine myoparone piraticam in terra agens occupatur, et captam vacuefecit. » Ita legendus is locus, ubi vulgo, *et sene meo parone*, pro *sine myoparone*.

Nates verberare. Vita Marcellæ num. 9 : « Fictus D ariolus stultorum verberet nates, et obtorto fuste dentes mordentium quatiat. » Idem, libro ii contra Jovinianum, cap. 19 : « In circulis platearum quotidie fictus ariolus nates verberat, et obtorto fuste dentes mordentium quatit. » Idem, Apol. 1 adv. Ruffin., cap. 4 : « Quotidie in plateis fictus ariolus stultorum nates verberat, et obtorto scipione dentes mordentium quatit. » Ita omnibus his locis legendum ex Mss. quos aliquot consului. Ita quoque egit Henricus Gravius. Vulgatus textus habet *nares*, quod Erasmus et Reatinus conantur interpretari. Sed pro lectione, quam asserui, clare Lucianus de morte Peregrini : Εἶτα παίων καὶ παιόμενος νάρθηκι εἰς πυγάς, καὶ ἄλλα πολλὰ νεανικώτερα θαυματοποιῶν. « Exin verberabat et verberabatur ferula circa nates, multaque alia juveniliora more mirifico ac præstigioso designabat. »

Neapolis. Vita Joannis Eleemosynarii, in titulo dicitur, *Leontius Neapoleos Cypri insulæ episcopus;* ita etiam vocantur a Metaphraste, 1 Junii in Vita Simeonis Sali. Item in synodo i Nicæna, quæ est generalis vii, et a Damasceno, oratione 1 et 3 De imaginibus. Quæ hæc Neapolis? Baronius itemque Possevinus censuere Constantiam seu Salaminam Cypri esse, ut ad textum dixi. Sed id stare non potest. Diversam urbem esse Neapolim Cypri a Constantia Cypri, liquet ex eadem synodo. Nam post recitata verba Leontii pro imaginibus *ex quinto sermone pro Christianorum Apologi contra Judæos, ac de imaginibus sanctorum*, subdit Constantinus Constantiæ Cypri episcopus : Οὗτος ὁ ἀναγνωσθεὶς πατὴρ ἐν μιᾷ τῶν πόλεων τῆς κύπρου ἱεροπρεπῶς διέπρεψε. « Hic qui lectus est Pater in una urbium Cypri decore sacratissimo claruit. » Ortelius, in Thesauro Geographico scribit Lusignanum existimare hanc a Græcis dici *Lemisela-Neuve*, et a Latinis *Nemosia* vel *Lemonne* appellari.

Nili ascensus. Palladius, cap. 37 : « Accidit aliquando in Ægypto, cum Nilus ascenderet, ut vicus vicum invaderet. Pugnant enim pro aquarum divisione, adeo ut sequantur cædes et sauciationes. » Quo spectare credo illud, Palladii, cap. 52, quod duo pagi pro agris decertaverint, ὑπὲρ ἀρουρῶν διαμαχόμενοι. Et mox gentiles cum Christianis ὑπὲρ ὁρίων αὐτῶν, *pro suis finibus*. Id enim forte accidit, quod Nilus inundans solet agros confundere, et limites abolere. Multi tunc ægrotabant. Idem, c. 43 : « Navigando in flumine; erat enim tempus ascensus, in quo multi ægrotant, quod mihi quoque accidit. » Καιρὸς ἀναβάσεως, *tempus ascensus*. Idem, cap. 22 : « Cum fluvius eo tempore inundaret, et ad mille passus pateret latitudine. » κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον πλημμυρῶντος τοῦ ποταμοῦ, καὶ κρατοῦντος ἐπὶ ἓν σημεῖον τῷ πλάτει.

Huc quoque facere opinor quod habet Palladius, cap. 52 de pompa celebrata cum statua lignea pro aqua fluviatili. « Pompam autem ducebant, eam per vicos circumferentes nefarii sacerdotes, qui bacchabantur cum multitudine, veluti pro aqua fluviatili celebrantes mysteria. » Nam suspicor hic intelligi ascensum Nili. Quare, in Ruffino, lib. ii, c. 7, pro *aquis pluvialibus*, corrigendum erit *fluvialibus*. Nam hic in Palladio Græce est : ὑπὲρ τοῦ ποταμιαίου ὕδατος, *pro fluviatili aqua*. Et notum carmen illud de Ægypto :

Arida nec pluvio supplicat herba Jovi.

Nixæ siccæ. Pelagius, lib. v De Vitis Patrum, libello iv, num. 65 : « Et attulit quidam frater nixas siccas, et fecit pultes. » Nixæ hæ Isidoro lib. xvii, capite 7, sunt *coquimella*, quod detortum ex Græco κοκκύμηλον. « Coquimella, inquit, quam Latini ob colorem prunum vocant, alii a multitudine enixi fructus nixam appellant. Cujus generis Damascena me-

lior, a Damasco oppido, unde prius asportata est, dicta : cujus solum pomum stomacho mederi probatur; nam cætera noxia perhibentur. Hæc sola arbor gummi glutinosum et compacticum distillat, quo et medici et scriptores utuntur. » Vide Plinium, lib. XIII, cap. 11, de *sarcocolla*, qui habet *pictores*, pro *scriptores*. Idem, lib. XXII, capite 25 : « Cum rosaceo vero et fico sicca, myxisque decocti furfures (tritici) tonsillis faucibusque gargarizatione prosunt. » Vide et Dioscoridem, lib. I, cap. 175. Glossarium Camberonense Ms. : « Nixa est genus arboris, a similitudine enixi dicta fructus, » quod ex Isidoro adumbratum. Ad quem notat Grialus scholiastes : In margine Codicis Romani sancti Petri, hæc addita reperisse se, sed eadem manu aiebat Chacon : « Hanc arborem Romani vocant prunum. Hispani nixum, Wandali, B et Gothi, et Suevi, et Gallæci cæruleam. » Retinent hodie vestigia hujus vocis Lusitani et Gallæci, qui pruna omnia *ameivas* sive *ameivas* dicunt. Et apud Aurelianum, lib. IV Tard., cap 8 : « Pro decoctione noxarum et glycyrrhizæ : » *nixarum* ego legerem. Quod autem *myxa* pro *nixa* legendum quidam contendunt, ex Paulo Ægineta libro VII, Μύξα, δένδρου καρπός ἐστι μικρότερος μὲν τῶν κοκκυμήλων, δύναμει δὲ παραπλήσιος, confirmat quod de Gallæcis diximus; nam *m* in locum *n*, aut etiam contra, in multis vocibus successisse passim videmus. Hactenus Grialus in Isidorum. *Myxa* hæc etiam *myxaria* dicta. Cassianus, collat. VIII, cap. 1 : « Post hæc superintulit canistrum habens cicer frictum, quod illi trogalia vocant, ex quibus quina tantum sumpsimus grana, C myxaria bina, caricas singulas. » In veteri Lexico notatur, *Myxa* et *Myxaria*, apud recentiores Græcos medicos, esse minora prunis Damascenis, nucleo intus triangulari.

Nomicus. Moschus, Prato spirituali, cap. 193 : « Accersivit itaque Nomicum seu dispensatorem sanctissimæ ecclesiæ. » Ἤγαγε τὸν Νομικὸν τῆς ἁγιωτάτης ἐκκλησίας. Varia *Nomici* interpretatio apud Curopalatam in octava Pentade officiorum; ubi post *primicerium lectorum* ponitur Ὁ Νομικός, quem Joannes Citrius videtur vocare νομμοδότην, quasi *nummidatorem*. Sane hoc loco videtur per Νομικὸν dispensator vel qui curam rationum et chartarum habet, intelligi. Vide Gretzerum nostrum, ad caput 1 Codini Curopalatæ De offic. Constantinop. D

Nomina. Joannes, libello II, num. 8 : « Ascendimus metere cum eo septem nomina. » Constanter hic Ms. libri plerique in *nomina* consentiunt. Suspicari quis possit an *septem nomina* prodierint ex Græco ἑπτανομία, quæ certa Ægypti portio, quasi messum iverint in Heptanomia. Sed cum textus Græcus desit, mera suspicio est. Petrus Lansselius noster varie doctus censebat legendum *septem nomia*, quia existimo, inquit, solitudinem Scythiam divisam fuisse in varias portiones, quas appellabant νόμια, a verbo νέμω, id est, *divido*. Unde Proclus, in Timæum, docet νομὸν dici ἀπὸ τοῦ νενεμῆσθαι τὴν γῆν, *a dividendo terram*; et Ægyptii τὰς διαιρέσεις τὰς κατὰ μεγάλα τῆς

A Αἰγύπτου μέρη, *divisiones magnarum* **1043** *partium*, appellabant νομούς. Νομοὶ vero dividebantur in τοπαρχίας, et hæ in alias τομὰς seu sectiones, quarum minimæ erant ἄρουραι. Itaque hoc in loco *septem nomia* accipienda videntur pro septem aruris conjunctis. Quemadmodum Thebais et Delta dividebantur in decem nomos, et intermedia solitudo dividebatur in triginta nomos; ita existimo Scythim divisam fuisse in diversos nomos; quorum unus, de quo hic sermo, divisus fuerit in *septem nomia*, id est, aruras seu agros; qui vel pascuales, in quibus fenum demetebatur; vel arabiles, de quibus hic agitur. Fortasse non dixit *heptanomia*, sed *septem nomina* (etsi eadem sit utriusque significatio) ut distingueret ab Heptanomos seu Heptanomia, in qua Oasitæ eremitæ degebant, ex opposito solitudinis Scythis; inter utrosque enim interjacet Mœris seu Myris stagnum. Ita ille.

Nona hora. Ea synaxis expleri solita. Vita Macarii Romani, capite 3 : « Hora nona quadam die synaxi expleta. » Ea etiam jejunium resignari solitum. Vita Antonii, capite 37 : « Hora circiter nona cum ante cibum orare cœpisset. » Prudentius, hymno 10 περὶ Στεφάν. :

> Quondam de populo videt sacerdos
> Libandum sibi poculum ferentes,
> Jejunamus, ait, recuso potum.
> Nondum nona diem resignat hora.
> Nunquam conviolabo jus dicatum,
> Nec mors ipsa meum sacrum resolvet.

Ruffinus, lib. III, n. 4 : « Cumque hora nona advenisset, secundum consuetudinem complebat omnes orationes suas, et psalmodiam secundum regulam, et ponebat panem ut comederet. » Idem, lib. III, num. 55, in Silvano : « Hora autem nona circumspiciebat frater ille viam, si forte vocaret eum senex ad comedendum. » Idem est apud Pelagium, libello X, num. 69 : Joannes, libello III, n. 2 : « Et circa horam nonam significavit percutiens, et venit ille minor, et fecit modicum cocturam pulmenti. » Augustinus, Regula 2, de tempore edendi : « Operentur autem mane usque ad sextam, et a sexta usque ad nonam reddant Codices; et postquam refecerint sive in horto, sive ubicumque fuerint, faciant opus usque ad horam lucernarii. »

Quidam jejunia ad vesperam extendebant. Ruffinus, lib. II, cap. 31 : « Cibum quoque in vesperam ei sumere præcepit. » Quod etiam apud Palladium, cap. 23. Item Ruffinus, lib. II, cap. 1 : « Hic ergo cum post orationes cibum solito requisisset ad vesperam. » Quæ etiam habes apud Palladium, cap. 46. Ruffinus, lib. III, num. 23 : « Rursus ingressi cellulam, vespertinas orationes complentes, adorantes eum, dixerunt : Si præcipis, domine, ibimus, ut eum qui remansit caulem coquentes gustemus, quia jam hora est ut cibum sumamus. » Pelagius, libell. XVI, num. 18 : « Illi autem fratri afferebat tantummodo modicum panem ad seram. »

Sed jejunium in vesperam differre, non omnibus Patribus probatum, magis suadebant hora nona ci-

bum sumere. Cassianus, collat. II, cap. 6, loquente A abbate Moyse : « Recens escæ perceptio tam in vespertinis, quam in nocturnis orationibus tenuem levemque sensum non sinit inveniri : ideo commodum satis et utile hora nona refectionis tempus indultum est ; in quo reficiens monachus non solum in nocturnis vigiliis levis ac vacuus, verum etiam in ipsis vespertinis solemnitatibus digesto jam cibo invenitur aptissimus. »

Nonna. Vita Hilarionis, in prologo : « Decus ac dignitas virginum nonna Asella. » Vita Joannis Eleemosynarii, cap. 10 : « Obsecro te, nonna. » Et cap. 46 : *Nonna Pelagia.* Vita Mariæ Ægyptiacæ, cap. 17 : « Accipe hæc, nonna. » Pelagius, libel. VII, num. 19 : « Nonna ista, veni nobiscum ad balneum. » Frequenter hæc vox pro religiosa matre seu domina B occurrit. Hieronymus, epist. 22, ad Eustochium, De virginitate servanda : « Quia maritorum expertæ dominatum, viduitatis præferunt libertatem, castæ vocantur et nonnæ. » Idem, epist. 99, ad Asellam : « Nonnæ vocarentur et sanctæ. » Ubi pro *nonnæ* irrepserat *dominæ*. Bonifacius, archiepiscopus Mogunt. epist. 19 : « Si reus inventus fuerit, ut cum velata et consecrata Domino nonna concubuisset. » Ibidem habes *adulteria et monasteria nonnarum*. Synodi quoque a Bonifacio congregatæ, quas habes Capitularium lib. V, tit. 2, 3, nonnarum meminere. In quarum prima : « Similiter et nonnæ velatæ eadem pœnitentia contineantur. » In altera : « Similiter et monachi et nonnæ. » Visio Flotildæ, pagina 206 : « Vidit se esse in quodam amœno loco, velumque C nigrum se super caput habere, de quo cum requisisset, audivit quod fieri nonna deberet. » Glossarium Camberonense Ms. *Sanctimonialis*, *nunna*, *monacha*, *monialis*.

Nonnæ videntur et *nonnanæ* dictæ. Colligitur ex Capitularium lib. 1, tit. 17, ubi inscriptio est : *Clericis et Nonnanis*. Et subditur canon concilii Laodiceni, *quod non oporteat mulieres ad altare ingredi.* Traditionum Fuldensium lib. II, n. 38, pag. 509 : « Reliquias quas Einhildis abbatissa donavit, et tradidit illis nonnanis. »

Item *nonnanes*. Capitularium lib. V, tit. 78 : « Ut condignam professioni eorum custodiam habeant canonici, vel monachi atque nonnanes. » Et lib. VII, tit. 316 : « Similiter et nonnanes velatæ eadem pœ- D nitentia teneantur. » Unde Gallis *nonnains*. Eam vocem frustra ad Germanicam originationem deducit Vitus Amerbachius notis suis ad Capitularia seu Constitutiones Caroli Magni.

Hieronymus, epist. 47 ad matrem et filiam in Gallia commorantes adulationi titulum *nonni* ascribit : « Quæ in adulationem tui sanctum nonnumque coram te vocat. » Arnobius similiter in Psalm. CXL : « Adulantes nobis invicem, in præsenti positi, sanctos vocamus et nonnos ; absentes vero ita mordemus atque percutimus, ut recte canibus comparemur. » Idem in Psal. CV, ea voce utitur : « Terrenæ mentes interficiuntur hoc ordine : Si ille qui sanctus vocatur et nonnus sic agit, ego quis aut quotus sum ut non agam ? » Additio 1 ad Capitularia Ludovici imp., tit. 54 : « Ut qui præponuntur nonni vocentur. » Quæ ipsissima verba sunt synodi Aquisgran., anno 817 celebratæ, quæ adumbrata videntur ex regula beati Benedicti, cap. 63 : « Priores juniores suos fratres nominent ; juniores autem priores suos Nonnos vocent, quod intelligitur paterna reverentia. »

Illud quoque constat, *Nonna* etiam nomen proprium fuisse, Moschopulus, Περὶ σχεδῶν, pag. 93 : Νόννα, κύριον.

Nonum. Pelagius, libello VII, num. 7 : « Dicebant de abbate Theodoro, et abbate Lucio de Nono Alexandriæ. » Mira hic erat lectionum varietas, aliis *de Novo*, aliis *de Nonno*, aliis *de loco* legentibus. Obvia cuipiam conjectura sit, *de Nomo Alexandriæ*, quod Ægyptus, teste Plinio, lib. V, cap. 9, divisa sit in nomos seu præfecturas, inter quas nomus Alexandriæ, ut vel uterque, vel Lucius certe de nomo
1044 Alexandriæ fuerit ; seu hoc dictum sit, ad patriam eorum demonstrandam, sive ob conversationis locum, sive ad distinctionem aliorum qui eodem censebantur nomine.

Alicui fors in mentem veniat *No*, Ezech. XXX et Nahum III, quod divus Hieronymus et Chaldæus *Alexandriam Ægypti* interpretantur.

Sed verissimam omnino lectionem existimo, *de Nono Alexandriæ*, id est, de nono Alexandriæ climate seu regione, siquidem Alexandriam in regiones seu climata divisam (ut et olim Roma) innuunt Ammianus, lib. XXII, ubi *Bruchion*, quæ apud Alexandriam, vocat *regionum maximam partem* ; et Epiphanius, lib. De ponderibus et mensuris, pag. 536, βρουχεῖον vocat κλίμα τῆς Ἀλεξάνδρου πόλεως. Quæ lectio verissima omnino est. Nam qui hic Theodorus dicitur *de Nono*, apud eumdem Pelagium, libello XI, num. 2, dicitur *Theodorus de Ennato*, quod est idem quod *de Nono*. Sic libello XII, num. 9, dicitur *Lucius in Ennato*, id est, *Nono*, videlicet climate Alexandriæ. Sic in Menæis Græcis, 9 Octobris, in Vita Andronici et Athanasiæ anachoretarum habes ὀκτωκαιδέκατον, *octavum decimum*, vel clima, vel suburbanum, vel cœnobium apud Alexandriam. *Vide* Ennatum et Septimum.

Obolus. Palladius, cap. 10 : « Qui ne duos quidem obolos despexit. » Palladius hic *duos obolos*, δύο ὀβολούς, appellat, quæ Marci XII, 42, vocantur λεπτὰ δύο, ὁ κοδράντης, *duo minuta, quod est quadrans.* Atqui oboli quarta pars est quadrans. Sed hic sumitur *obolus* pro minimo genere monetæ. Apud LXX, Exodi I, 30, ὀβολὸς appellatur nummus qui vigesimam partem didrachmi valebat, sive sicli, εἴκοσι ὀβολοὶ δίδραχμον. Vulgata Lat. *Siclus viginti obolos habet.* Fronto.

Orbis terrarum. Ἡ ὑπ' οὐρανόν. Palladius, cap. 19 et 20 : « Dicebatur majori tempore cum Deo versari, qua hujus orbis seu mundi rebus occupari. » Ἐλέγετο μᾶλλον τῷ πλείονι χρόνῳ προσδιατρίβειν Θεῷ, ἢ τοῖς ὑπ'

οὐρανὸν πράγμασιν, Hervetus verterat : « Dicebatur A majori tempore vel cum Deo vel in rebus versari cœlestibus. » Fronto in Græco legit, ἢ τοῖς τῆς ὑπ' οὐρανόν. Vocari enim ait res mundanas et sæculares τὰ πράγματα τῆς ὑπ' οὐρανόν. Unde Heraclidis interpres : « Et cœlestibus amplius quam terrenis negotiis interesse. » Τὴν ὑπ' οὐρανὸν Scriptura *terrarum orbem* appellat. Theophilus, ad Autolycum, lib. I, καὶ ὡς ἀσφαλεῖς ἐτίθει πηγὰς τῆς ὑπ' οὐρανόν. « Et cum confirmatos ponebat fontes ejus, quæ sub cœlo. » Vulgata : *et cardines orbis terræ.* Sic apud Theophilum, infra : ἐφώτισε τὴν ὑπ' οὐρανὸν, « illuminat orbem sub cœlo universum. »

ORBUS. Oculis carens, quod Græcis ἀπ' ὀμμάτων, quasi *ab* seu *ex oculis.* Palladius, cap. 4 : « Didymus, qui fuit orbus. » ὁ ἀπὸ ὀμμάτων γενόμενος. Ἀπὸ ὀμμάτων vertere possis *Abocellus.* Utitur ea voce Petrus Blesensis, eruditus scriptor, serm. 18 : « Noli B sequi retributiones, ne faciant te senem abocellum. » Et serm. 43 : « Excute manum tuam ab omni munere, ne parcas pauperi, ne munera exoculent te et faciant senem abocellum. » Dictum ea forma Ἀπὸ ὀμμάτων, quasi *Exoculus*, uti dicitur ἀπὸ ὑπάτων, *exconsul*, et similia.

OSCULO EXCIPERE ADVENTANTES. Vitæ Onuphrii, cap. 8 : « Osculum mihi pacis tribuit. » Vita Pauli primi eremitæ, capite 8 : « Et post sanctum osculum. » Ammianus, libro XXII, De Juliano imp. : « Osculo susceptum rectorem provinciæ nomine Celsum, jam inde a studiis cognitum Atticis, ascitumque in consessum vehiculi Tarsum secum induxit. » Idem, C libro XXIX : « Susceptusque cum osculo (Maurus a Theodosio duce) quoniam id reipublicæ conducebat, bonæ spei jam plenus, sufficientia præbuit alimenta. » Idem, libro XXII : « Exosculatum susceptumque (Maximum philosophum) reverenter secum induxit (Julianus imp.). » Sic olim in ecclesia Christiani osculo sancto se excipiebant. Vide Baronium, tomo I Annalium.

OSCULARI MANUS. Vita Hilarionis, num. 14 : « Sancti deosculati sunt manus. » Solemne autem fuit episcoporum maxime manus exosculari. Ambrosius, De dignit. sacerdot., capite 2 : « Quippe cum videas regum colla et principum submitti genibus sacerdotum, et exosculata eorum dextera, se credant communiri. » Ivo, part. V, cap. 378, hoc ex epistola D Gregorii VII, ad Herimannum Meten. episc., citat. Gregorius Turon., Histor. lib. II, cap. 1 : « Nec Deus nos diutius sinit manus tuas indignas osculando pollui. » Vita Fulgentii Ruspensis, capite 4 : « Ad hæc ille juvenis magis ac magis inflammatus, repellentis manum suppliciter osculatus, » etc. Fausti scilicet episcopi. Sidonius, libro VII, epist. 2, ad papam Græcum, vocat ejus sacrosanctos digitos : « Quæ sacrosanctis reserabuntur digitis. » Idem, libro VIII, epist. 11, ad Lupum :

Pergo ad limina mox episcoporum,
Sancti et Gallicini manu osculata.

Erat hic episcopus Burdegalensis.

Etiam sacerdotum manus osculabantur. Habes hic de Hilarione. Hieronymus, epist. 99, ad Asellam, cum Romæ versaretur, et jam ante sacerdos Antiochiæ creatus esset : « Osculabantur mihi manus quidam, et ore vipereo detrahebant. »

OSCULARI OCULOS. Vita Pauli primi eremitæ, num. 12 : « Osculatis [*Vallars.*, exosculatis] ejus oculis manibusque. » Vita Melaniæ junioris Ms., cap. 4 de Serena imperatrice et Melania : « Et iterum amplectens constringebat, et osculabatur eam et oculos ejus. » Ennodius, lib. VII, epist. 14, ad Archotamiam : « Ut cum domno meo presbytero, utrique osculantes manus et oculos tuos. » Credo ut ita ostenderent quod se oculos contra charos haberent. Sic sanctorum manus, reliquias, oculis applicabant. Vita Simeonis Stylitæ, cap. 17 : « Manus ejus posui super oculos meos, dicens : Benedic, obsecro, mi domine. » Et cap. 8, de verme qui ex corpore ejus ceciderat : « Currens apprehendit eum in fide, et posuit super oculos suos. »

Etiam olim apud gentes oculos osculabantur. Arrianus, Dissertationum lib. II, cap. 20 : Ἠξίωσαι δημαρχίας; πάντες οἱ ἀπαντῶντες συνήδονται, ἄλλος τοὺς ὀφθαλμοὺς καταφιλεῖ, ἄλλος τὸν τράχηλον, οἱ δοῦλοι τὰς χεῖρας : « Tribunatum adeptus est? ecce obvii omnes gratulantur, alius oculos osculatur, alius collum, servi manus. » Homerus, Odyss. XVI :

κύσσε δέ μιν κεφαλήν τε καὶ ἄμφω φάεα καλά :
Et capiti pulchrisque oculis junge oscula binis.

OXYCRATUM. Palladius, Historiæ Lausiacæ capite 145 : « Omni autem alio tempore contenta erat oxycrato et pane arido. » Quod Heraclidis interpres, capite 42, vertit : « Per reliquum ævi sui tempus posca et sicco pane contenta vivebat. » *Vide* infra POSCA.

OXYRYNCHUS CHARACTER. Palladius, cap. 86, de Evagrio celebri diacono : « Scribens annuatim pretium solum eorum quæ comedebat ; eleganter enim scribebat celerem characterem. » Græce est : Εὐφυῶς γὰρ ἔγραφεν τὸν ὀξύρυγχον χαρακτῆρα. Heraclides, capite 25, de eodem agens, servavit Græcum **1045** vocabulum. « Similiter etiam illam scribebat manum, quam Oxyryncham vocant Græci. » Vetus Palladii interpres *libralem* vertit cap. 15 : « Pulchre enim scribebat libralem manum. » Non existimo per *Oxyryncham manum* intelligi *manum celerem*, ut vertit Hervetus, cui non tanta tribuitur elegantia, sed potius insinuari characterem Romanum seu rotundum, vel Italicum seu cursivum. Certe acuto rostro si vim vocis Oxyrynchi spectes, est character Italicus. Quem si celerem quis contendat appellari posse, quod cursim scribatur, unde cursivi nomen obtinet, non magnopere pugnavero.

Duplices olim scriptores, ταχυγράφοι, qui et ὀξυγράφοι dicti Philoni, De creat. Princ., qui vel notis vel litteris singulis per compendia εἰς τάχος, *celeriter*, verba excipiebant et notabant; unde *notarii* dicti. De quibus vide Lipsii 1 centuriam epistolarum ad Belgas, epist. 27, ad Leonardum nostrum Lessium. Alii erant καλλιγράφοι, qui εἰς κάλλος, *ad elegantiam*,

ita celeriter excepta redigebant. De quibus vide supra, in ANTIQUARIUS. Utrorumque meminit Philostratus Apollonio, lib. I : Ἐξέλαυνε τῆς Ἀντιοχείας μετὰ δυοῖν θεράποιν, ὁ μὲν ἐς τάχος γράφων, ὁ δὲ ἐς κάλλος. « Ejecit ex Antiochia cum duobus servis, quorum alter notarius, alter antiquarius. » Eusebius, Historiæ Ecclesiasticæ lib. VI, cap. 21, de Origene : Ταχυγράφοι δὲ γὰρ αὐτῷ πλείους ἢ ἑπτὰ τὸν ἀριθμὸν παρῆσαν τῷ ὑπαγορεύοντι χρόνοις τεταγμένοις ἀλλήλους ἀμείβοντες· βιβλιογράφοι τε οὐχ ἧττους ἅμα καὶ κοραῖς ἐπὶ καλλιγραφεῖν ἠσκημέναις. « Plures quam septem notarii statis temporibus vices suas alternantes dictanti aderant ; nec pauciores librarii ac puellæ ad eleganter scribendum exercitati. » Idem habes apud Suidam. Hieronymus, De Scriptoribus Ecclesiasticis, c. 61, in Hippolyto : « Ambrosius cohortatus est Origenem in scripturas commentarios scribere, præbens ei septem et eo amplius notarios eorumque expensas, et librariorum parem numerum. »

Cum igitur Evagrius noster pretio scripserit, ut libros divenderet, videtur καλλιγράφος fuisse. Hinc librarii etiam bibliopolæ dicti. Interpres Horatii, in Arte, ex Suetonio Tranquillo : « *Scriptor, librarius, bibliopola.* »

Mirum, pueros etiam compendiarias illas notas didicisse, unde Athanasius puer notario et Grammatico traditus dicitur apud Moschum Prati spiritualis c. 197, quod etiam clarum ex Prudentii hymno 9 περὶ στεφάνων, in Cassiano.

PANIS. Palladius, cap. 2 : « Adeo ut sæpe panis quoque ex ejus ore excideret. » Græce hic est ψωμὸς, quod *frustum* significat; ideo verterat Hervetus : ut sæpe frustrum ex ejus ore excideret. » Sed posterioris ævi auctores Græci ψωμὸν peculiariter *panem* appellarunt, et ψωμὶν sive ψωμὶ ut in Glossario quoque Meursius admonet. Heraclides : « Panisque ex ipsius labiis oris cadebat. » Itemque alter interpres : « Ita ut frequenter panis caderet de ore ejus. » Sic infra, c. 5 : « cibum panis capio, » ἐσθίω μου τὸν ψωμόν. FRONTO.

PAPA. Vita Malchi *num.* 2 : « Ad papæ Evagrii, necessarii mei, possessionem devolutus est. » Ita Hieronymi tempore etiam episcopi olim vocati. De quo vide Franciscum Bernardinum Ferrarium, lib. III De eccles. epist. genere, cap. 1 ; Savaronem, ad Sidonii lib. I, epist. 6. Postea, Gregorii hujus nomine, Septimi tempore, collecta Romæ synodo, constitutum, ut papæ nomen uni Romano pontifici tribueretur. Vide Baronium, notatione ad diem 10 Januarii in Martyrologio.

De hac eadem re ita notat Jacobus Sirmondus noster, ad lib. IV, epist. 1, Ennodii : Papæ nomen uni Romano pontifici, tanquam proprium et peculiare, primus, ut videtur, asseruit Ennodius. Nam cum episcopos omnes papas cæteri fere, qui ejus ævo proximi fuerunt, appellare soleant, ut Sidonius, Faustus, Ruricius, ipse perpetuo discrimine antistites reliquarum ecclesiarum episcopos vocat. Papam solum Romanæ sedis pontificem sive cum illi scribit, ut, Symmacho papæ, et domino papæ ; sive cum de illo apud alios agit, ut lib. III, epist. 10 ; VI, epist. 33, et passim. Pari post Ennodium discrimine in ejus vocis usurpatione usus est Cassiodorus, qui cum Bonifacium, Agapetum, et Joannem Romanæ sedis pontifices papas nominet, Eustorgium et Datium Mediolanensis, et alios aliarum civitatum præsules, non aliter quam episcopos vocat. Neque omnes tamen hoc item exemplum secuti sunt, quin permulti diversarum gentium, præsertim extra Italiam scriptores, papæ nomen reliquis item episcopis tribuerint, usque ad tempora Gregorii VII, qui in synodo Romana primus, ut a Baronio cardinale observatum est, edixit, ut papæ nomen unius sit in orbe Christiano.

PARENS. Heraclides, cap. 50 : « Horum parens, Pammachius nomine, vir proconsularis, » id est frater vel cognatus. Capitolinus, in Antonino philosopho : « Omnibus parentibus suis tantam reverentiam quantam privatus exhibuit. » Idem, in Maximino juniore : « Cum grammatico daretur, quædam parens sua libros Homericos omnes purpureos dedit. » Lampridius Alexandro severo : « Amicos et parentes Alexander si malos reperit, aut punivit. » Hieron., Apolog. 2 adv. Ruff. : « Nisi forte parentes militari vulgarique sermone, cognatos et affines nominat. » Passim ea notione occurrit apud scriptores posterioris ævi, et aliquoties hic in Vitis Patrum.

PATRICIUS. Vita Joannis Eleemosynarii, cap. 11 : « Intuens Niceta patricius hujus viri virtutibus pleni magnanimitatem. » De dignitate et officio patriciorum, quantum hic requiritur, ita doctissimus Nicolaus Alemannus, libro De Lateranensibus Parietinis : Erant olim in republica Romana patricii, qui cum reliquo senatu æquo jure viverent. Constantini vero Magni lege, si qua Zozimo fides (*Zozim.*, *lib.* II *Hist.*), proximi majestati Cæsaris facti sunt, ac senatoribus præfectisque prætorio, gradu sententiaque in senatu dicenda prælati. Quæ hujus ordinis excellentia ad Justiniani usque dominationem (si Procopio credimus) ac diu post integra perduravit. A Justiniani ferme tempore (nisi fortasse prius, quod quidem modo non succurrit) dignitati addita est præfectura provinciarum. Qui eo tempore carerent munere provinciæ, ac in urbe et senatu præsentes adessent, præsentales patricii, ut est apud Cassiodorum, vocabantur (*Cassiod.*, *Var. lib.* VIII, *epist.*). Qui præfecturam gerebant, pro suarum quique provinciarum more ac lege nuncupari consueverant, proconsules Africæ, Italiæ exarchi, Siciliæ strategi, prætores Orientis, etc.

PAXIMATES seu PAXIMATIA seu PAXAMIDIA. Ruffinus, lib. I, num. 4 : « Vidit de sportella, ubi panes, id est, paximatia reposita erant, surrexisse fumum magnum. » Pelagius, libello IV, n. 25 : « Rapui unum panem paximatem, et manducavi eum occulte. » Quod hic, lib, IV, c. 47, in excerptis ex Cassiani collat. II, cap. 11 est : « Unum paximatem quotidie in sinu meo latenter absconderem. » Pelagius, libello X, n. 65 : « Ego biduo jejuno, et duos paximates

manduco. » Palladius, Hist. Lausiacæ c. 28 : « Imponit mensæ quatuor paxamidia sex unciarum. » Ruffinus, lib. III, num. 31 : « Tantum unum paximatium **1046** et quinque olivas in cibo capiebat. » Joannes, libello III, num. 2 : « Apposuit vero et mensam, innuente ei illo majore, et posuit super eam tres paximates. » In regula cœnobiali Patrum, c. 10, quem librum pœnitentiarum columbani quidam esse putant : « Si quis frater inobediens fuerit, duos dies uno paximate et aqua. Si quis dicit : Non faciam, tres dies uno paximatio et aqua. Si quis veniam non petit aut dicit excusationem, duos dies uno paximatio et aqua. » Suidas : Δίπυρος ἄρτος, ὁ παρὰ Ῥωμαίους λεγόμενος παξαμᾶς : « Biscoctus panis, qui apud Romanos dicitur paxamas. » Idem : Παξαμᾶς ὁ δίπυρος ἄρτος, ἔστι δὲ ἡ λέξις Ῥωμαϊκή. » Paxamas, panis biscoctus ; est autem vox Romana. » Per Romanos hic Lipsius, De militia Romana, lib. V, dial. 11, intelligit Græculos illos Romanos in imperio Byzantino, qui sic dixere.

Nicolaus Rigaltius, in Glossario suo Tactico mixobarbaro, non improbabiliter existimat a *Paxamo* cupediario ita dictum, de quo Suidas : Πάξαμος ἔγραψε Ὀψαρτυτικὰ κατὰ στοιχείων· Βιωτικὰ ἐν βιβλίοις β' : « Paxamus scripsit de arte culinaria, ordine alphabetico; et Bioticorum libros duos. »

Paximatiorum et alii varii meminere auctores. Leo imp., in Tacticis, cap. 10, § 13 : Ἀλλὰ καὶ δαπάνην (ἔχειν) ἢ παξαμαδίου, ἢ ἄλλου τινὸς εἴδους ἐλαφροῦ εἴκοσι ἢ καὶ τριάκοντα λίτρας : « Commeatus paxamadii aut pisti, aut alterius cujusquam expeditæ rei habeas viginti aut triginta libras. » Idem, cap. 12, § 123 : Χρὴ οὖν καὶ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ πολέμου ἕκαστον στρατιώτην ἐν ταῖς σέλλαις αὐτῶν ἐπιφέρεσθαι ὕδωρ εἰς τὰ λεγόμενα φλασκία, καὶ παξιμάδιν ἐν τῷ σελλοπουγγίῳ, καὶ ἀλεύρου μίαν ἢ δύο λίτρας : « Ipso belli die unusquisque miles gestet ad sellam suam secum aquam in phlasciis, et paxamadium in sellopungio, et farinæ unam atque alteram libram. » Idem, cap. 13, § 2 : Ἕκαστος στρατιώτης ἐν τῷ κινεῖν πρὸς παράταξιν σχῇ ἐν τῷ σελλοπουγγίῳ αὐτοῦ μίαν ἢ καὶ δύο λίτρας ἄρτου, ἢ ἀλεύρου, ἢ πίστου ἑψητοῦ, ἢ παξαμάδας, ἢ κρέας : « Quisque miles, quando ad dimicationem belli procedit, habeat in sellopungio suo unam aut duas libras panis, aut farinæ, aut pisti cocti, aut paxamadii, aut carnis. » Isidori Glossæ : « Paximatium, panis subcinericius. » Luitprandus, in Legation. : « Soli mensulæ assident nudæ, paximatium sibi apponentes. » Columbanus, de Regul. monach., cap. 5 : « Olera, legumina, farinæ aquis mistæ cum parvo pane paximate, ne venter oneretur, et mens suffocetur. »

Frustra est Goldastus, qui in lege Alemannorum, tit. 22, § 1, *panem, modia duo*, corrigit, *paximadia duo*. Nimia hæc crisis, etiam legibus vim inferens. Rursus frustra est, dum *paximadia* vult dicta *panes purpureos*, quod ab igne rubeant. Joannes Moschus, Prati spirit. cap. 7, de Macno sene : « Neque vinum bibens, neque panem comedens, nisi purpureum. »

A Talis, inquit, *rubidus panis* Planto. Frustra, inquam, est Goldastus, cum vera lectio sit *furfureum*, uti habet prima Editio. Nec singulare aliquid in Macno abstinentiæ exemplum notaretur, si *paximadiis* vesceretur : plerorumque monachorum in Ægypto is cibus fuit. Sed *furfureo pane* vesci, hoc in Macno eximium. *Rubidum* quoque panem apud Plautum, Casina, act. 2, scen. 5. Festus interpretatur *parum coctum*, quod non quadrat in paximatia, licet Isidorus, lib. XX Orig., cap. 2 *recoctum* interpretetur. Plautus, in Menæchmis, act. 5, scen. 5, ridicule usurpat *panem puniceum et purpureum*.

Paximates hi panes, dicti etiam *panes sicci*. Ruffinus, lib. II, cap. 7, in Vita Apollonii : « Erant autem eis pauci tantummodo et sicci panes. Palladius, cap. B 52, qui eum Apollonem vocat : « Erant autem aliquot sicci panes, et quædam olera reposita. » Ruffinus, lib. III, n. 19 : « Nihil in ea vidit, nisi paucos panes siccos in sporta pendentes. » Pelagius, libell. X, n. 97 : « Et apposuit eis panem siccum, et aquam, et sal, dicens : Ecce propter vos festivitatem habemus hodie, et misit parum aceti in salibus istis. » Joannes, libell. III, n. 2 : « Dedit eis securim, et sportam plenam panibus siccis, et sal. » Ita quidam libri ibi *siccis* addunt. Hesychius : Δίπυροι ἄρτοι, οἱ ἐκ δευτέρου ὀπτωμένοι : *Dipyri panes, secundo cocti.*

Nempe siccitas ex recoctione, unde supra δίπυρος ἄρτος dictus ; quæ siccitas et recoctio ad diuturnitatem faciebant ; quo respicitur in Vita sancti Antonii c. 11 : « Panes mensium sex, ut Thebæis mos est, C secum recondens ; nam crebro per annum incorrupti durare solent. » Vide supra BUCCELLATUM.

Et quia panes hi sicci erant (puto etiam duriores) comesturi eos aqua macerabant et madefaciebant, quod in his Vitis sæpius dicitur *infundere panes*. Palladius, cap. 28 : « Et imponit mensæ quatuor paxamidia sex unciarum ; et sibi quidem unum madefecit, erant enim sicci, illi autem tres. » Ruffinus, lib. II, num. 4 : « Et cum advenisset hora sexta, infundebat panem in aqua, dicens : « Dum hic panis infunditur, oportet me etiam horam nonam exspectare. » Ibidem : « Cumque advenisset hora sexta, infundebat panem in aquam. » Quod in Pelagio, libello IV, num. 58, dicitur : « Infudit panem, et sedit ut manducaret. » Item Ruffinus, lib. III, num. 19 : « Et misit aquam et D sal, et misit buccellas (paximatii videlicet, vel ipsum paximatium), et comederunt pariter. » Quod in Pelagio, libello XV, num. 66, est : « Et infudit ei panes, et misit ei oleum et sal. »

PECCATOR. Vita Pauli primi eremitæ, num. 18 : « Obsecro, quicunque hæc legis, ut Hieronymi peccatoris memineris. » Anastasius Bibliothecarius, in præfatione Vitæ sancti Joannis Eleemosynarii : « Suscipe ergo sanctum a peccatore interpretatum. » Ita sæpe viri sancti ex humilitate litteris suis superscribere et subscribere soliti. Lisiardus, episcopus Suessionensis, in Vita sancti Arnulphi, cap. 50, Augusti 15, dicit Arnulphus de se : « Hujus peccatoris Arnulphi corpus terræ reddatur. » Desiderius Cadur-

cenæ civitatis episcopus epist. ad Grimoaldum palatii rectorem : « Domino illustri Grimoaldo Majori domus Desiderius peccator. » Idem ad Medoaldum Trevericæ urbis episcopum : « Domino semper suo Medoaldo papæ Desiderius peccator. » Et ad Codulphum : « Domino illustri Codulpho Desiderius peccator. » Vide plura exempla apud Franciscum Bernardinum Ferrarium, De ecclesiasticarum epistolarum genere, lib. III, cap. 1.

PEDIBUS ADVOLVI. Palladius, cap. 15 : « Nobis tuos pedes attingentibus. » Aberrarat hic ab auctoris mente interpres Hervetus, ita vertens : « Quomodo fieri potest ut ex tuis pedibus hi sunt æquales? » Non animadvertit, illud τῶν ποδῶν σου ἁπτόμεθα, *pedes tuos attingimus*, speciem præ se ferre obsecrationis vel obtestationis. Veteres enim cum supplices accedebant, genibus ac pedibus advolvebantur. Homerus, I Iliad. : καὶ λάβε γούνων. Xenophon, VII de Cyri institutione : Κύρου κατεφίλουν καὶ χεῖρας καὶ πόδας. Dionysius Halicarnas., lib. VI De Legatis Latinorum : Καὶ τῶν γονάτων ἁπτόμενοι πάσης τῆς γερουσίας, καὶ τὰς ἱκετηρίας παρὰ τοῖς ποσὶ τοῦ Ποστουμίου τιθέντες. « Totique senatui ad genua procidebant,
1047 positis ad Posthumii pedes supplicum insignibus. » Tertullianus, De pœnitentia cap. 9 : Presbyteris advolvi, charis Dei adgeniculari. » Dionysius, epist. ad Demophilum : Σὺ δὲ τὸν προσπεσόντα ἱερεῖ παρὼν ἀπελάκτισας : « Tu vero eum qui se ad sacerdotis genua abjecisset, calce detrusisti. » FRONTO.

PEDULIS. Vita Christiani monachi, prolegomeno 22, § 5 : « Inveni unum pedulem, et in eo magnam massam denariorum. » Gregorius Turonensis, in Vitis Patrum, in Nicetio Lugdunensi episcopo : « Namque ubi deciso cucullo, aptatis pedulibus (ita Ms. pro pedulis) pedes operuit, extemplo arreptus a dæmone ruit in pavimentum. « Guigo, quintus prior primæ Carthusiæ, in Vita Hugonis Carthusiani Gratianopolitani episcopi, narrat quomodo Hugo Odelricum Diensem episcopum, habitu Carthusiano induens, « id etiam mandare curavit, ut de caligis pedules absciuderet, quatenus præter pedes totus jaceret vestitus. Dolebat enim nonnullos in religioso habitu, ad sanctitatis injuriam, tibiis dormire nudatis. » Interpres Juvenalis, sat. 1 : « Pedules novos in braccis. Quos pedornes dicunt. » Glossæ Isidori : « Pedana, pedulis novus, qui caligæ assuitur. » Glossæ Benedicti : Πεδούλια, ποδῶν καλύμματα, τινὲς δὲ ἀρτάρια ἡρμήνευσαν. » Pedulia, pedum integumenta, quidam artaria interpretantur. »

PERIODEUTES. Circitor, lustrator, visitator. Heraclides, cap. 25 : « Evagrius filius presbyteri multarum ecclesiarum curam gerentis, quos Periodeutas vocant. » Clare hic Periodeutæ officium exprimitur, quod nomen in Codino non comparet. Apud Gennadium, in Encyclio hic ordo statuitur : « Episcopus, chorepiscopus, periodeutes, presbyter, diaconus. » Vide Meursium, in Glossario Græcobarbaro. Videntur nunc quos vocamus *decanos rurales*, simili officio fungi. Gretzerus noster ad Codinum suggerit, an sit idem qui Typico Sabæ ἐξυπνιάστης, *Excitator* dicitur, cujus erat in vigiliis et ἀγρυπνίαις circuire et somnolentos excitare. Non videtur. Clare Heraclidis interpres rem explicat.

PHOLES. Moschus, Prato spirituali, cap. 134 : « Accipiebatque quotidianum stipendium novem minuta. » Græce est, ἐλάμβανεν ἡμερούσιον φόλεις πέντε. Epiphanius, de ponderibus et mensuris : Φόλις ὁ καὶ ταλάντιον καλεῖται, διπλοῦν δέ ἐστιν, ὑπὸ δύο ἀργύρων συγκείμενον οἳ γίνονται ση' δηνάρια. Καὶ φόλη δύο λεπτοὶ κατὰ τὸν δηναρισμόν, ἀλλ' οὐ κατὰ τὸν ἀργυρισμόν. « Follis sive talentum parvum ex duobus argenteis constat, hoc est denariis 208. Item follis si ad denarios non ad argenteos redigatur, duo minuta continet. » Suidas : Φόλλις φόλλεως, ὁ ὀβολός· πληθυντικῶς, τοὺς φόλλεις. « Phollis obolus, pluraliter pholles. » Marcellinus Comes, in Chronico : « Nummis, quos Romani terunlianos, Græci follerales vocant, Anastasius suo nomine figuratis placabilem plebi commutationem distraxit. »

PHRANGELITÆ. Moschus, cap. 49, *qui assistebant lictores*. Græce est, καὶ τοῖς παρεστῶσι φραγγελίταις. Nempe lictores ita dicti, quod φραγγέλλια, id est *flagella*, gestarent. Notum φραγγέλιον, cap. II Evangelii sancti Joannis : Καὶ ποιήσας φραγγέλιον ἐκ σχοινίων : *Et faciens flagellum ex funiculis*. Inde φραγγελίτας, *lictor*. Georgius Alexandrinus, in Vita Chrysostomi : Ἀνελθὼν ἐν τῷ ἐπισκοπείῳ κελεύει ἀσφαλισθῆναι τὰς θύρας αὐτοῦ καὶ τηρηθῆναι ταύτας ὑπὸ τῶν ὑπηρετῶν καὶ φραγγελιτῶν τῆς ἐκκλησίας.

PITTACIUM. Vita Joannis Eleemosynarii, cap. 10 : « Proferens de honoranda manu sua ille sanctus pittacium. » Et cap. 51 : « Neque ullo modo inveni tur a quolibet pittacium hoc aliquando. » Quod eodem capite aliquoties repetitur. Alii scribunt *pyctacium*. Zacharias papa Bonifacio epist. 142, inter Bonifacianas : « Continebant enim capitula in pyctacio ab eis porrecto. » Ubi Serarius noster : Recte vero tam πυκτάκιον quam πιττάκιον scribitur, estque proprie panni frustulum, et per similitudinem, indiculum al quod membranaceum, aut chartaceum. Sed illud a complicando ducitur, hoc vero etiamnum apud Hispanos et Aquitanos, exigua cum inflexione usitatum, *pedaco* et *pedas*, apud Gallos *une pièce*.

Hadrianus Junius, in Nomenclatura existimat *pittacium* detortum forte a *pettucio*, quo corii præsegmina exiliora denotant Dores.

Moschopulus, Περὶ σχεδῶν : Πεττύκια Δωριεῖ λεπτὰ περιτμήματα τῶν δερματίων, ἀφ' οὗ ἡμεῖς πιττάκια λέγομεν : « Pettycia Dorice dicuntur tenuia coriorum præsegmina, unde nos pittacia dicimus. »

Casaubonus, ad Alexandrum Severum Lampridii, vult πιττάκιον dictum ἀπὸ τῆς πίττας. Sunt enim, inquit, pice vel maltha illitæ breves tabellæ, in quibus elogia scribebantur, et id genus alia, quæ paucis verbis possunt comprehendi.

Abiit postea *pittacium* seu *pettycium* in *pelia*, quo posterius ævum utitur. Henricus Rebdorffensis, in

Annalibus, anno 1361 : « Item clavus cum aliquali A petia ligni sanctæ crucis. Item petia brachii sanctæ Annæ. Item petia chordæ, qua Christus fuit ad columnam ligatus. » Utitur et Theodoricus de Appoldia præfatione ante Vitam sancti Dominici, 5 Aug.

Plumatium. Pelagius, libello vii, n. 10 : « Et traxit unum corpus sub caput suum tanquam plumatium de scirpo. » Glossæ Græcolatinæ πλουμάκιον, πλουμίον, *plumacium*. Anastasius in Sergio : « In quo interius plumatium ex holoserico superpositum, quod stauracis dicitur, invenit. » Godfridus Viterbiensis Chron. parte ix :

> Ultimus Assyriæ rex nomine Sardanapala
> Fecerat ex pluma plumatia clausus in aula.

Papias : « Plumacium, pulvinar a pluma dicitur. » Glossarium Camberonense Ms. « Pulvinar, capitale B plumatum. »

Pœmenium. Palladius, cap. 77 : « Vixi cum eo anno uno in Bethleem, quando sedit ultra Pœmenium. » Συνέζησα γὰρ ἐγὼ τούτῳ ἐπὶ ἔτος ἓν ἐν Βηθλεέμ, ἡνίκα ἐκαθέζετο ἐπέκεινα τῶν Ποιμενίου. Meursius hic notat : Intelligit monasterium abbatis Pœmenis, cujus meminit Joannes Moschus Limonarii cap. 167. Ita ille. Ut video, etiam viris alias diligentissimis error latus obrepit. Pœmen Palladii aliquot sæculis distat a Pœmene Moschi. Hic Moschi solitarius fuit, alter ille Palladii, abbas. Et quidem de neutro hic agitur, sed *Pœmenium* hic est locus apud Bethleem a pastoribus ita dictus, ubi apparuerunt eis angeli, qui non procul a Bethleem distabat, ut hic apparet, et testatur Hieronymus epistola 27, ad Eustochium : C « Haud procul inde Bethleem, descendit ad turrem Ader, id est, gregis; juxta quam Jacob pavit greges suos (*Gen.* xxxvii), et pastores nocte vigilantes audire meruerunt : Gloria in excelsis Deo » (*Lucæ* ii), etc. Distat hæc turris mille passibus a Bethleem, ubi templum erectum est ab Helena, uti testatur Nicephorus, lib. viii, cap. 30. Epiphanius Monachus, in Itinerario Jerosolymitano : « Ad Orientem Bethleem est conditum monasterium, quod dicitur Ovile, ubi visus est angelus pastoribus, dixitque ipsis : Cessate a gregibus custodiendis. Clamate celebrantes. » Vix dubito, quin in Græco fuerit Ποιμένιον, id est, *ovile*.

Pollutio nocturna. Palladius, cap. 22, de 1048 Moyse, qui latro fuerat, turpibus somniis vexato, qui ob eam causam sacramentis abstinebat, cum D eum Isidorus presbyter ab iis liberasset, ait ei : « Bono deinceps et fidenti animo communica sacramentis. » Unde apparet olim ex religioso animo plerosque communione abstinuisse cum turpia somnia et pollutio nocturna iis de nocte obtigissent. Vide Cassianum accurate in nocturnam illusionem inquirentem, collat. xxii, capite 4, 5, 6. Dubius etiam in hac re hæsit Augustinus Anglorum apostolus, qui Gregorium papam ideo consuluit apud Gratianum, dist. 6, cap. *Testamentum*. Inter Scholasticos consule principem Scholasticorum divum Thomam Aquinatem, iii parte, 80, art. 7.

Posca. Heraclides, capite 25 : « Olera tantum et poscam, et lenticulam per solum biennium gustans. » Ubi Hervetus novitius Palladii interpres pro *poscam* posuit *ptisanam*. Etiam vetus Palladii interpres *ptisanas* habet. In Græco est ὀξύκρατον. Post, apud Heraclidem, c. 42 : « Per reliquum ævi sui tempus posca et sicco pane contenta vivebat. » Ubi Hervetus in Palladio suo pro *posca* retinuit *oxycrato* ex Græco. Certe vetus Lexicon Græcolatinum habet Ὀξύκρατον, *posca*. Plinius quoque, lib. xxvii, cap 4, vertit : « Radix decoquitur in posca dolori dentium, » quod Dioscoridi lib. ii, capite 129, de ononide, seu anonide est : Ἀφεψηθεῖσα δὲ ἡ ῥίζα ἐν ὀξυκράτῳ, καὶ διακλυζομένη, πόνον ὀδόντων πραΰνει. Idem Plinius, lib. xx, cap. 4 poscæ meminit ; « Sativi raphani in posca decocti, contra serpentium morsus illinuntur. » Item, lib. xxii, capite 25 : « Ad jocineris dolores eam (farinam hordei) cum posca concoqui opus est, aut cum vino. » Et nomen hoc aliquoties eodem capite repetit. Idem, libro xxx, cap. 7 : « Tormina sanat palumbus ferus, ex posca decoctus. » Suetonius Vitellio, capite xii : « Cum Puteolis poscam vendentem deprehendisset. » Spartianus, in Hadriano : « Cibis etiam castrensibus in propatulo libenter utens, hoc est, larido, caseo, et posca, exemplo Scipionis Æmiliani, et Metelli, et auctoris sui Trajani. » Cornelius Celsus, libro iii : « Dari potest intrita, vel ex aqua calida, vel ex posca. » Alexander Trallianus, libro xi : Πάρεχε δὲ αὐτῷ πρὸ ἡμέρας εὐπέπτῳ ὄντι, ἢ εἰς ῥοσάτον, ἢ εἰς φοῦσκαν : « Pridie bene excoctum impone rosato vel poscæ. »

Confundunt plerique grammatici et Lexicographi recentiores *poscam*, cum *lora* vel zytho, quos redarguit Brodæus, libro iv, Miscellan., cap. ii. In eadem opinione fuit etiam auctor Glossarii Camberonensis manuscripti, dum ait : « Pusca, vinum secundum. » Vinum autem secundum, seu secundarium, nihil aliud est quam lora. Quid vinum secundum sit explicat idem Glossarium : « Acini dicuntur projectæ uvarum reliquiæ, et ideo corripit penultimam. Quoniam non de nomine, sed de verbo derivatur hoc nomen ; hic acinus, hujus acini. Acinum vero neutraliter dicitur, qua lavantur uvæ post expressum vinum ; acinum dictum, quasi aquidum , vocaturque vinum secundum, et est potus servorum.

Quid posca seu φοῦσκα sit, explicat Phæmon Cynosophii cap. 7 : Φοῦσκα δέ ἐστιν ὄξος, καὶ ὕδωρ θερμὸν, καὶ ὠὰ δύο : « Est phusca seu posca, acetum et aqua calida, et ova duo. » Ita quidem ille poscam aptat pro remedio canis, qui incaluit. Alias posca simpliciter est potio ex aquæ acetique mixtura temperata, quæ militibus in usu, quæ sæpe solius aceti nomine exprimitur. Plautus, Rudente : « Sed hic rex cum aceto pransurus est et sale. » Spartianus, in Pescennio : Jussit vinum in expeditione neminem bibere, sed aceto universos esse contentos. » Vulcatius, in Avidio : « Præter laridum, et buccellatum, et acetum. »

Aliud opinor φοῦσκα Moschopulo : Φύσκη, ἡ κοινῶς φοῦσκα : *Physca, vulgariter phusca*. An intelligit quod

Hesychio, φύσκα, κοιλία, καὶ τὸ παχὺ ἔντερον: « physca, ventriculus et crassius intestinum, » vel quod Coronæ pretiosæ, φοῦσκα, *vesica*, κίστη?

Postliminium. Vita Malchi, *num.* 4 : « Ego enim longo postliminio hæreditarius possessor. » Vox ea Hieronymo sæpius usurpata. Idem, epist. 12, ad Gaudentium : « Et post neces amicorum, luctumque perpetuum, infanti senex, longo postliminio scriberem. » Idem, præfat. comment. in Jonam : « Igitur tanto post tempore, quasi quodam postliminio a Jona interpretandi initium sumens. » Idem, in prologo Josue : « Et omissum jam diu opus quasi quodam postliminio repetere. » Occurrit frequenter apud Jurisconsultos : Vide Lexicon Brissonii. Cic., pro Cornelio Balbo : Quid si civi Romano licet esse Gaditanum, sive exsilio, sive postliminio, sive rejectione hujus civitatis. Prudentius, in Hamartigenia :

Tunc postliminio redeuntem suscipit alto
Cana fides gremio.

Lactantius, lib. IV, cap. 22 : Si quis ab inferis rediens postliminio vitam recepisset.

Præfectiani. Vetus Palladii Lausiaca, cap. 15, de Evagrio : « Adfuit ei angelica visitatio in schemate præfectiani. » Palladius Herveti, cap. 25 : « Adstitit ei visio angelica præ se ferens speciem militum præfecti. » Græce est, Ἐπέστη αὐτῷ ἀγγελικὴ ὀπτασία ἐν σχήματι στρατιώτου τοῦ ἐπάρχου. Novella 124, 17 : Ἐν τάξει τῶν ἐνδοξοτάτων ἐπάρχων ἀναφερόμενοι. « Apparitores magnificentissimi et gloriosissimi præfecti prætorio. » Concil. Chalced., act. 1.

Præfectus. ἔπαρχος. Diversus hic a *præside*. Sæpe tamen interpretes ἔπαρχον non rite *præsidem* vertunt. Palladius, cap, 3. « Eam traderet præfecto Alexandrino. » in Græco, ἐπάρχῳ. Hervetus *præsidi* verterat, et sic ferme semper. Alexandriæ autem et Ægypto, non præses, sed præfectus præsidebat. Sæpius quoque in his libris occurrit ἀπ' ἐπάρχου, *expræfectus*. Quod hic et alibi non rite versum. Vide Frontonem nostrum, ad Chrysostomum.

Præpositus sacri cubiculi. Palladius, de Lauso, in præfatione Lausiacæ historiæ : « Ad Lausum præpositum. » Cujus rei præpositus fuerit, declarat ipse in epilogo libri, ubi eum vocat πραιπόσιτον τοῦ εὐσεβεστάτου κοιτῶνος, *præpositum sacri cubiculi*. Occurrit officium hoc in novellis 22, 3, 4 : ὁ τῶν βασιλικῶν κοιτόνων προεστώς. Et apud Zosimum. Notitia Orientis : « Sub dispositione viri illustris præpositi sacri cubiculi domus divina per Cappadociam. »

Proastion. Προάστειον, *suburbanum* seu *prourbium*. Vita Basilii, cap. 2 : « Invenit (eum) in proastio cum philosophis. » Ruffinus, lib. III, n. 19 : « Prope proastium qui vocatur in Septimo. » Quod in eadem re apud Pelagium, libello XV, n. 66, *suburbanum* dicitur. Paulus Diaconus, de gest. Langob., lib. VI, c. 58 : « Rex Luitprandus in Olonna nihilo minus suo proastio, miro opere in honorem sancti Anastasii martyris Christo domicilium statuit. » Quo loco hallucinatus est Bonau. Vulcanius, qui quia *vrohastio* in libro suo invenit, existimavit dignitatis nomen esse, ab *hasta* derivatum, quasi qui hastam seu contum regium ferret; sed imposuit illi librariorum sequioris ævi mos, qui pleraque aspirabant. Epistola Justiniani imp. ad Placidium : « Cum portubus, aquis, aquarumve decursibus, silvis, proastiis. » Germanus, in Sancitis : κἂν προάστειον ἢ μοναστήριον.

1049 Protocomites. Πρωτοκωμίτης, *primus* seu *princeps pagi*. Palladius, Lausiacæ historiæ cap. 64, in Paphnutio : Καὶ πάλιν φωνή τις γέγονε πρὸς αὐτὸν θεία λέγουσα· Ἔοικας τῷ τῆς πλησίον κώμης πρωτοκωμίτῃ. Quæ ita vertit Hervetus : « Et rursus vox divina ad eum facta est : Es similis vicini pagi protocomiti. » Recte Ruffinus, lib. II, cap. 16, πρωτοκωμίτην vertit *primarium vici*. Alius, *protocomes*, πρωτοκόμης, *primus*, seu *princeps comitum*, quæ dignitas erat comitiva in palatio, exercitu, provinciis. Vide Jurisconsultorum Lexica.

Psiathus, Psiathius vel Psiathium. Sæpius occurrit in Vitis Patrum. Vita Pachomii, capite 43 : Ac ne otiosus essem, psiathos elegi cum fratribus texere. » Cap. 47 ; « Venit ad fratres, qui psiathos operabantur. » Cap. 52 : « Semper autem psiathios operabantur. » Vita Abraham eremitæ, capite 5 : « Nec non et unum psiathium, in quo cubitare solebat. » Et cap. 14 : « Psiathium suum, super quod subsistebat, cœpit vehemens flamma comburere. » Vita Joannis Eleemosynarii cap. 20 : « Quanti sunt modo qui psiathum habentes subtus dimidium, et supra dimidium, non possunt extendere pedes suos. » Vita Euphrosynæ, cap. 16 : « In eadem cella demoratus est, in eodem psiathio dormiens in quo Euphrosyna. » Vita Mariæ neptis Abrahæ, cap. 8 : « Quinquaginta annos conversationis tuæ, super psiathium cubitaveras. »

Frequens hæc vox in supellectile antiquorum monachorum. Psiathium Græcis teges sive storea ex junco aut papyro confecta. Ea pro lecto et stragulo utebantur monachi Ægyptii. Glossarium : *Teges*, Ψιάθιον. Vide Cassian., lib. IV Instit., capite 13, et collat. I, capite 23. Hesychius : Ψιάθια τὰ ἐν τοῖς δικαστηρίοις ἐπὶ τῶν καθεδρῶν ἐπιστορνύμενα : « Psiathia, quæ in judiciorum loco cathedris insternuntur. » Idem : Ψίαθος, ἡ χαμεύνη, καὶ τὸ φυτὸν, ἐξ οὗ πλέκεται ψίαθος : « Psiathus, lectus humi stratus, et frutex, ex quo plectitur psiathus. » Vide eumdem in Κάννα, et Κάναθρα.

Ptisana. Palladius, Lausiaca ex veteri interpretatione, cap. 15 : « Propter infirmitatem stomachi coctum cibum accipere compulsus est. Panem quidem jam non contigit; olera vero et ptisanas, ac legumen usque ad duos annos accipiens, ita defunctus est. » Quo loco Heraclidis interpres, c. 25 : « Cum necesse esset corpori ejus propter stomachi infirmitatem, ut coctum sumeret cibum, panem quidem attigit nunquam, olera tantum et poscam, et lenticulam per solum biennium gustans. » Palladius, ex interpretatione Herveti, cap. 86 : « Cum caro, propter imbecillitatem corporis et stomachi, opus haberet u*

aliquid sumeret quod per ignem transiisset, panem A quidem tetigit, nequaquam autem sumpsit cocta olera, sed vel ptisanam, vel legumina duos annos. » Qui locus si cum interpretatione priorum conferatur, legendum videtur, « panem quidem tetigit nequaquam, sumpsit autem cocta olera, vel ptisanam, vel legumina duos annos. » Omnino nugatur hic Goldastus scribens ad regulam sancti Columbani, legensque *pisanas* pro *ptisanas* : « Pisana, inquit, pulmentarium ex ipsis confectum. » Carere poteramus hac crisi contra consensum omnium interpetum, qui in Græco vel *πτισάνην* invenere, et in Latino textu retinuere, vel per *poscam* idem voluere exprimere.

Ptochium. Vita Euphrosinæ, cap. 7 : « Ecce ptochia, hierocomia, xenodochia, monasteria. » Pleræque Editiones, pro *ptochia*, habent *tapetia*, nullo B sensu. Ptochiorum frequens apud veteres mentio. Canon 10 concilii Chalcedonensis, œcumenici v : Ἤτοι τῶν ὑπ' αὐτὴν μαρτυρίων ἢ πτωχείων, ἢ ξενοδοχείων : « Vel eorum quæ sub ea sunt martyriorum, vel ptochiorum, vel xenodochiorum, et can. 8 : Οἱ κληρικοὶ τῶν πτωχείων, καὶ μοναστηρίων καὶ μαρτυρίων: Clerici ptochiorum, monasteriorum et martyriorum.» Vox Græca etiam Latinis usitata. Testamentum sancti Remigii : « Sicut disposuero in ptochiis, cœnobiis, martyriis, diaconiis, xenodochiis, omnibusque matriculis sub tua ditione degentibus. » Capitularia, lib. vii, tit. 2 : « Clerici qui præficiuntur in ptochiis, vel qui ordinantur in monasteriis, vel basilicis martyrum, » quæ desumpta sunt ex can. 8 concilii Chalcedonensis jam citato. Plura de ptochiis et ptocho- C trophiis in Juris Lexicis.

Racana seu Rachana. Vita Joannis Eleemosynarii, cap. 20 : « Cum storeis et rachanis. » Unde *rachanellæ*, cap. 20 : « Venundabantur enim quatuor rachanellæ numismate uno. » Ennodius, lib. ix, epistola 17, ad Apodemiam : « Lænam et racanas, cujus vos volueritis coloris, rubei, aut fusci, mihi sub celeritate dirigite. » Jacobus Sirmondus noster ibi notat : Racanæ quod genus vestimenti fuerit, non liquet ; ad calceamenta referendæ videntur, ut et ragæ et tzangæ. L. iii Cod. Theod. De habitu quo uti oporteat intra urbem : « Intra urbem Romam nemo vel ragis vel tzancis utatur. » Ita ille. Dubito an hæ *ragæ* ad *racanas* spectant. Potius existimem *racana* detortum a Græco ῥάκη, quod vile vestimentum, ut etiam D hic, de racana intelligitur. Nam jungitur apud Ennodium cum læna, quæ abjecta vestis. Corrupto Ennodio usus est Claudius Salmasius, dum ad Vopisci Firmum Tyrannum citat *lanæ racanas*. Hesychius : Ῥάκη, ἀποσχορακίσματα, καὶ ἀποσπάσματα, ἱμάτια : « Præsegmina, divulsiones, vestes. » Idem : Ῥάκκος, διεῤῥωγὸς ἱμάτιον : *lacerum vestimentum*. Idem : Ῥάχη, ἀπορραχίσματα καὶ ἀποσπάσματα : *rupturæ et divulsiones*. Hinc igitur nunc *racana* nunc *rachana* scribunt.

Apud Nicetam Choniatem, lib. ii De rebus gestis Alexii Angeli, ῥακενδύτης, cui Glossa Ms. ascribit μοναχός. Sic apud eumdem, libro De rebus post expugnatam urbem gestis : ῥακίοις ἐσπειραμένοι, *pannis involuti*. Et apud eumdem, lib. iii De Isaaci Angeli imperio, ῥακενδύτης exponitur a Glossatore ῥασοφόρων, *rasam ferens*, de qua vide in Schema.

Raphanelæum. Pelagius, lib. v De Vitis Patrum, libello iv, n. 59 : « Vasculum, in quo erat raphanelæum. » Editiones vulgatæ cum addito legunt : *raphanelæum, id est lini oleum*. Parisiensis Editio, omisso verbo *raphanelæum* substituit, *oleum de semine lini expressum*. Raphanelæum quid sit, describit Plinius lib. xix, cap. 5, agens de raphano : « Ægypto mire celebratur, propter olei fertilitatem, quod e semine ejus faciunt. Hoc maxime cupiunt serere, si liceat ; quoniam et quæstus plusquam ex frumento, et minus tributi est, nullumque copiosius oleum. »

Regia, absolute positum portam primariam significat. Vita Mariæ Ægyptiacæ, cap. 5 : « Regia autem monasterii nunquam aperiebatur. » Sic apud Ennodium, epigrammate 17, inscriptio est : « Super regiam triclinii in domo, » quæ Heliconem montem cum aquis suis præferebat. Gregorius Turonensis, libro iv, cap. 13 : « Dum deambulabant per ecclesiam ad regias ædis sacræ, quæ tunc reseratæ fuerant, appropinquant. » Anastasius Bibliothecarius in Honorio : Investivit regias in ingressu ecclesiæ majoris quæ appellantur medianæ, ex argento. » Item in Conone : **1050** Qui missi fuerant de exercitu ad custodiendas regias basilicæ, clausas observabant. »

Regula. Regulam ab Angelo accepit Pachomius. Vitæ ejus, cap. 12 : « Quam regulam Tabennenses hodieque custodiunt. » Quare labitur Joannes Meursius in Glossario suo Græcobarbaro, dum verbo Μοναχὸς existimat sanctum Benedictum regulam monachis primum præscripsisse. Vel ipse Benedictus regulæ suæ cap. 73 priorem sancti Basilii regulam agnoscit : « Collationes Patrum, et instituta, et vita eorum, sed et regula sancti Patris nostri Basilii, quid aliud sunt, nisi bene viventium et obedientium monachorum instrumenta virtutum. » Et jam ante Pachomius ab angelo regulam acceperat. Quare quod Hildegardis dicit de Benedicto primo regularum auctore, intellige de Italia, quam ipse primus sua Regula maxime illustravit.

Rescella. Pelagius, lib. v De Vitis Patrum, libello x, n. 18 : « Dedit ei aurum, et nummos, et rescellas, et omne quod in responso suo habebat. » Et n. 76 : « Vestes meæ inæstimabili pretio dignæ erant, et pro his utor has viles rescellas. » Videntur rescellæ hic capi pro vili vestimento. Sic apud eumdem Pelagium, libello xiii, n. 1 : « Vestivit se rescellas suas, quas prius habuerat. » Glossarium Camberonense Ms. « Recella, diminuitur a recula, recula autem a re. » Charisius Sosipater, lib. i Grammaticæ, a *res* deducit *reculam*, ut a *spes specula*. Ita et Priscianus, super duodecim versus Æn., in illud lib. iii Æneid. « *Postquam res Asiæ*. Ibidem, in Glossario Camberon. : Rescellæ, genus indumenti ; id est, pelles. » Apuleius, lib. iv Metam. : « Quid paupertinas pannosasque resculas miserrimæ anus donas vicinis divitibus. » Ergo

a *res* primum *rescula*, inde *rescella*. Liceat hic conjecturam meam proponere de loco apud Apuleium, lib. III Metamorph., deposito : « Specta denique quam parvis quamque futilibus tanta res procuretur. Hercules anethi modicum cum foliis lauri immissum, rore fontano datur lavacrum, et poculum. » Beroaldus ait olim fuisse *Herculis*, et ipse reformat *Hercules*, ut sit asseveratio per Herculem, quale est illud *mehercules*, *mediusfidius*. Lipsius, lib. II ep. qq., ep. 22, ait dormivisse magnum interpretem .(Beroaldum). Vetus lectio *Herculis*. Legit ipse : « Tanta res procuretur herbulis. Anethi, » etc. Ita ille. Scio equidem multum herbarum usum fuisse in re magica, unde apud eumdem, Apol. 1, *radiculæ*, *herbæ*, *surculi*. Et lib. II Metam., *surculis et lapillis et id genus frivolis inhalatis*. E quibus videri quoque possit legendum *surculis* pro *herculis*. Malim tamen legere reculis : 1° Quia soliti olim scribere *h eculis ut Hrenus*, *Ludovicus* in Ms. vetustissimo, unde transpositione fecere *herculis*. 2° *Reculæ* sequentia omnia comprehendunt, *anethum*, *laurum*, *rorem fontanum;* non ita *herbulæ*, quæ in nullum istorum quadrant, si *anethum* de semine capias. 3° *Reculæ* hic quod libro II apud eumdem *frivola*. 4° *Reculas* usurpat idem auctor lib. IV Metamorph. jam citato.

Dicebatur, et *Reicula*. Capitularium, lib. VII, tit. 192 : « Qui reiculam ecclesiæ petunt a regibus et horrendæ cupiditatis impulsu egentium substantiam rapiunt. » Chronicon sancti Galli, De gestis Caroli Magni : « Quod reiculæ sancti Galli non ex regalibus donariis, sed ex privatorum traditiunculis collectæ. »

C An REICULÆ hæ Ecclesiarum sunt illa ipsa, quæ Græcis dicebantur πτωχικά? Balsamon, ad Can. Apost. 59 : Ὁ ἐπίσκοπος ὀφείλει μετὰ τὴν ἀναγκαίαν αὐτοῦ δαπάνην, καὶ τὴν τῆς ἐκκλησίας καὶ τῶν κληρικῶν συνήθη οἰκονομίαν, τὰ περιττεύοντα ἐκ τῶν εἰσόδων τῆς ἐκκλησίας διαδιδόναι πρὸς πένητας· πτωχικὰ γὰρ καλοῦνται : « Episcopus post necessarios sibi sumptus, et ecclesiæ ac clericorum consuetam dispensationem, superflua ex ecclesiasticis reditibus debet distribuere pauperibus. Nam πτωχικά, id est, pauperum bona vocantur. » Et in eumdem canonem Zonaras : Τὰ τῶν ἐκκλησιῶν πράγματα ἡ γραφὴ πτωχικὰ ὀνομάζει, καὶ δεῖ ταῦτα διαδίδοσθαι τοῖς πτωχοῖς : « Scriptura nominat ecclesiarum bona πτωχικά, quæ πτωχοῖς, id est, mendicis et inopibus distribui oportet. »

RESTES PISCIUM. Vita Joannis Eleemosynarii, cap. 19 : « Mille restes siccatorum piscium, qui menomenæ dicuntur. » Sic Martialis, lib. XII, ep. 32 :

Calvæque restes allioque, cepisque.

ubi restibus calvitiem tribuit, ut veteres et tritas ostendat, e quibus allia et cepæ pendere solita.

RICINUS. Palladius, cap. 86 : « Adeo ut corpus ejus non secus ac corpus ferarum animantium ricinis scateret. » Hervetus verterat, *scateret muscis*. Græce est : ὡς καὶ τὸ σῶμα κρότωνας ἐκβρᾶσαι. Dixi de hoc satis fuse ad veterem Palladii Lausiacam. Nunc quædam addo ex Frontone nostro : κρότων hic rectius sumitur pro *ricino*, ut sit τὸ ἐν κυσὶ καὶ βουσὶ γινό-

A μενον. Plinius, lib. XI, cap. 34 : « Est animal infixo semper sanguini capite vivens, in bubus frequens, in canibus aliquando, in ovibus et capris hoc solum. » Suidas vocat κυνείους φθεῖρας, *pediculos canum*. Aristot., lib. V Historiæ Animalium, cap. 31 : Τὰ δὲ πρόβατα καὶ αἶγες κρότωνας ἔχουσι, τοῖς δὲ κυσὶν οἱ καλούμενοι γίνονται κυνοῤῥαισταί : « Oves et capræ redivios habent, canibus proprium ricinus, qui ab eodem animali nomen cynorrhaistæ accepit. » Columella, lib. VI, c. 2, *rediviorum*; Plinius, lib. XXII, c. 18, *ricinorum canum* meminit. Ἐκβρᾶσαι ad verbum esset, *ebullire faceret*, *effunderet*, ut II Machab. I, 12 : Αὐτὸς γὰρ ἐξέβρασε τοὺς παρατεταγμένους ἐν τῇ ἁγίᾳ πόλει. *Ipse vero ebullire fecit eos qui pugnaverunt in sancta civitate.*

ROSARIUM. Usus orationes annumerandi Deo per B calculos, habes hic exemplum apud Palladium, c. 23, de Paulo in monte Pheane habitante : « Hic habebat trecentas preces expressas et præstitutas, totidem habens in sinu calculos, et in unaquaque oratione jaciens unum calculum, » ψῆφον. Idem de eo narrat Sozomenus, lib. VI, cap. 29, et ex eo Cassiodorus, lib. VIII, cap. 1. Etiam divam Claram sanctissimam feminam precariis calculis usam, ut Deo orationes suas annumeraret, produnt ejus Acta. Nec superstitiosus est hic calculorum usus, non magis quam duodecim lapides, quos Jesue jussit milites suos sicco pede transeuntes secum ex alveo Jordanis in castra deferre, nempe ut commonitorii essent beneficii a Deo Opt. Max. præstiti.

SABULUM. Vita Pauli primi eremitæ, num. 14 : C « Sabulum capiti superjaciebat. » Vita Hilarionis, num. 40 : « Qui cum tria crucis signa pinxisset in sabulo. » Glossarium Camberonense Ms. : « Sabulum, genus terræ levissimum. » Plin., lib. XVIII, c. 18 : « Quippe sabulum subest, granumque limo tantum continetur. » Hieronymus, in cap. XLVII Ezech., *Ad tumulos sabuli orientalis.*

Sabulum autem capiti superjacere solemne erat apud plurimas gentes in luctu, maxime funebri. De Ægyptiis, testis hæc Vita.

De Romanis Virgilius, lib. X Æneid., de Latino rege ob conjugis et urbis fata :

. . . . . it scissa veste Latinus
Conjugis attonitus fatis, urbisque ruina,
1051 Canitiem immundo perfusam pulvere turpans.

D Et libro X de Mezentio propter Lausum filium ab Ænea occisum :

Agnovit longe gemitum præsaga mali mens :
Canitiem immundo deformat pulvere....

Idem in Ciri :

. . . . . . Clade exterrita tristi
Intonsos multo deturpat pulvere crines.

Catullus in Argonauticis :

Canitiem terra atque infuso pulvere fœdans.

Silius Italicus, lib. XII. De Campanis :

. . . . . nunc fœdantes in pulvere crinem
Canentem.

Ovidius, lib. VIII Metamorph., fab. 4 :

. . . . . Œneus
Pulvere canitiem genitor, vultusque seniles
Fœdat humi fusus.

De Græcis testis Homerus, Iliad. Σ, ubi Achilles audita morte Patrocli :

Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν,
Χεύατο κὰκ κεφαλῆς.

Ambabus autem manibus capiens pulverem calidum
Fudit super caput.

Idem Iliad. Ω, de Priamo, qui pulvere aspersus filii Hectoris mortem deflet.

De Judæorum more in hac eadem re notum nimis ex sacris litteris.

Saites. Palladius, cap. 22 : « Cum saites octodecim ebibisset. » Græce : σαΐτην πιὼν ὡς Ἰταλικῶν δεκαοκτώ. Epiphanius, De ponder. et mensur. : Ἀπόῤῥυμα δὲ παρὰ μόνοις Θηβαίοις μετρεῖται. Ἥμισυ γὰρ τοῦ σαΐτου ἐστίν, ὁ δὲ ἀληθινὸς σαΐτης ξέστων ἐστὶν κβ΄. « Aporrhyma apud solos Thebanos mensuratur. Dimidium enim saitæ est, verus autem saites, sextariorum viginti duorum est. »

Sanctorum corpora incorrupta. Vitæ Hilarionis, num. 46 : « Et toto corpore, quasi adhuc viveret, integro. » Joannes Moschus, Prati spiritualis cap. 121, de duobus monachis præ siti mortuis : « Invenimus vero ambos integros, sumentesque illos, sepelivimus in Raythu. »

Multorum sanctorum corpora Deus hac integritate honoravit : Sancti Ursini, primi episcopi Bituricensis, apud Gregorium Turonensem, De gloria Confessorum, c. 80 ; sancti Eligii, apud Surium, 1 Decembris, auctore Audoeno Rothomagensi episcopo ; sancti Sigeberti regis Francorum, auctore Sigeberto monacho Gemblacensi, apud Sur., 1 Febr., tomo vii ; sancti Wenceslai ducis Bohemiæ, per Joannem Dubravium, Olomucensem episcopum, 28 Septembr., apud Surium, tomo vii ; sancti Stanislai, episcopi et martyris, apud Surium 11 Aprilis ; sancti Huberti, episcopi Leodiensis, apud eumdem, 3 Novembris ; sancti Othmari, abbatis Sangallensis, auctore Walafrido abbate Augiensi, apud Surium, 16 Novembr. ; sancti Edmundi episcopi Cantuariensis, apud Surium, 16 Novembris ; sancti Raynaldi, archiepiscopi Ravennatis, auctore Hieronymo Rubeo, 18 Augusti, apud Surium, tomo vii ; sancti Sosii diaconi, auctore Joanne diacono, 5 Jan., apud eumdem, eodem tomo, 23 Septembris ; sancti Honorati, episcopi Arelatensis, auctore Hilario episc. Arelatensi, apud eumdem, tomo eodem, 15 Jan. ; sancti Judoci, auctore Florentio abbate, apud eumdem, tomo eodem, 13 Decembris ; sancti Hermanni, seu Josephi, canonici Steinfeldensis, apud eumdem, tomo eodem, 7 Aprilis ; sancti Theodori Studitæ, auctore Michaele Studita, 11 Novembris ; sanctæ Edilbergæ virginis, apud Bedam, l. iii Hist. Anglicanæ, cap. 8, Julii 7, in tomo VII Surii ; sanctæ Ludmillæ martyris, in Vita sancti Wenceslai, supra.

Plura non congero. Similia exempla sæpissime in Sanctorum Vitis occurrunt. Vide quædam apud Joannem Baptistam Signium in ejus Reliquiario, c. 21, et Gretzerum nostrum, in Apologia 2 et 3 pro Vita sancti Ignatii nostri, lib. iv, cap. 1, contra Mi-
A senum Calvinistam, et apud Kormannum, De miraculis mortuorum, parte iii. Vide et Gretzerum, De funere Christiano, lib. 1, cap. 4.

Sanctuarium. Vita Euphrasiæ, cap. 1 : « Multasque oblationes in ecclesiis et sanctuariis offerebat. » Et cap. 5 : « Quæ etiam illic vacans in sanctuariis. » Nescio an hic sanctuaria vocet σεμνεῖα, id est, monasteria. Alias sanctuarium certus in templo locus. Vide Secretarium.

Aggenus, comment. in Frontinum, De limitibus agrorum : « Profanum autem, quod dum sanctum fuisset, postea in usu hominum factum, hoc est extra fanum, extra sanctuarium, profanum dictum est. »

Dicta etiam sanctuaria vela quædam sacra seu brandæa. De quibus ita Baronius, notationibus ad
B Martyrologium Romanum ad diem 15 januarii, postquam recitavit verba sancti Germani et collegarum legatorum apostolicorum ad Hormisdam papam : « Unde si beatitudini vestræ videtur, sanctuaria beatorum apostolorum Petri et Pauli, secundum morem, ei elargiri præcipite ; et si fieri potest, ad secundam cataractam ipsa sanctuaria deponere vestrum est deliberare. » Exstant ad eosdem legatos Hormisdæ papæ, de eadem re scriptæ litteræ, aliæ itidem ad Justinianum, significantis se tantum sanctuaria mittere. Per sanctuarium autem velum intelligere debemus, quod sanctus Gregorius, in epistola ad Constantiam reg., lib. iii, epist. 30, *brandæum* appellat, ex quo sanguis effluxit, cum a sancto Leone papa (ut ait) forcipibus incideretur. Alibi autem idem
C appellat *velamen*, quod admoveri solitum erat sanctis martyrum corporibus, ut lib. iv, epist. 44, ex synodo Romana, et libro xii, decret. 4, Brandæum item appellat velum illud Joannes Diaconus, in Vita sancti Gregorii libro ii, capite 42, cum ingens ea de re miraculum narrat. Hactenus Baronius.

Erant et regum et principum sanctuaria, secreta videlicet et arcana tabularia. Plinius, libro xxiii, cap. 8 : « In sanctuariis Mithridatis maximi regis devicti Cn. Pompeius invenit in peculiari commentario ipsius manu compositionem antidoti. » Siculus Flaccus, in libro De conditionibus agrorum : « Quod si quis contradicat, sanctuarium Cæsaris respici solet ; omnium enim agrorum et divisorum et assignatorum formas, sed et divisionem, et commentarius et prin-
D cipatus in sanctuario habet. Qualescunque enim formæ fuerint, si ambigatur, de eorum fide ad sanctuarium principis revertendum erit. »

Sartagines ignitæ. Hieronymus, in Vita sancti Pauli primi eremitæ, num. 3 : « Qui ignitas sartagines ante superasset. » Hujus supplicii mentio II Machab. vii, quod ita exprimit Prudentius, hymno 14 :

Videbat ipsos apparatus funerum
Præsens suorum, nec movebatur parens,
Lætata, quoties aut olivo stridula
Sartago frixum torruisset puberem.

Plura de his vide apud Antonium Gallonium, lib. De sanctorum martyrum cruciatibus, cap. 7.

Satyri. Hieronymus in Vita sancti Pauli primi

eremitæ, num. 8 : « Quos vario delusa errore gentilitas **1052** Faunos, Satyrosque, et Incubos vocans colit. » De Satyris consule Lilium Gregorium Giraldum Historiæ deorum syntagmate 15, et Martinum Delrium nostrum, parte III commentarii in Senecæ Œdipum; Natalem Comitem, libro V Mytholog., capite 8, et Conimbricenses nostros, in lib. II Physic., cap. 9, quæst. 5, art. 2.

SCALPRÆ. Hieronymus, Vita Pauli primi eremitæ, num. 5 : « Erant præterea per exesum montem non pauca habitacula, in quibus scalpræ, etiam incudes et mallei, quibus pecunia olim signata, visebantur. » Ita vetustissimi Ms. pro *scabræ*. Papias Vocabulista : « *Scalpere*, fricare, terebrare; *Scalprus* dictus, quod pituris * et foraminibus sit aptus, quasi scalphorus ; cujus diminutivum scalpellus facit. *Sculpra*, ferrum quo corium aptatur, quo fabricantur formæ sutorum. *Scalpellus*, ferrum quo corium aptatur, quo fabricantur formæ sutorum, et quo chartas corrigunt. » Joannes a Janua in Catholico : « *Scalprum* a scalpo, pis, dicitur hoc scalprum, pri, et hic scalprus, id est, ferrum, cum quo corium aptatur vel raditur, vel cultellus, vel capulus scriptorum. Item scalprum vel scalprus dicitur quoddam ferreum instrumentum, quod alio nomine dicitur celtes. Unde hoc scalpellum, li; et hic scalpellus, li, diminutivum secundum Hugutionem. Unde Jeremiæ XXXVI : *Scidit illud scalpello scribæ*. » Vocabularium Gerardi de Scheuren : « *Scalprum, pri*, et *Scalprus, pri. Een yser daermen leder mede schauet : oft een scherp mesken der schryuer : oft een yseren beytel.* »

SCAPULARE. Vitæ Antonii, capite 23 : « Lavitependyten suum, id est scapulare. Ita plerique editi; sed scapulare interpretamentum prioris e margine in textum irrepsit. Scapulare proprie ἐπωμίς.

SCHEMA. Vita Euphrosynæ, cap. 7 : « Induitque eam tunicam schematis. » Vita Euphrasiæ, sive Euphraxiæ, cap. 8 : « Si nos diligis, esto nobiscum in nostro schemate. » Anastasius Persa Jan. 22, in Menæis : Καὶ γενόμενος ἐν τῇ μονῇ τοῦ ἁγίου Σάββα τὸ ἱερὸν τῶν μοναχῶν σχῆμα λαμβάνει. « Existens in monasterio sancti Sabæ sacrum monachorum habitum sumit. » Sæpissime occurrit apud scriptores asceticos.

Sed quia duplex fuit schema monachicum, unum, quod dicebatur τὸ μικρὸν σχῆμα, sive τοῦ μανδύου, *parvum schema*, sive *schema mandyi*; alterum quod dicebatur τὸ μέγα, sive τὸ ἀγγελικὸν, *magnum* sive *angelicum schema*; juvat hic ex Euchologio quædam utriusque generis attexere, omissis precibus, ritus tantum attingendo, præmisso ante ordine instituendi novitium.

Ἀκολουθία εἰς ἀρχάριον ῥασοφοροῦντα.

Ordo instituendi novitium rasam ferentem.

Quod in Indice capitum ita concipitur paulo plenius : Ἀκολουθία γινομένη εἰς τὸ φορέσαι τινὰ ῥάσον μόνον καὶ καμιλαύχιον : « Ordo, qui servatur in ferente tantum rasam et camelauchium. » Non recte apud Meursium in Lexico Græcobarbaro in ῥάσα ponitur negatio μὴ

* Sic. An legendum *picturis* vel *scripturis*? EDIT.

A ante καμιλαύχιον. Igitur ita instituitur novitius :

1. Ὁ ἱερεὺς κουρεύει αὐτὸν σταυροειδῶς : « Sacerdos novitium in crucis formam tondet. »

2. Ἐνδύει αὐτὸν χιτῶνα, καὶ καμιλαύχιον : « Induit eum tunica et camelauchio. »

Ex quibus patet, ῥάσα *tunicam* fuisse. Rudem et asperam, non mollem, indicat Nicetas in Manuele Comneno, libro VII : Τὸ μοναδικὸν σχῆμα ᾔτισε, καὶ οἱ περὶ αὐτὸν ὅθεν εὑρόντες τινὸς μοναχοῦ ῥάσα περιδύουσι μὲν αὐτὸν, καὶ ἀπεκδύουσι τὰ μαλακὰ καὶ ἀρχικὰ ἄμφια : « Monachicum schema expetiit, et qui ei astabant, nescio unde invenientes cujusdam monachi rasam, ea eum induerunt, et exuerunt eum vestibus mollibus et imperialibus. » Ita quidem citat Joannes Meursius in Glossario Græcobarbaro, pro quo vulgata

B Editio habet : Καὶ τῆς πνευματικωτέρας ἀμφιάσεως, ἐχούσης τὸ ἀπαράσκευον τριβωνίου μέλανος, οἱ περὶ τὸν βασιλέα ἐθενοῦν εὐπορήσαντες : « Et spiritualem vestem nigro panno omnis ornatus expertem ministri nescio ubi nacti. » Sic quæ eodem libro sunt ἐσθήματα scilicet μοναχικὰ, Glossæ veteres Mss. apponunt ῥάσα. Et ejusdem Manuelis lib. IV, ubi μέλαν ἄμφιον, glossa apponit ῥάσα. Et apud eumdem Nicetam, lib. II, De imperio Isaaci Angeli, ubi in textu est, μέλαν ἄμφιον, glossa ms. ascribit ῥάσα. Sic apud eumdem, lib. III, de ejusdem Isaaci imperio, ῥακενδύτης, quod glossa ms. explicat per ῥασαφορῶν.

De camelauchio supra satis diximus.

Rasæ indumentum mystice significabat sanctificationis stolam. Colligitur ex oratione quæ est in Eu-

C chologio : Ἔνδυσον αὐτὸν ἁγιασμοῦ στολὴν, σωφροσύνῃ περίζωσον τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ, πάσης αὐτὸν ἐγκρατείας ἀνάδειξον ἀγωνιστήν : « Indue ipsum sanctificationis stolam, temperantia circumcinge lumbos ejus, omnis ipsum continentiæ ostende pugilem. »

Ἀκολουθία τοῦ μικροῦ σχήματος ἤτοι τοῦ μανδύου.

Ordo instituendi monachum parvi schematis, seu mandyi.

1. Τίθησιν ὁ ἱερεὺς ἐπάνω αὐτοῦ τὸ σχηματολόγιον : « Sacerdos ponit super eum schematologium. »

2. Deinde accepto in manu psalidio seu forcipe, κουρεύει αὐτὸν ὁ ἱερεὺς σταυροειδῶς : « Tondet eum sacerdos in formam crucis. »

Quæ crinium resectio irrationalium cupiditatum

D rejectionem significat, quod insinuatur in oratione, quæ initio præmittitur : Ἵνα τῇ ἀφαιρέσει τῶν ἀναισθήτων τριχῶν, συναποβάληται καὶ τὰς ἀλόγους ἐνθυμήσεις τε καὶ προσάξεις : « Ut ademptione sensu carentium capillorum, etiam abjiciat irrationales cogitationes et opera. »

3. Ὁ ἀδελφὸς ἡμῶν ὁ δεῖνα ἐνδύεται χιτῶνα ἀγαλλιάσεως : « Frater noster N. induitur tunica exsultationis. »

4. Περιζώννυται τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ δύναμιν ἀληθείας, εἰς νέκρωσιν σώματος, καὶ ἀνακαίνισιν πνεύματος : « Frater noster lumbos cingitur virtute veritatis in mortificationem corporis, et renovationem spiritus. »

5. Καλύπτεται περικεφαλαίαν ἐλπίδα σωτηρίας : « Fra-

ter noster operitur galea ceu spe salutis. »

6. Λαμβάνει τὸ παλίον τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ μεγάλου καὶ ἀγγελικοῦ σχήματος, εἰς στολὴν ἀφθαρσίας καὶ σεμνότητος : « Frater noster sumit pallium arrhabonem magni et angelici habitus in stolam incorruptionis et sanctimoniæ. »

7. Ὑποδύεται τὰ σανδάλια εἰς ἑτοιμασίαν τοῦ Εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης : « Frater noster subinduitur calceamentis in præparationem Evangelii pacis. »

Deinde concludunt : Ἔλαβε τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ μεγάλου καὶ ἀγγελικοῦ σχήματος : « Frater noster sumpsit arrhabonem magni et angelici habitus. »

8. Δίδοται τῷ ἀποκαρέντι κηρὸς, καὶ τὸ ἅγιον Εὐαγγέλιον, καὶ σταυρὸς, καὶ γίνεται ὁ ἀσπασμός : « Datur detonso cereus, et sanctum Evangelium, et crux, et fit amplexatio. »

Ἀκολουθία τοῦ μεγάλου σχήματος.

Ordo magni et angelici habitus.

1. Ὁ ἱερεὺς κουρεύει αὐτὸν σταυροειδῶς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, **1053** etc., Sacerdos tondet eum in formam crucis, in nomine Patris, » etc.

2. Ὁ ἀδελφὸς ἡμῶν ὁ δεῖνα ἐνδύεται χιτῶνα δικαιοσύνης καὶ ἀγαλλιάσεως τοῦ μεγάλου καὶ ἀγγελικοῦ σχήματος, etc. : « Frater noster N. induitur tunica justitiæ et exsultationis magni et angelici habitus. »

3. Λαμβάνει τὸ παλίον τοῦ μεγάλου καὶ ἀγγελικοῦ σχήματος, εἰς στολὴν ἀφθαρσίας καὶ σεμνότητος, etc. : « Sumit pallium magni et angelici habitus in stolam incorruptionis, et sanctimoniæ. »

4. Ἐνδύεται τὸ κουκούλιον τῆς ἀκακίας, εἰς περικεφαλαίαν ἐλπίδος σωτηρίου : « Induitur cucullam simplicitatis in galeam spei salutaris. »

5. Λαμβάνει τὸν ἀνάλαβον ἐν ὀνόματι τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ἀναλαμβάνων τὸν σταυρὸν αὐτοῦ ἐπὶ τῶν ὤμων, καὶ ἀκολουθῶν τῷ δεσπότῃ Χριστῷ : « Accipit scapulare in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, assumens crucem suam in humeros, sequens Dominum Christum. »

6. Περιζώννυται τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ δύναμιν ἀληθείας : « Fratris nostri lumbi cinguntur virtute veritatis. »

7. Ὑποδύεται τὰ σανδάλια εἰς ἑτοιμασίαν τοῦ Εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης : « Subinduitur calceamentis in præparationem Evangelii pacis. »

Concludit : Ἔλαβε τὸ μεγάλον καὶ ἀγγελικὸν σχῆμα : « Sumpsit magnum et angelicum habitum. »

Quæ quasi repetens recapitulatur, et explicans exprimit rursus in oratione :

Ἵνα ἐν ἁγιασμῷ πολιτευσάμενος ἄσπιλον διατηρήσῃ, ὅπερ τῇ δυνάμει σου ἐνεδύσατο σχῆμα·

Τῷ μὲν χιτῶνι τὴν δικαιοσύνην ἀμπεχόμενος·

Τῇ δὴ ζώνῃ τὴν νέκρωσιν τοῦ σώματος, καὶ τὴν σωφροσύνην ἐν ἑαυτῷ περιφέρων·

Τῷ δὲ ἀναλάβῳ, τῷ σταυρῷ τῇ καὶ πίστει κατακοσμούμενος·

Τῷ δὲ περιβολαίῳ, στολὴν ἀφθαρσίας θωρακιζόμενος.

Τοῖς δὲ σανδαλίοις, ἵνα ἐπιβῇ τῇ ὁδῷ τῆς εἰρήνης, καὶ τῆς σωτηρίας·

« Ut in sanctificatione vitam instituens, immaculatum conservet, quem in virtute tua induit, habitum :

Pro tunica quidem justitiam amictus,

Et pro zona mortificationem corporis et temperantiam in seipso circumferens,

Et pro scapulari, cruce et fide adornatus ;

Et pro pallio, stola incorruptionis munitus ;

Calceamentis vero, ut procedat in viam pacis et salutis. »

Sequuntur, post, eadem quæ in ordine parvi schematis de cruce, cereo, amplexatione.

Dictus videtur angelicus habitus, quod eo indui memores esse deberent, vivere se debere angelicam vitam. Euchol., p. 102 : Σῇ γὰρ πεποιθὼς συνεργίᾳ τὴν ἀγγελικὴν πολιτείαν ταύτην ἐπεισέρχομαι, φιλάνθρωπε : B « Tuæ enim obediens cooperationi, angelicam vivendi rationem hanc accedo, amator hominum. » Ruffinus, lib. II, cap. 11 de Hor : « Ilic multorum erat monasteriorum Pater, qui habitu ipso honoris videbatur angelici. » De eodem Palladius, cap. 9 : « Habens monasteria mille fratrum, habitu angelico præditus. » Ruffinus, lib. II, cap. 4, de Beno : « Per omnia quasi angelici ordinis vir. »

Apud Dionysium quoque Areopagitam, cap. 6, part. II, Eccl. hierar., ubi agitur de mysterio monasticæ consummationis, mentio tonsuræ cum signo crucis et Trinitatis invocatione, mutationis vestis, et amplexationis, seu salutationis : Τῷ σταυροειδεῖ τύπῳ σφραγισάμενος αὐτὸν ὁ ἱερεὺς, ἀποκείρει, τὴν τρισσὴν τῆς θείας μακαριότητος ἐπιβοήσας ὑπόστασιν, καὶ τὴν C ἐσθῆτα πᾶσαν ἀπαμφιέσας, ἑτέραν ἀμφιέννυσι, καὶ μετὰ τῶν ἄλλων ἱερῶν ἀνδρῶν, ὅσοι πάρεισιν, ἀσπασάμενος αὐτὸν κοινωνὸν ἀποτελεῖ τῶν θεαρχικῶν μυστηρίων : « Consignans eum signo crucis sacerdos, tondet, trinas divinæ beatitudinis personas inclamans ; exutumque veste omni, aliam induit, et cum sanctis aliis qui astant viris ipsum salutans, divinorum mysteriorum participem efficit. » Et mysterii explicationem subjungit :

Ἡ δὲ τοῦ σταυροειδοῦς τύπου σφραγὶς, ὡς ἤδη παρ' ἡμῶν εἴρηται, δηλοῖ τὴν πασῶν ὁμοῦ τῶν σαρκικῶν ὀρέξεων ἀνενεργησίαν : « At vero crucis sanctæ signaculum, ut jam dictum est, mortificationem omnium simul carnalium cupiditatum signat. »

D Ἡ δὲ τῶν τριχῶν ἀπόκαρσις, ἐμφαίνει τὴν καθαρὰν καὶ ἀσχημάτιστον ζωὴν, οὐκ ἐπιπλάστοις σχήμασι τὸ κατὰ νοῦν δυσειδὲς ἐπιθετικῶς καλλωπίζουσαν, ἀλλ' αὐτὴν ἐφ' ἑαυτῆς οὐκ ἀνθρωπικοῖς κάλλεσιν, ἀλλ' ἑνιαίοις καὶ μοναχοῖς εἰς τὸ θεοειδέστατον ἀναγομένην : « Porro tonsura crinium vitam mundissimam indicat, et nulla figura fucatam, et quæ nullis fictis coloribus inductis animi deformitatem exornet ; sed ipsa in seipsa non humanis venustatibus, sed singularibus et unicis, ad Dei exactissimam similitudinem properet. »

Ἡ δὲ τῆς προτέρας ἐσθῆτος ἀποβολὴ, καὶ τῆς ἑτέρας λῆψις, τὴν ἀπὸ μέσης ἱερᾶς ζωῆς ἐπὶ τὴν τελεωτέραν μετάταξιν ἐμφαίνει· καθάπερ ἐπὶ τῆς ἱερᾶς θεογενεσίας ἡ τῆς ἐσθῆτος ἄμειψις ἐδήλου τὴν ἀποκαθαιρομένης ζωῆς

εἰς θεωρητικὴν καὶ φωτιστικὴν ἕξιν ἀναγωγήν : « Prioris autem vestis positio, alteriusque assumptio, migrationem illam a media vita (sacra licet) ad perfectiorem significat : sicut in divina regeneratione, promotionem indicabat a purgata vita ad contemplantem illuminantemque habitum, illa vestis candentis immutatio. »

Εἰ δὲ καὶ νῦν ὁ ἱερεύς τε καὶ πάντες ὅσοι πάρεισιν ἱεροί, τὸν τετελεσμένον ἀσπάζονται, τὴν ἱερὰν τῶν θεοειδῶν ἐννόησον κοινωνίαν, ἀγαπητικῶς ἐν εὐφροσύνῃ θείᾳ συνηδομένων ἀλλήλοις : « Quod si modo quoque tam sacerdos quam circumstantes reliqui viri sancti sic dicatum consalutant, sacram intellige Dei præferentium speciem societatem, qua sibi invicem cum lætitia et charitate gratulantur. »

Vestem eam, qua induitur monachus, nigram fuisse notat Pachymeres, et significationem ejus ita explicat : Μοναχικὴ τάξις, ὅτι μοναχῶς καὶ ἑνοειδῶς, καὶ οὐ διχῶς, ἢ τριχῶς, ἢ πολλαχῶς πολιτεύεται. Τοῦτο γὰρ δηλοῖ δὲ τὸ ἀμφιεννύμενον μέλαν. Τὰ μὲν γὰρ ἄλλα τῶν χρωμάτων εἰς ἕτερα μεταπεσοῦνται ῥᾳδίως, καὶ πάντα εἰς τὸ μέλαν· τὸ δὲ μέλαν οὐκ ἔστι μεταβληθῆναι εἰς ἕτερον χρῶμα πώποτε : « Monachica ordinatio, ut solitarie et unice, non dupliciter vel tripliciter, vel multipliciter conversetur. Hoc enim significat nigra qua induitur vestis. Alii enim colores facile in alios transeunt et mutantur, et omnes quidem in nigrum mutari possunt : niger vero color nullo unquam modo in alium transmutari potest. »

Hæc nunc de duplici monachorum schemate sufficiant.

Scholarius. Pratum spirituale Joannis Moschi, cap. 25 : « Ut nobis abbas Gregorius ex Scholaribus retulit. » Græce est, ἐκ Σχολαρίων, quod non recte Hervetus *scholasticus* verterat. Nam scholastici causis dicendis erant, scholares vero palatinæ militiæ ad tutelam principis. Gregorius igitur hic ex scholaribus seu exscholaris, id est olim scholaris, nunc vero abbas. Suidas : Σχολάριοι, τρισχίλιοι πεντακόσιοι ἐπὶ φυλακῇ τοῦ Πάλλαντος ἦσαν τεταγμένοι, ἀριστίνδην ἐπιλεχθέντες ἐξ Ἀρμενίων, οἷς συντάξεις ἀνέκαθεν πλείους ἢ τοῖς ἄλλοις ἅπασι τὸ δημόσιον ἐχορήγει. « Scholarii ter **1054** mille quingenti ad custodiam Pallantis erant constituti, ex optimatibus Armeniorum delecti, quibus antiquitus respublica majora stipendia quam cæteris omnibus suppeditabat. » Idem : Ὑπεράριθμος, οὗτος ὁ ἀριθμὸς τῶν σχολαρίων καλουμένων τρισχιλίων πεντακοσίων ὄντων, ἑτέρους δισχιλίους ἐνθέθεικεν Ἰουστινιανός, οὓς οὕτως ἐκάλεσεν. « Supernumerarius, ut cum numerus scholiariorum esset hominum ter mille et quingentorum, Justinianus alios bis mille ei adjecit, quos ita vocavit. » Severus Sulpicius, l. I, c. 1, De Vita sancti Martini : « Ipse armatam militiam in adolescentia secutus, inter scholares alas sub rege Constantio, deinde sub Juliano Cæsare militavit. »

Scholasticus. Paschasius, hic, lib. VII, cap. 19, num. 3 : « Hic Eulogius scholasticus erat, sæcularibus litteris eruditus. » Palladius, hic, lib. VIII, c. 26 : « Hic Eulogius fuit disciplinarum liberalium scholasticus. » Palladii Lausiaca ex veteri interpretatione, in appendice, cap. 16 : « Hic Eulogius scholasticus erat et eruditus vir. » Hieronymus Catalogo Illustr. Eccl. scriptor., cap. 99, de Serapione Thmueos episcopo : « Serapion ob elegantiam ingenii, cognomen scholastici meruit. » Martyrologium Romanum, 5 Februarii : « In cujus (Dorotheæ) confessione Theophilus quidam scholasticus ad Christi fidem conversus. » Idem apud Bedam et Usuardum.

Est autem *scholasticus* posteriori sæculo *advocatus*, unde in Actis Dorotheæ Theophilus nunc *scholasticus*, nunc *advocatus* dicitur. Vita sancti Sebastiani, l. II : « Dum a beato Tiburtio viro scholasticissimo, et nobili et sancto. » Qui ante *advocatus* dicitur : « Et qui futurus eram advocatus ad agendas causas mortalium. » Sardic. conc., can. 13 : « Si scholasticus de foro episcopus fuerit postulatus. » Græcus interpres σχολαστικὸς ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς. Et L. II Cod. Th., De Concuss. advocat. « Præter solemnes et canonicas pensitationes multa a provincialibus Afris indignissime postulantur ab officialibus et scholasticis. Nec latet mansuetudinem nostram, sæpissime scholasticos ultra modum acceptis honorariis in defensione causarum omnium et annonas et sumptus accipere consuesse. »

Sic canone 97, in Codice canonum Africanorum : Ὥστε δοθῆναι ἄδειαν τοῦ καταστῆσαι ἐκδίκους σχολαστικούς : « Ut dent facultatem defensores constituendi scholasticos. » Ubi intelliguntur *advocati*. Nam subditur : Οἵτινες αὐτὸ τοῦτο τὸ λειτούργημα τοῦ ἐκδικεῖν τὰ πράγματα ἐπιτήδευμα ἔχουσι : « Qui in actu sunt vel munere defensionis causarum. » Quare non recte Molanus, ad Usuardi Martyrologium, 6 Febr., existimavit in Actis Dorotheæ Theophilum dictum scholasticum per contemptum. Nam eo tempore scholasticus æque atque advocatus in bonam partem in usu erat.

Olim scholasticus dictus declamator, quicunque se in causis fictis exercebat. Plinius, lib. II, epist. 3 : « Annum sexagesimum excessit, et adhuc scholasticus tantum est, quo genere hominum nihil aut simplicius, aut sincerius, aut melius. Nos enim, qui in foro verisque litibus terimur, multum malitiæ, quamvis nolimus, addiscimus. » Sic cape Hieronymum, epist. 26, ad Pammachium, de obitu Paulinæ : « Meminisse te puto erroris mutui, quando omne Athenæum scholasticorum vocibus resonabat. » De quo suo studio ipse agit in Epist. ad Galat., cap. II : « Aliquoties cum adolescentulus Romæ controversias declamarem, et ad vera certamina fictis in litibus exercerer. »

Dictus etiam scholasticus vir eloquens, eruditus, etsi nec causas fictas ageret, ut declamator, nec veras ut advocatus : talis dicitur Prudentius. Walafridus Strabo, De rebus Eccl., c. 25 : « Quales composuerunt Ambrosius, Hilarius, et Beda Anglorum pater, et Prudentius scholasticus Hispaniarum. » Sigebertus, in Chronico, anno Christi 1048 : « Franco

scholasticus Leodiensium et scientia litterarum et morum probitate claret. » Ita etiam vocatur ab Ægidio Aureæ vallis, religioso libro De gestis Pontif. Leodiens., cap. 1. Sic Dionysius Exiguus, abbas Romanus, interpres Vitæ Pachomii, in Mss. dicitur scholasticus. Sic credo Serapion supra, apud Hieronymum, catalogo illustr. eccl. script., cap. 99, scholasticus dictus; sic forte etiam Eulogius, de quo supra.

SECRETUM, sive SECRETARIUM. Vita Joannis Eleemosynarii, cap. 2: « Dicit coram omnibus ad eos qui erant in honorabili secreto. » Intelligitur, opinor, locus ecclesiæ qui dicitur secretarium, de quo ita Baronius, tomo VI, anno Christi 451.

Quod in synodo Chalcedonensi habetur eam habitam *ante cancellos sacri altaris*, Liberatus Diaconus, in Breviculo, capite 42, eum locum vocat *secretarium*, ubi ait: « Adveniens Marcianus imperator ad secretarium cum judicibus et sacro senatu, allocutionis verba fecit in concilio, etc. » Cujus rei causa e loco mutuatus ipse nomen, singulas sessiones ibidem habitas secretaria nominavit. Moris namque fuit ut in basilicarum secretariis concilia episcoporum celebrarentur. Habes de his inter alia plura exempla ecclesiæ Africanæ, ubi concilia Carthaginensia in secretariis celebrata esse reperies, nec non Romanæ sub Martino, et aliarum ecclesiarum.

Sed quisnam locus *ante cancellos*, quem Liberatus nominat *secretarium*? Non alium quidem putamus quam eum qui ab Evagrio, lib. II, cap. 3, describente ipsum sanctæ Euphemiæ templum ita delineatur: « Ad cujus latus versus Aquilonum est alterum ædificium (quod vocat tertiam templi partem, eamque intimam) quod spectat ad solis ortum, ipsumque ad formam testitudinis, columnis valde artificiose fabricatis. » Et paulo post: « Intra testitudinem ad Orientem est sacrarium decore constructum, in quo sanctissimæ martyris reliquiæ in capsa bene longa repositæ, » etc. Nominat Evagrius sacrarium, quod Liberatus sanctuarium; utriusque namque vocis eamdem significationem esse, docet canon 21 concilii Laodicen. primæ editionis verbis istis: « Non oportet subdiaconos licentiam habere in secretarium seu sacrarium, quod Græci diaconium appellant, ingredi et contingere vasa Dominica. » Et alio ejusdem concilii canone 57 primæ editionis: « Quod non oporteat presbyteros ante processionem episcopi introire sacrarium, et sedere. » Græce etiam invenitur nuncupatum *ἱερατεῖον*, quod est *sacrarium*, sive *βῆμα*, quod præ cæteris ecclesiæ locis emineat.

Sed quomodo dici potest ante cancellos fuisse secretarium, sive sacrarium? Meminisse debes (quod et in antiquis basilicis cernitur) inter ecclesiæ gremium et apsidem, ubi sedes episcopi locari solebat, esse sanctuarium collocatum, quod quidem altare erat primarium in medio situm, undique circumcirca cancellis septum. Describitur ejus forma graphice sane ab Eusebio, lib. X, cap. 4, verbis istis: « Sanctuario hoc modo absoluto et perfecto, cellis A que quibusdam in altissimo loco ad præsidium ecclesiæ honorem collocatis, et subselliis præterea undique ordine dispensatis, decore eximieque exornato, altarique denique tanquam sancta sanctorum in medio sanctuarii **1055** sito: ista rursum, ut a plebe et multitudine eo non posset accedi, cancellis ex ligno fabricatis circumdedit. » Hæc ille.

Ante igitur altaris cancellos apsidem respicientes apparet congregatum fuisse concilium, totumque occupasse locum qui interjacet inter cancellos et apsidem, ubi erat thronus episcopalis, qui quidem in amplioribus basilicis haud mediocris latitudinis et longitudinis existebat, et quidem capax cujusvis numerosi consessus episcoporum. Intelligis puto et ex his quam procul absit ut veritatis scopum B attigerint qui de secretariis aliter sunt opinati: fuisse quidem ea intra apsidem, Paulinus in epistola 12, ad Severum haud obscure significat; in iisdemque disponi sacra vasa ad ministerium, et sacros Codices ad lectionem ostendit. Ad hæc etiam spectat quod sanctus Gregorius papa, lib. II, epist. 54, jure expostulat adversus Joannem Ravennatem episcopum, « quod tempore jejunii gestaret pallium per plateas et vias, quando nec licet eo uti in secretario, loco nimirum consueto, ubi in suo throno in apside collocato sedere soleret episcopus, et cum eo presbyteri, diaconi nequaquam. Nam hæc habet canon decimus quintus concilii Arelatensis II: « In secretario diaconos inter presbyteros sedere non liceat. » Hactenus Baronius.

C Binius quoque, ad tom. I Concil., pag. 291, hæc notat: Loca ecclesiæ apud apsidem posita, quæ hic et a Paulino, epist. 12, secretaria nominantur, eadem a Clem., lib. II Const., cap. 62 pastophoria, id est, ut explicat Hier. in Ezech. XLII, duo thalami seu interiora cubicula appellantur. Ubi dicit in omnibus ecclesiis duo pastophoria extrui consuevisse, eaque hinc inde apud apsidem posita fuisse, asserit prædicto loco Paulinus. Quorum quis esset usus, duo hæc disticha ab eodem desuper inscripta declarant. A dextra apsidis:

Hic locus est veneranda penus, qua conditur, et qua
Promitur alma sacri pompa ministerii.

A sinistra ejusdem:

Si quem sancta tenet meditandi in lege voluntas
Hic poterit residens sacris intendere libris.

D Hactenus Binius.

Erat secretarium intra velum, et dictum etiam reperitur *diaconicum*. Nazianzenus, orat. 20, quæ est in laudem Basilii Magni, de Valente Basilium in sacrario conveniente: *ἐὰν εἴσω τοῦ παραπετάσματος ἑαυτὸν ἐποιήσατο*: « cum intra velum extitisset. » Ubi Nicetas *παραπέτασμα* interpretatur *διακονικόν*. Diaconicum autem significare sacrarium, patet ex canone 21 concilii Laodicensis; ubi in Græco est *διακονικὸν*, interpres vetus habet *secretarium*. Canone 56 concili Laodiceni, ubi in Græco vetatur ne presbyteri ante ingressum episcopi sedeant *ἐν τῷ βήματι*, vetus interpres habet *in sacrario*. Codex Canonum African. Græcolat., in Hippon. concilio an.

393 : Ἐν Ἱππῶνι Ῥεγίῳ εἰς τὸ σήκρητον τῆς ἐκκλησίας πάκης : « Hippone Regio, in secretario basilicæ pacis. » Concilium Carthaginense nomine tertium, ordine temporis inter ea quæ post Nicænum exstant, vere secundum : « in secretario basilicæ restitutæ. » Vide dist. 23, *Non oportet;* et in concil. Agath., cap. 166.

Aliquando accipitur secretarium pro ipsa sessione et conventu. Unde inter epistolas Bonifacii archiep. Moguntini 135, *venturo secretario;* item *præterito secretario*. Ex ipso videlicet loco, conventus nomen accepit.

Apud Augustinum, conc. 2, psal. xxxiv, *secretaria mentis* habes.

Semina virtutum. Vita sancti Antonii cap. 15 : « Hujus operis homini inserta natura est. » Sic plerique Patres virtutum semina homini innata esse et insita scribunt. Quæ quomodo dici possint insita, vide Bellarminum, tom. IV in Controv. gener. De reparatione gratiæ, controv. 1 princ., lib. v, cap. 12, arg. 7.

Septimanarii. Vita Euphrasiæ, seu Euphraxiæ, cap. 22 : « Nisi collegero ligna, et septimanam meam complevero, non ascendam. » Sic in regula sancti Benedicti : « Egredi de septimana, » quod est septimanam complere, et septimanarii manus deponere. Benedictus, reg. 35 : « Egressurus de septimana, sabbato munditias faciat. » Item : « Egredientes autem de septimana, dicant hunc versum : Benedictus es, Domine. » Hildegardis, in explicat. Regul. : « Egressura de septimana, sabbato munditias fecit, scopis sordes et pulverem, ubi necesse fuerit, extergendo. » Regino, Chron. lib. ii : « Accidit autem ut, juxta quod mos est, ad coquinæ officium hebdomadarius deputaretur. » Cassianus, lib. iv Institutionum, c. 19 : « Singulis hebdomadibus fratres hæc officia sibi reddenda succedunt. » Item : « Has autem septimanas unusquisque suscipiens, usque ad Cœnam Dominici diei ministraturus observat. » De his septimanariis seu hebdomadariis agit idem Cassianus, libro eodem, capite 20-22, et monet hanc per singulas septimanas culinæ inserviendi consuetudinem viguisse in monasteriis Palestinæ et Mesopotamiæ; aliam fuisse consuetudinem in monasteriis Ægypti, ubi certus quispiam toto vitæ suæ tempore culinæ deputabatur, quousque vires suppeterent. Hæc tamen quæ de Euphraxia habemus, suadent etiam alteram consuetudinem in quibusdam Ægypti monasteriis servatam. Sic in Vita Pachomii cap. 47 : « Transiens autem frater, qui constitutus erat ad obsequium ejus qui septimanam faciebat. » Et Hieronymus præfatione in regulam sancti Pachomii : « Habent per singula monasteria Patres, et dispensatores, et hebdomadarios, ac ministros. » Etiam apud sanctum Benedictum, reg. 38, occurrit *septimanarius lector*.

Septimum. Ruffinus, lib. iii, num. 19 : « Habitabat autem parva cella foris civitatem, prope proastium, qui vocatur in Septimo. » Paulus diaconus, Historiarum lib. xvii : « Cunctis convenientibus apud Septimium, » quod aliquoties ibi occurrit. Lege, *Septimum*. Ibidem fuit templum sancti Joannis Baptistæ, unde subjungitur : « Denuntiatio vero tyranni in templo sancti Joannis Baptistæ effecta est. » Quod et mox hic habes. Variæ urbis et suburbiorum regiones erant, maxime Constantinopoli, et Alexandriæ, quæ certo numero distinguebantur. Sic in Menæis Græcorum, 23 Aprilis, martyrium, seu templum sancti Georgii Tropæophori esse dicitur ἐν τῷ δευτέρῳ, *in secundo*. In iisdem 18 Septemb. celebratur festum martyrum Charalampys, Pantaleonis, et sociorum, ἐν τῷ μαρτυρίῳ αὐτῶν τῷ ὄντι ἐν τῷ δευτέρῳ : *in ecclesia, quæ est in secundo*. Codex Can. African. Græcolat., in Conc. Carthag., anno 404 : Ἐν Καρχηδόνι εἰς τὴν ἐκκλησίαν τῆς βασιλικῆς σεκούνδου : *Carthagine in basilica regionis secundæ*. Item in Concil. Carthag., anno 407 : Ἐν Καρχηδόνι εἰς τὴν ἐκκλησίαν τοῦ δευτέρου κλίματος : *Carthagine in basilica regionis secundæ*. Sozom., l. vii, c. 24 : Λέγεται δὲ τότε τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐκδημῶν πρὸς τῷ Ἑβδόμῳ μηλ' (sic) γενόμενος, προσεύξασθαι τῷ Θεῷ ἐν τῇ ἐνθάδε ἐκκλησίᾳ, ἣν ἐπὶ τιμῇ Ἰωάννου τοῦ Βαπτιστοῦ ἐδείματο : « Fertur autem quod cum egressus Constantinopoli ad septimum milliare pervenisset, **1056** Deo preces nuncuparit in ecclesia illa quam in honorem Joannis Baptistæ construxerat. » Ita vertit Christophorsonus, qui pro depravato illo vocabulo legit μηλίῳ, uti et Curterius; Scaliger, μιλίῳ. Ego existimo fuisse κλίματι, vel κλ, abbreviate. Nec enim existimo ecclesiam illam sancti Joannis Baptistæ distare septimo milliari a Constantinopoli, sed esse in septimo climate, seu regione urbis vel suburbiorum. Vide Petrum Gillium, Topographiæ Constantinopolitanæ lib. iv, cap. 4. Vel certe septimum milliarium capiendum non de millibus passuum, sed de palatio, quod in septimo erat, et septimum quoque dicebatur. Vide Jacobum Cujacium, lib. xx Observat., cap. 3. Forte plura fuere milliaria seu columnæ insigniores Constantinopoli, et hoc ordine septimum erat.

Severianitæ. Vita Joannis Eleemosynarii, capite 50 : « Et cum Severianitis, ac cæteris circa regionem existentibus immundis hæreticis. » Intelligit, opinor, Acephalos hæreticos, qui paulo ante tempora Joannis Eleemosynarii orti anno Christi 513, auctore Severo Antiocheno episcopo. De quo Evagrius, Hist. Eccl. lib. iii, cap. 33 et 34. Vixit Severus hic temporibus Anastasii imp. et Hormisdæ Pont. Niceph., lib. xvi, cap. 31, et lib. xviii, c. 2, 7, 9, 23. Vix differunt ab Eutychianis. Vide Niceph., lib. viii, c. 45, et Joannem Maxentium, contra Acephalos. Idem a nonnullis dicuntur *Monophysitæ*, quod unam naturam in Christo defenderent cum Eutyche, quorum meminit divus Gregorius, libro x, epist. 55; et lib. ii, epist. 36, dicit Acephalos a Vigilio papa fuisse damnatos.

Alii sunt Severiani a Severo Encratitarum assecla, qui orti circa annum 170, de quibus Eusebius libro iv, cap. 29, et Epiphanius, hæres. 45 et Augustinus, hæresi 24.

Sibinus. Moschus, in Prato spirituali, capite 123 : « Invenique ibi senem vestitum collobio de sibino. » Græce, φοροῦντα ἀπὸ σιβίνου κολλόβιον. Habetur et cap. 120, hic ante, sed ibi Græcus textus deest. Sibinum quod huc faciat, etiamnum quæro. Noti σιβύνοι, genus teli. Justinianus, Novell. 85 : καὶ τοὺς τε καλουμένους σιβύνους, ἤτοι μισιβόλια. Et apud Festum : « Sibinam appellant Illyrici telum venabuli simile. » Ennius : « Illyrici restant sicis, sibinisque fodentes. »

Signum percutere. Pelagius, libello xvii, numero 20. Sic apud Joannem, libell. iii, num. 2, *percutiens*. De consideratione, dist. 2, cap. 50, ex concilio Cabilonensi : « Solent plures qui se jejunare putant, in quadragesima, mox ut signum audierint ad horam nonam, comedere. » Gregorius Turonensis, in Vitis Patrum a se conscriptis, in Gregorio Lingonensi episcopo : « Commotoque signo sanctus Dei, sicut reliqui, novus ad officium Dominicum consurgebat. » Idem, in Nicetio episcopo Lugdunensi : « Quod presbyter audiens gavisus, jussit signum ad vigilias commoveri. » Idem, lib. ii Hist. Franc., c. 23, *Signum ad matutinas*. Einhardus, De translatione sancti Marcellini et Petri, lib. iii, cap. 15 : « Turricula, quæ signa basilicæ continebat, ab eis conspici potuisset. » Capitularia, lib. vi, tit. 168 : « Ut sacerdotes signa tangant horis canonicis. » In Ordine Dunstani Dorobernensis Archiep. « Benedictio ad signum ecclesiæ, id est, tintinnum. » Leo Marsicanus, libro iii, cap. 42 : « Signum quo fratrum obitus significari solet, insonuit. » Vide Alcuinum, De divinis Officiis, cap. *Quid significent vestimenta*; Amalarium Fortunatum, lib. i, De ecclesiast. off., capite 1; Walafr. Strabonem, De reb. Eccl., cap. 5. A *signo* Gallis veteribus *seins*, et inde *tocsin*.

Quæ signa olim lignea erant. Liber miraculorum Anastasii martyris, qui recitatur in vii synodo, act. 4 : « Lignaque sacra pulsantes invicem obviam facti sunt. » Vide Baronium, tom. I, anno Christi 58, de duplici signo, quo olim fideles ad ecclesiam convocabantur, agentem. Lignea fere monasteriorum erant.

Singularis ferus. Vita Pachomii, capite 15, ex Psalmo lxxvii : « Exterminavit eam aper de silva, et singularis ferus depastus est eam. » Singularis hic substantive accipitur ut Græce μονιός. Suidas : Μονιός, ἄγριος ὗς νεμονωμένος [*Forte* νενεμημένος *vel* νεμόμενος] : « Monius, silvester porcus pascens. » Hesychius : Ὗς ἄγριος ὁ μὴ τοῖς ἄλλοις συναγελαζόμενος : « Porcus sylvester cum aliis non congregatus. » Sic in fabulis Æsopi, μονιὸς ἄγριος. Cyrillus, in expositione Oseæ prophetæ μονιὸν dicit significare ὄνον, ut annotat Hesychius; forte ille, qui ὄναγρος, id est, *asinus silvester*.

Sippulæ. *Vide*, *infra*, Zippulæ. Nescio an huc faciat quod est in Glossis Latinogræcis : *Sappulo*, λάμδα. An *Sappula*, vel *Sippula?* Nisi hoc sit a *sapa*, id est, vino defruto.

Solidus. Palladius, cap. 83, de Serapione Sindonita : « Se vendidit histrionibus viginti solidis. » Et hic et passim Palladio Græco est νόμισμα, quod Hervetus semper *nummum* vertit; sed Fronto noster mavult *solidum*. Solent enim plerumque scriptores Græci νόμισματα vocare aureos, quos interpres Vulgatæ Latinæ *solidos* vertit, ut I Paral. xxix, 7 : καὶ χρυσοῦς μυρίους, *et solidos decem millia*. Heraclides, cap. 24, de hoc Serapione, « quod viginti solidorum pretio paganis semetipsum distraxerit mimis. » Nummos autem Latini scriptores *sestertios* appellant, vel argenteos, vel æreos : at νόμισμα *nummum aureum* significat. Horat., epist. 1, lib. ii :

Rettulit acceptos regale numisma Philippos.

Aureum vero et solidum idem valere intelligimus ex variis legibus Digestorum et Codicis, et ex eo quod
B Socrates, lib. iv, cap. 34, ὀγδοήκοντα χρυσίνους dicat; et Epiphanius interpres, Tripartitæ lib. viii, c. 13, et lib. xii, cap. 2, *octoginta solidos* vertat. Lib. ii Codicis, l. 1 : « Solidos veterum principum veneratione formatos. »

Soror, id est uxor continenter in matrimonio vivens; ita et frater dicitur de marito continente. Pallad., c. 8, de Ammone conjugem alloquente : « Adesdum, domina et soror. » δεῦρο δὴ κυρία καὶ ἀδελφή. Vita Malchi, c. 10 : « Diligens eam ut sororem, non tamen ei me credens ut sorori. » Vita Basilii de Anastasio et Theognia : « Dicit nominatim uxori suæ, usu autem sorori. » Paulinus, epist. 26, ad Victricium : « Clericos pascit subjugatorum Deo conjugum arcana germanitas, quæ orationibus sedu-
C lis, lætum in operibus suis Christum ad visitationem jam non maritalis tori, sed fraterni cubilis invitat. » Sidonius, lib. v, epist. 16, de Papianilla sua : « Licet sis uxor bona, soror quoque optima es. » Gregorius, lib. iv Dialog., cap. 11 : « Presbyter quidam presbyteram suam ut sororem diligens, sed quasi hostem cavens, ad se propius accedere non sinebat. »

Spetlum. Retinui vocem Græcam, quod rarum esset vocabulum, et incertæ significationis. Joannes Moschus, Prato spirituali, cap. 184 : « Ita degens jugiter, nihil cum moreretur suo in monasterio dimisit, non portam, non fenestram, non spetlum, non candelam, non tabulam. » Græce : Οὐ θύραν, οὐ θυρίδα,
1057 οὐ σπετλὸν, οὐ κανδήλαν, οὐ πίνακα. Ambrosius
D Camaldulensis interpres omiserat σπέτλον. Suspicor intelligi σπέκλον, *speculum*, id est vitream fenestram ex speculari lapide; nam per θυρίδα intelligi potest *fenestra lignea*. Vox hæc et alibi occurrit; ut non videatur esse depravata. Dorotheus, doctrina 3 : Ἀλλ' ὥσπερ λύχνος διὰ σπέτλον, οὕτως ἄρχεται δεικνύειν ἡμῖν ἀμαυρότερον : « Sed quasi lumen per speculum translucens, ita nobis incipit quæcunque obscuriora et tenebrosiora ostendere. » Ms. libri hic habent σπέτλων, ex quo Editores fecere nunc σπέκλων. Basilica : Ὥσπερ τὰ ἐμβλήματα τῶν ἀργυρέων σκευῶν, καὶ τὰ σπέτλα τοῦ οἴκου. « Sicut emblemata argenteorum vasorum, et specula domus. » Doctissimus Leunclavius putat legendum σπέκλα. Forsan illo sæ-

culo ita locuti sunt. Non temere a veteri scriptura recedendum est. Psellus, De dæmonibus : Ὡς ἐπὶ τῶν ἐνόπτρων καὶ τῶν σπίλων ὁρᾶν ἐστιν. « Sicut per specula videre est.

Stabulum. Vita neptis Abrahæ, cap. iii : « Atque in stabulo se quodam, mutato pristino habitu, collocavit. » Et c. 6, *Divertit in stabulum*. Est hic stabulum diversorium. Ita stabulum frequenter tam a profanis quam sacris auctoribus usurpatur. Plinius lib. vi, epist. 19 : « Urbem Italiamque non pro patria, sed pro hospitio aut stabulo. » Spartian., Severo : « Dormienti etiam in stabulo serpens caput cinxit. » Item apud jurisconsultos, ut l. i, in fin., d. Furti adv. naut., et l. iv, d. In quibus caus. pign., et l. cxcviii, d. De verbor. signific., unde stabulum Theophilus vertit πανδοχεῖον in § penultimo Institut., De obligat. ex quasi delict. Cyprianus, epistola 67 : « Aut si in via stabulum aliquod obsideri, et teneri a latronibus cœperit, ut quisquis ingressus fuerit, insidiantium illic infestatione capiatur; nonne commeantes, hac opinione comperta, stabula alia in itinere appetunt tutiora, ubi sint fida hospitia, et receptacula commeantibus tuta? » Tertullianus, Apolog., capite 42 : « Itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris, cæterisque commerciis cohabitamus in hoc sæculo. » Hinc *stabularius*, qui diversorio præest. Vitæ neptis Abrahæ, capite 6 : « Subridens ait ad stabularium. » Seneca, lib i De benef., capite 13 : « Nemo se stabularii aut cauponis hospitem judicat. » Tertullianus, Apolog. cap. 39 : « Saliis cœnaturis creditor erit necessarius. Herculanarum decimarum et pollucторum sumptus stabularii suppeditabunt. » Ubi tamen alia lectio habet, *tabularii supputabunt*. Apuleius, Milesia 2 : « Sumo sarcinulam et pretio mansionis stabulario persoluto capessimus viam. »

Sticharion. Quod nunc Græce στηχάριον, nunc στοιχάριον, nunc στιχάριον scribitur, quæ postrema verior videtur lectio. Palladius, Lausiaca, cap. 136 : « Accepto suo stichario et cereo. » Ubi pro *cereo* legendum *birro* monui in notationibus. Græce, apud Metaphrasten in Vita Athanasii est : τὸ στιχάριον καὶ τὸ βίῤῥιν. Et Heraclidis interpres, cap. 51, habet : « Tunica ille tantum sua birroque vestitus. » Liturgia Chrysostomi, καὶ λαμβάνει στιχάριον, *et accipit tunicam*. Glossarium, στιχάριον, *tunica*, intelligitur *alba* seu *linea tunica*. Nam quod Athanasius, Apologia 2, habet : Καὶ πλάττονται πρώτην κατηγορίαν περὶ στιχαρίων λινῶν ὡς ἐμοῦ κανόνα τοῖς Αἰγυπτίοις ἐπιβάλλοντος. Ubi Petrus Nannius vertit : « Tale crimen de ordinariis linteis ementiuntur, quasi ego canonem istiusmodi tributi Ægyptiis inducerem ; » non percepit vim vocis στιχαρίου hoc loco interpres. Rectissime Fronto noster, notis ad Liturgiam Chrysostomi vertendum monet : « Et crimen ementiuntur de tunicis lineis, » etc. Sic enim restituendam eam interpretationem constat ex Sozomeno, qui referens eamdem historiam, sic ait lib. ii, cap. 21 : Πρώτην ὑπομένει γραφὴν ὡς χιτωνίων λινῶν φόρον ἐπιτιθεὶς Αἰγυπτίοις : « Primum in crimen vocatur, quod tributum linearum tunicarum Ægyptiis imposuerat. » In Testamento sancti Gregorii Nazianz. : Δοθῆναι βούλομαι στιχάριον α', πάλλια β' : « Dari volo tunicam unam, pallia duo. » Monet idem Fronto male a Junio versum in Curopalata, De offic. aulæ Constantinop. : τὸ σύνηθες αὐτῷ στιχάριον, *consuetum suum manipulum* : vertendum erat, *consuetam suam tunicam*.

Striniari. Pelagius, libello xvi, n. 14, *ne strinientur*. Synonyma Ciceronis Ms., in Lexico Cusano : « Saltabunt, histriabunt, striniabuntur. » Glossarium Græcolatinum : Στρηνιῶ, *gerrio*, *gestio*. Suidas : Στρῆνος, εἰς τὴν παλαιὰν τοῦτο κεῖται. Τὸ « στρῆνός σου ἀνέβη ἐν τοῖς ὠσί μου, » τουτέστ... « καὶ στρηνιῶ, ἀτακτῶ. » « Strenus. Hoc vocabulum invenitur in Veteri Testamento : *Tua immodestia ascendit in aures meas*, hoc est..... *et strenio*, *immodeste vivo*. » Locum Suidæ imperfectum ita supplet Portus : τουτέστιν, Ἡ σου ἀταξία, ἡ ὑπερηφανία, ἡ ἀκολασία. *Tua dissolutio*, *superbia*, *intemperantia*. Locus Veteris Testamenti, quem citat Suidas, est iv Reg. xix, 28. Eadem vox occurrit in Novo Testamento, Apocalypsis xviii, 3 : Καὶ οἱ ἔμποροι τῆς γῆς ἐκ τῆς δυνάμεως τοῦ στρήνους αὐτῆς ἐπλούτησαν. *Et mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt*. Ibidem, 7 : Καὶ ἐστρηνίασε, *et in deliciis fuit*. Ibidem, 9 : Οἱ μετ' αὐτῆς πορνεύσαντες καὶ στρηνιάσαντες, *cum illa fornicantes et luxuriantes*. Varinus : Στρηνιᾶν, ἀτακτεῖν. Καὶ στρηνιῶντες, παρὰ τὸ στιρεῖν καὶ ἀποσπᾶν τὰς ἡνίας, ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ἀλόγων ζώων. « Striniare per metaphoram dicitur ab animalibus ratione carentibus, quod freno careant. »

Super pacem esse. Vita Joannis Eleemosynarii, cap. ii : « Mittens enim mox dispensatores, et eum qui dicebatur Super pacem. » Nescio an hoc loco intelligendus sit diaconus, qui pronuntiabat εἰρηνικά, quæ exstant in Euchologio Græcorum. Sic apud Curopalatam, De offic. Constantin. : Τοῦ Ἀρχιδιακόνου τὰ εἰρηνικά, ὡς ἔθος, εἰπόντος. « Archidiacono preces pro pace, ut moris est, recitante. » Nam fere archidiaconi erant œconomi seu dispensatores Ecclesiæ, quorum hic mentio. Metaphrastes in Vita hujus sancti tantum habet, « iis accersitis qui res Ecclesiæ dispensabant. » Μεταχαλεσάμενος τοὺς τὰ τῆς ἐκκλησίας οἰκονομοῦντας. Non existimo hic intelligi *Irenarcham*, seu *pacatorem*, qui pacem et quietem in provinciis et urbibus curabat, de quo supra diximus in Irenarcha. Nisi forte præter sæcularem Irenarcham et alius Ecclesiasticus fuerit.

Suriscula. Pelagius, libello iv, n. 67 : « Lavabat surisculam, et implebat eam aqua. » Idem, libello viii, num 4 : « Propter cauma tulerunt surisculam, et dederunt ei ut biberet. » Idem, libello vii, n. 33 : « Una autem die implens sibi surisculam aquæ. » Idem, libello xvi, num. 3 : « Suriscula tua, abba, veneno est plena. » Idem, libello xviii, n. 7 : « Puerulus stetit ante eum habens panem et surisculam aquæ. » Quid sit et unde suriscula dicatur, non plane expedio. Excerpta ex vet. Gloss. Græcolat., ubi de vasis fictilibus : *Pultarium*, σηρίσκος [*An leg.* συρίσκος ?] Vulcanius legit *pulta-*

rium, σηρίσκος. Sed quis eo significatu σηρίσκος usurpavit? Invenio in Hesychio: Συρίσκος, ἀγγεῖόν τι πλεκτὸν, εἰς ὃ σῦκα ἐμβάλλουσι, τινὲς δὲ ὑρίσκον [Leg. ὑρρίσκον.] Syriscus (seu) suriscus vas e vimine vel alia materia plexum, in quo ficus reponi soliti, quod quidam ὑρίσκον vocant. » Apud eumdem Hesychium: Ὑρισίδα, σπυρίδιον, σπυρίς. Item ὑρισσὸς, φορμός: « Hyrisida, sportula, sporta. Hyrissus, sporta. » Sed hæc plexa et viminea aquam continere non possunt. Volunt autem σύριχος vel συρίσκος, dictum quasi σύκων ἄριχος. Quare cum Hesychio ὑδρίσκη sit ὑδρεία, videndum an hinc suriscula pro sudriscula proveniat δ abjecto. Certe ὑ in su sæpe vertitur, ut ὗς, sus, et multa talia: nisi suriscula sit a σύρω, id est, traho, quod ea aquam extrahebant e puteis. Sic Isaiæ xx: ὄστρακον, in quo ἀποσυρεῖ ὕδωρ, ostracum, quo aqua hauritur. B Vide notas in LXX Interpretes, ad cap. iv, Oseæ ex editione Romana.

Syncellus, seu Syngellus. Pratum spirituale, cap. 132: « Videns igitur eum patriarcha dixit Menæ syncello seu assessori suo. » Vim usumque vocis Græcæ συγκέλλου non satis exprimebat assessor; quare Græcum vocabulum in textu Latino posui. Erat vero syncellus in Græca Ecclesia proximus a patriarcha. De quo plura Gretzerus noster, ad Codinum, lib. iii, cap. 14, Comment., et Meursius, in Glossario Græcobarbaro. Ubi tamen hallucinatur, cum in Notkerii Balbuli Martyrologio congellum capit pro syngello. Imo Congellus viri sancti Hiberni nomen proprium est, discipuli sanctæ Columbæ, cujus festum occurrit 9 Junii. Ipse vero Congellus præceptor 1058 C fuit sancti Columbani. Vitæ ejus cap. 3: « Monasterium cujus vocabulum est Benchor petiit, in quo præsul virtutum ubertate cluebat beatus Congellus, egregius inter suos monachorum Pater. »

Tabennesus. Palladius, cap. 38: « Tabennensis est locus sic appellatus in Thebaide. » Ubi notat Fronto noster: In editione Lugdunobatava legebatur, ταβέννησίς ἐστι τόπος, et corrigebat ex conjectura Meursius, ταβέννη τίς ἐστι τόπος quod ταβέννη diceretur insula; at regius Ms. et Nicephorus Græcus imperatoris Ferdinandi II constanter retinent ταβεννήσιος ut sit a ταβέννη ταβεννήσιος, ut tractus Rhodani dicitur Ῥοδανήσιος, et Λουγδουνήσιος, Lugdunensis ager. In Vita Pachomii, Dionysius interpres: « Accidit ut ad loca Tabennensium navigio perveniret. » Heraclides D etiam hoc loco vertit: « Tabennensis nomine in Thebaide provincia dicitur locus. »

Taricha. Vitæ Antonii cap. 35: « Asserebant cuncti, piscium falsorum et tarichorum in navi positorum hunc esse putorem. » Ea vera lectio, non caricarum, vel carixarum, ut hactenus editum. Erant τάριχα salsamenta, unde ταριχοπῶλαι, salsamentarii, et ταριχοπωλεῖα salsamentariorum officinæ. Vide scholiastem ad Aristophanis Equites.

Taurea. Id est, scutica, flagellum. Palladius, Lausiacæ cap. 8: « Adfuit dæmon quadam nocte tauream tenens sicut carnifex, » ubi Hervetus, novitius Palladii interpres, cap. 18, vertit: « Taurina pelle A edens strepitum. » Melius Heraclidis interpres: « Sonumque flagris facere videbatur. » Hesychius, μαράγνα τῇ ταυρείᾳ. Item μαράγνα, μάστιξ, ῥάβδος, ταυρεία. Athanas., epist. Ad solit. vitam agentes, de Arianis Eutychum subdiaconum Alexandriæ infestantibus, p. 658: καὶ ποιήσαντες εἰς τὰ νῶτα ταυρείαις ἴσα θανάτῳ κατακοπῆναι: « Quem primum scuticis usque ad mortem curarunt verberari. » Quia vero taureæ ex corio bubulo fiebant, somniantibus præsertim servis se carnibus bubulis vesci, flagra iis imminere conjectat seu somniat potius Artemidorus, libro i, cap. 72: Δούλοις δὲ βασάνους (σημαίνει) διὰ τὸν ἱμάντα, καὶ τὴν ταυρείαν: « Servis vero tormentum (designat) propter lorum et flagrum taurinum. » Euseb., in Chron., olymp. 55: « Tarquinius Superbus excogitavit vincula, taureas, fustes, latomias, carceres, exsilia, metalla, compedes, catenas. » Quæ desumpta videntur ab Hieronymo ex Eutropii historia. Tertullianus, ad martyres, cap. 5: « Alii inter venatorum taureas scapulis patientissimis inambulaverunt. » Vita Pontii martyris, 14 Maii: « Statim egressi sunt duo venatores cum taureis et nervicis secundum consuetudinem. » Juvenal., sat. 6:

> Altior hic quare cincianus? Taurea punit
> Continuo flexi crimen facinusque capilli.

Glossæ veteres: « Taureæ, plagæ, nervi. » Glossarium Camberonense Ms.: « Taureæ, quoddam genus tormenti. » Glossarium Claromarescanum Ms.: « Taureæ, plagæ, nervi genitalis tauri. »

Et quia ex taurino corio varia fiebant, ideo nunc scutum, nunc galeam, nunc alia quoque ea vox signat.

Templum. In aliquot Patrum Vitis mentio fit quarumdam partium templorum ut sacrarii, tribunalis. Vide dicta supra, in Bema, seu Βημα. Ne quid ad ea loca intelligenda desideretur, consule quæ de Græcorum templis notavit Gentianus Hervetus, ad Liturgias, qui templum Græcorum in tres partes dividit. Supra, in Bema, in quinque partes divisum habes ex aliorum sententia. Sed res in idem recidit. Vide et Meursium, in Glossario Græcobarbaro, in Πρόθεσις, qui templa Græcorum etiam in tres partes dividit.

Tenattes. Vita Hilarionis, num. 4: « Et pelliceum habens ependytem, » quo loco Joannes Andreas epistolarum divi Hieronymi vetus editor, post ependytem addit, et eraciestem, cujus loco tres Mss. apud Adonem in Martyrologio, 21 Octobris, habent, et tenattem. Neutrum in textum recepi, veritus ne interpretamenta sint vocis ependytes. Sed ipsa interpretamenta voce primaria sunt obscuriora. Supra de eracieste inquisivi, nunc videamus quid tenattes. In primis videtur non esse distinctum aliquid ab ependyte, sed potius ejus interpretationem. An legendum et nactem, ut te irrepserit ex fine ependyten? Νάκος et νάκτα Hesychio, pellis et pili. Sunt qui tenattem divinent ortum ex Græco τὴν νάκην, quasi tenacem. Ita Lansselius noster. Sed cum Hieronymus Latine scripserit, nec ex Græco verterit, alia quærenda ratio.

Suspicor tenattem pro renattem in plerosque libros

irrepsisse. *Renaltis* autem depravatum et detortum a renone. Suspicionis meæ fundus est Ms. Sancti Floriani vetustissimus, in quo hic locus ita conceptus : « Et pelliceum habens ependyten (renatum hoc est pallium). » Explicat videlicet *pelliceum ependytem* per *pallium renatum* seu *renovatum* a *renonibus*, qui ipsi quoque pellicei.

THEBAIDA. Ita sæpe nominandi casu occurrit in his libris pro *Thebais*. Hieronymus, in Vita Pauli primi eremitæ num. 2 : « Multas apud Ægyptum et Thebaidam ecclesias tempestas sæva populata est. » Ea forma dicitur *Persida* pro *Persis*, in Vita sancti Sebastiani ; *Ptolemaida* pro *Ptolemais*, Marciano Capellæ, l. VI, cap. De tertio sinu. Sic eidem *Chalcida* pro *Chalcis*, sic supra habuimus *absida* pro *absis*.

Porro duplex erat Thebaida : una dicebatur *inferior*, altera *superior*. Hieron., in Vita sancti Pauli primi eremitæ, c. 4 : « Quo talia gerebantur apud inferiorem Thebaidam. » Vita Pachomii c. 27 : « Qui cum solemniter superioris Thebaidæ circuiret ecclesias. »

THOLUS. Vita Joannis Eleemosynarii, cap. 26 : « Illic enim eis fecerat quasi tholos quosdam prolixos. » Palladius, cap. 8 : « Et sibi fecit duos cellarum tholos. » Et capite 43 : « Et in cacumine montis factis sibi tribus tholis, ingressus, seipsum inædificavit. Atque erat quidem unus tholus ad usus carnis, unus autem ubi operabatur, alius vero ubi orabat. » Intelligit hic per tholos integrum ædificium, non partem aliquam. Etymologicum magnum : Θολος περιφερὶς οἰκοδόμημα ἀπὸ τοῦ περιθεῖν. Θόλος τόπος τις ἐν τοῖς ἀρχείοις κληθεὶς, διὰ τὸν τρόπον τῆς κατασκευῆς· ἦν γὰρ λιθοειδὴς, καὶ ὀροφὴν εἶχε περιφερῆ οἰκοδομητὴν, οὐχὶ ξυλίνην, ὡς τὰ ἄλλα οἰκοδομήματα. Λέγεται θηλυκῶς « ἡ θόλος » : « Tholos domus est rotunda, dicta ἀπὸ τοῦ περιθεῖν, a circumcurrendo. Item locus quidam in tabulariis seu archivis dicebatur, a fabricæ ratione. Lateribus enim constructus videbatur, et fastigium habebat rotundum, erat autem ex structura, non e ligno, ut cætera ædificia. Dicitur feminine *hæc tholus*. » Vide et Phavorinum, in Lexico.

THYMIAMA. Ritus thymiama incendendi in honorem sanctorum jam olim in usu. Pratum spirituale Joannis Moschi, c. 57 : « Mittite thymiama in thuribulum. » Græce : βάλλετε θυμίαμα. Divus Chrysostomus, homil. 41, de sancta Pelagia virg. et mart. Antiochena, qui ex eo ritu suos admonet, ut dum domum quasi processione facta a Pelagiæ tumulo redeunt, sermones inter se de martyris virginisque gestis conserant, atque ita viam velut spiritali thymiamate suffiant : Θυμιαμάτων 1059 ἐμπλήσωμεν τὴν λεωφόρον· οὐδὲ γὰρ οὕτως σεμνὴ φανεῖται ἡ ὁδὸς, εἰ διὰ πάσης αὐτῆς θυμιατήριά τις τιθεὶς τῆς εὐωδίας ἀναχρώσειε τὸν ἀέρα, ὡς σεμνὴ φανεῖται νῦν εἰ πάντῃ ἡ [*F. leg.* πάντες οἱ] τήμερον αὐτὴν ὁδεύοντες τοὺς ἄθλους τῆς μάρτυρος πρὸς ἑαυτοὺς διηγούμενοι, βαδίζοιεν οἴκαδε, θυμιατήριον τὴν ἑαυτοῦ γλῶτταν ἕκαστος ποιῶν : « Multo thuris vapore seu thymiamate viam impleamus. Non enim tam honesta via illa apparuerit, si thymiateriis seu vaporis atque odoris instrumentis (acerris scilicet vel thuribulis) per illam totam dispositis, aerem ipsum odoris suavitate perfuderis, quantum si omnes, qui hodie per illam ipsam viam incedunt, martyris certamina inter se narrantes domum redeant, linguas ipsas singuli pro thymiaterio seu vaporis instrumento exercentes. » Ubi pulchra subdit de ordinata et composita processione. Vita Audoeni episcopi, apud Surium, 24 Augusti : « Cum crucibus et lampadibus, atque thymiamateriis, etc., corpus humeris gestantes, » etc.

TUMULUM COMPONERE. Vitæ Pauli, num. 6 : « Tumulum ex more composuit. » Dixi ibi ex Hieronymo, clericorum id munus fuisse, sed non quorumvis, sed eorum, qui *copiatæ* seu *laboratores* dicti fuere, late capiendo nomen clerici. Certe Patres quidam *copiatas* inter clericos recensent. Apud Ignatium, epist. ad Antiochenos : Ἀσπάζομαι ὑποδιακόνους, ἀναγνωστὰς, ψάλτας, πυλωρούς, τοὺς κοπιῶντας, ἐπορκιστὰς, ὁμολογητάς : « Saluto subdiaconos, lectores, cantores, ostiarios, laboratores, exorcistas, confessores. » Epiphanius in fine Panarii : Λοιπὸν δὲ καὶ κοπιαταί, οἱ τὰ σώματα περιστέλλοντες τῶν κοιμωμένων, καὶ θυρωροί : « Deinde laboratores, qui corpora eorum qui obdormierunt, obvolvunt ac operiunt, et ostiarii. » Cod. Theodos. libro XVI, tit. 2, l. 15 : « Clerici vero, vel hi quos copiatas recens usus instituit nuncupari, ita a sordidis muneribus debent immunes atque a collatione præstari, si exiguis admodum mercimoniis tenuem sibi victum vestitumque conquirent, » Quomodo *copiatæ* inter clericos numerati, vide Bellarmin., tomo II, controv. 2 gener., lib. I, de Cler., cap. 11.

Existimo *tumulos* olim *ex more* compositos, id est, exaggeratos, unde Heliodoro, Æthiopic. lib. I : Καὶ χοῦν ὀλίγον ἐπιφορήσας, « et tumulum aliquantulum accumulasset, » ut in oculos incurrerent, et mortales mortalitatis monerent. Unde ut *monumenta* a monendo dicta. Hinc Sidonius, ne quis temere violaret Apollinaris sepulcrum, quod olim exaggeratum nunc temporis longinquitate subsiderat, monet viatorem, lib. III, epist. 12, ne « tellurem tereres inaggeratam. » Quam utile sit monumenta inspicere, vide Chrysost. homil. De fide et lege.

TYPUS TERTIANUS. Ruffinus, libro II, capite 1 : « Tertiano typo gravissime vexabatur. » Ubi pro *typo* frustra *pyrcto* substituit Melchior Goldastus, tomo I, parte II, Rerum Alemannicarum, notis in Ilepidannum, de Vita sanctæ Wiboradæ, libro I, capite 27, ubi etiam temere supponit *pyretico* pro *frigoretico*. Et *typus* et *frigus* de febri dicitur.

De typo vide dicta ad textum citatum Ruffini. Glossarium Camberonense Ms. : « Typhi dicuntur frigidæ febres. Sunt autem accessionum et recessionum revolutiones statutis temporum intervallis. » Sed *typi* legendum. Nam alia est febris *typhodes* τυφώδης, quæ est symptomatica ex ardentium genere, nata e jecinoris erysipelate, aut renum ; sic quæ ab erysipelate pulmones infestante oritur, κρυμώδης vocatur.

Idem Goldastus, in Vita Eugeniæ, c. 12, ex suo

Manuscripto citat : « Quia quartano typo gravissime, et jam per annum et eo amplius vexabatur. » Ubi rursus reponit *pyreto*. Sed nostri libri eo loco habebant absolute *quartana*, supple *febri*. Vita sancti Winebaudi abbatis, in Promptuario sacrarum Antiquitatum Tricassinæ diœcesis : « Quem tertiana typus incommodis gravissimis perurgebat. » Ubi nequidquam Nicolaus Camuzat scholiastes existimavit *typus* supervacaneum esse, et in textum irrepsisse. Gregorius Turonensis, De gloria Confess., c. 24 : « A quartano typo quatiebatur. » Et cap. 82 : « Quartani typi vexaretur ardoribus. » Idem in Vita Galli, in Vitis Patrum a se conscriptis : « Cum Julianus, a quartano typo correptus, graviter cruciaretur. » Et mox : « Valentinianus a typo quartano corripitur. »

De *frigore* et *frigoreticis* testis est idem Gregorius, De gloria Confess., capite 24 : « Nam quanti frigora passi, quanti a pustulis malis vereno incrassante præmortui? » ubi *frigora* sunt frigidæ febres. Inde *frigoretici* eidem Gregorio, De gloria Martyrum, lib. I, cap. 75 : « Nam si qui nunc frigoretici in ejus honore missas devote celebrent, ejusque pro requie Deo offerant oblationem, statim compressis tremoribus, restinctis febribus, sanitati pristinæ restaurantur. » Et lib. De gloria Confessorum, cap. 59 : « Nam energumeni, frigoretici, cæterique infirmi plerumque ad ejus tumulum exorantes, accepta incolumitate recedunt. » Et cap. 64 : « Ad cujus tumulum sæpius frigoretici, cæterique infirmi sanantur. » Et cap. 101 : « Nam et frigoreticorum febres, et alia incommoda ejus meritis restinguuntur. » Idem in Vita Monegundis, in Vitis Patrum a se conscriptis : « Frigoreticus quoque accedens ad hoc monumentum, ut pallam tegentem attigit, restincta contagionis febre convaluit. » Et in Vita sancti Martii apud eumdem : « Frigoreticorum vibrantia membra. » Item in Vita Nicetii, episcopi Lugdunensis, ibidem. Quod in Palladio Græco est c. 12 (nam Latino deest) : Οὗ τὸ μνῆμα λέγεται θεραπεύειν πάντας τοὺς ῥιγιαζομένους. « Fertur hujus monumentum sanare omnes frigoreticos ; » Heraclidis interpres vertit, « diversis febribus laborantes. » τὸ ῥῖγος *frigus vehemens* sonat. Apud Medicos ἐπιβολὴ ῥίγους, *frigoris accessio*; et apud Dioscoridem, ῥίγη περιοδικὰ, *rigores febrium circuitu redeuntes*, et ῥιγοῦντες, *qui algent*.

Vavæ. Occurrit aliquoties in Vita Joannis Eleemosynarii. Hesychius : Βαβαὶ θαυμαστικὴ φωνή : « *Babæ*, vox admirantis. » Lexicon Græcolatinum Cyrilli : Βαβαί, Babæ.

Vespertinum lumen. Palladius, cap. 38 : « Et cum ad vespertinum lumen venirent. » Græce : ἐν τῷ λυχνικῷ, *in lucernario*. Heraclides, cap. 19 : « quando ad vespertinum lumen venirent. » In Vita Pachomii, cap. 22, duodecim diurnæ, duodecim vespertinæ, et nocturnæ duodecim. Cassianus, libro III Instit., cap. 3 : « Ad extremum undecima, in qua lucernaris hora signatur. » Theodorus Balsamon, in can. 91 synodi VI : Καὶ καταλήγειν μέχρι τῆς συμπληρώσεως τοῦ λυχνικοῦ ἤτοι τοῦ ἑσπερινοῦ τῆς κυριακῆς. « Et desinere ad complementum divini officii. » Fronto.

Vicaria. Palladius, cap. 123 : « Macarius ex vicaria. » Intellige Macarium gessisse vicariam præfecturam. Græcis ἀπὸ βικαρίας, *exvicarius*, qui vicariam præfecturam gessit. Severus Sulpicius, dial. 3, c. 1 : « Ægre tamen obtinui ut Eucherium ex vicariis et Celsum admitteret consularem. » Idem, cap. 18 : « Lycontius ex vicariis vir fidelis. » Βικαρία occurrit apud Justinianum, Novell. 8. Sic apud Chrysostomum, epist. 14 : Οἱ ἀπὸ βικαρίων, οἱ ἀπὸ ἡγεμόνων, σοφισταί, οἱ ἀπὸ τριβούνων : « Ex vicariis, ex præsidibus, sophistæ, **1060** extribuni. » Quæ non rite Anglicani scholiastæ percepere, cum ipsi *vicarios*, *duces*, *tribunos* interpretentur, cum potius *exvicarios*, *expræsides*, *extribunos* vertisse oportuit. Vide Frontonem nostrum, notis ad eam epistolam. Deceptus fuit Abrahamus Ortelius, qui *Vicariam* apud Pallad. locum quemdam esse existimavit.

Vitta. Palladius, cap. 1 : « Hic sanctus (Isidorus) usque ad horam obitus nihil lineum gestavit extra vitam. » Οὗτος ὁ ἅγιος μέχρι τῆς τελευτῆς οὐκ ὀθόνην ἐφόρησεν ἐκτὸς φακιολίου. Venetus diserte φακιόλιον exhibet, quo modo etiam legisse videtur in suo Codice Hervetus, dum *vittam* vertit. Nec aliter olim interpres Heraclidis in textu suo reperit, cum, capite 1 Paradisi, vertit : « Non linteo usus est, nisi eo quo velaret caput. » Suidæ φακιόλιον est capitis tegumentum : Φάκελλος, τὸ τῆς κεφαλῆς φόρημα, ὃ καὶ φακιόλιον λέγεται. « Phacellus capitis gestamen est, quod et phaciolium dicitur. » Pratum spirituale, cap. 196 : Οἱ δὲ τοῖς φακιολίοις ἐῤῥίπιζον. « Illi vero fasciolis pro flabellis utentes. » Photius, Cod. 3, ex Nonnosi Historia : Τὰ σανδάλια, φησί, νυνὶ λεγόμενα, ἀρβύλας ἔλεγον οἱ παλαιοί, καὶ τὸ φακιόλιον, φασώλην. « Vult quæ nunc dicuntur sandalia olim dictas arbylas : et quod nunc dicitur φακιόλιον, olim dictum φασώλην. » Non vero ut in indice Photiano est, « postrema hæc duo vocabula veteres pro sandaliis usurpasse. » Regius et Palatinus Codex Palladii habet, ἐκτὸς φακιαλίου. Quare Fronto et Meursius malunt vertere, *excepto faciali*, ut Græca hæc vox posteriori ævo e Latina formata sit, *facialis*, de qua in Glossis Latinogræcis : « Da facialem, » δὸς προσωπίδιον. Ita in Colloquio scholastico, Ξύστραν προσόψιον, ποδεκμάγιον, λήκυθον : « Strigilem, facialem, pedulem, ampullam. » In Regula sancti Cæsarii : « Acupicta nunquam nisi in mappulis et facitergiis, in quibus abbatissa jusserit, fiant. » In Glossario Arabicolatino, « facitergium et manutergium a tergendo faciem vel manus, vocatum. » *Facialem* igitur appellat linteum, quo facies sudore manans tergebatur, qualia erant quæ oraria dicebantur et mappulæ.

Volumina, id est cameræ vel fornices. Heraclides, cap. 2 de Ammone : « Fecitque sibi duarum voluminum cellarum. » Palladius, cap. 8 : « Et sibi fecit duos cellarum tholos, » Οἰκοδομεῖ ἑαυτῷ δύο θόλους κελλίων. Hinc *transvolvere*, id est, fornicem facere. Gregorius Turonensis, lib. VIII : « Erat autem ibi

crypta ab antiquis transvoluto elegantique opere exposita. » Idem libro de Vitis Patrum, c. 7, in Gregorio Lingonensi : « Ante altare fundamenta jacit, erectaque absida miro opere construit, et transvolvit. » Videtur tractum a serpentibus, qui proprie promovendo se volumina faciunt. Claudianus, panegyri in quartum consulatum Honorii :

Cærulæus tali prostratus Apolline Python
Implicuit fractis moritura volumina silvis.

Sidonius Apollinaris :

Figeret innumeris numerosa volumina telis.

Vide, supra, Tholus.

Xenium. *Vide* Exenium.

Zaberna videtur capi pro armario, repositorio, sacco. Palladii Lausiaca, ex veteri interprete, cap. 14 : « Quos (latrones) ligavit simul, sicut zabernam de paleis. » Interpres Heraclidis, cap. 7 habet *saccum palearum*. Ita et Hervetus, recens Palladii interpres. Excerpta mea Ms. Veneta hic habent ζάβερνον, alii σάκκον. Sed zaberna etiam aliis auctoribus usurpata. Abdias, lib. iv Hist. Apost., in Jacobo Joannis fratre : « Collectis libris magicis, zabernas plenas ad apostolum attulit cervicibus et suis et discipulorum impositas. » Item : « Appende zabernis lapides et plumbum, et mitte in mare. » Ita ibi Ms. exhibent, Vulgo *zabyras* et *zabyris* legitur, unde Joannes Meursius Lexico Græcobarbaro faciebat *zabarias*, quod *zabarium*, σαβαρεῖον, sit repositorium zabarum seu loricarum,

Sed proba lectio apud Abdiam est *zaberna*. Papias Vocabularista : « Zaberna, arca vel armariolum. » Item : « Zaberna, ubi vestes reponuntur, vel quidlibet aliud. » Glossarium Camberonense Ms. « Zaberna dicitur ubi vestes reponuntur, arca vel armariolum. » Vita sancti Udalrici : « Interim etiam quæsivit zabernas et calceamenta. »

Zæta. Quod Vitæ Basilii, cap. 5, est *ad insigne habitaculum*, Græce est, ἐν ἐπισήμῳ διαίτῃ, quod alter Vitæ Basilii interpres in *zætam* deflexit. Et *diæta* et *zæta* dicebatur. Suetonius, Claudio, cap. 10 : « In diætam, cui nomen est Hermæum, recesserat. » Sæpe et *diæta* et *zæta* occurrunt apud auctores. Vide Lexica Juris. Glossarium Camberonense Ms. « Zætæ, domus quæ subtus pedes habent aquas. » Ibidem : « Zætæ hiemales, domus, quas calefacit subductus ignis; zætæ æstivales sunt, quas infrigidat aqua subducta. » Eadem fere apud Papiam.

Zema. Vita Joannis Eleemosynarii, cap. 20 : « Quanti vellent tingere panem suum in zemate, quod projiciunt coqui mei. » Hinc ἐπίζεμα, ebullitio in summa olla fervente. Sanctus Hieronymus, lib. iii, in Oseam : « Pro *spuma* Septuaginta, Theodotio φρύγανον, id est, *cremium* transtulit, aridas scilicet herbas, quæ camino et incendio præparantur. Symmachus posuit ἐπίζεμα, volens ostendere ferventis ollæ superiores aquas, et in spumam bullasque surgentes, quas Græci πομφόλυγας vocant. »

Zippulæ, seu Sippulæ. Pelagius, libello iv, n. 59 : « Fecit de farinula lenticulam et zippulas. » Ruffinus, lib. iii, n. 54, in eadem re habet *placentas*. Rursus apud Pelagium, libello viii, n. 15 : « Da eis modicas zippulas, quia de labore sunt. » Ita eo loco habent Mss. et veteres Editiones. Aliqui supposuerant *pultes*, pro *zippulas*. Cum nunc *zippula* nunc *sippula* scribatur, videndum an sit a verbo *supare*, vel *sipare*, vel *sipere*. Vide Festum et Paulum, apud quos habes *farinulam* et *pultes*. Quod igitur vulgata hic lectio habebat *pultes*, erat hæc *sippularum*, quæ vera et antiqua fuit lectio, interpretamentum. Palladius, cap. 74 : « Pytirion comedebat parvam pultem ex farina. » Græce, ζωμὸν ἀλεύρου. Puto *sippulas* has esse.

ADDENDA

AD QUOSDAM PRIORUM

LXXIV PATROLOGIÆ

TOMORUM,

IN QUIBUS

AUCTORES VI PRIORUM SÆCULORUM ECCLESIÆ

CONTINENTUR.

ADDENDA
AD QUOSDAM LXXIV PRIORUM TOMORUM PATROLOGIÆ
IN QUIBUS AUCTORES VI PRIORUM SÆCULORUM ECCLESIÆ CONTINENTUR.

AD TOMUM VIII.

I.
NOTITIA HISTORICA IN CONSTANTINUM.

(Fabricii Biblioth. Græca, t. VI.)

I. Flavius Valerius Aurelius Claudius Constantinus, cognomine Magnus, Flavii (*a*) Valerii Constantii Chlori F. natus Naisi Daciæ oppido a. C. 274, die 27 Febr. Parenti in imperio successit a. C. 306, 25 Jul. Uxorem habuit Minervinam Crispi matrem, eaque defuncta, Herculii filiam Flaviam Maximianam Faustam, ex qua Constantinum, Constantium et Constantem, Constantiamque et Helenam genuit. Idem post visum in cœlo crucis insigne Christiana sacra amplexus et victoria de Maxentio potitus est a. C. 312. Hinc Maximino a persequendis Christianis desistere coacto, et victo etiam Licinio, nihil ab eo intermissum quod ad Ecclesiam Christi ornandam amplificandamque et studia litterarum fovenda (*b*) facere posset. Unde a Græcis ἰσαπόστολος vel ὁ ἐν βασιλεῦσι (*c*) Ἀπόστολος dicitur et solemniter colitur ejus memoria die 21 Maii. Non ineleganter etiam a Theodorito in Historia religiosa, p. 768, appellatur Christianorum Zorobabel, qui fideles e captivitate liberavit et templa eis restituit. Denique multis pace et bello præclare gestis, morti vicinus, ab Eusebio Nicomediensi, non procul Nicomedia in Achyrone villa, baptismum (*d*) suscepit, et paucis diebus post diem obiit sacro Pentecostes festo, 22 Maii a. C. 337, Feliciano et Titiano coss., cum regnasset XXX annos, menses IX, dies XXVII, vixissetque annos LXIII, menses II, et dies XXV.

II. Exstant ejus epistolæ complures ab Eusebio et alii servatæ, quæ a doctissimo Caveo in Hist. litteraria scriptorum ecclesiasticorum diligenter recensentur. Ejus observatis pauca hæc si placet addes: *Epistolæ ad Athanasium* fragmentum pro Ario recipiendo (*e*) habet etiam Socrates, lib. I, cap. 27, et Sozomenus, II, 22. *Edictum prius pro pace* Christianis concedenda, quod Græce Eusebius refert X, 5, Hisp., servavit Latine Lactantius lib. de Mortibus persecutorum, c. 48. *Epistola ad Ecclesias de Synodo Nicæna* legitur etiam apud Theodoritum, lib. I Hist. Eccles., cap. 10. *Epistola ad Arium et Arianos* quam producit Gelasius in Actis concilii Nicæni III, 1, suppositilia videtur Casaubono, in Casaubonianis, pag. 145. Prodiit hoc rescriptum etiam separatim Paris. 1595, in-8°. Ab *Epistola ad synodum Tyriam*, quam habent Eusebius, IV, 42, de Vita Constantini, et Theodoritus, lib. I Hist., cap. 29, diversa est quæ exstat apud Socratem, lib. I, c. 34, Sozomenum, II, 28, nec minus in Tripartita, III, 7, et apud Nicephor., VIII, 50.

Oratio ad sanctorum cœtum ad calcem librorum Eusebii de Constantini Vita legitur Græce e Latino versa, non ab Eusebio, sed ab alio interprete, ut ipse, lib. IV, cap. 32, de Vita Constantini, diserte innuit.

Similiter a nescio quo e Latino Græce versa est brevis *Oratio ad synodum Nicænam de Pace*, quam idem Eusebius, III, 12, exhibet. Prolixiorem quæ occurrit apud Gelasium, II, 7, legit etiam Theodoritus; ut ex ejus lib. I, cap. 7, Historiæ colligitur.

(*a*) Ita vocatur in nummis, ut apud Tristanum, t. III, p. 395, quanquam alii, ut Aurelius Victor, Julium Constantium appellant. Constantini M. nummos illustrarunt, præter alios, qui numismata imperatorum ediderre, Cangius, in familiis Byz., atque Alexander Wilthelmius, S. J., in Actis sanctor., t. V Maii, p. 22 seq.

(*b*) Aurel. Victor, in Epitome, cap. 41, de Constantino: *Commodissimus rebus multis fuit; calumnias sedare legibus severissimis, nutrire artes bonas, præcipue studia litterarum; legere ipse, scribere, meditari, audire legationes et querimonias provinciarum.* Confer Eusebii Orat. de laudibus Constantini, pag. 361, ubi de Scholis ab eo constitutis.

(*c*) Vide Vales., ad Euseb IV, 60, de Vita Constantini, et Mich. Le Quien, ad Damascenum, tom. I, pag. 630.

(*d*) Baptismum alterum, quem a Silvestro episcopo Romano suscepisse lepra obsitum Constantinum acriter adversus Tentzelium τὸν μακαρίτην disputat clarissimus Schelstratenus, fabulis ascribunt non modo Protestantes ut, præter laudatum Tentzelium, parte II diss. selectar., Abraham Scultetus, in diss. antibaroniana de baptismo Constantini Romano, Neostadii 1607, in-4°, sed plerique etiam in Romana Ecclesia eruditi viri, ut Benedictini, ad Ambrosium, t. II, pag. 1209; Tillemontius, t. IV Hist. imperator., pag. 634, Papebrochius, in Actis sanctor., tom. V, Maii 21, pag. 14 seq., et Conradus Janningus, in Apologia pro Papebrochio, quæ præmittitur Actis sanctorum, t. I Junii, pag. 16 seq.

(*e*) Neque tamen Arii hæresin ideo probavit Constantinus, de qua nondum ei satis liquebat, sed speravit se ita dissidiorum semen in herba suppressurum. Confer ejus epistolam Irenicam ad Alexandrum et Arium, apud Eusebium, II, 64 seq., de Vita Constantini, et ad illam B. Balthas. Bebelii exercitationum Historicotheolog., Argentorat. 1663, et Nic. Vedelium, de Prudentia veteris Ecclesiæ, pag. 202, 267.

Edicta quam plurima Constantini illustrant Jac. Godofredus, ad Codicem Theodosianum, Franciscus Balduinus JCtus, in suo Constantino, Basil. 1556, et Argent. 1612, in-8°, et qui ad tempora qualibet sua revocant Annalium scriptores, ac præcipue Tillemontius, tomo IV Historiæ imperatorum. Cæterum edictum quod sub Constantini nomine vulgavit Nicolaus Cusanus, lib. III Concordiæ catholicæ, cap. 35, Honorio ac Theodosio vindicat, et integrius edidit Sirmondus, ad Sidonium, pag. 245

III. *Confessio* Constantini ad Silvestrum episcopum Romæ, quæ Latine exstat ad calcem recognitionum, aliorumque scriptorum Clementi Rom. suppositorum, Colon. 1569, in-fol, pag. 471, perinde ut Acta Silvestri, spuria est.

Donatio quæ eidem Silvestro a Constantino facta fertur, Romanæ etiam Ecclesiæ doctissimorum virorum (*a*) judicio ac consensu itidem est commentitia. Primus ejus meminit Æneas Parisiensis, qui circa a. C. 854 scripsit, libro adversus decem objectiones Græcorum, t. VII Spicilegii Dacheriani, pag. 111. Inde Hincmarus Rhemensis, Petrus Damiani, Leo IX, Ado, aliique. Editiones ejus admodum diversæ feruntur: una quam habent Acta spuria Silvestri, quamque Anselmus Lucensis Collectioni suæ canonum, lib. IV, cap. 32, Deusdedit, lib. IV, c. 2, Ivo Carnotensis, parte V decreti, cap. 49, et Gratianus, parte I decreti, dist. 96, c. 14, Latine inseruit, licet in antiquioribus Gratiani Codicibus legi negat Antoninus archiepiscopus Florentinus, parte I hist., tit. 8, cap. 2, § 8. Theodorus autem Balsamon Græce versam exhibet in scholiis ad Photii Nomocanonem, tit. VIII, in Bibl. canonica Justelli, t. II, pag. 929 seq. Illa Balsamonis versio una cum altera Matthæi Blastaris edita etiam est a Marquardo Frehero a. 1610, in-4°, additis animadversionibus. Longe prolixior est quam vertit e Græco Latine et Julio II pontifici inscripsit Bartholomæus Picernus, de Monte arduo. Hæc præmissam habet quam modo memoravi fictitiam Constantini *confessionem*, atque post Editionem Colon. 1515 sæpius lucem vidit, et D. Joach. Hillebrandi dissertationi de Donatione Constantini imp. præmissa, Helmst. 1661, et 17.3, atque Balthasaris Gualteri Diatribæ elencticæ de imp. Constantini baptismo, donatione et legatione ad concilium Nicænum, Ien., 1618, in-12, pag. 67 seq. inserta legitur. Atque Augustinum Steuchum arguit Joan. Bodinus lib. I de Rep., cap. 9, pag. 221, Græco sermone donationem Constantini scripsisse, ut fucum faceret: *Sed fraus*, inquit, *facile ex ipsius oratione et antiquitatis cognitione confutatur.* Alia Græca versio (Constantini Harmenopuli, ut notat Nesselius, parte II, Catalogi mss., pag. 27) exstat in Bibl. Cæsarea, et Lambecio, lib. V, pag. 244, memoratur, sed quoad sensum eadem est cum illa Balsamonis, cujus idem, pag. 237, mentionem facit. Hanc ipsam e Codice regis Christianissimi Græce et Latine exhibet Julius Cæsar Bulengerus, lib. II de Imperio Romano, cap. 6, p. 318, et quoniam brevis est, hoc etiam loco exstare non erit, puto, lectori ingratum, injucundumve.

CONSTANTINI EDICTUM.

Edictum, ac effatum divinum magni Constantini de pontifice Romano. Omnibus provinciarum rectoribus, et senatui R. imperii, Romanum pontificem, successorem sanctorum apostolorum, et domini mei Petri, majorem quam imperator habere potestatem per universum orbem adversus omnes [*deest* καὶ] et plusquam imperatorem coli et honorari, caputque esse quatuor antiquarum sedium, et ab eo judicari et decerni quæ orthodoxæ fidei conveniunt, dicimus. Donamus enim Patri meo beato Silvestro, et

Θέσπισμα τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου, περὶ τοῦ πάπα Ῥώμης. Θεσπίζομεν (*b*) πᾶσι τοῖς σατράπαις, καὶ τῇ συγκλήτῳ τῆς ἡμῶν Βασιλείας, τὸν Ῥώμης ἐπίσκοπον καὶ διάδοχον τῶν ἁγίων ἀποστόλων, καὶ κυρίου μου Πέτρου, πλείονα τῆς Βασιλείας ἔχειν ἐξουσίαν κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, κατὰ πάντων πολλῷ πλέον ἢ τὸν Βασιλέα τιμᾶσθαι καὶ σέβεσθαι κεφαλήν τε εἶναι τῶν τεσσάρων ἀρχαίων θρόνων, κρίνεσθαί τε πρὸς αὐτοῦ, καὶ ψηφίζεσθαι τὰ τῇ ὀρθοδόξῳ συμβαίνοντα πίστει. Δωρούμεθα γὰρ τῷ πατρί μου τῷ μακαρίῳ Σιλβέστρῳ καὶ τοῖς αὐτοῦ διαδόχοις τὸ

(*a*) Primus prolixa et diserta oratione ejus falsitatem ostendit Laurentius Valla, quæ et separatim excusa est plus simplici vice, et cum Ulrici Hutteni præf. in Ortuini Gratii Fasciculo rerum expetendarum ac fugiendarum, apud Londinenses recuso, et in Simonis Schardii Syntagmate tractatuum de imperiali jurisdictione legitur. Æneæ Sylvii aliorumque plurium testimonia Vallæ suffragantia produxit Flacius in Catalogo testium veritatis, et Rob. Cocus in Censura vett. scriptorum, quibus adde Baronium, ad a. C. 324, n. 118 seq., et 1191, n. 52 seq.; Isaacium Habertum ad Ecclesiæ Græcæ Ἀρχιερατικόν, pag. 24; Joan. Morinum, in Historia Gallice edita liberatæ per Constantinum Ecclesiæ, deque origine ac progressu potestatis sæcularis Romani pontificis, c. 8; Petrum de Marca, III, 12, de Concordia sac. et imperii, et VI, 6, § 6. Antonium Pagi, ad a. 324, n. 16; Tillemontium, t. IV Hist. imperator., pag. 226; Petrum Josephum Cantelium, Hist. urbium metropol., parte II, diss. 2, cap. 2, n. 7, et præcipue Natalem Alex., sec. IV, diss. 25. Quos facile opposueris Aug. Steucho, lib. de Donatione Constantini, Lugd. 1545, Jac. Gretsero, de Munificentia principum in sedem apostolicam, Ingolstad. 1610, in-4°, pag. 36 seq., et Apologia pro Bellarmino, cap. 21, et Nicolao Schaten, in Carolo Magno Romano catholico, lib. II, cap. 6. Ex Protestantibus de falsitate donationis hujus videndi Joan. Henelius, in Otio Uratislaviensi, cap. 22; Gisb. Voetius, t. II Dispp. select., pag. 869 seq.; Jac Usserius, de Ecclesiarum successione et statu, pag. 60; Joan. Rainoldus, Colloquio cum Hardto, pag. 227 seq.; Franciscus Hottomannus, in bruto fulmine Sixti V, pag. 128, 151 seq., et novissime rev. D. Joan. Andreas Schmidius, in Historia sæculi IV, fabulis variorum in rebus Constantini M. maculata, Helmst. 1712, etc., *Edictum seu fictum, seu depravatum, adeoque indignum quo Silvestri pontificis historia augeatur*, inquit Papebrochius, propylæo ad Acta sanctor., t. II April., pag. 1.

(*b*) Ms. Vindobonense addit, σύν. *Decernimus una cum omnibus satrapis et senatu imperii nostri.*

successoribus ejus nostrum palatium, diadema capitis lapillis pretiosis et gemmis intextum, epomidem quæ collum cingat, chlamydem purpuream, coccineam tunicam, et omnia regia vestimenta, ephippia quibus equi regii insternuntur, sceptra, et reliqua imperii ornamenta, et gloriam omnem meæ potestatis. Eos autem qui in clerum Romanum allecti sunt, ornari jubemus iisdem quibus senatus noster vestimentis, [(a) lego παραπλησίοις] equo vehi, albis vestibus tegi. Ita et calceos eorum fieri ex pannis albis, et eum qui lectus sit clericus a nemine impediri posse, quominus sit senator. Quando vero coronam auream Pater meus sanctus Sylvester qua est humilitate et moderatione respuit, hæc ornamenta quæ sanctam resurrectionem et superillustrem locum significant [lego καὶ τὴν ἁγίαν] sancto ejus capiti imposuimus. Nos stratoris officium obeuntes, et frena ejus equi tenentes, ex aula palatii exivimus, reverentia et metu domini mei sancti Petri. Maxime autem utile et amicum Deo esse duximus cedere urbe Roma, et omnibus Occidentis locis ac urbibus sanctissimo papæ, et robur imperii transferre ad Ortum, et capere Byzantium urbem optimo sub sole situ, et eo sedem imperii ponere; iniquum existimantes ut imperator in eo loco summam potestatem habeat, ubi Christianæ fidei cœlitus principium nobis fuit. Cum hæc manu propria scripserimus, et reliquiis domini mei Petri imposuerimus, jusjurandum damus, non modo nos servaturos quæ sanximus, verum et nostros successores, ut sancte ac religiose servent, obstringimus, idque, jurati patri nostro papæ, et successoribus ejus pollicemur.

(a) Emendationes hæ sunt interpretis Bulengeri.

A ἡμέτερον παλάτιον, τὸ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς διάδημα ἐκ λίθων τιμίων καὶ μαργάρων συγκείμενον, τὸ κυκλοῦν τὸν τράχηλον ὠμοφόριον, τὴν πορφυρᾶν χλαμύδα, τὸν κόκκιον χιτῶνα, καὶ πάντα τὰ Βασιλικὰ ἐνδύματα, τὰ τῶν Βασιλικῶν ἵππων ἀξιώματα, τὰ σκῆπτρα, καὶ τὰ λοιπὰ τῆς Βασιλείας κοσμήματα, καὶ τὴν δόξαν ἅπασαν τῆς ἡμῶν ἐξουσίας· τοὺς δὲ τῷ κλήρῳ τῆς ἁγιωτάτης Ῥώμης κατειλεγμένους, κοσμεῖσθαι κελεύομεν παραπλησίως τῇ συγκλήτῳ ἡμῶν ἐνδύμασιν, ἵπποις ἐποχουμένους, ὀθόνας περικειμένους λευκάς. Ὡς δὲ καὶ τὰ ὑποδήματα τούτων ὀθονίων εἶναι πεποιημένα λευκῶν, καὶ ὃς ἂν αἱροῖτο κληρικὸς, ἐκ τῆς ἡμῶν συγκλήτου γενέσθαι τοῦτον πρὸς τινὸς μηδαμῶς εἴργεσθαι. Ὅτι γε μὴν τὴν ἐκ χρυσίου στεφάνην φρονήματος μετριότητι ὁ πατήρ μου ὁ ἅγιος Σίλβεστρος παραιτεῖται, ταῦτά τοι τὸν ὑπέρλαμπρον χῶρον B σημαίνοντα τὴν ἁγίαν ἀνάστασιν. τῇ ἁγίᾳ κεφαλῇ αὐτοῦ ἰδίαις χερσὶν ἐπεθήκαμεν. Ἡμεῖς στράτωρος ὀφφίκιον ὑπελθόντες, καὶ τὰ χαλινὰ τοῦ ἵππου αὐτοῦ κατεχοντες, τῆς αὐλῆς τῶν ἱερῶν αὐτοῦ ἐξίεμεν ἀνακτόρων, αἰδοῖ καὶ φόβῳ τοῦ κυρίου μου τοῦ ἁγίου συνεχόμενοι Πέτρου· τῶν χρησίμων δὲ κομιδῇ καὶ θεοφίλων νενομίκαμεν, ἐκστῆναι μὲν τῆς πόλεως Ῥώμης, καὶ τῶν δυτικῶν ἁπάντων χωρῶν τε καὶ πόλεων τῷ ἁγιωτάτῳ πάππᾳ, τὸ δὲ τῆς Βασιλείας κράτος πρὸς τὰ τῆς ἑώας μέρη μετενεγκεῖν, καὶ τὴν ἐν καλλίστῳ τῶν ὑφ' ἡλίῳ τοῦ Βύζαντος πόλιν καταλαβεῖν, καὶ ἐν αὐτῇ ἱδρύσασθαι τὰ Βασίλεια, ἄδικον οἰηθέντες ἐξουσίαν ἔχειν τὸν ἐπὶ γῆς Βασιλέα, ἔνθα καὶ ἀρχὴ τῆς τῶν χριστιανῶν θρησκείας ἐκ τῶν οὐρανῶν ὑπῆρξεν ἡμῖν. Ταῦτα ταῖς ἰδίαις χερσὶ γράψαντες, καὶ τῷ νεκρῷ τοῦ κυρίου μου ἐπιθέμενοι Πέτρου, πίστεις C ἐνόρκους ποιούμεθα, οὐ μὴν ὅλως παραβῆναι, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἡμέτερον δεξαμένοις κράτος φυλάττειν ἀπαράθραυστα παρεγγυώμεθα πρὸς τὸν πατέρα ἡμῶν πάππαν, καὶ τοὺς αὐτοῦ διαδόχους.

CONSTANTINI IMPERATORIS EPISTOLIUM
AD UNIVERSI ORBIS CHRISTIANOS.

(*Vide hoc Epistolium et quod de eo dictum est ad epistolam fictitiam Hieronymi ad Eustochium, Patrologiæ tom.* XXX, col. 226.)

II
C. MAII VICTORINI DE MACHABÆIS POEMA.

(*Hoc poema dedimus inter opera S. Hilarii, Arelatensis episcopi, tom. XLIX Patrol., ubi videsis.*)

AD TOMUM XIII.

I
CARMEN DAMASO PAPÆ ASCRIPTUM

Hoc carmen non reperitur in Bibliothecis ante nostram editis. Datum est primum luci a diligentissimis bibliographis Miller et Aubenas (a) *cum quibusdam observationibus ad nostrum tom. XIII. Id eruerunt e Manuscripto Sangermanensis bibliothecæ ubi latebat. In initiali folio legitur, manu recenti scriptum :* Horum versuum auctor creditur sanctus Damasus pont. maximus, *minime tamen genuitatem opusculi asserere præsumimus.*

(a) Revue de Bibliographie, août 1845.

INCIPIT CARMEN

Nec meminisse moror præconia clara Chrysanti,
Quem merito mundus famosa laude frequentat.
Hunc igitur genitor florentem tempore [a] proto,
Tradidit in vestem rhetorum (*sic*) sub sorte magistris,
Ut puer indolis (*sic*) librorum d sceret artes
Quas mundana colit stolido sapientia sensu.
Qui fuit ut fertur donatus mente sagaci,
Ardens ingenio et prudens, ac pectore pubes.
Post hac inlustris cum sacra volumina lector
Auribus hausisset cœlesti grammate scripta,
Protinus antiquæ contemnens dogmata sectæ,
Falso vetustarum calcavit frivola legum,
Et dicto citius nactus rudimenta fidei
Flagitium sceleris baptismi deluit unda.
Mox publice Christum paganis prædicat ultro
Dira superbarum spernens tormenta minarum.
Tum genitor sobolem, naturæ jura resolvens,
Truserat in tenebras conclusi carceris atras
Magnopere metuens fisci decreta nefandi;
Insuper et capital tremulus formidat acerbum.
Sed cum mens juvenis ferret tormenta libenter,
Mox aliam genitor concinnans machina (*sic*) scenam
Lubrica mundanis admovit gaudia pompis,
Serica purpureis præbens velamina peplis
Quæ moritura facit festo vi cere bombix,
Induit egregium pretiosa et veste nitente.
Tunc jussu patris convivia larga puellæ
Deliciasque ferunt epulis luxusque culinæ
Vestibus ornatæ variis et fronte venusta,
Talibus ut pompis miles mollesceret audax
Ferrea quis [b] crebro cædunt [c] præcordia virum [d].
Sed tamen armatus Christi testudine tyro
Oscula virgineis despexit lubrica labris,
Nec penetrare sinit stuprorum spicula pectus;
Sed procul excussit jaculatas fraude sagittas.
Non secus ut cecinit sponsali carmine vates
Dulcia sed Christi leniscunt labra labellis,
Mellea tunc roseis nigrescunt labra labellis.
Venit ad extremum virgo certamen adulta,
Daria vestalis formosa fronte rubescens,
Aurea cum glaucis quam comit lunula gemmis.
Nititur hæc juvenem muneris (*sic*) constringere nexu
Quatinus ad thalami flectat connubia mentem.
Hæc falerata fuit facundis freta loquelis,
Denique diserti stupuerunt forte magistri
Virginis ingenium biblorum famine fultum;
Nempe tenax scripti fuerat veloxque legendi.
Sed secus evenit fortunæ casus opacæ.
Dum pius obposuit fatis contraria fata,
Daria quæ dudum servabat numina Vestæ,
Credidit Altithrono cœli qui sceptra gubernat
Facundis virgo verbis conversa Chrysanti.
Tunc simulata thori fingunt consortia fata,
Moribus et castis vivunt concorditer ambo,
Ut spurcum penitus vitarent pectore nævum
A Et maculam ventris pullam de corde fugassent.
Post hæc baptismi sacratis tingitur undis
Quatinus exuvias spoliaret mente vetustas
Et nova de liquido sumatur gurgite lodix.
Tum virgo veterum sprevit documenta librorum
Et sequitur Christi quadratis dogmata biblis.
Quis poterit vulgi tantas numerare catervas
Quantis exemplis egerunt credere Christo?
Traditur idcirco pœnis torquendus acerbis
Septuaginta viris (*sic*) quem denso milite servant
Herculis in fano ni forsan thura litaret.
Tunc miles cœpit dirus vexare negantem
Athletam Domini fretum virtute superna,
Udis et crudis nervorum nexibus angens
Torrida flammantis laturum caumata solis.
B Sed puncto citius laxantur lora lacertis
Omnipotente Deo restes solvente nefandos.
Ecce sudes iterum cipporum vincula cludunt
Cruraque cum rigidis nectebant turgida lignis.
Extemplo cippum findit Regnator olympi
Quamvis hunc stolidi cecata mente ligarent.
Lotia tunc lictor crudelis spargere jussit
Sacros humectans artus fœtore putenti:
Qui liquor, ut dicunt, atrum fantasma fugabat
Dum vernam Domini sperat nicromantia fretum,
Sed putor ambrosiam flagrabat nectare suavi.
Exin tortores bucula de globo rebyrsa (*sic*)
Mandant ut crudo stringantur tergore membra
Marthyris ardentem passuri lumine solem.
Torrida sed Titan compressit fulmina ferveus
C Ut nulla insontis ferunt incendia membra;
Tumque reciproca concludunt ergastula sanctum;
Arta catenarum constringunt vincla lacertos,
Necnon et collum nectunt cum crure gemello.
Ecce repente pius nodatos arbiter artus
Eripit et chalibis mox stricta ligamina rumpit.
Porro cum sanctum nodoso vimine miles
Cederet infaustus rubro qui sanguine gaudet.
Sed mirum dictu sceptrorum flagra beatus
Ictibus argutis martyr non sensit acerba.
Quin immo ut plumæ mollescunt vimina (*sic*) sancto
Ceu viridis lentescit lene papyrus in amne,
Claudius insignis compunctus credidit ultro
Septuaginta viros convertens dogmate claro
Fecit baptismi purgari gurgite mersos;
D Quapropter rubro perfusos sanguinis ostro
Miles Ada ethereum faustus perduxit olimpum
Quos simul obstruxit felix spelunca sepultos
Lucida perpetuæ visuros præmia vitæ.
His convexa poli merito lustrantibus alto
Daria cum duro patitur tormenta Chrysanto.
Impiger ast ille strictus molimine ferri
Truditur in tenebras laturus carceris atrus
Lurida quo putidis fluxerunt stercora criptis;
Nectare sed fœtor cedit ceu luce latebræ.
Traditur interea et sceleratis Daria scortis
Prostibulum mechæ penetrans sine crimine sevo.

[a] Pour πρώτῳ, que le poëte a latinisé. MIL. et AUB.
[b] Pour *queis* c'est-à-dire *quibus*. MILL. et AUB.
[c] Lisez *cedunt*. MILL. et AUB.
[d] Pour *virorum*: mais il y a une faute de quantité. MILL. et AUB.

Sed leo de claustris rugibundus mittitur arctis
Virgineos artus tutos servare puellæ.
Si quis quam cuperet sacrum temerare pudorem
Gestibus obscenis contractans corpus honestum
Arcam ceu quondam probrosus contigit Oza,
Protinus oppeteret confusus fronte petulcus
Rictibus et rabidi conrosus dente leonis
Ultricem pœnam sentiret morte ferina.
Tunc demum Augusti qui Romæ regna regebat
Decreto rubras sumpserunt morte coronas,
Et simul in cripta pausant Sabulone sepulti
Quos simul in vita vexavit pœna cruenta.
Credimus ut faustis glomeratos jure catervis
De gremio tumuli cum tellus sponte dehiscet.
Et genus humanum tumbis emerserit atris
Suscitet ad requiem mundum dunc laxat habenis.

DISSERTATIO HISTORICA DE DAMASO ET LAURENTIO,

VEL

DAMASUS ET LAURENTIUS

HISPANIS ASSERTI ET VINDICATI,

Auctore Fr. Perezio Bayero, *presbytero Valentino Romæ* 1756.

EPISTOLA DEDICATORIA.

Illustrissimo atque ornatissimo viro D. D. Joanni Francisco Gaenæ Portocarrerio, etc., comiti Vallis-Paradisi, militiæ Calatravensis equiti, Ferdinandi VI, Hispaniarum regis catholici, in Indiarum senatu consiliario, summoque regii census administro, etc., etc. Franciscus Perezius Bayerius, felicitatem.

Quod tibi quidquid hoc est laboris nostri nuncupatum optaverim, comes illustrissime, non tam officium quam excusatio videri potest. Cum enim eorum quæ a clementissimo rege vereque Hispaniæ nostræ parente Ferdinando VI procuranda mihi in itinere Italico præscripta sunt, atque adeo totius negotii otiique nostri ratio suo demum tempore tibi reddenda sit, erunt fortasse qui, ubi me ad hæc studia divertisse viderint, ab animo sibi male conscio, judicis occupandæ gratiæ, potius quam ab officioso cliente, Mæcenatis optimi demerendi studio, munus istud profectum putent. Et quidem cum vana horum judicia atque importunitatem non semel initio prævidissem, parum abfuit quin, abjecto scribendi consilio, publicam ego nostratium causam ob privatæ reprehensionis timorem desererem. Verum quidni potius, tricis apinisque his spretis, ab optimo, patriique decoris amantissimo principe, te præsertim patrono, paucorum mihi mensium inducias pollicerer, non ut eas ignavo in otio traducerem, sed ut veterem avitamque Hispaniæ nostræ gloriam, quam ab Italis quibusdam magni nominis scriptoribus ereptum iri noveram, eidem, si fieri posset, restituerem? Aut quo pacto si inclinatæ ac prope jacenti Hispanorum causæ cum eam erigi a me utcunque posse sperarem, suppetias ferre neglexissem, non ego patriam prodidisse dicendus essem? Jam vero eo loco ac discrimine Hispanorum sententiam, quæ tot retro sæculis *Damasum* et *Laurentium* populares ipsorum fecerat, versari, tute ipse fatebere, comes illustrissime, cum videris ab anno 1741, quo nova opinio utrumque Romanis civibus ascribens in vulgus primum emissa fuit, tot viros eximios, editis certatim libris veteri illi profligandæ conjuratæ, non jam quasi de re dubia aut probabili in utramque partem disputantes, sed causam pro Romanis dictam, remque omnino demonstratam esse asserentes. Num vero meliora deinceps Hispani sperare debeamus, nostrum non providere modo, sed ne conjicere quidem est. Licet enim non iis tantum quibus opusculum istud examinandum publice demandatum fuit, sed quibus ipse pridem legendum privatim tradideram, summis profecto viris, rationes et conjecturas nostras pro *Damaso* et *Laurentio* Hispaniæ asserendis non vulgariter probari videam, in eo quidem ut magis illorum humanitas mihi perspecta est, ita plus vereor ne quid ab ipsis voluntati potius quam judicio tribuatur. Verum cum eosdem tamen integerrimos atque incorruptissimos noverim, quorum proinde citra insignem injuriam nemo contra quam senserint judicium protulisse suspicari audeat, non obscura mihi spes affulget fieri tandem posse ut eo præsidio fultæ rationes nostræ tandiu sustineant adversariorum impetum, dum Hispaniæ scriptorum cohors, quam nobis auxilio futuram speramus, æquiore loco pugnam capessere deque summa rerum acie cum hoste decertare valeat. Sane uti unus ego, si cum tot viris strenuissimis congredi ad me reciperem, Plautino illo palæstrione confidentior habendus essem; ita si aliorum qui ab Hispanis stare videntur, validissimo agmine stipatus, certamen detrectarem, et illis injurius, et merito mortalium omnium audirem ignavissimus. Sed et illud me ut scriberem compulit, comes illustrissime, quod cum non ita pridem superstitum in urbe Hispanici nominis monumentorum Collectionem absolvissem, in qua ccc circiter illustrium gentis nostræ virorum imagines, elogia, et gentilitia stemmata totidem grandioribus chartis, quantum fieri potuit, accurate atque elegantissime expressa conspiciuntur, eo videlicet consilio ut e regione sepulcralis cujusque tituli patria genusque ac dignitas eorum, tum res ab iisdem præclare gestæ summatim indicentur, vel *Damasum Laurentium*que, quibus primus omnium in ea Collectione locus a nobis attributus fuerat, Hispanos esse ostendere, vel, quod turpissimum foret, eosdem gradu dejectos planeque exauctoratos dimittere necesse erat. Jam vero cum mihi ad manus essent rationes quibus adversariorum argumentis non improbabiliter occurri posse sperarem, quam ego non apud Hispanos modo, sed et apud exteros quosque contraherem ignominiæ labem, si segne atque inhonestum otium pulcherrimo labori prætulissem!

Hæc autem eo a me consilio, atque illorum occasione dicta sunt, comes illustrissime, si qui forsan nostrum quidquid hoc est muneris prætexendæ potius excusationis, quam officii causa nomini tuo consecratum putant; de te enim cum propria atque avita benignitas, tum perpetuum illud, quod res patrias propensissime tueris atque ornas, studium longe aliter ut sentiam faciunt. Licet enim mihi ut te præsentem præsens alloquerer ad hanc diem datum non fuerit, non sum nescius tamen quam peramanter litteras earumque cultores amplectaris, quamque animo infixum sedeat liberales artes ac disciplinas apud nostrates amplificandi consilium. Atque hanc quidem inter egregias tuas laudes præcipuam, non modo in hac urbium principe Roma, sed ubivis gentium celebrari cum mihi gratissimum est; tum vero illud longe gratius fuit, ac jucundius,

quod vivam minimeque fallacem illarum imaginem intueri atque admirari coram aliquando licuerit. Cum enim ante hoc biennium Venetiis agerem, et in celebri divi Marci bibliotheca nescio quid nugarum meditarer, forte eodem delatum illustrissimum marchionem Annavetium, dignam te prolem, clarissimæque domus spem alteram, quem optimo sane consilio ut in vasto orbis volumine mores hominum atque urbes nosceret e paterno sinu mature dimiseras, eadem fausta lux, qua te ad summam regii census administrationem a prudentissimo rege nostro vocatum fuisse ibidem fama vulgaverat, mihi salutandum obtulit; a quo cum ita benigne liberaliterque exceptus fuissem, ut quandiu una Venetiis fuimus suavissima ejusdem consuetudine et alloquio fruerer, licuit in ornatissimo adolescente virilem e vestigio prudentiam cum insigni morum facilitate conjunctam demirari; tum vero ubi ad reculas quasdam eruditas a me in itinere Italico collectas, ejusdemque itineris prolixas ephemeridas penitius evolvendas animum adjecit, incredibilem ipsius humanitatem, et singulare erga litteras studium expertus sum; prorsus ut tot dotibus egregium Juvenem supra ætatem cumulatum intuenti, non modo paterna virtus animique, sed, si per jurisconsultos licet, ipsa mihi viventis patris hæreditas ante oculos obversari videretur.

Hæc autem cum ita sint, comes illustrissime, non magnopere mihi verendum esse arbitror, an non exile munus istud, quod sub tuis auspiciis lucem quærit, placido vultu excepturus sis. Quod si conatus hosce, quos ab aliud agente patrius amor expressit, tibi, viro scilicet probatissimo, atque Hispanici splendoris amantissimo, probari cognovero, satis hoc uno præclare mecum actum esse intelligam. Sed quid si, qua es apud *Augustum nostrum* auctoritate et gratia, *Majestatem illius* adduxeris ut in has meditationes nostras, nihil earum tenuitatem moratus, oculos demittere non gravetur? Quod cum, serio quidem, ne optare mihi datum sit, illud superest ut, conceptis pro tua incolumitate votis, fausta tibi et prospera omnia a summo bonorum largitore comprecer. Romæ, ipso *Laurentii* martyris pervigilio 1756.

EPIGRAMMA.

Εἰς τὴν βίβλον περὶ Ἁγίου Δαμάσου, καὶ Λαυρεντίου τῇ Ἱσπανίᾳ ἀπονεμηθέντοιν, παρὰ Φραγκίσκου Περεζίου πολυμαθεστάτου Ἀνδρὸς γεγραμμένην·

Α. Α. Γ. Αὐγουστινίδου.

Priscos Hesperiæ reddit Franciscus honores,
 Ultra ne possit dicere Roma suos.
Mille revicta modis compellitur ista fateri,
 Hispanis geminum se rapuisse jubar;
Gestit at illa palam duplici redimita corona,
 Tantæ cum prolis cernitur esse parens.
Si Damasus moriens, moriens Laurentius ossa
 Romanis liquit marmore clausa sacro,
Invidet illa nihil; satis ex hoc nomine clara,
 Patria si divum sola sit Hesperia.
Hæc venit Hispanis, veniet sed gloria major,
 Principe sic Musas amplificante domi.

A Τὰς τιμὰς πάλιν Ἑσπερίῃ Φράγκισκος ἔδωκε,
 Μήκετι ἂν Ῥώμη ὥσπερ ἑὰς κατέχῃ
Ἡ δὴ ἑ πολλὰ γ' ἐλεγχθεῖσαν εἰδυῖα σύνοιζε,
 Ἱσπάνων Ἁγίω ὅττι ἀφεῖλε δύω·
Τὼ δὲ ἅταρ στεφάνω Κείνη μὲν ἔχουσα κεχάρηται,
 Πότνια ὡς Μήτηρ τοῦ τόκεος μάκαρος·
Εἰ γάρ τοι Λαυρέντιος, ἠ Δάμασός τε λίποντο
 Ῥωμαίοις τὰ μέλη πάντοτε ἀΐδια:
Μὴ φθονέει Τήνη: τοῖς μὲν γὰρ Ἰβήρσιν ἀπάρκει
 Εἰ μόνη Ἑσπερίη Πατρὶς ἔῃ Ἁγίων·
Ταῦτ' ἄρα νῦν, μέλλοντα δὲ μείζονα· ὡς περὶ μουσῶν
 Τῷ Βασιλῆι μέλει πρὸς μέγα κλεῖος ἐῶν.

DIVIS PATRIIS LAURENTIO ET DAMASO VOTUM AUCTORIS.

O lux Occiduis, plagisque Eois,
Bina sed face prænitens Iberis,
Clarum par, Damase alme, tuque Laurens,
Quos consensio longa sæculorum,
Nedum barbarie vigente, sed post
Illatam Latio Atticam loquelam
Hispanis, veterum vetante nullo,
Ascripsit patriæque, civibusque,
Quod vos sub senium fugacis ævi,
Ereptos laribus domesticis, atque
Exutos patria novos Quirites
Trojanum genus, urbe gestiente,
Janus, rostra, forum, Patres, senatus,
Summus denique Pontifex salutent,
Nil est quod doleamus, aut querelis
Urbi orbis dominæ subinvidentes
Hispani fora rauca personemus;
Novit scilicet illa quantus inde,
Binum si sibi quærat unionem,
Accedet proprio decor monili;
Hincque, ut fit, dubiis utrinque rebus,
Cæco turbine controversiarum,
Laurentem Damasumque civitates
Dum plures repetunt, suosque utrumque
Jactant, jure sibi peculiari
Ascribit, vetus alterum priusque
Communis patriæ nihil morata.

B Quid tum? Nostrane ad hæc silebit, aut immota
Hispania nil reponet? Et vos
Laurens ac Damase, Occidentis ora,
Quos bis (a) hactenus Hesperos vocabat,
Demissis manibus migrare tandem
Permittet? Faciant quibus pudoris
Sensus, nec pietatis ulla cura est,
Immites animæ. Tuis benigne,
Tellus Hespera, mansuetiores
Instillas animos, quam ut aut silentes
Hanc sortem patiantur, aut inulti.
Hinc nobis patrius, tuique, Laurens,
Et compar, Damasi, ardor acriores
Adjungit stimulos, ut imparati
Discrimen subeamus, atque magna
Conemur tenues. Erunt, opinor,
Dum nos stringimus arma velitari
Pugnæ, quos acie paratiores
Decertare juvet. Fidem hic, Iberi,
C Vestram, vestram itidem, beate Laurens,
Et nostri, Damase, auctor o laboris,
Imploramus opem, benigni adeste,
Nostramque Hesperiam, sinu quæ utrumque
Materno fovet, excipitque alumnum,
Vel si Roma dehinc beatioris
Vos dignetur honore civitatis,
Nunquam linquite, patriosve fines.

(a) Quod *Hispani*, et quod *sidera* sint.

DISSERTATIONIS PARS PRIOR.

DE DAMASI PATRIA.

CAPUT PRIMUM.

Scriptionis occasio. Status hodiernæ controversiæ. Fundamenta Hispanorum ut Damasum sibi tanquam popularem ascribant.

Cum, novis invicem sibi succedentibus negotiis, diutius quam initio statueram manendum mihi in urbe fuisset; atque ex tam ubere utriusque antiquitatis latifundio vacuum redire in patriam inglorium esset et tantum non verecundum, homini præsertim quem ab ejusmodi studiis non abhorrere, iis saltem magnopere delectari aiebant, in animum continuo induxi agellum mihi subsecivis operis excolendum secernere, queis tamen Hispaniæ nostræ domesticis præcipue in rebus fructus constaret aliquis. Id quibus modis assequerer meditanti, succurrebat non ita pridem a Francisco Emmanuele Mena Matritensi bibliopola novam cl. Nicolai Antonii Bibliothecæ Hispanicæ Editionem adornari, plurimis auctorum atque operum ineditorum accessionibus locupletissimam, quæque ut omnium votis responderet, invitatorias ab eodem ad doctos per Hispaniam viros litteras missas fuisse, rogatum ut tantæ rei perficiendæ symbolam quisque pro virili conferret suam. Ea vero ubi primum animum pervasit cogitatio, nihil ultra de exsequendo consilio deliberandum censui. Sperabam etenim quod litterarii thesauri nunquam penitus exhauriantur, vel post lustratas ab oculatissimo ac diligentissimo auctore urbis bibliothecas uberrimamque messem factam, non pœnitendum nobis superfore spicilegium. Neque vero me fefellit eventus. Facta etenim mihi principem omnium Vaticanam adeundi copia Manuscriptorum indices evolvere diligentissime cœpi, et quæcunque in eis vel auctoris nomine vel operis argumento patriam quoquo modo bibliothecam ditare posse arbitrabar, in delectas schedas cursim pro tempore, nulloque, adhibito delectu, referebam, domi mox per otium cum editis a Nicolao Antonio conferenda. Absolveram trimestri fere spatio Palatinam, Urbinatensem, et eam, quæ olim ad Christinam Suecorum reginam pertinuit, ternam scilicet accessionem Vaticanæ bibliothecæ nobilissimam; neque dies abiit quo Manuscriptorum cum Editis collatio non me redderet novo auctore aut opere invento locupletiorem. Ventum erat ad ipsam primariam bibliothecam, quo tempore Angeli Mariæ cardinalis Quirini S. R. E. bibliothecarii bonis deflenda omnibus, nulli tamen quam mihi flebilior, intercessit mors. Conveneram Brixiæ in transitu meo virum pietate insignem, demerendisque litteris natum, a quo, ob injectam a cl. Balthasare Oltrochio, Mediolanensi Ambrosianæ bibliothecæ præfecto nescio quam de A studiis nostris mentionem, nedum perhumaniter exceptus fui sæpiusque ad familiare colloquium invitatus, sed, quæ non omnium postrema amoris significatio est, nec indonatus discessi. Multa, cum noctem interdum vario sermone traheremus, grandævus rogitabat senex de studiorum deque itineris nostri ratione: jacerentne an in pretio essent apud Hispanos litteræ; plurimum de nostratium ingeniis minime, uti aiebat, vulgaribus subinde disserens, neminemque, eorum quos olim Romæ noverat, quorumve legerat scripta, decani præsertim Alonensis (*a*), marchionis Mondexarensis (*b*), immo neque superstitum sine laude præteriens, ut vehementissimum summi viri erga litteras litteratosque studium, tum memoriam in ea ætate retinentissimam demirarer. B Hæc autem ut paulo latius quam pro instituto persequerer tam chari mihi capitis desiderium fecit, tum eorum quæ ipsius mortem consecuta sunt recordatio peracerba. Pauci etenim ab ea effluxerant dies, cum primo ut affectum opus tantisper intermitterem, mox ut ejusdem perficiendi spem plane omnem deponerem, tristissimum nuntium accepi. Vulneris causas refricare molestissimum esset, nisi sub eximio ac vere πολυμαθεστάτῳ S. R. E. cardinali Dominico Passioneo, qui ut in amplissimo bibliothecarii apostolici munere Quirino succederet unus omnium summi ac prudentissimi pontificis Benedicti XIV judicio comprobatus idoneusque habitus est, non obscura nobis spes affulgeret fore tandem ut intermissum opus ipsius auspiciis absolvatur.

C Nova exinde molienti mihi sacrasque urbis ædes, ne interea domesticus otiarer, pomeridianis horis invisenti, obviam ubivis fiebant sepulcralia illustrium Hispanici nominis virorum epigrammata, qui dum in urbe publica aut privata negotia persequuntur, morte intercepti carnis exuvias Divorum Tutelarium aris in diem immutationis suæ concrediderant. Horum ego dum describendis elogiis adumbrandisque utcunque gentilitiis stemmatis, qui meus est mos, non indiligenter incumbo, sensim enchiridium in molem justi voluminis assurgit, vix tertia sacrarum urbis ædium parte perlustrata.

Hoc mihi primum in causa fuit cur Hispanorum in Urbe monumenta paulo quam antea diligentius inquirerem, ac de iis quæ usque superessent omnibus D in unum colligendis serio mecum cogitarem. Sperabam etenim fore ut Hispanica recentium sæculorum Historia non nihil inde caperet adjumenti, si illustrium nostræ gentis virorum series ob eruditorum oculos unico lustranda obtutu proponeretur. Id porro ut uberiori cum fructu fieret, animum præterea ad-

(*a*) Is est cl. Emm. Martinus cujus nomen editaque ingenii ac doctrinæ monumenta illustriora sunt quam ut alicubi latere possint.

(*b*) Gasparis scilicet Ibannezii de Segobia, cujus post multa quæ ipso superstite lucem viderant, nuper prodiere. *Notæ in Histor. Hispan. cl. P. Joannis Mariæ S. J.*, fol. Item *Opus chronologicum*, fol., edente illustriss. Valentinæ urbis litteratorum cœtu. Ann. 1744 et 1746.

jeci, ut quos pietate doctrinaque præstantes fuisse, publicisque muneribus egregie functos, tum maxime quorum memoriam cineribus contumulatam nossem, de eorum patria, studiis, ac præcipuis gestis pauca sepulcrali elogio subnecterem, fontesque unde plenior ipsorum notitia hauriri posset indicarem.

Hæc fuerat universa propositi nostri ratio, quam dum propius urgere incipimus aqua denuo nobis hæsit. Cum etenim summum antistitem Damasum doctrinæ ac dignitatis laude, archetypis præterea monumentis ipsius nomine inscriptis, et usque Romæ superstitibus ante alios illustriorem, dignum præ cæteris arbitramur qui Hispanorum agmen in opere nostro duceret, nonnullorum recentium auctoritas intercessit, qui veterum fidem lubricis conjecturis posthabentes Damasum, secus atque hactenus creditum fuerat, Romanis civibus annumerandum censuere, ipsumque etiam, si superis placet, Laurentium levitam et martyrem invictissimum.

Conqueri primum ego temporum nostrorum iniquitatem, quod tantum tribunitiæ hypercriticorum potestati juris permiserit, tum tædium ac propositi satietas consecuta est incredibilis, ut nisi jam eo processissem unde pudor lexque operis pedem referre prohibebant, ne hilum quidem de eo penitus abjiciendo dubitassem. Satis enim a me imparatus ad has difficultates superandas, nullo præterea librorum qui ad manus essent præsidio, neque ut oportebat otiosus, qui concitatos ab aliis tumultus aut sedare ipse possem, aut novos concitare subinde vellem ?

Unum illud supererat, si quo astu adversariorum impetus declinando, eorumque utcunque tela retundendo viam mihi quodammodo ad rem nostram aperirem, donec instructior domesticorum aliquis æquiore loco pugnam capesseret, deque summa rerum acie cum hoste decertaret. Hinc mihi disserendi materies hujusque operis argumentum enatum fuit, quod dum in Hispanorum gratiam vernaculo sermone paulo latius persequi studeo, libellus iste, quod ne cogitaram quidem, e manibus elabitur meis.

Is cum interea amicorum nonnullis quorum plurimum apud me valet auctoritas legendus traderetur, neque adeo visus esset informis, obnixe a me oratum veniunt, ut Latio quantocius donatum publici juris facerem. Abnuere ipse primum angustiasque temporis apud eos causari, verum id per speciem ; re ipsa contentiosum argumenti genus et plane polemicum refugiebam, in quo nec libere ingenium exercetur, et ubi aliorum errata deprehenderis, aut jus proprium paulo enixius tueare, malevolentia partiumque studio factum putant. Contra illi fidem suam, communem amicitiam, gloriam denique Hispani nominis, cui reliqua a me omnia posthaberi noverant,

A obtestari, nec prius orandi finem facere quam fidem in id meam obstrinxissem. Eam ergo nunc primum Deo auspice, atque utinam fausto eventu liberare incipimus.

Primus igitur omnium qui sanctum Damasum pontificem longa sæculorum consensione pro Hispano habitum Romanis attribuit, quique recentium veterumque scriptorum fidem ac vetustissimorum Codicum auctoritatem solis iisque non admodum firmis conjecturis posthabendas censuit, Tillemontius fuit (a). Is, quod sciret Damasum Romæ a puero sacræ militiæ tirocinium posuisse, perque omnes gradus a lectoratu summam tandem ecclesiasticarum rerum adeptum ; patrem insuper ejus Antonium primo exceptorem, mox lectorem, levitam et sacer-
B dotem fuisse, idque in basilica sancto Laurentio sacra, quæ olim *ad Theatrum Pompeii* dicta, nunc *in Damaso* a conditoris seu verius instauratoris nomine vulgo audit, ceu vetus nos docet ipsius Damasi epigramma (b) ; putavit non minus parentem quam filium Romæ pueritiam transegisse, quandoquidem uterque lectoris inibi gradum obtinuit qui pueris ex ævi disciplina demandabatur ; neque proximum vero credidit quod Damasi parens Romam ex Hispania cum uxore et liberis concessisset ; saltem quo id pacto fieri potuerit expeditum non habuit.

Concinit Tillemontio cl. Antonius Maria Merenda, nuperrime, ut audio, ad canonicatum ejusdem basilicæ sancti Laurentii in Damaso promotus, qui elapso proxime anno 1754 novam opusculorum ejusdem
C sancti pontificis collectionem adornavit, nobisque (quibus prior illa Tillemontii opinio parum quidem probata viris doctis jam diu exolevisse videbatur) hujus scripti occasio fuit. Hic igitur Tillemontii conjecturis novas de suo adjicit ; sed conjecturas tantum, queis ex jurisconsultorum placito (c) in re non dubia minime locus est. Exaggerat itaque longissimi ex Hispania itineris difficultatem, infantium pene liberorum vixque ei ferendo parium impedimenta ; tum quod Damasi parens novus prorsus ignotusque Romæ statim ab adventu nomen Ecclesiæ dedisset, *notarii* primum, mox lectoris titulo in sancti Laurentii basilica e vestigio honestatus fuisset ; quod utrumque non satis consonum, imo alienum putat ab illorum temporum disciplina. (d) *Secundum eam*
D *etenim* (inquit) *primo baptizari, deinde ex intervallo probari debuit, dignusne esset qui sacræ militiæ ascriberetur. Postremo novennium, saltem septennium pro minorum graduum officiis exercendis et recipiendorum interstitiis insumere minimum oportuit, ut, probatione accedente ad altiores Ecclesiæ gradus evehi posset.* Et paucis interjectis pergit : *An itaque in inferioribus ordinibus positi pater et filius uno eodemque tempore atque eadem in Ecclesia ? Hoc alii judicent.*

Neque his meliora Gregorius Jacobus Terribilinus

(a) Tillemont, *Mémoires pour servir à l'Histoire*, tom. VIII, pag. 386, et 773, in not. Edit. Venet. 1732.

(b) Damasus, epigramm. 35, ap. Merend., pag. 241 :

Hac pater exceptor, lector, levita sacerdos
Creverat.....

(c) Leg. *Continuus* 137, § 2, ff. de V. O.

(d) Ant. Maria Merenda, opusc. et gest. sanct. Damasi, cap. 1, num. 1.

Romanus affert, (*a*) domestico vir et nostratium, apud quos olim commoratus fuerat, elogio clarus. Itaque Romanum, sicuti priores duo, Damasum facit; et quasi crambem non satis esset recoxisse, tertio nobis Tillemontii ariolationes obtrudit. Id unum, ne omnino veniret asymbolus, a se animadversum fuisse ait, ex veteribus scriptoribus qui de Damaso agunt, a Martio Milesio Sarazanio (*b*) et P. Constantio laudatis, ne unum quidem esse qui eum Hispanum dixerit ante catalogum Romanorum pontificum, quem sub Felice IV (ad annum scilicet Christi 530) conscriptum putant; aut Anastasium Bibliothecarium, a quo Felicianus ille catalogus descriptus creditur. Neutrum autem ex his scriptoribus magnæ auctoritatis esse affirmat, neque Hispanos, qui de Damaso scripsere, quod ad patriam ipsius attinet, solidam aliquam quæ ipsis faveat rationem afferre; dissentire præterea de loco in quo sanctissimus pontifex natales hauserit. Hactenus Terribilinus, qui tamen post ereptum Hispaniæ nostræ Damasum, id est, post adactum in ima Hispanorum viscera capulo tenus ensem, inani eosdem solatio demulcere studet, *gentem* subinde vocans *inclytam*.

Jam vero ut meum ipse de Tillemontii conjecturis judicium aperiam, uti eas alicujus momenti ac ponderis esse minime inficias ivero, neque satis hactenus expeditam quæstionem esse de tempore quo Damasi parens Romam cum uxore et liberis (an potius absque illis? longene saltem post Damasum?) commigraverit, eas nihilominus non tanti a criticis faciendas arbitror, ut veterum scriptorum Codicumque fidei præferri aut opponi ullo pacto valeant; imo non alio æstimandas loco, quam quo in forensibus auriti, quorum ipsæ in historia vicem subeunt, præ oculatis testibus.

Esset saltem fulcrum auctoritatis quamlibet minimum cui inniti possent: robur illis atque æs profecto triplex accederet, neque iniquissimo ut nunc prælio, parumque victoribus decoro, confligeremus; verum sinistro Tillemontii ejusque sectatorum oscine nulli non modo veterum, sed neque recentium scriptorum vel post restitutam criticen hactenus in mentem venit Feliciani pontificum catalogi, aut Anastasii (quo loco Damasum uterque disertissime Hispanum facit) fidem elevare, præter unum Terribilinum, qui gratis id affirmare, atque, ut aiunt, sine lege loqui non erubuit.

Latuisse unquam potuit, cedo, Baronium, Panvinium, Ciacconium, Fleurium, Pagium, cæterosque insigniores criticos qui de Damaso nostro egere, nedum ipsum Romæ a puero meruisse in lectoratu et reliquis Ecclesiæ gradibus, sed et patrem ejus Antonium lectoris, inter alios qui pueris attribui solebant ordines, in basilica Laurentiana munus obtinuisse? Minime, inquam, gentium; verum quod subortam hinc de tempore quo Damasi parens Romam cum

A uxore et liberis ex Hispania commigrare potuit difficultatem, nullo præterea veterum aut recentiorum testimonio fultam viderent, illam non tanti ac Tillemontius fecere; neque eo fiduciæ delapsi sunt, ut dubiam conjecturarum fidem certæ scriptorum et Codicum auctoritati committendam judicarent.

Excidit, fateor, imprudenti mihi *fiduciæ* verbum, quod tamen in malam partem ab adversariis accipi aut ipsis ullatenus injurius esse penitus nollem; verum si mente a præjudiciis vacua rem inspiciamus, quo pacto eam apud litteratos notam effugere possint prorsus non video, cum quod multo pridem insigniores critici, iis ipsis conjecturis ducti, proferre potuissent, veterum tamen reverentia quominus id facerent prohibiti sunt: hoc illi nullo recens eruto

B Codice, nulla ratione aut nova præterea conjectura fulti asserere nihil dubitant, idque sibi palmarium ducunt.

Saltem Merendæ, dum vulgari receptissimæque de patria, sancti Laurentii martyris opinioni obsistere pergit (quanquam et ipsum ea in re nonnihil humani passum fuisse putamus) condonandum; neque gratis id fecisse dicendus est, qui non uno nuper detecto vetusto Codice, multiplici præterea ratiocinio, eoque in speciem satis firmo sententiam suam constabilit; verum sine nova propositione aut assumptione, novas easque diversissimas ab hactenus deductis conclusiones elicere velle, id vero exquisitæ, imo extremæ subtilitatis est.

Prius igitur quam mentem meam aperiam de Ro-

C mano patris Damasi itinere, deque ejus ratione edisseram, quo scilicet pacto inoffensa historiæ fide, servatisque ad unguem ecclesiasticis legibus, imo enim verosimillime, uti ego arbitror, Romam ex Hispania venire potuerit, veterum testimonia, queis sententia Hispanorum Damasum sibi tanquam popularem ascribentium innititur, exponere opportunum duxi. Eam vero Hispanicæ Historiæ partem domestici scriptores, dum privatis quisque studiis quam publicæ rei inservire mavult, civemque suum, id est *conterraneum* Damasum facere nititur, neglectam atque unius Anastasii bibliothecarii fidei concreditam reliquere, proinde quasi aut tanti viri auctoritas in tuto illam extra hypercriticorum ictus collocaret, aut Pythagorico etiamnum sæculo viveremus.

D Cautior tamen in eo fuit cl. Nicolaus Antonius (*c*), et quasi rem quo tandem perventura esset eminus agnovisset, viam disputationi nostræ aliquanto altius præmunivit. Itaque post falsi convictos centuriatores Magdeburgenses, qui a Platina Romanum alicubi factum Damasum temere atque impudenter asseruerant (*d*), pergit sanctissimum pontificem Hispaniæ nostræ vindicare; eamque in rem vetera ipsius Acta producit ex ms. Codice chartophylacii basilicæ sancti Petri, allata a Martio Milesio Sarazanio ini-

(*a*) Abb. Terribilinus, in appendice opusc. sancti Damas., pag. 1.

(*b*) Mart. Milesius Sarazanius, opusc. beati Damasi, Romæ, ann. 1638.

(*c*) Nic. Ant., Bibl. Hisp. vet. lib., II, cap. 6.

(*d*) Platina Damasum nostrum diserte Hispanum facit, his ejusdem vitam verbis exorsus: *Damaso, di nazione Spagnuolo, e figliuolo d'Antonio.* Edit. Venet 1730, pag. 66.

tio Editionis operum ejusdem (*a*), in quibus Damasus sancti Laurentii levitæ et martyris primum *compatriota*, mox *Hispanus* disertissime dicitur. Postremo autem omnium loco cum emersisset dubium, essentne scilicet miracula quædam Damaso, an potius Laurentio martyri attribuenda, scriptor Actorum, neque in miraculis eos disjungendos asserit, quos *una genuit patria* atque una itidem promovit Ecclesia.

Viderat hoc ex parte Merenda, qui, ad verba a nobis postremo loco relata sermonem intendens, ait (*b*): *Non diffiteor legi in Vita sancti Damasi ex ms. Codice Vaticanæ basilicæ a Sarazanio edita, ut sanctum Martyrem Laurentium, sic Damasum ipsum* GENTE *Hispanum fuisse*, quos ideo una genitos ait patria, *una promotos Ecclesia*, etc. Tentare quidem primum, ut puto, Merenda voluit num comma *una genitos patria* ad originis potius quam ad nativitatis locum transferre quoquo modo posset; ubi vero parum id ex sententia procedere animadvertit, cespitans nec satis sibi fidens, de Laurentii patria rem hactenus inexploratam esse ait, *dubitarique vehementer posse an ipse etiam Laurentius Romæ ortus sit; nam in veteri Sacramentario quod cl. Joseph Blanchinus edidit, atque auctorem habere censuit sanctum Leonem Magnum*, ROMANUS NASCENDO CIVIS *aperte dicitur*.

Hactenus dubia tantum pro certis quæ illi objecimus Merenda profert, puto quia sub operis sui initium cum hæc scripsit (*c*), nondum legerat posteriores ejusdem Blanchini annotationes in libellum Orationum antiquissimi ritus Gothico-Hispani, de quo nobis inferius sermo recurret; neque hujus auctoris de sancti Laurentii patria sententiam exploratam habebat (*d*). Verum opere jam fervente rursum de Laurentii patria, non suo loco scilicet (*e*), sermonem instituens, levitam fortissimum Romanis civibus omnino adnumerandum esse ait, sublatamque de ea re dubitationem omnem ex quo Blanchinus Veronense Sacramentarium evulgavit. Nempe Merendæ responsio huc redit denique: Laurentium non minus patria Romanum esse quam Damasus, eoque sensu ab Actorum scriptore utrumque conjungi, atque inter se *compatriotas* appellari.

Verum hæc ut ut allatæ a Merenda auctoritatis vim eludere interea posse videantur, iis tamen quæ proxime in Actis præcesserant minime accommodari valent. Neque satis mirari possum, cum extrema Actorum verba sibi Merenda objecerit, in quibus Damasus et Laurentius *una geniti patria* dicuntur, cur de iis quæ paulo ante in eisdem Actis leguntur, queisque Damasus disertissime Hispanus dicitur, altum interea sileat? Rem narrabo ordine.

Exposuerat Actorum scriptor præcipua Damasi gesta, horumque occasione mentionem Laurentii injecerat, eum subinde Damasi *compatriotam* appellans (*f*). Mox sub Actorum finem recentiore fortassis manu, stylo saltem nonnihil variante, denuo videtur ipsorum Auctor exordiri, subdens: *Fuit autem beatus Damasus natione Hispanus* (*g*). Postremo denique omnium loco Laurentium Damasumque *una genitos* ait *patria* (*h*). Tria hæc profecto diversaque commata cum sint, ternum tantum Merenda videtur animadvertisse; saltem unum illud sibi objicit binis prioribus, quæ certe majoris sunt roboris, omnino insalutatis. Atqui non *una* tantum *geniti patria* dicuntur in Actis Damasus et Laurentius, sed prior ille disertissime *Hispanus* appellatur. An vero si utrumque expedite Romanum Merenda dixerit, Actorum ea ratione verbis quoquo modo satisfactum putet? Hæc nos tamen, quod denuo sub examen revocanda sunt cum de Laurentii patria sermo erit, missa interea facimus, veterumque pro nostra sententia testimonia legentibus exhibemus.

Primum autem omnium catalogum summorum pontificum sub Felice IV conscriptum, annum circiter Christi 530 cujus auctorem, licet anonymum, chartophy'acio tamen apostolico præpositum fuisse, saltem eodem usum ad texendam Romanorum pontificum rerumque ab ipsis gestarum seriem, exque ea penu sincera et minime corrupta monumenta mutuatum, inferius ostendemus. Is autem catalogus, secundum editionem Patrum Henschenii et Papebrochii, prolegomenis tomi I Aprilis insertam, de Damaso loquens: *Damasus*, habet, *natione Hispanus, ex patre Antonio, sedit annos* XVII, *menses* II, *dies* XI. Quoniam vero, ut nuper diximus, non magni faciendam hujus Codicis auctoritatem Terribilinus censuit, eam propterea multiplici alia ratione, veterumque scriptorum testimonio fulciendam atque adjuvandam mox curabimus.

Secundo loco exhibemus vetustissimum pontificum catalogum qui olim ad comitis Palatini Rhenani bibliothecam pertinuit, et ab ea in principem omnium Vaticanam migravit (ceu nobis ejusdem quondam præfectus, quique illum prior evulgaverat, Schel-

(*a*) Romæ, 1638, a pag. 40.

(*b*) Cap. 1, num. 1.

(*c*) Cap. 1, num. 1.

(*d*) Vulgavit eum libellum ex vetere ampliss. Veronensis Ecclesiæ capituli Codice cl. Joseph Blanchinus, congreg. Oratorii Romani presbyter, in prolegomenis operum liturgicor. ven. card. Josephi Mariæ Thomasii, Romæ, 1741, quem et copiosis annotationibus auxit; in quarum altera 106, scilicet, pag. 292, late de sancti Laurentii patria disserit, Romanum eum sine controversia faciens, causamque pro Romanis dictam pronuntians.

(*e*) § 3, de Damasi operibus, quæ nihil meo quidem judicio commune habent cum patria sanctissimi levitæ. Vid. ibi Merend., pag. 146.

(*f*) *Quodam namque tempore cum dirutarum ecclesiarum restaurationi beatus Damasus operam daret hortum quemdam . . . ab imperatore Valentiniano Juniore sibi dari poposcit*, in quo compatriotæ sui beati Laurentii martyris ecclesiam fabricaret (*Acta Damasi ex Cod. ms. archivii canonicor. S. Petri, ap. Sarazanium, pag.* 47).

(*g*) In eisdem Actis, ap. Sarazan., pag. 60.

(*h*) *Hæc autem miracula alii beato Laurentio martyri, alii beato Damaso deputant confessori; nos tamen in miraculis non dividimus* QUOS UNA GENUIT PATRIA *una promovit Ecclesia*. (*In eisdem Actis, ap. Sarazan. pag.* 62).

stratius (*a*) testatum reliquit) inscribiturque hoc titulo : *Episcoporum Romanæ urbis nomina*. In eo autem Codice, qui quo hæc scribimus anno Domini 1755 nongentos circiter triginta annos ordine numerat, uti suo loco demonstrabimus, hæc de Damaso habentur : *Damasus natione Spanus, ex patre Antonio, sedit annos* XVIII, *menses* III, *dies* XI.

Tertio a nobis loco exponendus est vetustissimus alius Codex inscriptus : *Vitæ Romanorum pontificum a beato Petro apostolo ad sanctum Paulum I perductæ*, quem ex amplissimi Veronensis ecclesiæ capituli chartophylacio primus omnium evulgavit Joseph Blanchinus Francisci ex fratre nepos (quem idcirco Juniorem in processu operis appellabimus) et quarti Anastasii tomi prolegomenis inseruit (*b*). Is autem de Damaso penitus consona prioribus Codicibus habet. *Damasus*, inquit, *natione Hispanus, ex patre Antonio, sedit annos* XVIII, *menses* III, *dies* XI. Quanta vero sit hujus Codicis auctoritas docet nos Junior ipse Blanchinus, dignus profecto censor, qui non semel eum *præstantissimum* appellat; quique ipsum celeberrimo Veronensi Sacramentario, integræ scilicet chiliadis Codici, committere nihil dubitavit; imo vero cum Sacramentarium illud secundas, ut aiunt, in prolegomenis ducat, princeps omnium ei de quo loquimur Codici locus ibidem attributus est.

Superest nobis exponendum Anastasii Bibliothecarii testimonium e libro Gestorum pontificalium, qui aliis *Gesta Romanorum pontificum*, seu *liber pontificalis*, inscribitur; de cujus tamen auctore nonnihil prænotare oportet. Primus omnium Marcus Velserus triumvir Augustanus, qui post Petrum Crabbeum hoc opus evulgaverat, Anastasio monacho, qui vulgo Bibliothecarius audit, integrum attribuit, nullo tamen oblato sponsore idoneo (*c*). Velseri sententiam primo Panvinius (*d*), mox et cardinalis Bellarminus (*e*), aliique amplexati sunt; Baronius (*f*) tamen, libro ad trutinam exactissime revocato, comperit Anastasium nullo modo auctorem dici posse, sed tantum collectorem pontificalium gestorum usque ad Adrianum II, donec tandem Schelstratius (*g*), Holstenius et alii, invictis argumentis docuere unam Nicolai I Vitam Anastasio tanquam certo auctori attribui posse, reliquorum autem pontificum non unius alicujus scriptoris aut ætatis opus æstimandas esse.

In ejus autem Pontificalis libri prima parte, quæ sub initium VIII sæculi conscripta ab eruditis creditur (*h*), Vitasque Romanorum pontificum continet, usque ad Constantinum, seu Vaticanos Codices, seu vetustissima quæ in bibliothecis Christinæ Suecorum reginæ, monasterii Cassinensis, sancti Marci Veneta, Laurentiana, et aliis per Italiam celeberrimis, hodiedum supersunt ejus exemplaria mavelis evolvere, consonam plane de Damaso sententiam reperias ipsisque his verbis conceptam : *Damasus natione Hispanus, ex patre Antonio*.

Possem equidem alia de eodem argumento scriptorum testimonia adducere, sed otio parcendum grataque potius novitate morandum lectorem puto. Unum id tamen quod Damasi pridem Vitam a quodam Benedicto presbytero conscriptam, et a Sarazanio (*i*) operi suo præfixam, ex vetere ms. Codice abbatis Constantini Cajetani, legenti mihi succurrebat, tacitus præterire nequeo. Conversus ad Damasum pius ille scriptor, sub finem ejus Vitæ, sancti pontificis opem implorat universo primum fideli populo, iis præcipue qui devote atque ex animo ipsius natale celebraverint. Verba hæc sunt : *Sancte itaque Damase, succurre ac miserere omni populo, si quis devote, ac desiderio, ac toto cordis affectu celebrat tuum natale*. Pergit subinde Damasi patrocinium populo Romano in hunc modum exposcens : *Sancte Damase, sis intercessor illius, adjutor et defensor populi Romani, ubi pontificatus honorem habere meruisti*.

Æstimet, quæso, prudens lector, quam non siluisset Damasi Vitæ scriptor ejus patriam, si vere ea Roma esset, quando ob supremæ ibidem obtentæ dignitatis memoriam Damasum fidentius orat, ne scilicet eos deserat apud quos pontificatus honorem habere meruit. Aut cur non communem ille patriam, si Damasus Romæ natus fuisset, obnixius obtestatus, opem ejus non jam gratuitam, sed quasi ex debito, Romanis, civibus nempe suis, reddendam poposcisset? Cur non demum scriptor ille Damasi patriam opportune atque in rem suam apposite, ut poterat, deprecationi inseruisset, his sanctum pontificem verbis compellans : *Sancte Damase*, *sis defensor populi Romani, ubi* et natus fuisti et *pontificatus honorem habere meruisti?*

De antiquitate hujus Codicis nihil ipse in promptu habeo, nec Sarazanius eam nobis indicavit. Quod autem Actorum scriptor, proprium nomen et dignitatem, seu gradum, professus, gentem familiamve itidem suam non prodiderit, ea vero non vulgaris mihi antiquitatis conjectura est, quam simplex tenuisque orationis stylus mirifice confirmat. Si quid autem in his rebus divinare liceat, locum illum : *Succurre ac miserere*, etc.; *si quis devote ac desiderio celebrat tuum natale*, ex Prudentio mutuatum suspicor, qui de Vincentio levita et martyre non mul-

(*a*) Tom. I Antiquit. ecclesiasticæ, in append. ad opus Chronologicum, num. 22, pag. 611. Edit. Rom. 1692. — Senior Blanchin., tom. II Anastasii, a p. 14.

(*b*) A pag. 1 et deinceps.

(*c*) M. Velserus, in præfat. ad lib. Pontif. Moguntiæ editum ann. 1602, ap. Schelstratium, dissertat. de antiq. Roman. pont. catalogis, cap. 7, n. 1.

(*d*) In not. ad Platinam, in Nicol. I, apud Scheelstratium, ibid.

(*e*) Lib. de Scriptorib., in Damaso, ap. Scheelstratium, ibid.

(*f*) Ad ann. 867, num. 129.

(*g*) Dissert. de Antiquis Rom. pont. catalog., cap. 7, num. 2, et ibi Holstenius.

(*h*) Vid. Senior Blanchinus, in præfat. I tom. Anast., num. 6, 7.

(*i*) In Editione Romana oper. sancti Damasi, ann. 1638, a pag. 63.

tum absimilia pridem panxerat (*a*). En ejus verba :

Miserere nostrarum precum,
Placatus ut Christus suis
Inclinet aurem prosperam
Noxas nec omnes imputet.
Si rite solemnem diem
Veneramur ore et pectore ·
Si sub tuorum gaudio
Vestigiorum sternimur.

CAPUT II.

Feliciani pontificum catalogi, atque Anastasii auctoritas, non Catholicis modo, sed ipsis etiam heterodoxis rata.

Res hic nobis est cum Terribilino, qui de catalogo Romanorum pontificum sub Felice IV (quem vulgo *Secundum* appellari diximus eoque a nobis deinceps nomine designabitur) loquens, deque libro gestorum pontificalium ab Anastasio collecto, non magni faciendam utriusque scriptoris auctoritatem affirmare nihil dubitat. Merenda autem, an et ipse in hac parte Terribilino adhæreat, minime ego affirmare ausim; in ejus certe sententiam propendere ex eo mihi videtur, quod tam Anastasii quam secundi catalogi auctoritatem, quæ utraque opinioni suæ ex adverso stat, perinde neglexerit, quasi nihil ei ab hac parte timendum foret. Primum autem omnium operæ pretium fuerit indicare queis demum partibus Anastasii liber Pontificalis constet, earumque auctores; tum maxime e quibus hi fontibus hauserint pontificum vitas, rerumque ab ipsis gestarum seriem attexuerint.

Universum igitur Anastasii opus in tres potissimum tractus Uberioris doctrinæ gratia dividi potest. Primus seriem exhibet Romanorum pontificum a sancto Petro ad Liberium, qui, quod ad nomina patrias atque annos pontificatus eorum spectat, ex vetere omniumque antiquissimo Romanorum præsulum catalogo omnino desumptus est. Hic autem catalogus, quod omnium primus eum Ægidius Bucherius evulgaverit (*b*), aliis *Bucherianus*, aliis *Catalogus sub Liberio*, aut *primus* absolute audit. De ejus auctore non est satis hactenus exploratum. Nonnulli, quantus is est, Damaso attribuunt (*c*), pars Anterum quoque papam eidem conficiendo allaborasse volunt (*d*); ex his tamen quæ Scheelstratius affert (*e*) verosimilius arbitror anonymum ejus auctorem fuisse qui sub Liberio vixerit, id est, cum primum inclinare cœpit sæculum IV a Christi nativitate.

Secundus Pontificalis Anastasii libri tractus seriem Romanorum præsulum exhibet a Liberio ad Felicem IV. Ea vero totidem fere verbis descripta est ex alio pontificum catalogo, qui, quod sub Felice IV, priore scilicet sæculi VI triaconteteride exeunte conscriptus primum fuerit, *Felicianus*; quia vero solido quam prior ille Liberianus sesquisæculo recentior est, *secundus* vulgo *catalogus* appellatur, ab anonymo itidem, ut prior ille, scriptore confectus.

Postremo omnium tractu nobis exhibet Anastasii liber Acta resque gestas pontificum recentiorum, a Felice scilicet IV ad Nicolaum I, cujus vitam, præeuntibus Holstenio, Scheelstratio, et Seniore Blanchino, genuinum tantum Anastasii fetum esse pridem dicebamus. Vitas vero pontificum qui inter Felicem et Nicolaum ternis et eo amplius sæculis sedem tenuerunt, non unius scriptoris neque ætatis opus esse, una ipsorum styli varietas jampridem ab Holstenio (*f*) animadversa satis argueret, etsi alia deessent omnia. Itaque singulas, summum binas ternasve ab uno auctore conscriptas fuisse, diversisque temporibus secundum sæculorum seriem libro Pontificali assutas merito censent ecclesiasticarum rerum scriptores.

Nec prioris ergo illius Liberiani tractus, neque posterioris hujus tertiæ Anastasiani operis partis fidem auctoritatemque tueri nobis est animus, neutrubi etenim nostra, quod aiunt, res agitur; verum cum in secunda, itemque in Feliciano Pontificum catalogo Damasum diserte Hispanum pronuntiari dictum sit sæpius; eorumque auctoritatem verbaque pro nostra sententia præallegaverimus, utriusque idcirco scriptoris fidem adversus Terribilinum, et sit qui sunt alii ejusdem impugnatores sustinendam in nos recipimus.

Neque in eo magnopere nobis allaborandum, ex quo utramque hanc Spartam ornavere Holstenius, Scheelstratius, Seniorque Blanchinus, summi profecto viri, quorum propterea testimonia ordine sistemus. Incubuerat prior Holstenius in eam curam ut, collatis veteribus libri Pontificalis Codicibus, veram germanamque auctoris litteram erueret, quod et magna ex parte præstitit. Mox Scheelstratius, secundo pontificum catalogo atque Anastasii libro ad trutinam exactissime revocatis, rivulisque ad fontium capita continenti studio reductis, hoc de Feliciano catalogo, ejusque auctore judicium protulit : *Ac de nomine auctoris* (Scheelstratii (*g*) verba sunt) *nihil mihi compertum est, cum catalogus scriptus sit sæculo* VI, *quo nemo e veteribus Acta Romanorum pontificum collegisse memoratur. Quantum tamen ex Actis ipsis colligi videtur, auctor Romæ floruit et archivo apostolico forsan præpositus fuit. Quod enim auctor Romæ scripserit, indicat magna rerum Urbis et agri Romani notitia quam habuit. Omnia cœmeteria etiam quam longissime ab Urbe dissita, omnia sepulcra mar-*

(*a*) In hymn. sancti Vincent. Mart. stroph. 115. Similia item apud Latinos legas. Terent., Hecyra, prolog. :

Si nunquam avare statui pretium arti meæ...
Simile impetrare me.

Item in Heautontimor., prolog., et alibi. Imo et apud Græcos, Homer., Ἰλιάδ. A, 70 :

. . . . . εἴ ποτέ τοι χαρίεντ' ἐπὶ νηὸν ἔρεψα
Ἢ εἰ δή ποτέ τοι κατὰ πίονα μηρί' ἔκηα, . . .
Τίσειαν Δαναοί.

Et alibi sæpius.

(*b*) In comm. Can. pasch. Victorii, Antuerp. 1634, pag. 269.

(*c*) Panvin. in comm. libri II Fastor. Sarazan., in not. ad epigramm. Damasi IX, ap. Merend., pag. 249.

(*d*) Henschenius, tom. I April., in prolegom. ante catalogos Rom. pont.

(*e*) Dissert. de antiq. Rom. pont. catalog., cap. 2. num. 10.

(*f*) Apud Scheelstrat., Dissert. de catalog. Rom. pont., cap. 7, num. 7.

(*g*) Dissert. de antiq. Rom. pont. catalog., cap. 5 num. 12.

tyrum etiam in cryptis et cavernis posita, omnes ecclesias et regiones Urbis, omnes reliquias et titulos, omnes vias viarumque distantias, cætera demum omnia perspecta habuit. Quod autem archivo apostolico forsan præfectus fuerit deduci videtur ex his quæ habet de Leone Magno : « Hic fecit epistolas multas exponens fidem catholicam rectam, quæ hodie archivo Ecclesiæ Romanæ tenentur ; » et ex Actis Hormisdæ cujus libellus eodem archivo reconditus tenetur. Quomodo enim auctor Romanum archivum citasset, ni illud vidisset eique forsan præpositus fuisset? Illa sane quæ de singulorum pontificum decretis, de eorum gestis, de episcoporum, presbyterorum et diaconorum ordinationibus ubique affirmat, clare indicant auctorem omnia ex regestis archivi desumpsisse.

Neque his contentus Blanchinus Senior (*a*) improbo sane labore quæsitum ulterius pergit : quæ tunc, cum is de quo loquimur Felicianus catalogus conscriptus primum fuit, superstites in Urbe essent pontificum Romanorum tabulæ; quæ rerum ab iisdem gestarum anaglypha, veterumque de eodem argumento scriptorum commentaria, ex quibus Vitarum pontificalium series a Petro ad Felicem IV, non interrupto historiæ filo, perduci posset ; rursum quæ in priscis ecclesiis et cœmeteriis, lapideis tabulis, quas a figura *platonias* (*b*) appellabant, incisa tum forent antiquissimorum pontificum Acta; quæ in ipsorum sepulcris epigrammata, queis patrias, ut fit, præcipuaque eorum gesta, sanctiones item atque ordinationes ecclesiasticas expressas fuisse verosimillimum est ; quæ tandem superessent ecclesiasticæ retroactorum sæculorum historiæ monumenta, eaque autographa, atque adeo in aperto posita, ut vel parum attento scriptori nullibi non essent obviam futura.

Quanta vero priscis illis temporibus harum rerum seges fuerit, facile conjiciet quicunque paulo attentius considerare velit quæ nunc, post duodecim scilicet sæculorum lapsum, supersunt adhuc nobis ecclesiasticæ antiquitatis vestigia. Argumento item a sacris profanis ducto agnoscere etiam debemus priscis pontificibus, ad sustinendam atque amplificandam summi sacerdotii dignitatem, non minus curæ fuisse sacra Christianorum, Ecclesiæ ordinationes, acta, functiones supremi muneris proprias, aliaque ejus generis monumenta chartis tabulisve concredita Romanorum præsulum fastis adnotare, quam ethnicis ejus ævi sacerdotibus ut numinum suorum cultum, item ut propriam dignitatem adversus temporum injuriam tuerentur. Horum autem maximam perpetuo fuisse ea in re diligentiam, innumera apud Gruterum, Reinesium, Muratorium, et alios veterum inscriptionum collectores, epigrammata ad hanc diem exstantia satis ostendunt, in quibus flaminum Dialium, fratrum Arvalium, Isidis, Serapidis, Mithræ, atque aliorum priscæ superstitionis sacerdotum, munera, deorumque cultus ac ritus præcipui graphice

A aut emblematice expressi continentur ; prorsus ut quicunque tandem ille fuerit secundi catalogi scriptor, ex iis quæ ipsius ævo supererant archetypis monumentis non interruptam pontificalium gestorum seriem attexere facili negotio potuerit; imo nisi oculos ab ubivis Romæ prostantibus tabulis consulto avertere vellet, ne latum quidem unguem alicubi a veritate deviare. Atque hactenus de secundi pontificum catalogi auctoritate.

Quod ad Anastasium attinet, missis quæ Guillielmus Bibliothecarius, Trithemius, Platina, Baronius, aliique auctores, in ejus commendationem scripsere, de quibus videndus Senior Blanchinus (*c*), Scheelstratium itidem judicio prædem sistimus (*d*), qui primo satis superque ostendit auctorem libri Ponti-

B ficalis Anastasio attributi, ut Vitas gestaque Romanorum præsulum a Petro apostolo ad Zachariam scriberet (quos inter Damasus noster recensetur) secundum pontificum catalogum, de cujus auctoritate nuper egimus, ad manum habuisse, eoque ad seriem illorum attexendam omnino usum, ut proinde eadem in hac parte Anastasio, ac Feliciano pontificum catalogo, fides necessario adhibenda sit.

Mox autem cum idem auctor suum de posteriore libri Pontificalis parte, Vitas scilicet Zachariæ ad Nicolaum I continente, judicium protulisset, ipsiusque fidem summopere commendasset, utpote quæ a synchronis scriptoribus ex antiquis Ecclesiæ monumentis atque apostolicis chartophylaciis desumpta fuerit, pergit de priore ejusdem Pontificalis libri

C tractu in quo Damasus noster est sententiam subinde suam promere, inquiens : *Licet autem prior pars* (Pontificalis scilicet libri) *non conscripta sit ab auctoribus synchronis*, EX ANTIQUIS TAMEN ROMANÆ ECCLESIÆ MONUMENTIS PARITER CONCINNATA FUIT, *adeo ut pro discernendis Romanæ Ecclesiæ ritibus, pro ejusdem disciplina et dogmatibus cognoscendis hic liber merito allegari possit, cum ex eo horum omnium notitia eruatur. Si enim de ritibus sacrificii qui jam inde a primis temporibus cœperunt ; si de ordinationibus episcoporum et inferioris cleri, eorumque muniis ; si de reliquiis martyrum, de invocatione sanctorum, de psalmis et orationibus ab Ecclesia recitari solitis; si de varia pontificis electione ; si de sexcentis aliis disciplinæ et dogmatum ecclesiasticorum capitibus agamus,*

D *reperiemus profecto in hoc libro Pontificali unde cunctis satisfiat, et quibus modis Ecclesiæ regimen octo priorum sæculorum spatio constitit facile conjiciemus; ita ut vix sciam* (concludit) *an in tota antiquitate opus aliud reperiatur ex quo tam multa ac ex libro Pontificali addisci possint.*

Nec minore in pretio a Seniore Blanchino nabitum fuisse Pontificalem librum, luculentissimum ejusdem in præfatione tom. I Anastasii (*e*) testimonium ostendit ; a quo præterea observatum scimus superstites hactenus Romæ et in suburbanis Pontificalium

(*a*) Præfat. tom. I Anastasii, a num. 17.

(*b*) Id est, a latitudine; πλατὺ; etenim *latum* significat. Hispani diceremus *Valdosus*. Alias *Platoniæ* Cassiodoro (lib. III ep st. 9) columnæ dicuntur. Consule Henr. Stephan., in ea voce.

(*c*) Proleg. Tom. I Anastas. Biblioth., post Præfat.

(*d*) Diss. de ant. Rom. pont. catal., cap. 9, a n. 1.

(*e*) A num. scilicet 31.

ordinationum, dedicationum basilicarum, aliarumque id genus ecclesiasticarum functionum tabulas, quas ipse cum Anastasio diligentissime contulit, mirifice hujus doctrinæ congruere, id quod in aliis etiam quorum comprobationes non habentur incorruptam Anastasii fidem confirmat, multo item plures quam nunc ecclesiasticæ antiquitatis reliquias hujus auctoris ævo in urbe superfuisse, ut proinde ex iis tantum, etsi alia defuissent omnia, priorum Ecclesiæ sæculorum historica series utcunque continuari, saltem suppleri atque adjuvari plurimum posset; iisque omnino monumentis usum fuisse libri Pontificalis auctorem.

Nollem cl. Joanni Ciampinio qui paulo ante Schelstratium (a) *Examen libri Pontificalis* ex professo scripserat, Romæ typis editum anno 1688, injurius esse, ejusque hac de re sententiam tacitus præterire. Expenderat is veterum Codicum collationes ab Holstenio factas, momentisque rationum omnibus denuo sub trutinam revocatis, in hæc verba censuram de libro Pontificali suam profert (b) : *Verumtamen licet a pluribus exaratum Codicem Romanorum pontificum existimemus, nihilominus ut autographo genuinisque scripturis excerpto maximam ac summam fidem eidem habendam esse censemus, præcipue cum propter antiquitatem eximiæ venerationis sit, constantemque historiam contineat, quam tot sæculorum consensu Ecclesia recepit, utpote quæ litteris consignata fuerit a scriptoribus, qui vel pontificibus, quorum gesta scripsere, coævi, vel paulo juniores fuerunt.* Hæc Ciampinius.

Nec defuere ex ipsis heterodoxis cordatiores qui Pontificalem librum non vulgari elogio commendaverint, ut suo loco dicemus. Interea vero nihil moramur Pearsonium (c), Molinæum (d), Hospinianum (e), Dodwellum (f), et si qui sunt alii hujus ordinis viri, quorum jecora difficili in ritus ecclesiasticos bile tumentia virus acerbitatis suæ in Anastasium librique Pontificalis auctorem evomunt *suspectum eum scriptorem, et rerum statusque primitivæ Ecclesiæ prorsus ignarum, quique ex vetustis quidem scripturis apocryphis librum suum consarcinaverit* vocitantes, atrocibusque utrumque conviciis proscindentes.

Hos omnes, præter Ciampinium (g), Scheelstratius iis ipsis quæ modo retulimus argumentis exagitat; Pearsonio vero *quod libri Pontificalis auctorem incertum sæculi* VI *scriptorem dixisset*, non illepidum præterea subcinit epiphonema (h). Cum, etenim in designanda auctoris ejus libri ætate nonnihil humani passus Pearsonius fuisset (non enim *sexto*, ut ipse aiebat, *sæculo*, sed exeunte *septimo*, et fortassis sub *octavi* initium is auctor vixit), non injuria a Scheelstratio reprehenditur, quod libri Pontificalis auctorem *status primitivæ Ecclesiæ prorsus ignarum dixerit*, ignarus profecto ipse qua demum ætate floruerit libri Pontificalis auctor : *Quandoquidem autem* (pergit Scheelstratius) *sæculo jam* SEPTIMO (sphalma est typographicum pro *sexto*) *libri Pontificalis auctorem scripsisse Pearsonius fatetur, melius de Romana Ecclesia, ejusque disciplina, ritibus et fide, instructum eum fuisse quam novissimis temporibus natos, agnoscere quoque debuisset.*

Scio fuisse etiam ex catholicis scriptoribus qui libri Pontificalis atque Anastasii auctoritati non parum detractum voluere. Binos apud Ciampinium (i) videre licet, quos ego tamen honoris causa taceo sciens lubensque. Ex his alter : *Pontificum Vitas ab Anastasio deformatas et allucinationibus plenas* ; alter vero *eumdem auctorem fœdissima adulatione erga Nicolaum I pontificem usum fuisse* affirmat. Verum utrumque iniquiore erga Anastasium animo fuisse, facile conjiciet quicunque a Ciampinio ibidem pro Anastasio allata liber a partium studio considerare velit. Ipse vero uti non negavero plurima in Anastasio deprehendi, vel ab eo, quæ humana conditio est, initio parum animadversa, vel exemplorum crebritate ab antiquariis deformata, tanti tamen ut præfati auctores contendunt facienda minime arbitror. Neque si Anastasius in Nicolai I, quem nedum communi supremæ dignitatis, sed proprio clientelæ jure ac debito revereri debuit, laudes aliquanto liberius excurrit (quod scriptoribus solemne est in nuncupatoriis præsertim epistolis) fœdum eidem, propterea palpum obtrusisse censendus est. Sed de his nos alias.

Interea vero, ut e diverticulo in viam redeamus, nuspiam ipse adduci potero ut credam Terribilinum, et si ab ejus partibus Merenda steterit, prioribus illis quos modo confutabamus heterodoxis, aut posterioribus his catholicis scriptoribus consentire; cautiores tamen vellem ecclesiasticos præsertim viros, quos proinde nedum scopulos, sed et allidendi discrimen devitasse tutissimum fuisset. Non enim hic nobis de lana, quod aiunt, caprina sermo est, neu quærimus quot hiemes Laertis errarit puer, aliave poetarum fabulis decora. Summa ferme universæ pontificum historiæ in dubio est; deque ea simul statuet quicunque tandem secundi catalogi atque Anastasii auctoritati detractum velit. Agitur enim in utroque hoc libro de gestis Romanorum pontificum deque eorumdem Actis, ordinationibus, decretis; de summi sacerdotii auctoritate, de sacris reliquiis et pre-

(a) Blanchinus Senior (*In præfatione, Tom. I Anastasii*) innuit Scheelstratium quatriennio post Joan. Ciampinium, anno nempe 1692, opus suum Antiquitatis ecclesiasticæ edidisse; quod et verum est si ad Romanam ejus operis Editionem multiplici dissertatione atque appendicibus auctam referamus; idem tamen opus Antiquitatis ecclesiasticæ multo licet conctractius Antuerpiæ excusum pridem fuerat anno nempe 1678, forma, ut vocant, quarta.

(b) Exam. lib. Pontifical. sect. 11, pag. 107.

(c) Dissert. I. de serie Rom. pontif., cap. 12, n. 8, ap. Scheelstratium, Diss. de catalogis, cap. 8, n. 4.

(d) Ap. Ciampin., in Exam. lib. Pont., ubi proxime.

(e) De Orig. Templor. lib. II, cap. 14, § 7, ap. Ciampin., ubi prox.

(f) Dissertat. de paucit. martyrum, apud Ruinart., præf. ad Acta mart. sincera, pag. 67.

(g) Sect. 12, pag. 108.

(h) Diss. de ant. Rom. pont. catal., cap. 9, n. 9, in fin.

(i) Exam. lib. Pont., sect. 12, pag. 108.

cibus, de sanctorum invocatione, de sacrorum rituum præsertim liturgicorum antiquitate et origine, quam utramque tantopere infringere satagunt novatores, deque universa ecclesiasticarum rerum summa; prorsus ut in his duobus totam ferme disciplinæ Ecclesiæ legem pendere, præcipuum saltem in eis Romanorum prioris ævi præsulum historiæ cardinem verti non immerito dixeris.

Nec humani tantum consilii aut industriæ opus existimandum est, quod utrumque illud ecclesiasticæ antiquitatis monumentum in communi fere aliorum naufragio superstes Sponsæ suæ servaverit Christus, his potissimum procellosis temporibus e tenebris eruendum; quodque vel hæreticorum nonnullis, queis in hac parte cor profecto sapuit, eam mentem indiderit ut firmam ratamque haberent libri Pontificalis auctoritatem. David etenim Blondellus, adversus Franciscum Turrianum scribens (*a*), Pontificalis libri auctorem *scriptorem* vocat *forte non malum*; quæ quia emphasin important, sequentibus Blondelli verbis declarantur (*b*): *Eo enim libro veteres Ecclesiæ Romanæ tabulæ continentur, nihilque eo scripto incorruptius*. Nec multum ab his abludit Salmasius, et ipse heterodoxus, qui, Scheelstratio teste (*c*), *libri Pontificalis auctorem quasi solis radio scripsisse* alicubi tradit. Atque hæc de secundo catalago et Pontificali Anastasii libro generatim dicta sunto.

CAPUT III.

Feliciani Pontificum catalogi atque Anastasii textus, quo loco Damasum uterque Hispanum facit, omnino incorruptus.

Hactenus secundi Pontificum catalogi atque Anastasii auctoritatem generatim ratam fore atque esse docuimus; verum cum non idcirco uterque ille scriptor omni penitus nævo careat (id etenim unius divinæ Scripturæ privilegium est ac prærogativa peculiaris), singulatim propterea eorumdem Codicum fidem atque integritatem examinandam duximus; quo scilicet loco Damasum uterque scriptor disertissime Hispanum facit; id etenim centrum est et scopus universæ disputationis nostræ.

Magnus olim scriptorum censor atque æstimator Horatius fas esse aiebat (*d*), in longo præsertim opere, ut somnus quandoque obreperet; utque id catalogi secundi scriptori atque etiam Anastasio, neque admodum raro, contigisse fateamur, neminem propterea fore puto qui utrique illi, quorum cæteroquin adeo est conducibilis industria, vulgarem eam saltem indulgentiam rebus aliis desperatis denegandam censeat. Verum si eorum tamen doctrinam ad cribrum hodiedum exactissime revocare liceret, essetque qui solida ejusdem grana sciret internoscere, atque ab infelici lolio, forsan et a superseminatis zizaniis secernere (glossas intelligo, antiquariorum sphalmata, siglas, litterarum compendia, numerales notas, atque id genus reliqua), constantior fortassis atque æquabilior secundi pontificum catalogi atque Anastasii fides haberetur, nec quidquam in utroque scriptore delicatulos muliebrique malacia laborantes stomachos fastidire cerneres.

Fontes igitur e quibus manuscriptorum Codicum præsertim historicorum vitia frequentissima ad nos emanarunt hi præcipue a criticis indicantur. Heterodoxorum pravitas, qui, ut Catholicis dogmatis calumniose detraherent, non raro veterum scripta corruperunt ac commacularunt. Interdum ipsorum catholicorum, quos, dum privatæ quisque opinioni aut commodis plus justo inservire satagit, ambitio plerumque mala falsos fieri subegit. Nimia item planeque indifferens credulorum simplicitas; hi enim ex falsa aut male assuta historiæ lacinia populorum fidem augendam arbitrati, anilibus sæpe fabellis nativum historicæ veritatis splendorem obscurarunt. Marginales præterea glossæ, quas antiquariorum oscitantia aut imperitia in textum admisit, compendia scripturarum non satis ab iisdem intellecta, lectionum varietas, siglarum denique notarumque numeralium frequens usus in re præsertim chronologica, quarum dum vel minima non suo loco ponitur inextricabiles errores inducit. Exemplis rem illustriorem fore arbitror.

Luciferianorum aliorumque Liberii obtrectatorum perversitas genuina hujus pontificis Acta corrupisse vulgo creditur, nonnullaque, ut ipsius famæ calumniose detraherent, eorumdem loca interpolasse. Ejus flagitii non obscura supersunt nobis hodiedum apud Anastasium vestigia a primis illis temporibus deducta; Vita etenim Liberii prout in vulgatis Anastasii Codicibus circumfertur, parum sibi consonam nescio quam præsefert styli varietatem, ut non unius alicujus opus esse e vestigio dignoscatur. Nec Damasus noster in hac parte felicior fuit, cujus historiæ genuinisque Actis plurimum offecisse depravatrices Ursicini, seu, si mavis, Ursini, competitoris ejusque sectatorum manus, vehemens eruditorum suspicio est, ut suo loco dicemus. Hæc ad primam ab hæreticis causam.

Contentio Alexandrinæ et Antiochenæ cum Romana Ecclesia de primatu, quod utraque illa non minus ac Romana se diceret apostolicam, causam præbuisse vulgo creditur ut quædam ex apocrypha epistola nomine Clementis papæ, ad Jacobum fratrem Domini appellatum directa, Vitæ hujus pontificis attexerentur, cum primis vero Clementis designatio ad apostolici muneris dignitatem eodem prorsus modo a beato Petro apostolo facta, quo Petrus ipse regendam a Christo Domino susceperat Ecclesiam, quam et apud Anastasium legimus. Putabant etenim Romanæ præ aliis Ecclesiis dignitatis assertores peculiarem hanc Clementis a beato Petro designationem argumento fore specialis quoque Romanæ cathedræ ante alias excellentiæ, primatusque Ecclesiæ universalis; quasi vero defuissent vel tum indubia alia monu-

(*a*) Apud Scheelstrat., Diss. de ant. Rom. pont. catalog., cap. 9, num. 9.
(*b*) Ibid., ap. eumdem.
(*c*) Ibid., ap. eumdem.
(*d*) In Arte, 360.

menta, queis itidem primaria Romanæ sedis dignitas sustineri ac demonstrari plane posset. En aliam depravandi Codices causam eamque a Catholicis profectam.

Quid autem de Anastasii colo in Vita Pii papæ I, ubi Hermes quidam, ejus pontificatus tempore, librum composuisse dicitur: *in quo mandatum continetur quod ei præcepit angelus Domini, cum ad eum veniret in habitu pastoris, et præcepit ei ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur* (*a*)? Hæc ex apocrypho Constitutionum Clementis libro ad supplendam antiquissimi Liberiani pontificum catalogi lacunam, aut ex Actis quibusdam sanctæ Pudentianæ virginis catalogi descriptorem temere mutuatum fuisse suspicatur Senior Blanchinus (*b*). Erunt fortasse qui propter Asiaticorum cum Romanis episcopis de Paschate dissidium, quod mox sub Victore papa recruduit, integram periodum hujus pontificis tempore adjectam credant, ut sacri scilicet Paschatis in die Dominica religiosum cultum nedum ex apostolorum traditione, sed ex divina quoque institutione derivari ostenderent. Utrovis autem modo se res habeat, illud certe de *angelo in habitu pastoris* apparente, alteram esse constat earum, quas modo dicebamus lacinias, a simpliciore aliquo per speciem pietatis temere historiæ assutam, tertiam videlicet eamque non infrequentem depravationis Codicum causam.

Quartæ nobis exemplum suppeditat Anastasii comma in Vita Damasi. *Fuit autem Damasus* (inquit) *temporibus Juliani* (*c*) quæ quanquam eodem Blanchino teste (*d*), ex depravatis Liberii Actis descendere nonnulli suspicentur, propius tamen vero crediderim, ab imperito rei chronologicæ glossatore oræ primum Codicis apposita indeque, ut fit, in textum irrepsisse ab antiquario scilicet introducta. Ejus mihi rei fidem pene facit in dubiam, quod si verba illa stirpitus e textu avulseris, nedum sensus perseverat integer, sed et narrationis series non jam ut pridem videatur interrupta. Quidquid autem illud fuerit, falsissimam eo commate enuntiationem contineri manifestum est, cum Julianus vivo Liberio ad v scilicet Kal. Julias anno 363, jam diem suum obiisset, id est, solido triennio ante Damasi pontificatum, cujus initium a Kalendis demum Octobribus anni 366, Gratiano et Daglaipho coss., auspicandum ipse Blanchinus evidenter demonstravit (*e*).

Quod ad chronologiam attinet, id est in designanda ratione temporis quo unusquisque pontificum sedem obtinuit, mirum quantum dissideant tum inter se, tum etiam ab Anastasio, Codices et catalogi anteriores; idque plurimum ex arithmeticis notis præpostere aut alias non suo loco collocatis, aliquave earum importune adjecta vel omissa, quæ in hoc argumento minutiæ si negligantur magnas in expedienda temporum ratione difficultates afferunt. Non longe

A abierimus. Anastasius Damaso pontificatus annos xviii menses ii, dies x, attribuit; catalogus autem secundus annos tantum xvii, menses tamen iii, sedem tenuisse affirmat. Diversitas ex antiquarii oscitantia nata creditur, qui cum arithmeticam notam i, ex annorum areola detraxisset, eam mox pontificatus Damasi menses enumerans iisdem importunissime restituit, quasi ad menses potius quam ad annos pertineret.

De siglis compendiisque litterarum uberior, opinor, errorum seges est, quam ut eam allatis exemplis confirmare oporteat. Neque ambigo nonnulla ab Anastasio, fortassis etiam a secundi catalogi scriptore, in unoquoque genere prætermissa; verum ea tamen delicta sunt quibus ignovisse velim. Etenim ubi plura
B nitent in opere, paucis quas aut injuria fudit maculis, aut humana parum cavit natura, non protinus offenduntur quibus est equus, et pater, et res; imo e contrario mitius cum auctore agendum, sublevandamque ejus industriam æquissimo jure censent, sicubi eam laborare contingat.

Ego vero nedum in hac parte Anastasio et secundi catalogi scriptori indulgendum, sed ulterius ex ipsis qui in utroque conspiciuntur nævis eorum fidem mirifice commendandam censeo. Cum etenim de Anastasio prædixerimus collectorem eum, non auctorem fuisse Pontificalis libri (quo etiam jure ac nomine secundi catalogi scriptor meo quidem judicio censendus est), maluit alter quæ in Liberiano catalogo repererat, utcunque dubia aut parum sibi comperta,
C relinquere; alter vero quæ in prioribus illis Liberiano et Feliciano, atque in recentiorum Pontificum Vitis ab ipsarum auctoribus scripta pridem viderat, qualiscunque tandem eorum fides esset, retinere, quam quidquam immutando aut adjiciendo seriem pontificalium gestorum universam suam quodammodo facere, ejusque veritatem tuendam in se recipere.

Jam vero ut quo hæc demum pertineant videamus, rogandus primum Terribilinus est, num quid Ursicini ejusque sectatorum interesset Hispanum potius Damasum fuisse quam Romanum vel alibi natum, ut eum propterea, secus ac res habebat, pro Hispano obtruderent, secundumque pontificum catalogum atque Anastasium de vera Damasi patria loquentes
D flagitiose corrumperent aut interpolarent; an si Hispanum Damasum ostendisset Ursicinus probrosum ei nomen aut inclementius dictum objecisset, quo sci i et sibi favorem, Damaso vero cleri et populi Rom ni conflaret invidiam. Nondum eo aut spei aut timoris tandem patriæ communio, potentum clientelæ, studia denique partium processerant, ut proinde nihil ex hac parte Damaso obstiturum esset quominus tanto muneri par judicatus communibus suffragiis Romanus pontifex salutaretur.

Nec ea tempestate aut uspiam omnino alias ab Hi-

(*a*) Vide Anastas., in Pio, tom. I, pag. 14, ex quo hæc ad litteram descripta sunt.
(*b*) Tom. II Anast., in Pio I, pag. 117. Item pag. 22.

(*c*) Anastasius, in Damaso.
(*d*) Tom. III, Anastasii, in Damaso, pag. 33.
(*e*) In prolegom. II, Tomi Anastas., pag. 68, col. 1.

paniæ Ecclesiis primariæ omnium Romanæ cathedræ de jure aut prærogativa litem intentatam legimus, cui pro Hispanis decidendæ conferre quidquam posset fueritne apud ipsos an alibi natus Damasus, ut neque ex hoc capite suspicioni locus sit vitiatos propterea veteres secundi catalogi atque Anastasii Codices. Præterea nihil e margine in horum Scriptorum textum irrepsisse, nullamve hoc loco lubricæ fidei narratiunculam eidem subintroductam, aut temere assutam fuisse, liquido constat ex eo quod tribus omnino verbis, *Damasus natione Hispanus*, negotium universum transigatur, omneseque ita præclusi sint aditus, ut nec iota unum ad rem nostram conficiendam redundare aut deesse nemo non videat.

Ulterius. Non hic nobis de notis arithmeticis aut de re chronologica sermo est; nec de siglis aut litterarum compendiis, ut ex errorum in his rebus frequentia conjicere pronum fuerit erratum quoque ab auctore secundi catalogi atque Anastasio fuisse dum de Damasi patria loquerentur, aut ab antiquariis in vetustis eorum Codicibus describendis. Neque demum (quod miraculi loco habendum) in tanta exemplarium secundi catalogi atque Anastasii in Bibliothecis per Italiam, Galliam, Germaniam, et Belgium universum copia, quæ stupendo labore contulere Holstenius (*a*), et post eum Senior Blanchinus (*b*), præsertim cum in aliis horum scriptorum locis infinita pene sit lectionum varietas, vel unum hactenus repertum legimus, quod de Damasi patria loquens non mirifice cæteris omnibus consentiat.

Hæc autem cum ita sint, satis mirari nequeo cur secundi catalogi atque Anastasii fidem tanto molimine Terribilinus in dubium revocare nitatur; saltem scire vellem quo tandem astu Danaen istam tot undique excubiis circumseptam deludi ac vitiari potuisse arbitretur, ut propterea Damasi patriam utriusque illius scriptoris auctoritati ac testimonio non satis tuto credi aut committi posse affirmet. Verum fuerit (quod gratuito Terribilino damus), fuerit, inquam, aliquis in hac parte contra Anastasium et secundi catalogi scriptorem suspicioni locus; an idcirco Veronensis pontificum catalogi quem Junior Blanchinus evulgavit (*c*), an Codicis Palatino-Vaticani, Anastasio, ut videbimus, antiquioris, quem utrumque pro nobis allegavimus, sublesta quoque fides atque auctoritas futura, aut Damasi patria duplici alio eoque idoneo teste accedente non satis adhuc explorata habenda?

Neque, e diverso, cum de gloria Hispanorum quæritur satis multa succurrunt nobis exempla queis ab exteris nationibus, seu falsa rerum ab Hispanis præclare gestarum prædicatione, sive illustrium pietate doctrina aut militari laude virorum attributione, gratis eam auctam sciamus. Hoc unum si Terribilinus animadvertisset, cautiorem eum debuisset facere, ne scilicet stylum in Anastasium et secundi catalogi scriptorem acueret. Debuit id saltem ab ipso impetrare amice conjurantis Merendæ in Tillemontium animadversio. Egerat Merenda (*d*) de quodam Arsenio quem Damasus Arcadio puero jam declarato Augusto præceptorem miserat. Is Arsenius a Baronio, qui prior id in Metaphraste legerat, *Romanæ Ecclesiæ diaconus* appellatur. Obsistere pro ingenio Tillemontius, nec diaconum Arsenium agnoscere, nisi alius isque idoneus Metaphrastæ sponsor accedat; Merenda tamen intercedens his Tillemontium verbis compellat: *Verum cui bono scriptor ille* (Metaphrastes) *hanc in Arsenio dignitatem fingere potuisset? Cur non potius hoc scripserit ille, antiquiore aliquo minimeque dubio testimonio fretus?* Injurius profecto sim secundi catalogi scriptori atque Anastasio, si utrumque aut eorum alterum Metaphrastæ contulero. Notum de Græca fide quæ parœmiæ locum fecit. Intere[a] [v]ero Terribilinus viderit quo pacto popularem sententiæ suæ Merendam effugiat, si iste ab eo quæsitum pergat: *Cui bono secundi catalogi auctor atque Anastasius Damasi patriam sibi pro arbitrio confinxerint.*

CAPUT IV.

Fundamenta adversariorum infirma. Romanum parentum Damasi ex Hispania iter expeditum atque in proclivi positum.

Quæ de suo nobis Terribilinus objicit, si quid ego video, magni non sunt. Idcirco levissime attingenda et tantum non prætereunda puto. Summa huc redit denique: *Neminem veterum qui de Damaso egere Hispanum eum dixisse ante secundum pontificum catalogum sub Felice IV, aut Anastasium; utriusque hujus scriptoris auctoritatem non magni faciendam; recentiores Hispanos nullo ut Damasum popularem suum astruant solido fundamento niti; dissentire præterea de loco, multumque inter se digladiari; Hispanum itaque Damasum non esse.*

Primum autem omnium ex parte falsum esse catalogus ille pontificum e Palatino-Vaticano Codice, quem secundo loco pro nobis adduximus sub titulo: *Episcoporum Romanæ urbis nomina*, manifestissime demonstrat; auctor etenim ejus, cui itidem Damasus Hispanus audit, totis quadraginta annis ante Anastasium vixit. Supputemus rationes probe. Quo tempore primus omnium catalogum de quo agimus evulgavit Scheelstratius, ad annum scilicet 1691 (non enim multo id serius facere potuit, cum sub initium sequentis anni fato functus fuisse dicatur [*e*]), is Codex, ipso attestante (*f*), annos numerabat 865. Ex quo fit anno demum quo hæc scribimus Christi 1755 ætatis fore Codicem annorum DCCCCXXIX. Jam vero si hanc summam ab eo qui nunc volvitur anno 1755 subducamus, reliqui fient anni DCCCXXVI, totidemque a Christi nativitate effluxerant, cum primum catalogus

(*a*) Apud Blanchinum, in præfat. I tomi Anastasii.
(*b*) II tom. Anast., in prolegomenis, a pag. 85.
(*c*) In prolegomenis IV tomi Anastasii, pag. 1.
(*d*) Opusc. et gest. sancti Damas., cap. 22, n. 2, pag. 123.
(*e*) In indice ms. bibliothecæ Casanatensis, quo loco Scheelstratii opera recensentur, e regione nominis auctoris invenitur hæc nota: *Obiit 6 Aprilis 16 2.*
(*f*) T. I Antiquit. ecclesiastic., in append. ad opus chronologicum, num. 22, pag. 611.

de quo agimus exaratus fuit. Atqui Anastasius post sublatum e vivis Nicolaum I, cujus subinde vitam gestaque scripsisse pridem dicebamus, id est, post annum 867. Pontificalis libri collectionem adornavit, ut proinde catalogi auctorem totos quadraginta annos Anastasio antiquiorem fuisse necesse sit.

Quod ad secundum pontificum catalogum spectat id unum Terribilino assentiar, nullum nobis auctorem superesse qui ante eum catalogum Damasum Hispanum dixerit, saltem a me hactenus ignorari; verum si ea recolimus quæ de Actis Romæ superstitibus sub initium sæculi VI, quo tempore catalogum illum exaratum fuisse constat, deque scriptis et gestis pontificum, aliisque ecclesiasticis monumentis id temporis ubivis prostantibus alibi dicta sunt, non minus verum puto secundi pontificum catalogi auctorem, nonnisi aliquo eoque archetypo, quod sibi præluceret, documento de Damasi patria locutum fuisse, quanquam illud exserto nunc digito indicare non facile sit. Saltem non id, amabo, æquius, non præstabilius fuerit, quam suspicari secundi catalogi auctorem Damasi patriam e proprio sibi cerebro non secus ac Jupiter Minervam confinxisse?

Verum, ut alia desint, an non una secundi catalogi antiquitas abunde ei sufficere censenda est ut propria constet fide; nec post XII tandem sæculorum lapsum alieno ipsi ad suam tuendam auctoritatem sponsore opus sit? Aut cur non secundi catalogi testimonium de Damasi patria a synchrono auctore profectum æstimabimus? Ejus certe scriptor, si non viventem ipse Damasum, perplures tamen agnoscere eumque iis versari facillime potuit, qui, dum in vivis ageret sanctus pontifex, eum sæpius intueri, sæpius alloqui, publiceque et privatim colere valuerunt; atque ex his quæ ad Damasi patriam gestaque spectant familiari, ut fit, sermone mutuari. Rursum hic nobis supputatione est opus. A Damasi morte quæ in annum incidit Christi 384 ad Felicis IV pontificatum, quo tempore secundus catalogus scriptus fuit, CXLII, non amplius effluxerunt anni; si vero hujus pontificis exitus (qui ad annum demum salutis 530, Octobri mense, a chronologis refertur) omnino spectandus sit, centum summum quadraginta et sex anni intercessere. Jam vero interstitium istud binæ eæque non hominum longevissimorum ætates facile implere potuerunt, ut priori tempus ad pubertatem usque attribuamus, quo Damasum sæpius videre, quæque de ipso in ore omnium ferebantur ab aliis accipere, et fideli, qualis puerorum est, memoria retinere; posteriori vero nondum adhuc octogenario ut catalogum de quo agimus conscribere potuerit (a). Hæc meo quidem judicio usque adeo in proclivi posita sunt, ut si quis ea cum Tillemontii aut adversariorum conjecturis conferre, nedum postponere audeat, iniquum profecto ipsum rerum æstimatorem fore necesse sit.

Verum inquit tamen Terribilinus. Nemo veterum scriptorum ante secundum catalogum Damasum Hispanum dixit. Tanquam ad rem attinuisset quidquam. Nemo eorum Damasi vitam ex professo attexuit. Hieronymus certe totus est in ejus scriptis recensendis. Optatus, Rufinus, Marcellinus, Symmachus et alii de ipsius potissimum gestis tractavere, idque occasione Liberii pontificatus in qua scena primas post eum contra Arianos Damasum nostrum partes egisse norunt omnes. Scimus præterea veteres scriptores præsertim ecclesiasticos, quod ad sanctorum patrias attinet, verborum parcissimos fuisse, qua de re inferius nobis sermo recurret. Quare nihil horum neque institutæ ab ipsis disputationis intererat Colchus fuisset an Assyrius Damasus, Thebis potius an Argis innutritus. Sed cedo; num veterum scriptorum aliquis Damasum propterea Romanum dixit? Nunc, inquiet, non erat his locus. Atqui, reponam ego, neque ut ipsum Hispanis attribuerent; ut proinde veterum in hac parte silentium ἀμφίβολον plane sit, neque in nos magis quam in adversarios urgeri possit.

Nec Terribilinum (quod ejus pace dixerim) satis a partibus liberum æstimo, qui de nostratium scriptorum argumentis pro Damasi patria sententiam ferre possit. Ad æquiores provoco. Sed fuerint ea sane, quoniam ita Terribilino visum fuit, paulo quam res postulat infirmiora; an propterea ubi sesquimillenarii facti quæstio est, ut probatio deficiat, jus illico defecisse censeri debet? Meliora pro se Terribilinus afferet, scilicet. Sed Hispanos scriptores, præter insitum genti domesticarum rerum neglectum, privatis potius in hac re studiis quam publicæ rei inserviisse pridem diximus. Itaque dum singuli popularem suum pressius ea voce usurpata Damasum faciunt, de summa rei, id est de eodem Hispaniæ generatim asserendo, quod extra controversiam id positum putarent, non ut oportebat solliciti universi fuere.

Privata autem ipsorum concertatio de urbe in qua natales hauserit Damasus, quod postremum in nos Terribilinus urget, dum alii Matritum, alii Vimaranum aut Igeditaniam, alii demum Tarraconem eam fuisse putant (addere insuper Terribilinus posset Occiduas Gades (b) Saguntumque fide inclytam (c) ad duodecimum a Valentia nostra lapidem, *Monviedro* nunc indigenis appellatam); privata, inquam, Hispanorum hac de re concertatio nec publicæ unquam ipsorum causæ officere, neque ullo modo Terribilinum juvare potest. An ergo, quod de Homeri patria septem olim celebratissimæ urbes tanta animorum contentione disputaverint, erit propterea qui Græcis eum adjudicandum, aut Græciæ universæ de eo argu-

(a) Plato, Simonides, Stesichorus aliique plures (apud Tullium, de Senect.) octogenariis majores egregia opera edidere, neque eos in studiis suis obmutescere senectus fecit. Sed quid ad vetera ethnicorum exempla confugimus, cum hodie sanctissimus dominus noster Benedictus PP. XIV in omnium luce versetur; imo ipse sit lux supra Ecclesiæ candelabrum posita, nedum supremæ in terris Majestatis fulgore, ed luculentissimorum scriptorum radiis, vel in ea ætate lucens omnibus qui in domo sunt?

(b) Vid. Joseph Maria Suarezius Gallus episcopus olim Vasionensis, ap. Nicol. Antonium, lib. II Biblioth. Hispanæ veteris, cap. 6.

(c) Bernardinus S. R. E. cardinalis Carvaialius, in oratione ad Alexandrum PP. VI, habita 25 Novembris anni 1492. Unde et Gaspar Scholanus, in Historia Valentina, apud eumdem Nicol. Antonium, loco proxime citato.

mento litem intentandam censeat? Atque hæc ad Terribilini objecta.

Fortiores profecto sunt in speciem saltem Tillemontii (*a*) conjecturæ quas in nos Merenda regerit (*b*). Cum etenim nedum Damasus, sed et parens ejus Antonius lectoris in urbe munus exercuisset, posteriorque iste in basilica sancto Laurentio sacra, quæ nunc *in Damaso* appellatur, per omnes ecclesiasticos gradus ad sacerdotium pervenisset, ceu ipse nos Damasus docuit, lectoratus autem ex eorum temporum disciplina pueris committeretur, elicit inde Tillemontius non secus Damasi patrem atque ipse Damasus Romæ pueritiam transegisse. Jam vero, pergit, vix credibile, saltem parum verosimile fit Damasi patrem primo in Hispaniam concessisse, ductaque ibidem uxore ac susceptis in ea regione liberis Romam denuo cum his impedimentis regressum fuisse, ecclesiastico scilicet ordini in exceptoratus officio protinus ascribendum, lectoratusque, levitatus et presbyterii honoribus brevi intervallo temporis honestandum.

Neque hic consistit Merenda, sed expensa temporum ratione, itinerum difficultate, ecclesiastica illius ævi disciplina, subductis denique rationibus aliis impeditissima omnia cæcisque viarum anfractibus plena esse pronuntiat. *Agebat itaque Damasus* (verba ipsius (*c*) sunt) *cum lectoris munus exercebat annum saltem decimum tertium. . . ac Romam cum patre et matre venisse debuit quadriennis aut quinquennis infans. Fac igitur ea illum ætate tanto itineri ferendo idoneum, an vero Antonius pater, novus prorsus ignotusque homo nomen Ecclesiæ dedisse potuit statim ac Romam venit, lectorque ejus basilicæ creatus est? Id erat profecto ab eorum temporum disciplina alienum; nam primo baptizari, ac deinde aliquo temporis intervallo probari debuit an dignus esset qui clero ascriberetur. Postremo in minorum ordinum exercendis officiis, aut novennium, aut septennium saltem insumere debuit; quo elapso tempore, si quis se idoneum probaverat, ad altiores gradus evehi poterat. Huic autem novennio aut septennio* (pergit) *quod Antonius in minoribus ordinibus exercendis transegisse debuit, si alios annos quinque aut sex addas, quos filium natum esse oportuit ante Romanum iter, ac prius quam pater clero ascriberetur, jam accedes ad ætatem illam in qua Damasus positus erat cum Acta sanctorum martyrum* (Petri scilicet et Marcellini) *audiit, et memoriæ mandata descripsit. At vero tunc* A *temporis jam lector fuisse videtur. An itaque* (concludit) *in inferioribus ordinibus positi pater et filius uno fere eodemque tempore, atque eadem in ecclesia? Hoc alii judicent.* Hactenus Merenda.

Quia vero multa argumento insunt, eaque mox singulatim seduloque expendi debent, operæ pretium me facturum puto, si in limine ob lectorum oculos ponam ecclesiasticam ejus ætatis disciplinam, id est, quæ tunc vigebat cum Damasi parens Antonius Romam venisse existimandus est: qua scilicet ætate lectores ecclesiastici ad id munus assumerentur; quantum in minoribus ordinibus constitutis, ut ad altiores gradus proveherentur, temporis opus esset pro singulorum exercitio; statimne a baptismo, an ex intervallo, qui Ecclesiæ sese devoverant clericali militiæ B in aliquo ordine ascriberentur; ac demum, fueritne præstitutum probationi promovendorum spatium. His etenim vim argumenti omnem diluendam, tum etiam quæ nobis reponere est animus dilucidiora fore arbitror.

Primo autem omnium loco statuendum est sub initium salutis sæculi IV, saltem post pacem Ecclesiæ a Constantino redditam (quo demum tempore Damasi parens Antonius Romam omnino venire debuit, ut mox dicemus) lectoratus ecclesiastici gradum pueris frequentissime committi, ut ex conciliis II (*d*) et III (*e*) Romanis sub Silvestro, ad annum 324 et sequentem habitis, colligere fas est. Quanquam etenim prioris auctoritati non omnino astipulentur critici (*f*), ratam eam tamen, quod ad C nostrum propositum attinet, receptamque Ecclesiæ usu doctrinam traditam fuisse, tum aliorum testimonia, tum allatæ a Thomassino (*g*) rationes satis superque ostendunt.

Alte hanc doctrinam imbibere Tillemontius et Merenda, queis propterea de ætate qua Damasi parens clero primum ascribi potuit nihil omnino scrupuli subortum fuisse, vel inde inferre licet, quod uterque eum *a puero lectoris munus obiisse* constanter asserat (*h*). Id nos tamen num sic habeat expediemus modo. Nunc quo argumento probare Merenda pergat ex ecclesiastica ejus ævi disciplina lectoratum pueris attribui solitum, obiter inspiciendum est. *Pueros*, inquit (*i*), *ad gradum lectoris assumi solitos, tum ex Siricii et Innocentii epistolis tum ex variis a* D *Thomassino et Bonarotio allatis exemplis constat.*

(*a*) *On prétend que saint Damase était Espagnol, fils d'un nommé Antoine, quoiqu'on ne puisse guère douter qu'il ne soit né à Rome, et que son père paraisse y avoir demeuré dès ses premières années; car Baronius rapporte une inscription où il est dit que son père avait été écrivain*, lecteur, *diacre et prêtre dans l'église de saint Laurent à Rome* (*Tillemont, Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique, tom. VIII, Ed. Venetæ, pag.* 386. *Il y a même peu d'apparence que le père de saint Damase fût venu d'Espagne à Rome, et encore avec ses enfants, comme cette Histoire* (de sanctæ Irenes Actis loquitur quæ Bollandiani Patres afferunt die 21 Februarii) *le semble dire : puisqu'il avait servi à Rome dans la fonction d'écrivain et de* lecteur, *ce qui semble qu'il y avait demeuré dès son enfance* (*Idem*, ibid., in notis, pag. 773).

(*b*) Merenda, sub initium opusculor. sancti Damasi.

(*c*) Sub init. opusculor. sancti Damasi, n. 1.

(*d*) Concil. Roman. II, sub Silvestro, act. 2 cap. 11. t. I Labb., p. 1586.

(*e*) Conc. Rom. III, sub eodem Silvest., sub rubr. *De proficiendis in ordinibus.*

(*f*) Pagius, ad ann. 324, n. 17, 18; ap. Labb., I tom., col. 1576.

(*g*) De vet. et nov. Disciplin., p. I, lib. II., cap. 35, num. 2, 5 et 7.

(*h*) Tillemont., loco superius allegato, et in not., pag. 775 : *Le père de Damase avait servi à Rome dans la fonction d'écrivain et de* LECTEUR, *ce qui semble marquer qu'il y avait demeuré dès son enfance* (*Merenda, cap.* 1, *n.* 1, *ibi*). « Pater enim Damasi in sancti Laurentii basilica exceptor, tum *lector* fuit, qui sunt primi puerorum gradus. A teneris igitur annis Damasi pater in ea basilica tirocinium posuisse videtur. »

(*i*) Loco proxime allegato.

Atqui Siricii et Innocentii epistolæ solido minimum sæculo ætatem de qua quæsitum oportuit, nempe cum puer erat Damasi parens, recentiores sunt. Exigamus rem ad calculum. Damasus ad annum Christi 304 natus dicitur; quare patris ejus pueritia in qua lectoratus gradum obtinuisse adversarii volunt, ab anno 285, aut non multo post, integro scilicet ante Siricium sæculo incipere omnino debuit. Quid autem de Innocentio dicemus, quem ineunte demum sæculo v ad pontificatum evectum fuisse constat? Nec magis huc spectant Thomassini (*a*) et Bonarotii (*b*) exempla multo quam vel Siricius atque Innocentius recentiora, ac proinde tempori quo puer erat Damasi parens non facile accommodanda. Sed e diverticulo in viam (*c*).

Ante Silvestri tempora fueritne in aliquo ex B conciliis aut canonibus ecclesiasticis certa ætas præstituta, qua lectoribus id munus committi deberet, exploratum non est. Utcunque tamen id fuerit, illud constat, provectiores eum quoque gradum obtinere potuisse, idque jam ab ipsis Ecclesiæ primordiis. Certe in his quos apostolorum canones vocant, qui ex vita gentili ad Ecclesiam accesserint et baptizati fuerint non prohibentur in clerum admitti (*d*), ceu in eorum canonum 79 disertis verbis legitur. Scio equidem nonnullorum auctoritatem (*e*), imo et Gelasii papæ decretum (*f*) intercedere, quominus tuto his canonibus assentiamur; verum is quem adduximus, quod jam pridem ab Origene contra Celsum (*g*) allegatus fuerit, minime falsitatis vitio laborare censendus est. Id ipsum ex secundo concilii C Nicæni canone (quod concilium eodem ipso tempore celebratum fuit quo Damasi parens Romam venisse

A inferius dicemus) evidentissime deducitur (*h*); ibi enim cum provectiores baptizari, ac tempore demum procedente, si dignos sese exhibuerint, ad episcopatum pervenire posse dicantur: consequens fit ut prævios quoque inferiores gradus, atque adeo lectoratum obtinere omnino potuissent.

In specie autem, quod aiunt, de lectoratu pressior est atque apertissimus in rem nostram concilii Sardicensis locus (*i*); verum cum integro post tempora de quibus inquirimus vicennio, ad annum scilicet 347 habitum fuisse constet, ejus propterea testimonium consulto prætermittimus potiorique jure decretalium Siricii (*j*), Innocentii (*k*) et Zosimi (*l*) epistolarum, quibus hæc eadem de lectoratu doctrina disertissime traditur. Unum tamen prætereundum non putamus, quod de Celerino et Aurelio Christi confessoribus loquens Cyprianus innuit (*m*), Ecclesiam scilicet Africanam eos ad lectoratus gradum assumere solitam, qui jam *confessorum* gloriam adepti fuerant, id est, qui martyrii tirocinium posuerant; hos autem integræ potius quam infirmæ ætatis fuisse verosimillimum est. Imo cum, præter lectoratus eo tempore inter minores ordines excellentiam (*n*), multa lectoribus incumberent quæ ætatem integram virilemque constantiam desiderabant (ultra lectionem etenim Scripturarum, quæ propria erat muneris eorum functio, sacrorum Codicum custodia frequentissime ipsis committebatur, ut ex variis Actorum martyrum locis (*o*) colligitur) vix, credibile est iii saltem exeunte, atque ineunte iv salutis sæculo, quo rabies persecutorum in sacros Codices crudelissime desæviit, pueros ad lectoratus gradum assumptos fuisse.

(*a*) Affert quidem Thomassinus exempla duodecim puerorum qui cum lectores essent Carthagine Christum in persecutione Vandalica confessi sunt. Item Epiphanii Ticinensis, Joannis Cabilonensis, Chrysostomi, Euthymii et aliorum quæ longe recentiora sunt. De Felice autem Nolano, quem *primis in annis lectorem Deo serviisse* Paulinus ait, nec quis is Felix inter alios cognomines fuerit, neque ætas qua floruit satis explorata est, de quo videndus Ruinartius (*Act. mart., Edit. Veron., pag.* 216). Potuit quoque *primos annos* Paulinus non ad Felicis pueritiam sed ad juvenilem integramque ætatem retulisse: nam comma *a puero instituit servire Deo* præcedentis periodi pars est. Vid. Paulinum, ap. eumd. Ruinart. (*Pag.* 218).

(*b*) Messii Romuli lectoris pueri, quod unum a Bonarotio affertur exemplum, recentius esse, cum stylus epigrammatis, tum forte adjectum e regione ejusdem Christi monogramma satis indicat. Videndus tamen hic auctor (*Observat. ad fragm. vitr. Florent., Edit.* 1716; *pag.* 115).

(*c*) Vide infra primam notarum huic dissertationi sub *addendorum* nomine adnexarum. Edit.

(*d*) « Eum qui ex vita gentili accesserit (*ad Ecclesiam, scilicet*) et baptizatus fuerit, vel ex improba vivendi ratione, non est æquum protinus episcopum fieri » (*Canon Apostol.* 79, *tom. I Coll. Labb., Edit. Venet.* 1728 *pag.* 42).

(*e*) Ap. em. card. Aguirrium (*Tom. I, Concilior., dissert.* 3. *excursu* 2, 3, 4).

(*f*) De apocryphis Scripturis (*In concilio Romano, ad an.* 494).

(*g*) Origenes contra Celsum, lib. iii, ap. Severininum (*In not. ad canonem* 79 *apostolor., tom. I, Collect. Labbæanæ, col.* 62).

(*h*) « Quoniam multa vel necessitate, vel urgentibus alioqui hominibus præter canonem ecclesiasticum facta sunt, *ut homines qui ex vita gentili ad fidem nuper accesserunt, et exiguo tempore catechumeni, id est, initiati, fuere, statim ad lavacrum spirituale deducant, et simul ac baptizati fuerint ad episcopatum vel presbyteratum provehant, recte habere visum est, ut deinceps nihil tale fiat.* » *Conc. Nicæn., can.* 2, *Coll. Labb. tom. II; col.* 49).

(*i*) « Osius episcopus dixit... ut si quis ex foro, sive dives, sive scholasticus, episcopus fieri dignus habeatur, non prius constituatur quam *lectoris*, et diaconi, et presbyteri ministerium peregerit » (*Conc. Sardicens., can.* 10, *Coll. Labb. tom. II, col.* 300).

D (*j*) Ad Himerium Tarraconens., n. 10.

(*k*) Ad Felicem Nucer., n. 4, 5.

(*l*) Ad Hesychium Salonitan., n. 3.

(*m*) Lib. ii, epist. 5; lib. iii, epist. 22, apud Thomassin. (*Parte* i, *lib.* ii, c. 30, n. 6 *seq.*) Vide etiam n. 12.

(*n*) De Lectoratus inter minores ordines præstantia, vid. Thomassin. (*P.* i, *lib.* ii, *cap.* 30, *num.* 11, 15).

(*o*) In actis sancti Felicis episcopi Africani legitur: *Aprum vero presbyterum ad se jussit perduci, et Cyrum et Vitalem lectores, quibus Magnilianus curator dixit: Libros Deificos habetis? Aper dixit: Habemus* (*Ap. Ruinart., Act. mart. sinc., Edit. Veron.* 1731, *pag.* 313). Item in Actis Saturnini Dativi et aliorum, Anulinus tyrannus juniorem Saturninum lectorem ita interrogat: *Dic an aliquas Scripturas habeas* (*Ruinart., pag.* 338)? Acta proconsularia persecutionis Africanæ sub Munatio Felice: *Felix curator*

Hac ego de causa cum ex sanctorum Codicum custodia tot pericula lectoribus imminere animadverterem, ut merito is ordo quidam quasi martyrii procinctus haberetur (*a*), præterea cum hinc doctrinam de lectoribus pueris nullo veteri jure aut explorato exemplo niti (Celerinus namque et Aurelius huc non pertinent [*b*]), sæpissime autem oppugnari (*c*) observassem, inde vero auctoritates et exempla pro puerorum lectoratu ab auctoribus quos supra retulimus allegata ad Theodosii, Arcadii, Honorii et posteriora tempora, quibus Ecclesia optata pace et otio fruebatur, referenda esse deprehendissem, ex horum, inquam, omnium, inter se collatione, præcipue vero ex immutata sub Constantino Magno rerum facie, non temere elici posse arbitrabar, tunc primum post pacem Ecclesiæ redditam pueris ad lectoratum aditum patuisse, novæque hujus ordinationis semina a Silvestro in conciliis Romanis jacta (*d*), Siricii (*e*) postea et Innocentii (*f*) epistolis exculta, et latissime in Ecclesia propagata fuisse. Cum enim nullus sub Constantino persecutionis metus ingrueret, non ea jam in lectoribus quæ pridem constantia desiderabatur; et alias puerilis ætas in iis qui Ecclesiæ ascribendi erant tutandæ ipsorum innocentiæ atque addiscendis ecclesiasticis ritibus opportunior omnino existimata fuit. Hanc ego tamen de lectorum ætate doctrinam seu potius conjecturam, (*g*) quod vix sciam an ab alio tradita aut animadversa pridem fuerit, disciplinæ ecclesiasticæ peritioribus examinandam propono (*h*).

Quod ad minorum ordinum interstitia spectat, id est tempora quibus constituti in minoribus pro ipsorum exercitio majores gradus opperiri deberent, neque ea pro his qui natu grandiores Ecclesiæ ascribebantur certo definita comperimus. Sane concilium Sardicense (si ejus nobis testimonio uti per Merendam licet) (*i*) *pro unoquoque gradu non minimi temporis longitudinem* statuit; neque tamen definit quanta demum ea futura sit. Romanum II (*j*) et III (*k*), sub Silvestro, quæ modo laudavimus, ut in dubium sit eorum testimonium, pro his tantum qui a pueris Ecclesiasticæ militiæ nomen dedere temporum interstitia constituisse credenda sunt; longior etenim in utroque annorum tractus decernitur quam ut eum ætate provectiores præstolari possint.

Merenda, ut vidimus, novennium, saltem septennium, constitutis in minoribus, atque adeo Damasi parenti, omnino exspectandum fuisse ait, ut ex eorum temporum disciplina ad altiores gradus provehi posset (*l*). Verum id nec refellere, neque tamen pro certo affirmare possumus, donec idonea nobis afferantur testimonia. Recentiores certe Siricii, Innocentii ac Zosimi, epistolæ, ad quas nos Merenda in hujus doctrinæ confirmationem manuducit, nihil, ut modo dicebamus, commune habent cum eorum temporum disciplina de quibus quæsitum oportuit.

Verum nec si septennium pro minorum ordinum interstitiis parentis Damasi ætate ab Ecclesia præstitutum fuisse Merendæ gratis concesserimus, impeditior nobis via subinde fuerit, ut suo loco dicemus. Interea vero suspicari fas est plurimum in hac re juris episcopis permissum fuisse, ut justis de causis inexspectato septennii lapsu, quemcunque Ecclesiæ ministeriis opportunum fore providerent, ad altiores gradus evehere possent. Ea vero temporis indulgentia ut maxime iis qui ætate nonnihil provectiores sacræ militiæ nomen dedissent tribueretur, æquitas quodammodo et naturalis ratio suadere videbatur; iis etenim non æque ac pueris integ um erat longius ad gradus reliquos interstitium præstolari (*m*).

Exempla hujus generis ordinationum in numerato habemus plura, in Gallo scilicet et Juliano e regia Constantini Magni stirpe ortis, in Nectario Constantinopolitano, Ambrosio, Epiphanio Ticinensi, Martino Turonensi, Gaudentio Brixiensi et aliis; sed ea nonnihilo tamen quam vellemus recentiora sunt. Illud credibile fuerit, jus concedendi ex causa septennii de quo agimus veniam in his qui grandævi acces-

reip. Marcuclio et Silvano dixit: Quare unum tantummodo Codicem dedistis? Proferte Scripturas quas habetis. Marcuclius et Catulinus dixerunt: Plus non habemus quia subdiacones sumus, sed lectores habent Codices (*Baron., ad ann.* 303, *Edit. Lucen.* 1738, *pag.* 341). Item Acta concilii Cirthensis sub Secundo Tigisitano: *Felix Paulo episcopo dixit: Profer Scripturas legis. Paulus episcopus dixit: Scripturas lectores habent* (*Augustin., Contra Crescon. Donatistam, lib.* III, *cap.* 29). Et alibi ap. alios.

(*a*) Vid. de hac re Thomassin. (*P.* I, *lib.* II, *cap.* 30, *sub init.*).

(*b*) Aurelius et Celerinus, ob virilem in tormentis constantiam, lectoratum præmium confessionis suæ juvenes retulerunt.

(*c*) Gyrus et Vitalis, in Actis sancti Felicis; Saturninus, Junior ob Patrem cognominem appellatus, in Actis sanctorum Saturnini et Dativi; Pollio denique in Actis sanctorum Pollion., etc. (*Apud Ruinart., pag.* 359), et alii lectores, pueri non erant, ut ex eorum responsis et ex Actis proconsularibus Africanæ persecutionis colligitur.

(*d*) Secundo scilicet (*Act.* 2, *cap.* 11) et tertio, sub Rubric. *De præficiendis in ordin.*

(*e*) Epist. ad Himerium Tarraconensem.

(*f*) Epist. ad Felicem Nucer.

(*g*) Vide infra secundam notarum huic dissertationi sub *addendorum* nomine adnexarum. EDIT.

(*h*) Suboluit fortassis hæc doctrina cl. Lud. Muratorio qui, in notis ad illud Paulini Nolani de sancto Felice martyre: *Primis lector servivit in annis* (*Not.* 278, *Edit. Veron.* 1736, *col.* 955) sic habet: *Olim et Cypriani ævo, ut videre est in illius epistolis* 33, 34, *et nonnullis aliis, solis provectæ ætatis hominibus meritis et doctrina insignibus lectoris munus demandabatur... At postmodum ad illud admissi sunt impuberes et infantii.*

(*i*) Can. 10, ap. Labb., tom. II, col. 666.

(*j*) Actione 2 cap. 11, ap. Labb., tom. I, col. 1585.

(*k*) Rubr. *De præficiendis in ordinib.*, ap. Labb., tom. II, col. 417.

(*l*) Postremo in minorum Ordinum exercendis officiis aut NOVENNIUM aut SEPTENNIUM saltem insumere debuit, quo elapso tempore si quis se idoneum probaverat, ad altiores gradus evehi poterat (Merenda, *sub init. Opusculor. S. Damasi, n.* 1).

(*m*) Vid. Thomassin. (*Vet. et nov. Disc.* part. I, lib. II, cap. 36 n. 5, et 6).

serant, saltem hoc temporis interstitium mitigandi, jam tum episcopis a primis Ecclesiæ sæculis competiisse. Sane in eo quem pridem laudavimus apostolorum canone 79, post stabilitam generalem regulam, *ne quis* scilicet *ex vita gentili, aut ex improba vivendi ratione ad clerum accedens protinus episcopus fiat*, subditur continuo exceptio *nisi forte hoc divina gratia fiat*, qua nonnihil juris ea in re episcopis attributum fuisse suspicari fas est. Id tamen alii judicent.

Vidimus hactenus ætate etiam provectiores clero ascribi, atque adeo lectoris gradum obtinere potuisse. (De his intelligi volumus qui non antea militassent, administrassentve, quique non curiales, pœnitentes, digami, neque alias per canones impediti fuissent.) Superest ut inquiramus an hi statim a baptismo, an potius ex intervallo quasi probationis suæ, sacræ militiæ in aliquo gradu ascriberentur. Merenda (*a*) post injectam difficultatem, ut Damasi parens novus prorsus ignotusque homo nomen Ecclesiæ dedisset statim ac Romam venit, notariusque e vestigio et lector basilicæ sancti Laurentii creatus fuisset, ejus difficultatis causas exponens, alienum id esse ait ab eorum temporum disciplina : *Nam primo baptizari, ac deinde aliquo temporis intervallo probari debuit dignusne esset qui clero ascriberetur.*

Hoc ut nobis persuadeat tertio ad Siricii, Innocentii, ac Zosimi epistolas provocat (*b*). Verum non hic jam cum eo de parachronismo, sed de enuntiationis veritate agendum, cum apertissime Siricius et Zosimus iis ipsis quæ a Merenda allegantur locis, forsan etiam et Innocentius, in alia prorsus omnia abierint. Sistimus Siricii verba (*c*) : *Quicunque itaque se Ecclesiæ vovit obsequiis a sua infantia ante pubertatis annos baptizari et lectorum debet ministerio sociari.* Deinde capite sequenti pergit : *Qui vero jam ætate grandævus melioris propositi conversatione provocatus ex laico ad sacram militiam pervenire festinat*, DESIDERII SUI FRUCTUM NON ALITER OBTINEBIT, NISI EO QUO BAPTIZATUR TEMPORE STATIM LECTORUM AUT EXORCISTARUM NUMERO SOCIETUR ; *si tamen eum unam habuisse vel habere* (quod verbum notare oportet), *et hanc virginem accepisse, constet uxorem.* Hæc in præfata epistola Siricius.

Zosimus vero in ea quam ad Hesychium Salonitanum scripsit, non multum ab his abludens (*d*) : *Hæc autem*, inquit, *in singulis gradibus observanda sunt tempora. Si ab infantia Ecclesiasticis ministeriis nomen dederit, inter lectores usque ad vigesimum ætatis annum continuata observatione perduret; si major et grandævus accesserit*, ITA TAMEN UT POST BAPTISMUM STATIM SE DIVINÆ MILITIÆ DESIDERET MANCIPARI, *sive inter lectores sive inter exorcistas quinquennio teneatur.... Hac autem lege servata, ut neque bigamus, neque viduæ maritus ad hos gradus possit admitti.*

Hic primum observo Siricium Zosimumque circa eos qui a pueris Ecclesiæ se devoverunt nihil penitus de intervallo quod a baptismo ad clericatum intercedere Merenda voluit, atque his pontificibus attribuit, meminisse ; ubi vero ad eos pergunt qui adulta jam ætate clero ascribi desiderant, Siricium disertissimis verbis *eo quo baptizantur tempore, statim lectorum aut exorcistarum numero sociandos* decernere, Zosimum vero quinquennio inter lectores seu exorcistas retinendum, qui grandævus ad clerum accedens *statim a baptismo sacræ se militiæ desideret mancipari*; ut proinde ex verbis Zosimi integrum sit iis qui grandævi sacræ militiæ addicuntur, modo velint, statim a baptismo lectoratus aut exorcistatus gradibus initiari (*e*). Quæ sane si quis cum Merenda doctrina contulerit, nedum aliena aut parum cohærentia, sed planissime contraria deprehendet.

Unum ei reliquum est ad Innocentium confugium, qui in epistola ad Felicem Nucerianum, sub titulo *De his qui de laicis possunt clerici fieri*, hæc scribit (*f*) *Laici vero qui habentes uxores baptizati sunt, ac sic se instituerunt, ut opinio eorum in nullo vacillet, ut aut clericis juncti sint, aut monasteriis*, EX QUO BAPTIZATI SUNT *hæserint.... non prohibentur hujusmodi ad clericatus sortem assumi.* Ex his etenim illud confici videtur, ita demum laicos qui uxores habuerint, aut habent, fas esse in clerum admitti, si post lapsum temporis ex quo baptizati fuere probos sese continentesque exhibuerint.

Verum cum præallegatæ a nobis Siricii et Zosimi decretales disertissime etiam de laicis *actu*, ut aiunt, uxores habentibus loquantur (consulto utriusque pontificis verba e regione collocavimus) (*g*) ; eosque Siricius statim a baptismo clero ascribendos esse jubeat ; Zosimus vero, si velint, id in eorum arbitrio et potestate relinquat (*h*) ; præterea cum digamos

(*a*) Sub init. opusculor. sancti Damasi, num. 1.

(*b*) Laudat hoc loco Merenda, atque affert pro hujus doctrinæ confirmatione Siricii epistolam ad Himerium, num. 14; Innocentii ad Felicem Nucerian., cap. 5, et Zosimi ad Hesychium Salonit., cap. 5.

(*c*) Epist. ad Himer. Tarraconen., sub titulis : *De admittendis ad clerum et de his qui grandævi ad sacram militiam convertuntur*, cap. 9, 10. Numerus enim 14 hujus epistolæ qui a Merenda citatur, in Editione conciliorum Labbeana Veneta 1728, qua usi sumus, de pœnitentibus est, non de promovendis.

(*d*) Num. 3, tom. III, col. 400. Numerus enim 5 a Merenda laudatus ibi nullus est; sed in tertio desinit

(*e*) An et sine officio aut ordine Ecclesiæ ascribi quis posset prioribus quinque sæculis. Vide Thomassin. (Part. I, lib. II, cap. 34, a num. 2), qui omnino id fieri posse negat. Videatur tamen hic auctor, part. I, lib. II, cap. 67, num. 2.

(*f*) Cap. 4, tom. III, Coll. Labb., col. 21.

(*g*) Siricius, loco citato : « Eo quo baptizatur tempore statim lectorum aut exorcistarum numero societur, si tamen eum *unam habuisse vel habere*, et hanc virginem accepisse, constet uxorem. » Zosimus quoque : « Post baptismum statim se divinæ militiæ desideret mancipari... hac tamen lege servata, *ut neque bigamus, neque pœnitens, neque viduæ maritus* ad hos gradus possit admitti. Ubi notandum, non repelli maritum ejus quæ virgo ducta fuit.

(*h*) Eam Siricii tempore Ecclesiæ usu receptam doctrinam fuisse ostendit Thomassinus, p. I, lib. II, cap. 67, n. 11, ubi et rationem reddit cur statim a baptismo initiari deberent, qui jam maturi ad Ecclesiam accedebant, scilicet *ne interim irrepere in animum possent ludibria sæcularium pomparum et cœlestem baptismi innocentiam aliqua turpitudinis macula contaminare.*

tantum, aut ab aliis relictarum, itidemque non virginum maritos, altaris ministerio per ecclesiasticas leges prohibitos esse sciamus, minime vero qui virgines duxerunt; hosque, manente etiam sacramenti vinculo, sequestrato tamen (uti canones aiunt) cubiculo, ad clerum illico admitti posse, ceu ex innumeris ejus ævi conciliorum decretis (a) apertissime liquet; Innocentii idcirco verba, queis Merenda innititur, consilium tantum continere de præstantiori bono, minime vero interstitii a baptismo necessitatem inducere credenda sunt; atque hoc pacto hujus pontificis doctrinam cum Siricio et Zosimo conciliandam. Pergamus rem illustriorem reddere.

Consuluerat Innocentium Felix super quibusdam adeo exploratis, ut in epistolæ limine dicat pontifex: *Stupuisse, prudentem virum de his voluisse consulere, quæ omnibus sunt certa ratione comperta; neque ei quasi ignoranti, sed quasi in aliis occupato aut oblito respondere*. Inter alia de laicis absolute quæsierat: *Possentne in clerum admitti*. Deinde *de his etiam qui uxores habentes baptizati sunt*. Prodit se illico Felix superciliosum, austerique ingenii virum, neque admodum proclivem ut laicos, præsertim uxoratos in clerum reciperet. Cui pontifex ad primum quæsitum respondit: *Non de omnibus laicis constitutum esse ne clero ascribi possint*, subdens non sine stomacho: *Neque etenim clerici nasci, et non fieri possunt*. Ad secundum autem: *Eos quoque qui uxores habentes baptizati fuerint in clerum recipi posse*, *præsertim* hæc enim pontificis mens est) *si ex quo baptizati sunt, ita se instituerunt, ut in nullo vacillet eorem opinio*; quasi diceret, non prohibendos, vel maxime si tales sint. Hæc autem consilium potius continere quam necessitatem inducere palam est. Vel dici simpliciter potest Felicis consultationem particularem fuisse de quibusdam uxoratis, qui aliquo postquam baptizati fuerant tempore tunc primum ad Ecclesiam animum adjecerunt, ut proinde rescriptum illud, minime vero constitutum, sive lex generalis credenda sit. Utrovis autem modo res habeat, illud constat, nec si Siricii, Innocentii, ac Zosimi tempora cum ætate parentis Damasi congruerent, opus ei fore, aut uspiam fuisse, ut ex intervallo a baptismo dignusne esset probaretur, quod tamen Merendæ falsa, ut arbitror, persuasione visum fuit. Sed de his plus satis.

Nunc ab Ecclesiæ disciplina ad historica, imo ad conjecturas, sive εἰς τὰ πιθανὰ, transeundum nobis est. Primo autem omnium loco statuamus Laurentium levitam et martyrem invictissimum (cujus de patria in secunda hujus operis parte ex asse instituetur sermo) sub Valeriano imperatore, Tusco et Basso coss., Christi scilicet anno 258, passum fuisse (b), licet Acta et Martyrologia passim Decii persecutionem præferant, quod nonnullis (c) placere video. Utravis tamen harum opinio verior fuerit, quod nostra nihil interea refert, illud certissimum est, si minus Damasi nostri parentes, ipsius ab utraque stirpe avos Laurentium optime cognoscere per ætatem potuisse, cumque eo versari, imo et familiariter uti, si patriæ forsan communio, aut casus ipsos alicubi conjunxisset.

Vellem equidem liceret mihi per Blanchinum, Merendam, Victorium, Acamum, et si qui sunt alii qui Laurentium patria Romanum fuisse asserant, sanctissimum levitam Hispaniæ nostræ tantisper ascribere, dum quale quantumque tunc nostratium erga ipsum studium, qualisque tepido adhuc inclyti martyris cruore populorum pietas fuerit, ex patriæ quoque communione conjicio. Verum ubi hanc veniam ægre ab ipsis impetrandam esse animadverto, insitam Hispanicæ genti religionem, obfirmatam adversus extrema quæque constantiam, martyrum denique et confessorum Christi jam tum in ea regione copiam, hujus interea conjecturæ prædes sisto. Sane levitæ sanctissimi memoriam nusquam locorum incorruptius nec luculentius quam in Hispania nostra conservatam fuisse, superstes adhuc elegantissimus Prudentii hymnus, neque longe ab illis temporibus scriptus, evincit; cui proinde tantum auctoritatis attributum fuit, ut in frequenti sincerorum Laurentii Actorum naufragio, unus hodie nobis eorum locum vicemque (d) expleat.

In ea igitur Laurentii nominis per Hispaniam celebritate, paradoxum non fuerit Damasi nostri parentes pio in sanctissimum levitam studio ductos, forsan etiam voti religione obstrictos, aut alia de causa, quam divinare facile non est, impuberem (fingamus duodecennem) filium, ad pietatis officia suopte ingenio paratissimum ejus cultui dedicasse, ut Romæ ad sacra scilicet ipsius lipsana ministerio altaris inserviens, cleroque mancipandus ecclesiasticum stadium inchoaret conficeretque. Nullus jam tum sub Constantino persecutionum metus; Ecclesia triennio ante pacem adepta novam faciem induerat; tuta denique erant tranquillaque omnia. Porro

(a) Vid. cl. nostratem Ferd. Mendozium (De Confir. concil. Eliberit., canon. 33. et præcipue vetustum concilii Nicæni Vaticanum Codicem, ap. Alfonsum Pisanum (*Libro* III, *de Actis ejus Concilii*) ab eodem Mendozio relatum (*Ibid., col.* 1234, *litt.* D) ibi: *Statuerant igitur* (concilii Nicæni Patres) *de eo quod non oportet clericos sacri ordinis, sive episcopos, sive hypodiaconos, sive aliquem ex sacro catalogo*, DORMIRE CUM UXORIBUS QUAS ADHUC LAICI DUXERANT, etc.

(b) Ap. Bolland. (*ad diem* 10 *August.* § 4, *num.* 36) et Blanchin. Seniorem (*In Vita Sixti II. tom. II, pag.* 225).

(c) Ap. Baron. (*In not. Martyrolog*, *ad diem* 10 *Aug.*).

(d) Theodoric. Ruinart. (*Acta martyr. sincera, a pag.* 162, *Edit Veron.* 1731), ex quo Blanchinus Junior (*Annot.* 105 *in libellum Orationum antiquiss. Ritus Gothici, pag.* 283) hæc habet: *Quandoquidem Acta, qualia vulgo circumferuntur, vitiata sunt, Laurentii passionis notitiam aliunde repetere visum est. Ex multis autem sanctorum Patrum et vet. scriptorum opusculis quæ de ejus beatissimi martyris laudibus et passione scripta sunt, hymnum* 2 *libri* περὶ Στεφάνων, *seu* de Coronis, *Aurelii Prudentii, selegimus, quod ibi tota rerum gestarum series clare et dilucide continenter exponatur.*

Hispania parebat Romanis, eoque proconsules, imperatores, legiones, militariaque in dies præsidia mittebantur, indeque reducta, ne per otium torpesceret miles, Romam denique confectis stipendiis remigrabant. Erant qui honoribus defuncti ad propria redirent, præter eos quos divitiarum amor in opulentissimam regionem impulerat; ut proinde in tanta ultro citroque commeantium frequentia credibile sit inveniendum fore ex amicis, forte etiam ex necessariis, cui Damasi parentes tuto atque honeste puerum Romam asportandum et in Laurentiana basilica collocandum concrederent.

Id mihi tanto verosimilius videtur, quanto non longe ab iis temporibus, ipsaque fortassis Damasi ætate, illustrium per Hispaniam virorum liberos clarissimo Christi martyri votivum munus offerri solitos fuisse, ipse nos Prudentii, quem modo laudavimus, hymnus abunde docet. Postquam etenim poeta sacer Laurentii passionem elegantissime descripsit, indicaturus quantum ex ea gloriæ Christianis, ethnicis vero dedecoris accessisset, deserta prorsus inquit deorum templa; tum flamines, vestales, augures et quidquid in urbe superstitiosissimum erat, sanctorum exinde martyrum, ipsiusque Laurentii, limina invisere atque exosculari minime dedignatos; nec parentes sanguinis sui parciores fuisse, quo minus liberos sanctissimi martyris obsequio dedicarent consecrarentque. Sistimus Prudentii locum (*a*):

> Videmus illustres domos
> Sexu ex utroque nobiles
> Offerre votis pignora
> Charissimorum liberum.

Ex verbo autem *videmus*, et quod alias hymnum de quo loquimur in Hispania compositum fuisse constet, quidni tractum istum ab auctore ad Damasum (quem recenti Patrum memoria Laurentio a puero dicatum fuisse forte noverat) relatum suspicemur?

Constitutus itaque in Laurentiana basilica Damasus, id quod factu facillimum fuit, ibique statim a baptismo (nisi ob viarum discrimina in patria, ut potuit [*b*], baptizatus pridem fuisset) lectorum collegio ascriptus, egregium illud pietatis doctrinæque specimen vesticeps præbere potuit, quo jam tum, teste Eginhardo (*c*), in magnum rerum culmen assurgere videbatur. Ibi etiam sanctorum martyrum Petri et Marcellini Acta posteris transmittenda ex ore Dorothei persecutoris excipere, ac demum cætera quæ Merendæ parum probabilia visa sunt exsequi ac præstare commodissime.

Tempore autem procedente, cum senilis in dies emineret in ephebo prudentia, ejusque sanctitatis ac doctrinæ fama longe lateque vagaretur, quam non tarda in Hispaniam nostram, ad anxios scilicet hiantesque de filio parentes permanatura esset, facile est cuivis conjicere. Ea vero ut ipsi vel de integro Romam, invisendi filii gratia, cogitarent, sive illis tale jam olim propositum fuisset, ejusdem maturandi ac perficiendi causa subesse potuit; prorsus ut Romanum parentum sororisque Damasi ex Hispania iter, quantum ex hujus ætate, temporum ratione aliisque demum conjecturis assequi potuimus, circiter annum Christi 325 adultiore, et minimum vicenne Damaso, referendum omnino sit.

Fueritne autem Damasi parentibus jam tum in Urbe manendi eoque fortunas suas transferendi consilium, an filii tantum ad tempus invisendi suoque demum loco ad propria redeundi, non facile divinare est. Illud propius vero crediderim, initio nihil tale cogitantes, nec nisi de filio, qui paternus est amor, sollicitos, alia posthabuisse omnia; ex quo autem voti jam compotes, Damasi famam eximiis ejusdem dotibus superari, periculo facto, didicere; maxime vero ubi præstitutum reditui tempus imminere occœpit, tunc primum filii, a quo ægre divelli patiebantur, desiderium itineri quam longissime prolatando, mox manendi in urbe proposito causam aut saltem occasionem præbuisse.

Seu igitur consilium istud jam animo conjuges in Hispania præcepissent, sive id demum ab ipsis filii extorsisset pietas, illud quoque verosimile est, jacta semel de in Urbe manendo alea, novum exinde Antonio de ineunda clericali militia propositum succrevisse, eoque uxori patefacto initoque inter utrumque servandæ castitatis proposito (id etenim ex Ecclesiæ Latinæ præscripto necessarium omnino fuit [*d*]), hac sibi Antonium ratione aditum ad Ecclesiam præparasse. Damasum præterea in eam rem, ceu omnium quæ usquam illi accidere possent gratissimam, studiose allaborasse donec parentum vota perficeret; ejusque tandem opera effectum ut Antonio (qui perinde ac Damasus in Hispania baptizari potuit) lectoratus mox gradu decorando exceptoris interea officium committeretur.

Id ne cui difficile aut parum probabile videatur, Damasi primum auctoritas atque existimatio, tum Antonii patris industria et probitas, Ecclesiæ denique iis temporibus status utilitasque consideranda sunt. De Damaso explorata res est; cum etenim is ad annum Christi 325 (quo demum tempore gesta hæc fuisse putamus), in ipso juventæ flore, pietatis doctrinæque laude supra ætatem cumulatus omnium in se ora atque studia convertisset, credibile est æqua proque patre postulanti clerum populumque Romanum minime obstituros, imo bellum omne in ejus spem gratiæ libentissime militaturos fuisse.

Antonio præterea vix tum, ut putamus, quinquagenario multa quoque infuisse credenda sunt; quæ industrium fidumque ministrum, ejusque operam

(*a*) Hymno 2 de beato Laur., stroph. 131.

(*b*) Concil. Eliberitan., can. 38, *Peregre navigantes*, etc., et aliis.

(*c*) Act. sanctorum Petri et Marcellini die 2 Junii (*tom.* I, *ejusd. mensis*, *ap. Bolland.*, *pag.* 170, 173; *apud Merendam*, *Opusc. Gest. S. Dam.*, *cap.* I, *num.* 1).

(*d*) Conc. Eliberitan. (*Can.* 33) et pro ejus concilii confirmatione cl. nostras Ferd. Mendozius (*Tom.* I *Collect. concilior. Labb.*, *Venet.*, *col.* 1231), Thomassin. (*P.* I, *lib.* XI, *c.* 61).

Ecclesiæ utilissimam fore prænuntiarent. Neque enim rusticanum eum, seu de plebe aliquem existimare fas est; aut non insigniter pium probumque, cui tam alte insederit filium ab Hesperia ultima Romam religionis causa mittendi studium. Raro hæc tangunt vulgares animas. Prudentius quoque *illustres domos* Laurentio liberos suos voti causa dedicare solitas fuisse commemorat. Verum si fortes fortibus creantur, neque imbelles progenerant aquilam columbæ, ut olim canebat profanus (*a*) vates, non ultimam Antonii patris commendationem fuisse puto, quod ipsi talis tantusque, qualis ea jam ætate Damasus erat, filius obtigisset. Ecclesia denique quanquam eo tempore tranquilla pace atque otio frueretur, nondum tamen recentium sub Maximiano et Licinio vulnerum cicatrices obduxerat; prorsus ut talium, qualis Antonius erat, virorum præsidiis contra belli, si quando ingrueret, procellam, propere munire sese atque mature providere consultissimum ipsi fuerit.

Constituto jam vero in exceptoratu Damasi parente lector subinde fieri, quodque reliquum erat ecclesiastici stadii conficere, non perinde difficile æstimandum. Una etenim viri probitas industriaque in exceptoratus munere spectata, ut alia defuissent omnia, gradum ei ad lectoratum cæterosque ordines, idque inexspectato temporum interstitio, facere commodissime potuit. Neque nos tamen, si præassertam ecclesiasticarum legum severitatem ad amussim in eo observatam, integrumque in minoribus constituto septennium exspectandum Merenda contenderit, magno propterea nisu repugnabimus. Etenim vel sic Antonius, vixdum sexagenarius, integra scilicet ætate, provehi ad presbyteratum facile potuit.

Hactenus verosimilium seriem attexuimus, in qua tamen, si quid ego video, nihil est quod liberum a partium studio lectorem morari possit. Neque verosimilia tantum dixerim, queis historiæ veritas ex parte saltem robur adjungere, imo etiam iis causam dedisse credenda est. Rem igitur paulo altius repetere placet. Damasi patrem ab exceptoratu ad lectoratus ordinem processisse, ipsi nobiscum Merenda ac Tillemontius agnovere; idque apertissimo ipsius Damasi testimonio in epigrammate De templo sancti Laurentii, ubi de Antonio patre loquens, ejusque gradus enumerans, ait (*b*):

Hac pater EXCEPTOR, LECTOR, levita, sacerdos
Creverat, etc.

Neque etenim ut metro inserviret Damasus lectoris gradum exceptoratui postposuisse credendus est, sed potius ut rem quo gesta est ordine nobis exponeret, cum alioqui facillimum ipsi fuisset, salva poeseos lege, sic exordiri:

Hac LECTOR pater, EXCEPTOR, levita, sacerdos.

Jam vero processus iste ab exceptoratu ad lectoratum, non ita frequens, mirifice confirmat Antonium non a puero, sed provectiorem ad clerum accessisse. Ii etenim qui, reddita Ecclesiæ pace, a pueris divinæ militiæ ascribebantur, statim a baptismo in lectorum collegium ante pubertatis annos relati, tunc demum exceptoris officium assequebantur, si gnavos sese atque industrios ad id muneris exhibuissent. Illustre in hanc rem Epiphanii Ticinensis exemplum suppeditat nobis Ennodius (*c*), qui postquam eum cœlesti militiæ tirocinium sub Crispino sortitum fuisse ait, lectorisque officio functum, pergit: *Notarum in scribendo compendia, et figuras varias verborum multitudinem comprehendentes brevi assecutus, in Exceptorum numero dedicatus enituit.* Neque hoc in Epiphanio singulare existimandum, sed morem Ecclesiæ usu receptum fuisse, ut notarii sive exceptores sæpissime e lectorum collegio assumerentur, ceu nos multiplici exemplo Menardus (*d*) docet.

Neque vero idcirco negamus exceptoratus officium a sæculo IV pueris frequentissime commissum fuisse, ut, præter Epiphanii, quem modo laudavimus, locum, Ausonius apertissime docet (*e*) inquiens:

PUER notarum præpetum
Sollers minister advola;

Unum tamen hoc asserimus, in his qui a pueris ecclesiasticæ militiæ ascribebantur, nullatenus ab exceptoris officio ad lectoratum progressionem fieri; atque adeo quemcunque Ecclesiæ ministerio dedicatum ab exceptoratu incœpisse constiterit, eum profecto ætate grandiorem abdicata sæculari pompa ad Ecclesiam transiisse. Sane vero, qui a puero Ecclesiæ ascriptus primo *exceptoris*, mox *lectoris* gradum (ut Damasi parens Antonius) obtinuerit, neminem prorsus in ecclesiastica historia inveniendum fore puto.

Atque hac ego ratione Romanum Damasi, parentumque et sororis Irenes, ex Hispania iter inoffensa Historiæ fide, servatis ad unguem ecclesiasticis legibus, imo enim verosimillime confieri potuisse arbitrabar. Saltem nullum mihi hactenus scopulum animadvertere licuit, cui devitando magnopere allaborandum sit. Nam quod a nobis Merenda inquirit, num scilicet in inferioribus ordinibus positi pater et filius uno fere eodemque tempore, *atque eadem in ecclesia* inservire aut ministrare potuerint, tanti non est. Licet enim exceptoratum patris cum filii lectoratu tempore et loco conjungamus, nihil prohibet. Exceptoratus etenim officium est (*f*), non gradus seu

(*a*) Horat. (*Odar. lib.* IV, 4, *stroph.* 8).
(*b*) Ap. Merend., *pag.* 241.
(*c*) Ennodius (*In Vita Epiphanii Ticinensis, Edit. Paris.* 1611, *pag.* 360).
(*d*) In not. ad Sacramentarium Gregorian. (*Not.* 709) ibi: *Notarii hoc loco sunt Scribæ episcopi qui et plurimum assumebantur ex Lectorum collegio.* Subditque exempla e Photii Bibliotheca (*Num.* 256) e politia sancti Metrophanii et aliis. Nec dissentit Merenda qui (*In annot. ad Carm. Damasi* XXV, *pag.* 241) inquit: *Vides etiam ex lectoris ordine ad officium exceptoris gradum statui.*
(*e*) Epigramm. 137.
(*f*) Erant quidem iis temporibus sacrorum custodes, interpretes, defensores, laborantes, qui mortuorum corpora curabant, œconomi, et alii Ecclesiæ officiales sine ordinatione aliqua. De quo videndus Thomassinus (*P.* I, *lib.* II, *cap.* 34, *n.* 2, 3).

ecclesiasticus ordo; neque attributum Ecclesiæ munus, sed regioni potius aut Urbis tractui quam vulgo parochiam dicimus (a); ut proinde fas fuerit Damasi lectoratum cum exceptoratu Antonii componere, quin propterea in ecclesiasticas ordinationes impingatur.

Si vero de patre et filio simul in eadem basilica, in lectoratu, exempli gratia, aut in alio ex minoribus ordinibus constitutis, inquirere Merenda pergat, fatebimur rem non esse usque adeo expeditam. Verum cum Damasi patrem non a puero sacræ militiæ ascriptum fuisse prædixerimus, Romanus is, sive Hispanus fuerit, in eumdem ac nos scopulum allidat Merenda necesse est. Quomodo enim pater longo post filium intervallo Ecclesiæ ascriptus, multo tamen ante ipsum presbyter ordinatus, si utrumque eidem basilicæ addictum volumus (b), non filio paulatim propior fieret, moxque in eodem atque ille gradu ministraret? An magis patrem et filium in eadem ecclesia, unoque prorsus tempore levitas fuisse dicemus? Utrumque difficile; sed quo tandem pacto alterutrum a Merenda (vel si gratis ei Damasum Romanum fuisse concesserimus) aut a nobis, si Hispanum eum volumus, vitari servataque ecclesiasticæ disciplinæ severitate is obex amoveri possit, plane non video. Superest igitur ut ad qualemqualem ecclesiasticarum legum ea in re conniventiam, quam loci temporisque rationes atque Ecclesiæ utilitas exigeret, nobiscum confugiat.

Neque Acta beatæ Irenes germanæ Damasi sororis a Bollandianis Patribus allata (c), ex quorum, modo sincera sint, collatione cum ejusdem epitaphio a Damaso composito *neminem negaturum esse* Merenda profert (d) *Romanis itidem virginibus annumerandam Irenem fore*, magnum nobis negotium exhibent. Non equidem inficior, si hinc Irenes exitum ad annum 12 pontificatus Damasi, id est, Christi 378, prout in Actis habetur, referamus, inde vero, ex epitaphio scilicet, vixdum eam vicennem denatam fuisse elicimus, nostram de Irenes patria, deque Romano ipsius ex

A Hispania itinere doctrinam penitus concidere. Cum enim ex utroque consequens fiat Irenen anno demum 358 aut sequenti, in lucem editam fuisse, quo pacto ad annum 325, Romam venire, aut anno 378 nondum vicennis e vivis excedere potuit, cum eo tempore tantum non sexagenaria futura esset? De hoc tamen nos alias.

Interea vero non minus adversarios torquet Actorum cum epitaphii sententia de ætate Irenes conciliatio. Si enim utriusque testimonium verum esse volunt, quo tempore nasci Irene potuit, id est, anno 358, ejus ac Damasi parentes, sin minus e vivis sublati, quod verosimilius arbitror, saltem id jam ætatis fuissent qua liberis operam dare prolemque suscipere
B minime possent. Sed esto. An non eis obstiturum esset castitatis propositum, quod ex usu Latinæ Ecclesiæ necessarium fuit ut pater clero ascriberetur? Aut quomodo Damasus *germanam sororem* totis quinquaginta quatuor annis, quod tamen ex utroque conficitur, præcessisset? Consulto adjeci *germanam*, qualis a Damaso Irene vocatur (e), ne quis eos *consanguineos* tantum, ut canonistæ loqui amant, non item *uterinos* fratres, solutumque hac ratione difficultatis nodum putet. Demum, si Damasi parens aliam, priore uxore defuncta, subinduxisset, quo pacto digamus (f) ad clerum accedere aut presbyter unquam ordinari potuisset?

Optime hæc eadem perspecta Merenda, et ante eum Tillemontius habuere; cumque alterutram ex
C illis enuntiationibus necessario falsam esse agnovissent, adversus Acta pronuntiarunt; prior ille quidem *levissimam illorum fidem in utramque partem* esse affirmans (g); posterior vero, quanta ea sunt, inter anilia commenta referens (h). Horum nos interea si placitum sequi volumus, expedita responsio est; verum cum in Actis, si præjudicatam ipsorum cum epitaphio dissensionem demas, nihil non jam et sibi constans, et cum aliis quæ historica fide nituntur optime cohærens reperiatur (i), præterea cum ea

(a) Merenda (*Annot. in epigramm.* Hac Pater, etc., 35, *pag.* 241): *Quanquam igitur* (ait) *Damasi nostri pater ascriptus fuerit sancti Laurentii titulo, nihil obstat quominus notarius et exceptor esse potuerit pro septima regione ecclesiastica cui basilica illa accensebatur.*

(b) Antonium in basilica sancti Laurentii *ad theatrum Pompeii* ministrasse Damasi testimonio constat; de Damaso non item, cum plures essent in Urbe jam a primis sæculis Laurentio ædes inscriptæ. Omnium celeberrima atque antiquissima in *Agro Verano* fuit, quo loco sacræ ipsius exuviæ ad hanc diem asservantur, alteraque est ex VII sacris Urbis ecclesiis vulgo: *San Lorenzo fuori delle Mura.* Quid autem si dicamus ob Laurentii reliquias huic ecclesiæ ascriptum Damasum fuisse?

(c) Ad diem 21 Februar. (*Tom. III, pag.* 245, *Ed. Ven.*).

(d) § 2, de Damasi carminib., pag. 144. *At si quæ Actis illis* (Irenes scilicet) *fides haberi potest, nemo negaverit, quin Irene Romanis virginibus accensenda sit.*

(e) Te GERMANA SOROR nostri nunc testis amoris.
(*Damas.*, in epitaphio Irenes.)

(f) Nollem de digamia infidelium, aut de binis successive nuptiis a Damasi patre ante et post baptismum contractis, hunc locum ab aliquibus accipi. Quanquam etenim ipsis, ut puto, Damasi temporibus quæstio de hoc argumento emersisset; fuissentque quibus nu-
D ptiarum in infidelitate multiplicitas nullam irregularitatem inducere videretur, in qua sententia Hieronymus fuit (*Epist. ad Oceanum*). Siricius tamen eam litem diremit, idem de nuptiis omnibus statuens, (*Epist ad Himer. Tarrac., cap.* 10, 11) et clarius post eum Innocentius I (*Epist. ad Victricium Rothomag., cap.* 6, *ap Labbæum, tom. III, Coll. conc., Edit. Venet., col.* 9)

(g) Merenda (*De Damasi carmin.*, § 11, *num.* 15 *pag.* 144). *Sed Actorum illorum* (Irenes, scilicet), *ut verum fatear, levissima prorsus utram in partem velis auctoritas est.*

(h) Tillemont. (*Tom. VIII, pag.* 773, *in Not.*) *Ainsi cette pièce* (Acta Irenes intelligit) *peut encore être mise entre celles qui rendent la foi des Espagnols fort suspecte en matière d'histoire.*

(i) Exaggerat quidem Tillemontius Actorum styl barbariem. Non tamen sunt adeo ut putat informia; nec si essent, ipsorum propterea fides infirma redderetur

clariss. nostras Thomas de Herrera Augustinianus, cui in re facti fidem derogare nefas esset, ex pervetusto Hispaniensi Martyrologio eruisse testetur (*a*), alia prius omnia experiri oportuit, quam Actorum veritas in universum traduceretur. Atque ego quidem ipsorum causam, saltem qualia Tamayus noster evulgavit (*b*), nullo pacto tuendam in me recipio; imo ex hujus auctoris, cæteroquin doctissimi, ingenio, atque ex argumenti importunitate, vehementer suspicor Damasi patriam genusque sub Actorum initium interpolata esse. De hoc tamen alii judicent.

Illud mihi extra controversiam videtur positum, si semel admittimus Irenes epitaphium non ab alio quam ab Actorum scriptore sub ipsorum finem additum fuisse, longe eum diverso ac vulgo creditur sensu versum quintum, quo Irenes ætas indicatur, intellexisse. Merendæ quidem ac Tillemontio ex recepto, uti arbitror, designandæ ætatis in epitaphiis more, nihil scrupuli subortum fuisse videtur (*c*), quin tractus *bis denas hiemes nedum compleverat*, ut in eo quem diximus versu legitur, ad annum quo vivere Irene desiit referendus sit; quod et ipsum mihi cum primo eum versum legerem accidisse non diffiteor; verum ubi sententiam satis per se ambiguam, et, si in eo sensu accipiatur, non uno in loco Actis quæ modo præcesserant e regione contrariam deprehendo, facile persuaderi passus sum Actorum scriptorem eam periodum non ad ætatis annum quo Irene decessit, sed quo per virginitatis votum Christo se dicavit retulisse; quasi significare nobis voluisset Damasus Irenen in ipso juventæ flore virginem Deo consecratam fuisse.

Sane cum is locus antiquariorum vitio corruptus, et sententia implexissima sit, cur potius de Irenes morte quam de emisso per ipsam voto accipi debeat, prorsus non video; cum e contrario multa nos inducant ut eum in posteriore sensu ab Actorum scriptore usurpatum putemus. Quo enim ille pacto, si ad immaturam Irenes mortem respexit, epitaphium quo Actorum veritas apertissime oppugnaretur, illico post Acta subdidisset? Præterea cum in Actis Irene

A in virginitatis proposito permanens, atque in dies proficiens inducatur, cum Damasus renuntiatus fuit pontifex, qua ratione credidisse potuit illorum scriptor eam nondum vicennem, anno pontificatus Damasi 12 diem obiisse, nisi simul crederet ante annum octavum virginitatis votum emisisse, eaque ætate nuncupatum ipsi a fratre Damaso libellum de eodem argumento? Denique versus epigrammatis alter, in quo Damasus *doluisse* in sororis obitu, *fatetur*, *consortia perdere vitæ*, satis indicat ea demum ætate Irenen obiisse qua, prædefunctis utriusque parentibus, unum Damaso repositum erat in ipsius conversatione solatium, id quod utroque in senium inclinante contigisse verosimilius est. Nos tamen, epigrammate (*d*) prout in calce Actorum exhibetur descripto, integrum de ea re lectoribus arbitrium
B permittimus, ad propria redeuntes.

Unum (quod nescio an a Merenda animadversum sit) Romano patris Damasi ex Hispania itineri, utque novus homo in clerum e vestigio cooptaretur, negotium nobis qualequale facere potest, canon scilicet 24 Eliberitani concilii, quo præcipitur (*e*) *eos qui peregre baptizati fuerint, eo quod eorum minime cognita sit vita, ad clerum non esse promovendos in alienis provinciis*. Idem non multo post a Silvestro papa in concilio Romano cautum fuisse Gratianus refert (*f*); atque itidem a Carthaginensi IV, canone 24 repetitum novimus (*g*). Imo ob frequentes Manichæorum fraudes, auctor libri Pontificalis ab Anastasio I constitutum fuisse ait (*h*), ut *nulla ratione transmarinus homo*
C *in clerum admitteretur, nisi quinque episcoporum chirographa designaret*.

Verum cum harum omnium constitutionum scopus is esset, ne cujus vita conversatioque non fuissent exploratæ, secundum Pauli effatum, clero ascriberetur, potuit commode Damasi pater, aut commendatitiis episcoporum litteris, aut fide dignorum testimoniis anteactæ vitæ honestatem comprobare; aut demum in exceptoratu constitutus id fidei, probitatis industriæque specimen præbere, quod ipsi absolutissimæ probationis instar esset. Damasi ad hæc pietas,

(*a*) Ap. PP. Bolland., ad diem 21 Februar. (*Tom. III*, *pag*. 244, *de S. Irene*).

(*b*) Apud eosd. Bolland., ibid.

(*c*) Loco proxime allegato.

(*d*) Ap. PP. Bolland. (21 *Febr*., *tom. III*, *p*. 245):

Hoc tumulo sacrata Deo nunc membra quiescunt.
Hic soror est Damasi: nomen si quæris, Irene.
Voverat hæc sese Christo cum vita maneret,
Virginis ut meritum sanctus pudor ipse probaret.
BIS DENAS HIEMES NECDUM COMPLEVERAT ÆTAS,
Egregios mores vitæ præcesserat ætas.
Propositum mentis, pietas veneranda puellæ
Magnificos fructus dederat melioribus annis.
Te [*Forsan :* Hæc] germana soror, nostri nunc testis amoris
Cum fugeret mundum dederat mihi pignus honestum.
QUEM [*Sarazan*., Quam] sibi cum raperet melior tunc regia cœli,
Non TIMUI [*Sarazan*., timuit] mortem cœlos quod libera adiret.
Sed DOLUI FATEOR CONSORTIA PERDERE VITÆ:
Nunc veniente Deo nostri reminiscere, virgo
Et [*Sarazan*., Ut] tua per Dominum præstet mihi facula lumen.

Si Damasi mentem divinare liceat, existimarem binis quibusque versibus singulas in hoc epigrammate periodos absolvi, ut sensus prioris periodi sit : *Hic*
D *requiescit Irene Damasi soror*. Secundæ vero, binis qui sequuntur versibus : *Voverat hæc sese Christo virgo perpetua, pudore sanctum ejus propositum comprobante*. Tertiæ, quinto et sexto versibus comprehensæ : *Vix dum vicennis erat, et egregiis moribus ætatem superabat*. Quartæ porro, septimo et octavo : *Propositum et pietas virginis magnificos ediderunt fructus in juvenili ejusdem ætate*; sic enim verba illa, *melioribus annis* interpretanda censeo. Id autem mirifice confirmat, Irenen non vicennem obiisse, sed ea ætate virginitatis votum emisisse. Cætera non usque adeo implexa sunt.

(*e*) Ap. Labb., tom. I, Coll. concil., col. 995.

(*f*) Cap. *Nullus*, 98 dist., ap. cl. Ferd. Mendozium (*de Confirm. concil. Eliberit*., *can*. 24).

(*g*) Ap. eumd. Ferd. Mendozium (*de Confirm. concil. Eliber*., *cap*. 50).

(*h*) In Anastasio I, et hujus pontificis epistola ad omnes Germaniæ et Burgund. episcopos, cap. 2.

quam a parentibus haustam omnes merito crederent, magnum subinde rei perficiendæ momentum afferre potuit. Nec demum aut Hispanis invidiosum tunc propter Manichæos *transmarinorum* nomen uspiam inditum legimus, aut fuisse per ea tempora quod ab Hispaniæ partibus timeri posset, cum nondum eam Ariana infestasset pravitas, neque Priscillianus Gnosticorum errores disseminavisset, ut rem expendenti manifestum fiet.

Vix scio an huic conjecturarum seriei, quam ut verosimilem attexuimus, quidpiam insit quod in ecclesiasticas leges aut in historicam fidem impingat. Eam A nos denique prout alio distractis oblata primum fuit, utcunque examinatam tamen, æquis lectoribus repræsentamus. Neque etenim in expedito itinere otium nobis ad eam ulterioribus curis discutiendam suppetiit, nec libri ad manus fuerunt nocturnis præsertim horis, quibus longiores cum Musis congressus earum amatores discupiunt. Quicunque ergo nos alicubi deceptos certa pro incertis, incongrua pro verosimilibus captasse deprehenderit, deque iis bona fide admonitos velit, maximo ille atque immortali beneficio sibi devinctos reddet.

APPENDIX

DE DAMASI MONUMENTIS ROMÆ SUPERSTITIBUS.

Non fuit animus initio de hoc argumento agere, quippe quod minime exigebat propositi nostri ratio; eamque ob causam exstantes hodie in urbe Damasi inscriptiones ad collectionem superstitum Romæ Hispanici nominis monumentorum, quæ affecta et propediem absolvenda manibus nostris teritur, rejiciendas duximus. Verum cum ea Collectio, quæ tribus majoris, ut vocant, formæ voluminibus constabit, non eo consilio a nobis adornata sit ut in vulgus emittatur; sed potius ut in regia Matritensi bibliotheca reposita superstites Hispanorum in Urbe reliquias, tot hactenus adversis conflictatas, ipsoque B demum attritu penitus abolendas ab interitu vindicet, easque nostratibus domi per otium, unoque ictu contemplandas exhibeat, congruum arbitrati sumus archetypa Damasi poemata lucubrationi nostræ inserta, nunquam intermorituris chartis posteritati consecrare.

Ex quadragenis igitur quæ Sarazanius collegerat Damasi epigrammatis, quibus et Merenda nonnulla ex Grutero et Palatino Codice adjunxit, quaterna tantum hodie nobis, cum alterius fragmento supersunt. Ea nos quantum fieri potuit accurate ex archetypis descripsimus. En illa.

1. *In Basilica Sancti Sebastiani ad Catacumbas, Via Appia, II ab Urbe milliari. Marm. lat. tres pedes cum sextante; long. septem pedes cum semisse.*

EVTYCHIVS · MARTYR · CRVDELIA · IVSSA · TYRANNI
CARNIFICVMQ; · VIAS · PARITER · TVNC · MILLE · NOCENDI
VINCERE · QVOD · POTVIT · MONSTRAVIT · GLORIA · CHRISTI
CARCERIS · INLVVIEM · SEQVITVR · NOVA · POENA · PER · ARTVS
TESTARVM · FRAGMENTA · PARANT · NE · SOMNVS · ADIRET
BISSENI · TRANSIERE · DIES · ALIMENTA · NEGANTVR
MITTITVR · IN · BARATHRVM · SANGVS · LAVAT · OMNIA · SANGIS
VVLNERA · QVAE · INTVLERAT · MORTIS · METVENDA · POTESTAS
NOCTE · SOPORIFERA · TVRBANT · INSOMNIA · MENTEM
OSTENDIT · LATEBRA · INSONTIS · QVAE · MEMBRA · TENERET
QVAERITVR · INVENTVS · COLITVR · FOVET · OMNIA · PRESTAT
EXPRESSIT · DAMASVS · MERITVM · VENERARE · SEPVLCRVM

2. *In ecclesia Sanctæ Agnetis vulgo* Santa Agnese fuori delle Mura *Via Nomentana, II ab Urbe lapide. Marm. latum tres pedes cum quincunce, long. vero decem pedes cum semisse.*

* *FAMA*REFERT SANCTOS DVDVM RETVLIS SEPARENTES
*AG*NENCVM LVGVBRESCANTVS TVBACONCREPVISSET
*N*VTRICIS GREMIVM SVBITO LIQVISSE PVELLAM
SPONTE TRVCIS CALCAS SEMINAS RABIEMQ·TYRANNI
VRERECVM FLAMMIS VOLVISSET NOBILE CORPVS
VIRIB· INMENSVM PARVIS SVPERASSE TIMOREM
NVDAQVE PROFVSVMCRINEMPERMEMBRADEDISSE
NEDOMINI TEMPLVM FACIES PERITVRA VIDERET
OVENERANDA MIHI SANCTUM DECUS ALMA PVDoRIS
VT DAMASI PRECIB· FAVEAS PRECOR INCLYTAMARTYR

* Litteras suppletas italico charactere distinximus. EDIT.

3. *Ad Cryptas Basilicæ Vaticanæ e regione Aræ B.* Mariæ Prægnantium. *Marm. long. undecim pedes et sextantem, lat. tres pedes cum triente.*

CINGEBANT LATICES MONTEM TENEROQVE MEATV
CORPORA MVLTORVM CINERES ATQVE OSSA RIGABANT
NON TVLIT HOC DAMASVS COMMVNI LEGE SEPVLTOS
POST REQVIEM TRISTES ITERVM PERSOLVERE POENAS
PROTINVS ADGRESSVS MAGNVM SVPERARE LABOREM
AGGERIS INMENSI DEIECIT CULMINA MONTIS
INTIMA SOLLICITE SCRVTATVS VISCERA TERRAE
SICCAVIT TOTVM QVIDQVID MADEFECERAT HVMOR
INVENIT FONTEM PRAEBET QVI DONA SALVTIS
HAEC CVRAVIT MERCVRIVS LEVITA FIDELIS

4. *In ecclesia SS. Quatuor Coronatorum Fragmentum posteriori parte recenter suppletum. In muro.*

EXTREMO TVMVLVS LATV*IT SVB AGGERE MONTIS*
HVNC DAMASVS MONSTRA*T SERVAT QVI MEMBRA PIORVM*
TE PROTVM RETINET MEL*IOR TIBI REGIA CAELI*
SANGVINE PVRPVREO SE*QVERIS HIACINTE PROBATVS*
GERMANI FRATRES AN*IMIS INGENTIBVS AMBO*
HIC VICTOR MERVIT PAL*MAM PRIOR ILLE CORONAM*

5. *In pavimento ecclesiæ SS. Martini et Silvestri titulo Equitii*, S. Martino a Monti, *circa medium. Marm. long. septem pedes et sextantem, lat. vero duo pedes cum sextante.*

QVID LOQVAR AVT SILEAM PROHIBET DOLOR IPSE FATERI
HIC TVMVLVS LACRIMAS RETINET COGNOSCE PARENTV̄
PROIECTAE FVERAT PRIMO QUAE IVNCTA MARITO
PVLCHRA DECORE SVO SOLO CONTENTA PVDORE
HEV DILECTA SATIS MISERAE GENETRICIS AMORE
ACCIPE QVID MVLTIS THALAMI POST FOEDERA PRIMA
EREPTA EX OCVLIS FLORI GENITORIS ABIIT
AETHERIAM CVPIENS CAELI CONSCENDERE LVCEM
HAEC DAMASVS PRESTAT CVNCTIS SOLACIA FLETVS

VIXIT·ANN·XVI·M·X·DIES·XXV·DEP·III·KAL·IAN·FL·MEROBAVDE·ET·FL·SATVRNINI·CONSS·

Nihil est, ne in erratis quidem, de quo lector addubitet. Miretur nobiscum potius, cum Merenda (inter alia quæ minutioribus scatent sphalmatis) Agnetis epigramma secundo a nobis loco relatum, *semel atque iterum cum archetypo contulisse atque emendatum dedisse* affirmet (*a*), plurima etiamnum in ipso aliorum curis emendanda reliquisse; neque ejus generis quæ facile in typographum rejici possint. Bina nobis loca, ne gratis id asseruisse videamur, sistere placuit cum apographo nostro conferenda (*b*). Verum hoc non tanti est. De eo opportunius lectorem admonendum putamus, trium priorum ejus epigrammatis versuum initia; nec non posteriorem partem carminis de sanctis Proto et Hyacintho, recenti manu, cum in autographo deessent, suppleta fuisse (*c*).

Illud hoc loco dubitare quis possit, cum constet Vigilium papam sesquisæculo a morte Damasi diruta in Urbe a Gothis martyrum sepulcra renovasse, quod nos vetus ipsius Vigilii epigramma docet (*d*), fuerintne quæ adduximus ex prioribus illis archetypis a Damaso exstructis, an ex posterioribus a Vigilio instauratis? Sed cum quina illa eodem omnino tempore, forsan et ejusdem artificis manu, marmori incisa videantur, id quod nedum litterarum ductus, sed earum lemnisci atque ornatus inter se simillimi, eademque prorsus scriptionis indoles satis ostendunt, præterea, cum in eo epigrammate, quod postremo

(*a*). Merenda, de Damasi Carminib., § 2, n. 13, pag. 143. *Carmen*, inquit, *de sancta Agnete cum archetypo collatum, atque emendatum dedi.* Item in notis, pag. 237, de eod. epigrammate: *Tum statim legitur* (in Vaticano Codice) *carmen sancti Damasi iis ferme verbis quibus adhuc exstat lapidi incisum in eadem basilica ubi illud iterum contuli.*

(*b*) Versu 7 Merenda:

Nudaque perfusos crines et membra·

Epigramma vero habet, ut vidimus:

Nudaque profusum crinem per membra.

Item versu ultimo Merenda:

.... Faveas precor inclyta virgo;

Cum in epigrammate legatur: inclyta *martyr.*

(*c*) Cl. Joan. Marangonius a quo Agnetis epigramma, anno 1728 primo detectum fuisse dicitur, paulo aliter versuum initia restituit. Habet enim in primo: FAMA PR FERT, quod nec orthographiæ, neque metri ratio patitur; in secundo vero AGNEM pro AGNEN, ut est in archetypo. Cætera exactus (Vide *S. Victorini Acta ab eodem illustrata, in Appendice de Autographo inscriptionis S. Damasi, Romæ* 1740, pag. 158).

(*d*) Affertur a Merenda § 2 de Damasi carminib., pag. 135.

DE SS. MM. VITALI, MARTIALI ET ALEXANDRO.

Dum peritura Getæ posuissent castra sub urbem,
Moverunt sanctis bella nefanda prius.
Totaque sacrilego verterunt corde sepulcra,

omnium loco retulimus, ætas diesque depositionis Projectæ, consulatus item Merobaudis et Saturnini (qui secundum Merendæ supputationem (a) in annum incidit pontificatus Damasi 17) minutissime designentur, crediderim ejus potius quam Vigilii tempore marmori incisum fuisse; atque adeo ipsum cæteraque a nobis adducta, ex antiquioribus a Damaso conscriptis, atque erectis monumentis archetypa nobis superesse. Neque enim credibile est mensium dierumque, quibus Projecta vixit, minutias Vigilii tempore in numerato habendas, ut ejus epitaphio tam accurate adnotarentur. Præterea Vigilium martyrum tantum sepulcra renovasse ex adducto ipsius epigrammate liquet; cui cœtui nescio an Projecta illa, cui elogium inscribitur, adnumeranda sit. Scriptionis denique genus, si quid ego video, Damasi ætatem non respuit. De his tamen Lectorum arbitrium esto.

Blanchinus Senior ex collectis olim a Fulvio Ursino veteribus inscriptionibus, aliam nobis exhibet Damasi nomen præferentem, in qua basilicæ sancti Laurentii in Damaso consecrationem, ab eodem sancto pontifice peractam contineri, idque antiquissimum fortassis hujus ecclesiastici ritus genuinum documentum esse affirmat. Eam primum Alexandri S. R. E. cardinalis Farnesii liberalitate ab interitu vindicatam, deinde serenissimi Francisci Parmæ et Placentiæ ducis jussu ad ann. 1718 cum aliis in ejusdem palatio ad Campum Floræ illustriori loco repositam, Blanchinus sæpius vidisse testatur. Nobis tamen, quibus jam pridem animo insederat eam ex autographo repræsentare, vel post multiplicem intimæ domus excussionem nostra et amicorum diligentia peractam (b), lustratasque singulatim Fulvianæ discriptionum veterum Collectionis reliquias, quæ ibidem in scriniis asservantur (c), non licuit esse tam beatis. Exiguitate sua tectam putamus, crusta enim, ut Blanchinus asserit, marmorea semipalmaris est. Eam ergo, quando ultra non datur, sistimus qualem is auctor secundo loco protulit (d).

T. I. X. N. EGO ДAMASI
VS VRB̄ ROME EP̄S AN
C ДOMV̄ C̄OSECRAVI
N. R. ⅁ S. M. S. PA. S. PE

Martyribus quondam rite sacrata piis.
Quos monstrante Deo Damasus sibi papa probatos
Affixo monuit CARMINE jure coli.
Sed periit titulus confracto marmore sanctus
Nec tamen his iterum posse latere fuit.
Diruta Vigilius nam post hæc papa gemisceus
Hostibus expulsis OMNE NOVAVIT OPUS.

Blanchinus initiales litteras sub epigrammatis initium occurrentes hoc modo interpretatus est: *Titulus in Christi nomine*, etc. Posteriores vero ejusdem siglas: *Nona regione dedicatam Septembri mense*, *Sanctus Paulus*, *Sanctus Petrus*. Merenda tamen, qui et ipse inscriptionem affert (e), alia via incedens, ita explicat: *novatam*, *refectam*, *dicatam sancto martyri*, quæ mihi interpretatio planior atque opportunior videtur. Id tamen alii judicent.

Cæterum quod paulo ante Merenda nos admonet venia scilicet non carere Damasum, *licet aliquando in metricas leges peccare* videatur (f), nollem equidem ita a lectoribus accipi, quasi menda, queis passim Damasi epigrammata scatent, in auctorem referenda sint. Deformaverat ea pridem librariorum imperitia atque exemplorum crebritas; dein typographorum incuria tot ipsis plagas intulit, ut in aliquibus locis vix Damasi mentem conjectura assequi liceat, in aliis vero ne divinare quidem facile sit: tanta est ipsorum obscuritas. Nec mirandum si Damasus fovendæ potius, vel dum versus pangeret, fidelium pietati, quam syllabarum rationi intentior, metricas alicubi leges parum curaverit; id enim in communi sæculi quo floruit labe scientem neglexisse, magis quam eas minutias ignorasse credibile est. Sane Prudentius, Damasi fere σύγχρονος, cui nemo eximii poetæ laudem hactenus invidit, nihil moratur *metro*, ut ipse ait, *renuente* Saturnini nomen sapphico versui inserere subdens (g):

Carminis leges amor aureorum
Nominum parvi facit.....

Licuit hoc interdum nedum sequioris ævi, sed et priscis illis, quos *ætatis aureæ* poetas passim appellamus, quanquam in eo non laudandi, multoque minus mitandi sint. Nec scio an sæpius eadem oberraverit chorda Damasus. In his certe quos archetypos ex eo versus attulimus, si secundum ex Agnetis epigrammate, dempseris, (quem tamen initio mutilum et recenter suppletum diximus) nihil jam fore puto quod vel Scioppius jure reprehendat. Præterea Damasum *elegans in versibus pangendis ingenium habuisse*, Hieronymi, qui optime ipsum noverat, testimonio (h) scimus; in Actis vero politiore *in utraque lingua scientia* (i), id est, *Attica et Romana facundia* præditus, non secus atque ab Horatio Mæcenas (j) dicitur; ut vero-

(a) *Cap.* 22, pag. 119.

(b) Egregie nos ea in re juvit cl. civis atque amici nostri *D. Joachimi Ibunnezii* Carolo Hispaniar. infanti et utriusque Siciliæ regi in Romana legatione a secretis diligentia; cujus opera effectum ut nobis amplissimarum ædium abdita recessusque intimi paterent.

(c) Exhibuit eas nobis perhumaniter Josephus Vasi Farnesianæ supellectilis custos, *Guarda Robbùm* vocant, qui *Veteris et novæ Urbis admiranda*, x majoris formæ voluminibus comprehensa propediem evulgaturus est.

(d) Primo quidem hunc lapidem Blanchinus ediderat in prælatione tomi I Anastasii Bibliothecarii, num. 35; postea vero nonnihil immutatum recudit tom. ejusdem operis III, sect. 54, in Damaso, pag. 34. Ex quo loco superius exemplum mutuati sumus.

(e) § 3 de Damasi operib., pag. 145.

(f) Sub finem § 2 de Damasi carminib., pag. 144.

(g) In hymno de SS. XVIII MM. Cæsaraugustanis, stroph. 41.

(h) De Viris illustrib.: *Damasus*, inquit, *elegans in versibus componendis ingenium habuit*.

(i) Acta Damasi ex ms. Cod. archiv. canonicor. sancti Petri, a Mart. Sarazanio evulgata, pag. 42: *Porrò Liberius dum in exsilium duceretur Damasum* ELEGANTIS IN UTRAQUE LINGUA SCIENTIÆ... *in Urbe vicarium dereliquit*.

(j) Horat., lib. III, od. 8, ad Mæcenatem, stroph. 2.

Docte sermones utriusque linguæ.

simile fuerit sanctissimum pontificem amœniores, A sacras tamen, Musas non vulgariter excoluisse.

Sed hæc paulo generaliora videbuntur. Illud meo quidem judicio conficit menda de quibus agimus in librarios ac typothetas rejicienda esse, quod cum in epigrammate de sanctis Proto et Hyacintho quarto loco a nobis adducto, prior pars, quam archetypam diximus, nihil prorsus reprehensione dignum contineat; in posteriore quæ recens suppleta est, nec plura quam sena hemistichia complet, bis in metricas leges impingitur, ut primum et quartum ejus versum ad digitos atque aurem expendenti manifestum fiet (*a*). Quod si reliquorum Damasi epigrammatum autographa, ut ita dicamus, vel incorrupta nobis exempla superessent, constantior fortassis atque æquabilior sancti pontificis poetice haberetur.

Hac potissimum de causa dum hæc scriberem non semel animum pupugit cogitatio Damasi versus undique conquisitos in unum colligendi, et si fieri posset pristino nitori atque integritati restituendi; verum arduus aggressis labor nec tractabile pondus visum fuit, præsertim sine præsidio veterum Codicum e quorum collatione germana auctoris littera omnino eruenda est. Interea tamen, ne nihil egisse videar, specimen conatus nostri sistere placuit in epigrammate De cognomentis Christi Servatoris, quod a Sarazanio undecimo (*b*), a Merenda sexto loco (*c*) ponitur. In eo etenim cum primus versus claudicet, *syllabam ipsi deesse* prior ille scriptor existimavit (*d*); mihi vero pyrrichio integro decurtatus, atque hoc pacto restituendus videtur, si post primam ejus vocem *spes*, et ante sequentem *vitu*, tertiam hanc *via* eidem inseramus; ut non jam : *Spes*, *vita*, *salus*, etc., sicut pridem, sed : *Spes*, *via*, *vita*, *salus*, etc., legi verosimillime debeat. Ita enim fiet ut aliud Christo congruentissimum nomen, imo ab ipso sibi inditum, cujusque nulla in epigrammate mentio pridem fuerat, attribuamus, versusque jam ad metri leges atque aurem numerosissime fluat. Allusit in eo, uti ego arbitror, Damasus ad illud Joannis de Christo (*e*) : *Ego sum via, et veritas, et vita;* descriptor autem rationis metricæ, forsan et Latini sermonis, ignarus ex harum vocum *via* et *vita*, quod ad scripturam attinet, affinitate eamdem in antiquiori exemplo per errorem repetitam fuisse suspicatus, alteram sustulit, et versum restituisse putans misere deformavit. Sistere placuit integrum epigramma quale nos id legi debere existimamus :

Spes, VIA, vita, salus, ratio, sapientia, lumen,
Judex, porta, gigas, rex, gemma, propheta, sacerdos,
Messias, sabaoth, rabbi, sponsus, mediator,
Virga, columna, manus, petra, filius, EMMANUELque,
Vinea, pastor, ovis, pax, radix, vitis, oliva,
Fons, paries, agnus, vitulus, leo, propitiator,
Verbum, homo, rete, lapis, domus, omnia, CHRISTUS JESUS.

Ne quis autem nobis de cætero Damasianæ phraseos in epigrammatis tenuitatem, elumbeque dicen-
B di genus (non enim dissimulamus) objiciat, de stylo sanctorum Patrum, quem *ecclesiasticum* vocant, postremo omnium loco præmonendus est, quantum prisci illi Atticæ et Romanæ linguæ dictatores de extollendo sermone solliciti erant, tantum ecclesiasticos patres, ut candida styli simplicitate vulgari sese captui accommodarent, in eo deprimendo laborasse; non enim eloquentiæ laudem, sed fidelium utilitatem aucupabantur (*f*). Sane id Hieronymo in Vita Pauli eremitæ propter simpliciores accidisse, locuples ipse sibi in epistola ad Paulum Concordiensem testis est (*g*). Nec mirum si Damasus, qui eodem hac Hieronymus sæculo floruit, id præcipuum in epigrammatis habuerit, ut eorum sententia rudem illico populum et vel parum attentum occuparet.
C Certe quicunque carmen Christo Servatori inscriptum Damasi genuinum fetum agnoverit (in quibus Merenda nomen profitetur suum [*h*]), eum profecto eximii poetæ laudem Damaso minime invisurum esse arbitror.

Atque hactenus de Damaso, deque superstitibus ipsius in Urbe monumentis. Nunc autem Merendæ responsio ad illum ex ejusdem Actis locum in quo sanctus pontifex beatissimi Laurentii COMPATRIOTA dicitur, ita scilicet hanc (ut olim dicebamus [*i*]) vocem interpretati, quasi Actorum scriptor utrumque

(*a*) Sic habent :

...... latuit *sub* aggere montis
...... sequer*is* Hyacinthe probatus.

Quorum priori vix scio an medicæ poetarum manus opitulari valeant. Posterior utcunque sustineri potest; non quidem vulgari illo grammaticorum ad ἑπτημίμερεν suam confugio, quod huc non pertinet; sed ex Græcorum usu qui brevem syllabam in fine dicti nis consona terminatam frequentissime producunt, ubi sequens vocalis aspero notatur spiritu. Apud Æolas namque is spiritus, cujus vicem sustinet Latinorum *H*, consonæ naturam induit ob soni asperitatem, a qua non multum Bætici nostri abhorrent, eam litteram densius aspirantes. Potuit igitur Damasus, si hemistichium de quo agimus ad ipsum pertinet, ob sequentem aspirationem vocis *Hyacinthus* postremam in *sequeris* syllabam alioquin brevem producere. Exempla ejus rei apud Homerum frequentissima sunt, ut Odyss. XIII, 343 :

Χωόμενος, ὅτι οἱ υἱὸν φίλον ἐξαλάωσας
Item sæpius ; ὀιόμενος ὄλεθρον, etc.

Imo et Virgilius ob eamdem vocem *Hyacinthus*, brevem quæ præcesserat syllabam producit Eclog. VI, 53 :

Ille latus niveum molli full*tus* Hyacintho.

D Neque enim ob cæsuram, ut vulgus grammaticorum putat, syllaba *tus* a poeta producta fuit. Sed hæc puerilia sunt.

(*b*) Sarazan., pag. 83.

(*c*) Merenda, pag. 224.

(*d*) *Annot. in Damasi carm.* XI, pag. 168.

(*e*) Joan. XIV, 6.

(*f*) Qui multa, eaque aurea, de stylo sanctorum Patrum, quem *ecclesiasticum* vocant, nosse cupiat, legat elogio nostro majorem Dufresnium Ducangium (*Præfat. in Glossar. med. et infimæ Latinitatis, a num.* 58 60).

(*g*) Hieronym. (*Epist. ad Paul. Concord., sub fin.*) : *Mittimus*, inquit, *interim te tibi*, *id est Paulo seni Paulum seniorem, in quo propter simpliciores quosque multum in dejiciendo sermone laboravimus.*

(*h*) § 2 de Damasi carminib., pag. 136.

(*i*) Cap. 1, pag. 9.

eo verbo Romanum intellexerit prodideritque, alio nos avocant, nempe ut de asserendo ac vindicando Hispanis nostris invictissimo levita et martyre Lau-A rentio sollicitiores effecti, acriore nisu ac studio novam ultro nobis, eamque difficillimam provinciam decernamus.

DISSERTATIONIS PARS POSTERIOR.

DE PATRIA LAURENTII.

CAPUT PRIMUM.

Exordium. Hesternus et hodiernus controversiæ status.

Eo tandem ingeniosa temporum nostrorum gula processit, tantumque lautitiæ et epularis disciplina palatis attulere fastidii, ut fatuum eis denique atque obsoletum sapiat quidquid non saliarem in modum condierit Apicius. Non satis est peloridas dixisse aut ostrea, nisi Lucrina adjicias; nec lupo, nisi Tiberinus atque inter pontes jactatus fuerit, suus hodie constabit honos, quod olim Romanis vitium exprobrabat Horatius (*a*). Refert item, prostentne ubivis, an peregrina atque e longinquo advecta fuerint; summo hæc planeque regio potius quam vulgari sumptu voluptatis irritamenta comparaveris. Si quis autem ea non illico internoverit, rusticanum ac de plebe stomachum vocant. Interea tamen his præsidiis confirmatam valetudinem sensim in pejus ruere; proque diuturno ac vivido ætatis robore, maciem in dies novamque febrium cohortem terris incubare cernimus.

Nec sumptus laborisve parcior sapientum cœtus est ut litterarias sibi dapes apparet, eas vero maxime queis æger jacensque vulgarium scriptorum copia gustus erigitur atque excitatur. Nihil ævi nostri criticis intentatum. Ubivis doctorum scrinia, bibliothecas, vetera sacrarum ædium chartophylacia atque imaquæque adyta penitissime introspici, maria terrasque improbo labore et sumptu circumlustrari, aliudque alio ferri ac misceri omnia videas. Non blattas, non tineas, aliosve id genus dedignamur hostes, quibuscum Andabatæ novi confligamus; nec latebris jam abditissimisve angulis tutum se adversus ævi nostri sagacitatem fore confidit, si quod in eis, exesum licet ac semilacerum, etiam num latet venerandæ Antiquitatis monumentum. Interea vero tot veterum Codicum accessione rem litterariam non mirifice, nec pro modo laboris atque impensarum auctam, pietatis autem studium forsan refriguisse scimus, prorsus ut subvereri quis possit, an non præ nimia hypercriticorum ætatis nostræ sapientia, prisca illa veterum fraudibusque opportuna simplicitas aliquando tandem optabilior sit.

Verum commendabilem inquis temporum nostrorum solertiam, honestamque doctrinæ atque ingenii opum avaritiam. Neque id abnuentibus nobis,
B si tamen ei studio modum flatuas; nam vitia proxime virtutem sunt. An ergo quod utrobique aut manus impigre, aut animus splendide exerceantur, malarum idcirco rerum audaciam, fortitudinem, aliena largiri liberalitatem dixeris? Diversa hæc sunt. Neque ambigo longe maximam, quam olim fuerit, his temporibus esse doctrinæ et librorum messem; verum ubi ea in horrea litteraria, id est in bibliothecas, purganda conjicitur, nedum avenas steriles, sed et infelix lolium tritico succrevisse comperimus, dum scriptorum plerosque propria extollendi studium, laudisque amor immaturus sæpissime transversos agit.

Hæc nos tamen adversus sæculi nostri hypercriticos, eorumque intemperantiam prælibare oportuit,
C queis proinde, si quid dubia luce lippientibusque oculis subrimari contigerit, id, quasi perviderint, pro explorato venditantes, deceptum novitatis illicio vulgus ad se trahere, sapientumque famam aucupari student. Ex serie eorum quæ inferius disputanda sunt palam fore speramus, non hæc a nobis importune, aut ut aerem verberemus, sed omnino e re disputationis nostræ dicta esse; neminem tamen lædere aut sugillare est animus (*b*). Nunc, quod instat, antiquum ac recentem controversiæ nostræ statum aperiamus.

Manlius olim Calvinista, nescio quis, Laurentium levitam et martyrem invictissimum patria Romanum voluit; in quem Gretserus, ipsis heterodoxorum
D Hospiniani, Fabricii et aliorum ejusdem sectæ popularium, testimoniis, Manlianæ theseos falsitatem edocturus invehitur (*c*); ejus tamen argumenta non satis valida propositæ rei conficiendæ visa sunt Bollandianis Patribus, a quibus id acceptum retulimus (*d*). Verum cum iidem Patres rationum momenta

(*a*) Lib. II, satyr. 2, 31 seqq.

(*b*) Quanquam *hypercriticorum* nomen (qua voce consulto hactenus usi sumus) satis doceat minime hæc eo a nobis consilio dicta esse, ut in adversarios, doctrina scilicet atque eruditione præstantes viros, ullo pacto referantur; de eo nihilominus lectores rursum apertiusque monitos volumus, idque palam obtestamur; imo cl. Blanchinum, qui ut mox dicemus, novam de Laurentii patria opinionem primus evulgavit, non levi aliquo fundamento ut ab antiqua et communi sententia discederet, sed vetere eaque in speciem apertissima auctoritate nixum fuisse, agnoscimus; licet ea, ut putamus, alio quam ad Laurentii patriam referenda sit. De quo inferius erit disserendi locus.

(*c*) Jac. Gretserus S. J., de Festis Christianor., lib. II, cap. 9, fol. 348; ap. Bolland., 10 August., § 10, de Patria sancti Laurentii, n. 101.

(*d*) P. Joan. Pinius, loco proxime allegato.

queis Manlius nitebatur ut Laurentium Romanis ascriberet, a cl. Francisco Carrillio Cordubensi alibi expensa (*a*), non multo post exactissime ad trutinam revocassent, parum eis digna visa sunt, ne ut proponerentur quidem. *Ad Urbem Romanam* (inquiunt [*b*]) *quod attinet, quasi in ea natales hauserit Laurentius, adeo omni probabilitatis specie videtur destitui opinio quæ hoc asserit, ut ne vel proponi quidem, nedum refutari mereatur.*

Non pluris fecere biographiæ sanctorum dictatores argumenta quibus Romani Laurentii natales innituntur; idque salutis anno 1733, quo demum sanctissimi martyris Vitam Actaque digerere cl. Joanni Pinio contigit. Sed quæ res humanas pro lubidine magis quam ex vero celebrat aut obscurat sors, ut poetæ loquuntur, ea profecto in hac quoque disputatione ludum insolentem lu lere visa est. Vix enim biennium effluxerat, cum ex detecto Veronæ circa ea tempora Sacramentario missarum Codice, in quo eruditorum nonnulli, summi quidem viri, non tamen, ut arbitror, satis explorato Codicum liturgicorum ingenio, neque Ecclesiæ in ipsorum ordinatione proposito, Laurentii patriam disertissime contineri arbitrati sunt, tanta rerum commutatio consecuta est, ut si quis jam alibi quam in Urbe natum contendat martyrem invictissimum, difficilis planeque desperatæ causæ patrocinium suscepisse censendus sit. Exponam rem quo gesta est ordine.

Inclinante salutis anno 1735, cl. Joseph Blanchinus, congregationis Oratorii Romani presbyter, Veronensis olim canonicus, dum absolvendæ vaticanæ Anastasii Bibliothecarii Editioni (quam præstantissimam sane illustrissimus Franciscus ejus patruus, quo tempore morte interceptus fuit, infectam reliquerat) novisque accessionibus locupletandæ totus incumbit. Quarti ejus operis tomi prolegomenis (*Pag.* 12-57) inseruit repertum ab ipso non multo pridem in Bibliotheca amplissimi capituli Veronensis Ecclesiæ, Sacramentarium, id est, missarum Codicem vetustissimum, cui, si libere philosophari volumus, paulo quam oportebat properantius Leoniano nomen fecit, hoc eum titulo simpliciter inscribens (*Ibid.*): *Codex Sacramentorum vetus Romanæ Ecclesiæ* A SANCTO LEONE PAPA I CONFECTUS. In eo igitur Codice ubi sub initium Augusti mensis multiplex in natali sancti Laurentii Martyris missa recensetur, ea quæ ordine duodecima est hanc contestationem, seu præfationem habet (*Pag.* 38, *col.* 1): *Quamvis enim sanctorum tuorum propagante te, Domine, toto orbe clara sit gloria, de beati tamen solemnitate* LAURENTII *peculiarius præ cæteris*, ROMA *lætatur* CUJUS NASCENDO CIVIS, *sacer minister, et dicatum nomini tuo munus est proprium.*

Hæc ubi primum Blanchinus a limine salutavit, verborum specie decipi facile passus, Laurentium patria Romanum e vestigio credidit, veteremque et receptissimam, quæ Hispanis favet, sententiam ab eruditorum animis eradendam censuit. Quo minus autem rem eatenus inexpertam sapientum scenæ tunc committeret, graviores aliæ in quas ultro sese conjecerat curæ in causa fuere. Vix enim edito Sacramentario, Leoniani nomen prorsus inauditum, titulusque Codici præfixus, quo A SANCTO LEONE CONFECTUS dicebatur, rei liturgicæ ac bibliothecæ ecclesiasticæ peritioribus innotuit, cum Blanchinus violatæ critices reus ab ipsis dictus, imo injuriarum postulatus fuit, quasi falso Sacramentarium sanctissimo pontifici attribuerit. Totus igitur in eo ut sese purgaret, post varium multiplexque Sacramentarii examen, crebrasque ultro citroque consultationes ad sapientes per Italiam viros (quorum responsa non ambigue capiti suo impendebant [*c*]) alte imbibitam de Romana Laurentii patria sententiam turbidis adhuc rebus promere non satis opportunum duxit.

Verum ubi processu temporis partium studia sensim, ut fit, deferbuisse animadvertit vir evulgandæ opinioni quam animo præceperat intentissimus, impuneque jam a nonnullis eum Codicem Leonianum dici, imo etiam eo nomine a liturgicis appellari (ut ipsum scilicet a Gelasiano et Gregoriano distinguerent); tunc demum novæ illi, quam ex Sacramentario hauserat, de patria sanctissimi martyris opinioni in vulgus emittendæ tempus adesse arbitratus fuit. Itaque cum anno 1741 venerabilis S. R. E. cardinalis Josephi Mariæ Thomasii liturgicorum operum Collectionem adornasset, inter ejusdem prolegomena (*Pag.* 1-136) veterem edidit Codicem orationum antiquissimi ritus Gothico-Hispani ex Veronensis itidem Ecclesiæ bibliotheca non multo pridem ab ipso erutum, notisque illustratum, quemque olim ad Tarraconensem, cognominis in citeriore Hispania provinciæ, Ecclesiam pertinuisse (*d*) contendit.

In eo autem Codice de orationibus agens quæ olim in sancti Laurentii missa atque officio, natali scilicet ejusdem die cani aut recitari consueverant, quibus inter Blanchini annotationes ea respondet quæ ordine 106 numeratur (*e*), fuse de invictissimi martyris patria sermonem instituit, tantaque eum animi contentione ac fiducia Romanis asserit, quantam jure in sapiente viro demirere. Itaque indicta ab Hispanis causa, prorsusque insalutatis quæ pro eorum

(*a*) In opere cui titulus : *Certamen historicum pro patria sancti Laurentii, Cordubæ* 1673.

(*b*) P. Pinius, 10 August. § 11, de loco Hispaniæ in quo Laurentius fuerit, num. 110.

(*c*) Consulti de hac re fuere clarissimi viri Cajetanus Maria Meratus, cler. reg. Theatinus, sac. rit. consultor; Eusebius Amort, can. reg. sancti Salvatoris; Polinganus; Lud. Antonius Muratorius, et R. P. Joseph Augustinus Orsius, sacri palatii apostolici, dum hæc scribimus, magister, qui omnes vel editis lucubrationibus, vel in privatis ad Blanchinum litteris, consentiente tamen suffragio, Sacramentarium sancto Leoni abjudicandum censuere, ceu nos docet comes Acamus (*In dissertat. apolog. de antiquitate et auctore Sacramentarii Leoniani, parte* II, § 12 *seqq.*).

(*d*) *Annotatione* 22, *pag.* 157, *in fine et sequenti.*

(*e*) Pag. 292, in prolegom.

sententia vulgo adduci solent argumentis, quasi nihil ipsi ex hoc capite timendum esset, in aleæ pleno opere securus incedit per ignes suppositos doloso cineri. Primum autem omnium ex ipso Gothico-Hispanico a se edito orationum codice, mox ex vetere Vaticano alio in quo Laurentius civis ROMANUS dicitur, præterea ex hymno Prudentii quem de Laurentii passione ac triumpho elegantissimum panxit, ac demum ex illis Veronensis Sacramentarii verbis, quæ nuper descripsimus, universum disputationis negotium confectum arbitratus, in hæc verba sententiam pronuntiat (*a*) : *Si nihil aliud de civitate sancti Laurentii dicerem, dicta causa esset. Quomodo enim tanti pontificis* (sanctum Leonem Magnum intelligit, qua de re nos inferius disseremus) *testimonium infirmari potest?*

Falsa porro triumphi imagine delinitus Blanchinus, advocata senatus populique Romani, imo enim sacri collegii apostolici Patrum concione, quernam sibi more majorum decerni postulat, quod iniquis historicorum præjudiciis exsulantem Romanum civem illustrissimum, unus omnium longo sæculorum postliminio patriæ vindicaverit restitueritque (*b*). Temperare scilicet sibi nequit, modestus prudensque cæteroquin vir, quin præ supereffluente gaudio more torrentis exundet, cohibitamque ac compressam diu animo lætitiam eo quoque nobis argumento prodat.

Tuta jam sub hac ægide nonnulla alia conjecturalis generis argumenta, quibus hactenus ne hiscere quidem datum fuerat, capere ingentes animos, efferre sese, atque ei sententiæ quæ Hispanis favet palam occentare audet. Nec scriptorum Blanchino duce demissiores sunt animi, aut fortuna dissimilis. Comes Jacobus Acamus quem, ut alibi ostendemus (*c*), vehementissima suspicio est, non sine Blanchini afflatu dissertationem scripsisse de antiquitate et auctore Sacramentarii Veronensis (*d*), in ipso ejusdem absolvendæ articulo sub epigraphe : *De suprema Ecclesiæ Romanæ auctoritate aliisque ad eam spectantibus* (*e*), Laurentii patriam importunissime legentibus

A obtrudit ; eamque ex Sacramentarii de quo agimus verbis ibidem ab ipso allatis Romam fuisse, remque omnino incontroversam pronuntiat. Eam ego dissertationem cum legerem, ubi appetente jam ipsius fine altum in ea de Laurentii patria sileri comperio, nequibam enimvero satis mirari rem si sic abiret, cum irruens ex insperato Acamus (quid enim suprema Ecclesiæ auctoritas cum patria Laurentii commune habet?) postremis dissertationis verbis, Veronensis Sacramentarii contestationem, novamque de Laurentii patria sententiam, lectori nihil jam tale metuenti regerit. Ægre scilicet, uti ego existimo, ferebat Acamus, si indictus abiret in ea dissertatione Laurentius, oblatam sibi novæ theseos propagandæ occasionem nequicquam e manibus elabi ; cum autem forsan imprudenti scriptionis filum præcisum B fuisset, maluit homo lepidus utcunque assutam operi suo laciniam adnectere, quam eam damnoso sane silentio dissimulare.

Nec magis, ut arbitror, ad Merendæ rem attinebat, dum de Damasi opusculis gestisque sermonem instituit (*f*), Laurentii patriam operi suo inserere, nisi per occasionem veterum sancti pontificis Actorum (*g*) in quibus *eadem ac Laurentius patria genitus* dicitur ; eo tamen loco, qui proprius erat de hoc argumento disserendi, nihil pronuntiare ausus (*h*), *dubitari* tantum *posse* affirmat, *an ipse etiam Laurentius Romæ ortus fuerit* ; cum in processu operis sub epigraphe de Damasi fabricis, quæ sane diversa tractatio est, Laurentii patriam aliquanto fusius C persequatur, causamque pro Romanis dictam, atque aperto sancti Leonis Magni testimonio demonstratam asserere nihil dubitet (*i*) ; quin etiam conjecturam de suo adjicit, ex qua, si Deo placet, evidenter consequitur (*j*) Laurentium non secus ac Scipio aut Lælius inter Romanos cives recensendum. Ejus ἀκαιρολογίας causam, quia nos alibi de Damaso loquentes indicavimus (*k*), hoc loco missam facere placuit.

Clarissimus præterea Romanus eques Franciscus Victorius (quod mihi absoluta hac lucubratione ex fortuito cum ipso apud Blanchinum colloquio nosse

(*a*) Pag. 293, sub initium.

(*b*) *Ego nunquamne reponam : Me, me, adsum? Et quoniam S. P. Q. R. decreto civis Romanus sum, Laurentium Romanum fuisse dico, vindico, repeto atque confirmo ad ejusdem populi Romani gloriam laudemque sempiternam.* Et paulo inferius : *Ex hoc igitur limpidissimo fonte* (Sacramentarium intelligit Veronense) *puriores aquas hauriam, perficiamque profecto, ut Laurentium, non segregandum* (sic), *cum sit Romanus civis a numero civium ; sed contra totius Urbis et sacri apostolici collegii acclamatione repetendum esse fateantur omnes* (*Blanchin.*, *Annot.* 106, *Pag.* 292).

(*c*) Dissertat. de Auctore Sacramentarii Veronensis quam prælo maturam suo tempore edendam curabimus.

(*d*) Prodiit ea Romæ 1748, Italico sermone, sub hoc titulo : *Dell' Antichità, autore e pregi del Sagramentario Veronese pubblicato dal M. R. P. Giuseppe Bianchini.*

(*e*) Part. III, sub hac epigraphe : § XII. *Suprema autorità della Chiesa Romana, ed altre cose spettanti ad essa.*

(*f*) Prodiit Merendæ opus Romæ 1751 inscriptum : *Sancti Damasi papæ opuscula et gesta.* Fol.

D (*g*) Ea sunt quæ ex ms. Codice basilicæ sancti Petri M. Milesius Sarazanius evulgavit, de quibus sæpius alibi.

(*h*) *Dubitari enim vehementer potest, an ipse etiam Laurentius Romæ ortus sit* (*Merend.*, *Opuscul. et Gest. B. Damasi*, *cap.* 1, *pag.* 2).

(*i*) *Hunc fortissimum martyrem* (LAURENTIUM) *Romanis civibus, secus atque hactenus creditum fuerat adnumerandum demonstravit Jos. Blanchinus vir clar., aperto Leoni Magni testimonio* (*Merenda*, *Opusc. et Gesta Damasi*, § 3, *de Damasi operibus*, *pag.* 146, *col.* 1).

(*j*) *Ex quo* (conjecturam intelligit ex Prudentii hymno elicitam) *illud evidenter consequitur, Laurentium a claris illis Romanæ Urbis filiis* (Coss., Camillo et Cæsare) *minime disjungendum* (*Merend.*, *loco proxime allegato*).

(*k*) *Priore scilicet hujus operis parte, cap.* 1.

contigit) cum per ea tempora Dissertationem philologicam edidisset (*a*), in qua nonnulla sacræ antiquitatis monumenta ad Laurentium nostrum spectantia non vulgariter illustrantur, de posthuma sanctissimi martyris in terris gloria, deque sacris ædibus ipsius nomini in Urbe inscriptis disserendi occasionem nactus, neque temporalem ejusdem patriam silentio prætereundam duxit. Quasi vero non sufficeret eam omnino Romam asserere, *idque pro certo habendum* (*b*) pronuntiare, taxat subinde contrariæ receptissimæque sententiæ patronos, atque adeo Hispanos, quod non jure Laurentium popularem suum dixerint. *Quæ enim*, inquit, (*c*) *amabo, ratio suadeat, exterum hominem* NATIONE HISPANUM, UT NONNULLI PERPERAM EXISTIMANT, *eamdemque juvenem, statim ac in Urbem advenerit, unum e pluribus electum fuisse, qui pontifici sanctissimo* (Sixtum intelligit) *ministraret, quique Romanæ Ecclesiæ diaconus designaretur ac renuntiaretur? An homini plane novo id muneris committeretur? An qui neminem in Urbe cognosceret, curator pauperum et thesauri Ecclesiæ custos constitueretur?*

Pergit porro Victorius iisdem ipsis argumentis quæ pridem Blanchinus adduxerat novam de Laurentii patria opinionem tutari; quibus et ipse ex Hispaniæ nostræ laudibus, quas in aliis Prudentii hymnis passim contineri affirmat (*d*), altoque de Hispania silentio in eo qui Laurentio martyri inscribitur, validam præterea conjecturam addi posse existimat. Quoniam vero multa et varia hæc sunt, meoque judicio leviora quam ut in ordinem redigi debeant, placuit ea breviter in transcursu refellere, atque amice Victorium rogare unde noverit, Laurentium statim ac in Urbem advenit Romanæ Ecclesiæ diaconum a Sixto effectum, novumque ac plane ignotum hominem pauperum curatorem atque ecclesiastici thesauri custodem renuntiatum? Aut cur non Sixtus sibi pridem et in pontificatu cognitum, multiplicique experimento comprobatum ad id munerum potius elegisset? *Exterum* autem, quod Victorius subdit, meminisse debuit exterum

A quoque Sixtum, mediaque in Græcia natum fuisse; nam de censura qua communis receptissimæque sententiæ patronos taxat, silentio potius utriusque nostrum existimationi consulere, quam illatam, ut putamus, tot doctissimis viris injuriam ulcisci placuit. Unum id tamen de Hispaniæ laudibus in hymnis Prudentii nescio quo pacto Victorio exciderit, cum vix ulla Hispanorum apud Prudentium mentio; nulla certe, ne minima quidem Hispaniæ laus in toto Περὶ στεφάνων libro reperiatur (*e*). De his tamen plus satis.

Pressior sane atque, ut historicum decet, cautior in hoc argumento incedit reverendissimus P. Josephus Augustinus Orsius, sac. pal. apost., dum hæc scribimus, magister, quem cum Hispanorum senten-
B tiæ refragari primum inaudiissem, hæsi nonnihil et collegi meme, rationes quibus illa innititur, maxime vero conjecturas nostras, denuo sub examen revocans, deque viri eximii gravitate ac doctrina multa cum animo meo volvens. Atque is quidem in novam quæ Romanis favet sententiam propendere videtur, imo aperte Laurentium ROMANUM CIVEM dicit, eamque in rem Veronensis Sacramentarii quam modo retulimus contestationem affert (*f*); verum cum ejus contestationis verba, quanquam illico Laurentii patriam præseferre videantur, non penitus animum tranquillent, multiplicisque interpretationis capacia sint (de quo inferius ex asse instituetur sermo), non satis exploratum habemus quo sensu cl. auctor civem Romanum Laurentium dixerit. Si autem in ab-
C solutissimi operis Hispanisque nostris gratissimi (*g*) decursu novæ sese opinionis assertorem prodat, non tam turpe nobis vel vinci a tanto viro quam cum eo pro patria contendisse decorum fuerit.

Atque hunc quidem controversiæ de Laurentii patria statum esse, eoque loco ac discrimine sententiam quæ Hispanis favet versari comperimus ad annum 1755, quo hæc scribimus. An autem nuperi scriptores alii, novæ opinioni Laurentium Romanis adjudicanti subscribant, incertum habemus. Nobis

(*a*) Prodiit ea Romæ anno 1751, ap. fratres Palearinos.

(*b*) *De eodem* (Laurentio) *hoc pro certo habendum, natale solum Romam ipsum habuisse* (Victorius, dissertat. Philolog., *pag.* 91).

(*c*) Paulo inferius, ead. pag.

(*d*) Nihil quippe Prudentius de Hispanica origine Laurentii, Hispanus ipse memoriæ prodidit; cum de aliis qui ab ea regione traxerunt ortum... diserte meminerit, *Hispaniarumque laudes in pluribus ejus hymnis de sanctorum gestis contineantur*... (*Victorius, loco proxime allegato.*)

(*e*) Est quidem in hymno de sanctis Hemeterio et Chelidonio TERRÆ IBERÆ mentio; sed hæc ad Calagurrim IBERO amne irriguam, quæ sacras horum martyrum exuvias servat, non ad HISPANIAM referenda sunt, ut ex iis quæ sequuntur liquet:

Pollet hoc felix per orbem TERRA IBERA stemmate.
Hic LOCUS dignus tenendis ossibus visus Deo.

Et paulo inferius:

Martyrum cum membra NOSTRO consecravit OPPIDO,
Sospitant quæ nunc COLONOS QUOS IBERUS ALLUIT.

Meminit quoque HESPERIÆ Prudentius, in hymno de sancto Cypriano, sed ea voce ITALIAM designari ex non adjecto ULTIMÆ, sive EXTREMÆ epitheto, et ex orationis sententia liquet. Ait enim:

.... Gallos fovet (Cyprianus), imbuit Britannos.
Præsidet HESPERIÆ, Christum serit ULTIMIS IBERIS.

Si autem postremis his verbis HISPANIÆ laudes contineri Victorius velit, eadem opera Prudentium in
D hymnis Gallias quoque et Britanniam laudasse dixerit. Denique in hymno de sanctis Fructuoso, Augurio et Eulogio, HISPANORUM Prudentius meminit his verbis:

HISPANOS Deus aspicit benignus.

Hanc tamen laudem generaliorem puto, quam ut de ea Victorius senserit. In Hymnis reliquis altum de HISPANIA et HISPANIS silentium.

(*f*) Cl. M. Orsius Hist. Eccl., tom. III, lib. VIII, § 114, pag. 440, Romanæ edit. 1750, forma octava: *Attribuisce* (inquit) *con ispecial modo Prudentio la intiera conversione di Roma alle preghiere, à i meriti, è al glorioso Martyrio di questo suo illustre Cittadino* (Laurentium intelligit, et Veronensis Sacramentarii contestationem laudat) *di cui ella non meno meritamente si gloria che Gerusalemme di Stephano.*

(*g*) Auditur et apud nos R. P. M. Orsius Hispane loquens: ejus enim *Historia Ecclesiastica* in Hispanum sermonem conversa magna ex parte lucem jam vidit Matritensibus typis elegantissimis.

certe præter adductos neminem hactenus videre licuit, quorum proinde ac Blanchini rationes conjecturasque suo loco ac tempore singulatim expendemus. Interea vero ubi ab altero eorum *causam pro Romanis dictam*, ab altero *demonstratam atque incontroversam rem*, ab aliis tandem alia impune affirmari animadvertimus, non semel in mentem venit num, non secus atque in bellicis rebus fieri videmus, et in his quoque litterarii argumenti controversiis militares astus deprimendis inimicorum animis comparati procedant; eoque Hispanos στρατηγήματι Blanchinus experiri bellique aleam tentare voluerit? Saltem exemplum tanti viri, si incerta pro certis eum captasse constiterit, admonitos nos faciet, ut maxime quisque in rem propendet, ita fraudi opportuniorem fore; neminemque usque adeo providum esse, quin improvidus sit, ubi volentem adgrediare. Nunc autem ad argumenta quæ Hispanorum opinioni favent deveniamus.

CAPUT II.

Vetera Hispanorum argumenta confirmantur. Merenda obiter refellitur.

Non ea sum confidentia ut rem tanta animorum contentione disputatam, redintegrata præsertim ab adversariis pugna novorum accessione delectuum, id est, recens erutorum Codicum, unus ego omnium sistere, partesve ac jura Hispanorum in tuto collocare posse sperem. Novi, donec tam clara nobis obtingant ea de re monumenta, quam solis esse radii cum sudum est solent, ut vetus olim aiebat comicus, litem usque fore sub judice. Veneror itaque sanctissimum martyrem ut proprio tuendo ac promovendo cultui nostris ea temporibus detegi benignus impertiat, neve suos, id est, Hispanos, quo ipse hactenus jure ac nomine censeri voluit, immerentes, deque eodem amittendo sollicitos deserat; neque amplius Hispaniæ nostræ tantus fetus ab exteris nationibus invideatur.

Unum si assequar, nempe ut his, quæ mox adducenda sunt, ratiociniis et responsionibus ad Blanchini atque adversariorum objecta, sapientum animos in Hispanorum sententiam propensiores efficiam, quamvis calculum interea decretorium non adjiciant, satis amplam mihi mercedem obtigisse rear pro suscepti laboris modulo. Sic enim fiet ut neque illa majoris præ aliis opinionibus probabilitatis gradu excidat, in quo, inspectis monumentis omnibus ad annum 1733 detectis, eam locavere Bollandiani Patres (a); vetusque Hispanorum de Laurentii patria possessio sapientum edicto, veterum Codicum fide, longaque sæculorum consensione roborata, novis Blanchini ejusque sectatorum conatibus minime videatur interrupta.

Missa itaque, brevitati consulentes, facimus testimonia ex veteribus Breviariis Toletanæ, Aptensis, Gordubensis, aliarumque per Hispaniam Ecclesiarum desumpta, queis disertissime Laurentius Hispanus dicitur; nec non innumera quæ adduci a nobis possent Historicorum placita; nisi enim millenariam eis antiquitatem tribuas, parvi a criticis nostris facienda esse probe novimus. Neque tamen idcirco recentis, sed luculentissimi Romani scriptoris (quemque alias Hispanos minime deperiisse constat) testimonium silentio præterire possumus, Maphæi scilicet Barberini, qui mox sub Urbani VIII nomine catholicæ Ecclesiæ summa cum potestate præfuit. Is autem in hymnis quos sacræ lyræ fidicen Pindarico ritu panxit, alicubi Hispaniam nostram eleganti hac prosopopeia alloquitur (b):

> Te concinam LAURENTII
> Sacro parentem lumine fulgidam.

Et mox (c):

> Æres quid iras aggeras, rex barbare?
> Impavidus contemnere novit
> HISPANUS JUVENIS rogum fera jussa.

Hæc tamen in speciem tantum, et ne novus iste lucubrationi nostræ decedat splendor: illud serio in adversarios urgere velim, quod olim protuli testimonium ex Damasi Actis, in quibus sanctissimus pontifex Laurentii COMPATRIOTA dicitur, idque in Actorum corpore quæ pars ejus operis antiquissima est. Sistimus ipsorum verba (d): *Cum dirutarum ecclesiarum instaurationi beatus Damasus operam daret, hortum quemdam infra urbis mœnia positum ab Imperatore Valentiniano Juniore* (suspicari fas est *Junioris* verbum aut additum omnino, aut pro *Seniore* positum; ut enim prior ille Catholicis, ita posterior iste Arianæ hæresi impensissime favit (e) *sibi dari poposcit, in quo* COMPATRIOTÆ SUI BEATI LAURENTII MARTYRIS *ecclesiam fabricaret.* Sub finem autem Actorum (f) cum de miraculis in basilica sancti Laurentii ad Theatrum Pompeii, in qua Damasi exuviæ requiescunt, divina ope patratis dubium emersisset, essentne scilicet Damaso, an Laurentio attribuenda, subdit eorum auctor: *Nos autem in miraculis non dividimus* QUOS UNA PATRIA GENUIT, *atque una ecclesia promovit.*

Hæc autem tanto nunc quam pridem, cum de Damaso agebamus, probabilius dicta, atque in rem nostram præsentiora censeri debent, quanto si vera sunt, quæ de sancti pontificis patria in prima hujus operis parte tradidimus, Laurentium quoque Hispanis adnumerandum esse, ex loco a conjugatis planum fiet. Neutrum ergo vel utrumque Hispanum fore necesse est, ut et hic nobis Persianum illud: *Vel duo vel nemo*, liceat identidem usurpare. De sinceritate porro atque antiquitate Actorum vix nobis dubitandi locum reliquit Baronius: *Exstant* (inquit [g]) ACTA DAMASI IN ECCLESIA OLIM RECITARI SOLITA APUD

(a) Videndi ad diem 10 Augusti, § 10, *num.* 106, § 11, *num.* 3 et alibi.
(b) In od. de sancto Laurent., antistroph. 1.
(c) Epod. 1.
(d) Ap. Mart. Milesium Sarazanium, pag. 47.
(e) Sunt tamen qui de æterna ipsius salute, quamvis catechumenus occisus fuerit, non desperandum censeant, inter quos Ambrosius.
(f) Sarazanius, Act. Damas., pag. 62.
(g) Baron., ad ann. 384, n. 19, et ap. Bolland. 10 Aug., § 10, n. 102.

NOS IN DUOBUS CODICIBUS PERVETUSTIS, *nempe quinto et decimo tomo Vitarum sanctorum. Exhibet eadem* CODEX VATICANUS, ET ALIUS SANCTÆ MARIÆ MAJORIS QUEM VIDIMUS; *in quibus ad finem hæc leguntur.* Recenset eo loco Damasi miracula quæ Petrus sedis apostolicæ diaconus, in sermone quem de sancto pontifice habuit, *in eodem titulo* (Laurentii basilicam intelligit) *contigisse commemorat.*

Causam vero cur de auctore miraculorum dubium emersisset, eaque nonnulli Laurentio potius quam Damaso attribui vellent, ipse Baronius indicat, quæ non parum Actorum antiquitati favet. *Supererant adhuc* (inquit [a]) *aliqui addicti Ursicino, qui Damaso licet defuncto tantam gloriam* (miraculorum scilicet) *invidentes, dicerent, non meritis Damasi, sed intercessione beati Laurentii ea patrari miracula.* Jam vero dubium seu controversia de auctore miraculorum, quam non longe a Damasi morte contigerit; inde licet conjicere quod eo tempore nondum adhuc Ursicini ejusque sectatorum factio deferbuisset; prorsus ut Petro Diacono, seu quisquis demum ejus partis Actorum scriptor fuerit, integrum esset ex vetustissimis iisque incorruptis quæ sibi prælucerent monumentis res ad Damasum pertinentes mutuari.

Ex ipsis etiam fontibus derivari credenda est prior illa actorum pars, in qua Damasum Laurentii COMPATRIOTAM appellari supra dicebamus. Sane si nihil aliud pro ejusdem antiquitate afferri posset, una Damasi Vita a Benedicto presbytero conscripta, quam e Sarazanio sub initium primæ hujus operis partis allegavimus (*b*), abunde eam declarat. Ipsa enim, seu styli simplicitatem, seu nominis gradusque auctoris non item familiæ professionem, sive demum *Exigui* (quo se cognomine ex usu priscorum temporum appellari voluit) notionem spectes, satis per se antiqua nihilominus horum de quibus agimus Damasi Actorum compendium, et quasi breviarium est quod utraque inter se conferenti manifestum e vestigio fiet. Ne cui autem vox COMPATRIOTA forte scrupulum injiciat, quasi recentior fuerit, eam jam a Nicolai I (*c*) imo et a Gregorii Magni temporibus usurpatam fuisse admonemus.

Ad Petrum autem Diaconum sermonis de beato Damaso scriptorem quod attinet, Bollandiani Patres enumeratis aliquot cognominibus, qui a sæculo VI, ad XII floruere (*d*), cum nullum ex eis invenissent qui de Damaso egerit, hærent plane in assignando uter eorum sancti pontificis sermonem de quo loquimur scripserit. Baronius tamen, Joseph Maria Suarezius, et alii (*e*) Petro cuidam Diacono Cassinensi adjudicandum putant, qui sæculo IX claruit, auctorque habetur Vitæ sancti Athanasii episcopi Neapolitani; deque eo prior ille Annalium ecclesiasticorum scriptor agit ad annum 850, 861, 872.

Utrumvis autem fuerit, illud Baronii testimonio constat, Damasi Acta, quibus ejus sermonis cento sub finem consutus fuit, longe eo sermone antiquiora fuisse.

Merenda, ut nos alibi de Damaso loquentes dicebamus, nedum difficultatem effugisse, sed novo atque expedito responsionis genere in novas nos angustias conclusisse putat. Itaque post alia inutiliter tentata, Laurentium, non minus quam Damasus, Romanis civibus omnino adnumerandum esse, ex Veronensis Sacramentarii auctoritate, affirmat; eoque respectu ab actorum Damasi scriptore COMPATRIOTAS; atque a Petro Diacono in eorum appendice UNA GENITOS PATRIA verissime dici potuisse. Hæc tamen, nisi vehementer ego fallor, eludendæ potius difficultati, id est, scindendo quam dissolvendo nodo longe opportuniora sunt. Id ut paulo fiat dilucidius, secernendus nobis est a Laurentio Damasus, deque hujus singulatim patria denuo instituendus est sermo, tantisper tamen dum quid de ea Petrus Diaconus atque Actorum scriptor senserint; qualisve horum ætate vulgaris receptaque de hoc argumento populorum opinio fuerit, ob lectorum oculos ponimus.

Primum autem omnium rogandus a nobis Merenda est, num Petri diaconi (quicunque tandem ille fuerit), aut scriptoris Actorum de quibus agimus ætate, id est, a sæculo VI ad XII dubium jam tum aliquod emersisset de Damasi patria, aut ulli uspiam mortalium in mentem venisset Damasum Romanis adscribere, deque ea re litem Hispanis intentare? Minime, inquam ego, gentium. Neque enim rudibus illis ac simplicioribus sæculis tantum sibi hypercritici quantum hoc nostro juris arrogaverant, ut ob solas conjecturas (quantum illæ cumque ad veritatem accederent) veterum Codicum auctoritatem deseri receptasque et infixas populorum animis opiniones evelli aut ullo pacto labefactari paterentur. Quid autem de ecclesiasticis libris, quos veluti sacræ antiquitatis thesauros, veterisque, et incorruptæ pontificum atque Ecclesiæ Historiæ fidissimos custodes, non secus ac sacros utriusque fœderis Codices ejus ævi gentes reveritas fuisse scimus? An putat Merenda, si quis eo tempore receptis ecclesiasticis Codicibus contraire, eorumque fidem atque auctoritatem elevare ausus fuisset (quod tamen utrumque nostra hac ætate Terribilino licuit), impune id ei per sanctiones canonicas ferendum?

Porro, quo pacto Petrus ille sedis apostolicæ diaconus, aut Damasi Actorum scriptor, (quos ex dignitate ac suscepto scribendi munere in rebus ecclesiasticis non vulgariter versatos credere debemus), cum uterque de Damaso ex professo ageret, Feliciani pontificum catalogi de patria sanctissimi pontificis

(*a*) Baron., ad ann. 384, n. 19.
(*b*) Cap. 1, pag. 12, 13.
(*c*) Nicolaus I (*In epist. ad Egilonem archiep. Senonensem, tom. IX Collect. concilior. Labbæi, Edit. Venet., coll.* 1525): *Porro cum ad te tuosque* COMPATRIOTAS *et consacerdotes litteras destinaverimus.* Gregorius (*Lib.* VIII, *epist.* 37, *ad Innocentium Africæ præfect.*): *Sed si delicioso capitis pabulo saginari beati Augustini* PATRIOTÆ *vestri opuscula legite*; qui locus cl. Du-Cangii diligentiam effugit.
(*d*) Ad diem 10 Aug., § 10, n. 104.
(*e*) Ap. Nic. Antonium (*Biblioth. Hisp. Vet., lib.* II, *cap.* 6, *in Damaso, num.* 180).

apertissimum pro Hispanis testimonium ignorare possent, cum ex his quæ hodie dum supersunt ejus catalogi exemplaribus nusquam tunc non obvium eum Codicem fuisse verosimillimum sit? An etiam Pontificalis libri ab ineunte sæculo VIII exarati, an Codicis Palatino-Vaticani, quem ad annum 826 conscriptum fuisse diximus: an demum Anastasii synchroni Petro diacono, ut conjicimus, auctoris testimonia, queis Damasus disertissime Hispanus dicitur, utrumque hunc scriptorem omnino latuisse volumus? (Mitto, si qua de eodem argumento veterum scripta tunc temporis exstantia ad nostram ætatem non pervenerunt, aut usque in bibliothecis latent.) Aut si e contrario ea omnia perspecta habuere, quo pacto Damasum nedum privata ipsi opinione Romanum credere, sed palam e suggestu frequenti populi concione, atque editis etiam libris propagare; seu, quod eodem redit, secundum pontificum catalogum, atque Anastasium, veteresque alios Codices contrarium asserentes proscribere ac diffamare ausi fuissent? Præterea si nulli, quem noverimus, antiquiori aut synchrono scriptori in mentem uspiam venit Damasum Romanum facere, quo pacto COMPATRIOTÆ verbum, nec non comma UNA GENITOS PATRIA eo respectu ab his auctoribus scripta aut prolata fuisse credibile est, quasi uterque sanctum pontificem ea enuntiatione Romanum, æque ac Laurentium intellexerit?

Ulterius, acta de quibus agimus Romæ scripta fuere, Romanosque in eis alloqui plane videtur ipsorum auctor, ut ex simplici locorum Urbis in quibus nonnulla a Damaso gesta memorantur designatione, quam alias nemo nisi Romanus aut in Urbe versatus intellexisset, manifestum est. Consulto aliqua actorum loca e regione adjunximus (*a*). Baronius quoque, ut alibi diximus, *ea in Ecclesia olim recitari solita fuisse* asserit, quod ego de *Romana* interpretor, alias particularem ille Ecclesiam designasset. Præterea Petrus ille apostolicæ sedis diaconus, Romanus profecto, saltem Urbis incola fuit, ut ex ipsius gradu ac dignitate liquet; locus ex quo sermonem de Damaso habuit Laurentianæ Basilicæ suggestus, centrum videlicet Urbis: quare Romanam omniumque ordinum concionem fuisse necesse est: quo ergo pacto Petrus ille Diaconus atque Actorum scriptor, Romani cum essent et Romanos alloquerentur, si itidem Laurentium et Damasum Romanos credidissent, eos media in Urbe COMPATRIO-

A TAS, atque UNA GENITOS PATRIA dicerent assererentve, quin effusis adstantis populi lectorumque cachinnis exciperentur? Aut cur si Damasum uterque ille scriptor Romanum credidit, non omnium aut eorum potius qui in concione aderant Romanorum, quam unius Laurentii COMPATRIOTAM diceret?

Hæc non satis Merendam considerasse puto, priusquam ad Actorum verba responderet. *Civis* appellatio pro qua, cum patriæ communionem designamus, CONCIVES, COMPATRIOTAS infima Latinitas reposuit, uti iis qui extra patriam versantur usitatissima est pietatis in communem parentem tessera, ita in patria degentibus, si quis ea cives suos alloqui vellet, insolens esset ac plane jocularis. Fingamus apud Suetonium aut alium ex Romanis scriptoribus de B Cæsare loquentem legi, Brutum exempli causa hortos quos Cæsar in Transtiberina regione possidebat (*b*) ab eo petiisse, ut in eis Cassio COMPATRIOTÆ suo villam inædificaret (queis omnino metis Damasi a Valentiniano postulatum concluditur); nonne a mimo hæc aut histrione potius quam ab historico profecta putaremus, cum res media in Urbe atque inter Romanos ageretur? Cur igitur magis scriptor Actorum aut Petrus ille Diaconus, cum uterque Romanus esset, Damasumque itidem Romanum putaret, eum in Urbis centro et frequenti concione Romanorum Laurentii COMPATRIOTAM ineptissime diceret? Hæc quicunque conciliare studeat nihilo plus agat quam si se Romæ præsens extra Romam C quærat. Nos tamen e diverticulo in viam redeamus.

Sanctus Ado Viennensis archiepiscopus, qui sæculo IX Martyrologium ejus nomine evulgatum conscripsit, de Laurentio martyre loquens, inducit eum a tyranno quis qualisve esset rogatum, atque in hæc verba respondentem (*c*): *Quantum ad genus* HISPANUS *sum, eruditus, ac nutritus* ROMÆ, *et a cunabulis Christianus*. Hæc autem si semel ab adversariis fidem impetraverint, negotium universum transigere palam est. Consulto limitationem addidi, qui sciam Blanchinum (*d*) Laurentiana Adonis Acta, cum his quæ vulgo circumferuntur, Surii scilicet (*e*), sancti Maximini Trevirensis (*f*), et Vaticani Codicis (*g*), nec non cum his quæ Donato Servitano falso attributa sunt a non nemine (*h*), velut infirma ac nullius D fidei ad agnatos, ut aiunt, et gentiles ablegare; verum, quod ejus pace dixerim, aliter sues, aliter olent catuli.

(*a*) *Et habitavit* (Liberius) *extra, milliario tertio in cœmeterio quod dicitur Noella, via Salaria* (*Acta Damasi, ap. Sarazan.*, pag. 42).

Erat autem non longe a cœmeterio Noellæ cœmeterium Ostrianum (*Ibid.*, pag. 45).

Et die tertio veniens Damasus ad ecclesiam sancti Petri expiavit locum illum qui est ad dextram introeuntibus basilicam sancti Petri (*Ibid.*, p. 46).

Quibus occurrens Damasus venerandas reliquias (sanctorum Juliani et Cæsarii) *ad palatium usque deducens infra imperiale cubiculum venerabiliter recondidit* (*Ibid.*, pag. 50).

(*b*) Trans Tiberim longe cubat is prope Cæsaris hortos.
(*Horat.*, serm. lib. I, sat. 9, 18).

(*c*) Sanctus Ado in ejus Martyrol., ad diem 10 Aug.

(*d*) Annot. 105 in Orationar. Gothic. inter Prolegomena oper. liturgic. ven. card. Thomasii, pag. 283.

(*e*) Habentur apud ipsum (*Tom.* IV, *ad diem* 10 *Aug.*).

(*f*) Laudatur ejus apographum a PP. Bolland. (10 *Aug.*, § 12, n. 119).

(*g*) Integra habentur in Prolegom. Blanchini ad op. liturgic. ven. card. Thomasii (*Annot.* 106, pag. 293).

(*h*) Fr. Bonav. Ausina seu qui sub eo nomine

Scio equidem acta Laurentii in quorum exordio A præmittuntur res gestæ sanctorum Abdon et Sennen e Perside abductorum, obitus Decii et Valeriani, atque alia parum cum historica veritate cohærentia, merito a criticis ad fabulas amandari, ut nos jampridem Baronius docuit (*a*). Eodem depravationis aut interpolationis vitio laborare agnoscimus Acta in quibus Decii imperatoris in Persas expeditio legitur; eam enim quod nec rationi temporum, neque aliis quæ certa historiæ fide nituntur congruere aut accommodari valeat, suspectam et plane imaginariam deprehendit ac demonstravit summus cardinalis Norisius (*b*), quem Senior Pagius (*c*) Dominicus Georgius (*d*), aliique recentiores critici secuti fuere. Nec majori in pretio ea Laurentii Acta habenda sunt, quæ sanctorum Sixti et Hippolyti sub communi titulo passionem B continent, a Blanchino itidem ex Veteri Vaticano IX (ut ipse asserit) sæculi Codice ante paucos annos evulgata (*e*), ut suam de Romana Laurentii civitate sententiam confirmaret; in his enim nedum fictitia illa Decii in Persas expeditio, sed, quasi hoc ad infirmandam eorum fidem non sufficeret, gesta insuper sanctorum Abdon et Sennen, morsque Decii et Valeriani impp. legitur, quem triplicem falsitatis Laurentii Actorum characterem esse diximus, ut vel hinc argumenti, quod ex eo Codice in nos Blanchinus urget vim atque efficaciam perpendamus (*f*).

Hæc fere communis Laurentii Actorum contagio facillime serpere, et quod de eodem argumento germanum supererat inficere, vulgarique tandem de vitiatis sanctissimi martyris Actis præjudicio locum facere potuit; ut nullus exinde fidei eorum tuto se committere, aut in re dubia ipsorum pro se testimonium adducere audeat. Eadem fortassis de causa, et quod non desit etiam quod hæreas in Adonis opere, clarissimus Theodoricus Ruinartius Laurentii passionem a Prudentio nostro elegantissime descriptam, sparsaque hinc illinc veterum Patrum testimonia vulgatis sanctissimi martyris, ipsisque etiam Adonianis Actis prætulit, quæ præclaro operi suo insereret; commune subinde Laurentii Actorum naufragium pronuntians (*g*). Verum, si vel pauxillum nobis a tanto viro dissidere liceat, non eodem Adonem cum cæteris Laurentii Actorum scriptoribus censu æstimari oportuit (*h*).

Æquiores sane erga Adonem fuere Bollandiani Patres, quanquam eos Ruinartii judicium latere non poterat. Itaque cum Surii, Apographi Trevirensis, et alia quæ vulgo circumferri solent Laurentii Acta, ut apocrypha aut depravata rejecissent proscripsissentque, Adoni nihilominus suum constare honorem, neque ad gregarios Actorum scriptores ablegandum jure merito censuere. Sistimus eorum verba (*i*): *Inseruit Ado Acta S. Laurentii, seu eorum, si mavis, compendium e longiori uti suspicamur narratione, quæ sibi præluxerit extracta; in quibus ea referuntur quæ ad sanctum Laurentium propius pertinent, sine parergis illis quæ in exemplari apud Surium, nec non in Apographo Trevirensi imperite immixta sunt.*

Præterea nihil in Adone de Gestis sanctorum Abdon et Sennen, nec de Decii in Persas expeditione, aut improvisa ipsius ac Valeriani morte legimus, quem triplicem esse falsitatis Laurentii Actorum characterem nuper dicebamus; ut proinde nullus ex hoc capite suspicioni locus sit vitium in eis esse. Narrationis porro reliquæ argumentum binis aliis Codicibus a Bollandianis Patribus allatis (*j*), ipsique etiam Prudentii hymno mirifice congruere palam est; ut mirandum non fuerit si inter alia quæ Adoni ad seriem Actorum de quibus agimus attexendam usui fuerunt, noster quoque Prudentius præluxisset.

Unum nobis nonnihil scrupuli injicere potest, quod sub Decio Laurentium passum disertissime affirmet Ado, cum alioquin indubium sit anno demum CCLVIII sub Valeriano imperatore, Tusco et Basso coss., Cor- C nelio Sæculare Urbis præfecto, martyrii coronam adeptum, cum solidum sexennium effluxisset a Decii morte; verum venia carere non debet is scriptor qui pridem id in Eusebii Chronico legisse potuit (*k*), unde error iste latissime in posteros emanavit, ut nos Baronius docet (*l*). Nec tantum locus is Eusebii, priusquam ad chronologiæ regulas exigeretur scriptoribus passim errandi occasio fuit; sed et postquam Pontii diaconi, Cypriani et aliorum testimoniis, atque ex temporum ratione compertum fuit, Decium multo pridem obiisse, et Laurentium sub Valeriano passum: varia deinceps ab auctoribus excogitata sunt, quibus Eusebii sententiam tuerentur, tanta erat hujus scriptoris auctoritas. Itaque alii Valeriano quidem Urbis præfecto, Decio tamen imperatore, Laurentium passum; alii Gallienum filium, qui cum pa- D

latet in opusculo: *De Vita et Passione sancti Laurentii: Salmanticæ*, 1636. Videndus cl. Augustinus Salesius civis meus in epist. ad eruditiss. Gregorium Mayansium, sub finem operis *Censura de las Historias fabulosas*. Valentiæ, 1742.

(*a*) In not. ad Martyrol. (10 *Augusti*.).

(*b*) Diss. III, de Epochis Syro-Macedonum (*Cap.* 20, *col.* 363, *ad* 366, *tom.* II, *nov. Edit. Veronen.*).

(*c*) Ap. Bolland. (10 *Aug.*, § 12, *num.* 124.).

(*d*) In not. Martyrol. Adonis (*Die* 10 *Aug.*).

(*e*) Annot. 106 in Orationar. Goth., in Proleg. op. ven. card. Thomasii, pag. 293.

(*f*) Antonius Maria Lupi S. J., in egregio opere quod *Epitaphium Severæ Martyris* inscribitur (pag. 7), alia recenset S. Laurentii Acta, quibus ob intrusam historiam de quadam Tryphonia Decii Cæsaris concubina minime fides a criticis accommodatur.

(*g*) Acta Martyrum sincera, a pag. 180.

(*h*) Notandum, Ruinartium ea tantum Acta in opus suum admisisse, quæ omni penitus dubio carere intellexit. Sic enim ait in Præfatione, pag. XII: « Si autem aliquis nonnulla Acta ex his quæ a me forte rejecta sunt sincera judicaverit, non refragabor, modo id argumentis certis probare queat. Alias unusquisque in suo sensu abundet. »

(*i*) Ad diem X Aug., § XII, n. 121.

(*j*) Signata sunt P. Ms. 10, et P. Ms. 21, et relata a Bollandianis, loco proxime allegato, num. 119.

(*k*) « Decius, cum Philippum patrem et filium interfecisset ob odium eorum, in Christianos persecutionem movet, qua Laurentius diaconus Romæ martyrium dixit. » Euseb., Chronicor. lib. posteriore, in Decio.

(*l*) In not. ad Martyrol. X Aug., litt. B.

tre Cæsar imperavit, Decii prænomen habuisse contra veterum scriptorum numismatumque (a) et inscriptionum fidem commenti sunt, cum tamen locus Eusebii ex his quæ Baronius ibidem affert, corruptus aut interpolatus esse (b) videatur.

In tanta igitur tamque communi erroris lue nihil plane mirandum si Ado, sæculi IX scriptor (cujus ætate jacebant prorsus chronologica studia), vulgari aliorum præjudicio ductus, inexplorata temporum ratione Laurentium sub Decio passum fuisse affirmaverit; atque eo minus, quod ipsi gesta et passiones martyrum ex vero referre, potius quam temporum rationes ad chronologiam exigere propositum fuisset. Quin etiam non semel suspicatus sum, Prudentium quoque nostrum vulgaris præjudicii turbine abreptum in eam sententiam inclinasse, ut crederet sub Valeriano, non Cæsare sed Urbis præfecto passum fuisse Laurentium; cujus mihi rei crebra in ejusdem hymno præfecti mentio (c) conjecturam facit; licet eum fortassis ob metrum nunquam nominaverit. Id ego tamen in medium relinquo.

Si cui tamen propositum fuerit Adonis testimonium, quo loco Laurentium sub Decio passum affirmat, tueri, et cum aliis Auctoribus conciliare, dicere quidem possumus τὸ *sub Decio* ab Adone pro *in persecutione Decii* positum fuisse, nam et sub Valeriano persecutio de qua agimus Decii nomen retinuit; eoque sensu verissime sub Decio passum Laurentium dici ab Adone potuisse. Quanquam etenim Augustinus, Severus Sulpicius, Orosius et alii (d), Decii et Valeriani persecutiones sejungant; prioremque illam septimam, hanc vero octavam perpetuo appellent, quam sententiam receptiorem esse non negaverim: non desunt tamen ex veteribus Patribus qui utramque unam, bicipitem tamen hydram fuisse contendant, ut præter varia ex Martyrologiis et Actis Martyrum A exempla quibus ea persecutio utriusque imperatoris nomine promiscue designatur, Optati testimonium (e) asserentis sub uno leonis typo utramque a Daniele ostensam, et aperta Hieronymi (f) auctoritas evincit.

Sunt qui id ea de causa factum existiment quod Decius Valerianum sibi imperii collegam asciverit (g), quod nemini veterum probari Baronius ait; imo e contrario scimus eum primum ab exercitu Rhetico imperatorem salutatum. Rei ergo veritas ex eodem Baronio petenda est, cujus propterea verba dabimus quam fieri poterit contractius (h): *Cum Decius,* inquit, *amplissimam potestatem Valeriano ex senatusconsulto tribuisset, ut scribit Trebellius Pollio, nec tantum censuram more majorum, sed auctam condendarum sponte legum imperio, hinc factam ut quæ adversus* B *Christianos promulgata sunt, non secus atque edicta cætera, Decii ac Valeriani nominibus inscriberentur; eoque communi titulo indictam initio persecutionem ad Valeriani tempora perseverasse; præsertim cum huic nihil opus fuisset novas in Christianos leges scribere, siquidem priores illæ a Decio promulgatæ adhuc vigebant* (i).

Ex eo autem clarissimus Annalium parens descendere putat Decii et Valeriani persecutionem sæpe communi, interdum alterius tantum imperatorum nomine, promiscue tamen appellari; Decii præsertim qui eam forsan primus indixit, quanquam jam pridem e vivis ereptus fuisset; subditque huic rei confirmandæ exemplum luculentissimum in persecutione Diocletiani et Maximiani, quam vel post sublatos C auctores eorum nomen sub Galerio Armentario, qui eam sævissime exercuit, retinuisse, ex variis martyrum Actis, et apertissimo Eusebii testimonio (j) convincitur. Ex hac autem Decii et Valeriani nominum communione, ut hoc in transcursu moneam, non levis mihi suspicio incidit, ex vera fortassis Valeriani in Saporem Persarum regem expeditione, fictitiam illam

(a) Gallieni prænomina Publius Licinius. In nummis etiam Græcis Egnatius et Valerianus interdum legitur. Videndi rei numismaticæ scriptores, ap. Patarol, in Gallieno.

(b) Sane verba illa: *qua* (persecutione) *Laurentius Romæ martyrium dixit*, in Petaviano et Bongarsiano Eusebii Codicibus non habentur. De quo videndus Jos. Scaliger Animadvers. in Chronicon Euseb., Edit. Amstelod. 1658, pag. 235, col. 2. Imo cum eadem fere ad verbum legantur apud eumdem Euseb. (Lib. VI Hist. Eccl., cap. 39, nisi quod pro *Laurentii* substitutum est *Fabiani* nomen, suspicari possumus ex Historia in Chronicum eam periodum translatam fuisse. Sistimus Eusebii locum ex Historia: Διαδέχεται Ῥέκιος· ὃς δὴ τοῦ πρὸς Φίλιππον ἔχθους ἕνεκα, διωγμὸν κατὰ τῶν Ἐκκλησιῶν ἐγείρει· ἐν ᾧ Φαβιανοῦ ἐπὶ Ῥώμης μαρτυρίῳ τελειωθέντος, Κορνήλιος τὴν ἐπισκοπὴν διαδέχεται. Similia item, imo eadem fere utrobique sunt quæ sequuntur de Alexandro Hierosolymorum episcopo.

(c) Versat famem pecuniæ
Præfectus Urbis regiæ. (Stroph. XII.)
Lætus tumescit gaudio
Præfectus..... (Stroph. XXXIII.)
Præfectus horrescit stupens. (Stroph. XLVI et alibi passim.)

(d) Apud Baron. in not. Martyrol., litt. B.

(e) « Quod bellum (inquit) persecutio dicitur, quæ peracta est sub duabus bestiis ex illis quatuor quas Daniel de mari ascendentes aspexit. Hæc erat persecutio sub Decio et Valeriano. » Optat. Milev. lib. III.

(f) In Vita Pauli Eremitæ sub initium: « Sub Decio et Valeriano persecutoribus quo tempore Cornelius Romæ et Cyprianus Carthagine felici cruore damnati sunt », etc. Idem lib. de Script. Eccl. in Methodio: « Sub Decio et Valeriano in Chalcide Græciæ martyrio D coronatus est. »

(g) Zonaras apud Baron. in not. Martyrol., litt. B.

(h) Baronius, ibid.

(i) Vid. Senior Blanchin. qui tom. II Anastasii in Sixto sect. XXV, pag. 225, in not. historicis multiplicem aliam conjecturam affert, ut suadeat Decii et Valeriani persecutionem non injuria pro eadem a veteribus habitam.

(j) Lib. VIII. Hist. Eccl. cap. 2. Cœpit ea persecutio anno imperii Diocletiani XIX, Christi CCCII, aut sequenti, nam auctores de eo variant; cumque continenti decennio Ecclesiam afflixisset, ut idem Eusebius testatur (eod. lib., cap. 16), binis tantum prioribus annis Diocletianus ejusque collega Maximianus Herculius eam exercuere: octo autem sequentibus Galerius Maximianus Armentarius; cujus etiam tempore persecutio priorum imperatorum nomen retinuit, *Diocletiani* et *Maximini*-Herculii constanter in Actis et Martyrologiis appellata.

de qua pridem diximus Decii, commutato tantum auctoris nomine natam fuisse. Sed hæc parum comperta sunt.

Illud mihi, ut ad rem redeam, extra controversiam videtur positum, longe majorem imo aliam fidem inesse Adonianis Actis, quam iis quæ ex Surio, Apographo Trevirensi, et Vaticano Codice a Blanchino evulgato retulimus; imo citra Adonis injuriam, minime ipsius Acta cum reliquis quæ vulgo circumferuntur conferri posse, aut indifferenter ad vitiata relegari. Baronius quoque dum ab Actis quorum exordio sanctorum Abdon et Sennen gesta permittuntur cavere nos jubet, subdit continuo (*a*) : *Hoc idcirco dixerimus, ut sciat prudens lector illa a germanis sancti Laurentii actis separare.* Frustra autem id monuisset summus ille vir, si aut nulla tunc non vitiata exstitissent Laurentii Acta, aut omnium æque fidem et auctoritatem sublestam atque infirmam credidisset. Quidni autem præ aliis Adonis Acta sinceriora putaverit, atque ad ea sermonem intenderit, cum nullum in ipsis ex triplici illo quem nuper dicebamus falsitatis charactere reperisset, et alias simplicior magisque sibi constans sit narrationis eorum series?

Quæ quanquam ita sint, nolumus tantam Adonis Actis auctoritatem tribui cui tuto assentiri possumus; nec eorum testimonium cum iis sanctorum martyrum Actis conferri, quæ ab oculatis testibus, aut synchronis auctoribus conscripta fuisse constat. Non desperamus tamen saniores criticos ob unam Adonis auctoritatem, etsi alia deessent, nonnihil in sententiam quæ Hispanis favet propensiores futuros; reliquos vero, quorum ea demum magna voluptas est nova in vulgus emittere, cohibendos, ne scilicet Adonem de Laurentii patria disserentem (cui ea in re nemo hactenus litem ante Blanchinum intentaverat, longissimaque et fere sesquimillenaria auctorum consensio mirifice astipulatur) non satis ex fide quæ historicum decet locutum fuisse affirmare deinceps audeant.

Optime id perspectum habuere Bollandiani Patres, quos, præter constantem Hispanorum traditionem, unum Adonis testimonium in receptissimam de Laurentii patria sententiam procliviores reddidit : *Per nos* (inquiunt [*b*]) *tametsi in promptu non habeamus, quæ vellemus, antiquissima testimonia quibus Hispanorum traditioni ac possessioni patrocinemur; per nos, inquam, non stabit quominus pia Hispanorum natio sanctum Laurentium pro suo habeat, tanquam suum invocet, ac constanti religione colere pergat; præsertim* A *cum jam inde a sæculo nono sanctum pro Hispano habitum inveniamus in Adonis Martyrologio hac die, ubi sic martyr loquens inducitur :* QUANTUM AD GENUS HISPANUS SUM, ERUDITUS AC NUTRITUS ROMÆ. Et mox in notis ad Adonis Martyrologium (*c*) post verba, QUANTUM AD GENUS, etc. : *Ex his potissimum* (inquiunt) *vocibus sanctum Laurentium Hispanis dedimus.* Alibi autem de Petro illo diacono, quem de Damaso sermonem habuisse diximus, loquentes, aiunt (*d*) : *Quanquam vero exploratum nobis non sit, an aliquis ex memoratis Petris diaconibus Acta illa sancti Damasi, quæ supra allegabat Baronius conscripsit; quia tamen eminentissimus ille affirmabat ea in duobus Codicibus pervetustis exstare*, ideo non pœnitendum accedit robur sententiæ Hispanorum sanctum Laurentium B sibi tanquam popularem ascribentium.

CAPUT III.

Novi pro Hispanorum sententia conatus.

Hactenus pro Hispanis allata, si Merendæ confutationem demas, priores edixere Bollandiani Patres. Neque ipse ubi illustrandæ Laurentii patriæ nihil non jam a summis viris magno utrinque molimine tentatum, omnia tamen conclamata esse comperio : laborem hunc nostrum, susceptis antehac de eodem argumento aliis præstabiliorem fore sperare debui. Verum præter insitam homini in abditiora quæque penetrandi cupiditatem, illud vehementer animum meum stimulabat, quod in extremo nostratium scriptorum de Laurentii patria neglectu, adversarios nihil non expertos fuisse animadverterem, quo novæ C opinioni pondus atque auctoritatem adderent. Num vero jacta, quod aiunt, alea qualequale operæ pretium fecerim, lectorum erit arbitrium atque existimatio.

Primo autem omnium loco scire debemus sub initium sæculi VII, saltem ab anno DCXXXIII, quo Toletanum concilium IV sub Sisenando Wisigothorum rege habitum fuisse constat (*e*), ritum celebrationis missarum, atque adeo missalem seu sacramentarium Codicem quo Ecclesiæ Hispaniæ utebantur, si unum aut alterum peculiare festum ritumve excipias, eumdem omnino fuisse atque is quem Galliæ Gothicæ seu Narbonensis Ecclesiæ, necnon ejus Aquitaniæ tractus qui Hispanis tunc regibus parebat ad sacram D liturgiam adhibebant; prout ex ejusdem concilii auctoritate (*f*) peritiores liturgici (*g*), a quibus nec Blanchinus dissentit (*h*), agnovere.

Et illud sciendum nobis est, missalem Gothorum Codicem proprie dictum, id est, quo per ea tempora Hispaniarum Ecclesiæ utebantur, non minus quam

(*a*) In not. ad Martyrol., litt. A.

(*b*) Ad diem X Aug., § X, n. 106 sub finem.

(*c*) Ead. die, sub tit. : *Acta alia, litt. Q.* Ed. Ven, pag. 520.

(*d*) Ad diem X Aug., § X, n. 104.

(*e*) Suspicari possumus, eam sacræ liturgiæ inter Hispanos et Gallo-Gothos communionem jam inde a III concilio Toletano sub Recaredo ad annum DLXXXIX habito descendere, ut in ejusdem canone 2 innui videtur.

(*f*) Conc. Toletan. IV sub Sisenando ann. DCXXXIII cum alibi, tum maxime can. 13 ibi : *Sed pari modo Hispania Galliaque* (Narbonensis scilicet quæ Sisenando parebat) *celebret.*

(*g*) Card. Bona, Rer. Liturgicar lib. I, cap. 12, n. 6; card. Thomasius, in Præf. tom. VI de Missali Gothico-Gallicano apud Murator. Liturg. Romana Vetus, tom. II, pag. 513, Mabillonius in Præf. Sacramentarii Gallicani, n. 4.

(*h*) Annot. XVI in Orationarium antiquiss. Ritus Goth., pag. CLIV.

Gothico Narbonensis et Gothico Aquitanicus, longe diversos fuisse ab iis missarum Codicibus qui tunc apud Romanos obtinebant; neque id tantum quoad calendaria et seriem festorum, quorum alia alibi celebrari minime mirandum foret; sed etiam quoad libri syntaxin atque œconomiam attinet; prout cuivis Missale Gothico-Gallicanum Thomasii, cum Gelasiano ab eodem ven. cardinali evulgato, nec non cum triplici Gregoriano, Pamelii, Rocchæ, et Menardi Codice conferenti manifestum e vistigio fiet (*a*).

Tertio sciendum est Missale Gothico-Gallicanum seu Narbonense, cum reliquarum Galliarum Belgicæ, Celticæ, et Francicæ Missali, quod ad utriusque structuram, missæque celebrandæ ritus partesque spectat, uniformem fuisse : dissimilem tamen quod ad collectiones, calendaria et Contestationes attinet; maxime vero quoad festorum seriem, quæ alia atque alia in unoquoque tractu celebrabantur. Prior hujus theseos pars emin. Bonam (*b*) et Thomasium (*c*), nec non Mabillonium (*d*), Blanchinumque ipsum (*e*) auctores habet : posteriorem autem Missalium inter se collatio demonstrabit; singula enim Missalia celebriores in ea regione aut provincia ad quam pertinent solemnitates exhibent; atque ex iis, ubi titulus Codicibus deest, liturgici conjiciunt cujus olim Ecclesiæ Missale fuerit.

Nec quem moveat card. Thomasii auctoritas dicentis (*f*) : *Ipsummet missæ tenorem fuisse per Gallias sive Narbonensem et Aquitanicam, quæ olim Wisigothis paruerunt, sive Celticam et Belgicam, ubi Franci sui regni exordia in Galliis sumpserunt;* ea enim de Missalis structura, deque missæ partibus ac precum in ea dicendarum serie; non autem de Collectionum, aut Contestationum, multoque minus de Festorum et calendarii similitudine atque uniformitate interpretanda est, idque ex ipsius ven. cardinalis mente; is enim paulo inferius (*g*) de Francorum Missali loquens (quod ad Pictaviensem Ecclesiam pertinuisse Morinus (*h*) voluit) hæc habet : *Illud tantum subjungo, hoc Francorum Missali plane demonstrari veterem Galliæ ritum in missa, dissimilem in multis a Romano; consimilem vero,* SI PRECUM SERIEM ATTENDAMUS (notanda hæc verba sunt), *Gothico Gallicanoque Missalibus hic editis.* Consonat Mabillonius (*i*) qui Boviense Sacramentarium provinciæ maximæ Sequanorum, ideo non in omnibus cum Missali Gothico-Gallicano convenire ait : *Quia etsi in Ecclesiis Galliarum ante Caroli Magni principatum fuerit uniformis celebrandæ missæ ritus, eædemque* A *partes; non tamen eædem erant ubique collectiones, lectiones et contestationes... Non itaque mirum* (pergit), *si provincia Narbonensis, quæ Gothorum imperio tunc parebat, non in omnibus consenserit cum aliis Gallicanis provinciis.*

Jam vero duplicis hujus inter utrumque Missale diversitatis originem, quia mirifice proposito nostro favet, libenter adducam. Et quidem orationum dissimilitudini, diversitas imperii causam dedisse potuit; ea etenim obstabat ut Narbonensis provinciæ Patres (quos alias Toletum ad concilia convenisse scimus) cum cæteris Galliarum episcopis in unam nationalem synodum coirent; festa vero unicuique diœcesi peculiaria fuisse manifestum est; eorum enim singulæ provinciæ sanctorum solemnitates (præter Christi, B beatissimæ Virginis, et Apostolorum quæ omnium Ecclesiarum communes erant) in earum calendariis exhibebant celebrabantque : quorum insignis rei per eosdem in iis Ecclesiis gestæ, susceptique episcopatus, prædicationisve aut passionis memoria exstaret; præsertim vero quorum sacræ exuviæ in ipsis requiescerent Actave martyrii eorum haberentur.

Id nos quidem, nisi res expedita esset, multiplici ex veteribus Ecclesiarum liturgiis prolato exemplo demonstrare facile possemus. De exuviis autem atque Actis martyrum Cl. Ruinartium ex abundanti (*j*) prædem sistimus, imo Blanchinum nobis ex parte consentientem habemus (*k*). Hic enim Auctor de sacris beatissimi protomartyris Stephani exuviis, quas insignis nostras Paulus Orosius sub sæculi v initium C ex Africa in Hispaniam detulit (*l*), loquens : hanc causam subesse putat, cur ex eo tempore sanctissimi protomartyris officium in Hispania fieret; addere insuper potuisset, ut solemniori ritu Stephani natale apud Hispanos, præ aliis insignium domesticorum martyrum festis celebraretur. Sed de his fortassis alias.

Nunc autem, ut scopo propiores fiamus, videndum nobis est, num ineunte sæculo VII, aut non longe ab iis temporibus fuissent alicubi apud Hispanos reliquiæ sanctissimi levitæ Laurentii? Bollandiani Patres, qui de eo argumento ex professo egere, enumeratis urbibus per Germaniam, Belgium, Galliam atque Orientem quæ sacra hæc pignora possidebant (*m*), altum de Hispania nostra silent; cui proinde usque D ad Philippi II regis tempora, exstructumque ab ipso ac dicatum sanctissimo levitæ insigne Scorialense cœnobium, non licuit esse tam beatæ. De his autem sæculis quæ Laurentii mortem consecuta sunt Pru-

(*a*) Exstant Gelasian. et Gregorian. in Dissert. Cl. Muratorii de Liturg. Romana veteri Venet. edita 1748.

(*b*) Apud card. Thomasium in præf. Miss. Goth. Francor. et Gallican., tom II. Diss. de Liturg. Romano veteri a Murator. ed., pag. 514.

(*c*) Card. Thomasius in ea præfatione.

(*d*) Præfat. Sacramentarii Gallicani Boviensis, n. 2. Diss. Murator., tom. II, pag. 770.

(*e*) Annot. XVI in Orationar. antiquiss. ritus Goth., pag. CLIV.

(*f*) In ead. præfatione, § *de Missali Francor.* sub finem.

(*g*) Loco proxime allegato.

(*h*) Apud card. Thomasium, ibidem.

(*i*) Præf. in Sacram. Gallican. Boviense, n. 7 apud Murator., tom. II, Diss. de vet. liturg., pag. 771.

(*j*) Præfat. in Acta martyr. sincera, n. 18.

(*k*) Annot. XII in Orationar. antiquiss. ritus Goth. sub fin., pag. CXLIX.

(*l*) An sacræ beatissimi protomartyris exuviæ aliquando in Bracarensem Ecclesiam quo missæ fuerant pervenerint, subdubitare videtur Cl. nostras Nic. Antonius, lib. III Bibl. Hisp. veteris, cap. 2, n. 43, pag. 187.

(*m*) Ad diem x Aug., § III et VII, n. 65.

dentium locupletem testem adducimus, qui postquam inclyti martyris passionem elegantissime descripserat, sepulcri laudem pie Romanis invidet, quodque sacra ipsius ossa præsentes venerari possent. En verba Prudentii (*a*) :

> O! ter, quaterque, et septies
> Beatus urbis incola,
> Qui te (Laurenti), ac tuorum cominus
> Sedem celebrat ossium.

Et paucis interjectis :

> Sed qui caremus his bonis,
> Nec sanguinis vestigia
> Videre coram possumus,
> Cœlum intuemur eminus.

Ad Acta Laurentii quod attinet, dubitant merito iidem Patres (*b*), num primæva et genuina sæculo quinto Romæ aut alicubi exstiterint; ut vel hinc conjicere jam possimus ea non usque adeo mature in ultimam Hesperiam devenisse. Scimus præterea Laurentium, si unquam ex Hispania nostra pedem extulisse adversarii nobis concedunt, nunquam eodem regressum fuisse (nam quæ non nemo de ipsius et Sixti papæ itineribus fabulatur, omni prorsus veritatis specie destituta sunt); altum item a puero et educatum Romæ, atque ibidem levitæ gradum et archidiaconi dignitatem adeptum; passum denique ac tumulatum in Urbe : prorsus ut si patriam excipias, neque Hispani ipsi diffiteamur cætera Romanum fore Laurentium (*c*).

Nihilominus tamen in eo quem nuper dicebamus Gothico-Gallicano missarum Codice, quem Hispaniensem, saltem Hispano affinem non immerito appellare possumus (*d*), cum nec Vincentii levitæ ac martyris celeberrimi; nec Felicis, qui Gerundæ ad clivum Pyrenæi montis, ipsasque adeo Galliæ-Gothicæ fauces martyr occubuit; nec Cucusatis, qui non longe a Barcinone; neque Fructuosi, Augurii et Eulogii, qui Tarracone passi fuere; neque demum alterius ex illustrioribus Hispanis martyribus (præter unam Eulaliam Emeritensem), officium Missave, ac ne mentio quidem in eorumdem natalitiis habeatur; in eo inquam Missali Laurentius noster, nedum in proprio Natali peculiari missa celebratur, quod non usque adeo mirandum foret; sed in festis quoque

(*a*) Stroph. 133, vers. 529.

(*b*) Ad diem x Aug., § xii, n. 125.

(*c*) Vide infra tertiam notarum huic dissertationi sub *Addendorum* nomine adnexarum. Edit.

(*d*) Scio eruditiss. P. Alex. Lesleo (Præfat. Missal. Mozarab., § xvi, num. 293) non probari, Missale Gothicum de quo agimus ad aliquam ex Gothico-Gallicanis Ecclesiis, sed potius ad Galliam Francorum imperio subditam pertinuisse; idque ex triduanarum rogationum ante Ascensionem usu; atque ex non jugi, ac per totos quadraginta dies, Quadragesimali observatione, quæ duo apud Hispanos non obtinuisse asserit; cum aliunde notum sit eosdem ritus ecclesiasticos in Hispania atque Narbonensi Gallia a concilii iv Toletani temporibus usurpatos fuisse. Longe tamen probabilior nobis videtur cardd. Bonæ ac Thomasii, nec non Mabillonii, Lebrunii, Blanchini Annot. vi, pag. cxli, et liturgicorum opinio, qui omnes eum Codicem sine controversia Narbonensi Galliæ inscriptum atque attributum voluere, idque non tantum ex præfixo recentiore *Missalis Gothici* titulo, ut Lesleus asserit, sed ex variis precationibus ex Missali Gothico in eum Codicem translatis; atque ex Gallicanarum synodorum cum ipso consensione, quam ex Agathensis sub Alarico Gothorum rege ad annum dvi celebratæ, canone 13 et 30, Thomasius elicit; nec non ex aliis argumentis et conjecturis quæ apud ipsos videri possunt. Sane vero, præter Laurentii nostri, Sixtique et Hippolyti natalitia in eo de quo agimus Codice expressa, quorum nullum in Luxoviensi, Francorum, Boviensi; neque in Gallicano Vetere, ad Gallias Celticam, Belgicam, et Francicam pertinentibus reperitur : unum mihi Eulaliæ Emeritensis festum in eodem Gothico Missali celebratum, cum in Gallo-Francicis Codicibus (licet alias Eulaliam, claram quoque apud Gallos fuisse, Venantii Fortunati et Gregorii Turonensis testimonio sciamus) altum de ea sileatur : indubiam pene fidem facit, id ex Missali Gothorum proprio ad Galliæ Narbonensis Ecclesias emanasse.— De triduanis autem rogationibus, quod Lesleus objicit, potuit vetus ille Galliarum, infixusque populorum animis mos, vel post concilium Toletanum iv a Gallico-Gothicis Ecclesiis retineri. Quid si eas, quanquam in Gallia institutæ primum fuerint, alicubi etiam apud Hispanos obtinuisse suspicemur? Rhabanus certe (Lib. ii de Instit. cleric., cap. 40) triduanum ante Ascensionem jejunium apud *Ecclesias Occidentis* in more fuisse affirmat. Meminit quoque triduani jejunii D. Isidorus (lib. i de ecclesiast. Offic., cap. 40); sed hoc ab Hispanis post Ascensionem, imo post Pentecosten observatum fuisse, locuples testis est Walafr. Strabo (De Reb. Eccl., cap. 28).— Non jugis autem ac per totos quadraginta dies Quadragesimæ observatio, viguissetne in ea Ecclesia ad quam Codex de quo loquimur pertinuit, incertum plane est; imo arbitror non plus in ipsa, quam 36 diebus esurialibus id jejunium, sicut et in Hispaniarum Ecclesiis, constitisse; alias in eo Codice jejunium a feria iv ante primam Dominicam Quadragesimæ, quæ ob eam causam in sacramentario Gregoriano (Murator., tom. II, ap. Liturg. Rom., col. 300), et ab Amalario (De Offic. eccl., cap. 7), Alcuino (sub epig. : *In cap. jejun.*) et aliis passim *Caput jejunii* inscribitur, incipere omnino debuisset; nec sex hebdomadis Quadragesimale tempus concluderetur. Quod autem in eo Codice « de 40 diebus jejunii *jugiter* a Christo Domino expletis, et *eodem numero dierum* a fidelibus, *minutatim* tamen, ob ipsorum infirmitatem, observato » legitur, neminem movere debet; neque enim necesse est, ut quadragenarium illum dierum numerum ad totidem esuriales dies, quibus vespertina refectio sumebatur, referamus; sed de integro jejunii, id est, Quadragesimali tempore (licet hoc 42 diebus constaret), ob numeri rotunditatem accipi commode potest, quod in concilii Toletani viii, Canone 9 et alibi in Sacramentariis passim factum videmus. *Minutatim* autem ii dies observari dicuntur, forsan quia non id juge, ut olim Christi jejunium, sed Dominicis diebus quater aut quinquies solutum atque interruptum fuit, quod et Isidorus (De eccl. Off., lib. I., cap. 36) innuit, inquiens : *Subtractis enim a Quadragesima Dominicis diebus, quibus jejunia resolvuntur, his 36 diebus quasi pro totius anni decimis ad ecclesiam concurrimus*, etc. — Nec demum tanta erat inter Hispaniæ et Galliæ-Gothicæ Ecclesias, vel post concilium Toletanum iv rituum communio, ut non adhuc in aliquo discreparent; id quod ex xvii concilii Toletani sub Egicane dcxciv habiti canonibus 2 et 3, item ex Egicanis Hortatoria ad ejusdem concilii Patres, colligere est; imo inter ipsas Hispaniæ Ecclesias, nec longe post iv concilii Toletani tempora in Missæ atque Officii ecclesiastici ritibus nonnihil diversitatis fuisse, ex xi itidem Toletani concilii sub Wambane ad annum dclxxv, canone 3 atque ex aliis conciliorum Hispaniæ decretis aperte deducitur.

S. Sixti papæ qui triduo cum in agone præcessit, et S. Hippolyti qui altero post Laurentium triduo martyrium consummavit, tam luculentum fit elogium sanctissimi levitæ, quasi non utriusque illius martyris magis quam Laurentii, imo quasi proprium hujus natale utrobique celebraretur; cum e contrario in ea missa quæ Laurentii propria est, nec verbum de Sixto, neque ulla de Hippolyto mentio vicissim reperiatur. Sistimus integram Laurentii missam; Sixti autem atque Hippolyti, ne molestiam lectoribus exhibeamus, missarum tantum immolationes.

MISSA IN NATALE SANCTI LAURENTII MARTYRIS (a).

Deus fidelium tuorum salvator et rector, omnipotens sempiterne Deus, adesto votis solemnitatis hodiernæ, et Ecclesiæ gaudiis de gloriosa martyris tui passione BEATI LAVRENTI (*sic*) conceptis, benignus aspira: augeatur omnium fides tantæ virtutis ortu; et corda lætantium supplicio martyrum ignientur: ut apud misericordiam tuam illius juvemur merito, cujus exsultamus exemplo. Per Dominum nostrum.

Collectio sequitur.

Deus mundi creator et rector, qui hunc diem in LEVITÆ TUI LAVRENTI (*sic*) martyrio consecrasti; exaudi propitius supplices tuos, et concede ut omnes qui martyrii ejus merita veneramur, intercessionibus ejus ab æternis gehennæ incendiis liberemur. Per Dominum.

Collectio post nomina.

Concede nobis, Domine, gratiam tuam in BEATI LAURENTI martyris celebritate multiplicem: ut de tanti agone certaminis discat populus Christianus et firmam solidare patientiam, et pia exsultare victoria.

Collectio ad pacem.

Sancti LAURENTI nos, Domine, quæsumus precatio justa tueatur: et quod nostra conscientia non præsumit ejus nobis qui tibi placuit oratione donetur. Per Dominum nostrum filium tuum.

Immolatio missæ.

Vere dignum et justum est, omnipotens sempiterne Deus, tibi in tanti martyris LAURENTI laudis hostias immolare: qui hostiam viventem hodie in ipsius LEVITÆ TUI BEATI LAURENTI martyris ministerio per florem casti corporis accepisti. Cujus vocem per hymnidicum u odulamini [*Forte*, modulati] Psalmi audivimus canentis atque dicentis: Probasti cor meum Deus et visitasti noctem (*sic*), id est, in tenebris sæculi: igne me examinasti et non est inventa in me iniquitas. O gloriosa certaminis virtus! O inconcussa constantia confitentis! Stridunt membra viventia super graticulam imposita: et prunis sævientibus, anhelantes [*Forte*, anhelantia] incensum suum in modum thymiamatis divinis naribus exhibent odorem. Dicit enim martyr ipse cum Paulo: *Christi bonus odor sumus.* Non enim cogitabat quomodo in terra positus a passionis periculo liberaretur; sed quomodo inter martyres in cœlis coronaretur. Per Christum Dominum nostrum. Per quem.

IN NATALI SANCTI SIXTI PAPÆ ET MARTYRIS.

Immolatio missæ (*b*).

Vere dignum et justum est, æquum et salutare est, tibi assiduas laudes canere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Per Christum Dominum nostrum. Qui per adventum suum credentes in se A homines ad cœlestia regna transire permisit; quoniam hi qui se tuæ testes offerunt veritatis, inimicum, dum occiduntur, occidunt. Ex quibus est sanctus ac venerabilis SIXTUS martyr, cujus hodie solemnitas celebratur; qui dum apostolicæ sedis accepisset insignia, et se primum esse conspiceret sacerdotum, occasionem salutaris passionis excipiens, non tantum sæculares exuit sordes contagii; *verum etiam exemplum fuit cæteris. Nam mox suus quoque minister eximius venerabilis Laurentius victoriæ palmam imitatus, accepit ornamentum quod debuit pœna subire; ut gloriam mereretur æternam consequere* (sic). Per Christum.

IN NATALI SANCTI HIPPOLYTI MARTYRIS.

Immolatio missæ (*c*).

Vere dignum et justum est, omnipotens æterne Deus, qui beatum HIPPOLYTUM tyrannicis adhuc obsequiis occupatum *subito fecisti* LAVRENTI (*sic*) *socium.* B Qui spirituali ardore succensus, dum unigenitum Filium tuum Dominum nostrum coram potestatibus veraciter confitetur, pœnis subjicitur, vinculis inligatur, cardis [*Forte*, carduis] configitur, equorum ferocitate disjungitur; *et adepta palma martyrii, vita perpetua cum lucratore et magistro* LAURENTIO *coronatur.* Per Christum Dominum nostrum.

Ex hoc autem tam peculiari Laurentii nostri elogio in sanctorum Sixti et Hippolyti natalitiis, quivis e vestigio conjiciet longe majorem sanctissimi illius levitæ, quam horum martyrum rationem in Missali Gothico-Gallicano, atque adeo apud Toletani concilii Patres habitam fuisse. Verum ut paulo id fiat dilucidius, opportunum duxi Gothico-Gallicanum Codicem cum iis Sacramentariis conferre, quæ ad usum C Romanæ Ecclesiæ a summis pontificibus Gelasio et Gregorio Magno ordinata fuisse constat; nec non cum eo missarum Codice, quem Leoniani titulo insignem nuperrime Blanchinus evulgavit.

In triplici ergo hoc Romano Codice, cum si patriam demas nulla non ex parte Romanus futurus esset Laurentius; neque ullius magis quam Romanorum interesset peculiari elogio martyrem sanctissimum celebrare, *de cujus solemnitate* (ut est in Blanchiniano Codice) *peculiarius præ cæteris Roma lætabatur:* præterquam in missis quæ sancti Laurentii propriæ sunt in ejus natalitio, nullam hactenus in Sixti aut Hippolyti, neque in aliorum martyrum festis mentionem, ac ne verbulum quidem de sanctissimo levita reperire mihi licuit; prorsus ut quod ex Gothico-Gallicano Codice Laurentii elogium D retulimus Galliæ-Gothicæ, atque adeo Hispaniæ, ut putamus, nostræ peculiare, nec sine causa ab utraque hac provincia factum existimandum sit.

Est quidem in Blanchiniano Codice (ne quid studiose dissimulare videar) tacita quædam Laurentii mentio in I et II contestatione missarum sancti Sixti, in quibus legitur (*d*): *eum doctrinæ suæ filios ad eamdem martyrii gloriam promerendam incitare*, etc.: *Sixto nedum hoc divinitus datum fuisse, ut proprium passionis triumphum acquireret; sed etiam ut subjectis*

(*a*) Missale Goth. Gallican. ab Em. Thomasio primum editum, et a Cl. Muratorio dissertationi de Liturgia Romana vetere insertum tom. II, col. 627.

(*b*) Apud Murator. Diss. de Liturg. Rom., col. 626.

(*c*) Apud Murator., Liturg. Romana vet., tom. II, col. 628.

(*d*) Tomo IV Anastasii, pag. XXXVI, col. 1, in natali sancti Sixti.

sibi ministris proficeret, gloriosamque magistri palmam, non inferiorem discipuli victoriam consecutam fuisse. Quibus quanquam Laurentium nostrum non obscure designari constet : nusquam tamen extra propriam sanctissimi martyris missam expressum ejusdem nomen aut elogium, ut in Missali Gothico-Gallicano reperitur ; licet septenæ de sancto Sixto missæ, tricenæ vero collectæ atque orationes in eo Codice habeantur. Mitto ter in eodem Sacramentario repetitum Laurentii nomen, sine elogio tamen, in missis defunctorum *pro anima cujusdam episcopi* (*a*), casu enim id factum fuisse ipsi nobiscum adversarii atque inter eos Acamus (*b*) agnovere.

Nunc autem a Romanis ad Belgicæ, Celticæ et Francicæ Galliarum Missales Codices transitu facto, nullam prorsus in iis Laurentii nostri mentionem fieri comperiemus ; proinde quasi nec si uspiam gentium levita sanctissimus vixerit, Ecclesiæ aut incolæ harum regionum inaudiissent. Id vero num de omnibus ejus Galliarum tractus Codicibus in universum affirmari possit, non satis exploratum habeo ; in iis certe quos mihi hactenus videre licuit nullum omnino de sancto Laurentio, nec de Sixto aut Hippolyto verbum legitur. Sunt autem, 1. Lectionarium Luxoviense Merovingico charactere exaratum, a Mabillonio (*c*) in ejusdem Liturgia Gallicana editum, quod olim ad provinciam Maximam Sequanorum, id est Vesontionensem pertinuisse idem auctor affirmat. 2. Sacramentarium sancti Columbani, quod ex Bobiensi bibliotheca in Liturgiam Gallicanam idem Mabillonius retulit (*d*), et ad eamdem Vesontionensem provinciam spectare voluit. 3. Missale *Francorum* dictum, a ven. card. Thomasio primum editum, et a Muratorio in Dissertatione de Liturgia Romana recusum (*e*), quod ad Pictaviensem Ecclesiam olim pertinuisse ex Morino Thomasius in ejusdem præfatione censet. Missale demum *Gallicanum vetus* (*f*) ejusdem ven. cardinalis, ad Ecclesiæ Altisiodorensis usum adornatum (uti ex sancti Germani hujus urbis episcopi, quæ unica est de sanctis in eo Codice mentio, conjicere possumus) ; in quibus omnibus nec verbum de sancto Laurentio reperire mihi contigit.

Ex his autem, nisi vehementer ego fallor, liquidum fit Blanchini thesim affirmantis (*g*) : *Martyrologia omnia et calendaria vetustissima.... necnon et Sacramentaria, gloriosissimum in tota Ecclesia Laurentii passionem unanimiter recolere*, non secus atque affinem aliam Cl. Dominici Georgii in notis ad Adonis Martyrologium (*h*) scribentis : « *in libris Liturgicis vetustissimis* ubique gentium apud Occidentales missarum solemnia in natali beati Laurentii prænotari » ; nisi adhibito temperamento e Gallicanis missarum Codicibus, quos paulo ante retulimus, fulciatur, infirmam et plane falsam in universum fore. Scio equidem non dissimilia apud Maximum Taurinensem legi (*i*), scilicet : *triumphum beati Laurentii, totum ubique mundum consona devotione celebrare;* sed ea non paulo generaliora sunt, ac de majori Ecclesiarum parte, pro quo in scholis diceremus *de generibus singulorum*, largius interpretari debent.

Ex silentio autem Gallicanorum Codicum de levita nostro, ut hoc moneamus obiter ; simul etiam ex eo quod in Orationario Tarraconensis Ecclesiæ a Blanchino primum evulgato nulla prorsus de sancto Sixto mentio reperiatur ; ac demum, quod nullam præterea causam subesse videam cur in Hispania nostra, maxime autem in eo Missali de quo loquimur, sanctorum Sixti et Hippolyti natalitia peculiari officio celebrarentur : non semel in mentem venit propter Laurentium, cujus prior ille magister, posterior iste discipulus, uterque vero passionis quodammodo socius fuerat, locum eis factum in Gothico-Gallicano Codice ; ne scilicet quorum unum certamen videri poterat et sæpissime in eisdem Actis legebatur (*j*), in unius Ecclesiæ Liturgia cultu sejungerentur. Sane vero, quibus in Codicibus aut calendariis Laurentii natale sileri contigerit, in iis sanctorum Sixti et Hippolyti solemnitates frustra quæras.

Nunc autem, ut quo hæc demum pertineant videamus, scire omnino a Blanchino vellem : 1. Cum, si Romæ Laurentium adjudicet, non magis jam ad Hispanos quam ad Gallos sanctissimus levita pertinere debeat : cur, altum de eo silentibus Galliarum Sacramentariis, Hispanienses interea Codices tam peculiare Laurentii, non modo in ipsius, sed et in Sixti atque Hippolyti natalitiis elogium contineant ? 2. Cum, una excepta patria, nihil jam Laurentius, seu gradum, dignitatem resque ab ipso gestas, sive passionis aut exuviarum locum spectes, commune cum Hispanis habiturus sit : cur in Gothico-Gallicano Codice nationalium festorum parcissimo, in quo nec Vincentio levitæ, nec Felici Gerundensi, nec Fructuoso, aut aliis Hispanis martyribus illustrissimis locus vel minimus attributus est, tam insignis ac luculenta, neque uno tantum in loco Laurentii nostri mentio habeatur ? 3. Verum fuerit, quod gratis

(*a*) Sacram. Veronense, tom. IV, Anastasii inter Prolegom., pag. L, col. 2, n. 4 et 5. (Vide infra quartam notarum huic dissertationi sub *Addendorum* nomine adnexarum). EDIT.

(*b*) Putat Acamus (Diss. de antiq. Sacramentarii Veronen., part. I, § XII), Missas in quibus hæ collectiones habentur, in die depositionis Sixti PP. III pro ejus requie celebratas ; mentionem autem Laurentii ideo in ipsis factam, quia is pontifex altero post Laurentium die, XI scilicet Augusti ann. CCCCXL vivere desierit.

(*c*) Liturg. Gallican. lib. II, pag. 106. ad 173.

(*d*) Habetur is Codex apud Murator. de Liturg. Romana vet., tom. II, a col. 775.

(*e*) Tom. II, a col. 662.

(*f*) Editum a Muratorio, tom. II, Diss. de Liturg. Rom., a col. 697.

(*g*) Annot. CV in Oration. antiquiss. rit. Goth., pag. CCLXXXII.

(*h*) Ad diem X Aug. Edit. Rom., pag. 392.

(*i*) Homil. II de sancto Laurentio sub finem.

(*j*) Habentur in eisdem Actis SS. Sixti Laurentii atque Hippolyti passiones cum alibi, tum in Cod. Vaticano, cujus verba postremo nobis loco Blanchinus objicit. De quo inferius sermo recurret.

Blanchino damus; fuerit, inquam, præter patriæ communionem causa arcana aliqua, cur in Gothico-Gallicano de quo agimus Codice Laurentii mentio fieret: an ea tanti ponderis exstitisse credenda est, ut propterea natale Laurentii extra Hispaniam ut putat Blanchinus editi, educati atque alti, cujusque nulla ibidem exstabat reliquiarum pars, potius in eo Codice ac solemnius haberetur, quam vel in eodem Eulaliæ Emeritensis (*a*) martyris celebratissimæ, patria, incolatu, passione atque exuviarum loco, nulla denique non ex parte Hispanæ; vel ipsius etiam Laurentii in Codicibus Gelasiano, Gregoriano, atque aliis ad Ecclesiæ Romanæ usum adornatis?

Hæc Blanchino longiuscule petita videbuntur; et fortassis, qua est sagacitate ac doctrina vir, latentem aliquam hujus singularitatis causam in numerato habeat, quæ mihi tamen, ut verum fatear, hactenus nulla succurrit. Ne autem ad Laurentii cultum ubique terrarum late propagatum confugiat, quasi ex eo peculiaris sanctissimi levitæ in Galliæ-Gothicæ Ecclesiis cultus descendat; de silentio Ecclesiarum per Gallias Belgicam, Celticam, et Francicam, hic rursum monendus est. Meminerit præterea Augustinum, non secus ac de Laurentio Maximus, olim de insigni levita ac martyre Vincentio dixisse (*b*): *Nullam ejus tempore regionem, nullam provinciam quousque Romanum imperium vel Christianum nomen extenditur non celebrare Vincentii natale*; quod tamen in iis quos retulimus Galliarum Codicibus, imo etiam in Missali Gothico-Gallicano, frustra Blanchinus quæsierit. Postremo: communem Laurentii cultum per orbem terrarum, utut ejusdem natali inter aliorum martyrum solemnitates in Gothico-Gallicano Codice recensendo causam dedisset: non tamen insigni ac peculiari illi in proprio, et in sanctorum Sixti atque Hippolyti natalitiis elogio locum facere potuisse. Sed de his plus satis.

Illud hoc loco jure lector desiderare et plane mirari possit, in tanta liturgicorum Codicum copia, nullum a nobis hactenus adductum, qui proprie ad Hispaniarum Ecclesias pertineat; cum alias priscus ille nostratum Gothorum Isidorianus ritus, Mozarabicus vulgo dictus, tanto semper apud liturgicos in honore fuerit, et usque sit. Ac mihi quidem (quanquam Missali Mozarabico ab incomparabili cardinali Ximenio edito non parum ab aliquibus detractum noveram, quasi ipsius collector ex antiquis Missalibus quæcunque libuit in eum Codicem transtulisset), hærebat nihilominus animo ejus Missalis exemplum, quod in excellentissimæ Corsinæ domus, et in Vallicellana bibliotheca asservari inaudieram, diligenter evolvere, si quid inde nostris hisce conjecturis lucis affulgeret. Commodum autem per ea tempora Cl. Alexander Lesleus S. J. Mozarabicum ipsum Ximenii Codicem præfatione ac notis auctum edidit (*c*), in quibus non vulgaris neque hausta de triviis eruditio cum summa rei liturgicæ peritia decertare videntur. In eo autem Missali, quod nostra propius attinet, Laurentii festum propria et peculiari Missa, nedum natali ipsius die IV Id. Augusti, sed et in ejusdem diei octava, XVI Kal. Septembris, solemnissimoque *sex capparum* ritu celebrari animadverti; cum Sixti atque Hippolyti festa suis unumquodque natalitiis tantum fiant, nihilque proprium habeant, sed omnia ex *communi plurimorum martyrum* desumantur, ritusque præ illo Laurentii longe inferior sit (*d*); ut vel hinc jam conjicere liceat, quam potior sanctissimi levitæ, præ Sixti atque Hippolyti natalitiis, ratio apud Hispanos habita fuerit (*e*).

(*a*) Perpetuo Eulaliam cujus in Missali Gothico-Gallicano natale celebratur Emeritensem diximus, quamvis Cl. Lesleus Barcinonensem eam fuisse suspicetur. Cum enim hæc non procul a Gallia, illa vero in remotissima Hispaniæ parte, passa fuerit, credibile existimat hic auctor præ Emeritensi Eulalia celebriorem olim apud Gallos Barcinonensem fuisse; quin et Missæ de qua agimus immolationem, in qua *virgo sponte præsidi oblata* dicitur, huic magis quam Emeritensi convenire. Verum et hanc quoque claram olim in Galliis exstitisse, Venantii Fortunati et Gregorii Turonensis auctoritas ab Em. Thomasio allata (Præf. Missal. Gothic.) satis docet. Nec conjecturam ex ejus Missæ immolatione ductam, Lesleum juvare posse arbitror, cum utriusque Eulaliæ Acta magna ex parte confusa esse verosimillimum sit. Ac mihi quidem, ex loco in eo Codice Missæ de qua agimus attributo, confici plane videtur Emeritensem eam Eulaliam fuisse, cujus festum IV Id. Decembris celebratur; nam post Missam S. Andreæ apostoli prid. Kal. Decembris, et ante eam quæ de S. Pauli conversione est, VIII Kal. Februarii, Eulaliæ natale ibidem agitur; cum alias sub medium Februarii mensis in quod Barcinonensis Eulaliæ festum incurrit collocari omnino debuisset. (Vide infra quintam notarum huic dissertationi sub *Addendorum* nomine adnexarum. EDIT.)

(*b*) Serm. 276, qui de S. Vincentio Levita tertius est, num. 4, Edit. PP. Maurin. Paris., tom. V, col. 1113.

(*c*) Prodiit opus Romæ ann. 1755, Octobri mense, sub hoc titulo: *Missale mixtum secundum regulam B. Isidori dictum Mozarabes.*

(*d*) Pag. 357 ad 361. Festum Laurentii peculiari missa in ejus natali colitur. Pag. XC, col. 2. In calendario ritus *sex capparum* indicatur. Pag. 365 habetur Laurentii Octava, in qua *omnia sicut in die* dici jubentur. Item in Kalendario, Octavæ Laurentii mentio est; e diverso vero de Sixto, pag. 356, col. 3, hæc omnino leguntur: *Sixti papæ: Felicissimi et Agapiti. Omnia dicantur plurimorum martyrum.* Eademque iisdem ipsis verbis in festo sancti Hippolyti repetuntur pag. 361, col. 1.

(*e*) Non me latet, Cl. Lesleum (in Notis, pag. 585, col. 2) ex frequenti, uti arbitror, Sixti mentione, quæ in Mozarabica Laurentii missa fit, existimare, eam Missam non Laurentii propriam, sed Sixto quoque communem esse; qui mos hos martyres, imo et Hippolytum conjungendi, apud Græcos olim obtinuit, ut patet ex Menologio Basilii. Verum nescio quo id pacto a Cl. viro sustineri possit, cum Sixto proprius dies, non secus atque Hippolyto, in eo Missali attributus sit, ut nuper dicebamus. Præterea si quis ad eam missam animum tantisper advertat, licet frequens in ea Sixti, in *secunda* scilicet *oratione*, in *oratione post nomina*, in *Inlatione*, et *Benedictione* mentio fiat: deprehendet nihilominus ad Laurentium potius, imo unice ad ipsum pertinere. Primo enim *Officium* seu Introitus (ut more nostro loquamur), qui est: *Gloriam et magnum decorem*, etc., desumitur in ea Missa ex communi unius martyris, pag. 421, qui alias esse deberet: *Dabo sanctis meis*, ex communi plurimorum martyrum pag. 426. Secundo binæ lectiones, alia ex Ecclesiastico: *Qui aurum diligit*, etc., alia vero ex Apostolo: *Qui parce seminat*, etc., nec

Et illud nobis in votis erat veteres liturgicos Codices, si quos in Bibliotheca Vaticana ad Hispaniæ aut Galliæ Narbonensis Ecclesias pertinentes invenissem, diligenter evolvere; atque ex eis quæ in rem nostram conferre posse arbitrarer in medium adducere. Cur autem id non præstiterimus, alibi a nobis indicatum. Unum quod supererat exsecuti sumus, nempe ut quos in amplissima sanctæ ac primatis Toletanæ Ecclesiæ bibliotheca Mozarabicos sacræ liturgiæ Codices, a sæculo, ut putamus, nono scriptos asservari noveramus; quosque dum Catholici atque invictissimi Ferdinandi VI Hispaniarum regis jussu Toleti degeremus, pluries nobis in manus sumere licuit: perillustri viro utriusque jurisprudentiæ atque antiquitatis peritissimo D. Joanni Antonio de las Infantas ejusdem sanctæ Ecclesiæ doctorali, ut vocant, canonico, litteris precibusque nostris in hujus laboris gratiam evolvendos enixe commendaremus. Si quid autem eo præsidio conatus nostros, quod minime desperamus, adjuvari contigerit, ubi ab humanissimo patriique decoris amantissimo viro responsum impetraverimus, id e vestigio lucubrationi nostræ inseri, aut extra ordinem adjici curabimus (*a*).

CAPUT IV.

Prudentius vulgari sententiæ astipulatur. Multiplex pro Hispanis ex Laurentiano ejusdem hymno conjectura.

Hactenus de Laurentio Hispaniæ nostræ asserendo, quantum ingenio potuimus, enixi sumus. Nunc ut levitam sanctissimum ex mente Prudentii, quem ab ipsis stare adversarii contendunt, Romæ natum non fuisse ostendamus: intentatum fortassis aleæque plenum opus aggredimur. Initio autem prænotare oportet, longe aliam mentem propositumque sacri illius poematis auctori fuisse, quam ut sanctissimi levitæ patriam in ipso exprimeret. Nec ea tractatio aut hymni, qui *Passio Laurentii* simpliciter inscribitur, aut libri titulo περὶ Στεφάνων, id est, *de Coronis*, martyrum scilicet, satis congruens aut opportuna censenda esset. Si cui tamen adhuc ea de re scrupulus hæreat, Prudentium ipsum sistimus, qui mentem suam atque hymni scopum his verbis apertissime prodit (*b*).

Qua voce, quantis laudibus
Celebrabo MORTIS ORDINEM?
Quo PASSIONEM carmine
Digne retexens concinam?

Et rursum (*c*).

Sic, sancte LAURENTI, tuam
Nos PASSIONEM quærimus.

Si quid proinde in eo poemate deprehenditur, ex quo Laurentii patriæ nonnihil lucis affundi, aut ea demum sagaciori indagine subodorari queat: minime id data ab auctore opera dictum existimandum, sed quasi nihil tale cogitanti verbum paulo fortassis quam voluit significantius exciderit.

Bollandiani Patres, hymno accuratissime examinato, si quam inde illustrandæ Laurentii patriæ scintillam elicere possent, ubi nequicquam eis rem cecidisse animadvertunt, cæteros admonuere, quicunque id deinceps experiri vellent operæ pretium minime facturos (*d*). Aliis e contrario tam flexilis in utramque partem ejus hymni auctoritas visa est, ut eruditus sane doctor, civis meus atque olim in academia Valentina sacrarum linguarum cathedræ competitor (*e*), ex illis verbis (*f*):

Ceu præsto semper adsies *,
Tuosque alumnos urbicos
Lactante complexus sinu
Paterno amore nutrias.

Et sequentibus:

Hos inter o Christi decus,
Audi poetam rusticum:

probare nitatur, cum Cæsaraugustanus Prudentius sit (quod verum fortassis fuerit): minime ab eo Laurentium patria segregandum; quandoquidem *alumnos suos urbicos* (id est, *Cæsaraugustanos*, ut ipse intelligit) *atque inter eos Prudentium* paterno amore complecti postulatur.

In tanta ergo præjudicatarum opinionum varietate, cum viderem Blanchinum et Merendam, inquisito adamussim hymno, fluxas et plane caducas inde desumptas conjecturas in cœlum attollere, et pro geometricis demonstrationibus venditare: nolui enim vero permissam his scriptoribus veniam mihi adimi; aut, si pauca acquirere possem, invideri. Eo igitur poemate particulatim decurso, auctorisque scopo diligentissime observato, facile in hanc sen-

non Evangelium: *Nolite thesaurizare vobis*, etc., mirifice Laurentio congruunt. Demum reliquæ orationes et preces in eadem missa Laurentii propriæ sunt, nihilque cum Sixto commune habent. Sunt autem hæ: Oratio prima: *Domine Jesu*, etc. Lauda: *Beatus vir*, etc. Sacrificium: *Ego Dominus*, etc. Missa: *Ad misericordiæ opera*, etc. Ad pacem: *Deus qui beatissimi Levitæ*, etc. Post Sanctus: *Osanna in excelsis*, etc. Post pridie: *Memores*, etc. Ad orationem dominicam: *Deus qui in veri holocausti*, etc. Et post communionem: *Domine Jesu Christe*, etc. Mentio autem in ea missa Sixti, ob quamdam martyrii cum Laurentio communionem fieri potuit: nam et Hippolyti duplex luculentumque in ejusdem Inlatione elogium habetur, quin propterea Laurentii missam Hippolyto communem dicere possimus; neque id Lesleus voluit.

(*a*) Perincommodum huic lucubrationi accidit, licet alias communibus Hispanorum votis magnopere expetitum fuisset, ut quo tempore litteræ nostræ in Hispaniam delatæ sunt, Toleto vir eximius abesset, amplissimo vicariatus generalis ecclesiastici munere in regia Matritensi curia fungens: quo etiam tempore, aut non multo post, cum eminentissimus ac reverendissimus princeps Ludovicus S. R. E. cardinalis de Corduba, ex decano Toletano ad sacrum purpuratorum collegium, summumque ejusdem Toletanæ Ecclesiæ regimen maximo Hispaniæ totius plausu evocatus fuisset: unus ille omnium justissimi ac prudentissimi Hispaniarum regis judicio comprobatus est, qui in decanatu Toletano, quod Hispanicorum omnium honestissimum sacerdotium est, eminentissimo cardinali archiepiscopo succederet.

(*b*) In hymno de S. Laurentio stroph. IX, vers. 33.

(*c*) Stroph. CXXXVIII, vers. 548.

(*d*) Ad diem x Aug., § IV in ipso initio.

(*e*) Is est doctor Augustinus Salesius presbyter Valentinæ urbis historicus, editis operibus clarus (quorum catalogum habes ap Vinc. Ximenium Virum Cl. Biblioth. Valentinæ, tom. II, ad ann. 1747, pag. 304) in litt. ad eruditiss. Mayansium nostrum 19 Julii 1741, in App. operis: *Censura de las historias fabulosas*.

(*f*) Stroph. CXLIII, vers. 569.

* Suspicatur Arevalus, legendum *tu* pro *ceu*; notatque, *adsies* pro *adsis* a Terentio fuisse usurpatum. EDIT.

tentiam descendi, ut credam Prudentium ne cogitasse quidem Laurentium patria Romanum fuisse. Idque ex conjecturis sequentibus.

1. Inducit in eo hymno Laurentium poeta noster, postquam tyranni jussa spreverat, dolore cordis intrinsecus tactum, Christumque enixe deprecantem, ut ethnicam ex urbe superstitionem stirpitus evellat, his verbis (*a*):

> Hæc ludibundus dixerat.
> Cœlum deinde suspicit,
> Et congemiscens obsecrat
> Misertus urbem Romulam.

Cur vero non potius diceret :

> Misertus urbem patriam,

usurpata scilicet postrema voce ἐπιθετῶς : quo etiam sensu *terram* alicubi *patriam* Virgilius (*b*), *cineres patrios* Horatius (*c*), et alii ex veteribus dixere? Licuit sane Prudentio per metri et latinitatis leges id facere; et alias *patriæ* adjectum, meo quidem judicio, pressius significantiusque, et verbis *congemiscens*, et *misertus*, quæ proxime præcesserant, exprimendæque sanctissimi martyris erga urbem pietati longe congruentius fuisset.

2. Pergit subinde levita sanctissimus, atque inter flammas Romanis Christianam religionem adprecatur, inquiens (*d*):

> Da, Christe, *Romanis tuis*
> Sit Christiana ut civitas.

Et hic quidem non satis opportune *Romanos* Christo attribuisse poeta videri potest : nondum enim Laurentii tempore, cujus ea oratio est, Christi jugo collum Roma subdiderat. Cur igitur, si in urbe natus fuisset Laurentius, non verius poeta diceret :

> Da, Christe, Romanis meis,

præsertim cum nec metri ratione, neque Latini sermonis genio prohiberetur? Sane cum de iis pauperibus, inter quos Ecclesiæ thesauros sanctissimus

A levita distribuerat, paulo ante locutus fuisset : non dubitavit *suos*, relate ad Laurentium, benigniori vocabulo appellare. Sic enim (*e*) præfectum alloquitur:

> Quemvis tuorum divitum,
> Qui veste et ore prænitent
> Magis probabo debilem,
> Quam quis MEORUM est PAUPERUM.

Cur igitur non item *suos* Laurentius *Romanos* diceret, qui pridem *pauperes suos* appellare non erubuit?

3. Invidet Romanis pius ille scriptor, quod sacras beatissimi martyris exuvias præsentibus liceret intueri, ejusque sepulcri limina exosculari; id quod ipsi cæterisque Hispanis, *binis*, ut ait, *Alpibus* ab Urbe *remotis*, ob locorum intervalla minime concessum erat (*f*):

B
> O! ter (inquit), quaterque, et septies
> Beatus URBIS INCOLA,
> Qui te (Laurenti) ac tuorum cominus
> Sedem celebrat ossium!
> Nos Vasco Hiberus dividit
> BINIS remotos ALPIBUS (*g*)
> Trans Cottianorum juga,
> Trans et Pyrenas ninguidos.

Ubi notandum, non iis quidem qui Romæ nati fuissent a Prudentio invideri, quod communem cum Laurentio patriam sortiti essent; sed qui, ut maxime peregrini, in Urbe tamen non longe a sacris sanctissimi levitæ lipsanis habitabant, incolas scilicet, non cives. Prioribus enim *propter*, ut idem canit, *licebat advolvi, fletibusque sepulcrum beatissimi martyris irrigare*, quod iis qui extra Urbem degebant minime concessum erat.

C 4. Poscit subinde a levita sanctissimo poeta noster, lætus ut intersit Quirini populo, id est, benigne cum Romanis agat, *alumnos eos* Laurentii vocans his verbis (*h*):

> Ceu præsto semper adsies,

(*a*) Stroph. CIII, vers. 409.

(*b*) .... te, amice, nequivi
Conspicere, et patria decedens ponere terra.
(*Æneid.* VI, vers. 508.)

(*c*) Minxerit in patrios cineres, etc.
(*In Art.* vers. 471.)

(*d*) Stroph. CIV, vers. 433.

(*e*) Stroph. LIX, vers. 235.

(*f*) Stroph. CXXXIII seq.

(*g*) Notandum et *Alpium* nomine Pyrenæos montes, qui Galliam ab Hispania disterminant, a poeta nostro appellari, ne quis *Julias* aut *Peninas Cottiasque Alpes* ipsum intellexisse hoc loco putet; neque enim Juliæ Cottiæque Alpes, *binæ* a Prudentio dici poterant : cum non bis, sed semel tantum Italos ab Hispanis dividant. Sunt namque perpetua montium juga, quorum fauces varia nomina pro regionum varietate sortiuntur. Verum non injuria altissimos quosque montes *Alpes* appellaveris. Licet enim sint qui *Alpes* ab *albus* seu *alpus; alpus* vero ab ἀλφὸς, quod est λευκὸς, ut Hesychius vult, seu *albus*, a nivium scilicet candore dictas putent; verosimilior tamen originatio est, si dicamus, eam vocem ab Hebraico potius אלף *eleph*, quod *mille* simpliciter, interdum *bovem* significat, descendere. Ex eo enim fit אלוף *aluph*, id est, *ductor*, *magister*; et translate quidquid *maximum*, *præcipuum*, *summum*, aut *primarium est*. Hinc ἐλέφας Græcis, qui et Latinis *elephas*, atque *elephantus*, a magnitudine dictus; item Hebræis אלף *eleph*, *bos*, quod Europæorum animalium maximum hoc sit. Præterea *aleph*, *eliph*, *olaph* priores sunt Hebræorum, Arabum et Syrorum litteræ; Græcorum vero, *alpha*, quo sensu Codrus ille apud Martialem (Lib. V, epigr. 27) *Penulatorum alpha*, id est, *mendicorum primus* dicitur. Glossæ : *Alpes* ὄρη ὑψηλά, id est, *sublimes montes*. Isidorus (Etym. XIV, 8) *Gallorum* (inquit) *lingua*, *Alpes montes alti vocantur*. Vid. Voss. in *Albus*. Deinde Græcis montis notio generalis est, quasi *conspicuum*, *spectabile* dixeris, aut *locum editissimum*, *e quo circumjacens regio longissime spectari potest*. Ὄρος enim, mons, ab ὁράω, id est, *video* forsan descendit, quamvis dispar sit utriusque vocis spiritus. Ἰδὴ autem seu εἴδη (quo etiam modo Græcis montes olim vocatos fuisse, duplex, uterque altissimus, in Troade, atque D in insula Creta ejusdem nominis mons, argumento est) ab εἴδω, id est, *video*, omnino derivatur; unde et εἰδὴς, *spectabilis*, et εἰδέα seu ἰδέα, *species*. Erunt qui ab οἰδέω, id est, *tumeo*, montes dictos velint : sunt enim *terræ tumores*. Utriusque autem Græcæ montis notionis, non obscura reperiuntur vestigia in vetere Hispaniæ nostræ Chorographia : bini etenim apud nos editissimi montes, *Orospeda* et *Idubeda* priscis vocati fuere : quarum vocum pars prior *oros* et *idu*, Græca procul dubio est, et *montem*, id est, *conspicuum*, *spectabile* significat; posteriorem vero *peda*, Bochartus alicubi *argentarium* interpretatus fuit. *Orospeda* autem hodie *la sierra de Segura; Idubeda* vero *montes d'Oga* a nostratibus vernaculo idiomate appellantur, ex P. Marianæ placito; videndus tamen eruditiss. nostras Joannes Genesius Sepulveda qui cum Ferdinando Pintiano de horum montium situ egregie disputavit, lib. III, *epist.* 48 *ad J. Quignonium*.

(*h*) Stroph. CXLIII, vers. 569.

Tuosque alumnos urbicos
Lactante complexus sinu
Paterno amore nutrias.

Potuit item in hoc tractu Prudentius, imo debuit, si Romæ Laurentius natus fuisset, ex usu Latini sermonis nedum *alumnos*, sed plane Laurentii *cives* Romanos appellare; præsertim cum eam vocem carminis leges non respuant. Quidni autem diceret:

Tuosque CIVES urbicos?

Et quidem si ad primævam vocis originem, qua *cives* a coeundo dictos scimus, aut ad jus Romanæ civitatis, aut denique ad perpetuum Laurentii in Urbe incolatum respicere Prudentius voluisset, poterat sane Laurentium ex vero civem Romanum appellare. Verum cum hoc verbo frequentissime patriæ communionem designari nosset, consulto ab eo abstinuit Hispanus scriptor, ne scilicet ambiguam sententiam redderet; aut, si illud in posteriore sensu ab aliquo usurparetur, Laurentium Hispanis suis abjudicaret, eaque de causa Romanos sanctissimi levitæ *alumnos* quam *cives* appellare maluit.

Hæc tamen conjecturalia sunt; illud certum, vocem *alumnus*, seu ejus etymon aut analogiam, sive usum potius Latini sermonis spectes, proprie significare qui corporali alimento ab alio sustentatur, et referri ad *nutritius*; per similitudinem autem, ad animum transferri, quo sensu *disciplinæ* ac *pietatis alumnos* apud veteres legimus; minime tamen pro *cive* aut *populari* hactenus, quod sciam, usurpatam, imo nec salva ipsius proprietate usurpari unquam potuisse. Nihilominus tamen vim hujus vocis apud Prudentium ex mediæ Latinitatis auctoribus, maxime vero ex ecclesiasticis ejusdem ætatis Patribus eruere debemus. Et quidem Leo Magnus, qui non longe post Prudentium floruit, de sanctis apostolis loquens, ait (*a*): *Si autem Petrus apostolus hanc pietatis suæ curam populo Dei, sicut credendum est, ubique protendit: quanto magis* ALUMNIS SUIS (ROMANIS) *opem suam dignatur impendere; apud quos in sacro dormitionis thoro, eadem qua præsedit carne requiescit?*

Viderint hic, quæso, adversarii quo sensu a sancto Leone, qui itidem Romæ natus erat, Romani cives, Petri apostoli vocentur alumni. Mihi quidem ea voce, *disciplinæ ac doctrinæ filii*, aut *ipsius clientelæ traditi*; forsan et *Urbis incolæ*, communis scilicet matris

A *ubere educati*, quos proprie τοὺς συντροφίμους dixeris; minime vero *cives* pressius, aut *populares* intelligi videntur; nec sensu plane dissimili Prudentius carnifices lictoresque *alumnos carceris* alicubi appellat, inquiens (*b*):

Sed vos, ALUMNI CARCERIS,
Par semper invictum mihi,
Cohibete paulum dexteras
Respiret ut lassus vigor.

Quasi diceret, *quos carcer alit*. Imo in hoc eodem Laurentiano hymno, pauperes eleganti sane metaphora *alumni luminis* appellantur, quam ego ad litteram interpretor, *lucem depascentes*; per allegoriam tamen eos Prudentium intellexisse arbitror, qui, quod bene operentur, lucem amant; nisi forsan Christi, qui lumen indeficiens est, alumnos ea voce designare

B voluerit. Hæc nos tamen, quod aliquanto quam par erat otiosius persecuti simus, eximius nostras, cuique plurimum Hispania debet, Ælius Antonius Nebrissensis in causa fuit. Is enim ad hunc Prudentii locum, *alumnos*, *cives* (*c*) interpretatur; quem recentior alius ejusdem poetæ illustrator (*d*), dum pro ea voce reponit *populares*, secutus fuisse videtur; ambo tamen nisi largissime et plane ἀκύρως utrumque id verbum usurpari velint, egregie deceptos fuisse arbitror. Sed redeamus ad propria.

5. Pergit porro poeta noster, et post Laurentii passionem, crucisque victoriam per ipsum adeptam, sanctissimi levitæ gloriam quasi extra se raptus contemplatur, inquiens (*e*):

C
Sic, sancte Laurenti, tuam
Nos passionem quærimus;
Est aula nam duplex tibi
Hic corporis, mentis polo
Illic inenarrabili
Allectus Urbi municeps,
Æternæ in arce curiæ
Gestas coronam civicam.
Videor videre illustribus
Gemmis coruscantem virum,
Quem Roma cœlestis sibi
Legit perennem consulem.

Non equidem ambigo de cœlesti Laurentii *municipatu* Prudentium hic loqui; forsanque ad illud Pauli (*f*): *conversatio nostra in cœlis est*, pro quo vetus interpres, minime repugnante Græco exemplari (*g*), *municipatus* (*h*) *noster* vertit, respexisse; verum istud, opinor, poetæ in eo tractu propositum fuit, levitam

(*a*) Serm. II in nat. SS. apostolor.
(*b*) In hymno de S. Vincentio martyre, stroph. XXXV, vers. 137.
(*c*) In not. ad Prudent. hoc loco. Apud Nic. Heinsium in edit. Prudentii Coloniensi 1750, pag. 227.
(*d*) P. Chamillart in Comm. Prud. hoc loco: *Cum semper præsto adsis Romanis: cum tuos populares materno sinu foveas, et paterno amore prosequaris: hos inter, o Christi martyr, audi poetam non bonum.*
(*e*) Stroph. CXXXVIII, vers. 549.
(*f*) Philipp. III, 19, *al.* 20.
(*g*) Ἡμῶν γὰρ τὸ πολίτευμα ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει (Φιλιππ. γ). Valet siquidem τὸ πολίτευμα tantumdem ac *regimen*, sive *administratio reip.* aut *civitatis*, a πολιτεύω, seu πολιτεύομαι, quod est *rego, administro, remp. guberno*, etc. Quam ob causam summus ille nostras Benedictus Arias Montanus reddidit: *administratio nostra*. Vulgatus tamen interpres prætulit *con-*

D *versatio*, quæ sane vox congruentissima est, nec *municipatum* excludit. Is enim ejus loci sensus est. *Sic vivimus quasi in cælo versantes: eoque tendunt actiones nostræ, ubi justorum retributio demum erit; cujus et nos participes fore speramus. Jus itaque civitatis, id est*, municipatum, *in cœlis habemus*. Huc etiam respexisse Erasmus videtur, ita hunc locum interpretatus: *ut municipes cœlorum nos gerimus*. Quæ sane interpretatio, vetere alia de qua inferius loquemur, mirifice fulcitur; nec non ex usu Græcæ phraseos πολιτεύματος μετέχειν apud Plutarch. quæ *juris civitatis participem*, id est, *municipem esse*, congruentissime redditur. V. Henr. Steph. in Πολίτευμα.
(*h*) *Sed tu peregrinus es mundi hujus, civis supernæ Hierusalem. Noster* (inquit Paulus Philipp. III) *municipatus in cœlis*. Tertullian., de Corona Milit., cap. 13 apud Cl. Dominic. Georgium, in Testimoniis de Adone.

sanctissimum terrestris jampridem Romæ munici- A pem, post gloriosissimum ipsius certamen et palmam, inter cœlestis Romæ municipes allectum, perennique beatæ illius Urbis consulatu decoratum fuisse : quasi diceret, Laurentii passionem ipsum e temporali ad æternum municipatum transtulisse.

Hoc nos ne omnino divinantes dixisse videamur, consideranda primum est proprietas vocis *allectus*, quæ ex alio ad aliùm ordinem transitum importat, ut et in Græco sermone προσκατειλεγμένος ipsi correspondens; tum vero maxime apodosis prioris strophes :

Est aula nam duplex tibi (o Laurenti !)
Hic corporis, mentis polo.

Quibus, nisi vehementer ego fallor, duplex Laurentii nostri patria, geminumque ipsius *municipale jus*, apertissime continetur. Sunt enim fere ad litteram B a Prudentio ex Cicerone mutuata, qui de M. Porcio Catone Tusculi nato loquens (*a*) : *Ego mehercule* (inquit) *et illi et omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam naturæ, alteram civitatis*. Quam sententiam si cum Prudentii verbis : *Allectus Urbi municeps*, et cum illis : *est aula nam duplex tibi*, conferre volumus, mirifice iisdem congruentem, imo eamdem esse comperiemus. Non dixit autem Prudentius *duplex patria*, quia posteriorem vocem, ea præsertim sede, metri ratio respuebat, pro qua *aulam* substituit. Hæc autem si vera esse volumus, ut certe verosimilia sunt, habemus Laurentium ex mente Prudentii *municipem*, atque adeo *patria Romanum* non fuisse.

His conjecturam aliam ex argumento libri περὶ Στεφάνων desumptam, licet extra ordinem, adjungere C placuit. Cum enim præcipuam ejus libri partem Hispani martyres (vel si Laurentium de quo lis est interea seponamus), Hemeterius et Chelidonius, Vincentius levita, octodecim Cæsaraugustani, Eulalia Emeritensis, Fructuosus Tarraconensis, imo et Cyprianus (quem licet Afrum, *amore* tamen *et ore* Hispanum Prudentius (*b*) vocat) sibi vindicent : liquet passim ex ipsorum hymnis eos ab auctore in patria conscriptos fuisse; e contrario vero, quæ reliqua in eo libro sunt martyrum non Hispanorum poemata, Prudentius ipse extra patriam, imo et per occasionem composita fuisse testatur; Petri quidem et Pauli apostolorum Romæ, item Hippolyti; Cassiani vero Foro-Cornelii, cum casu ejus passionis historiam ab æditui inaudivisset. De Agnetis autem et Quirini, D qui duo supersunt, hymnis, incerta res est; Romæ tamen conscriptos fuisse prioris in Urbe festi celebritas, posterioris autem martyris exuviæ ipsis ut puto (*c*), Prudentii temporibus e Siscia, qui Croatiæ pagus est (*d*), Romam translatæ, conjiciendi occasionem præbent. Cum ergo unum illud poema, quod Laurentii passionem continet, præ aliis quotquot in eo libro sunt, Prudentius in Hispania scriptum luculentissime testetur, ut loca non ita pridem ex eo adducta declarant : cur non et hinc eliciamus, Laurentium, non secus atque alii martyres quorum passiones is auctor in patria cecinit, Hispania in media natum fuisse?

Hæc sane si ab adversariis ex Prudentii hymno, aut aliunde pro eorum opinione elicita nobis objicerentur, uti singula (quod ingenue fateor) non magni facerem, ita in eumdem scopum quasi ex condicto directa non prorsus despicienda ducerem universa; rarissime enim hexachordem citharam ad harmoniæ leges fortuito attemperari contingit. Nos tamen, qualiacumque tandem ea sint, æquis lectoribus dijudicanda, cumque adversariorum conjecturis ex eodem hymno desumptis conferenda proponimus; minime desperantes tamen, ex iis solum quæ hactenus adducta sunt parcius de cætero Hispanis objiciendum, quod a Prudentio suo in hac controversia deserantur.

CAPUT V.

Argumenta adversariorum ordine examinantur ; in primis vero Blanchinianum ex Orationario Codice antiquissimi ritus Gothici desumptum.

Primum omnium in nos Blanchinus urget libellum orationum antiquissimi ritus Gothici ex Veronensis Ecclesiæ chartophylacio ab ipso erutum, et inter Prolegomena liturgicorum operum ven. cardinalis Josephi Mariæ Thomasii Romanæ editionis ann. 1741 relatum (*e*). Is autem libellus, quem ad Tarraconensem, cognominis in Citeriore Hispania provinciæ, Ecclesiam olim pertinuisse contendit, receptissimæ de Laurentii patria sententiæ mirifice contraire ab ipso dicitur. Sistimus Blanchini verba (*f*) : « At ipse libellus vulgari (*Hispanorum*) opinioni mirabiliter adversatur. Nam sancti Laurentii festum diem, magnum atque solemnem cæterisque post apostolicos gloriosiorem, tribus tantum orationibus et completoria ad matutinum concelebrat : quamvis idem libellus officia aliorum sanctorum qui vere Hispani sunt numerosis orationibus exornet, ut videre licet in Indice generali, qui eidem libello Ecclesiæ Tarraconensis (*g*), fuit summo studio curaque a nobis præ-

(*a*) Lib. II de Legib. sub init.

(*b*) In hymno de S. Cypriano, vers. 111 :
Est proprius patriæ martyr,
Sed amore et ore noster.

(*c*) Vid. Baron. in Not. ad Martyrol. die IV Junii, litt. B.

(*d*) His temporibus *Sisseg* indigenis appellatus ad Colapis et Savi confluentes. BAUDRAND.

(*e*) Pag. 1 ad 136.

(*f*) Annot. CVI, pag. 292.

(*g*) Quanquam Tarraconensis, an alterius ex Hispaniæ Ecclesiis, libellus is fuerit, nostra nihil referat : monendum tamen lectorem duximus rem non esse usque adeo exploratam. Sane loca quibus Blanchinus confici ac demonstrari putat (Annot. XXII, pag. 167 seq.) ad Tarraconensem Ecclesiam pertinuisse, subobscura sunt; et alias in Orationibus de S. Vincentio martyre patria, ut putamus, Cæsaraugustano (Pag. 60, in fin. et 61), est de quo vehementer dubitari possit, num is olim Codex ad Cæsaraugustanam Ecclesiam pertinuerit : nam in ea quæ incipit : *Omnipotens Pater*, etc., legitur : *Præsta, Domine, placatus, ut interventu sedulo* hisdem (*sic*) nunc, de quibus ipse (*Vincentius*) electus est membris, *adhibeat fragilitati potentiam, humilitati gloriam*, etc. Item paulo inferius in Oratione quæ incipit : *Omnipotens Deus qui martyrem*, etc. (Pag. 61), mentio videtur fieri celebris illius stolæ Vincentii cruore aspersæ,

fixus. Hoc vel unum maximi est ponderis argumentum. »

Id nobis tamen ad justam trutinam expendere per Blanchinum liceat. Laurentii festum, in eo quem dicimus orationum Codice, tribus tantum orationibus constat, adjectis tamen completoriis et benedictionibus ad vesperum et matutinum : quarum priores Blanchinus casu, ut putamus, omisit (*a*). Septem omnino, non amplius collectiones sunt. E diverso vero festa sanctorum Vincentii levitæ, Valentini martyris, Leocadiæ Toletanæ, Eulaliæ Emeritensis, Fructuosi, et aliorum, qui vere (ut Blanchinus ait) Hispani sunt, vicenas, interdum plures in eo Codice orationes habent. Hactenus secundo vento, plenisque, ut aiunt, velis Blanchinus; videat, quæso, tamen, ne ipsi medio in cursu hærendum sit. Is ipse de quo loquimur libellus (*b*) in festo sanctorum Acisclì et sociorum, quatuor tantum collectiones sive orationes exhibet, quas dominico potius Adventui, in quod tempus ipsorum natale incurrit, quam martyrum solemnitati merito ascripseris. Præterea in festo sanctorum Justi et Pastoris unicam tantum orationem *propriam* cum benedictione libellus affert; ternas vero, summum quaternas alias *communes*, ex missa sanctorum Infantium, id est Innocentium, desumendas præcipit (*c*); prorsus ut ne conjunctæ quidem septenarium numerum impleant. Nec ideo tamen minus priores illos martyres Cordubensibus, posteriores autem hos Germanos fratres Complutensibus adnumerandos Blanchinus ipse nobiscum agnoscet. Sed levia hæc sunt.

Felix Gerundensis martyr in eo quem dicebamus orationum libello, præter benedictionem terdecim proprias orationes enumerat; quibus quatuor aliæ itidem cum benedictione adjungi debent, quæ ipsi cum sanctis Machabæis communes sunt; prorsus ut omnium conjunctim numerus undevicenarius sit (*d*). Nihilominus tamen Cucufas Barcinonensis martyr, qui nedum Felicis civis itinerisque socius fuit, sed germanus ejusdem frater vulgo creditus; quemque libellus ipse *famosum martyrem* (*e*), Prudentius *clarum* (*f*), Bollandiani Patres ex vetustis Martyrologiis *celeberrimum* vocant (*g*), unica tantum, quod mirere, completoria et benedictione in eo libello colitur (*h*). Adde claram jam tum et mercimoniis celebrem, atque adeo civium frequentissimam Barcinonem fuisse; Tarraconi præterea, cujus Ecclesiæ libellus a Blanchino ascribitur, collimitaneam : cum contra, Gerundam Prudentii testimonio *parvam* (*i*), triumque minimum dierum itinere a Tarracone dissitam fuisse sciamus, ut potior hujus martyris quam Felicis, saltem æqualis utriusque cultus esse debuisset. Diversitatis causam indicabimus fortasse alias; interea vero ex inæquali orationum in eo Codice numero, priorem illum Felicem Hispanum fuisse, non item Cucufatem, quod utrumque ex ejus ratiocinio consequens fit, Blanchinus eliciat.

Quid autem, si in Orationum libello Laurentius omnino prætermissus fuisset? Confectam Blanchinus universam rem, actumque plane de Hispanorum sententia pronuntiasset. Atqui eodem argumento (ut vel hinc ejus infirmitatem eliciamus) conficere quoque nunc poterit, nec Eulaliam Barcinonensem (*j*), nec Vincentium et socios Abulenses, nec Servandum et Germanum Gaditanos, neque Hemeterium tandem et Chelidonium Calaguritanos martyres celeberri-

summoque honore apud Cæsaraugustanos habitæ, de qua Prudentius, Eugenius Toletanus Junior, et alii. Verba hæc sunt : *Tribue, Domine, ut intercessione sedula reformet* (*Vincentius*) *male scissa indumenta baptismatis, quem pro te dimicantem martyrii cruore respersa stola induisti decoris.* Nos tamen nihil de hoc statuimus.

(*a*) Pag. 130 seq.

(*b*) Pag. 5 seq. Blanchin. in indice Officior. Orationarii, pag. 122, et Annot. II, pag. 137 seq.

(*c*) Pag. 130, et apud Blanchin. in Indice, pag. 129.

(*d*) Pag. 127 seqq.

(*e*) Pag. 127.

(*f*) In Hymn. de SS. Martyrib. Cæsaraugustanis, stroph. IX.

(*g*) Ad diem XXV Julii, § I, n. 1.

(*h*) Pag. 127.

(*i*) In Hymn. de SS. MM. Cæsaraugustanis, stroph. VIII.

(*j*) Forsan Blanchino non probabitur duplicem olim apud Hispanos Eulaliam, sed unam tantum, eamque Emeritensem fuisse. Sane in annotationibus Orationarii Gothici (IX, pag. 146) non obscure in eam sententiam inclinare videtur, idque ex ipsius Orationarii de Barcinonensi Eulalia silentio, cui Prudentius astipulatur, dum inclyta Barcinonensi viragine prætérita, priorem illam Emeritensem eximio poemate celebrat, festumque ejusdem diem, *singularem* alicubi (Hymn. de S. Hippolyto) prodit. Longe tamen receptior et probabilior est eorum opinio, qui ob communionem nominis atque Actorum affinitatem, utramque Eulaliam ab aliquibus confusam, atque ex duabus unam factam existimant; quod et in Hippolytis, Cyprianis, aliisque cognominibus martyribus contigisse scimus. Nec Ruinartius ab hac sententia alienus videtur (Act. Mart. sinc., Edit. Veron., pag. 396), quanquam ipse nihil definiat. Et quidem præter Missalis ac Breviarii Mozarabici, nec non Eulogii, atque aliorum veterum auctoritates, quæ vulgo pro Barcinonensi Eulalia afferuntur : antiquissimum Kalendarium Toletanum a Francisco de Pisa olim evulgatum, et a P. Joanne Pinio in *Liturgiam Hispanicam* relatum, quod ipse (Cap. 9, § 6, n. 445) sæculo quinto aut ineunte sexto, Cl. vero Cennius (ap. Blanchinum Orationar. Goth., pag. 134) extrema sæculi septimi ætate exaratum putat, mirifice posteriorem sententiam confirmat; legitur enim in eo : *II Idus Februarii sanctæ Eulaliæ virg. mar. Barcinona.* Acta præterea Leocadiæ Toletanæ martyris, ex ejusdem urbis Franciscanorum Patrum cœnobio nuper eruta, et a Cl. Henrico Florezio in Hispaniæ sacræ tom. VI, pag. 315 relata disertissimam utriusque Eulaliæ mentionem faciunt. Quæ nos, quanquam alias amplissimæ nostræ Barcinonensi Ecclesiæ, cujus in sinu sacri Eulaliæ cineres religiosissime coluntur, ac nobilissimæ Hispaniarum urbi, quæ suo nos gremio benigne excepit, nullo non officii genere devincti, magis tamen ex animi sententia, quam quod utrique aut earum alteri gratificari velimus protulisse, persancte dejeramus. Videndus insuper Cl. Lesleus (Annot. in Missal. Mozarab., pag. 566), qui pro duplici Eulalia strenue dimicat; ejus tamen opus absoluta hac dissertatione primum in lucem prodiit.

mos, quorum palmas peculiari hymno Prudentius cecinit (*a*), Hispanis ascribendos esse : quandoquidem in eo de quo agimus Orationum Codice nullam horum martyrum mentionem fieri, festaque ipsorum natalitia omnino prætermitti videmus (*b*).

Neque id ejus tantum Orationum libelli peculiare existimandum est, sed veterum fere omnium liturgicorum Codicum, et Martyrologiorum commune, ut nonnulli interdum martyres alioqui non tacendi silentio prætereantur. Exemplis res fiet illustrior. Missale Gothico-Gallicanum Thomasii (in quo nedum peculiare Laurentii festum, sed duplex insuper sanctissimi martyris, in sancti Sixti atque Hippolyti natalitiis, elogium contineri pridem diximus) nec verbum de Felice et Cucufate, nec de Fructuoso ac sociis, nec de Vincentio levita aliisque Hispanis martyribus illustrissimis, aut aliquam commemorationem habet, ut alibi quoque a nobis indicatum. Si quis autem ex ejus Codicis silentio præclarum illud purpuratorum agmen Hispaniæ nostræ abjudicare vellet, quantum ille, vel Blanchino judice, a veritatis tramite deviaret !

Missale præterea Isidorianum, vulgo Mozarabicum dictum (*c*), non meminit Zoili seu Zoelli Cordubensis, ut eum Prudentius vocat (*d*); neque Cucufatis Barcinonensis, nec Encratidis Cæsaraugustanæ; imo neque ipsorum octodecim ejusdem urbis martyrum, quorum laudes peculiari hymno celebravit Prudentius (*e*). Kalendarium demum Ecclesiæ Carthaginensis Afros, imo ejusdem urbis martyres interdum silet. Non Rutilium exhibet, qui, teste Tertulliano, post evitatos sæpius persecutores, tandem comprehensus igne martyrium consummavit (*f*). Non Mavilum, qui, ex eodem Tertulliano *ad Scapulam*, apud Adrumetum (*Toulbam* seu *Mahammetam* Ferrarius (*g*), *Hammametham* Baudrandus vocat, non longe a Carthagine) sub Severo ad bestias damnatus est (*h*). Non demum Bassum, Fortunionem, aliosque Carthaginenses martyres in Cypriani epistolis laudatos, ut Cl. Ruinartius (*i*) testatur. Quid igitur? An ex utriusque hujus Codicis silentio, nec priores illos Hispanos, neque posteriores hos martyres Afros fuisse affirmabimus ?

Juvabit, opinor, Cl. auctoris testimonium in hujus doctrinæ confirmationem adducere, ex quo eadem opera intelligemus, cur nonnulli martyres in propriis etiam Ecclesiis interdum omitterentur. *Sed quid ad tam vetera exempla recurrimus* (inquit Ruinartius de martyrum silentio in Vett. Kalendariis (*j*), loquens), *cum id ipsum in hodiernis Kalendariis quivis observare facile queat : in quibus non solum exterorum, sed etiam viciniorum et comprovincialium Ecclesiarum martyres et patroni, ut plurimum non celebrantur ; imo quandoque unius Ecclesiæ martyres aut episcopi in aliena Ecclesia coluntur, qui nullum habent in propria cultum. Quod ideo factum puto* (subdit) *quod eorum reliquiæ sacræ alio translatæ fuerint, aut certe quod eorum Acta non haberentur.*

Firmat mirifice hanc doctrinam Cl. Muratorius, cui cum novum visum fuisset, sanctæ Eugeniæ virginis et martyris festum, cujus passio Romæ ipso natali Dominico die in veteribus Martyrologiis Hieronymiano, Usuardi, et aliis celebrabatur, in Gallicano-Boviensi Sacramentario, quem ad Vesontionensem provinciam pertinuisse diximus, atque adeo apud Gallo Francos, in ejusdem Dominici natalis pervigilio recenseri : hanc ejus rei causam fuisse suspicatur, *quod in aliquam ex Gallicanis Ecclesiis hujus sanctæ martyris reliquiæ perductæ fuerint* (*k*).

Inde etiam argumento a majori ad minus, ut in scholis loquuntur, fieri potuisse arbitror, ut inferior alicubi ritus esset martyris civis, cujus tamen nec Acta, neque reliquiæ haberentur in patria præ illius cujus Acta vel reliquiæ in aliqua Ecclesia aut diœcesi exstarent, licet is alibi patriam sortitus fuisset. In numerato habemus exemplum Stephani, cujus quanquam peregrini festum, ob delatas tamen in Hispaniam reliquias, ut pridem dicebamus, longiori orationum serie in eo libello celebratur, quam vel Acisclus, vel Justus et Pastor, domestici procul dubio martyres; imo quam Hispalenses Justa et Rufina, quarum natale quindecim non amplius in eo libello collectiones habet (*l*), cum vicenæ et amplius ibidem Stephani festo attribuantur (*m*).

Cum ergo, sicuti ex Bollandianis Patribus ipsoque etiam Prudentii testimonio pridem ostendimus, proximis a Laurentii morte; imo etiam posterioribus sæculis, nullas Hispania nostra nacta fuisset sanctis-

(*a*) *In honorem SS. MM. Calagurritanor. Hemeter. et Chelid.* Primus est omnium in Edit. Weitzii. Hanov. 1612.

(*b*) Vide sextam notarum huic dissertationi sub *Addendorum* nomine adnexarum. EDIT.

(*c*) Legeram id pridem in Ruinartio, cujus fere verba hæc sunt (Præf. ad Acta mart. sinc., num. 18); postea vero ejus Missalis exemplum nactus, ex Editis scilicet a Cl. Lesleo, rem periculo facto comprobavi ; licet in ejus Missalis Kalendario mense Julio (Pag. 90) legatur : VIII *Kal. Augusti Christophori*, etc. CUCUFATI *et comitum ejus martyrum* ; in corpore enim ejus Missalis ne minima quidem Cucufatis mentio fit, ut videre est in missa sancti Christophori XXV Julii.

(*d*) In Hymno de SS. MM. Cæsaraugustanis.

(*e*) Septimus is est in Editione Weitzii.

(*f*) « Rutilius, sanctissimus martyr, cum toties fugisset persecutionem de loco in locum, et jam periculum, ut putabat, nummis redemisset... ex inopinato apprehensus et præsidi oblatus, tormentis dissipatus, credo pro fugæ castigatione : dehinc ignibus datus, passionem, quam vitarat, misericordiæ Dei retulit. » Tertullianus, lib. de Fuga in persecut., cap. 5.

(*g*) In *Adrumetum*. Et ibidem Baudrandus.

(*h*) « Tibi quoque (*Scapulam provinciæ Africæ præsidem Tertullianus alloquitur*) optamus admonitionem solam fuisse quod cum Adrumeticum Mavilum ad bestias damnasses, et statim hæc vexatio subsecuta est, et nunc ex eadem causa interpellatio sanguinis. » Tertull., lib. ad Scapulam, cap. 3, n. 3.

(*i*) In præf. in Act. mart. sinc., num. 18.

(*j*) Ibidem, paulo tamen inferius.

(*k*) Diss. de Liturg. Romana Vet., tom. II, col. 766, in præf. Sacramentarii Gallicani Boviensis a Mabillonio primum editi.

(*l*) Orationar., pag. 125 ad 127.

(*m*) Idem a pag. 39 ad 43.

simi martyris reliquias; nullaque præterea in ea regione exstarent passionis ejusdem Acta : fieri hac de causa commodissime potuit ut festum Laurentii in ea Ecclesia, ad quam libellus de quo agimus pertinebat, minori orationum numero celebraretur, quam alicujus ex Hispanis aut exteris martyribus, quorum sacra pignora in ipsa Ecclesia vel alibi in Hispania colerentur. Atque, uti ex majori orationum numero quas Stephanus in eo libello habet, non bene quivis eliceret sanctissimum protomartyrem Hispanis adjudicandum; ita neque ex minori Laurentium ipsis adimendum fore.

Ex eadem quoque doctrina insignem illam inter Felicem Gerundensem et Cucufatem Barcinonensem, quod ad Orationum numerum spectat, inæqualitatem descendere arbitror. Prioris etenim martyris exuviæ ab ejus morte ad nostra hæc tempora Gerundæ, qua in urbe passus fuit, perpetuo permansere. Prudentius (*a*) :

> Parva Felicis decus exhibebit
> Artubus sacris locuples Gerunda.

De Cucufatis autem reliquiis, quanquam eas Prudentii ætate Barcinone, aut non procul (apud Octavianum scilicet castrum, quo loco celebre sancti Cucufatis monasterium, hodie *Sant Colgát del Vallés* indigenis appellatum, a Carolo Magno, sive, ut alii volunt, a Ludovico Pio exstructum postea fuit) exstitisse nullus dubitem; id quod Mozarabicus etiam ipsius martyris hymnus, nequicquam reclamante Tillemontio (*b*) expresse confirmat (*c*) : extra controversiam tamen est a sæculo octavo in Galliam translatas fuisse, atque anno salutis 777 in saltu Vosagico apud Fultrado-Cellam requievisse; ut ex sancti Fultradi testamento, quod Mabillonius (*d*) evulgavit, manifestum fit. Nec dissentit Ado, quanquam Cucufatis corpus recta Lutetiam translatum fuisse asserat, quod æque verum non est : *Octavo* (inquit [*e*]) *milliario a Barcinone perductus Cucufas, ferroque animadversus martyrium consummavit, cujus corpus a Christianis cum reverentia sepelitur;* unde postmodum translatum *non longe a Parisiorum civitate in ecclesia BB. MM. Dionysii, Rustici et Eleutherii tumulatum est.*

Jam vero fixa apud Gerundenses atque immota reliquiarum sancti Felicis sede, potuit facillime priscus hujus martyris cultus constanti populorum devotione retineri; Cucufatis autem paulatim decrescere, maxime vero ex quo sacrum ejusdem corpus in Galliam translatum fuit; quam ego insignis A illius in Orationum numero inæqualitatis, de qua pridem egimus, causam fuisse arbitrabar. Verum, inquis, ita fiet, libellum Orationum de quo agimus post translatum demum in Gallias Cucufatis corpus conscriptum fuisse; atque adeo nec *plusquam millenarium* esse ut Blanchinus voluit (*f*), neque *ad sæculum septimum pertinere*, *Mauricamque Hispaniæ cladem præivisse*, ut Cl. Cayetanus Cennius affirmavit (*g*); sed exeunte minimum octavo sæculo exaratum fuisse. Quid vero, inquam, tum postea? Maximam quidem utrique huic scriptori auctoritatem inesse scio, eamque in dies amplificari vehementer cupio; verum, si libere philosophari liceat, præ ea, præque conjecturis quæ dijudicandæ ætati ejus Codicis afferuntur, unam inter Felicem et Cucufatem Orationum B in ipso disparilitatem longe validiorem puto; atque ex ea Codicis ætatem inter alia dimetiendam fore; aut præsentiorem aliam tantæ inæqualitatis causam hi scriptores adducant.

Fugax præterea et lubricum est judicium de ætate Codicum, in quo postquam se misere deceptos atque deprehensos agnovere cautiores palæographi, fallacia omnia atque insidiarum plena esse pronuntiarunt, nihilque prorsus ubi tuto pedem figere valeas in eo argumento reperiri. Neque demum excusso, quam velint accuratissime, characteris ejus libelli specimine a Blanchino exhibito (*h*), causam aut conjecturam aliquam inveniendam fore existimo cur magis ille ad septimum quam ad octavum sæculum pertineat; præsertim cum prioris illius sæculi paucissimi C exstent Codices non *quadrato*, ut vocant, aut ad *quadratum* scriptionis genus accedente charactere scripti; *cursivum* autem, qua libellus constat, scribendi rationem ternis demum quæ consecuta sunt sæculis frequentari cœptam, atque in maximo usu fuisse sciamus.

Ac mihi quidem, ut libere judicium de hac re meum exponam, si quando in affinis characteris Codicem incidissem, exeuntis plane octavi sæculi, forsan et ineuntis noni genius illico in oculos incurrisset. Quod si Codicis antiquitatem non ex scriptura (quæ potest esse recentior), sed ex phrasi atque argumento ejusdem elici debere Blanchinus ac Cennius contenderint : hactenus ipsis assentiar reperiri in eo Codice quæ remotissimam antiquitatem sapiant, quale inter D alia illud est, quod de *omnimoda simulacrorum superstitione devicta*, in altera ex Orationibus de SS. Fructuoso, Augurio et Eulogio (*i*) legitur : verum.

(*a*) In Hymn. de SS. MM. Cæsaraugustanis.

(*b*) Contendit quidem Tillemontius (apud PP. Bolland. xxv Jul., § 11, n. 15) de Cucufatis tumulo, sine corpore tamen, id est περὶ τοῦ κενοταφίου in eo hymno agi; quod tamen ex strophis II, III, IV, maxime vero x, in qua Cucufas Barcinonensis dicitur civis (ob sacras scilicet ejus reliquias ibidem asservatas), manifeste falsum esse convincitur.

(*c*) Exhibent hymnum Bollandiani PP. xxv Jul., § 1, n. 7.

(*d*) In Act. SS. ordinis S. Benedicti sæc. III, part. II, pag. 341, apud Bolland. xxv Jul., § 3, n. 21.

(*e*) In Martyrol. ad diem xxv Jul

(*f*) Tom. I Coll. Oper. V. card. Thomasii in præf. ad lectorem.

(*g*) Tom. I de Antiq. Eccl. Hispan., pag. 28, apud Blanchin., in Annot. Orationarii, pag. 133.

(*h*) Tom. I Liturg. Oper. V. card. Thomasii inter prolegom., pag. 131.

(*i*) Inter Orationes de SS. Fructuoso et sociis, pag. 56 : *Fac nos te semper in veritate diligere, teque etiam fideliter adorare*, ut, omnimoda simulacrorum superstitione devicta, *placita tibi martyrum tuorum imitantes sequamur vestigia*. Quæ ad ea tempora quibus adhuc supererant in Hispania ethnicismi vestigia referenda puto.

neque ex his satis validum ætatis Codicum argumentum deducitur, cum et in recentibus libris liturgicis antiquæ plerumque Orationes retineantur; et alias Cennius, licet ea ipsa Oratio in Breviario Mozarabico, teste Blanchino (a), reperiatur, id Breviarium ad sæculum x pertinere censuit (b). Ampullaris præterea Codicis in plerisque locis stylus Carolina minimum tempora, atque extremam præsefert barbariem (c), qualem Hispaniæ nostræ, ex Alvari Cordubensis qui non longe ab eo sæculo floruit testimonio (d), Maurica vastatio intulit; imo, si Deo placet, ipsius etiam Mauricæ Hispaniæ vastationis non obscura in eo Codice vestigia observare possumus (e). Sed intermissam disputationem resumamus.

CAPUT VI.

Expenduntur alia ex Laurentiano Prudentii hymno contra Hispanorum sententiam deducta.

Secundum Blanchini argumentum adversus receptam de Laurentii patria sententiam nostratis Prudentii silentio concluditur. Magnifecerat, ut nuper vidimus, prior ille scriptor conjecturam suam ex Tarraconensi Orationum libello desumptam; subdit autem continuo (f) : *Cui tamen accedit argumentum alterum ex Prudentio mutuatum. Hic nempe silet natale solum magni Laurentii. At si in Hispania natus esset levita sanctissimus, Hispanus poeta non sileret. Id ipsi in more non fuit in hymnis quos de sanctis nationalibus cecinit.* Subsistere hic, seseque tantillum colligere Blanchinus videtur, deinde vero quasi subiratus pergit : *Verum, quid aio? non silet. Romam ad cœlos evehit. Romam parentem dicit. Obscura sunt quidem ejus testimonia, sed jam a nobis clariora fient.* Hactenus Blanchinus.

Ego vero nollem de hoc argumento lectorum judicium antevertere, aut maledictis cum Blanchino decertare. Quia tamen prolixe mihi cum eo, deque rebus nihili agendum est : si quid forsan paulo durius aut inclementius a nobis dictum lectòr deprehenderit, responsum id, quæso, non dictum existimet; tum vero ejus quæ in his legendis necessario facienda est boni otii jacturæ, aut si quod præterea devorandum est tædium, non in me, quasi ultro inania consectatus fuerim, sed in eum a quo ut scriberem adactus sum culpam rejiciat.

Quatuor itaque thesibus Blanchini argumentum constat, quæ ordine a nobis examinandæ sunt. 1. Prudentium silere Laurentii patriam. 2. Minime illam silentio prætereundam, si Laurentius in Hispania natus fuisset. 3. Non moris fuisse Prudentio in hymnis quos de sanctis nationalibus cecinit indictam eorum patriam relinquere. 4. Neque tamen, modo quis animum advertat, omnino Prudentium dissimulare in Urbe natales hausisse levitam sanctissimum, quandoquidem Romam ad cœlos evehit, Romam parentem dicit.

Primam itaque thesin quod attinet, non diffiteor Prudentio in eo de quo loquimur hymno, ne verbum quidem excidisse ex quo natum fuisse in Hispania Laurentium vel eminus conjicere aut suspicari possimus; verum nec si Blanchinus, paulo quam hactenus attentius, auctoris tum in eo hymno, tum in universo περὶ Στεφάνων libro scopum considerare velit, inficiari nobiscum poterit, nihil ad Prudentii in utroque propositum spectasse tractatum de Laurentii patria, ne per occasionem quidem, cum nulla in eo poemate Hispaniæ nostræ mentio fiat; e contrario vero cum Romam in ipso recta Prudentius alloquatur, totusque sit in ejusdem religione, triumphis, imperio, sacrisque martyrum, præcipue vero Laurentii nostri, recensendis exuviis : viderit quæso lector æquus, quam non importune, si Romæ natus fuisset levita inclytus, ejus patriam Prudentius poemati suo per occasionem inserere potuisset, novumque inde laudandæ Urbis argumentum capere, saltem quam fuisset in lubrico, ut imprudenti aut alia cogitanti verbum excidisset, ex quo Romæ natum Laurentium odorari sagaciores possent. His autem si conjecturas addimus ex eodem hymno pridem a nobis ductas, ut Laurentium Romanis abjudicaremus, consequens fiet Prudentii de Hispania silentium ipsius proposito opportunum, atque Hispanis innocuum; de Roma vero, si in ea Laurentius natus

(a) E regione ejus orationis in margine, pag. 56, legitur : *Br. Moz. fol.* 352, *col.* 1.

(b) Tom. I Antiq. Eccl. Hispan., pag. 28 seq., n. 8 et 10, apud Blanchin. Orationar., pag. 133 seq.

(c) Inter alia Orationem S. Hippolyti selegimus quæ habetur in Orationario, pag. 131. « Lux angelorum et hominum, splendor dierum et temporum, candor animarum et corporum, Christe Domine Deus ob reverentiam tui martyris Hippolyti flammicomæ claritudinis munus oblatum, lucifluo sancti Spiritus respergens inlapsu, tuis effice nutibus placitum, nobis redde prodificum : ut et visibili fulgore nigroris noctivagi furva coerceat, et invisibili munere maledulcium scabra peccaminum errata consumat. »

(d) In indiculo luminoso apud Florezium nostrum, tom. XI Hisp. Sacræ, pag. 274. « Legem (inquit) suam nesciunt (Hispani) et linguam propriam non advertunt Latini; ita ut in omni Christi collegio vix inveniatur unus in milleno hominum numero, qui salutatorias fratri possit rationabiliter dirigere litteras. »

(e) In Orat. de S. Stephano, pag. 41, sub init. « ut munitione fidei Christianæ *et externa bella superantes* et intima, æternam mereamur pertrahi ad coronam. » Paulo inferius de eodem Stephano, pag. 41 : « *Ut cujus virtute multitudo devicta est infidelium,* ejus suffragio firmetur spes aucta credentium. » Quæ sane ambigua sunt. Item inter Orationes de S. Vincentio martyre, pag. 60 : « Domine Deus qui salutem regibus donas et martyrem tuum Vincentium de malignorum gladio liberas... *libera nos de manu filiorum alienorum, ut insidiantibus inimicis vita nostra non pateat; nec illorum procacitas sæva de ruinæ nostræ casibus hilarescat, sed gladio verbi tui accincti et hic adversa superemus intrepidi,* » etc. Item de eod. ibid. : « Deus qui beatissimum martyrem tuum Vincentium, *plebi tuæ murum æreum præstitisti, ut bellantes contra se mirabiliter nominis tui virtute devinceret.* » Denique eadem pagina sub fin. et init. sequentis, « Omnipotens Deus, qui beatissimo Vincentio præstitisti, ut per te fieret... *de milite dux, de servo amicus*... præsta placatus, ut interventu sedulo... adhibeat *militiæ disciplinam, servituti libertatem,* » etc. Sunt fortassis alia.

(f) Annot. cvi, pag. 292.

fuisset, quodammodo importunum, saltem Romanis minime proficuum fore. Ex usu scholarum diceremus, Prudentium quod ad Hispaniam attinet *negative;* quod ad Urbem vero spectat *exclusive* Laurentii nostri patriam prætermisisse.

Secunda Blanchini thesis est : *minime a Prudentio Laurentii patriam, si in Hispania natus fuisset levita sanctissimus, silentio prætereundam;* cujus tamen ratio quia in sequenti ab eodem redditur, utriusque falsitatem eadem opera inferius ostendemus. Interea tamen, ne plus illum scire quam scire oporteat temere asseramus, rogandus Blanchinus est : num Ægeriam, aut Sibyllina folia de hac re consuluerit? Verum si ipsi, quod Prudentii morem de non tacendo nosset, asserere licuit non prætereundam ab eo Laurentii patriam; cum e contrario mox ostendendum sit minime hoc ei in more fuisse ut sanctorum patrias eloqueretur : cur non affirmare nobis vicissim liceat Laurentii, non secus ac cæterorum martyrum, patriam debuisse in eo hymno a Prudentio, nisi parum sibi constare vellet, prætermitti?

In tertia Blanchinus asserit : *non eum Prudentii morem fuisse in hymnis quos de sanctis nationalibus cecinit, ut eorum patrias sileret.* Itane vero, inquam? Atqui Hispanus erat Vincentius, levita et martyr celeberrimus, eademque ac Prudentius Cæsaraugusta urbe, ut creditur, natus : apud Hispanos itidem altus, educatus, passus; nulla denique non ex parte Hispanus. Nihilominus tamen in hymno quem de ejus passione Prudentius elegantissimum panxit, nec multo quam Laurentii breviorem (*a*), altum de invictissimi martyris patria sileri comperio; ut nec verbum neque particula ipsi insit, ex quibus ea elici aut odorari possit. Conferat hæc, quæso, Blanchinus cum iis quæ in secunda thesi scripserat, scilicet, si in Hispania natus fuisset Laurentius, minime ipsius patriam a Prudentio in eo hymno prætereundam.

Verum id forsan in hymno Vincentii Blanchino singulare videbitur, atque adeo insufficiens ut receptum alioqui Prudentii in cæteris hymnis morem, edicendi sanctorum patrias, ullatenus oppugnare valeat; neque ipse abnuerem, si res sic haberet. Sed quid si nullius ex Hispanis martyribus, quorum hymni habentur in libro περὶ Στεφάνων patriam usquam Prudentius elocutus fuerit; ac ne unum quidem ex ipsis vel generatim Hispanum dixerit? Paradoxum hoc sane Blanchino videbitur; id nos tamen proprio periculo tuendum, atque ostendendum suscipimus; quod vel unus ejus libri titulus *de Coronis*, seu *Passionibus* martyrum non obscure indicat. Universa igitur hymnorum ejus libri series, prout eam Joannes Weitzius exhibet, ordine nobis percurrenda est.

Primus omnium sanctis Hemeterio et Chelidonio martyribus inscribitur, quos in fronte *Calagurritanos* Prudentius vocat (*b*), bisque in hymno *terram Hiberum* (*c*), colonosque *quos Hiberus alluit* (*d*), id est, *Calagurrim* et *Calagurritanos* laudat; multoque expressius in hymno de sanctis martyribus Cæsaraugustanis, ubi de iisdem Hemeterio et Chelidonio loquens, ait (*e*):

Nostra gestabit CALAGURRIS ambos
Quos veneramur.

Putavit autem, ut conjicio, Blanchinus his locis utriusque illius martyris patriam a Prudentio designari, cum tamen iste, nihil tale cogitans, ad passionis, et maxime ad sepulcri locum respexisset; id quod e præcedenti disticho, multoque clarius ex proprio sanctorum martyrum hymno liquet, sub cujus initium de Calagurri loquens Prudentius ait (*f*) :

Hic locus dignus tenendis ossibus visus Deo.

Sub finem vero (*g*) :

Martyrum cum membra *nostro* consecravit *oppido*.

Nec Prudentium, qui non longissime ab horum martyrum sæculo vixit, latere unquam poterat, eos Legione (quæ urbs non paucorum dierum intervallo a Calagurri sejuncta est) Marcello, ut vulgo creditur, Centurione progenitos fuisse.

Secundus ejus libri hymnus passionem sancti Vincentii levitæ continet; in eo autem alte ipsius patriam sileri modo dicebamus. Tertius de Laurentio est, ex quo Romam sanctissimi martyris patriam fuisse, id est, aquam e pumice haurire Blanchinus et Merenda voluere; nos e diverso nihil in eo contineri quo Hispania nostra designetur, aut unde conjici possit in ea natum fuisse Laurentium, non ita pridem professi sumus. Quartus sancti Hippolyti, quintus sancti Cypriani, sextus sanctorum apostolorum Petri et Pauli passiones continent, quos quia de Hispanis martyribus non agunt consulto mittimus.

Septimum ejus libri hymnum, *Laudes sanctorum decem et octo martyrum Cæsaraugustanorum* (*h*) inscriptum, quantus ille est, a se stare Blanchinus existimavit; verum, si quid ego video, mirifice in eo verborum specie deceptus fuit. Rem quam potero brevissime exponam. Extollit in eo hymno Prudentius Cæsaraugustam suam, quod sacro octodecim martyrum, quorum servat cineres, præsidio munitissima adversus vicissitudines habeatur; quodque in extremæ ultionis die multo plures quam urbes aliæ sanctorum exuvias Christo martyrum regi votivum munus oblatura sit. Pergit subinde concurrentia loca quibus sacri reliquiarum thesauri reconduntur enumerans, et ait : Corduba Acisclum ac Zoellum seu Zoilum offeret : Tarraco Fructuosum et socios, Gerunda Felicem, Barcino Cucufatem, Calagurris He-

(*a*) Is est ordine secundus in Editione Weitzii. Constat autem 144 strophis, hymnus vero Laurentii, qui in ea Editione tertius numeratur strophas omnino 146 continet.

(*b*) Hymn. I in honorem SS. MM. Hemeterii et Chelidonii *Calagurritanorum*.

(*c*) Stroph. II, vers. 4

(*d*) Stroph. XXXIX vers. 117.

(*e*) Hymn. VII SS. MM. Cæsaraug., stroph. VIII, vers. 21.

(*f*) Stroph. II, vers. 5.

(*g*) Stroph. XXXIX, vers. 116.

(*h*) Hymn. VII in laudem decem et octo martyr. Cæsaraugustanor. Weitzius, pag. 103.

meterium et Chelidonium, Narbo Sergium Paulum, Emerita Eulaliam, Complutum denique Justum et Pastorem.» (Taceo urbes ejus hymni reliquas quod ad Hispaniam non pertineant.) «Hæc (subdit) civitas singula, hæc bina ternave offeret martyrum corpora. Erit forsan quæ quinis sanctorum hostiis æterni Judicis iram placare studeat; tu vero hoc nomine ante alias Cæsaraugusta illustrior, sola duodeviginti martyrum exuvias, quot scilicet vix Carthago, vix ipsa mundi parens Roma præstare possit, exhibebis, lætaque in occursum Christi prosilies.» En ejus hymni summam.

Hæc ubi Blanchinus e longinquo, uti ego arbitror, salutavit, ratus expressis in eo hymno Hispanicarum urbium nominibus, temporales martyrum quibus adjiciuntur patrias contineri: nihil veritus fuit asserere: *non esse in more Prudentio, martyrum vere Hispanorum patrias in hymnis, quos de ipsis panxit, silentio præterire.* Longe tamen aliam hujus auctoris mentem fuisse, cum alibi perpetuo, tum etiam in eo hymno de quo agimus; neque ad martyrum patrias, sed ad passionum loca, maxime vero in quibus sacri eorumdem cineres habebantur, respexisse: ipsum poematis argumentum quod pridem exposuimus evidenter declarat; non enim vacua vernaculorum martyrum nomina, sed sacra eorumdem ossa civitates quasque Christo oblaturas Prudentius ait (*a*); nec Cæsaraugustam laudat, quod octodecim martyrum patria sit, de quo inferius nobis sermo recurret; sed quod ibidem sacra eorum corpora tumulata fuerint. En aliquot ejus hymni loca, initio quidem (*b*):

Bis novem noster populus sub uno
Martyrum servat cineres sepulcro.

Sub finem vero (*c*):

Octo tunc sanctos recolet decemque.
Angelus coram Patre Filioque,
Unius urbis regimen tenentes
Jure sepulcri.

Atque alibi passim.

His jam nutare Blanchinum video; sed pergamus rem allatis exemplis illustriorem reddere. Felix in eo hymno, ut vidimus, Gerundæ a Prudentio ascribitur, Cucufas Barcinoni; neutram tamen istarum urbium utriusque illius martyris, aut alterius eorum patriam fuisse notissimum est; sed eos in Africæ urbe Scillitana (*Mezillam* nunc indigenis vernaculo sermone dictam, ex situ ac nominis affinitate conjicio [*d*]), natos fuisse constat. Calagurris itidem Hemeterii et Chelidonii exuvias Christo oblatura recensetur; quos tamen Legione progenitos fuisse ex communi et receptissima sententia non ita pridem dicebamus. Narboni Martio Paulus, Sergius prænominatus, in eo poemate attribuitur, quod sacra ejus martyris ossa ibidem ad hanc usque diem requiescant; ipse tamen in Urbe natus, domique et in provinciis eximiis muneribus, et proconsulatu functus creditur; certe patria Narbonensis non fuit.

Nec scimus an Zoilus atque Aciscius nativitatis jure ad Cordubam spectent, qui tamen ob martyrii ac sepulcri locum ei urbi a Prudentio ascribuntur (*e*) Imo ipsos decem et octo martyres, quorum proprius est hymnus de quo agimus, non alio quam sepulcri jure Cæsaraugustæ a Prudentio attributos arbitror; ipse certe neminem eorum, dum viverent, Cæsaraugustæ incolam fuisse perhibet, inquiens (*f*):

Martyrum nulli remanente vita
Contigit terris habitare nostris.

Si vero eosdem Cæsaraugustæ natos fuisse gratuito Blanchinus asserat, habemus arietinum oraculum, æque enim ipsorum ac cæterorum martyrum patriam Prudentius silet.

Hæc autem cum ita sint, liquidum jam fiet Prudentium in hymno de quo agimus minime ad temporales martyrum patrias respexisse, sed ad loca solum in quibus tunc sacræ ipsorum exuviæ colebantur. Verum, inquit tamen Blanchinus, in hymno mentio quoque Eulaliæ est, cujus cineres ovans Emerita Christo allatura dicitur: Complutum itidem Justi et Pastoris; Tarraco Fructuosi et sociorum: quos tamen iis ipsis quibus attribuuntur urbibus natales hausisse novimus; ut proinde non perpetuo martyrum patrias Prudentius in eo hymno siluisse dicendus sit. Quid vero tum postea? Casu hi martyres in ipsa, quæ pridem eos mundo pepererat, urbe ad palmam vocati, ibidemque a Christianis tumulo compositi fuere. Quare Prudentius passionis et reliquiarum in eo hymno sedes enumerans, non potuit ab iisdem horum martyrum patrias sejungere; nec cum unus esset eorum sepulcri et nativitatis locus, priore in quo passi fuerant designato, posteriorem indictum præterire. Nusquam tamen is auctor patrias

(*a*) Stroph. IV, vers. 15 seq.
(*b*) Stroph. I, vers. 1, 2.
(*c*) Stroph. XLIII, vers. 173 seq.
(*d*) Fuerit fortassis hæc urbs, quæ celeberrimis olim Sperato et sociis, qui *Scyllitani martyres* appellantur, nomen fecit. Verum ubi adhibitis Cellario (*Not. Orb. Ant.*), Baudrando et Ferrario (*in Lexic.*), Nicolao Antonio (*Censura Historiar. lib.* VI, *cap.* 2, *num.* 42), atque aliis apud ipsos, hodiernum ejus urbis nomen elicere cupio, incertior multo effectus sum quam fueram dudum: tanta est inter hos auctores dissensio atque opinionum varietas. Cl. Lesleus (*in Not. Missal. Mozar.*, *pag.* 603) probabile existimat *Scyllam* Proconsularis provinciæ oppidum fuisse, aliis *Scillita* dictum, episcopali sede insigne, quod et Nicolao Antonio placere video (*loco proxime allegato*); sed cum ex Actis S. Cucufatis a Bollandianis PP. allatis (XXV *Jul. post* § 5) constet Cucufatem cum Felice e patria, Cæsaream urbem maritimam (quæ nunc *Alger* vulgo esse existimatur) studiorum causa commigrasse: suspicatus fui *Scyllin* Cæsareæ quam Carthagini (ad quam utpote celebriorem alias sanctissimos martyres studiorum causa mittendos fuisse verosimile est) propiorem fuisse: atque adeo non ad provinciam Proconsularem, sed ad Mauritaniam Cæsariensem eam urbem pertinuisse. Præterea cum in recentibus chartis geographicis non longe ab hodierno *Alger* oppidum *Mezilla* reperissem, ex qua voce si priorem consonam, quæ procul dubio servilis est, cum sua vocali amoveas, superest *Zilla*: nominis affinitate inductus sum ut conjicerem eam antiquam *Scyllin* Felicis et Cucufatis patriam fuisse.
(*e*) Zoilum atque Aciscium Cordubæ olim incolas fuisse constans est auctorum traditio ex antiquis Breviariis, Legendariis, atque Actis deducta, de qua cl. Florezius noster (*Tom. X*, *pag.* 289 *et* 307). De patria nihil certi habemus, neque is auctor quidquam prodidit
(*f*) Stroph. XXIX.

eorum martyrum data opera recensuit, ac ne de ipsis cogitavit quidem, ut ex hymni argumento liquet. A

Rem satis per se, ut opinor, illustrem alter ipsius poematis tractus demonstrabit, in quo Prudentius, licet alias Vincentium levitam Cæsaraugustæ natum atque educatum crediderit (id quod mihi ex vigesima sexta et sequenti strophe (*a*) perspicuum fit); nihilominus tamen, quod extra patriam, Valentiæ scilicet nostræ in Edetanis, passus ac tumulo compositus fuisset, non audet ipsum iis martyribus, quos pleno jure Cæsaraugustanos appellat, inserere; sed parum moratus temporalem sanctissimi levitæ patriam, ad eos rejicit, qui in hymno auctarii loco et extra ordinem Cæsaraugustanis adjiciuntur.

Itaque post recensita sanctorum octodecim martyrum nomina, secundam, ut ita dicamus, classem instituit, eorum scilicet qui non æquo ut priores illi jure Cæsaraugustæ ascribi possunt. In his Encraten *propriæ*, ut ipse Prudentius ait, *morti superstitem enumerat*; binos itidem Christi confessores Gaium et Crementium, quos *gustato leviter martyrii sapore contra latronum fremitum infractos stetisse tradit;* ac demum Vincentium; licet enim extra patriam is passus ac sepultus fuisset, sacri tamen ejusdem cruoris portio Cæsaraugustæ asservabatur (*b*), quem non minori in pretio apud Cæsaraugustanos habitum fuisse ait, quam si reliquas sacrati corporis exuvias possiderent. En Prudentii verba (*c*):

Nonne, Vincenti, peregre necandus
Martyr his terris tenui notasti
Sanguinis rore speciem (*d*) futuri
Morte propinqua?
Hoc colunt cives, velut ipsa membra
Cespes includat suus, et paterno
Servet amplectens tumulo beati
Martyris ossa.

Pari etiam ratione, ut ad rem nostram redeamus, in hymno ejus libri nono sanctæ Eulaliæ Emeritensi inscripto (consulto octavum misimus qui sanctæ Agnetis passionem continet), quod virgo et martyr inclyta in patria Emerita passa, atque ibidem sepulta esset, quæ urbs Prudentii ætate sacras adhuc Eulaliæ exuvias retinebat: ea occasione ibidem in lucem edita dicitur; obiter tamen, et fortassis ut strophes hiatus impleretur. En ejus hymni verba (*e*):

Germine nobilis Eulalia,
Mortis ac indole nobilior,
Emeritam sacra virgo suam,
Cujus ab ubere progenita est,
Ossibus ornat, amore colit.

Ubi notandum, comma: *cujus ab ubere progenita est*, periodo appositum, ejusque plane ἐπισύναψιν esse; quod proinde, si vel integrum dempseris, sententiæ auctorisque in ea strophe proposito nihil decedet, non secus ac si parenthesin ex oratione detrahas. Est autem hic sensus: Emeritam civis suæ Eulaliæ amore tueri, sacrisque ipsius ossibus ornari, quem bis Prudentius inculcat sub ejusdem hymni finem, inquiens (*f*):

Nunc locus Emerita est tumulo.

Et paulo inferius (*g*)

Hic ubi marmore perspicuo
Relliquias cineresque sacros
Servat humus veneranda sinu.

prorsus ut ad sepulcri locum, non ad Eulaliæ patriam respexisse Prudentius videatur. B

Superest nobis examinandus hymnus ejus libri decimus, quo Fructuosi et sociorum Tarraconensium passio continetur; quatuor enim reliqui ad Hispanos non attinent, vel de sanctis non agunt. In eo autem hymno quanquam multa de horum martyrum cruciatibus et mira constantia, de sacris ipsorum cineribus deque miraculis et sepulturæ loco dilucide habeantur; nihil tamen quod ad eorum patriam referri possit hactenus reperire potui; neque in eo laudatur Tarraco nisi occasione martyrii sacrarumque Fructuosi exuviarum, quas Prudentii ætate Tarraconenses asservabant. Ex quibus confici plane existimo, nullius ex Hispanis martyribus quorum hymni habentur in libro περὶ Στεφάνων, patriam a Prudentio ex professo designari; tertiamque illam Blanchini C thesin infirmissimam, nullaque non ex parte falsam esse.

Quartam postremo confutandam aggredimur, in qua idem auctor Prudentium in eo de quo agimus hymno Laurentii patriam non silere asserit; satisque innuere Romam eam fuisse, modo animum advertere Hispani velint, quandoquidem urbem ad cœlos evehit, eamque parentem dicit. Verum et in ea nonnihil humani passum Blanchinum fuisse ostendemus modo; nunc, quod instat, scire ab eo vehementer cuperem, unde datum senserit in illis quas Prudentius congessit Urbis laudes Laurentii patriam contineri? Diversa quidem meo judicio hæc sunt, imo et longissime petita. Laudat quidem Prudentius Romam, ut pridem dicebamus, a religione, triumphis, imperio, sacrisque martyrum exuviis: quid autem id, quæso, cum D

(*a*) Consonat Prudentio Eugenius Junior episc. Toletanus in Epigramm. de Basilica Cæsaraugustana S. Vincentii martyris, sub cujus medium legitur:

Passio sacra tuum provexit ad æthera nomen.
Conservet *populum* passio sacra *tuum*.

Indicaverat pridem nobis hunc locum ex Sirmondo cl. civis et amicus noster Dominicus Lopezius Barrera, Hispanicæ in Urbe legationis chartophylacio præfectus, dum meditationes has in Adversariis nostris legeret. Habetur tamen et apud Lesleum in not. Miss. Mozarab. pag. 551, col. 1.

(*b*) Fueritne tunica, an stola beatissimi levitæ, seu potius linteolum, id est sudarium ejusdem cruore respersum, lis est inter auctores, de qua vide Lesleum, Annot. Miss. Mozar. pag. 561. Epigramma Eugenii Toletani de linteolo diserte loqui videtur; ait enim

Hic jacet ille cruor quem das pro corpore pignus
Nare fluente tuus, hic jacet ille cruor.

(*c*) Stroph. XXII seq., vers. 89.

(*d*) Puto restituendum, *specimen*, quanquam Codices omnes *speciem* habeant; ut videre est in variantibus Prudentii apud Weitzium. Id enim nec sensus respuit, et ratio grammatices exigere videtur; sequitur namque: *Hoc colunt*, id est, *specimen*. Sane sub finem ejusdem hymni de Encrate loquens ait:

Viva post pœnæ *specimen* puella.

(*e*) Hymnus IX, in honorem beatæ Eulaliæ martyris.
(*f*) Stroph. XXXVIII, vers. 186.
(*g*) Stroph. XXXIX, vers. 191, 194 seq.

Laurentii nostri patria commune habeat? Aut cur tot alioqui nominibus laudandam Urbem non laudaret Prudentius, præsertim cum ipsam ex Hesperia ultima quasi præsentem alloqueretur?

Verum, inquit Blanchinus, non tantum laudat, sed eam insuper *parentem* vocat. *Cujus* tamen, inquam ego, *parentem? Laurentiine?* Minime i l vero, sed, quod eodem recidit, *fanorum*. Aitne autem serio Blanchinus, aut data nos opera ludificare vult? En ejus hymni synopsin. Alloquitur primum in eo Romam Prudentius noster, quam *fanorum* olim *parentem, Christo tamen deditam* vocat; nihilque ipsi jam deesse gloriæ gratulatur, quandoquidem nedum mortale genus hominum, sed quod unum supererat, immortales etiam deos, ipsumque summum Jovem (ethnicam phrasin emphaseos causa Christianæ prætulimus) Laurentio duce vicerit prostraveritque. Pergit porro Sixti de morte Laurentii vaticinium, levitæ sanctissimi dignitatem, præsidis avaritiam, reliqua demum quæ illius passionem præcesserunt, exponens, donec *semustulato*, ut Prudentius ait (*a*), *corpore* loquens e catasta martyr inducitur, Christumque inter flammas orans, ut qui Romano imperio gentes universas parere jusserat, easdem pulsis in te superstitionum monstris in unam fidem coire faciat.

Liceat nunc mihi (quando tantum alias boni otii inutiliter contrivimus), liceat, inquam, Laurentii deprecationem qualis in hymno habetur, cum ea quam levita sanctissimus Christo martyrum regi inter flammarum turbines obtulit, paulisper conferre: quam scilicet primævæ illius, et ut ita dicamus archetypæ orationis stylus, præ posterioris hujus exempli, cæteroquin elegantissimi, sublimior, efficacior ac penetrabilior esset! Quam præ Laurentiano Prudentii eloquium infans, sermo rudis, indiserta facundia! Quos sanctissimus levita gemitus, quæ inter flammas suspiria, quos demum, natantibus jam in morte oculis, supernæ præhauriendæ luci conjectus cœlo non infigeret! Succumberent plane Attica et Romana facundia, vel si adumbrando invictissimi martyris ignito vere eloquio collatis utrinque viribus conjurarent. Nos tamen ad propria redeamus.

Pergit subinde poeta noster enarrans quantum ex Laurentii triumpho Christianis fidei ac roboris, ethnicis autem ignominiæ ac dedecoris accesserit, horum inquiens delubra sensim deseri, ecclesias vero magis in dies frequentari. Invidet pie Romanis quod sacris Laurentii exuviis potiantur, easque præsentes venerari possint, id quod ipsi tot locorum intervallis ab Urbe disjuncto minime concessum sit. Addit præterea tantam inesse Laurentii meritis efficaciam, ut nullus ab ejus sepulcro tristis aut vacuus discedat; ac demum inter ejusdem cultui addictos benigne exaudiri comprecatur. En Laurentiani Prudentii hymni summam ac seriem universam, in quo nonnihil forsan ad Blanchini propositum spectans invenient oculatiores alii; mihi certe quanquam plus centies hymnum legerim, ne verbum quidem de eo argumento reperire contigit.

Atque hactenus ad Blanchini objecta. Sed nondum nos hinc abire sinit alter Merendæ scrupulus, quem tamen ipse validissimum argumentum esse arbitratur. Cum enim Prudentius unum illud Romanæ gloriæ defuisse scribat, ut post domitum terrarum orbem, spurcum quoque Jovem vinceret (*b*),

Non turbulentis viribus
Cossi, Camilli, aut Cæsaris,
Sed martyris Laurentii
Non incruento prælio:

confici inde putat præfatus auctor, atque *evidenter consequi*, Laurentium a claris illis ducibus, quos in ea strophe nominat Prudentius, quosque in Urbe natos fuisse constat, minime disjungendum.

Atqui nihil opus erat Merendæ tam misere conficere atque excruciare sese in exprimendo Prudentii hymno; cum nullibi non obvium sit Leonis in eamdem sententiam de Laurentio dictum; nempe, *quam clarificata fuit Hierosolyma Stephano, tam illustrem futuram Romam Laurentio* (*c*); quod tamen vix scio an ab aliquo recentiorum aut veterum pro astruenda Romana Laurentii patria hactenus usurpatum fuerit. Quidni autem? Scilicet quia noverant non eo loco de patria Laurentii a Leone agi; neque in natalibus utriusque martyris, sed in certamine ac triumphis, eorumque gloria parallelismum inter eas urbes stare; quo item intuitu bella priscorum ducum cum Laurentii nostri victoriis Prudentius confert; tantoque has præ illis illustriores censendas prædicat, quanto superi cum Jove ipso summo, mortalibus antecellunt. Hos triumphos scilicet, has martyrum laureas, veteres Ecclesiæ Patres celebrabant, nihil interea morati temporales illorum patrias, quippe quas ad virtutem nihil profuisse norant; seu præter Prudentium, locupletissimi testes sunt Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, et alii quorum loca describere non vacat.

Hinc jam Merendæ scrupulum facile eximendum fore arbitror. Non etenim Laurentii natales cum Cossi, Camilli, aut Cæsaris natalibus: sed triumphi cum triumphis a Prudentio in hymno de quo agimus conferuntur; huncque omnino poetæ scopum fuisse nobiscum agnoscet, quisquis mente a præjudiciis vacua verba et periodi sententiam considerare velit. Si tamen comparationem ad patrias quoque extendere Merenda velit, adigendum eum putamus ex ipso Prudentii hymno, ut vel Petrum et Paulum patria Romanos, aut e contrario Neronem Galilæum aut Tarsensem fuisse asserat. Videamus quo jure.

Inducit Prudentius in eo hymno levitam nostrum qui Jovem acerrime insectatus, his ipsi verbis exsilium ab Urbe sempiternum imperat (*d*):

Discede, adulter Juppiter,
Stupro sororis oblite;
Relinque Romam liberam,
Plebemque jam Christi fuge.

(*a*) Stroph. LXXXII, vers. 348.
(*b*) Stroph. IV, vers. 13 seqq.
(*c*) Serm. de Natali S. Laurentii.
(*d*) Stroph. LXXVII, vers. 469 seq.

Te Paulus hinc exterminat,
Te sanguis exturbat Petri;
Tibi id quod ipse armaveras
Factum Neronis officit.

Sensus posterioris strophes est : *Discede, impure Jupiter; non modo enim perpetui osores atque hostes tui Petrus et Paulus; sed et ipse qui te olim eximie coluit Nero, cuique immane consilium necis illorum inspirasti, pellunt te procul, atque ejiciunt Urbe; jamque omnibus unum est exsilii tui propositum.* Jam vero si ex concursu Laurentii cum priscis illis Cosso, Camillo et Cæsare, illustrandæ scilicet triumphis Urbi, liceat Merendæ elicere, non secus ac duces illos, Laurentium patria Romanum fuisse : cum e contrario, pellendo quoque ab Urbe Jovi cum beatis apostolis conjuret Nero, licebit nobis itidem aut illos patria Romanos, aut hunc Galilæum, sive Tarsensem facere. Sed ludicra hæc sunt.

CAPUT VII.

Solvitur præcipuum Blanchini argumentum ex Veronensi Sacramentario desumptum.

Hactenus ferentarios tantum hastatosque suos in aciem Blanchinus eduxit, ratus, uti ego arbitror, velitari prælio negotium universum transigendum, neque opus ei fore ut collatis signis confligeret. Nunc postquam paulo acriore nisu pugnam redintegrari animadvertit, triarios cataphractosque, bello scilicet vividam virtutem ciet, quam confertissimo agmine nobis objiciat; nec tamen, ut varii sunt bellorum exitus, subsidiariam intermittit cohortem, quæ laboranti militi opportune succurrat. Magno itaque nobis opus est nisu, si quidem tantus sustinendus est impetus.

Promiserat se nobis in eo quod præcessit argumento Blanchinus illustraturum Prudentii testimonia de Laurentii patria, quæ subobscura esse non diffitetur. Pergit subinde urbes enumerans quæ de Homeri patria contendunt; et non dissimile de Laurentio certamen esse innuit, dum unusquisque martyrem invictissimum sibi expetit, pro suo vindicat. Hic autem nonnihil commotus : *Ego* (*a*), inquit, *nunquamne reponam? Me, me, adsum ; et quoniam senatus populique Romani decreto civis Romanus sum*, LAURENTIUM ROMANUM FUISSE DICO, VINDICO, REPETO, ATQUE CONFIRMO, *ad ejusdem populi Romani gloriam laudemque sempiternam. Nec solis conjecturis indulgeo, sed etiam testem locupletissimum affero Sacramentarium videlicet Leonianum.*

Hoc autem (pergit) *a me publici juris factum tomo IV Anastasii Bibliothecarii, universa litteratorum respublica mirata est, eique celeriter, ut antecelleret omnibus antiquitatis gloria contigit. Nam Parisiensis Ecclesia, quæ de auctoris ingenio poterat judicare*, IPSUM MAGNO LEONI FIRMISSIME ADJUDICAVIT *in præfatione*
A *novi Missalis, editi anno 1739, his verbis.* Describit Blanchinus Missalis verba, quæ ab ejusdem editoribus magis quam a Parisiensi Ecclesia profecta videntur; quodque caput est, minime ex iis conficitur priores illos, aut posteriorem hanc, Sacramentarium de quo agimus sancto Leoni attribuisse, sed tantum (*b*) *preces plurimas eximiam pietatem spirantes, sanctique pontificis*, CUI TANQUAM CERTISSIMO AUCTORI TRIBUUNTUR, *stylum referentes.* Summam ejus loci sistimus; longum enim esset integrum eum describere.

Ex hoc igitur limpidissimæ fonte (subdit Blanchinus) *puriores aquas hauriam, perficiamque profecto* LAURENTIUM NON SEGREGANDUM, CUM SIT ROMANUS CIVIS, A NUMERO CIVIUM; SED CONTRA, TOTIUS URBIS ET SACRI
B APOSTOLICI COLLEGII ACCLAMATIONE REPETENDUM ESSE, FATEANTUR OMNES. *En* (pergit) *præfationem recito missæ* XII *in natali sancti Laurentii quæ habetur in Sacramentario Leoniano pagina XXXVIII:* Vere dignum. Quamvis enim sanctorum tuorum propagante te Domine toto orbe clara sit gloria, DE BEATI TAMEN SOLEMNITATE LAURENTII PECULIARIUS PRÆ CÆTERIS ROMA LÆTATUR, CUJUS NASCENDO CIVIS, SACER MINISTER, ET DICATUM NOMINI TUO MUNUS EST PROPRIUM. *Si nihil aliud* (concludit) *de civitate Laurentii dicerem, dicta causa esset :* QUOMODO ENIM TANTI PONTIFICIS TESTIMONIUM INFIRMARI POTEST? En summam Blanchinianı roboris

Prius autem quam dextras conseramus, juvaret quidem de auctore Sacramentarii Veronensis, cujus
C testimonium tam acriter in nos Blanchinus urget, pauca præmittere, quibus auctoritatis ejusdem pondus ad justam trutinam exigere lectores possent. Ac mihi quidem cum primum lucubrationem istam adumbrarem, tanta de eo argumento in mentem veniebant, ut post habitos de Damaso et Laurentio tractatus, ternum alium de *Veronensis Sacramentarii auctore* ex professo instituerem, quem etiam ad optatum finem perducere licuit. In eo autem (summam indicare hic placet, nam is suo tempore separatim edendus est), in eo, inquam, nedum Sacramentarii historiam et vicissitudines, quas sane ingentes præclarum cæteroquin opus ab ipsa pene infantia subiit, late persecutus sum; sed, quod præfiscine dixerim, ostendi ac plane demonstravi sanctum
D Leonem ejus Sacramentarii auctorem non fuisse, neque *auctorem et compilatorem simul* (quod novus Blanchini manipularis ut ipsi laboranti succurreret δευτερόπρωτον lepide (*c*) commentus est); imo nec Sacramentarium unquam vidisse, cum longe post Leonis ætatem is primum Codex archetypus emersisset. Nolumus tamen inexplorata re fidem his nostris dictis lectores accommodent; sed tantisper ad LEONIANI titulum, quem Sacramentarium præse-

(*a*) Blanchin., annot. CVI in Orationar. antiquiss. ritus Gothici, pag. 292.

(*b*) *Ex illo igitur spectabili monumento* (Sacramentario scilicet Veronensi) *mutuati sumus* (inquiunt ejus Missalis Editores, non autem Ecclesia Parisiensis, quod et Acamus fatetur pag. 124, 265 et alibi) *preces plurimas, eximiam spirantes pietatem Magnique Leonis, cui tanquam certissimo auctori attribuuntur, stylum et doctrinam referentes.* Præfat. novi Missalis Parisiis editi ann. 1739, apud Blanchin. annot. CVI Orationar. Goth., pag. 292.

(*c*) Comes Acamus, *Dissert. dell' antichita, autore, e pregi del Sagramentario Veronese*, part. II, § II, pag. 58, 165, 227, et alibi passim.

fert, hæreant, memores nervos atque artus esse sapientiæ non temere credere (*a*).

Ego vero ne Blanchino nimis interea meticulosus videar, nihil morabor, si per nostrates Hispanos licet, Sacramentarium quam late illud patet S. Leoni gratis ascribere. Nec vereor præterea, subeitne in eo, qui nobis objicitur tractus, vitium aliquod ex his quæ vulgo in veteres Codices ex longa possessorum successione, varioque ipsorum ingenio adrepere solent: num quid scilicet in eo abrasum aut interlitum sit: glossave aliqua, quam postillam vulgus appellat, textui subinducta, sive quid demum aliud quod lectionis fidem quovis pacto sublestam reddat. Si quid horum in eo tractu a Blanchino deprehensum fuisset, arbitror ipsum, qua probitate est, vel si Codex esse jam omnino desiisset, ingenue atque ex fide quæ religiosum virum addecet non dissimulaturum.

De Codicis antiquitate, quod superest, quanquam non omnem penitus scrupulum nobis adimat specimen characteris ejusdem a Blanchino inter Anastasii Prolegomena editum (*b*), commode tamen ad sæculum octavum, aut sequentis sæculi initium referri posse existimo. Juvaret tamen pergamenæ chartæ qualitatem, tersa an subacta; maxime vero figuram, quadra scilicet an oblonga sit, nobis itidem Blanchinus indicaret; his enim præsidiis in re dubia, qualis plerumque ætas Codicum est, opinio antiquitatis ipsorum confirmatur, imo validas interdum ex ipsis conjecturas elicere peritiores palæographi solent.

Unum hoc non injuria suspicer, num scilicet tractus de quo loquimur antiquarii oscitantia corruptus; præsertim vero num bina illa verba *nascendo civis* ex antiquioris Codicis glossa in textum irrepserint, aut alias interpolata fuerint. Prævivit quidem nobis in non dissimili suspicione Acamus, quanquam tanti ipsius interesset Codicem de quo agimus integrum atque incorruptum servare. Cum enim is alicubi ab altero ex Blanchini adversariis adigeretur, ut communem utriusque de ejus Codicis auctore sententiam retractaret, idque ex ipsius Codicis verbis: locum qui sibi objiciebatur, antiquarii oscitantia corruptum aut vitiatum esse pronuntiare nihil veritus fuit. Rem exponam ordine.

Cum, evulgato primum Veronensi Sacramentario, non tam Codicem (ut falso sibi Blanchinus persuaderi voluit), quam inditum ei LEONIANI nomen, eatenus inauditum, demirata fuisset liturgicorum respublica: præcipui cultores ejus studii, summi quidem viri, tituli novitate exciti, communibus suffragiis Blanchinum præjudicatæ attributionis reum dixere, suis quisque argumentis Sacramentarium sancto Leoni Magno abjudicantes. In his cl. Meratus (*c*) ex Simplicii papæ mentione, quam in eo Sacramentario reperit, conficere videtur, cum Simplicius aliquanto quam Leo recentior fuerit: non hujus, sed Simplicii tempore conscriptum eum Codicem fuisse, neque Leoni attribui posse. Huic autem argumento, quod quam sit efficax nemo non videt, Acamus expedite respondet, vel adjectam Codici post mortem Simplicii, ejusdem commemorationem, ut fit in libris qui usui Ecclesiarum deputati sunt; *aut antiquarii oscitantia pro* SILVESTRI, *quod scribere debuerat*, SIMPLICII *nomen in eo Codice repositum* (*d*).

Nec abnuit cl. Muratorius, qui alicubi de eadem hac Simplicii mentione loquens ait (*e*): *Jam supra vidimus preces Deo oblatas fuisse in Sacramentario hoc pro anima* SIMPLICII episcopi. *Vitiatum eum locum a librario suspicari fas est.* Et mox: *Conjicere possumus tres Orationes in honorem sancti* SILVESTRI *positas fuisse in Codice... Librarium vero, dum istam collectionem scriberet, incaute ex una per saltum transiisse in alteram.* Si utrique ergo huic scriptori, et maxime Acamo, ubi Sacramentarii verba parum ex ejus et Blanchini sententia procedunt, impune asserere licet vitiatum aut corruptum locum quo de agitur, qua parte scilicet ipsos pungit: cur non item nobis eadem venia concedenda, ut in Contestatione, quæ nobis objicitur, verba *nascendo civis*, si eisdem Laurentii patriam contineri volumus, adjuncta, aut superinducta, sive alias interpolata esse suspicemur? O cupet extremum scabies.

Conjecturæ præterea quæ augendæ huic suspicioni nos planissime conducunt, nedum lectorem æquum atque immerentem, sed Fabium ipsum delassare valent: tam varia est et multiplex earum copia. Ne cui autem occupandis legentium animis splendide hoc magis quam vere dictum videatur, præcipuas adducere operæ pretium fuerit. Diximus pridem Ecclesiæ Patres et scriptores, quod attinet ad temporales martyrum patrias, verborum parcissimos fuisse, cum e contrario in describendis ipsorum passionibus, designandisque locis in quibus eæ peractæ sunt, diligentissimi fuissent; verum id tamen paulo generalius. Illud nunc addimus, neque in Actis martyrum, qui proprius quodammodo locus videbatur, cum alias universa quæ eorum passiones spectant minutissime descripta sint, nisi admodum raro, martyrum patrias enarrari. Quid Martyrologia, in quibus fere perpetuo passionis locus, rarissime natalis recensetur; quod et ipsum in iis quas veteres Patres de martyribus ad populum conciones, seu homilias habebant; imo in ipsis sanctorum Vitis observare licet?

Mitto Prudentium, de quo satis superque dictum; mitto veteres alios, præter unum Hieronymum, qui in tractatu de Viris illustribus cum eorum qui ab apostolicis temporibus ad ætatem suam doctrinæ

(*a*) Epicharmi verbum apud Cic. *de Petitione consulatus*, num. 10.
(*b*) Tom. IV Anastasii, pag. 21.
(*c*) In observat. et addit. ad Thesaur. sacr. rituum Bart. Gavanti, tom. I, part. I, pag. 8 Apud Acam., Diss. de Sacramentario Veron., part. II, pag. 126.

(*d*) Acam. part. II, pag. 126: *Ovvero potrebbe rispondersi che per negligenza di chi copiò il Sagramentario in vece di* S. SILVESTRO, *vi sia stato sostituito il nome di* S. SIMPLICIO. Eadem habet pag. seq.
(*e*) Diss. de Liturg. Romana Vet., tom. I, cap 3 col. 26.

laude floruerunt scripta vitasque breviter attexuisset : si Justinum ac Philemam demas, quorum expresse designat patrias, et Cyprianum, quem generaliter Afrum dicit, nullius præterea ex iis qui martyres occubuere natale solum prodidit. Ejus rei causam, ne quis gratis id a veteribus factum arbitretur, adjungimus : quia nempe Acta, Homiliæ, Martyrologia, et Vitæ sanctorum, non illustrandis urbibus aut demulcendis auribus, sed informandis ad pietatem fidelium animis scribebantur; cui studio nihil martyrum genus et proavi, valde autem multum egregia ipsorum gesta passionesque conducibiles erant.

Eodem sane consilio, nec sine divino numine ab Ecclesia jam inde a priscis sæculis constitutum fuit, ut ex Actis martyrum, perbrevis passionis eorum memoria ad sacræ liturgiæ libros permanaret; inque propriis eorumdem missis, *martyrum tormenta succincte recenserentur*, ut Hilduinus ait (*a*); id quod ex vetustissimis etiam liturgiis confirmat luculenter Ruinartius inquiens (*b*) : *Cæterum* præcipuæ martyrum actiones *inter ipsas etiam missæ preces inserebantur, ut ex antiquissimis liturgiis, Gallicana, Mozarabica, et ipsa etiam Gregoriana probari potest. Ibi enim missæ contestationes, quas vulgo nunc præfationes appellamus, nihil aliud sunt quam* martyrum de quibus missa celebratur præclare gestorum expositio. Juvat quoque in hanc rem Gregorii Turonensis locum adducere (*c*): *Factum est* (inquit) *in die solemnitatis B. Martini, nobis missas dicentibus, cum rite sacrosancta solemnia celebrando* contestationem de sancti domini virtutibus enarraremus, *subito illa puella paralytica vociferare cœpit*, etc.

Ex quibus liquidum fieri puto, secundum id quod in Actis, Homiliis, atque Historiis martyrum a veteribus Ecclesiæ Patribus perpetuo observatum vidimus, scilicet ut parum ab eorum auctoribus temporales martyrum patriæ curarentur : sic et in Sacramentariis propriisque martyrum missis, mirifica inter Patres et sacram liturgiam consensione, *illorum tormenta, præcipuaque gesta*, ut Gregorius et Hilduinus edixere, non vero martyrum patrias enarrari; tantoque hic minus quam in Actis, Martyrologiis atque Homiliis, quanto horum omnium scriptoribus latior patebat dictandi atque eloquendi campus, quam liturgiæ conditoribus; cum in hac *perbrevis et succincta solum passionis martyrum commemoratio fieri posset.*

Jam vero cum constet vetera Ecclesiæ Sacramentaria Gelasianum, Gregorianum, ipsumque de quo agimus Leonianum, nihil aliud esse quam missales Codices quos ad sacram liturgiam priores illi ex quibus nomina mutuati sunt pontifices adhibuere, atque Romanæ Ecclesiæ utendos proposuere : consequens omnino fieri videtur, quicunque tandem in his Sacramentariis locus (idem de cæteris libris liturgicis, maxime vero de his qui ad Ecclesiæ Romanæ usum adornati fuere judicium esto) temporalem martyrum patriam genusve continere deprehendatur, quod tamen rarissime continget, eum tanquam parum spiritui Ecclesiæ cohærentem, jure pro suspecto habendum.

Jam hinc Blanchino nonnihil scrupuli injiciendum fore existimo, si verbis illis *nascendo civis* Laurentii patriam contineri contendat, qualis demum eis fides adhibenda sit. Levia tamen hæc sunt, nisi consilium silendi martyrum patrias in liturgicis libris, perpetuo quoque Ecclesiæ usu confirmatum viderit. Legat quæso Gelasianum, Gregorianum triplex, Boviense, et si quæ sunt alia veteris ritus Sacramentaria (consulto Leonianum mitto de quo lis est, quodque suo demum loco singillatim examinandum veniet): legat item Missales, Legendarios, Orationarios cæterosque Codices liturgicos a Pamelio, Mabillonio, cardinali Thomasio, et Muratorio evulgatos : relegat postremo Orationarium antiquissimi ritus Gothici, quem ipse notis illustratum edidit; si autem in iis, quam late patent, aut eorum aliquo verbum offenderit quo martyrum in ipsis contentorum patria vel eminus designetur, tunc me bona fide, seclusaque omni captione Veronensis Sacramentarii contestationem, de qua agimus, atque adeo verba illa *nascendo civis*, pro vero, germano atque incorrupto sancti Leonis fetu habiturum spondeo.

Ne tamen in publica commoda peccare videar, si viro gravioribus districto tantum tædii devorandum objecero : persancte Blanchino affirmare possum, imo etiam conceptis, si opus sit, verbis dejerare, me Sacramentaria quæ vulgo circumferri solent sedulo evolvisse, Gelasianum scilicet cardinalis Thomasii, triplex Gregorianum Jacobi Pamelii, Angeli Rocchæ, et Hugonis Menardi : Gallicanum Mabillonii, quod Bobiense frequenter audit : item aliud Grimoldo inscriptum, necnon Anonymi, Alcuino attributum, et a Pamelio vulgatum : Missales præterea Codices Gothico-Gallicanum, Francorum, Gallicanum veterem, seu Altisiodorensem : Legendarium vetustissimum Luxoviense : Præfationarios Ambrosianum et Gelasianum : Ordines Romanos veteres Hittorpii, Martenii, et Muratorii; ac demum Orationarium antiquissimi ritus Gothico-Hispanici a Blanchino inter cardinalis Thomasii Operum prolegomena editum, notisque illustratum : neque tamen hactenus locum in eis aliquem quo sanctorum patriæ contineantur, imo ex quo ne conjectura quidem eas assequi aut subrimari liceat, reperisse, præter apocrypha illa Missalis Gothico-Gallicani verba, quibus Clementis papæ et martyris patria, genusque et itinera describuntur (*d*). Qua de re nos alias.

(*a*) In Epist. ad Ludovicum Pium, Areopagiticis præfixa apud Th. Ruinart. Præf. in Act. Mart., § 1, num. 5.

(*b*) Præf. in Act. Mart. paulo inferius.

(*c*) Gregorius Turon. de Mirac. S. Martini, lib. II, cap. 14, Edit. Paris. 1699, col. 1046.

(*d*) Est quidem in Missali Mozarabico Leslei (quod absoluta demum hac lucubratione editum fuisse pridem diximus), in missis sanctorum Vincentii martyris, Fructuosi, et Eulaliæ Barcinonensis mentio quædam eorum patriæ; prioris illius quidem generalis tantum, ex qua levitam sanctissimum, Hispanum fuisse (martyrem tamen, an civem ?) nihil amplius elici potest; Fructuosi vero et sociorum pres-

Nec vetera quæ pridem diximus Sacramentaria præsertim ad Ecclesiæ Romanæ usum adornata usque adeo ab hodiernis dissimili structura sunt, ut si ab his Lectiones et Evangelia per anni circulum demas (quæ olim in legendariis et evangeliariis Codicibus seorsim habebantur), non multiplex in utrisque analogia deprehendatur; saltem eumdem olim, atque nunc est, perpetuumque Ecclesiæ in condendis liturgicis libris spiritum fuisse, scilicet ut martyrum et sanctorum exemplis fidelium pietas foveretur, animique ad martyrium, si occasio id ferret, vel ad humanæ vitæ molestias patienter tolerandas alacriores fierent, non diffitebitur Blanchinus; vix tamen scio an in hodierno Missali de patria martyrum alicubi, ne per occasionem quidem agatur; mihi saltem nullum de eo, aut affini argumento exemplum in promptu succurrit.

Nunc autem (quod olim polliciti fuimus, resque ipsa quodammodo postulare videtur) inspiciendum est num Leonianum Sacramentarium, præter Contestationem de sancto Laurentio, quam nobis Blanchinus objicit, quid aliud habeat circa temporales martyrum patrias. In toto eo Codice (quam longissime patet, ut eam præcipue ob causam reverendissimus sacri palatii apostolici magister Orsius (*a*) non Leonianum, sed omnino Gelasianum esse contendit), atque in tanta missarum et orationum quibus abundat silva, unicum nobis exemplum præter Laurentianam illam Contestationem occurrit in missa sancti Clementis papæ et martyris, cujus verba sistere necessarium duximus (*b*):

Vere dignum. Sancti Clementis martyris tui natalitia celebrantes, qui cognationem reliquit et patriam; et post odorem nominis tui terras mariaque transmittens; abnegansque semetipsum, ut te per apostolorum tuorum vestigia sequeretur. Cui tu, Domine, secundum promissionem Filii tui, tam in præsenti quam in futuro sæculo centupli muneris præmia repensasti: nam beatissimi Petri mox tradito disciplinis, parentes quos in genitali solo perdiderat, *in externa regione restituis. Deinde magistri sui vicarium per ordinem subrogando*, Romanæ urbis, cujus propter te despexerat dignitatem, *tenere constituis principatum*

Hæc autem bina omnino exempla cum sint (quod in non minimæ molis opere nisi consultissime factum sciremus miraculi loco habendum) priorem illam quidem sancti Laurentii contestationem sua se fide (quæ quam lubrica sit novimus) tueri oportet; non enim alium e tot liturgicis Codicibus consentientem habet; posterior autem ista sancti Clementis, millenariæ antiquitatis testem pro se adducit, Missale scilicet Gothico-Gallicanum cardinalis Thomasii, in quo sior, cum in eorum missæ admonitione, seu præparatoria allocutione (Pag. 310, col. 1) legatur: *Omnipotentis Dei ineffabilem majestatem rogando laudemus, qui nobis* SANCTORUM TARRACONENSIUM *Fructuosi, Augurii et Eulogii, per beatissimam passionem magna Ecclesiæ præsidia donavit et patriæ*. Paulo autem inferius: *Et cum illa eis in delectatione sit regio quæ suscepit* (cœlum videlicet); *ista non sit in oblivione quæ genuit*. Verum, cum constet hos martyres Tarracone, qua in urbe passi sunt, ad cœlestem patriam evolasse, non hæc de temporali per nativitatem, sed de æterna per martyrium generatione accipienda sunt; sequitur enim continuo: *Habeat illa* (cœlestis scilicet patria) *in collegio suo quos coronavit: habeat ista* (Tarraco) *in patrocinio quos transmisit*. Quod postremum verbum, sicuti et priora illa: *per beatissimam passionem*, sedulo notanda sunt; non enim dicit *quos peperit*, nec *per nativitatem*, sed *quos transmisit*, astris scilicet, *per beatissimam passionem*. — Luculentissimum omnium de sanctæ Eulaliæ Barcinonensis patria testimonium habetur in ejusdem Missa (Pag. 303, col. 2); legitur enim: *Festum beatæ virginis Eulaliæ suscipimus incolendum, in quo eadem martyr* Barcinonensium civis et incola, genitale solum quod meritorum titulis prætulit *honore etiam illustravit sepulcri*, etc., quibus temporalem plane inclytæ martyris patriam designari agnoscimus; verum id in Barcinonensi Eulalia singulare, nec sine causa factum fuisse existimandum; cum enim ex communione nominis Actorumque inter eam et Emeritensem Eulaliam affinitate, utramque olim confusam, atque ex duplici unam, eamque Emeritensem, factam fuisse sciamus; id quod nedum Prudentii hymnus, sed celeberrimus apud veteres, si unum excipias Bedam, Eulaliæ Emeritensis cultus satis ostendit; cum e contrario Kalendaria et Martyrologia passim Barcinonensem Eulaliam sileant: hinc factum, primo ut hujus Eulaliæ gesta Emeritensi attribuerentur, quod Prudentio accidisse existimo; vicissimque Barcinonensis Eulalia alicubi Decembri mense pro Emeritensi coleretur (Kalendar. Corbeiense apud Martenium, tom. III Thes. Anecd., col. 1604); deinde vero ut crescente in dies Emeritensis Eulaliæ celebritate, Barcinonensis interea cultus refrigesceret; nomenque ipsum et patria sanctissimæ virginis paulatim ex Hispanorum animis effluerent. Hunc ergo cultum Hispanicæ liturgiæ conditores, ut apud suos excitarent; deque Barcinonensi Eulalia dubitationem omnem ab Hispanis amoverent, sublata occasione de cætero utramque Eulaliam confundendi: missæ Barcinonensis Eulaliæ, de qua sola dubium esse poterat, contra receptum alioquin tam in eadem quam in aliis liturgiis morem, temporalis patriæ titulum præfixere. — Nec alias mirandum foret, vel si gratis id factum fuisse diceremus, quod in privatæ Ecclesiæ Missali nonnihil ejusdem conditoribus præter receptum in aliis liturgiis usum alicubi excidisset; præsertim circa martyrum domesticorum, id est communem patriam, cujus amplificandæ studium neminem non urget. — Addesis mentionem in eo Missali patriæ Vincentii, Fructuosi et Eulaliæ in ipso statim Missarum limine, id est in admonitione præparatoria fieri; non autem in Orationibus, aut Contestationibus, seu in Missæ, ut ita dicamus, corpore. Constat autem eam admonitionem proprie ad Missam non pertinuisse; nihil enim erat nisi sacerdotis allocutio ad populum, indicata solemnitate ad quam convenerant, ut eidem pie ac devote interessent; fiebatque ante indictum a diacono silentium, post quod demum missa incipiebat a salutatione sacerdotis ad populum. At testimonium e Veronensi Sacramentario a Blanchino adductum, quo temporalem Laurentii patriam contineri is auctor existimat, e media ipsius missæ Contestatione desumptum est; in qua tormenta passionemque sanctissimi levitæ ex Gregorii et Hilduini auctoritate, atque ex mente Ecclesiæ, potius quam ipsius patriam enarrari oportuit.

(*a*) Reverendissimus P. S. P. A. magister Orsius in epistola ms. ad cl. Josephum Blanchinum de auctore Sacramentarii Veronensis, cujus meminit Acamus, part. II, § 13, pag. 132 seq.

(*b*) Tom. IV Anastas., Prolegom., pag. LII.

totidem verbis atque in Leoniano Sacramentario, sanctissimi martyris patria, cognatio dignitasque in propriæ missæ contestatione habentur. Uter ab utro Codex mutuatus hunc tractum fuerit, nec hujus loci, neque facile divinare est; præsertim cum ad manum ii Codices non sint; et alias Missale illud Gothico-Gallicanum non minoris forte antiquitatis esse quam Veronense Sacramentarium, ex his quæ card. Bona (*a*) et Thomasius (*b*) prodidere merito suspicari possimus.

Illud tamen interea liquet, Contestationem de patria et cognatione Clementis anilibus fabulis plenam esse: utpote quæ ex conficto Petri apostoli Itinerario (quod *libri Recognitionum* inscribitur) a Gelasio (*c*) papa in concilio Romano I inter apocrypha relato, fere ad litteram desumpta sit; eamque etiam ob causam a reliquis liturgicis libris merito proscriptam fuisse, quod nec Blanchinus inficiabitur. Eliciat hinc quæso lector æquus, cum non minus Laurentii Contestatio, quam modo adducta Clementis, patriam sanctissimi levitæ præseferre videatur, nullumque præterea e tot liturgicis Codicibus in auxilium suum advocare queat, quanta demum ei fides adhibenda sit.

Vidimus ex uno importunitatis argumenti capite (si patriam Laurentii in ejus missæ Contestatione, quæ nobis objicitur, contineri Blanchinus velit) quantum ea Contestatio de falsitatis, aut interpolationis vitio suspecta sit. Nunc si ad phrasim *nascendo civis esse* animum tantisper advertere volumus: eam profecto nec Latini sermonis genio, neque ætati aut stylo Leonis Magni, cui tamen Blanchinus omnino attributam vult, ullatenus convenire deprehendemus. Primum quod spectat, nemo, opinor, lectorum erit qui nesciat parum Latine dici *nascendo quem civem, ingenuum, aut libertinum esse*. Veteres, imo mediæ quos vocant Latinitatis auctores, dicerent: *natura*, seu si paulo depressius loqui vellent: *naturaliter*; quo sensu Carthaginienses Cicero *natura mendaces* (*d*) victoriam *natura superbam* (*e*) vocat; Horatius, carmen *natura laudabile* (*f*), Romanos *natura sublimes* (*g*) atque alii auctores passim. Scio equidem *solvendo fidejubendo, satis dando esse* Latinissime a veteribus jurisconsultis dici; *imo agnascendo proximiorem hæredem fieri, testamentum rumpi*, quod et apud Ciceronem legimus (*h*); et Virgilius alicubi fortunam *ferendo superandam* (*i*) dixit. Diversa tamen hæc sunt; in his enim phrasibus, voces *idoneus* vel *par* subintellectæ efficiunt ut eadem sit locutio ac si dicamus *trabem*, exempli causa, *oneri ferendo parem*, *virginem viro maturam*, et similia quæ ex germana Latinitate sunt; vel si simpliciter Gerundium ponitur, ex vetere id aliqua atque obsoleta jurisconsultorum formula descendere putandum est.

De ætate autem phraseos *nascendo civem, ingenuum*, aut tale aliquid *esse*, nullum mihi hactenus, nec apud medii ævi scriptores exemplum reperire licuit, ex quo illam elicere possimus. Cl. Ducangius unicum profert e Langobardorum legibus in quibus habetur (*j*): *Et ille qui pulsat, et wadiam suscepit*, PROXIMIORES SACRAMENTALES QUI NASCENDO SUNT *debeat nominare tantum*. Quæ quanquam Latine scripta videantur, ita me Deus amet, non magis ego intelligo quam Pœnulum Plauti; nec nisi ab septimum, fortassis etiam nisi ad octavum sæculum, referri posse arbitror. Sed quid exemplis opus est? Verba ipsa *nascendo civis esse*, pingue nescio quid atque agreste, imo barbarum sonantia, ex infimæ Latinitatis fæcibus hausta e vestigio sese produnt, iis qui Latii non penitus hospites fuerint.

Quæ cum ita sint, si quis etiamnum phrasin de qua loquimur cum stylo sancti Leonis congruere, aut ex ipsius ore prodiisse contendat: nec illum eloquentissimo pontifici injurium fore necesse est. Scio equidem, et in ejus stylo reperisse quod carperent morosiores ævi nostri grammaticos, queis cor, summique ipsi digitorum articuli Tullianum sapiunt; nec dissimulabo nonnulla in ejus Operibus inveniri quæ non satis nervose dicta videri possint; tinnulum præterea dictionis genus, nimisque fortassis anxiam in periodis τῶν ἰσοκώλων, seu *parimembrium* consectationem; verum ut certa ea sint, quod nos non definimus, ad sententiam orationisque structuram, potius quam ad verborum proprietatem spectant; in quibus alioqui serendis, si unum aut alterum nævulum excipias, egregie cautum sanctissimum doctorem fuisse scimus.

Verum ego tamen nec phraseos *nascendo civis* stridorem, neque argumenti importunitatem interea moratus, alia via bina illa verba (si ad Leonis ætatem ea cum Blanchino referri volumus) *incerta, inconcinna*, aut *male cum aliis cohærentia* ostendere in animo habeo; imo ipsorum occasione integram Laurentianæ de qua agimus missæ Contestationem (quæ de cætero sanctum Leonem fortassis auctorem habet [*k*]) vitiatam, atque e libris liturgicis proscriptam fuisse. Id ut plenius innotescat sciendum est, post-

(*a*) Rer. Liturg., lib. I, cap. 12, n. 6.
(*b*) Tom. II, col. 513, Diss. Cl. Muratorii de Liturg. Romana vetere.
(*c*) Conc. Rom. I sub Gelasio ad ann. 494, in decreto de apocryphis scripturis, ibi: *Item: Itinerarium nomine Petri apostoli, quod appellatur sancti Clementis, libri octo* (aliis *novem*, aut *decem*) *apocryphum*.
(*d*) De Leg. Agrar.
(*e*) Pro M. Marcell. IX.
(*f*) In Arte poet., vers. 408.
(*g*) Epist. lib. II, 1, vers. 165.
(*h*) In I de Orat, 241.
(*i*) Æneid. V, 710.

(*j*) Litt. N, in *Nascendo esse*, e Leg. Langobard., lib. II, tit. 21, § 9.
(*k*) Habetur eadem, aut affinis sententia apud sanctum Leonem sermone 1 de Natali apostolor., his verbis: *Verum hodierna festivitas* (Petri scilicet et Pauli) *præter illam reverentiam quam toto terrarum orbe promeruit*, speciali et propria nostræ urbis exsultatione veneranda est; ut ubi præcipuorum apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die martyrii eorum sit lætitiæ principatus. Muratorius quoque (Dissert. de Vet. Liturg., cap. 3, col. 18) eam contestationem usque ad verba *nascendo civis*, Leonianam phrasin sapere innuit.

quam, sedato persecutionum turbine, reddita fuit Ecclesiæ per Constantinum pax, sparsa fidelium animis, diuque occlusa pietatis semina illico erumpere, atque in dies crescere cœpisse, Deo scilicet incrementum dante. Hinc novæ sensim in Ecclesia preces, novæ divinam opem implorandi formulæ, nova denique orationum liturgicarum seges exorta est, cui, ut fit, nonnihil etiam infelicis lolii succrevit. Quanquam enim eæ preces a viris doctis in eam rem adhibitis frequentissime ordinarentur: nonnullæ tamen pietatis potius quam doctrinæ studiosos auctores habuere; atque hinc factum ut plurima aut supervacua, aut etiam incerta, parumque cum aliis cohærentia cum auctorum, tum etiam antiquariorum vitio in Codices liturgicos irreperent.

Huic malo, quod tempore procedente alte in liturgiæ interiora descenderat, jam inde a sæculo quarto, aut ineunte quinto per ecclesiasticas leges mederi cœptum fuit. Itaque concilii Milevitani Patres: *ne forte quid contra fidem per ignorantiam, aut minus studium componeretur*, ut ipsi loquuntur, legem edixere: *ne scilicet preces, aut orationes aliquæ, sive Præfationes, sive commendationes, sive manuum impositiones in ecclesia dicerentur, nisi quæ a prudentioribus tractatæ, vel in synodo comprobatæ fuerint* (*a*), quod et ipsum in codice canonum Ecclesiæ Africanæ (*b*), atque in aliquo ex Carthaginensibus conciliis, teste Walafrido Strabone (*c*), cautum pridem fuerat. Gelasium quoque papam sæculo quinto exeunte in idem studium incubuisse, Sacramentarium ejus nomine inscriptum testatur; id quod idem Strabo atque Anastasius confirmant; ille enim Gelasium *tam a se quam ab aliis compositas preces ordinasse* (*d*), hic vero scriptor: *Sacramentorum præfationes cauto sermone* [*e*] (id est cum delectu et critice adversus obtrectatorum ictus, quo sensu eam vocem alicubi [*f*] Horatius usurpavit) composuisse perhibet.

De sancto Gregorio Magno, qui non minus sedulo quam Gelasius aut priores illi Patres in eamdem curam incubuit, locupletem habemus testem Joannem Diaconum in ipsius Vita: *Sed et Gelasianum* (inquit [*g*]) *Codicem de missarum solemniis, multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla adjiciens pro exponendis evangelicis lectionibus, in unius libri volumine coarctavit*: quid autem ex liturgicis libris Gregorius subtraxerit, indicat Walafridus loco citato, inquiens (*h*): *Et quia tam incertis auctoribus multa videbantur*

A incerta et sensus integritatem non habentia, *curavit Gregorius rationabilia quæque coadunare, et*, seclusis iis quæ vel nimia vel inconcinna videbantur, *composuit librum qui dicitur Sacramentorum, sicut ex titulo ejus manifestissime declaratur.*

Cum itaque omnino extra dubium sit, Gelasium et Gregorium eos maxime liturgicos Codices ordinasse atque in meliorem formam reduxisse, quibus Ecclesia Romana utebatur; nec potuisse alios nisi qui priorum pontificum temporibus conscripti fuissent, quod utrumque Veronensi Sacramentario ex Blanchini (*i*), Muratorii (*j*), et aliorum (*k*) sententia mirifice congruit. Præterea cum, sicut ex Walafrido didicimus, *incerta, inconcinna, maleque cum aliis cohærentia* Gelasius et Gregorius ex antiquioribus

B Romanæ Ecclesiæ Sacramentariis sustulissent; neque amplius jam in Gelasiano cardinalis Thomasii, aut in triplici Gregoriano Pamelii, Rocchæ, et Menardi Codice verba illa *nascendo civis*, imo nec Laurentianæ missæ, de qua agimus, Contestatio reperiantur: consequens omnino fieri videtur, nonnihil in ea Contestatione (vel si ipsam ad Leonis tempora cum Blanchino referamus) *incertum, inconcinnum, aut male* cum aliis quæ historica fide nituntur *cohærens* a Gelasio et Gregorio deprehensum fuisse, ob quod illam e liturgicis libris proscriberent. Quid autem id, quæso, nisi verba illa *nascendo civis*; cum quod reliquum Contestationis est nihil incongruum contineat, Magnique præterea Leonis stylum ac doctrinam sapiat, ut pridem dice-

C bamus?

Jam vero si nostras has nugas Blanchinus esse aliquid putaverit, eo demum hæc omnia spectare existimabit, ut verbis illis *nascendo civis*, seu spuriis ac textui subinductis, nullam prorsus vim aut fidem inesse asseramus, hancque responsionis nostræ summam fore; imo, qua est providentia ac sagacita e vir, ex ipsa etiam responsione urgentissime adversus nos eliciturum: *eum saltem, qui verba* NASCENDO CIVIS *Codici adjunxit, locumque de quo agimus vitiavit aut interpolavit, jam de Laurentii patria dubitasse*; quodque huic proximum est; *jam inde a sæculo octavo, aut ineunte nono, quo Veronense Sacramentarium exaratum dicitur, de Laurentii patria in utramque partem disputatum fuisse.*

D Satisne autem sint quæ adduximus, ut eorum verborum fides in universum traducatur, lectorum erit arbitrium atque existimatio; nobis longe alia mens est, quam ut hac via Blanchini conatibus oc-

(*a*) Can. 12, tom. III Coll. concilior. Labb., Edit. Venetæ col. 383. Incertum tamen est an is canon ad I, an ad II Milevitanum concilium referri debeat; bina enim hæc in unum, librariorum, aut collectorum incuria, conjuncta sunt. Vide Labb. ibid. et in conc. Milev. I. ejusdem tom. III, col. 83.

(*b*) Apud Labb., tom. III Coll. conc., col. 1336, sub init.

(*c*) Lib. de Reb. ecclesiasticis, cap. 22. Edit. Romanæ ann. 1591, pag. 346, col. 2. *Ideoque credimus* (ait) *conciliis Carthaginensi et Milevitano statutum, ut preces et orationes... nisi probatæ fuerint in Concilio non dicerentur.*

(*d*) Loco proxime allegato.

(*e*) In Vita Gelasii.

(*f*) Art., vers. 266:

...... Tutus et infra
Spem veniæ cautus.

(*g*) In Vita Greg. Magni, lib. II, cap. 17.

(*h*) Lib. de Reb. ecclesiasticis, cap. 22, pag. 346, col. 2.

(*i*) In præfixo eid. titulo, tom. IV Anast., p. 12.

(*j*) Diss. de Liturg. Rom. vetere tom. I, cap. 3, col. 18 et 23.

(*k*) Euseb. Amort apud Acamum P. II, § 14, pag. 149, et Acamus ipse P. I, § 13, pag. 41.

curramus. Sed fingo unam Hispanis in ea responsione spem collocatam esse. Nec tunc defore credimus quod reponi posset : si enim data opera Codex ille ab Antiquario corruptus fuisset : utique is de Laurentii patria dubitasse credendus esset ; eoque consilio verba *nascendo civis* textui subinduxisse, ut litem quæ jam tum erat dirimeret. Verum quidni incuria id potius aut oscitantia antiquarii, ut olim in Simplicii mentione contigit, factum putamus? Quidni, latini sermonis ignoratione, quæ quo tempore scriptus Codex dicitur, insignis et prope stupenda erat? Potuit facillime descriptor, dum orationis sensum assequi non valet, priore inexpleta periodo incaute in aliam transire, atque ex duabus unam, hybridam tamen sententiam conficere, quod in Simplicii mentione accidisse Muratorius suspicatus fuit. Potuit verbum, comma, colum, aut aliud quidpiam, quod in autographo esset, omittere, quo adjecto longe alia contestationis sententia futura esset.

Potuere item bina illa verba *nascendo civis*, aut saltem prius illud *nascendo* a glossatore, qui non id ad temporalem Laurentii patriam retulisset, margini antiquioris Codicis adjici, indeque ab antiquario bona fide in textum admitti ; ut germana Contestationis, de qua agimus, littera hæc esset : *peculiarius Roma lætatur, cujus sacer minister*, aut, *cujus civis, sacer minister*, etc. Quidni autem ita factum suspicemur, cum si utrumque id verbum, vel prius illud *nascendo* funditus e textu avulseris, nedum periodus sententiaque perseverat integra (quod non minimum est glossematis hisce internoscendis adminiculum) ; sed geminus ille barbarismi, atque importunitatis argumenti scopulus devitatur?

Potuit demum, ne lectores obtundamus, affinitas vocum CVIVS et CIVIS (si spreto sono quem prolatæ edunt earum tantum picturam attendamus) verbis de quibus agimus in ea Contestatione locum facere. Hæc autem affinitas ut clarior fiat, sciendum est initio litteram V, seu consona sive vocalis esset, e duabus lineis superne patulis, inferne vero connexis atque in punctum quod basi lineæ incumbit desinentibus, hac figura V a Romanis perpetuo depingi; neque illis lunatam, aut arcuatam illa in una tantum inflexa linea constantem, cujus ima curvatura basi innititur hac forma U, cognitam usquam fuisse (*a*); sed eam ex Gothico charactere descendere (*b*), qua etiam posterior ætas adjecto a sinistra fulcro in hunc modum U in medio dictionis usa est (*c*). Constat præterea ex veteribus nummis atque inscriptionibus incognitum Romanis fuisse punctum, quo ex hodierno usu litteram I in minori præsertim scribendi genere insigniri videmus; neque id ante annum

A Christi millesimum usquam in usu fuisse, quod vel ipsum specimen characteris Sacramentarii Leoniani a Blanchino editum docere eos poterit qui has minutias negligendas ducunt.

Hinc autem analogiam inter voces CVIVS et CIVIS, si octavi sæculi scripturam attendamus, paulo jam dilucidiorem fore arbitror. Secundum eam enim in Codice ex quo Leonianum Sacramentarium descriptum fuit ita omnino eas voces CUIUS CIUIS, aut non multo dissimiliter scribi oportuit, quod et multiplici exemplo ex ejus ætatis Codicibus probare possemus, nisi res manifesta esset. Jam vero librarius Latini, ut supponimus, sermonis ignarus, cum in alteram earum incidisset, ratus utrumque et CVIVS et CIVIS ibidem legi posse, dubius tamen utra

B lectio præstabilior esset, ex simplici geminam vocem fecit, aliamque in textu, aliam ad oram Codicis e regione collocavit; eo videlicet consilio ut quam lector sententiæ, quam ipse non assequebatur, congruentiorem judicaret eam altera rejecta præferret. Hoc autem semel admisso, facillime marginalis vox in textum irrepere potuit, et conjungi CVIVS CIVIS; ac demum verbum NASCENDO ad tollendam posterioris vocis ambiguitatem superaddi.

Atque hac ego ratione planissime fieri potuisse existimo, ut verba illa *nascendo civis*, quæ tot nobis turbas concitarunt, genuino sancti Leonis textui, sine alicujus flagitio, ex sola antiquariorum imperitia aut oscitantia adreperent ; quod innumeris præterea vitiatorum Codicum exemplis confirmare in promptu

C esset, nisi præstaret verborum compendium facere. Sane vero vitiatam an integram Blanchinus eam Contestationem velit, nostra non multum refert, cum prædixerimus alia nos via ipsius conatibus obstituros ; refert autem sancti Leonis plurimum ut ab ipso barbarismi labem eluamus, multo autem plus ne prudentissimus pontifex importuna, atque a spiritu Ecclesiæ alienissima, liturgicis libris inseruisse dicatur.

Quorsum tamen ista, Blanchinus inquiet, si quidem nihil inde præsidii responsioni nostræ afferri volumus? Scilicet ut ex præmissa doctrina binas theses, imo vero liturgica ut putamus dogmata elicere nobis per ipsum liceat, e quorum altero Contestatio-

D nis de qua agimus interpretatio omnino petenda est. Sunt autem hæc :

Primum.

Alienum perpetuo a proposito Ecclesiæ fuisse, ut temporales sanctorum patrias liturgicis libris insereret; ac proinde si quid uspiam ejus argumenti in veteribus Sacramentariis, maxime vero ad Ecclesiæ Romanæ usum adornatis, reperiatur : tanquam parum cum spiritu Ecclesiæ cohærens, falsitatis aut vehementissimæ suspicionis vitio laborare.

(*a*) Forsan singularis erit vetus Tiburtina inscriptio ap. Ill. equit. Paulum Columnam, in qua littera U consona ad arcuatæ illius Gothicæ figuram accedit apposito quoque in sinistra parte obtusiori fulcro. Eam quod recens eruta atque, ut putamus, inedita sit ex archetypa a nobis descriptam repræsentamus :

UICTORI
HERCVLI
SACRVM

(*b*) Mabillonius de Re Diplomat. I, 11, 4, pag. 47. apud Heinecc. Fundam. styli, part. I, cap. 1, 6, not. 1. Cellar. in Orthograph. Lat. de vocali V.

(*c*) Heinecc. Fundam. styli, part. I. c. I, 6, not. 3.

Secundum.

Sicubi in veteribus Ecclesiæ, præsertim Romanæ, Sacramentariis, aliisve libris liturgicis locus aliquis aut verbum occurrat, quod ad sanctorum patrias, et ad aliud quidvis significandum, ambiguum aut æquivocum sit: ea ex Ecclesiæ mente minime ad temporales sanctorum patrias referenda.

His igitur præmissis, ut aliquanto propiores responsioni fiamus, inquirendum est an locus quem ex Veronensi Sacramentario nobis Blanchinus objicit, quanquam illico Laurentii patriam præseferre videatur, aliam interpretationem commode recipere possit; quidve in illis verbis CUIUS NASCENDO CIVIS (quando ea, ut mos Blanchino geratur, sancto Leoni attribuenda interea sunt) sibi voluerit sanctissimus pontifex? Rem puto veterum potius exemplis, atque ecclesiasticorum Patrum testimoniis, quam argumentorum ratiociniis dilucidiorem fore.

Cum Hierosolymis Romani milites Paulum e Judæorum manibus eripuissent, edixissetque eis tribunus ut ad castra delatum verberibus cæderent, quo Judaici tumultus causam proderet: jamjam verberandus Apostolus astantem sibi centurionem his verbis interpellat: *Si hominem Romanum et indemnatum licet vobis flagellare* (*Act.* XXII, 25)? Inique atque injuste secum agi queritur Paulus, quod scilicet pœna contra commune jus gentium condemnationem præcederet; quodque *Romanus civis* contra leges Porciam (*a*) et Semproniam (*b*) verberibus cædi juberetur.

His centurio auditis rem tribuno aperit, inquiens: *Quid acturus es? Hic enim homo civis Romanus est* (*Act.* XXII, 26). Commotus ad hæc tribunus, nonnihilque jam de Paulo sollicitus, ipsum adit, id quod res habebat ex ore ejusdem excepturus et: *Dic mihi* (inquit) *si tu Romanus es* (*Act.* XXII, 27 *seq.*)? At ille dixit: *Etiam*. Pergit tribunus: *Ego multa summa civilitatem hanc* (Romanam) *consecutus sum*. Et Paulus: *Ego autem, et natus sum* (*civis Romanus* scilicet) Si per Latini sermonis genium licuisset, aut sæculo demum octavo liber Actorum scriptus, Latiove donatus fuisset, credibile est auctorem interpretemve pro: *Ego autem et natus* (civis) *sum*, ex ejus ævi Latinitate redditurum: *Ego autem et nascendo civis sum;* præsertim cum Græcus textus eam versionem non respuat (*c*). Tunc autem nedum eamdem in Actis atque in Leoniano Sacramentario sententiam, sed totidem ipsisque omnino verbis utrobique expressam haberemus.

Interea vero intellectus ille Auctorem sedulo nobis ut jacet considerandus est. Et primo quidem Paulus in eo se *Romanum hominem* dicit; mox a centurione

A *civis Romanus* appellatur. Iterum se Paulus tribuno respondens simpliciter *Romanum* vocat; ipsoque denuo interpellante, seque privilegiario quodam jure Romanum civem asserente, subjungit illico Paulus, se *non factum*, sed *natum esse Romanum civem*. Hæc autem primo quidem aspectu tam diserte Pauli patriam præseferre videntur, ut nisi alibi (*d*) ipse se Tarsi Ciliciæ natum (*e*), ejusque urbis οὐκ ἀσήμου πόλεως municipem dixisset, non ambigo quin, ipso etiam Blanchino judice, Paulus æque in urbe natus, ac Scipio, aut Lælius haberetur.

Id ut paulo fiat dilucidius hæc nobis hypothesis adornanda est. Finge sacrum Actorum Codicem periisse, aut hactenus irrepertum delitescere; neque aliud præterea ex veteribus monumentis ad nostram

B ætatem pervenisse, unde Pauli patriam certo dignoscere possemus; deque, ea non secus atque Hispanis nunc de Laurentii patria, litem quæ etiam num foret sub judice Tarsensibus intentatam Blanchinum præterea, dum strenue Romanorum partes agit, eximiæ vetustatis, atque auctoritatis Codicem, in nescio quo veteri chartophylacio reperisse cui Biblicus ille cento, quem modo ex Actis apostolicis retulimus, incidenter assutus fuerit, cum longe diversum esset ejus Codicis argumentum.

Videres Blanchinum exsultare, triumphare, causam pro Romanis dictam e vestigio asserere, sibique in frequenti Patrum concione, quod Paulum civem illustrissimum Urbi restituisset, quernam more majorum poscere. Contra vero miserum illum

C qui Tarsensium partes ageret, nequidquam inclamare Sapientum fidem, locumque illum Actorum non de Pauli patria, sed de jure Romanæ civitatis, seu municipali, quo Tarsus ex Dionis, Plinii atque ipsius Pauli testimonio (*f*) fruebatur, intelligendum esse obtestari: urgeret enim ex adverso Blanchinus, nec tantum eo loco Paulum *Romanum civem* (id enim non tanti esse), sed disertissime *natum* pronuntiari: jam vero *natum* nisi de patria proprie non dici, nam reliquæ ejus vocis usurpationes translatitiæ ac metaphoricæ sunt: frustra autem ubi propria suppetit ad impropriam significationem confugiendum. Ad hæc millenariam Codicis antiquitatem, auctoritatemque ad cœlum efferret: bina ternave hinc illinc ne-

D gativa, aut conjecturalis generis argumenta corraderet, queis præcipuum illud in aciem stipatorum procederet; eoque demum fucato ac fallaci verborum apparatu Tarsensium causæ patronum ne hiscere quidem sineret. Jam vero, qui unque incautior Blanchinianis dictis aurem accommodaret, quantum ille, detecta demum re, ludibrium prudentioribus deberet!

(*a*) *Sed per deos immortales* (inquit Sallustius in Catilin.) *quamobrem in sententiam non addidisti* (Deci Silane), *ut prius in eos* (Lentulum aliosque conjuratos intelligit) *verberibus animadverteretur? An quia lex* PORCIA *vetat?*

(*b*) *Duas tulit leges* (C. Sempronius Gracchus) *alteram ut si quis in magistratu* CIVEM ROMANUM *sine judicio necasset, in eum populi judicio animadverteretur*. Plutarch. in Gracch.

(*c*) Ἐγὼ δὲ καὶ γεγέννημαι. *Actor.* XXII, 28.

(*d*) Sub initium ejusdem capitis XXII, ℣ 3 et cap. XXII, ℣ 39.

(*e*) Scio Paulum a Hieronymo Gischalis, quod Judææ oppidum est in tribu Beniamin, natum dici: quo a Judæis capto cum parentibus Tarsum Ciliciæ commigravit. Vid. S. Doct. in libro de Vir. illustrib.

(*f*) Actor. XXI: 39 *Ego* (inquit Paulus) *homo sum quidem Judæus a Tarso Ciliciæ* non ignotæ civitatis municeps, etc.

Hæc autem eo pertinent ut meminerit Blanchinus quam non temere centonibus hisce consultiis, ut maxime a se ipsis purpurei ac pretiosi sint, ubi in aliorum labores diversi præsertim argumenti commigrant, fides adhibenda sit. Quid vero si flexilis præterea planeque ambigua sit ipsorum sententia (qualis certe Veronensis Sacramentarii in loco de quo agimus Contestatio est), multiplicisque interpretationis capax? Eat nunc ergo cum Codice suo Blanchinus, extollat quam potest ejus antiquitatem, fidem cæterasque dotes : nunquam, opinor, ut gratis eum purum Leonianum esse concesserimus, cum Actorum Apostolorum volumine comparandum esse existimabit; neque alias apertius est Sacramentarii pro Laurentii patria testimonium, quam pro Pauli locus Actorum quem nuper expendimus.

Jam vero si volumus Blanchino respondere, quo sensu Paulus in Actis, eodem et in Veronensi Sacramentario Laurentium *civem Romanum* dici, nihil ab Hispaniæ urbibus quæ de Homero nostro certant, quominus id libere asseramus, nobis obstiturum puto. Oscæ enim, seu potius Cordubæ, aut Valentiæ nostræ in Edetanis Laurentium natum dixerimus (quam nos disputationem missam facimus quod vel tractatam nitescere posse desperemus), non minus eum Romanum civem tueri possumus, quam vel Paulum, quod Tarsi natales hauserit; nam ternæ quas memoravimus urbes (consulto Cæsaraugustam non adjicimus) Romanorum coloniæ aut municipia erant (*a*). Scimus præterea *Cordubam* per ea tempora *gloria et potentia celebrem* (*b*), *Oscam* jam a Sertorii ætate *magnam urbem*, *studiorumque in Hispania parentem* (*c*), *Valentiam* denique *a Cn. Pompeio deletam* (*d*) *mox restitutam*, *et coloniam a Cæsare factam*, cujus et nomen ob eam causam sortita fuisse dicitur. Ternas insuper cudendæ monetæ prærogativa decoratas, ut perplures eorum nummi declarant a Vaillantio et aliis evulgati.

Verum insurgeret tunc Blanchinus, nec satis esse causæ subesse diceret, ut *peculiarius præ cæteris in Laurentii solemnitate Roma lætaretur*, si non specialius atque Paulus fuit sanctissimum levitam civem Romanum facimus. Quo enim tempore Laurentius in lucem edi potuit, tam pervulgata erat Romana civitas (πολιτείαν intelligo), ut potius non esse civem ignominiæ ac dedecori quam e se laudi duceretur. Paucis rem expediam. Temporibus reipublicæ, et illico post eam a Cæsare occupatam civium jus summo honore apud Romanos habitum, nec nisi parcissime cum exteris gentibus communicatum fuisse scimus (*e*): Augustum quoque Romanæ civitatis tam tenacem legimus, ut affirmaret *facilius se passurum fisco detrahi*, *quam civitatis Romanæ honorem evulgari* (*f*). Nec Galbam (*g*) eosque qui ad Trajanum imperium tenuere multo indulgentiores fuisse constat. Trajanus vero et post eum Hadrianus, Antoninus Pius, et alii crebris civitatis Romanæ concessionibus sensim ejus juris pretium imminuere, donec edita ab Antonino Caracalla per speciem largitionis avarissima lege (*h*), ut *in orbe Romano qui essent*, *omnes cives efficerentur* (*i*) : summum illud civium Romanorum jus pessumdatum ac pro nihilo habitum fuit. Jam vero cum ea lex ab anno 211 ad 218 quo tempore Caracalla imperavit, promulgata fuerit; Laurentium autem, juvenili ætate florentem anno 258, Tusco et Basso coss., passum sciamus : liquidum fieri videtur post editam demum Caracallæ constitutionem atque evulgatum Romanæ civitatis jus, sanctissimum levitam in lucem prodiisse, quo scilicet tempore nihil jam erat cur de Laurentii civitate peculiarius Roma lætaretur.

Si in ea Contestatione non alia designaretur peculiaris lætitiæ ratio, agnoscerem ego quidem hujus argumenti vim, verum in ipsa sacrum quoque Laurentii ministerium, ejusque passio (ita enim posteriora verba *dicatum nomini tuo munus est proprium* intelligenda puto) continentur, ex quibus geminum præterea Roma duceret lætitiæ peculiaris argumentum. Audiamus Leonem de sanctis apostolis dicentem : *ibi* (Romæ scilicet) *oportere ut sit lætitiæ principatus*, *ubi ipsorum glorificatus exitus fuit* (*j*); Maximum item Taurinensem, qui de sanctissimo levita nostro loquens : *Hinc est* (inquit) *quod insuperabilem Laurentii fidem lætior Roma miratur* (*k*); Augustinum demum veteresque Ecclesiæ Patres, qui ex trium-

(*a*) De *Corduba* vide Plinium lib. III, qui eam urbem inter Bæticæ colonias numerat. Apud Cl. Antonium Augustinum Dial. VIII. Item Vaillantium Num. Imper., in Col., tom. I, pag. 53, in *Augusto*. — Oscam, *Civium Romanorum* appellat alicubi Plinius apud Antonium Augustinum Dial. VII, quam vocem, *Municipium* interpretatur clarissimus vir. In nummis passim V. V. OSCA, id est, *urbs victrix* : interdum VRB. VICT. Vid. Vaillant in *August.*, tom I Col. et Munic. pag. 55. — Valentia demum a Plinio inter Hispaniæ Citerioris colonias numeratur, lib. III. cap. 3. Vid. Ant. August. Dial. V, et Vaillant in Julio.

(*b*) Strabo, lib. III : Πλεῖστον δ' ἡ Κόρδυβα ηὔξηται Μαρκέλλου κτίσμα καὶ δόξῃ καὶ δυνάμει. Id est : *Plurimum autem Corduba, Marcelli opus, et gloria, et virtute crevit.*

(*c*) Plutarch. in Vita Sertorii : Τοὺς γὰρ εὐγενεστάτους ἀπὸ τῶν ἐθνῶν συναγαγὼν εἰς Ὄσκαν πόλιν μεγάλην διδασκάλους ἐπιστήσας Ἑλληνικῶν τε καὶ Ῥωμαϊκῶν μαθημάτων. Quem locum Summus Vaillantius, licet alioqui Græce scientissimus, nescio an satis accurate, in hunc modum transtulit (Tom. I Col. et Municip. pag. 55, in *Augusto*) : *Nam ex parentibus sibi gentibus nobilissimam* (forsan is auctor vertit *nobilissimos*) *Oscam*, *amplam urbem contraxit*, *iisque doctores præfecit litterarum Græcarum et Latinarum.* Ego sic redderem : *Congregans autem* (earum) *gentium nobilissimos in Oscam*, *urbem magnam*, *præfecit eis doctores Græcarum et Romanarum disciplinarum*; ut τὸ εὐγενεστάτους non ad urbem, sed ad Hispanos ephebos, quos in eam contraxit Sertorius, referri debeat.

(*d*) Vid. Sallust. III Historiar. et Vaillantium in *Julio*, tom. I Num. in Col. et Municip.

(*e*) Vid. Sueton. in *Julio*, qui tamen secundo ipsius consulatu Gaditanos et alias Hispaniæ urbes civitate donavit, ut auctor est Dio Cass., lib. XLI et XLIII.

(*f*) Suetonii verba sunt in *Augusto*.

(*g*) Civitatem Romanam raro dedit. Suet. in *Galba*.

(*h*) Occasionem ejus legis edendæ, lege apud Heineccium, ex quo hæc nos mutuati fuimus, Antiq. Rom. Jurisp. illustr. in append. libri I, § XIX.

(*i*) Ea est lex : *in Orbe* 17, ff. *De statu hominum*.

(*j*) Serm. 1 de natal. SS. apostolor.

(*k*) Homil. 11 de S. Laurentio.

phali martyrum exitu præcipuum spiritualium gaudiorum argumentum, laudisque materiam desumpsere.

Verum si rem paulo accuratius examinare volumus, vel post Caracallæ tempora non minimum adhuc superesse honoris in ipsa civitate Romana deprehendemus; cum enim constet pro his tantum latam a Caracalla legem fuisse qui ingenui nati, non qui libertinæ conditionis essent (*a*) : possumus utique civitatis jus Laurentio in contestatione attributum, ad ipsius *ingenuitatem*, id est, *nobilitatem* referre, de qua *inter alia* Roma in ejusdem solemnitate lætaretur. Et quidem quicunque apud Ciceronem (*b*) et recentiores qui de eo argumento egere (*c*), Romanorum civium jura atque immunitates considerare velit : ei profecto minime absurdum videbitur si *civitas* hic a nobis pro *ingenuitate* usurpetur. Sane cum longe inferior esset *Italicorum* quam *civium* conditio, scimus tamen prius illud jus pro immunitate a tributis passim usurpari (*d*); quam quia patricii equitesque (quos nobiles vocamus), exclusis plebeiis, in Hispania nostra obtinent, *hidalgos*, id est *Italici* vernaculo sermone (*e*) etiam num apud nos appellantur; et *hidalguia*, quam Latine *Italicitatem* diceremus, *nobilitas*.

Verum et Laurentii nostri temporibus CIVIS ROMANI nomen, quidquid tandem ea voce contineretur, magno in honore ac pretio habitum fuisse; neque id ecclesiasticos Patres ignorasse : Mozarabici hymni de sancto Juliano Antiocheno martyre, quem Baronius Isidoro tribuit (*f*), locus plenissime convincit; in eo enim sic legitur :

> Hic Julianus sorte clari germinis,
> Civis Togatæ urbis, imbutus omni
> Disciplina artium, etc

Hic enim aperte Julianus honoris causa *civis Romanus* dicitur; vix enim scio an *togatæ* epitheton alii quam Romæ congruat (*g*); cum autem hunc martyrem Antiochiæ in lucem editum fuisse credibile sit, id quod Ambrosianum Breviarium sancti Caroli Borromei jussu editum aperte docet (*h*); et alias in eadem urbe passum (*i*), nec Romæ incolam fuisse sciamus : superest ut de *jure Romanæ civitatis* hymni tractus intelligendus sit, eoque Julianus intuitu *civis* ab Isidoro dicatur, quod in urbe civitatis jure donata, qualis Syriæ Antiochia erat (*j*), natales hausisset. Jam vero cum Julianus sub Diocletiano et Maximiano, id est, exeunte minimum tertio Christi sæculo, passus fuerit : consequens fieri videtur, eo adhuc tempore (aut saltem quo hymnus ab Isidoro conscriptus fuit) *civis Romani* nomen non vulgari in pretio habitum fuisse. Atque hæc de prima verborum NASCENDO CIVIS interpretatione.

Superest alia, quam ego, si bina illa verba pro genuinis Leonianis admitti volumus, sanctorum Patrum sententiis, ipsiusque Ecclesiæ spiritui congruentiorem puto Notissima est Latina significatio vocis *nascor;* quam tamen sicut ejus sermonis dictatores Cicero, Sallustius, Livius, cæterique pro *in lucem edi*, aut *prodire*, perpetuo usurpavere : ita e contrario Patres ecclesiastici jam inde a sæculo quarto, in Actis martyrum eorumque homiliis, præcipue vero in sacra Liturgia pro eo quod Latine sonat *mori* constanter accepere, atque in eo sensu interpretati sunt. Cum enim quo die martyres agonem consummabant, cœlo, id est æternæ patriæ nasci crederentur : ex fide ac pietate potius quam ex Latini sermonis usu propriam hujus verbi significationem in eam quæ non diversa modo, sed planissime contraria est, transtulere. Hinc *natalitia*, et *natales* martyrum dies, quos profani scriptores *emortuales* Latine dicerent; cujus usurpationis et in hodiernis quoque missarum Codicibus non obscura nobis vestigia supersunt.

Exemplis in hujus doctrinæ confirmationem obruendum plane Lectorem putamus, adeo multa succurrunt in veteribus tum Latinæ, tum Græcæ Ecclesiæ Patribus (*k*). Nec tantum *nasci* cum apposito *cœlo*, sed simpliciter *nasci* dicebantur, idque sequioribus etiam sæculis, quoscunque pro Christo, aut in ipsius osculo *mori* contingeret; qua de re elegans Nicolai papæ I

(*a*) Novell. Justinian. LXXVIII, cap. 5, apud Heinecc. in append. lib. I Antiq. Rom. Jurispr. illustr., § XX.

(*b*) In orat. contra Verr., v, 54, et alibi in eod.

(*c*) Car. Sigonius de antiq. jure civium Romanor. Card. Norisius de Epoch. Syro-Maced., IV, pag. 428; apud Heinecc. App. Antiq. Rom., lib. I, pag. 428, et alii.

(*d*) Vide tit. ff. *de Censibus*. Rob. Steph. in Thesaur. L. L., verbo *Jus Italicum*.

(*e*) De hoc etymo præter significationis affinitatem, quæ magna sane inter eas voces est, insignis etiam earumdem, quod ad structuram spectat, analogia, securiores nos reddit. Sic enim et *Galgo*, qua voce leporarium canem Hispani significamus, a Latino *Gallicus* (scilicet *canis*) descendit; sicut et ab *aliquid*, *algo* quæ idem omnino valent; item a *caballico*, id est, *equito* (quod verbum non semel in legibus Langobardorum, imo et in Wisigothorum, atque in usaticis Barcinonensibus occurrit) fit Hispanicum ejusdem significationis *cabalgo*, quod ex usu potius quam ex origine *cavalgo* frequenter scribi nos. Suboluerat hæc pridem originatio Cl. nostrati Joanni Genesio Sepulvedæ in Epist. ad Hispaniar. principem lib. III, epist. 34.

(*f*) In Not. ad Martyrol. IX Jan., litt. A. Affertur autem is Hymnus a Blanchino in Annot. XX Orationarii Antiquiss. rit. Goth., pag. 161.

(*g*) Scio equidem et Tarraconem nostram Ant. Augustino *Togatam* dictam : ita enim duplicem T. T., quam nonnulli ejusdem nummi præferunt, interpretari posse ait vir summus, quasi legendum sit *Togata Tarraco* (Dial. VII sub init.); sed neque ipse huic interpretationi acquiescere videtur, et pro *Togata*, *Tyrrhenicam* fortassis legi debere eodem loco asserit. Isidorus certe in eo hymno minime ad Tarraconem respicere potuit, quasi ejusdem civis Julianus fuisset, quam is urbem ne vidit quidem.

(*h*) Brev. Ambros. juss. S. car. Borrom. ed. et ann. 16.5 recognitum sub die XXI Jan., lect. III ad Matut., apud PP. Bolland. IX Januar., § V, num. 21.

(*i*) Martyrol. Roman. parv. IX Januarii.

(*j*) Vid. Vaillantium, tom. I Num. Imp. in Colon. et Municip. in *Claud*.

(*k*) Sancti Polycarpi γένεθλιον ἡμέραν quem Latine *natalitium diem* ad litteram diceremus, Ruffinus vertit *diem passionis* apud Ducangium, verbo *Natalis*.

testimonium (*a*) e regione sistimus. Quod autem adjunctum *cælo*, non modo apud veteres Patres, sed in hodiernis etiam Martyrologiis, imo et in officio et missis sanctorum verbo *nasci* interdum apponi videamus : id antitheseos causa factum, et ut temporalis martyrum nativitas dilucidius cum æterno ipsorum natali committatur. Sic Nicomedienses martyres : *eo die in cælis* (martyrologii verba sunt [*b*]) *nasci meruisse dicuntur, quo* Christus *in terris*. Et Paula Romana in ejus Officio (*c*) : *ibi cælo nata* memoratur, *ubi Christus mundo nasci dignatus fuit*.

Usque eo autem apud auctores ecclesiasticos vocum *natale* et *natalitium* usurpatio in sensu de quo agimus invaluit; ut si quis jam *natale proprium*, ut Venusinus dixit (*d*), aut *natales* ut in Constantini nummo legitur (*e*), exprimere vellet : opus omnino haberet *genuinum*, aut tale quid adjicere; ne forte, contra animi sententiam, de *morte* potius quam de *nativitate* locutus fuisse crederetur. Exstat in eam rem luculentum in Gelasii Sacramentario testimonium, cujus proinde missam sistimus inscriptam (*f*).

IN NATALE GENUINUM

Secreta.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hanc oblationem famuli tui *Illius* (*g*), quam tibi offert *ob diem natalis sui genuinum, quo die eum de maternis visceribus in hunc mundum nasci jussisti*, placidus ac benignus assume. Per Dominum, etc. Et in *postcommunione :* Qui famulum tuum ad hanc diem *natalis sui genuini*, *exempto anno* perducere dignatus es, etc.

Quæ cum ita sint, et alias ex præstituta a nobis regula, ubi in libris liturgicis, quale Sacramentarium Leonianum est, in voce aut sententia, quæ ad martyrum patrias atque aliud quidvis significandum ambiguæ sunt, dubium occurrit, priorem de martyrum patria interpretationem ex mente atque spiritu Ecclesiæ refugere debeamus : quidni, quando verba NASCENDO CIVIS, nulla licet non ex parte suspecta, pro puris Leonianis agnoscere cogimur invitissimi, ad Laurentii potius mortem, qua *cælo nascendo, civis Romanus* effectus fuit, quam ad temporalem sanctissimi levitæ patriam referamus?

A Eo plane sensu ab auctoribus ecclesiasticis martyres, neglecto natali ipsorum solo, iis urbibus attributos scimus, in quibus extrema pro CHRISTO perpessi fuere. Prudentius certe non alio jure Hemeterium et Chelidonium Calagurri, Paulum Narboni Martio, Felicem Gerundæ, Cucufatem Barcinoni, aliosque aliis urbibus martyres adscribit. Sicut enim natalis martyrum dies, qua mundo scilicet editi fuere, præ triumphali eorum die ab ecclesiasticis Patribus negligebatur, unaque hæc piis fidelium cœtibus et votis anniversario cultu celebris erat : ita *temporali* ipsorum *patria* prætermissa, eam tantum qua *cælo* per passionem *nati fuerant* veram martyrum patriam veteres illi Patres agnoscebant.

B In specie autem de Cucufate loquens Isidorianus hymnus a Blanchino relatus (*h*), hunc martyrem aperte CIVEM BARCINONENSEM vocat. Dixerat modo ipsius auctor (*i*) martyris Sanctissimi cruorem Barcinone sedem fixisse, eoque ex Africa domicilium laresque transtulisse, his verbis :

> Hinc cruor hujus Cucufatis almi
> Factus est nostræ regionis heres;

pergit autem (*j*) :

> Jam fave martyr precibus clientum,
> Instrue et civem, populum tuere, etc.

id est, imbue præceptis fidei Barcinonenses *cives tuos* (quos infima Latinitas dixisset *concives*) : nam et eodem sensu Prudentius noster de Vincentii levitæ stola, sive orario cruore sanctissimi martyris illito, quod ejus temporibus Cæsaraugustæ asservabatur,

C loquens, ait (*k*) :

> Hoc colunt cives velut ipsa membra
> Cæspes ambiret suus, et paterno
> Servet amplectens tumulo beati
> Martyris ossa :

quasi diceret : Eo, Vincenti, pignore Cæsaraugustani *cives tui*, non minus gaudent triumphantque, ac si sacras tui corporis exuvias ex asse possiderent; suoque te gremio Cæsaraugusta mater exstinctum, et majorum sepulcro componendum excepisset.

Clarius tamen aliud, reique de qua agimus conficiendæ præsentissimum, Damasi testimonium adducimus, ex epigrammate quod olim Romæ in basilica sancti Sebastiani ad Catacumbas, ubi sanctorum

(*a*) « Nec novum cuiquam videri debet si *natus* dicitur qui ex hac vita migraverit. Quomodo enim usitato more dicitur *nasci*, quando quis ex utero materno procedens in hanc lucem exit : sic quoque jure *natus* appellari potest, quilibet ab hujus vitæ tenebris ad lumen pertingens viventium. » Nicolaus PP. I, in respons. ad consulta Bulgaror., apud Labbæum, Coll. Conc., Edit. Venet., tom. IX, col. 1537.

(*b*) Die XXV Decembris.

(*c*) Die XXVI Januar., qui dies Paulæ proprius est in Offic. SS. Hispan.

(*d*) Lib. IV, od. 11 ad Phyllid., vers. 18.

(*e*) Legitur in ejus aversa parte : PLURES NATALES FELICITER, quem e Nummaria regis Catholici gaza, cui præest, eximie illustravit Cl. Hispaniensis mihique in primis observandus Alexander Xaverius Panel S. I. presbyter, edito in eam rem ante paucos hos annos commentario, quem nunc ad manum non habemus.

(*f*) Murator. Liturg. Rom. Vet., tom. II, col. 724.

(*g*) *Illius*. Id est, incerti quem mente concipimus ac designamus, ejus tamen proprium nomen reticemus; pro quo in hodiernis Missalibus aliisque ecclesiasticorum Officiorum libris est N. Itali *d'il tale*, D Græci τοῦ δεῖνος, seu δεινατ..ς, id est, *cujusdam*; Hispani autem *Fulano* dicimus forte ex Hebraico פלה *pelah*, seu פלא *pala*, quod inter alia *occultum fuit* significat; unde et פלוני *peloni : occultus*, *innominatus, absconditus*. Ruth IV 1 : שבה־פה פלוני *xebah poh peloni*, id est : *sede*, seu *mane hic Peloni*, pro quo Græcus textus habet : κάθισον ὧδε κρύφιε : *Sede hic, o abscondite*. Hebræi quoque in contractuum suorum formulis sic exordiuntur : אני פלוני בר פלוני : *ani Peloni bar Peloni*. Id est : *Ego N. filius N.* Hispanice : *Io Fulano, hijo de Fulano;* et si femina sit פלניתא *pelanitha*, Hispanice totidem fere verbis, *Fulanita*.

(*h*) Ann. CII in Orationar. antiq. rit. Goth., pag. 26.

(*i*) Stroph. IV vers. 13 seq.

(*j*) Stroph. X. vers. 37 seq.

(*k*) Stroph. XXI, vers. 93.

apostolorum corpora quieverunt, legebatur, ut Baronius (*a*), Sarazanius (*b*) et Merenda (qui *apertum* illud atque *antiquissimum* prætерea appellat [*c*] scriptum reliquere. In eo autem epigrammate Petrus et Paulus disertissime a Damaso CIVES ROMANI vocantur. Integrum illud sistimus, ut eadem opera qua occasione compositum fuerit lector intelligat (*d*) :

HIC HABITASSE PRIVS SANCTOS COGNOSCERE DEBES
NOMINA QVISQVE PETRI PARITER PAVLIQVE REQVIRIS.
DISCIPVLOS ORIENS MISIT QVOD SPONTE FATEMVR.
SANGVINIS OB MERITVM CHRISTVMQVE PER ASTRA SECVTI
AETHERIOS PETIERE SINVS ET REGNA PIORVM.
ROMA SVOS POTIVS MERVIT DEFENDERE CIVES
HAEC DAMASVS VESTRAS (*e*) REFERAT NOVA SIDERA LAVDES.

Hæc autem usque adeo perspicua sunt, nihil ut jam amplius scrupuli subesse possit, ob unam certaminis gloriam ac triumphi palmam, quam apostolorum principes Romæ simul adepti sunt, *Romanos* eos *cives* a Damaso appellatos.

Licet enim de Paulo quem Tarsi natum et municipem fuisse ex libro Actorum prædiximus, suspicari etiam num quis posset ad jus potius civitatis, quam ad martyrii locum respexisse in eo epigrammate Damasum : in Petro tamen, quem Bethsaidæ, exiguo scilicet Galilææ pago nihilque cum jure illo civium commune habente, modicis item parentibus natum constat, si passionis locum demas, vix scio an supersit aliud cujus intuitu Damasus eum ROMANUM CIVEM appellare potuerit. Fuit igitur utriusque apostoli conditio, seu genus sive patriam attendamus, dispar : quare nec locus iis unus, neque eadem obtigit supplicii sors (*f*) ; verum par eorum fortitudo ac triumphus, quem insignissimum Romæ peperere, summum illud Quiritium jus utrique acquisivit, ut ex eo ambo æque Romani cives effecti atque habiti fuissent. Atque eo fortassis respexit Ambrosius in hymno cujus initium est : *Apostolorum passio*, quo loco de sanctis Petro et Paulo loquens ait (*g*) :

Conjunxit æquales viros
Cruor triumphalis necis.

Beda (*h*) :

Conjunxit hora transitus
Cœli petentes januam,

Paulinus item, et alii quorum loca longum esset describere.

Nec ambigo quin si prisca excutiantur martyrum Acta, quosque de eorum passionibus tractatus habuere veteres Ecclesiæ cum Græcæ tum Latine scriptores : non unum præterea locum inveniendum fore, quo martyres ejus potissimum urbis oppidive, ubi palmam adepti sunt, civibus annumerentur (*i*) ; imo ubi longo tempore commorati demum in pace quieverunt, ut de Paula Romana suo loco dicemus. Verum allatis hactenus exemplis lectoribus satisfactum iri putamus, ut existiment scilicet, verba illa *nascendo civis* de adepta potius a Laurentio nostro per martyrii palmam, quam per temporalem nativitatem Romana civitate, congruentissime atque ex veterum Patrum, imo et ipsius Ecclesiæ usu interpretari posse.

Est tamen adhuc ubi forsan Blanchinus hærebit. Si enim verba NASCENDO CIVIS ad Laurentii mortem referri volumus, cui tandem bono comma : *dicatum nomini tuo munus est proprium*, quo scilicet eadem, aut affinissima sententia continetur, ab auctore contestationis frustra repetitum dicimus ? Sed τοῦ μερισμοῦ seu distributionis rationem haberi oportet. Si enim priori interpretationi adhærentes verba *nascendo civis* de civium jure interpretari volumus, nihil prohibet quominus sequentia : *dicatum nomini tuo munus est proprium*, ad Laurentii passionem referamus ; si vero, ut in secunda interpretatione, verba illa de martyrii loco intelligimus, tunc consequens proxime comma, quo *Deo dicatum munus Laurentius* dicitur, ad divinum cultum cui in Levitico gradu specialiter addictus erat, aut ad virginitatis votum, vel alio referemus, ne scilicet bis eamdem sententiam ibidem inculcari asseramus.

Postremam autem hanc secundi commatis interpretationem, ne quis eam gratis a nobis confictam arbitretur, ipsos Blanchinum et Muratorium pridem amplexatos fuisse, ex eo mihi videtur, quod uterque cum in Sacramentarii Leoniani textu legeretur : *Sacer minister et dicatum nomini tuo munus est proprium*, conjunctivam particulam rejicientes, proque et *dicatum*, *dedicatum* restituentes (*j*), ex bina quæ pridem fuerat, simplicem, bimembrem tamen enuntiationem fecere, in cujus posteriori parte, nihil nisi prioris explicatio contineatur, quasi dicerent : *Sacer minister, dedicatum* scilicet *nomini tuo munus est proprium*.

Sed neque hic nobis consistere per Blanchinum et

(*a*) Ad ann. 384 int. carm. Damasi, et apud Sarazan in not. pag. 188.

(*b*) In not. ad Damasi carmina *Epigramm*. *XXX* ex Beda, Anastasio, Adone, et Breviario Rom. vet.

(*c*) De Damasi Carminib., num. 3, pag. 137, col. 1.

(*d*) Affertur a Sarazanio inter carm. Damasi, pag. 91, et a Merenda, pag. 226.

(*e*) Puto restituendum : *referat*.

(*f*) Fleuri, Hist. Eccl. I sæculi ad ann. 66.

(*g*) Ap. Blanchin. Annot. XCIX Orationar., pag. 270.

(*h*) Apud card. Thomasium in Hymnario.

(*i*) Consonat Missale Mozarabicum a Lesleo editum, in cujus Missa de S. Vincentio martyre (Pag. 292, col. 2) legitur : *Tuoque* (Vincenti) *interventu et incolam lætificaturus, et advenam, æquale tuitionis auxilium reddat pro cineribus mundo* CIVIBUS PRO SEPULCRO, id est, VALENTINIS, nam ea in urbe tumulatus fuit sanctissimus levita. — Præterea in missa de SS. Servando et Germano (Pag. 395, col. 1) : *Deus qui martyrum tuorum corpore* (sic) *unius gloriæ remuneratione indivise* (sic) *divisis regionibus locas : et Servandum Gaditano situi donas : et* GERMANUM EMERITENSIUM CIVIBUS *accommodas*. De sancti Germani corpore Emeritam translato loquitur, qua de re videndus ipse Lesleus in notis, pag. 597, col. 1. Sunt fortassis alia.

(*j*) Blanchin., tom. IV Anastas., pag. 38. Pro et *dicatum*, lege *dedicatum*. Muratorius in ipso textu edidit : *Sacer minister, dedicatum nomini tuo*, etc. Tom I Liturg. Rom. vet., col. 398.

Merendam licet, sed alia ratione Hispanorum opinioni contraire student. Si enim, inquiunt, Veronensem Codicem in quo Laurentii contestatio reperitur sæculo jam octavo scriptum fuisse ab Hispanis conceditur, etsi nos interea gratis eis dederimus id Sacramentarium a sancto Leone compositum non fuisse, habemus saltem pro nobis antiquius testimonium præ iis quibus Hispani auctores innituntur, atque adeo longe validius argumentum. Et quidem si, omissa interea disputatione de antiquitate Sacramentarii Veronensis (*a*), vera esse volumus quæ circa ætatem Codicis a Blanchino eruti sub hujus capitis initium a nobis dicta sunt: adigimur profecto ut agnoscamus integro minimum sæculo antiquiorem eum Codicem esse, quam Ado ex cujus Martyrologio pressius pro nostra sententia testimonium mutuati sumus.

Verum cum, etiamsi sæculo octavo Blanchinianum Codicem scriptum fuisse asseramus, ejus testimonium de Laurentii civitate aut patria, quinque minimum sæculis re de qua perhibetur recentius fore necesse sit: non video quid major illa unius sæculi præ Adone antiquitas, *ut cætera sint paria*, fidem ejus Codicis, rei de qua agimus confirmandæ juvare possit; non magis ac si quis, exempli gratia, pro astruendo facto quod in annum incidit Christi 1200, sæculi XVII quod proxime elapsum fuit, quam XVIII in quo vivimus, testimonium præstabilius existimaret. Jam vero Blanchinianum Codicem, imo etiam Laurentianæ missæ Contestationem, qualis ex ipso nobis objicitur, sæculo VIII antiquiores non esse: prioris illius characteris specimen a Blanchino exhibitum, et posterioris hujus phrasis conjiciendi occasionem præbent.

Consulto adjeci: *ut cætera sint paria*. Quid vero si potior pro antiquiore recentior Codex, aut hujus præ illius testimonium apertius atque incorruptius fuerit? Et quidem Adonem clarum sæculi IX auctorem, multiplicique testimonio commendatum (*b*) scimus; cum quisquis ille fuerit Veronensis Codicis, licet antiquioris, scriptor, seu potius consarcinator, *obvias quascunque liturgicas preces sine delectu, atque ordine* (*c*) *in unum Codicem coegerit*. Præterea Veronensis codicis locus non modo ad patriam, civitatem, passionem, et incolatum Laurentii significandum ambiguus, sed de vitio aut interpolatione suspectissimus est, ut vidimus: Adonis incorruptus ac pressior, deque sanctissimi levitæ patria omnino interpretandus. Rursum: Adonis sententiam nemo non veterum, nec recentium ab ejusdem ævo scriptorum secutus fuit; Veronensis Codicis, si Manlium Calvinistam demas, nullus. Denique Adonis testimonium veterum codicum fide, multiplicique conjectura ex libris liturgicis, atque Ecclesiæ Patribus adjuvatur; Veronensis Codicis auctoritas singularis est, nam Vaticani Codicis locus, quem Blanchinus unicum in ejus confirmationem affert, nihil concludit, ut inferius dicemus. Mitto infirmam Veronensis Codicis fidem in eo tractu qui Clementis papæ et martyris patriam exhibet; ut si in Laurentii Missæ Contestatione, de eodem argumento agi Blanchinus contendat, eam quoque Contestationem sublestam fore credibile sit.

Imo, si rem paulo diligentius examinare volumus, non satis exploratum erit, nostrisne an potius adversariorum fundamentis antiquitatis prærogativa debeatur; cum enim, sicut pridem dicebamus, Baronius *binos, eosque pervetustos Codices in Ecclesia olim recitari solitos* se vidisse affirmet, in quibus Damasus Laurentii *compatriota* legebatur; et alias sanctus ille pontifex ab auctore catalogi Romanorum præsulum sub Felice, id est, ineunte sæculo VI scripti, disertissime *Hispanus* appelletur: quidni binos illos Codices, vel eorum alterum, sæculo VIII antiquiorem fuisse suspicemur; aut in una Damasi patria, quam Felicianus pontificum catalogus exhibet, non etiam Laurentii patriam contineri existimemus; præsertim cum eum Damasi compatriotam fuisse, adversarii (*d*) nobiscum agnoscant? Sed de his fortassis ad nauseam.

CAPUT VIII.

Extremi adversariorum conatus comprimuntur.

Nollem, quod ex Tullii sententia (*e*) facere inertes poetæ solent, extremo in actu negligentior videri; verum non magni momenti, jamque alibi ex parte confutata sunt quæ nobis hoc loco Blanchinus objicit; et alias mos lectoribus gerendus est, quorum hactenus patientia fortassis abusi sumus. Ergo, quam in prioribus argumentis eluendis, re scilicet ita exigente, prolixe egimus: in eo quod unum superest tam verborum parci futuri sumus.

Objicit igitur nobis postremo loco Blanchinus Vaticanum Codicem sæculo, ut ipse asserit, nono exaratum, Actaque sanctorum Sixti, Laurentii et Hippolyti inter alia continentem, in quibus levita noster apertissime dicitur *Romanus civis*. Inducitur in Actis Sixtus, imminente ipsius passione, Laurentium vocans, eique Ecclesiæ facultates pauperibus erogandas committens, his verbis (*f*): *Cumque hæc, et his similia suo sancto sermone disseruisset* (Sixtus), *vocavit Laurentium, archidiaconum suum*, CIVEM ROMANUM, *dignum Deo, et Deo* (sic) *virum, et habitu et*

(*a*) De hoc argumento pridem egere CC. VV. Meratus, Amortius, Muratorius, Cennius, Orsius et alii, quorum sententia eo recidere videtur, ut sæculo jam quinto Sacramentarium confectum fuisse existiment; sunt tamen fortassis in ipso plura sequentibus sæculis adjecta quæ alibi a nobis indicantur; præter commune liturgicorum Codicum ingenium novis additionibus patens, ut in cæteris ejusdem argumenti libris passim factum videmus.

(*b*) Vid. Cl. Dominicus Georgii in Præf. nov. edit. Adonis, Romæ 1745, n. 10.

(*c*) Murat., Diss. de Liturg. Rom. vet., cap. 3, col. 21 et 29.

(*d*) Merend., Opusc. et gest. Damasi sub. init., pag. 2.

(*e*) De Senectute, num. 2.

(*f*) Blanchinus, Annot. CVI in Orationar., pag. 283.

sanctitate conspicuum, tradiditque ei universas facultates Ecclesiæ, etc. De antiquitate porro Codicis, *non est quod addubitemus* (subdit Blanchinus [a]); *prostat enim liber in omnium Urbis principe bibliotheca, num.* 612.

Jam vero hæc tanto præ iis quæ capite præcedenti expendimus probabilius dicta videbuntur, quanto nihil prohibet, quod in verbis illis *civem Romanum*, Laurentii patria contineatur; cum enim ea verba non ex libro aliquo liturgico, sed ex Actis martyrum descendant, quibus ipsorum patrias inseri nihil vetabat: potuit eorum de quibus agimus scriptor Laurentii natale solum, aliunde sibi cognitum, per occasionem narrationi suæ attexere, quin aliquam ex eo reprehensionem incurreret.

Verum quanti hæc Acta facienda sint, alibi jam a nobis indicatum (b). Blanchinus ipse *maxime depravata* esse non inficiatur (c); nos autem addimus, ternos quos prædiximus falsitatis characteres, nempe historiam sanctorum Abdon et Sennen, qui a Decio ex Perside abducti in Actis memorantur, fictitiam ejusdem imperatoris in Orientem expeditionem, ridiculam demum planeque ipsa anni Decii et Valeriani eodem temporis momento repente exstinctorum fabulam, quorum disjunctim singuli maximam conflaturi erant Actis mendacii suspicionem, conjunctim in ea, quasi in sentinam confluxisse. Mittimus sanctorum Sixti, Laurentii et Hippolyti passiones sub Decio, quæ res tot peperit molestias Adonianis Actis; aliaque scopulis atque ambagibus plena, præter inconstantem styli varietatem: quæ omnia Actorum fidei elevandæ undique videntur conjurare.

Præterea, quis non ubi in Actis inter ecclesiasticum Laurentii gradum, ejusdemque elogium, *civis Romani* nomen importunissime collocatum videt; quis, inquam, non illico surculum insititium, ægreque caudici coalescentem deprehendit? Sed cur, quæso, *Romanum* tantum *civem*, ambigua sane phrasi multiplicisque sensus capaci, Laurentium dixit Actorum consarcinator; neque ejus loco scripsit *Romæ natum*, *patria Romanum*, aut tale quidpiam, quo litem universam verbo dirimeret? Atqui non majore impendio id facere potuisset, quam quo paulo ante Sixtum *Athenis natum* (d) atque eruditum dixerat. Quo tamen id jure? Superum fidem! Græcum Sixtum ex Anastasio atque aliis passim, imo ex vetustissimis pontificum catalogis a Scheelstraatio (e), et Seniore Blanchino (f) primum evulgatis noveramus (quanquam non desit qui Romanum (g) eum velit); *Athenis* tamen *Atticis* Sixtum natum, nusquam alias nisi in Actis me legisse memini, quorum propterea auctori, A modo de veritate caveat, τὸ εὐαγγέλιον ab Atheniensibus decernendum puto. Est quidem in duplici Mazzarinensi, et Thuaneusi Codice: *Græcus, de Athenis* (h); posteriorem tamen vocem sublestam, imo et subdititiam censent eruditi, quod nec Blanchinus inficiabitur.

Nollem tamen hæc a me in eum finem projecta censeri, ut responsionis necessitatem effugiam. Quare, si sincera genuinaque Actorum, quæ nobis Blanchinus objicit, verba esse volumus, ea de *jure civitatis*, vel de *ingenuitate*, maxime vero *de Romano* Laurentii *incolatu* commode interpretari possumus. Cum enim Romæ Laurentius a puero altus atque educatus, insignique ecclesiastico gradu auctus fuisset; ibidemque sine animo ad propria redeundi domicilium B fixisset: Romam, non secus ac M. Cato apud Tullium, *juris patriam* (i) nancisci potuit, eoque sensu *civis Romanus* appellari; præsertim cum eo tempore vetus illud *municipum* atque *incolarum* discrimen (j) jam pene exolevisset. Sane non alio quam *incolatus* jure Paula Romana, *quia scilicet exiit de terra sua*, *perpetuumque Bethlehemi domicilium fixit*, civis SALVATORIS, id est, BETHLEHEMITIS a Hieronymo (k) *effecta*, dicitur.

De patria ut Actorum verba intelligamus officit Adonis auctoritas, quam alibi pro nobis allegavimus. Cum enim in hujus Martyrologio Laurentius disertissime *Hispanus* dicatur: nisi Acto um verba, quæ longe quam Adonis generaliora sunt, alio divertimus, alterum ex his scriptoribus necessario mendacem C efficiemus. Jam vero egregiam ecclesiasticus interpres laudem referet, si ubi non plane contraria, sed diversa tantum occurrunt veterum testimonia, præsertim ubi non de jure, sed de facto ejusque veritate, ut nunc, controversia est: mallet ea inter se collidere, falsumque alterutrum ex auctoribus dicere, quam parce alterius verba detorquendo amice utriusque sententiam conciliare!

Quod si Actorum de quibus agimus locum ad Laurentii patriam omnino referri debere Blanchinus velit; atque adeo non diversa tantum, sed pugnantia et plane contraria esse contendat utriusque ejus scriptoris testimonia: non Ado singulare cum actorum scriptore certamen detrectabit; cum nec si hunc sæculo jam IX vixisse Blanchino dederimus, D antiquior Adone futurus sit; et alias anonymum eum planeque ἄδηλον, multiplicisque falsitatis reum esse sciamus: cum e contrario nihil in Adone sit, quod historiæ fidei adversetur, saltem quod aliqua ratione sustineri non possit, ut alibi a nobis ostensum est.

Sed ego, si Blanchinus insistat, non solum parem, sed longe majorem atque Adonis auctoritas est, Codice, quem Junior Blanchinus Prolegomenis, tom. IV Anastasii inseruit, pag. 4, col. 1.

(a) Loco proxime allegato.
(b) Supra, cap. 2, pag. 78.
(c) Annot. CVI, pag. 293.
(d) Sub initium Actorum apud Blanchin., Annot. CVI, pag. 293.
(e) Tom. I, Antiq. ecclesiast., in append. ad Opus Chronologicum, num. 22, pag. 611.
(f) Tom. I Anastasii, pag. 24. Item, tom II, p. 14 et ... jusd. tom. pag. 222 in *Sixto*.
(g) Catalogus Rom. pont. ex Veronensis Ecclesiæ

(h) Apud Seniorem Blanchin., tom. II Anastasii, pag. 26, inter Variantes Fabretti.
(i) « Itaque (inquit Cicero II de Legib. 2) cum ortu Tusculanus esset (Cato), civitate Romanus, habuit alteram *loci* patriam, alteram *juris*, Romam scilicet. »
(j) Vid. Tit. ff. *Ad Municipal.* et ibi Heinecc. Elem. Juris sec. ordin. Pandectar.
(k) In Epitaphio Paulæ ad Eustochium *sub fin.*

Actorum de quibus agimus scriptori gratis concesero; verba tantum utriusque conferri inter se cupio. Acta Laurentium *civem Romanum* dicunt: Aldo *quo d genus Hispanum* eum asserit, *eruditum tamen et nutritum Romæ;* quorum quanquam prius colon ad originem forsan referri possit, contrahitur tamen a posteriori, et de patria omnino periodum intelligendam esse apertissime convincit; prorsus ut Actorum locus longe quam ille Adonis generalior sit. Jam vero ex optimæ interpretationis canone : *in conflictu duplicis, Scripturæ sacræ, aut veterum Patrum testimonii, quorum alterum cum altero pugnare videatur, generalius minus generali, non e contrario accommodari debet*, quod Jurisconsulti vulgari axiomate *generi per speciem derogari* (*a*), dicunt. Nunc autem jam Operi finem imponamus.

(*a*) Leg. in toto 80, ff. de *R. I.*

CONCLUSIO.

Adducta pro vulgari, receptissimaque de Laurentii patria sententia sufficere arbitror, ut Blanchini atque adversariorum argumentis tantisper occurri ab Hispanis possit, dum industrior eorum aliquis non perfunctorie, ut nos, hanc sibi ornandam spartam deposcat, quod, ut initio monuimus, propositum nobis fuit. Erit et in iis fortassis, quo vetus illa eorumdem opinio attributum ipsi non a domesticis modo, sed et ab exteris quibusque scriptoribus majoris præ aliis probabilitatis gradum dignitatemque facile tueri; traditioque ipsorum a majoribus accepta, antiquis monumentis confirmata, continentique et perpetuo filo ad hæc usque tempora deducta, novas vires capere possit; imo etiam, quo priscam illam, ne unquam ab hominum memoria remotissimam (quam *immemorialem* vulgus appellat), sed fere sesquimillenariam Hispanorum de Laurentii apud ipsos natali possessionem, qua demum eosdem excidisse adversarii jactitant, *retinendæ* quod vocant *interdicto, quod* scilicet *nec vi, nec clam, nec precurio, alter ab altero, Laurentium hactenus possederimus, aut possideamus*, per litterarium prætorem adjuvandam, atque *adversus eam vim fieri vetandum* Hispani speremus.

Sin vero præter animi sententiam, certe contra votum conatibus hisce nostris publicam Hispanorum causam minime juvari contigerit (eadem de priori in quo de Damaso egimus opusculo dicta censentor): nostram potius tenuitatem incusandam volumus, quam quod utrique, aut alteri ex his opinionibus apud viros doctos vel minimum probabilitatis decedat. Nos certe suscepti laboris nunquam pœnitebit, quem nec aliis districti majorem adhibere, neque, si primum omnium erga Deum officium dempseris, honestius quam bene merendo de patria collocare unquam potuimus.

Interea vero si vel insipientibus cum Apostolo debitor esse Blanchinus velit, sustineat me quæso amice commonentem, ne ex Hispaniæ nostræ jactura novas Urbi laudes asserere deinceps studeat, alioque potius commendabiles labores, ac vigilias suas transferat; si enim Laurentii natales Hispanis eripuerit, plurimum sibi honoris gens avitæ religionis, pietatisque, et gloriæ retinentissima decessurum esse existimabit; cum si e contrario levitam sanctissimum Urbi Blanchinus ascribat, non magis idcirco rem Romanam aucturus sit, quam si aquæ situlam pelago infuderit. Habet præterea Roma multo plus quam Hispania nostra quod sibi vindicet in Laurentio, quem gremio puerum excepit, pro suo educavit, ecclesiasticisque honoribus viventem auxit; mortuum vero honorificentissimo tumulo composuit, sacrosque ipsius cineres eximie ad hanc usque diem coluit. Gaudeat igitur, exsultet, ac triumphet alumno ac martyre suo Roma; non enim orbis dominæ, communique religionis parenti veras minimeque fucatas laudes Hispania nostra invidet, aut invidebit usquam; neque Urbem vicissim obsequentissimæ omnium filiæ Laurentii natales invisuram pertimescit; præsertim cum illa tot martyres nedum Christo, sed et mundo pepererit, ut eo etiam nomine *beata, æterna, princepsque urbium* appellari meruerit.

Tot ergo dapes cum habeat Roma quibus instructissimas confluentibus ex toto orbe conviviis epulas sine aliorum dispendio præparare potest : parcat quæso Blanchinus oviculæ, quam hactenus pro sua inter filios enutrivit Hispania nostra, quamque de ipsius pane comedentem, de calice bibentem, atque in matris sinu dormientem aluit, nisi iratum indignatione Dominum, aut prophetam audire velit, pronuntiantem : *Vivit Dominus quoniam filius mortis est vir qui fecit hoc* (*II Reg.* XII, 5).

Quando autem in extrema disputationis parte veniam ab Hispanis Blanchinus petit *quod pro tanto* (quantus Laurentius est) *martyre repetundo veritatis amore et charitate non ficta pugnaverit* (*a*): super et ut si illatam ab ipso Hispanis, ut putamus, injuriam ulturi, justæ atque urbanæ defensionis modum excesserimus, aut paulo quam expediret acriores lectoribus visi sumus, benigne nobis per hos indulgeri speremus; summo autem viro, amico item nostro, deque Hispanis alias optime merito Blanchino accinamus Horatianum illud (*b*) :

Scimus, et hanc veniam petimusque damusque vicissim.

(*a*) Annotat. CVI Orationar., pag. 294 in fin.

(*b*) In Art. Poet.

ADDENDA ET EXPLICANDA.

Postquam bona hujus operis pars e typographorum manibus dimissa fuerat, cum in aliquot illustrium scriptorum loca incidissem, quibus doctrinam superius traditam confirmari aut explicari posse existimo, placuit eadem hic breviter indicare, designato itidem ejus paginæ numero, cui singula loca respondent, ut facile lector utraque inter se conferre possit.

Et primo quidem (*Col.* 559, *in not. litt. c*), cum ageremus de ætate ad lectoratus gradum prioribus Ecclesiæ sæculis requisita, Messii cujusdam lectoris pueri exemplum a Bonarotio allatum (*Observ. ad fragm. vitr. col* 626) cum ex rudiore epigrammatis stylo, *tum etiam* ex adjecto e regione ejusdem vulgari Christi monogrammate, Constantini imperatoris ævo recentius existimavi; non quod me omnino fugeret, vel ante Constantinum id monogramma apud Christianos, fortassis et apud ethnicos ipsos in usu fuisse, sed quod eo tempore non ita frequenter, imo raro a Christianis usurparetur, quod et exemplorum paucitas declarat (*Vid. eruditiss. Mamachium, Orig. et antiq. Christian. tom. III, pag* 54 *seqq.*), cum sæculo IV, et deinceps, nusquam non obvium fuisset, non in sepulcris modo, sed et in lucernis, annulis, hastis, clypeis, aliisque passim Christianorum monumentis. Qua de re cum doctissimo viro et singulari amico nostro, quo tempore id folium typographorum operis urgebatur, nonnihil hærere scrupuli animadvertissem, placuit pro *tum etiam*, quod in paucis quæ jam tum excussa fuerant exemplaribus legitur, in iis quæ edenda supererant *tum forte* reponere, deque eo lectores hic admonere, ne nos inconstantiæ aut levitatis arguant.

Secundo, conjecturæ nostræ, qua de eodem argumento agentes (*Col.* 562) non nisi post pacem Ecclesiæ a Constantino redditam pueris ad lectoratus gradum aditum patuisse suspicabamur, refragari videtur admirandæ doctrinæ et eruditionis vir Alexius Symmachus Mazochius Neapolitanæ Ecclesiæ canonicus, qui in animadversionibus ad Acta Græca sanctorum Theoduli et Agathopi a Bollandianis Patribus, sub finem tomi I Aprilis allata, loquens de Theodulo martyre, quem sub Maximiano passum constat (*Comm. ad vet. marmoreum Kalendar. Eccl. Neapol., pag.* 152, *col.* 2) eumdem vix pubertatem ingressum lectorem fuisse asserit, subdens: *Id quod animadvertisse proderit, ne quis putet, eo tempore majorem quam nunc ætatem ad lectoratum fuisse necessariam.* Verum ea tamen in re clarissimo viro assentiri nequeo; locus enim Actorum cui innititur, meo quidem judicio, non conficit Theodulum in ipso statim pubertatis limine, cum eo jam tempore lector esset, sed juvenem, aut summum adolescentem ad martyrium raptum; nam licet in Actis id ætatis fuisse dicatur, cui non ita pridem lanugo circa genas effloruerat; hoc tamen antitheseως causa factum arbitror, ut illa scilicet florensque Theoduli juventa cum senili Agathopi ætate et canitie vividius committeretur; paucis enim interjectis in Actis legitur: Καὶ τοιοῦτος μὲν ὁ Θεόδουλος, ὁ δὲ τοῦτον [*F.* τούτῳ, id est, *huic*] συμπνέων Ἀγάθοπος, ἀνὴρ πρεσβύτης, ἤδη τῇ πολιᾷ τὴν κεφαλὴν ἔντιμος· Ἀμφότεροι καθαροί, etc. Id est: *Et talis quidem Theodulus* (erat), *Agathopus autem cum hoc* (ad martyrium) *conspirans, vir jam senex capitis canitie venerabilis. Ambo puri*, etc. Jam vero hæc Theoduli cum Agathopo comparatio, cum stet optime, quamvis priorem illum juvenem dicamus, satis indicat non ita presse *lanuginis* verbum in Theodulo accipiendum, quasi vix cum ille, quo tempore martyrium lector subiit, pubertatem ingressus fuisset. Sensus est: Nondum Theodulus lanuginem omnino deposuerat, id est, juvenilem fervorem despumaverat. Quæ de priore ejus periodi parte dicta sunto.

Posteriorem autem quod attinet, in qua idem vir cl. Actorum scriptorem ad illud: *Corpus humilitatis nostræ* (*Philipp.* III, 21) allusisse existimat, defæcatissimum ipsius ingenium demirari, magis quam ejus in hac parte sententiam amplecti subit; nam cur non potius Actorum scriptor ad alia Scripturæ loca respexisset, in quibus parvuli jubemur effici, si regnum cœlorum ingredi volumus? Sane, quanquam vox ταπεινοφροσύνη proprie *animi demissionem*, seu *humilitatem* sonet, hic tamen nisi eam per metaphoram, aut acyrologiam, alio detorquemus, incongruam, imo absurdam, ejus commatis sententiam efficiamus necesse est. Quid enim, quæso, sibi vult: *Vir quippe erat Theodulus recentem lanuginem in genis habens; cæterum adhuc puer, quod attinet ad incorrupti corporis humilitatem, seu animi abjectionem?* Aut quo jure *mentis abjectio* corpori tribuitur? Hac ego de causa crederem τὸ ταπεινοφροσύνης, eo de quo quærimus loco, pro *integritate*, aut *virginali modestia*, id est, *verecundia*, quo sensu Cicero (I *de Divinat.*) posteriorem hanc vocem intellexit, non absurde usurpari posse; ut hæc sit ejus periodi sententia: *Theodulus, florente juventa, fervidus versabatur quidem in ætatis lubrico; sed adhuc puer erat, quod ad incorrupti corporis integritatem, seu virginalem vultus modestiam pudoremque spectat.* Illud monendum denique, τὸ ἀνὴρ tam in Theodulo quam in Agathopo nullam continere emphasin, sed utrobique ex vulgari idiotismo redundare. Sed hæc paulo forsan quam oportuisset longius protracta.

Tertio (*Col.* 665 *seq., in not. c*), quo loco Missale Gothico-Gallicanum a ven. car. Thomasio primum editum non ad eam Galliarum partem quæ Francorum regibus parebat, ut vult cl. Lesleus, sed ad aliquam ex Narbonensis Galliæ Gothorum imperio subditæ Ecclesiis pertinuisse dicebamus, est quod in ejus rei confirmationem adduci ulterius possit. Atque ille quidem auctor, ut vidimus, ex triduanarum Rogationum ante Ascensionem usu, quem in Ecclesia, ad quam Missale Gothico-Gallicanum pertinuit, non autem in Hispaniæ Ecclesiis obtinuisse noverat, atque ex ecclesiasticorum rituum communione inter Hispaniæ et Galliæ Narbonensis Ecclesias in Toletana synodo IV præscripta, atque observari jussa, conficere sibi videtur, neque in Gallia Narbonensi triduanas, Rogationes usu receptas fuisse; atque adeo Missale, de quo agimus, ad eam Galliæ partem non pertinuisse. Nos contra, vetustum illum populorumque Galliæ animis infixum Rogationum triduanarum usum, vel post concilii IV Toletani tempora, id est, post cooptatos Hispanicos ritus, potuisse a Gallo-Narbonensibus Ecclesiis retineri, ibidem dicebamus, cujus rei maxima hæc documenta insunt. Primo enim Gregorii Turonensis, apud Amalarium Fortunatum (*Lib.* I *de eccl. Off., cap.* 37) testimonio scimus, triduanas Rogationes a sancto Mamerto Viennensi sub sæculi V finem contra terræ motus et luporum rabiem institutas, ejusdem Gregorii ævo, id est, paulo ante concilii IV Toletani tempora, apud *omnes Ecclesias* (*Galliarum* scilicet, ut Amalarius eodem loco interpretatur) obtinuisse. Walafridus quoque Strabo (*De reb. Eccl., cap.* 28) easdem Rogationes *in omnibus Galliarum*, imo etiam Germaniæ Ecclesiis suo tempore, id est, sub medium IX sæculi consuetas fieri asserit. Leonem præterea III, qui eodem IX sæculo ineunte, et exeunte VIII, pontificatum tenuit, easdem Rogationes in urbem Ecclesiamque Romanam invexisse, docet nos Anastasius in ejus Vita. Taceo Rhabanum Maurum, cujus nos pridem de ea re testimonium adduximus; taceo vulgarem Albinum, seu Alcuinum, qui (*Lib. de div. Off., rubr. de dieb. Rogationum*) *earumdem consuetudinem apud Gallos ad sua usque tempora pro diversis calamitatibus*

devotissime recoli affirmat. Ex quibus testimoniis illud mihi omnino videtur confici, non modo ab universa Gallia triduanas ante Ascensionem Rogationes usu receptas, sed alibi quoque propagatas fuisse ad publicas scilicet calamitates depellendas, et placandam divini Numinis iracundiam. Jam vero cum non longe post concilii IV Toletani tempora, imo eodem ipso sæculo VII exeunte, Narbonensis Gallia tot calamitatibus vexaretur, ut Flavii Egicanis Gothorum regis testimonio (*Hortator. ad Patres* XVII *concil. Toletan.*, *ap. Labb.*, *tom. VIII*, *col.* 85) *et externæ gentis incursu, et plagæ inguinalis interitu* deserta et plane desolata dicatur, eamque ob causam concilii Patres rex hortetur, ne quid gravius in Hebræos ejus regionis incolas statuant, quis credat eas Rogationes, quæ olim in Gallia Gothica obtinuerant, quasque finitima Viennensis urbs binis retro sæculis præsentissimum adversus mala publica remedium experta fuerat, in tanto rerum discrimine ab iisdem Gallo-Narbonensibus intermissas fuisse? Quæ de triduanis Rogationibus dicta sunto.

Circa non jugem autem ac per totos XL esuriales dies Quadragesimæ observationem, quam in Ecclesia quæ Missali Gothico utebatur viguisse idem clarissimus auctor affirmat, satis superque a nobis eodem loco (*Col.* 606, *in not.*) dict m existimo, ut lectores intelligant non amplius in ea Ecclesia, quam XXXVI diebus esurialibus, quinquies ob totidem occurrentes Dominicas interruptis, Quadragesimale jejunium constitisse, quod et ipsum in Hispaniæ Ecclesiis observatum scimus. Sunt tamen alia permulta quæ a nobis in ejus doctrinæ confirmationem adduci possent, nisi faciendum esset verborum compendium. Verum, cum idem cl. auctor statuat qui eodem Missali Gothico uterentur, cum XL omnino diebus, minutatim tamen interruptis, jejunarent, eos *non Quadragesimam, sed Quinquagesimam, et fortasse Sexagesimam aut Septuagesimam observasse*, atque ob eam causam illud Missale *non in Gallia Gothica, sed in Gallia Francorum imperio subdita usitatum fuisse* asserat, fit ex utroque, in Gallia Francorum imperio subdita, non Quadragesimam, sed Quinquagesimam, et fortasse Sexagesimam, aut etiam Septuagesimam omnino observatam fuisse; quæ conclusio nescio quo pacto a cl. viro sustineri possit, cum in Sacramentario Gallicano Bobiensi sancti Columbani, atque in Lectionario Luxoviensi à Mabillonio editis (*Tom. I Mus. Ital.*, *et in Liturg. Gallicana*) quod utrumque ad Vesontionensem provinciam, id est, ad Gallo-Francos pertinuisse pridem dicebamus, nulla Quinquagesimæ, nec Sexagesimæ aut Septuagesimæ, sed unius Quadragesimæ mentio fiat, ejusque observatio sex tantum hebdomadis concludatur; imo cum ab ipsis Gallo-Francis Patribus in prima et Quarta Aurelianensibus synodis, Quinquagesimæ et Sexagesimæ observatione rejecta, unam tantum Quadragesimam ab omnibus ejus Galliæ tractus Ecclesiis æqualiter celebrari præcipiatur. Sistimus utriusque concilii verba, prioris quidem, can. 24 (*App. Labb.*, *tom. V*, *col.* 547): *Id a sacerdotibus omnibus decretum est, ut ante Paschæ solemnitatem non Quinquagesima, sed Quadragesima, teneatur*; posterioris vero, can. 2 (*Ap. eumd.*, *tom. V*, *col.* 1364): *Hoc etiam decernimus observandum, ut Quadragesima ab omnibus Ecclesiis æqualiter teneatur; neque Quinquagesimam, aut Sexagesimam ante Pascha quilibet sacerdos præsumat indicere.* Consulto mittimus Missale Francorum, et Gallicanum vetus, sive Altissiodorense ad Gallo-Francos pertinentia, nam in hoc paucissimæ, in priori autem nulla omnino occurrit missa *de tempore*.

Quarto (*Col.* 609, *litt. a*), dixi *ter* in Sacramentario Leoniano Laurentii mentionem fieri, extra missam in ejusdem natali, quod et verum est; sed addere insuper debuissem, inter missas de Aprili mense, sub numero 20 (*Tom. IV Anast.*, *pag.* 14, *col.* 1) mensionem quoque Laurentii reperiri; verum cum eo in *Commune martyrum* agatur, et reliquæ ejus mensis orationes, paucissimis exceptis, communes sint, in quibus propria martyrum nomina reticentur, ut Muratorius observavit (*De Liturg. Rom. vet.*, *tom. I*, *col.* 293), credibile est ibidem Laurentii nomen in ejus Sacramentarii textum irrepsisse, pro *Illius*, seu hodierno *N*; potuit quoque a compilatore codicis integra Laurentii oratio e propriis missis divulsa hoc loco reponi, quod et alibi ipsius oscitantia factum scimus; imo inter ipsas Laurentii missas, non semel ejusdem pervigilium festo postpositum fuit (*Vid. Sacram. Leon.*, *tom. IV Anast*, *pag.* 37, *col.* 2, *num.* 9-12). Ut ut sit, ea Laurentii mentio, cum sine elogio fiat, nihil proposito nostro officere potest.

Quinto (*Col.* 611, *in not. a*), quo loco adversus cl. Lesleum dicebamus Eulaliam, cujus in Missali Gothico Gallicano mentio fit, non Barcinonensem, sed Emeritensem, fuisse, confusaque utriusque Eulaliæ Acta, subit ipsius Leslei testimonium adducere, qui cum in Missali Mozarabico (*Pag.* 31) de Emeritensi quoque Eulalia dictum observasset: *Vadit ad tribunal cruenti præsidis, nec quæsita*, subdit (*In not. pag.* 482): *Hæc non ad Emeritensem, sed ad Eulaliam Barcinonensem pertinent.* Præterea idem cl. auctor (*In not. pag.* 481) *apud omnes Occidentalis Ecclesiæ Gentes Eulaliam Emeritensem celeberrimam fuisse* testatur; ut nihil mirandum fuerit, quod apud Gallo-Gothos, imo et apud remotiores gentes ejus natale peculiari missa celebraretur.

Sexto (*Col.* 622, *not. b.*) inter sanctos quorum non meminit Orationarius Blanchini Codex, licet vere Hispani sint, recenseri etiam debent Faustus, Januarius et Martialis Cordubenses martyres, quorum natale in Missali Mozarabico celebratur IV Kal. Octobris, et habetur propria eorumdem missa in Edit. Leslei, pag. 387. Prudentius quoque fortasse eosdem martyres intellexit, cum, enumeratis Acisclo et Zoello Cordubensibus (*Hymn. de* XVIII *Mart. Cæsaraug.*) *tres* insuper eidem urbi *coronas* adjicit, inquiens:

Corduba Acisclum dabit et Zoellum,
Tresque coronas.

Illud tandem, quod suo nobis loco exciderat (nempe (*Col.* 535), quo loco de antiquitate vitæ Damasi a Benedicto presbytero scriptæ sermonem habuimus) addendum visum fuit, quod apud Mabillonium (*Tom. I Mus. Ital.*, *pag.* 129) me legisse memini, scilicet in Oratorio sancti Sebastiani de Urbe, vulgo *San Bastianello*, ad clivum Palatini montis, supra arcum Titi Augusti, in antiquioris Ecclesiæ apside pone aram ejusdem maximam veterem picturam reperiri, in cujus infima parte Mabillonii ævo legebatur:

EGO BENEDICTVS PRB. ET MONACHVS PINGERE FECI.

Hunc autem Benedictum eumdem esse cum eo qui vitam Damasi de qua agimus scripsit, suspicatur vir eruditissimus (*Ibid.*, *pag.* 130). Nos autem, quibus alte insederat studium ejus Benedicti ætatem, si fieri posset, inquirendi, picturam quidem diligentissime lustravimus, ejus autem inscriptionis fugientes ductus vix deprehendere potuimus. Verum si is idem Benedictus, cujus nomen ibidem legebatur, vitæ Damasi Scriptor fuerit, non ambigerem eumdem ad VIII, fortassis etiam ad VII sæculum referre; pictura enim, seu ejusdem genium, sive Christi et sanctorum Sebastiani, incerti martyris, Laurentii et Stephani eidem astantium, maxime vero quorumdam regia, ut videtur, dignitate fulgentium, quas exhibet, imagines eorumque ornatum atque habitum species, non minorem antiquitatem præseferre videtur. Sed de hoc sagaciores alii judicabunt.

Sunt fortassis alia in quibus uberiorem lucem lector desideret, verum ea minutiora sunt quam ut in iis demum diutius immorari oporteat.

AD TOMUM XX.

CARMINA SULPICIO SEVERO ATTRIBUTA.

Honoratissimis dominis Miller et Aubenas, dum olim, in recensione Revue bibliographique *inscripta, tomum Patrologiæ nostræ vigesimum ad beneplam æquissimi examinis trutinam perpenderent, in versus panegyricos de S. Martino contigit incidere, quos antea ineditos non absurde Sulpicio Severo tribui posse opinati sunt, primique ex membranaceo codice bibliothecæ regiæ sancti Victoris, num. 480, folia 123 continente in lucem protulere. In illo autem codice exstant: 1° Vita S. Martini Turonensis, auctore Sulpicio Severo; 2° ejusdem epistolæ tres: unam Eusebio, alteram Aurelio, tertiam Bassulæ: 3° dialogi tres in S. Martinum; 4° demum supra memorati versus, qui folio 53 verso occurrunt, hic autem a nobis in supplementi vicem exscribuntur. Similem tomi tredecimi lacunam versibus S. Damasi ineditis jam superius explevimus, doctissimorum Miller et Aubenas supra laudatorum honoratissimis admonitionibus gratam simul et facilem aurem præbentes.* Edit.

In foribus primæ Cellæ.

Venimus en istuc, hic nec nunc personat eheu!
Venimus en istuc, et crucis arma silent.
Vere bellator Domini [a] dormite pius heu!
Bellator dormit desiderandus homo.
Intremus tamen et fletu precibusque precemur
Sanctorum Dominum Martinique Deum,
Sternamurque loco quem sanctus fletu ndo rigabat;
[b] Auxilium nobis spiritus ejus erit.
Bellator dormit, tu nos sed protege, Christe,
Qui non dormitas [c] protege Israhelem.

Item in Cella alia.

Hic inhabitavit Domini vestigia lambens,
Hic inhabitavit vir crucis arma gerens;
Hic inhabitavit sanctus purusque sacerdos,
Hic inhabitavit corpore, corde probus:
Hic inhabitavit scutum cui sancta fides et
Umbo crucis verbum splendidus atque micans.
Hic inhabitavit felix heremita sub antro,
Hic inhabitavit quem paradisus habet.

Item in Cella interiore.

Sancte Deus, miserere loci quem semper amasti,
Dilige, multiplica, protege, semper ama
Completo quoniam pastorem tempore nostrum
Ad loca migrasti lucida, sancta, bona;
Nos quoque vallatu alarum sancte tuarum
Protege, conserva, dilige, semper ama.
Suppliciter petimus, dones tribuasque benignus,
Ut nosmet sancti ac simul ille juvent.

Item illic super locum lecti ejus.

Qualia o istic bellantis tela frequenter
Vidimus absentem cum fuit esse virum
Carbones atros cineres horrentia quæque
Pulveris et nebulas squalida cuncta nimis.
Cilitium subter capiti lapis et cinis altus
Exesis membris hic videbare torus;
Sellula namque fuit requies in nocte silenti
Pro scamno aut cathedra hæc quoque sella die.

Incipiunt basilicæ. Titulus primus in turre a parte orientis.

Ingrediens templum refer ad sublimia vultum,
Excelsos aditus suspicit alta fides

A Esto humilis sensu sed spe sectare vocantem;
Martinus reserat quas venerere fores.
Hæc tuta est turris trepidis objecta superbis
Elata excludens, mitia corda tegens.
Celsior illa tamen quæ cœli vexit ad arcem
Martinum astrigeris ambitiosa viis.
Inde vocat populos qui prævius ad bona Christi
Sidereum ingressus sanctificavit iter.

Item alius.

Intraturi aulam venerantes lumina Christi
Pellite mundanas toto de pectore curas.
Et desideriis animum vacuate profanis.
Votorum compos remeat qui justa precatur.
Quisquis templa Dei petiturus mente serena
Ingrederis veniam culpis deposcere seris.
B Non animo debes non vacillare fide.
Quæ petis impetras, si puro pectore poscas;
Fide, ut ipse ait, sic quoque salvus eris.

Item in introitu a parte occidentis super ostium. Historia picta viduæ.

Discat evangelico Christum sermone fateri
Quisque venit summo vota efferre Deo.
Quamvis corde tremens, supplex genu cernuus ore
Si cessent operæ nempe fides vacua est.
Lege sub hac pariter locuples pauperque tenentur;
Cui sensus desit mente probavit opus,
Nec quemquam excusat tenuis atque arcta facultas.
Affectu conatat gloria non pretio;
Qui tribuit quæcumque potest [d] is plurima confert;
Parva licet dederit maxima quæque cupit.
C Inter opum cumulos scimus et dona potentum
Prælatam viduæ pauperis esse fidem
Mercantem nummis cœlorum regna duobus.
Sublimem vexit justus in astra pater,
Non quæ multa dedit sed quæ sibi nulla reliquit,
Laudari meruit judicis ore Dei.

Item versus super ostium a parte Ligeris.

Discipulis præcipiente Domino in mari navigantibus ventis flantibus, fluctibus excitatis, Dominus super mare pedibus ambulat et sancto Petro mergenti manum porrigit et ipsum de periculo liberat. Sanctissima Christi Ecclesia quæ est mater omnium Eccle-

[a] Ms. Sangerm. *jam dormit in ipso*, melius.
[b] Ms. Sangerm., *auxilio*.
[c] Lege *protegis*, ex ms. Sangerm.
[d] Al., *opus est*.

canum quam fundaverunt apostoli, in qua descendit A Spiritus sanctus super apostolos in specie ignis linguarum, in ea positus est thronus Jacobi apostoli et columna in qua verberatus est Christus.

Quisque solo acclivis mersisti in pulvere vultum,
Humidaque illisa (*sic*) pressisti lumina terræ,
Attollens oculos trepido miracula visu
Concipe et eximio causam committe patrono.
Nulla potest tantas complecti pagina vires;
Quanquam his titulis cementa et Saxa notentur,
Terrenum non claudit opus quod regia cœli
Suscipit et rutulis inscribunt sidera gemmis.
Martini si quæris opem, trans astra resurgens
Tange polum scrutatus in æthere cœtum.
Illic conjunctum Domino perquire patronum
Sectantem æterni semper vestigia regis.
Si dubitas, ingesta oculis miracula cerne,
Quis famuli meritum verus salvator honorat
Accedis reliquis inter tot millia testis,
Dum narranda vides sollers et visa retexis,
In sanctis quicquid signavit pagina libris;
Instaurante Deo cernis quo numere gaudent
Cæcus, claudus, inops, furiosus, anxius, æger,
Debilis, oppressus, captivus, mœstus, egenus.
Omnis apostolicis gaudet curatio signis.
Qui flens affuerit lætus redit, omnia cedunt
Nubila, quod meritum turbat medicina serenat.
Expete presidium, non frustra hæc limina pulsas;
In cunctum pergit pietas tam prodiga mundum.

Item super locum absidis in altare.

Quam metuendus est locus iste vero templum Dei C et porta cœli.

Item circa tumulum ab uno latere.

Hic conditus est sanctæ memoriæ Martinus episcopus cujus anima in manu Dei est, sed hic totus est præsens manifestus omni gratia virtutum.

Item in alio latere.

Certamen bonum certavit, cursum consummavit, fidem servavit, de cætero reposita est illi corona justitiæ quam reddet illi Dominus in illa die justus judex.

Item desuper.

Confessor meritis martyr cruce apostolus actu
Martinus cœlo præminet hic tumulo.
Sit memor et miseræ purgans peccamina vitæ
Occultet meritis crimina nostra suis.

Item in absida.

Martini corpus dotis venerabile terris
In quo post vitæ tempora vivit honor.
Texerat hic primum plebeio machina cultu
Quæ confessori non erat æqua suo.
Nec desistebat cives onerare pudore;
Gloria magna viri, gloria parva loci.
Antistes sed qui numeratur sextus ab ipso
Longam perpetuus sustulit invidiam,
Internum removens modici penetrale sacelli,
Amplaque tecta levans exteriore domo.
Ceveruntque simul valido tribuente patrono.
In spatiis ædis conditor immeritis
Quæ Salomoniaco potis est confligere templo
Septima quæ mundo fabrica mira fuit.
B Nam gemmis, auro, argento si splenduit illud
Istud transgreditur cuncta metalla fide.
Livor abi mordax, absolvanturque priores.
Nil movet aut addat garrula posteritas
Cumque venit Christus populos qui suscitet omnes
Perpetuo durent culmina perpetui.

Item incipit depositio sancti Martini.

III id. novembris pausavit in pace Domini, nocte media.

Item incipit in memoria securi Remigii.

Quinque beatorum retinet domus ista coronas,
Quorum si titulos legas et nomina nosces
In cœlis quæ scripta manent semperque manebunt.
C Hic ovat ex utero sanctus Baptista Johannes.
Hic Felix Victorque, piis Gervasius almus,
Protasiusque sacer sunt hic per sæcula testes,
Qui veram ducere fidem cruce, sanguine, morte.
Juncti quinque simul digiti de corpore Christi
Efficiunt celsam magno certamine palmam
Perpetuis dignisque Deo quam floribus ornant.

Titulus libri vitæ sancti Martini episcopi.

Si tibi sancta fides si Christo dedita mens est
Pontificis sacri meritorum mole perennis,
Hic studiose potes Martini discere lector
Ortum, militium, natales, gesta, parentes,
Doctrinam, mores, preconia, bella triumphos,
Supplicia [a], patriam, discrimina, dicta, labores,
D Premia, virtutes, ævum. præconia sacra.

[a] Forsan, *supplicium*.

AD TOMUM LI.

IDATII EPISCOPI CHRONICON

CORRECTIONIBUS, SCHOLIIS ET DISSERTATIONIBUS ILLUSTRATUM

A JOANNE MATTHÆO GARZON,

HISPANO, SOCIETATIS JESU THEOLOGO, CAMDIENSIS ACADEMIÆ OLIM CANCELLARIO.

Ex codice autographo bibl. regiæ Bruxellensis edidit P. F. X. DE RAM, *S. Theol. et SS. Can. doct., collegii hist. reg. Belgii Socius.*

(Numeri qui crassiori typo in textu repræsentati sunt respondent paginis hic recensitæ editionis.)

Monitum editoris.

In prævia dissertatione satis superque pertractantur quæ ad Idatii vitam et scripta attinent (*a*). Pauca tamen de ipsius Chronico, quod Garzonius omnium optime illustravit, hoc loco præmonenda sunt.

Chronicon istud, inter præcipua historiæ suæ monumenta ab Hispanis habitum, decurrit ab anno æræ Christianæ 379 ad annum ejusdem æræ 469 (*b*). Complectitur itaque, a Theodosio ad Leonem, annos fere nonaginta. Ab ipso auctore in duas partes ita divisum fuit, ut priorem quidem ab aliis sumptam ingenue fateretur; posteriorem vero, ab anno 427 ad finem, a se immediato teste conscriptam affirmaret (*c*). Christianus Fredericus Roesler ait (*d*) scriptores quos Idatius in priori Chronici parte secutus esse videri possit Sulpicium fuisse atque Orosium, communes eorum temporum et scriptorum fontes, Hispanis etiam proxime notos. Inde autem a Valentiniani anno 3, id est æræ Christianæ anno 427, Idatius ipse fons esse incipit, e quo multi post prata sua satis profecto arida irrigarunt. In his nemo magis quam Isidorus, tum Hispalensis, tum Pacensis.

Ut oculatum veracemque inter optimos sæculi quinti scriptores merito numerandum esse Idatium, testatur Papirius Massonus (*e*). Erat enim eo constitutus loco, ex quo multa accuratius poterat et circumspicere et judicare. Episcopatu non tantum multis annis perfunctus est, sed etiam ad legationes et officia publica adhibitus (*f*). Rebus ipsis immistus, quæ propria didicit experientia, litteris commendavit. In scribendo plerumque utitur stylo breviori, eoque barbaro ac difficili; neque hoc obstare potest quo minus summo in pretio habeatur Idatii Chronicon. Enim vero non solum ab hoc fonte hausta sunt, inquit Sirmondus (*g*), quæ de Gothorum, Suevorum, aliarumque gentium rebus in Hispania Galliaque, per ea tempora gestis, apud Isidorum et alios scriptores non aliis ferme quam ipsius Chronici verbis contexta leguntur; sed alia præterea tum ad sacram tum ad civilem historiam plurima hic docentur, quæ ut cæteris omnibus intacta qui exstant, ipsi etiam nos, nisi ab Idatio prodita essent, ignorare cogeremur.

Nullus fortasse meliorum Chronicorum aut celebriorum superest, cujus tam rari sunt Codices mss. In ipsa etiam Hispania vix obvios esse, et ex eorum collatione nihil fere ad textus emendationem desumi posse, testatur Floresius (*h*). Ut autem Idatius extra Hispaniam sæpius describeretur, vix tulisse videtur insignis illa auctoritas qua Prosperi Chronicon valuit.

Plures tamen tum fragmentorum tum integri Idatiani Chronici exstant Editiones (*i*).

Excerpta quædam ex hoc Chronico a quodam collectore Gallo, Caroli Magni æquali, primus publici juris fecit Henricus Canisius (*j*). Compendium illud in prima sua Eusebiani Chronici Editione retinuit Josephus Scaliger (*k*); legitur quoque in Andreæ Schotti Hispaniæ illustratæ tomo quarto, a Francisco ejus fratre edito (*l*).

Post tres illas male breviati Chronici publicationes, prodiit tandem integrum Chronicon Ludovici sancti Laurentii Cordubensis cura, Romæ anno 1615, ex Codice, ut ait ille, Parisiensi desumptum. Mox nova prodiit Editio Parisiis ex officina Sebastiani Cramoisy, anno 1619, in-8°, opera eruditissimi viri Jacobi Sirmondi, qui eumdem ms. Codicem, unde Romanus profecit Editor, non quidem Parisiensem, sed vere Metensem, scilicet Metis scriptum, eumque antiquum archetypon se habuisse fatetur. Hujus ms. Codicis meminit Labbeus (*m*); alterum ad manus habuit ante annos septingentos exaratum Papirius Massonus (*n*).

(*a*) Vid. pag. 9 et seqq.

A

(*b*) Sigebertus Gemblacensis, ad annum 490, ait : *Idatius Chronica hucusque perduxit.* Vossius recte observat errasse Sigebertum, quod in aliquem incidisset Codicem, ubi Idatiano textui aliquot anni ab alio adjecti fuissent. Cfr. Nicolai Antonii Hispalensis *Bibliotheca Hispana vetus.* Madriti, 1788, in-fol., tom. I, p. 259.

(*c*) Cfr. Idatii præfat., p. 50.

(*d*) *Chronica medii ævi, argumento generaliora, auctoritate celebriora, usu communiora, post Eusebium atque Hieronymum res sæc.* IV, V *et* VI *exponentia.* Tubingæ, 1798, in-8°, p. 90.

(*e*) *Hist. calamit. Galliæ*, p. 97.

(*f*) Cfr., infra, p. 16 et 74.

B

(*g*) In præfat. ad Idatii Chronicon.

(*h*) *España sagrada*, tom. IV, p. 321.

(*i*) Roesler, op. cit., p. 92, et Bahr, *Die christlichen Dichter und Geschichtschreiber Roms.* Carlsruhe, 1836, in-8°.

(*j*) Lectionum antiq. tom. II Ingolstad., 1602. Cfr. ejusd. op. Edit. Amstelod., 1725, tom. II, part. I, p. 165.

(*k*) *Thesaurus temporum.* Genevæ, 1609, in fol.

(*l*) *Hispania illustrata, seu rerum urbiumque Hispaniæ, Lusitaniæ, Æthiopiæ et Indiæ Scriptores varii.* Francof., 1603-1608, 4 vol. in-fol.

(*m*) *Bibl. librorum mss.*, p. 2.

(*n*) *Hist. calamitat. Galliæ*, p. 98.

Romanam Editionem, eodem aut sequenti anno quo prodiit, repetiit Prudentius Sandovalius Benedictinus, Pampilonensis episcopus. Sirmondiana vero Editio sæpius novis typis reddita est, in primis ab ipso Sirmondo (a), deinde ab Andrea Duchesnio (b), ab Alexandro Moro (c), ab Editoribus *Bibliothecæ Patrum* (d) et *Conciliorum Hispaniæ* (e), a Bouquetio (f), a Floresio (g), a Roncallio (h) et a Roeslero (i).

Librariorum incuria evenit ut pluribus in locis Idatiana chronologia vitiata fuerit. Præterea ex uno exemplari et ms. Codice omnes fluxerunt Editiones; itaque ex Codicum mss. comparatione Idatii textus plane emendari nondum potuit (j).

In illustrando Idatio nemo diligentior fuit Floresio, qui Hispanico idiomate prolegomena et notas conscripsit (k). Pagius in *Critica Baronii* sæpe et multum usus est Idatio, atque etiam Petavius in *Doctrina temporum*. Horum prior Chronici locis quam plurimis interpretatione, emendatione et notis succurrit. Sed Pagius, quemadmodum alii chronici Editores, sæpissime lapsus est, ita ut Matthæus Aimerichius jure observaverit Garzonium in pluribus Pagium emendasse et sexaginta eoque amplius Pagii errores circa Hispanorum præsertim res adnotasse in annis nonaginta Chronici Idatiani (l).

Nostrum illum Garzonium Aimerichius præcipuis ætatis suæ chronologis adnumerat, hocque de eo et de opere quod typis excudimus, testimonium tulit: *Chronicon*, inquit (m), *a Sirmondo inventum, correctionibus, notis et dissertationibus illustravit sodalis olim et amicus meus Joan. Matthæus Garzon Hisp., chronologus doctissimus. Hoc opus posthumum, quod jussu cl. J. Santanderii reg. bibliothecarii, nuper defuncti, in regia bibliotheca asservatur Madriti, typis editum jam esset cum nostra* Historia naturali *et* Œconomica Cataloniæ, *me curante ut iusque editionis correctionem, ni Fortuna, ludum insolentem ludere pertinax, repentino excitato turbine, totum negotium disturbasset.* Eo enim tempore quo nova illa Idatiani Chronici Editio typis excudenda erat (n), in Hispania societas Jesu suppressa fuit, ejusque alumni iniquo multati sunt exsilio.

Garzonii Codicem ms. Joannes Santander testamento suo legavit Carolo de la Serna Santander, bibliothecæ publicæ Bruxellensis custodi. Cum viri illius clarissimi bibliotheca venalis proposita esset Bruxellis anno 1816, Carolus Van Hulthem, die 19 mensis Martii, sibi comparavit illum Garzonii Codicem, qui nunc exstat in regia bibliotheca Bruxellensi, sub n° 17971 Codd. mss.

Ex hoc Codice autographo descripsi quod nunc in lucem prodit Idatii Chronicon illustratum. Quantum laborem, quantumque studium in adornando hoc opere Garzonius adhibuerit, intelligent omnes qui novissimam hanc Idatii Editionem cum prioribus comparare voluerint.

Lovanii, die 16 mensis Maii 1845.

P. F. X. DE RAM.

(a) Anno 1629. Cfr. Sirmondi op. Venetiis, 1729, tom. II, p. 228.
(b) *Hist. Franciæ script.* Paris, 1636.
(c) Scaligeri, *Thesaurus temp.*, nov. Editio Amstelod., 1658, in-fol., p. 17.
(d) *Bibl. Patr. max.* Lugduni, 1677, tom. VII, pag. 1231, et Gallandii *Bibl. Patrum*, tom. X, p. 323.
(e) *Collectio max. Concil. Hispaniæ*, tom. II, p. 168.
(f) *Recueil des historiens des Gaules et de la France*, tom. I, p. 612.
(g) *España sagrada*, tom. IV, p. 239-415.
(h) *Vetust. Latt. Script. Chronic., ad mss. Codices emendata.* Patavii, 1787, in 4°, part. 2.
(i) Op. cit., p. 84 et 131.
(j) Cfr. Roncallius ex præfat. op. cit., p. 24.
(k) *Idacio illustrado con notas, correcciones, y distribucion mas exacta que en las Ediciones anteriores. Añadidos dos Chronicones ineditos : Fastos Idacianos, y tablas de olympiadas, consulados, y años de la fundacion de Roma, reducidos a los de Christo. Todo con nuevas observaciones.* Op. cit., tom. IV.
(l) *Specimen veteris Romanæ litteraturæ deperditæ vel adhuc latentis.* Ferrariæ, 178., in-4°, part. I, p. 14.
(m) Op. cit., p. 173.
(n) Ut typis excuderetur, die 30 Septembris 1763, facultatem concesserat Petrus Navarro, societatis Jesu præpositus provincialis in provincia Aragoniæ. Eamdem facultatem censores regii dederant.

LECTORI.

1 I. Ecce tibi, mi lector, Idatii episcopi Aquiflaviensis Chronicon recens cusum, perpetuis fere scholiis et notis brevioribus ad calcem cujusque paginæ, fusioribus vero ad finem operis adjunctis, nonnullisque interdum correctionibus illustratum.

Post novi simas, inquies, Bouquetii atque Florii Editiones? Ita enim vero, nec sine causa opinor atque aliquo operæ pretio. Nam doctissimus Bouquetius non Idatii Chronicon, sed indicem quemdam sive commentarium rerum Idatii tempore 2 gestarum nobis offert, siquidem chronologicas omnes notas, quibus Idatius opus suum in annales digessit, ab eo rescidit, novasque alias pro opinione sua obtrusit. Eruditissimus autem Florius characteres sane chronologicos, quos libri editi præferunt, universos servavit; sed tamen annos Abrahamiticos et Olympiadicos a locis quibus insiti erant avulsit, et imperatoriis ab auctore consignatis suos sæpe adjunxit, ut eum, quia a vera chronologia aberrarre existimavit, in viam reduceret. Utrique tamen, quod ipsorum ductu chronologicas antiquarum Editionum salebras superare poterunt, multum Idatii lectores debebunt; at Idatius ipse non ita, quia dum illi sospitalem manum admovere præ se ferunt, si licet dicere, Bouquetius rheda eum, quasi utroque pede claudum, Scipione vero quasi altero tantum pede claudicantem Florius donavit, quo quidem ejus ipsi ægritudinem immedicabilem esse denuntiarunt.

II. At mihi Chronicon istud contextumque illius diligenter scrutanti longe aliter visum est. Nam in eo non ita chronologia perturbata est, ut si modo oculos ad illius verba adjicere, animumque ad totius scripti seriem advertere velimus, non inveniamus auctorem recta fere semper via incedere; neque illis auxiliis, tanquam potis non sit, suis ambulare gressibus, indigere, quin imo quandocunque librariorum imperitia sive oscitantia factum est, ut ab æquabili, cui insistit, cursu abducatur; ipse per sese lectori suo ostendit illatam sibi vim esse, atque eum quodammodo deprecatur, ut ab injuria impactoque 3 sibi vitio vindicatum se ire velit. Quod ut uno atque altero exemplo palam fiat, sume, lector, Chronicon a Sirmondo editum atque ibi inter paragraphum *Asturius vir* (ad annum 26 Theodosii atque Placidi Valent.) et paragraphum *Secundo regni anno principis Marciani*, numeros chronologicos mutatos reperies. Quid igitur? Idatiusne ætate prope sexagenarius, dignitate episcopus et hucusque tam accuratus scriptor, red-

ditus nunc est adeo indiligens, ut Theodosii atque A Placidiæ mortem unum post annum quam quo reipsa evenit commemoret? Sed esto. Nescierit Idatius Theodosium atque Placidiam obiisse anno æræ vulgaris 450, qui fuit ipsius Theodosii et Valentiniani 26, ascribiturque in Editione Sirmondania eidem § *Asturius*, an ignorare potuit bellum Attilianum atroxque illud prælium, quo in campis Catalaunicis anno ejusdem Valentiniani 27, æræ communis, 451, pugnatum fuisse, quod cunctarum gentium linguis et litteris pervulgatum est? At si Idatius § *Valentiniani imperatoris mater* annum ipsius 28 adnexuit, prælium illud in annum communis æræ 452 conjecisse dicendus est. Veruntamen conjecturis neutiquam egemus, quandoquidem § *In Gallæcia*, qui in Editione Sirmondiana subjicitur anno 28 Valentiniani, diem quartum aprilis incidisse ait Idatius in feriam tertiam. Atqui hoc contigit anno æræ Dionysianæ 450, imperii Valentiniani 26, qui cyclo solis 11, litt. Domin. A insignitus fuit. Idatius igitur § illum *In Gallæcia* [4] et B qui quæ præcedentes sub eo anno 26 consignavit, pessimeque cum eo actum est a librariis, qui annos duos 27 et 28 Valentiniani eidem § præposuere, quos eidem postposuerat manifeste Idatius. Sed plura de his in notis.

III. Paulo post Idatius, a I § *Romanorum XLIII*, hanc notam 1 apposuit, qua annum 1 Aviti designare voluit. Attamen librarii eamdem notam non ut solius primi Aviti anni, sed ut novi etiam Olympiadici atque Abrahamitici signum accepere. Quasi Idatius ipse ad annum 17 Theodosii Magni non præmonuisset propter hanc quinti anni imperii adjectionem turbandam non esse, neque pervertendam Olympiadum seriem; quandocunque uno eodemque anno c vili seu Juliano et primus imperium adeuntis et ultimus decedentis ab eo principis designaretur. Id quod de Abrahamiticis etiam annis intelligendum est. Mentem hanc suam de illius notæ significatione declarat evidentissime Idatius eodem loco, dum nullam ibi in annos Marciani mutationem inducit, sed eumdem illum re- C tinet, quem antea consignaverat § *Quarto regni anno*. Item dum statim post scribit: *Gaisericus. . priusquam Avitus Augustus fieret, Romam ingreditur*, etc., quibus verbis clarissime significat se narrationem continuare illiusmet anni quo occisus est Valentinianus, renuntiatique Maximus et Avitus, quorum successiones ut uno tenore redderet, irruptionem Gaiserici in urbem quæ inter mortem Maximi et Aviti renuntiationem facta est, post hanc renuntiationem tradit, id ipsum expresse [5] admonens: admoniturus pariter ad annum præcedentem irruptionem illam pertinere, seque eam extra locum et tempus narrare, si ab illo § I, *Romanorum XLIII*, novum annum civilem, scilicet 456, auspicaretur.

IV. Sed simile a librariis Chronico illatum vitium longe manifestius deprehenditur § *Theodoricus adversis*. Induxerat paulo antea Idatius Theodoricum post Rechiarii mortem, qui occisus fertur mense decembri, Emeritæ civitatis deprædationem molientem, intereaque novus cum advenisset annus, eum consi- D gnavit § *Avitus tertio anno;* atque Aviti et Marciani obitu Leonisque ac Majoriani ad imperii fastigium ascensu cursim commemoratis, resumpsit iterum actorum Theodorici narrationem, quam sequitur a § illo *Theodoricus adversis*, eique notam hanc 1 apponit, initium principatus Leonis atque Majoriani denotantem. Librarii autem nimis quam oscitanter hæc legentes, novumque aperiri annum existimantes, numerum annorum civilium ibi adaugent, et Theodoricum sexdecim fere menses Emeritæ cunctari faciunt, cum vix quatuor in ea urbe permansisse Idatianæ narrationis ordo perspicue demonstrat.

V. Hi nævi sunt atque etiam alii, sed sane non multi, quibus a librariis Idatius devenustatus est. Ut miraculo proprius sit scriptorem hunc tam sui similem in unico Ms. (namque hucusque nullum aliud inventum est) conservari potuisse. Ergo paucula istas labes cum detegere possent viri clarissimi, qui [6] Chronico isti illustrando operam navarunt, nescio cur suam potius chronologiam huc invehere quam Idatianam restituere voluerunt. Sed contra fidem Ms., inquient, quis hoc audeat? Imo vero, quis non audeat, si de auctoris sententia certo constet? Majorne adhibenda fides est librariorum calamis quam ipsorum auctorum verbis? Quænam, rogo, religio est, ut librario parcas opem negare scriptori dignissimo, qui eam implorat, et quasi admota manu inflictum sibi vulnus indicat, ut ei mederi velis? Ego autem contrarium facere decrevi; atque in hac Editione loca superius adducta ac alia nonnulla corrigam, germanamque Idatii lectionem restituam, eam expungens, quam librariorum sive incuria, sive imperitia, sive audacia invexit. Cumque nullum Ms. suppetat aliqua ex conjectura et historica veritate emendabo, quæ paucissima erunt; plura ex ipso hujus Chronici contextu, cætera vero aut ex Fastis ipsius Idatii, aut ex Isidoro, aut ex excerptis quæ tomo IV *Hispaniæ illustratæ* excusa sunt, aut denique ex Chronico Parvo atque alio Chronico Severo ascripto, quæ Florius in lucem protulit tomo IV *Hispaniæ sacræ*.

VI. Dum autem singula persequor, quibus has emendationes fieri posse quam probatissimas existimavi, nimius alicui justoque diffusior fortasse videar. Sed advertat hic, quæso, animadversiones illas, in quibus de notis numerorum, et quo quæque loco ab auctore inscripta sit, agitur, ad summam rei pertinere. Quotiescunque enim id sub [7] dubio maneat atque sub lite, Idatii opus commentarius aliquis historicus dici poterit, Chronicon dici non poterit. Istud igitur causa fuit quamobrem ego, dum de numeris chronologicis quæstio orta est, argumenta cuncta protulerim, quæ mihi visa sunt aliquid lucis genuinæ lectioni restituendæ allatura. Nec me pertæsum est hanc in rem tempus et operam liberaliter impendere. Has autem atque alias ad historiam et ad Hispaniæ laudem spectantes longiores annotationes ad calcem Chronici amandavi; ne si ipsius Chronici contextui, ubi occurrunt, subjicerem, nimis illum discerperem, et lectoribus qui Idatium festina volent lectione percurrere interjectionibus hujusmodi moras obtenderem.

VII. Ut autem de antiquis Editionibus nihil lectori depereat, si quid in ista detractum est aut inversum, id omne ne una quidem litterula minus in scholiis exhibeo, simulque quid, quove loco, vel additum vel expunctum vel immutatum est, indico. De epochis quibus Chronicon Idatius insignavit dicam infra, cum de illius scriptis sequenti dissertatione agam. Christianam autem æram aliis, quas ipse adhibet, ego adjunxi, quia hæc cum in usu communi omnium sit, et mihi et lectori commodior ac expeditior futura est; compendii etiam causa, dum hac epocha utor, atque etiam dum aliorum scriptorum loca allego, Arabicas notas (sic vulgo appellari solent) sæpe usurpo; nam velocius scribo 450, quam xxvi Theodosii et Valentiniani III [8] annorum; velocius item 389 quam CCCLXXXIX.

VIII. Demum si hic aliqua invenis quæ occupata prius fuerint a Bouquetio, scito me nunquam eum vidisse, neque in nidulo, in quo nunc habito, videre licet. Quæ autem de eo supra prælocutus sum, ex R. P. Florio didici. Sed neque scio an quidquam omissurus sim, etiam si antequam hæc in lucem proferam, opus illius nactus fuero. Ego enim hæc ex publica silva collegi, nihilque Bouquetio debent.

DISSERTATIO PRÆVIA

DE VITA ATQUE SCRIPTIS IDATII

9 § I. *Idatii patria.*

1. Idatius, ut ipse de se testatur, *provinciæ Gallæciæ in Lemica civitate* natus est. An *Lemica* vel *Limica* ab Idatio scriptum fuerit, divinare non possumus. Inter Durium et Minium Gallæciæ fluvios, flumen aliud est, quod Plinio (*L.* IV, *c.* 20) et Melæ (*L.* III, *c.* 1) *Limia*, Ptolomeo (*Tab.* II *Europæ*) *Limius*, Straboni (*L.* III) demum *Limæa* dicitur, tertia vocali *li* non secunda *le* cunctis scribentibus. Ad hæc inter decem civitates, quas recenset inscriptio, quæ hodiedum ad Aquasflavias (vulgo *Chaves*) in ponte ad Tamagam fluvium visitur, quamque Gruterus (*p.* 245, *n.* 2) et alii exhibent, septimo loco Limici numerantur. Tempus quo ea inscriptio posita est, ipsa per se prodit. En illius principium :

IMP. CAES. VESP. AUG. PON.
MAX. TRIB. POT. X IMP. XX P. P. COS. IX
IMP. VESP. CAES. AUG. FIL. PON. TRIB.
POT. VIII IMP. XII. COS. VII.

Eadem profecto verba quæ lectoribus suis offert Panvinius (*L.* II *in Fast.*, *an. U. c.* 832), nisi quod apud eum consulatus Titi VII inscriptus 10 est; hic autem VI. Isti tamen lectioni consentiunt Fasti Idatiani, atque Græci et liber Cuspiniani, qui, ipso Panvinio teste, insequenti anno Urbis 833 consulatum Titi VII præfert.

2. Verum id modo nostra non refert. Hæc autem omnia eo solum fine commemoravi, ut palam fieret verisimilius esse ante Idatii saltem tempora *Limicus* adjectivum a *Limia* tertia vocali, non autem secunda *Lemicus*, efferri solitum fuisse. Quin etiam hodierna die flumen illud *Lima*, et tractus ipsi vicinus Limia appellatur. Quare quod nunc *Lemica* in Idatio legatur, ex librariorum forsan errore natum est. Quid si exinde ille etiam derivatus est ut Idatium Lamecensem episcopum plurimi scriptores fecerint. Porro si *Limica* in Idatio legeretur, Sigebertus Limicensem illum episcopum dixisset, non vero Lemicensem. Alii autem scriptores *Forum Limicorum* in Ptolomæo et *Limicos* in lapide Aquiflaviensi invenientes, aut cum Sigeberto episcopum Limicensem appellarent, aut saltem nihil commenti essent de episcopatu Lamecensi, quem Idatio tribuunt pari ac Sigebertus Lemicensem errore; sed qui plurium insedit animis, penitiusque inhæsit non sine aliqua veritatis specie. Nam episcopatus Lamacensis etiamnum perseverat in ora Gallæciæ veteri vicina prope Durium flumen. At Lemica nullibi, neque apud antiquos geographos, neque in ecclesiarum monumentis apparet. Cæterum urbem Lemicam vel Limicam, ubi natum se ait Idatius, in eo loco fuisse ubi nunc vicus est vulgo *Puente de Lima* dictus, opinio fuit D. Nicolai Antonii. Sane Itinerarium Antonini XIX m. Bracara Tydem versus Limiam statuit, fluvium, non oppidum, si Zuritæ credimus. Sed nihil prohibet quominus et urbem et fluvium Limiam inibi A fuisse dicamus, sicuti 11 in aversa Hispaniæ ora Sucro fuit et flumen et oppidum, teste Plinio (*L.* III, *c.* 3), qui etiam oppidum et flumen Aerninium in vicina Lusitania memorat (*L.* IV, *c.* 19).

§ II. *Ortus Idatii, peregrinatio in Palæstinam, atque inde in Hispaniam reditus.*

3. Quo anno natus fuerit Idatius etiam in incerto est; sed si datur conjectationibus locus, in annum circiter 393 natalem ejus incidisse non imprudenter statuam. Opinatus quidem est vir impense doctus et de Idatio optime meritus eum circa annum 390 natum fuisse, confectaque in Palæstinam peregrinatione anno 400 ad suos rediisse. Sed quod attinet ad regressum Idatii ex Oriente, humanitus vir tantus deceptus est, uti Acta sancti Porphyrii episcopi Gazensis B apud Surium et Bollandum die 26 Februarii certo nos docent. Namque ibi, cap. 8, legimus Joannem Cæsareæ Palæstinæ episcopum anno 401, die post Pascha 15, ex itinere Constantinopolitano Majumam appulsum, inde tertio post die Cæsaræam abiisse, sanum utique ac vegetum, ut qui media hieme mari se ac navigationi satis difficili commiserit. Cumque eo anno Pascha celebratum fuisset a Græcis die 14 Aprilis, Joannes die 2 Maii ejusdem anni inter vivos erat. Atqui dum Idatius Palæstinam lustrabat, Joanne vita functo, Cæsariensem Ecclesiam Eulogius regebat. Legesis Idatium ipsum ad annum 12 Honorii, Christi 406, itemque ad annum ejusdem Honorii 13, æræ communis 407, ubi infantulum se et pupillum hunc eumdem Eulogium Cæsareæ 12 jam tum episcopum C vidisse testatur. Neque, si dicam ideo Idatium ad hunc annum 407 Joannis Hierosolymitani, Eulogii Cæsariensis et aliorum meminisse, quia eodem ipso anno factum est ut eos viderit in Palæstina, quemquam me erroris accusatum ire metuo.

4. Existimavit præterea idem cl. vir Idatium, dum anno Theodosii et Placidi Valentiniani 11 vulgaris æræ 435 ait : *Quo tempore sancti Joannes, Hieronymus et alii, quos supra diximus, obierint... referentem sermo non edidit*, de his loqui quos anno 406 laudaverat; cumque inter eos commemoratus fuisset et Epiphanius Salaminæ in Cypro episcopus, tempus quo hic obierit ignorasse Idatium credidit, quia in Hispaniam ex Syriaca peregrinatione se recepisset ante diem 12 Maii, anno 401, quo ab aliquibus obiisse D dicitur Epiphanius. At imprimis multo probabilius est Idatium ad annum 435 de iis loqui quorum anno 407 meminerat, inter quos non est Epiphanius. Deinde fieri non potuit ut Eulogium in Ecclesia Cæsariensi episcopum videret, utque a Palæstina ipse ante Epiphanii mortem, si is obiit anno 401, recesserit, nisi si Joannes Eulogii decessor statim a Constantinopolitano itinere vivere desierit, statim Eulogius in Joannis locum allectus fuerit, Idatius jam

tum in Palæstinam navigaverit, atque ab ea provincia, nulla interposita mora, recesserit. Quæ omnia uno non integro mense fieri nemo sine tabulis, sine testibus, sibi persuadeat. A

5. Verum licet Epiphanius diem obierit extremum anno 402 aut 403, de quo disputant Baronius (*An.* 402, *n.* 25), Pagius (*An.* 402, *n.* 7), Papebrochius (*In Vita*, *n.* 42) et Valesius (*Not. ad. Socrat. l.* VI, *c.* 14), non ideo consequens **13** erit Idatium illius obitum ignorasse, quia, antequam eveniret, ab Oriente in Hispaniam reversus fuerit. Fieri enim potuit ut, etiamsi in Syria et præsertim in Palæstina celeberrimum fuisset Epiphanii nomen, dum viveret, nihil Idatius, quandiu illic fuit, de illius morte audierit, quia videlicet tertio vel quarto ab Epiphanii excessu anno, id est 406 aut 407, in Palæstinam advenerit, quando cuncti de Epiphanio sermones sopiti erant. B Cumque juxta opinionem nostram decimum tertium ætatis annum numeraret tunc Idatius, verum se infantulum ac pupillum appellare potuit. Hieronymus profecto sæpe se adolescentem, alicubi etiam pene puerum in eremum secessisse ait, et tamen juvenem vel etiam virum tunc fuisse apud omnes constat. Cornelius etiam Nepos (*In Vita Attici*, *cap.* 8) adolescentem appellat M. Brutum post illud tempus quo ab ipso cum sociis occisus fuerat Cæsar in senatu, et ipsum Atticum adolescentem vocat cap. 2, cum jam annum 23 ageret. Itaque hujusmodi verba nos sæpe fallent, si ad præscriptas vulgo metas infantiæ, pueritiæ et adolescentiæ, reducantur. Quando vero finem Chronico imposuit Idatius, non immerito extremum se vitæ curriculum peragere scripsit in prologo; namque erat tunc fere octogenarius, ut infra videbimus. C

§ III. *Deo se devovet, episcopus fit; reliqua usque ad mortem.*

6. Regressus ex Syria ante annum 412, quo obiit Theophilus Alexandrinus (nam cum illinc discessit, vivum reliquit Theophilum, uti ea ostendunt quæ scribit anno 11 Placidi Valentiniani), Deo se devovet clericum, **14** monachum aut religiosum, quam antea vitam professus, anno æræ vulgaris 417 aut 418. Id nihilque aliud significant verba illa quæ in Chronico Parvo (sic illud appellare visum est Editori Florio), post Constantii nuptias et Placidiæ, ante Walliæ mortem leguntur, scilicet : *Idatii ad Dominum conversio peccatoris.* Equidem Salvianus (*L.* IV *de Gubern. Dei*) illius temporis scriptor, eadem phrasi : *Si quis*, ait, *nobilium converti ad Deum cœperit.* Statimque, quid intelligat conversionis nomine declarans, inquit : *Si quis melior esse tentaverit;* rursumque : *Si honoratior quispiam religioni se applicuerit.* Similiter de Paulino Ausonius (*Epist.* 25) : D

Vertisti, Pauline, tuos, dulcissime, mores.

Atque etiam Idatius ipse, infra, ad annum 30 Honorii : *Paulinus nobilissimus et eloquentissimus dudum conversione ad Deum nobilior factus.* De eadem re qui plura velit, legat eumdem Paulinum (*Epist.* 39 *ad milit.*) atque Sidonium (*L.* IV, *Epist.* 24).

7. Anno deinde 3 Theodosii junioris et Valentiniani, æræ vulgaris 427, creatus est episcopus Aquiflaviensis. Quod cum primus animadverterit Philippus Labbeus, insignis soc. Jesu scriptor, dum Fastos Idatianos integros publicaret, novissime multis confirmat doctissimus Florius. Urbem episcopatu dignam probat inscriptio apud Gruterum (*P.* 23, *n.* 10), in qua coloniæ titulo honestatur. Sigebertus, ut supra innui, Lemicensem, plures Lamecensem episcopum fecerunt, omnium pessime Paschasius Quesnellus Lucensem. Qui errores insuper accumulans, Idatium metropolitam **15** fuisse affirmat, idque Idatium ipsum significare ait, dum in prologo ad Chronicon scribit se *summi præsulem creatum officii*. At Lucus Augusti metropolis honore non nisi multos post annos decoratus est. Sed neque summum præsulatus officium metropolitas tantum, verum quemlibet etiam episcopum designat; siquidem de potestate ordinis, ut theologi et juris ecclesiastici interpretes loquuntur, sermo sit. Antiquus scriptor (*a*) de sanctis Castrense, Romo, Prisco et Tammaro, episcopis Africæ, non metropolitanis, summi sacerdotii honore præditos fuisse ait; et sanctus Gaudentius Brixiensis de se loquens sermone in die suæ ordinationis et de suo episcopatu : *Suscepi*, inquit, *summi sacerdotii munus.* Si vero de potestate jurisdictionis loquamur, nec metropolitani quidem summo sacerdotii officio gaudent, cum habeant supra se patriarchas aut primates et summum pontificem. Hæc necessaria adnotanda fuerunt, quia res nobis est cum implacabili Ecclesiæ supremique ejus capitis hoste.

8. Vixit in episcopatu Idatius, ut minimum annos 42; nam Chronicon suum usque ad annum 469 perduxit. Imo in eo nonnulla legimus quæ ab Idatio scribi non potuerunt ante annum 472, ut infra ostendam (*Num.* 34). Attamen necesse est eum ante annum 474 extremum diem obiisse, si sub Leone Augusto decessit, uti narrat sanctus Isidorus (*De Vir. ill.*, *c.* 9), cui satius est credere quam Sigeberto, qui ad annum usque 490 vixisse eum affirmat. Leo autem mense Januario an. 474 vitam finivit. Quare Idatius annos fere octoginta vitam produxisse ambigi vix potest.

9. Ab eo vero tempore quo episcopus factus est, **16** maximis laboribus ingentibusque ærumnis in Christianæ patientiæ gymnasio exercitus est. Nam atrocia continuo bella, et quæ bellis annexa, incendia, rapinæ, captivitates, cædes, miseram Gallæciam attriverunt. Hæ tamen injuriæ erant corporum atque bonorum. Angores animi multo acrius sanctum episcopum cruciabant, cum videret gregem suum huc atque illuc distrahi, dispergi, lupisque irruentibus, hoc est hæreticis Priscillianistis et Arianis, sævissime dilacerari. Interea tamen principibus et populis charus erat atque venerabilis, ita ut legatione pro suis Gallæcis ad Aetium suscepta, hic, precibus ejus victus, Suevorum regem Hermericum ad ineundam cum Gallæcis pacem paulo post induxerit. Idatius vero, nomen suum reticens, pacem hanc interventu episcopali obtentam esse affirmat. At ista plu-

(*a*) Vita sancti Castrensis, cap. 1, apud Bollandum, 11 Febr.

raque alia lector ex ipso Chronico melius intelliget. Silentio tamen prætererire non possum verba sancti Leonis Magni, quæ Idatium nostrum maxime commendant. Agens enim vigilantissimus pontifex de generali concilio ex omnibus Hispaniæ provinciis cogendo, ut Priscillianistarum furori occurreretur, hæc inter alia ad Turibium Asturicensem scribit : *Si autem aliquid, quod absit, obstiterit quominus possit celebrari generale concilium, Gallæciæ saltem in unum conveniant sacerdotes; quibus congregatis, fratres nostri Idatius et Ceponius imminebunt, conjuncta cum eis instantia tua, quo citius vel provinciali conventu remedium tantis vulneribus afferatur* (*Epist. mihi* 93, *fin.*). Hæc sanctus Leo, qui Idatium et Ceponium nominatim appellasse videtur ex Turibii commendatione; nam et Turibius ipse ad eosdem de secta Priscillia- B nistarum litteras dedit, quas apud Moralem reperies (*L.* XI, *c.* 26).

17 § IV. *Idatii scripta.*

10. Duo Idatio scripta tribuuntur, Chronicon scilicet et Fasti consulares. Et Chronicon quidem omnium temporum ac eruditorum consensu; at de Fastis antiqui scriptores omnino tacent; posteriores vero alii dubitant, alii etiam incunctanter negant. Sed genuinum Idatii opus esse hos Fastos invictis, ni fallor, argumentis, mox § 11 evincam. Chronicon Parvum paucis abhinc annis publica donatum luce, cento est ab imperita manu ex integro Chronico exsectus et male consutus. Liber contra Priscillianum, quem a nostro Idatio scriptum refert Trithemius, alterius C Idatii seu potius Itarii est, qui, teste divo Isidoro (*De Vir. ill.*, *c.* 15), pluribus annis antiquior fuit hoc nostro Idatio episcopo Aquiflaviensi

Post hæc scripta venit in manus meas eruditi viri Francisci Girvesii de historia Priscillianistarum dissertatio, ubi (*Part.* I, *n.* 33) existimare se ostendit Idatium nostrum diversum non esse ab eo cujus in Biblioth. PP. (*Tom.* V) opus exstat adversus Varimadum Arsanum. Sed cum Idatius noster ad extremum usque senium annumque 471 aut 472 a Gallæcia non recesserit, uti constat ex Chronico, obieritque uno aut altero anno post, colligitur inde Idatium neutiquam scribere ea potuisse quæ initio operis illius contra Varimadum leguntur : *Dudum in Neapoli urbe Campaniæ constitutus*, etc. D

18 § V. *De epochis Chronico inscriptis, et primum de æra Hispana.*

11. Ut a Chronico incipiamus, utilitatem ejus a magnis viris Sirmondo et Florio commendatam non est cur ego exaggerem. De chronologicis autem notis, quibus hoc opus suum insignivit Idatius, libere atque ingenue dicam nusquam epocham æræ Hispanæ ab eo in Chronico usurpatam fuisse. Quid enim? Continuandum suscipit Chronicon Idatius ab Eusebio et Hieronymo, qui illud Olympiadum atque Abrahami principumque annis consignaverant. Ergone novam ipse exterisque gentibus ignotam adjecisset epocham, quin de ea quidquam præfatus lectores suos admo- A neret? Nullumne verbum toto usquam Chronico de hac novæ epochæ adjectione mutiret? Præterea sic istud Chronicon continuandum suscepit Idatius, ut in unum volumen, quasi unicum esset opus et unius solius scriptoris labor, tres ejus partes compegerit, et ita compactum promulgaverit. Ita Labbeus testatur, qui in illo Ms. collegii soc. Jesu Parisiensis Eusebii Chronicon cum auctariis Hieronymi et Idatii uno continenter volumine reperiri affirmat. Verum potissima est Idatii ipsius auctoritas, tum in prologo, ubi hæc scribit : *Quia ad nostri temporis cursum, ut superior lectio docet, descriptio defluxit annorum*; nam verba ista *superior lectio* Chronicon Eusebii et Hieronymi significavit Idatius præpositum in eodem volumine : tum etiam in Chronico ad annum 13 Honorii, ubi hæc leguntur : *Post suprascriptos sane Arianos, qui Hierosolymis ante Joannem episcopi fuerint*, etc. Inquire, lector, ab initio auctarii Idatii, ubinam ille de his episcopis Arianis mentionem **19** fecerit. Nullibi invenies; invenies autem in adjectionibus Hieronymi, anno 1 Olympiadis 283. Quis igitur non videt Idatium non ita loqui potuisse, nisi cum Hieronymiano Chronico librum suum quasi appendicem quamdam in unicum volumen conjunxisset? Si autem conjunxit, credibilene est novæ epochæ charactere, et quidem lectore non præmonito, hoc suum auctarium a reliquo corpore discriminasse?

12. Sed Hispanam æram, inquies, semel atque iterum non in ora tantum libri, sed intra ipsa Idatii verba reperimus. Probe id scio; verum nec sic quidem mihi certo persuadeam duplicem illam æram Chronico insertam, alteram anno 15 Honorii, alteram anno Leonis 6, esse ab Idatii manu. Utraque primum libri æræ ab uno librario ascribi, et exinde transcribi ab alio potuit in operis Idatiani contextum. Porro in Fastis Mss., sub coss. Augusto II et Paulo (lege Tullo) hæc, eruditissimo Labbeo teste, habentur : *His coss.*, *æra prima. Cursus lunæ inventus.* Anonymus autem Cuspinianeus consulatu L. Antonii et Isaurici, in quem forte primus æræ Hispanæ annus incidit, pro *æra prima* legit *luna prima.* Hæc autem varietas argumento est quantum sibi permiserint librarii, dum antiqua monumenta exscribebant, quando alter *æra prima* scripsit, alter *luna prima.* Atque prior ille, Idatium describens, æram primam anno ante Christum 33 tribuit, quod non fecerit Idatius. Itaque quod evenit in Fastis, ut nævo illo *æra prima* a librario deturparentur, sic etiam contigisse Chronico existimo duobus in locis qui nobis objiciuntur. Denique distributio ærarum, quam in Chronico, sed in Fastis præcipue animadvertimus, quia nimis exacta, mihi suspecta valde est, ut infra dicam.

20 13. Ego equidem non modo non invite, verum libentissime manus darem his qui Idatium Hispanæ æræ characterismo Chronicon distinxisse suum opinantur, præsertim quia satis certo constat hanc epocham in aliquo usu publico fuisse circa annum Leonis 6, communis æræ 462, ubi Chronicon æram 500 exhibet. Quippe apud diligentissimum et eximii can-

doris virum Ambrosium Moralem (*L.* XI, *c.* 31) hanc inscriptionem nulli non probatam legimus :

ALEXANDRIA CLARISSIMA FEMINA VIXIT
ANNOS PLUS MINUS XXV, RECESSIT IN
PACE DECIMO KAL. JAN. ERA DIH;
PROBUS FILIUS VIXIT ANNOS DUOS MEN. I.

Verumtamen argumenta supra exposita et sancti Isidori ac Joannis Biclarensis exemplum, qui hanc æræ Hispanæ epocham in Chronicis suis per annos principum digestis nunquam (nisi semel fortasse in fine Isidorus) usurpant, dissentire ab eis me viris cogunt. Maxime de æris per singulos annos æræ Chronici adjectis; nam de duabus aliis supra memoratis infraque Chronici contextum rejectis, non est cur tam constanter refragemur ab ipso Idatio illis in locis inscriptos fuisse.

§ VI. *De æra Abrahami.*

14. Reliqui characteres, nimirum anni Abrahami, imperatorum atque Olympiadum, ab Idatio profecto sunt. Et annos quidem Abrahami, Hieronymum Idatiumque Latinis scribentes a Januario auspicari argumento est, **21** quod ab initio Chronici annorum illorum notæ continuo secus ac Olympiadum lateri ascriptæ sunt annorum principum, quos a capite ad calcem cum annis Julianis fluere, vix in dubium verti potest. Sed tamen quisquis de hoc ambigat, legat hoc Chronicon in ipsius fere vestibulo, nimirum ad annum 4 et 5 Theodosii Magni; inveniet anno 4 pacem Romanos inter et Gothos Idatium consignasse, quam in Fastis Idatius ipse perfectam fuisse ait quinto Non. Octob., assentiturque ei Pagius (*In Critic.*, *an.* 481, *n.* 2). Ab hac autem die ad XVII vel (ut demus id Pagio, ne de nihilo disputemus) ad XIV ante Kal. insequentis Februarii, cui inaugurationem Arcadii consignat, in iisdem Fastis transiens, annum 5 præfigit. Unde a nemine negandum puto Idatium annos Abrahamiticos et imperatorios a Januario auspicatum fuisse. Ad annum præterea 4 Majorani et Leonis idem observare licet. Nam ibi Idatium a Februario ad Novembrem, decem continuos menses, sub unius ejusdemque anni nota, decurrit. Si autem ab Octobri initium annorum sumeret, uti assidue inculcat Pagius, cum ad § *Idatius qui supra* pervenit, aut etiam antea, novum annum designasset. Sed id sæpius recurret in notis.

15. Nunc autem de Hieronymo dicamus, qui anno 20 Constantii, Constantini Magni filii, hæc scribit : *Julianus frater Galli Mediolani Cæsar appellatur* VIII *Idus Novemb.*, subsignatoque mox anno 21 ejusdem Constantii ait : *Reliquiæ apostoli Timothei Constantinopolim invectæ sunt.* Atqui Idatius in Fastis contigisse id testatur die Kal. Junii. Neque est qui evectionem hanc longius protrahat, nisi Theodorus Lector (*L.* II *Collectan.*), qui tamen in diem 21 **22** ejusdem mensis Junii illa refert. Hieronymus ergo, a Novembri in proximum Junium procedens, novum annum inchoavit. Quo igitur mense nisi Januario? Certe autumnum non exspectavit. Verum et Eusebium in Latino Chronico annorum principum exor-

A dium a Januario capere clarissime constat. Siquidem Constantini Magni anno 7 mortem adnectit Diocletiani. Verene an falso, quod disputat Pagius (*In Critic.*, *an.* 316, *n.* 3), nibil nunc refert, adnectit. Eam autem mortem evenisse narrat Idatius in Fastis III Non. Dec. Narraturus deinde Eusebius nuncupationem trium Cæsarum Crispi, Licinii et Constantini, quæ, eodem Idatio teste, facta est die Kal. Martii proxime insequentis, annum ejusdem Constantini Magni 8 præscripsit. Atque Decembrem inter et Martium duos tantum numeramus menses Januarium et Februarium. Puto Eusebium principium illius anni 8 Constantini Februario non illigasse. Hæc pluribus confirmari possent; sed ea satis fore Petavio credam, qui de Eusebio probabile tantum ac veresimile esse

B scribit (*Ration. part.* II, *l.* I, *c.* 10) annos ab autumno cum Syris inchoare.

16. Cum eruditissimo tamen Pagio non ita paucis agendum est mihi, quia et frequentius et asseverantius, neque de solo Eusebio, verum de Hieronymo etiam atque Idatio id ipsum in Critica affirmat, exque hac sua opinione methodum præscribit *certum*, ut ait, *et facilem ad Eusebianorum, Hieronymianorum et Idatianorum annorum ineundam rationem; et non tantum ad agnoscendos errores Eusebii, Hieronymi et Idatii, sed et eorum omnium qui eosdem perperam citant* (*Dissert. de period. Græcoroman.*, *n.* 79). Igitur hac ipse opinione imbutus, cum Idatium, quem quia non viderat emin. **23** Baronius atque adeo Annalibus suis non inseruerat, magna ex parte in sua

C Critica describendum sibi esse censuit, sæpe corrigat, suggillet ac sinistre interpretetur, propterque a me frequenter redarguendus sit, altius hanc de annorum Idatianorum exordio disputationem repetere atque perspicuis argumentis definire nunc statui, ne cui postea videar ex lubidine potius viro doctissimo contradicendi quam ex officioso Idatium defendendi studio illi frequenter refragari.

17. Igitur cum in Chronico, quale illud habemus ab Hieronymo, annos Abrahami e regione annorum principum, neque latum unguem superius aut inferius, consignatos videamus, quis sibi a Pagio persuaderi patiatur Latinum Eusebium (ne de Græco authographo disputemus), Hieronymum ac Idatium, Abrahami annos ab Octobri, principum vero a Januario, ut de-

D monstratum est, auspicari, præsertim cum annos Olympiadicos, quibus principium aliud dederunt quam imperatoris, alio etiam loco vel anterius vel posterius designasse perspicuum sit? Præterea ita Idatius a multiplicandis in epochis quas usurpat annorum initiis abhorret, ut siquando principes imperium adeant post Januarium postque prænotatum in Chronico currentem annum, aut novam aditi imperii notam non adhibeat, vel, si eam adhibet, cum primum se dat occasio, supprimat; quippe, recurrente proximo Januario, etiamsi principatus expletus non sit annus primus, secundum designat. Cujus utriusque exempla habes in Placido Valentiniano, in Avito, Majorano et Leone. Prudens sane consilium quo cautum esse voluit ne chronologiæ, quæ res est satis per se im-

plexa, novæ offunderentur tenebræ, quibus lector A præpeditus in errorem laberetur. Non longe abibo, neque a via cui insistere debeo recedam, dum ostendo interpretationem **24** hanc de annis Eusebianis, Hieronymianis et Idatianis, ab Octobri sive autumno incipientibus (præterquam quod falsa est), sexcentorum errorum causam non solum tironibus sed etiam chronologis non indoctis futuram esse.

18. Porro idem doctissimus Pagius, dum de hac re disputat, non sine aliqua erroris ac contradictionis specie locutus est. Nam testimonio Eusebii adducto scribentis (*Dissert. de period. Græco-roman.*, *n.* 78): *Colliguntur omnes anni Abrahami usque ad Nativitatem Christi anni* MM.XV, incluso scilicet in his anno primo Christi, subjungit : *Certum est anno Juliano* 43 *Eusebium primum Incarnationis annum incœpisse.* Et B ne quis ita possit hæc interpretari, quasi sensus sit Eusebium Christi ortum illi anno Abrahami alligasse, qui ab autumno anni 43 Juliani exordium sumpsit, continuo addit : *Eusebium Incarnationis principium ab anno Juliano* 43 *repetere.* Principium Incarnationis (sumpta Incarnatione pro Nativitate), prout nunc loquimur, diem Christi nati primum, aut aliquem illi proximum esse nemo non fatebitur, sicut nemo item est qui nesciret annos Julianos a Kal. Januarii initium capere. Cum igitur Eusebius, Græcos imitatus, alligaverit Natalem Christi diei sextæ Januarii anni ejusdem Abrahami 2015, potuitne Pagius, sine erroris ac contradictionis specie, scribere Incarnationis initium ab anno Juliano 43 Eusebium arcessere? Nam dies illa 6 Januarii, Eusebius cui Natalem C Christi ascripsit, 6 pariter erat dies anni 44 Juliani, siquidem iste inchoatus est die prima ejusdemmet Januarii. Igitur quemadmodum etiam si Eusebius annum cui adnectit Incarnationem ab Octobri anni 43 Juliani auspicatus fuisset, non propterea dici posset eum **25** Christi Natalem alicui ex tribus prioribus ejusdem anni mensibus Octobri, Novembri aut Decembri, neque consulatu Lentuli et Messallini ascripsisse, quia et consulatus iste et tres illi menses finiti jam erant die sexta insequentis Januarii, ita neque affingi Eusebio potest eum anno 43 Juliano Natalem Christi alligasse, quandoquidem annus hic non minus ac tres illi menses consulatus Lentuli et Messallini eadem illa die sexta penitus effluxerat.

19. Ego sane non video cur Pagius, qui in appa- D ratu ad Annales, n. 146, cui inscriptus est annus Julianus 43, disertis verbis fatetur *Eusebium existimasse Christum natum die sexta Januarii sequentis anni*, quem ibidem, n. 153, ipse 43 ex Julianis facit; non, inquam, video, cur in Critica (*Ad an.* 44, *n.* 6) Petavium corrigat, quod in eumdem annum 44 Julianum Eusebium Christi Natalem retulisse scribat. An quia Eusebius annos quibus Chronicon suum insignivit, ab autumno, ut existimat Pagius, inchoavit, annos Julianos, quos nunquam usurpat, a suis finibus avellere potuit, efficereque, ne 44 annus Kal. ejusdem mensis Januarii, cujus sextæ diei Natalem Christi annexuit, inchoatus fuerit? Observaverat Petavius (*Ration. part.* II, *l.* I, *c.* 10), priusquam Pagius, verisimile esse annos Eusebianos ab autumno exordium sumere; attamen, quia major Eusebianorum pars cum Julianis sequentibus concurrit, suadet ut in usu annus Abrahami, exempli gratia, 2015, cum 44 Juliano conferatur, quorum per novem menses concurrit, non vero cum 43, cum quo prædicto anno Abrahami 2015 trium tantum mensium communitas est. Et hæc quidem Petavius consultissime; nam quænam, **26** rogo, chronologiæ confusio et perturbatio est, si aut annum Christi primum cum Abrahamitico 2015 a die sexta Januarii conjungens, eumdem sejungas ab anno Juliano 44, qui sex prius diebus inchoatus fuit? aut Christum natum asserens consulatu Augusti XIII, natum esse neges eodem illo anno Juliano 44, atque eos etiam carpas qui hoc affirmant? Annon consulatus iste atque annus 44 Julianus eadem die initium habuere? Sed miseret me humanæ imbecillitatis, dum video eumdemmet Pagium idipsum quod in Petavio hic reprehendit alibi probare (*Prolog. ad dissert. Hyp.*, *n.* 15), Petavianaque regula utendum esse docere. Agens enim de anno 2 imperii C. Caligulæ, hæc scribit : *Alter imperii Caligulæ annus Christi potius* 38 *quam* 39 *est, cum* 38 *Christi annus correspondeat novem ejusdem secundi imperii anni mensibus,* 39 *vero tribus tantum iisque incompletis.*

20. Auget deinde tenebras Pagius, inquiens : *In æra Dionysiana primus Christi annus inchoatur Kal. Januarii anni Juliani* 46. *Namque annus Julianus* 43 *annis tribus a* 46 *distat ; et qui Natalem Christi anno Juliano* 44 *ascribit, illum tres anterius annos statuere censetur, quam qui eum consignat anno* 46 (*Dissert. de period. Græcoroman.*, *n.* 79). Cum ergo dixerit Pagius Eusebium alligasse Natalem Christi anno Juliano 43, Dionysium vero anno 46, nemo ipsum audiet, quin sibi persuadeat Natalem Christi Eusebianum annis tribus Dionysianum anteire. Sane doctissimo viro hæc Pagii verba imposuerunt, ut crederet quod modo inquiebam, quodque ipse ita exposuit : « Eusebio anexo cl. año primero de Christo al año 43 Juliano, y Dionysio al 46, **27** como dize Pagi en la dissert. del periodo Græcorom., num. 78 y 79. En fuerza de esto elque de los años de Abrahan quiera sacar los de Christo, segun nos otros los contamos, se ha de diferenciar en tres unidades, etc. » Deceptus est vir cl. Pagium legens, et ex eo hausit Natalem Christi Eusebianum tribus annis Dionysianum prævertere. Neque hic stetit error. Factum exinde est ut hæc labes in novam Chronici Editionem ab ipso ornatam derivaretur. Neque enim animadvertit vir doctissimus Hieronymum non potuisse finem Chronico suo imponere Abrahami anno 2395, imposuisse vero anno 2394. Vide infra, n. 26 et seqq. Quin etiam, quod valde mirandum est, Pagius, qui in hunc errorem Florium induxit, eum ipse non contraxit; nam Idatii Chronicon ab anno Abrahami 2395 exordiri existimare se ostendit, cum anno post ejus initium sexto annum 2400 ascribat.

21. At Pagius, inquies, eodem illo loco contrarium expresse docuit : nam conceptis verbis edixit :

Constat Eusebium annos Incarnationis triennio ante æram Dionysianam inchoare. Audio equidem. Verum diversitate illa annorum Eusebianorum et Julianorum distentus ita scriptionem suam obscurat, ut ipse pugnantia loqui videatur, et lector, cujus modo memini, neque indoctus, neque indiligens, quique a Pagio de initio annorum Idatianorum dissenti', quos non ab Octobri, sed a Januario fluere opinatur, in errorem propter ipsum lapsus sit. Itaque ut hos scopulos evitaret Hieronymus (nam verissime idem Pagius alibi scripsit [*Ibid.*]: *Periodorum multiplicatio memoriæ animoque onerosa est*), licet in Chronico Eusebii annos Abrahamiticos ab autumno deductos invenerit (quod **28** in præsentiarum nihil attinet quærere), eos atque etiam imperatorios cum Julianis et civilibus annis Romanorum, quibus Chronicon illud Latinum faciebat, quibusque ignorata erat Syrorum annos putandi ratio, a Januario inchoavit, ne triplici periodo, altera Abrahami, altera Olympiadis, tertia denique principum, quarum unaquæque diverso ac alio mense annos suos au picaretur, lectorum animos obrueret. Porro quantum sibi Hieronymus indulserit in vertendo Eusebii Chronico disertis ipse verbis in præfatione professus est, dum ait se esse et interpretis et scriptoris ex parte officio usum. Idatium autem Hieronymum imitatum fuisse tam mihi certum est, ut Chronicon Græcum, quale ab Eusebio prodiit, ne quidem legisse putem.

§ VII. *De annis Olympiadicis.*

22. De his aliter ac de Abrahamiticis et imperatoriis statuendum est, incunctanterque asserendum Eusebium, Hieronymum et Idatium æstivo tempori Olympiadum initium alligasse, idque ipsarum Olympiadum positu atque consignatione test tum reliquisse. Quapropter in novissima Idatii Editione non recte factum est, dum anni Olympiadici cum Abrahamiticis et imperatoriis ex æquo conferuntur; quasi illi non secus ac isti a Januario numerandi sint. Non ita profecto connectendi fuerunt in Chronico harum epocharum anni, sed sexto præterpropter mense ab initio et fine aliorum incipere et desinere debuerant Olympiadici. Id nos docet clarissime Idatius, dum in Editione Sirmondiana, quæ expressa est unico Ms. quod superest, Olympiadem 290 non e regione anni 2 Theodosii, sed inferius medio utique spatio inter 2 et 3 ad § *Alexandriæ*
29 inscripsit. Quod reliquo deinceps Chronico toties retinet, quoties librariorum incuria depravatus non est. In quo Eusebium et Hieronymum secutus est, qui in hoc ipsi præiverunt. Nam Eusebius inter 7 et 8 Diocletiani et inter 1 et 2 Constantini, annos æquali ab utriusque intervallo, Olympiades 268 et 272 consignavit. Hieronymus etiam inter annos ejusdem Constantini 25 et 26 atque 11 et 12 Valentis Olympiades 278 et 289 inscripsit. Plurima sunt hujusmodi exempla toto sparsa Chronico, Venetiis anno 1483 et Basileæ anno 1529 impresso. Sed ista tantum placuit adducere quæ nullum relinquunt vitilitigationibus locum.

23. Nec mirari debet lector si annos Abrahamiticos
A secus ac Olympiadicos a Januario initium ducere apud Eusebium et Idatium dixerim. Nam præterquam quod id evincunt exempla superius adducta, annus ab autumno iniens, qualem vult Pagius, Syris, ut dictum est, tantum in usu erat, illisque solis notus, at annus Olympiadicus ab æstate incipiens, et in æstatem anno consequenti desinens, cunctis gentibus, qua late patebat Romanum imperium, erat notissimus, atque ab omnibus una eademque ratione putabatur. Quapropter æquale errandi periculum lectoribus crearetur, si annus Olympiadicus in Chronicon insertus esset cum anno Juliano, parili cursu fluens quam si inductus esset annus Abrahamiticus cum Syrorum civili anno decurrens. Sed hæc certa cunctis esse debent. Silentio tamen ea præterire nolui
B propter Pagium et Florium, quorum ille annos Olympiadicos ab Octobri, hic a Januario numerandos esse in nostro Chronico docent, cum eos a mense Julio Idatius certissime auspicatus sit.

30 § VIII. *Quoto Abrahami anno Idatius Chronicon inchoaverit?*

24. Nunc autem quoniam quæ hucusque dicta sunt de initio anni Olympiadici, deque illius tam apud Græcos quam apud Latinos usurpatione, nota sunt apud omnes, solius Censorini testimonium adducam, non ut rem indubiam confirmem, sed ut ex eo ad annum primum et ultimum auctarii Idatiani inquirendum transeamus. Igitur Censorinus: *Hic annus*, ait, *cujus velut index et titulus quidam est Ulpii et Pontiani consulatus, ab Olympiade prima millesimus*
C *est et 14 ex diebus tantum æstatis, quibus agon Olympicus celebratur. A Roma autem condita* 991 *et quidem a Palilibus, unde Urbis anni numerantur. Eorum vero annorum quibus Julianis nomen est*, 283, *sed ex die Kal. Januarii*. Hæc Censorinus. Ex quibus liquido constat annorum Olympiadicorum initium allegandum fuisse ab Hieronymo et Idatio diebus æstatis, ne novam atque insolentem eos numerandi rationem in Chronicon inferrent. Atque exinde etiam demonstrari posse existimo Hieronymum manum a Chronico sustulisse anno Abrahami 2394, Olympiadis 289 anno tertio, mense hujus sexto labente, Christi vero, juxta Eusebium, 380; propterea que Idatium, qui sequenti anno calamum applicavit eidem Chronico continuando, consignare in vestibulo operis sui
D debuisse annum Abrahami 2395, Olympiadis prædictæ annum item 3, Christi, si hac epocha juxta Eusebii opinionem usus fuisset, annum 381.

31 25. Itaque annum quem tot characteribus designat Censorinus eumdem esse cum anno 238 æræ vulgaris autumant hoc tempore plerique omnes. Ab eo autem anno usque ad finem Chronici Hieronymiani CXL anni numerantur; siquidem illud finivit consulatu Valentis VI et Valentiniani junioris II, qui annum æræ Dionysianæ 378 aperuit. Atqui hoc anno numerasse necesse est Hieronymum CCCLXXX, id est duos amplius annos quam Dionysius, quotquot ab initio æra Christi Eusebiana Dionysianam antevertit. Quisquis ergo antiquis Hieronymianis Chronici exemplaribus credidit, in quibus annus

quo desinit Hieronymus 381 Christi designatus est, A falsus est vehementer. Namque ex epochis, quarum anni eodem dierum numero constant, neque plures una quam alia, neque pauciores in eodem spatio temporis numerare potest. Quare si ab anno primo æræ communis usque ad consulatum Valentis VI hæc æra CCCLXXVIII annos numerat, eosdem non autem plures Eusebianam putare necesse est. Quod si in Chronico Hieronymi invenis annos CCCLXXXI, scito id sine subdititia unius anni intercalatione fieri non potuisse. Rursus si Hieronymus anno 15 Tiberii et 30 Christi ad 14 Valentis hujusque interitum CCCLI annos fluxisse affirmat (*In præfat. ad Chron. Edit. Basil.*, 1529), aut in hac summa 15 Tiberii et 30 Christi annum includit, aut librariorum negligentia corruptus etiam est ille locus. Idatius profecto annos B tantum CCCL numerat, ut statim demonstrabo; et argumentum ex tot characteribus certisque positionibus modo deductum, summam illam CCCLXXXI annorum a Natali Christi Eusebiano ad exitum Valentis sextumque illius consulatum, manifestæ falsitatis **32** convincit, atque adeo et postremam hanc annorum CCCLI a 15 Tiberii et 30 Christi ad ejusdem Valentis mortem, nisi si annus Tiberii 15 et Christi 30 hanc eamdem summam ingrediatur.

26. Ubi semel demonstratum est Hieronymum Chronico finem fecisse anno Natalis Christi Eusebiani 380, non est cur eruditissimus Florius illud absolvisse inficietur anno Abrahami 2394. Cæterum ad hoc ipsum comprobandum novum præbet nobis argumentum Censorinus, dum consulatum Ulpii et C Pontiani incidisse ait in annum ex Julianis 283. Nam si ex his subducas annos XLIII, qui ante Natalem Christi Eusebianum decurrerant, habebis CCXL; his adde CXL, quos ex Fastis elicies a consulatu illo ad consulatum Valentis VI, summam conficies annorum CCCLXXX. Quibus tandem si annos Abrahami adjicias IIM.XIV, quos ante Natalem Christi Eusebius numeraverat, conficient anni IIM.CCCXCIV. Hoc igitur anno Abrahami Hieronymus Chronicon absolvit, atque insequenti 2395 Idatio illud continuandum dereliquit.

27. Ut autem Florius crederet, Hieronymum ad annum usque Abrahami 2395 Chronicon perduxisse, fefellerunt dictum virum tum libri editi, qui in fine auctarii Hieronymiani hunc numerum exhibent, tum Pagius, cujus verbis propter magnam viri auctori- D tatem sine discussione subscripsit. Cæterum Pagius de annis Abrahami ita disertis verbis pronuntiat : *Epocha ab ortu Abrahæ, quam Eusebius, Hieronymus et Idatius in Chronicis adhibent, auspicatur anno periodi Græcoromanæ* 3477, *et quidem a primo die Octobris* (*Dissert. de period. Græcoroman.*, *n.* 78). Igitur si, spretis anni illius **33** mensibus Octobri, Novembri atque Decembri, primum Abrahami annum anno insequenti, id est periodi Græcoromanæ 3478 illigasset Pagius (ut illigandum esse monuit Petavius, illigatque re ipsa Florius), nunquam periodi Græcoromanæ par annorum numerus epochæ Abrahamiticæ numero, neque impar impari responderet. At si Hieronymus ad annum 14 Valentis, quo finiit Chronicon, consignavisset annum Abrahami 2395, cum Pagius periodi Græcoromanæ annum 5871 eidem anno Valentis 14 inscribat, par hujusmodi periodi numerus pari epochæ Abrahamiticæ respondet, et impar impari, ut per se liquet. Restat ergo ut Hieronymus anno Abrahami 2394, non vero 2395, Chronico suo finem fecerit. Id quod et cognovisse et approbasse condemnet Pagium, supra, n. 20, observatum est.

28. Sed jam ex ipso Eusebii Chronico rem demonstremus. Igitur Eusebius in Chronico annum Abrahami 2020 adnectit anno Augusti 47, qui fuit æræ vulgaris IV. Ergo necesse est ut exinde decimus quisque annorum Abrahamiticorum in 4 post decimum quemque ejusdem æræ vulgaris incidat. Ita annus Abrahami 2030 incidet in Dionysianum 14; Abrahami 2040 in Dionysianum 24; Abrahami denique 2400 in annum æræ communis 384. Et sane Idatius ab eodem hoc anno Abrahami 2400, qui ex decennalibus primus ipsi occurrit, ad 2460 decennia cuncta prædicto ordine distribuit. Neque hic ordo in Chronico turbatus est, nisi postquam reliquæ omnes numerorum notæ extrema libri parte corruptæ sunt. Hunc ordinem præfert Editio Sirmondiana, qui nullo modo prævertendus erat, traductis, ut modo factum est, annorum Abrahamiticorum decadibus in 3 post decimum quemque æræ Dionysianæ annum. Nam et Pagius **34** ipse hunc ordinem unice laudat in Chronico, primamque illam decadem anno 6 Theodosii Magni, qui Florio est æræ communis 484, alligavit. Jam ergo si anno Dionysiano 384 respondet annus Abrahami 2400, Dionysianio 379, quo Idatius Chronicon exorsus est, alius respondere non potest nisi Abrahami annus 2395.

29. Quapropter neminem deinde fallat regula quam præscribit Pagius (*Dissert. de period. Græcoroman.*, *n.* 79) ad annos æræ Dionysianæ ex Abrahamiticis eruendos. Nimirum ait subducendos esse ex Abrahamiticis annos IIM.XVII, quique post hanc subductionem reliqui fient, exhibebunt annum Dionysianum. At quoto mense illum exhibebunt? Octobri, scilicet, atque adeo post novem illius menses jam elapsos. Exempli gratia, ex anno Abrahami 2018 detrahe 2017, restat 1. Itaque elicitur annus primus Dionysianus, sed non tunc incipiens, sed decimum mensem tum decurrens. Et hæc quidem juxta Pagii opinionem, qui annos Idatianos ab Octobri auspicatur. Cæterum qui eos a Januario insequenti numeret, ut numerat quidem Florius, ex ea regula annum 1 Dionysianum eliciens, planissime decipietur. Namque Abrahami 2018 ab Octobri inchoatus non nisi decimo mense annum primum Dionysianum assequitur, quippe hic Pagii sensus est; annus idem Abrahamiticus, a Januario sequenti incipiens, annum eumdem Dionysianum nulla sui parte assequetur. Quare qui annos Eusebianos, Hieronymianos, Idatianos, a Januario auspicetur, ex eorum Abrahamiticis, ut eliciat Dionysianos, detrahere debet IIM.XVI non autem IIM.XVII, sicut ut eliciat annum primum Christi Eusebianum, subtrahere debet IIM.XIV, non vero IIM.XV.

35 § IX. *De anno Olympiadico quo Idatius exorsus est Chronicon.*

30. Nunc quod de anno Olympiadico, quo desiit Hieronymus et unde Idatius exorsus est, asserui, paucis comprobabo. Porro, quod ad Idatium attinet, ipse per se loquitur; nam post sesquiannum ab incœpto Chronico Olympiadem 290 prælixit, uti ex Editione Sirmondiana constat. Itaque de Idatio ambigi non potest a septimo circiter mense anni 3 Olympiadis 389 auctarium suum auspicatum fuisse. Hinc consequens est Hieronymum sexto ejusdem anni Olympiadici mense Chronicon suum absolvisse. Quod etiam ipse aperte testatur cum ab Olympiade 1 ad consulatum Valentis VI fluxisse affirmat (*a*) annos Olympiadicos MCLV, non quidem integros; hujus enim postremi anni sex tantum menses elapsi erant, B cum clausulam Chronico posuit. Sed hoc satis fuit ut ab Olympiade prima usque ad annum illum Valentis, Chronici ultimum, MCLV annos numeraret. Totidem namque deduces ex integris Olympiadibus CCLXXXVIII, quater multiplicatis et tribus insuper annis Olymp. 289. Ex hoc autem testimonio Hieronymi, sed præcipue ex Idatio, satis certo colligimus post utriusque tempora adhæsisse Chronico Hieronymi labem illam, qua nunc, imo vero a tempore Marcellini Comitis (si verum est quod hic narrat in præfatione Chronici sui), sordet, præferendi in fine annos mundi 5579, sive Abrahami 2395 et Olympiadis 1156, qualibet ex his epochis uno aucta anno. 36 Quod etiam mendum irrepsit in Socratem, qui necem Valentis consignat anno Olympiadis 289. Sed C quidquid de occasione ac tempore quo hoc vitium Chronicon Hieronymianum occupavit, a nemine tamen negandum esse puto, aut Idatium illud non offendisse, aut, si offendit, correxisse, ut ex dictis abunde liquere existimo.

31. Quod ut iterum clarius demonstrarem, non pigebit argumentum hic repetere deductum ex comparatione annorum Olympiadicorum cum Abrahamiticis. Igitur cum Eusebius Olympiadi initium fecerit anno Abrahami 1240, cui primum Olympiadis supposuit, necesse est ut annum 1155 Olympiadicum, qui fuit annus tertius Olympiadis 289, anno Abrahami 2314, annum vero quartum ejusdem Olympiadis (qui primus occurrit in Idatio) Abrahami anno 2395 supposuerit. Neque unquam in Eusebii chronologia fieri potest ut per annorum Olympiadicorum numerus a numero Abrahamiticorum pari, aut impar ab impari initium capiat. Quod cum non animadvertit recens Idatii illustrator, annum 4 Olympiadis 289, qui ab exordio Olympiadum Eusebianarum annus est 1156, anno Abrahami 2396 illigat. Itaque in aditu Chronici Idatiani ita annorum notæ ordinandæ sunt, ut § *Theodosius natione* apponatur annus 1 Theodosii et Abrahami 2395, et § *Inter Romanos* Olympiadis 289 annus 4, uti his qui annorum rationes inire velint evidentissime constabit.

32. Verum enimvero si Censorinus anno æræ A vulgaris 238 adnectit Olympiadis annum 1000 et 14 a diebus æstatis ejusdem anni Dionysiani ineuntem, post annos dein CXL, quot a 238 ad 378, ubi desinit Chronicon Hieronymianum, fluxerunt, annos tantum MCLIV numeraturus erat. 37 Atqui in Hieronymo et Idatio eadem illa æstate completus est annus 1154 ab Olympiade prima et inchoatus 1155. Uno ergo anno Hieronymus et Idatius in computatione Olympiadum Censorinum antevertunt. Ita quidem est. Nam Eusebius, quem Hieronymus et Idatius secuti sunt, Olympiadis initium uno anno altius quam Censorinus et reliqui vulgo scriptores desumpsit; exordium enim illius non cum anno Abrahami 1241, ut ait Petavius (*Ration. part.* II, *l.* I, *c.* 10), sed ut ex ipso apparet Chronico, cum anno 1240 conjunxit, qui cum anno confertur periodi Julianæ 3937. Censorinus vero aliique fere omnes sequenti anno illigant Olympiadis initium. Sed de hoc inter Olympiadas Eusebianas et communes discrimine jam antea Pagius et Florius egerunt. Illud etiam Petavio occurrit et prius in mentem venerat; at rem noluit morosius examinare, neque in tricis diutius immorari, ut ibidem ait. Tandem silentio prætereundum non est eum qui Hieronymum absolvisse Chronicon existimet anno Abrahami 2395, non recte in ejusdem Chronici fine annum Olympiadis 1155 putaturum, sed numerare debere 1156, quotquot at anno Abrahami 1240, cui Eusebius adnectit initium Olympiadis, ad ejusdem Abrahami annum 2395 numerantur. Indeque Olympiades Eusebianæ non una tantum, sed duobus annis Olympiades vulgares antevertent. Quippe consulatu Valentis sexto, in quo finit Chronicon Hieronymi, Olympiadis vulgaris numerabatur annus 1154. Hoc autem ratiocinio valide roborantur quæ hucusque dicta sunt de anno quo finivit Hieronymus et exorsus est Idatius Chronicon.

38 § X. *Quoto Abrahami atque Olympiadis anno finem Chronico fecerit Idatius.*

33. Historiam complexus est Idatius annorum XCI. Unde manum a Chronico sustulit anno Abrahami 2485, Olympiadis 312 anno 2, Christi secundum Eusebium anno 471, secundum Dionysium 469, Leonis Augusti anno 13, Anthemii 3. Cæterum observare diligenter oportet ab anno Leonis 8 omnia perturbata esse in Chronico, seu potius indiscreta; D quia et hic annus 8 Leonis a sua sede amotus est, et reliqui omnes usque ad 13, in quo desinit Chronicon, jam inde ab Isidori ætate, ut ex ipso colligitur (*De Vir. ill.*, *c.* 10), omissi fuerunt; unde nescias quid huic, quid illi anno respondeat. Simile quid evenit in Fastis: namque ibi, adnotato Olybrii consulatu, tres consequentes scilicet annorum 465, 466 et 467, prætermissi sunt. Et post consulatum Anthemii Augusti, quem ille de more sumpsit anno 468, consulatus etiam insequentis anni 469 omissus est. Nimirum quatuor his annis cum nullus ex Occidente consul assumptus fuisset, Idatius in extrema Gallæcia constitutus, ac bellis quaqua versum strepentibus

(*a*) Ita in multis Manuscriptis reperiri testatur Pontacus.

quinam in Oriente consules renuntiati fuissent, penitus ignoravit. Imo et de consulatu Olybrii nihil eum nisi aliquot post annos audivisse videtur. Siquidem Fastis ascriptus est his verbis : *Dño Olybrio.* Ex quo colligitur consulatum hunc adnotatum ibi non fuisse ante annum 472, cum antea Olybrius renuntiatus **39** non fuerit Augustus, ut *dominus* dici posset. Ob eam epochæ principis omissionem errores aliqui in Isidorum et alios derivati sunt, nobisque et annis Leonis 9, 10 et 11 locum in Chronico quærendi, et annum 8 in suam sedem revocandi, labor relictus est. At cum in Fastis consulatus Anthemii, qui nomen dedit anno æræ Dionysianæ 468, et in Chronico tertius etiam ejusdem Anthemii principatus annus, qui in annum incidit 469, adnotati sint, profecto ex eo, maximeque ex Olympiade 312, sesquianno ante finem Chronici etiamnum consignata, historiam in eo contineri deducitur annorum XCI, ab anno scilicet 379 ad 469; nam utrumque Chronicon amplectitur.

34. Atque hæc quidem ita statuenda sunt, quandocunque notæ numerales ultra hunc annum non excurrunt. Attamen cum in fine Chronici Asparis exauctoratio filiique ejus cædes memorentur, quæ anno 471 evenerunt, non temere scriptum est ab eruditissimo Labbeo (*Præf. in Fast. Idat., t. I nov. Bibl.*) Chronicon istud ab anno æræ Christianæ 379 ad annum ejusdem æræ 471 decurrere. Verum ea de Aspare et filio vix dubium est, quin post absolutum Chronicon ab Idatio aut ab alio margini ascripta fuerint, posteaque librarii operis contextui intulerint. Quod vero ad Isidorum attinet, dum ait : *Idatius ab anno primo Theodosii Augusti usque in annum imperii Leonis* 8 *subjunctam sequitur historiam* (*Ubi supra*), certum nobis esse debet ultra Leonis 8 annum nullum alium, neque ipsius Leonis neque Anthemii, designatum invenisse eum in Chronico. Nam postquam ea scripserat de Idatio, ex ipsius Chronico **40** verba describens (*Hist. Goth.*), inquit : *Anno imperii Leonis* 8, *Euricus pari quo frater scelere succedit in regno.* Ista autem leguntur nunc in Chronico ad annum 1 Anthemii, qui Leonis erat 11. Hæc vero alia, quæ ex eodem Idatio exscribit (*Hist. Suev.*) : *Olysipona quoque ab eo* (a rege Suevorum) *occupatur, cive suo, qui illi præerat, tradente Lusidio*, consignata nunc sunt prope finem Chronici ad annum 3 Anthemii. Ex his autem omnibus duo profecto deduci posse videntur : 1° Isidorum cuncta quæ in Chronico nunc habentur usque ad hæc saltem verba : *Olysipona quoque*, etc., quæ ad annum Anthemii 3, Leonis 13, æræ communis 469 pertinent, vidisse; 2° in exemplari quo Isidorus usus est Leonis 8 tantum annum, Anthemii vero omnino nullum consignatum fuisse; alioquin si Chronicon ad annum usque 3 Anthemii deductum, et Euricum anno ipsius primo regnantem legeret, neutiquam scripsisset Idatium usque ad 8 solummodo annum historiam secutum fuisse, et Euricum eodem octavo anno regnum invasisse. Sed an librarius in exemplari quod habuit Isidorus illorum annorum notas oblitus sit ascribere? An, sicut de consulatibus supra aiebam, Idatius, Severo Augusto mortuo, dubiusque an Leo etiam tum in Oriente viveret, illas omiserit, posteaque vel ipse Idatius vel alius annos Anthemii adjecerit, quis divinet? Interim tamen major nobis libertas relicta esse videtur ordinandi notas chronologicas in postremo Chronici quinquennio, utpote quas non certo constat ab Idatio esse. Verum hac ego libertate non utar, nisi in annis 8, 9, 10 et 11 Leonis digerendis, intactis penitus his notis quæ annos Anthemii referunt.

41 § XI. *De Fastis, et quod sint Idatii opus.*

35. Alterum Idatii opus, ut ego opinor, Fasti sunt consulares, qui in manuscripto Codice Parisiensi Chronico adjuncti sunt. Eos dum ederet ingentis doctrinæ vir Sirmondus, ita præfatus est : *Hos Fastos Idatianos nominavimus, non tam quod in eodem Codice Idatii Chronico subjiciantur, quam quod...* reliqua infra dabo. Verum quod hi Fasti Chronico Idatii adjecti sint, nullum auctoris nomen præferentes, non tam leve quam Sirmondo visum est, sed potius grave mihi videtur argumentum idcirco ita factum, quia integrum illud volumen, quale in Codice illo etiam nunc exstare dicitur, ex Idatii officina prodiit, propterea que auctoris nomen illis subditum non fuisse, quia præfixum jam fuerat initio Chronici, quod præcedit.

36. Porro Fastos hos jam inde ab auctore suo in eum Codicem, cujus exemplar Parisiis asservatur, collatos fuisse, ea profecto declarant quæ ibi habentur consulatu Veri III et Quadrati, scilicet : *In Chronico passos legis...* (cætera truncavit librarius). Nam auctoris laudati Chronici nomen a Fastorum scriptore necessario designandum fuerat, nisi si idem Chronicon Fastis præpositum, et in eo auctoris sui nomen expressum erat. Sed prorsus inscriptum ibi erat Eusebii nomen ejusque Chronicon, in quo, ad annum M. Aurel. Antonini 7, qui illi consulatui respondet, hæc leguntur : *Persecutione orta in Asia, Polycarpus et Pionius fecere martyrium.* In hunc locum auctorem Fastorum oculos intendisse nullum mihi dubium est. Atqui hunc morem observat Idatius, ut Eusebium appellat tacito ipsius nomine. Nam in prologo ad Chronicon, sub illis verbis : **42** *In præcedenti opere*, et in ipso etiam Chronico, sub his : *Post prædictos Arianos*, Eusebianum Chronicon ab Hieronymo auctum designat. Hinc non temere et Fastos et Chronicon ejusdem auctoris opus esse existimo, et ab eodem in unum volumen cum Chronicis Eusebii atque Hieronymi cuncta simul conjecta fuisse.

37. Verum, inquies, in iisdem Fastis martyrium Polycarpi et Pionis consignatum supra legimus consulatu, ut ibi dicitur, Antonini V et Aurelii Cæsaris. Ita sane; sed ea una labes est ex multis quæ hos Fastos inquinavere. Porro magnus Baronius, in notis ad Martyrologium 26 Januarii, hæc de Polycarpo scribit : *Passus est, ut scribit Eusebius, anno 7 M. Aurel. Antonini et Lucii Veri, coss. Lucio Aurelio tertium et Quadrato.* Quare martyrium istud primum

optime, utpote ab Idatio ipso sub his coss. consignatum est. Deinde cæcutiens aliquis librarius sex annos illud anticipavit. Inde postremo contigit ut alius quispiam ad consulatum Veri et Quadrati his descriptis: *In Chronico, his coss., passos legis*... Polycarpi et Pionis nomina omiserit, quæ sexto antea consulatu ex vitiato exemplari descripserat. Sicut Polycarpi et Pionis, sic etiam mors Ciceronis in iisdem Fastis bis adnotata est errore pari, sed dispari vitio; nam primo loco recte, secundo perperam consignata est. Hi autem nævi in antiquis manuscriptis frequentes sunt, quos expertus non mirabitur lector. Hic monitum volo Pionis nomen additum fuisse ab Hieronymo, nam in Græco Eusebii Chronico non invenitur, multosque postquam Polycarpus annos passus est sub Decio (*Vid. Bolland.*, 1 *Febr.*). Itaque Idatius ex Chronico Hieronymi Latino, Græco inconsulto, hæc in Fastis transcripsit.

43 38. Sed multo efficacius argumentum de auctore horum Fastorum nobis præbet eorum finis, fini Chronici, ut supra monui, n. 33, longe simillimus. Nam ubi ad quinque postremos annos ventum est, utrobique pari, imo eadem gestorum extra Hispaniam ignorantia laborasse auctorem deprehenditur. Fasti carent consulibus, qui in ipsis annos distinguant; Chronicon Leonis chronologia spoliatum est. Simile quid in ipso fere vestibulo utriusque operis observare quivis poterit; utrobique enim inauguratio Honorii, qui in Occidente imperavit, silentio prætermittitur ad annum 393. Incredibile autem est hujus modi sive ignorantiam sive oblivionem accidisse duobus diversisque scriptoribus iisdemque latinis, quorum neuter oblitus fuit ad annum 383 Arcadii, qui in Oriente semper fuit, ad annum 383 inaugurationem adnotare. Ad hæc si quis error reperitur in Chronico, non quidem librarii sed auctoris, eumdem in Fastis offendimus. Ita terræmotus quibus conquassata est Palæstina anno 419, tam in Chronico quam in Fastis contigisse dicuntur episcopo Hierosolymorum Joanne, qui secundo aut tertio anno prius decesserat. Lege notam 30. Quis igitur post hæc neget Fastorum et Chronici eumdem esse auctorem, nempe Idatium? Sed pergo. Sirmondus, ut hos Fastos Idatio adjudicaret, hac, ut ipse fatetur, ratione motus est: *Quod rerum et verborum in utroque opere* (in Fastis ipsis et in Chronico) *affinitas et cognatio epocharumque ac temporum par observatio, totius denique scriptionis color idem ac genius, eumdem utriusque auctorem fuisse satis ostendunt, tametsi auctoris nomen nullum præferat inscriptio.* Hæc Sirmondus in præfatione ad Chronicon et Fastos. At styli affinitatem, et quod idem sit utriusque scripti color et genius negant nonnulli, qui purius et **44** accuratius scriptum fuisse Chronicon quam Fastos affirmant. Sed imprimis non est cur quispiam Idatii Latinitatem nimis extollat, quam satis ætatem suam prodit. Præterea Fastos forsitan privato usui sibi concinnavit. Quando vero quis privatim sibi scribit, nemo est qui nesciat verbis

A eum uti consuevisse atque locutionibus vulgo tritis. Atque hæc esse causa potuit cur hos Fastos sanctus Isidorus non viderit, quia videlicet Chronicon in publicam lucem emittens Idatius, Fastos domi inter schedas continuit. Postmodum vero, vel amicorum importunitate, vel eo vita functo, quod in eodem volumine cum Chronico conjuncti essent, fieri potuit ut evulgarentur; quin hujusmodi exemplar, quod utrumque opus amplectebatur, tam late distraheretur quam Chronicon.

39. Major autem rerum copia quam a Constantino ad Arcadium nobis hi Fasti exhibent, cum nuda ferme consulum nomina reliquo in opere designent; dum longe abest ut diversum ab Idatio auctorem denotet, ut e contrario efficacissime ex eo comprobari B existimem non nisi Idatium hujusmodi opus scribere potuisse. Quis enim præter Idatium hos Fastos scriberet, et de rebus ante annum 400 gestis tam multa narrare, prætermissis his quæ quinto sæculo, hoc est quæ suo tempore acta sunt? At Idatium ita sibi ipsi privatoque usui scribere recte conjicit, quia ab Arcadio et Honorio ad annum 369, in quo finiunt Fasti, quæ sibi digna visa sunt ut posteritati mandarentur, in Chronico tradiderat. Cæterum de rebus ante Magnum Theodosium nihil, a Theodosio ad filios perpauca in eo narraverat. Fortasse etiam propter chronologiæ studium, quæ certior ex serie consulum eruitur, Fastos conscripsit, ideoque ipsi in hoc opere consulatuum sui temporis potior quam historiæ cura fuit.

C **45** 40. Sed videamus jam quænam in Fastis improbent, qui stylum causantes eos Idatio abrogant. Ista nimirum: *ad Fossatum, Romania, levatus est imperator.* Addunt præterea auctorem Fastorum parum fuisse accuratum in eclipsibus notandis, Idatium vero in Chronico diligentissimum. Verumtamen ut a *Fossato* incipiam, dum auctor Fastorum consulatu Valentis sexto ita scribit: *Profectus est Valens Augustus ex urbe ad Fossatum*, quid doctis viris displicet? verbumne hoc *Fossatum*, an constructio? Sed constructio qui potest, cum sit, ut ita dicam, Latinissima? Ergo vox *Fossatum?* Atqui Plinii historici ævo juris erat Latii, ut indicant variæ lectiones Codicum Mss. ipsi operi ascriptæ (*a*). Si tamen testimonium istud non placet quia incertum, alia Idatio antiquiora D exhibet Gothofredus comment. in leg. 1 de *Limitaneis* Cod. Theod., qua in lege vox *Fossatum* reperitur; lataque illa est anno 409, sexagesimo scilicet antequam Idatius Chronicon finiret.

41. Deinde *Romaniæ* nomen vulgo usitatum erat Orosii tempore. Quod testatur ipse dum ait (*L.* VII, *c.* 43): *Essetque, ut vulgariter loquar, Gothia, quod Romania fuisset.* Possidius etiam, qui Idatio aliquanto fuit antiquior, eamdem vocem usurpat (*In Vit. S. Aug.*, *c.* 30). Demum licet in nullo auctore qui ante Idatium scripserit ea locutio reperiatur *Levatus est* (sane ego non legi), attamen Anonymus Cuspinianeus frequenter illa utitur. De tempore autem quo is scri-

(*a*) Ad oram, cap. 21 lib. XVIII, in Editione Lugdun. 1561.

bebat auctor, magnæ diligentiæ atque eruditionis vir Panvinius statuit (*L.* III *Fast.*): *Incertus hic auctor procul dubio per hæc tempora vixit*, nimirum **46** circa annum æræ vulgaris 455. Atqui tunc vivebat Idatius, et quindecim ut minimum annos ulterius vitam produxit. Quare non est cur illum loquendi modum indignum Idatii ævo et calamo reputemus. Quid quod qui hos Fastos Idatii esse negant, quia, ut aiunt, scriptionis hujus stylus ac genius recentioris sequiorisque eis esse videtur, in alium scopulum impingunt, quod nullam causam invenire neque reddere possent cur illorum auctor nullius ultra Idatii ætatem consulatus meminerit, nihilque fere de rebus quinti sæculi tradiderit. Nonne si cum Marcellino comite, aut cum Cassiodoro, aut cum Mario Aventicensi vixisset, ex ipsis, vel unde ipsi plura alia consulum paria, multaque de rebus gestis insequentium annorum excerpere potuisset?

42. Quod ad eclipses attinet, cum Idatius hos Fastos Chronico subjecisset, in quo eas satis accurate descripserat, Fastis rursus inserere supervacaneum duxit. Profecto defectum solis, quem anno 8 A Honorii primum his verbis expressit: *Solis facta defectio* III *Idus Novemb.*, *feria secunda*, cum consulatu Arcadii et Honorii V, qui in eum annum incidit, transcribere cœpisset in Fastos; percursis primis verbis: *Solis facta defectio* III *Idus Novemb.*, calamum stitit, prætermissis duobus reliquis: *Feria secunda.* Quod ab eo non alia de causa factum existimo, nisi quia cum in Fastis talia præterire decrevisset, propositi immemor, eclipsim illam ex Chronico cœpit exscribere, propositique, antequam finivisset cuncta describere, recordatus, duo posteriora verba omisit.

43. Ut finem tandem faciam, de æræ Hispanæ notis per omnes Fastos digestis idem esto judicium ac de pauculis Chronico adjectis. Imo de his minus dubito Fastis ingestas fuisse post Idatii ævum. Tum B quia ab æra 10 reliquæ **47** continuo et corrupte fluunt, quod in antiquis Mss. non solet; tum quia prima æra intra Fastorum corpus reperta cum cæteris non cohæret; cohæreret autem, si ab Idatio cunctæ adnotatæ in libro fuissent; quod si cunctæ ab Idatio non sunt, neque ulla.

IDATII EPISCOPI CHRONICON.

PRÆFATIO.

48 Idatius, servus Domini Nostri Jesu Christi, universis fidelibus in Domino Nostro Jesu Christo et in veritate salutem.

Probatissimorum in omnibus virorum studia, quos præcipue in fide catholica et conversatione perfecta testis veritatis divini cultus docet assertio, ut ornantur decore dictorum, ita et commendantur honore meritorum, ut miram in omni opere obtineant firmitatem. Verum Idatius provinciæ Gallæciæ natus in Lemica [a] civitate, mage divino munere quam proprio merito, summi præsul creatus officii [b], ut extremus plagæ ita extremus et vitæ, perexiguum informatus studio sæculari, multo minus docilis sanctæ lectionis volumine salutari, sanctorum et eruditissimorum Patrum in præcedenti opere suo [c], pro capacitate proprii sensus aut verbi secutus exemplar [d]. Quorum primus Eusebius, Cæsariensis episcopus, qui **49** ecclesiasticas sui numeri libris scripsit historias, ab initio Nini Assyriis et sancti Abrahæ patriarchæ Hebræis, et reliquorum contemporales his annos regum in vicesimum Constantini Augusti, quo imperabat, annum, Græci sermonis chronographiæ concludit historia. Post hunc successor syngraphæus perfectus universis factorum dictorumque monumentis Hieronymus presbyter, idem Eusebius cognomento, de Græco in Latinum scripturæ hujus interpres, a vicesimo anno supradicti imperatoris in 14 Valentis Augusti annum subditam texit historiam: qui [e] esto in sanctis quibus deguit Hierosolymorum locis, a memorato Valentis anno in tempus quo in præsenti vita duravit, forte quam plurima de his quæ sunt insecuta subjecerit, quia haud unquam, dum valuit, a diverso styli opere cessavit; quem quodam tempore propriæ peregrinationis in supradictis regionibus adhuc infantulus vidisse me [f] certus sum. Qui post aliquot annos beato, ut erat, mansit in corpore, si tunc proprio operi quod subdidit [g] aliqua subjunxerit, apud eos ad quos scriptorum ejus omne opus vel summa pervenit, certa et plena cognitio est. Sed quoniam in cujusdam studii sui scriptura [h] dixisse eum constat: *Debacchantibus jam in Romano solo Barbaris, omnia haberi permista atque confusa*, opinamur ex hujus indicio sermonis in hoc per se annorum volumine subdito [i] de successione temporum **50** ab ipso nihil adjectum.

[a] De nomine et situ hujus urbis egi supra in dissert. prævia, n. 2.

[b] Episcopatum intelligit, de quo in eadem dissert., n. 7, et dissert. de Priscill.

[c] Chronicon scilicet Eusebii ab Hieronymo auctum, quod in eodem volumine suo cum appendice conjunxerat Idatius.

[d] Protracta nimium est et suspensa oratio, neque unquam infra completur.

[e] In aliis Editionibus legitur *esto ut*, omisso *qui*; C sed correctione ista aut simili alia indigere locum istum nemo non videt.

[f] Vide Chronicon, ad annum 407.

[g] Auctarium, quod Hieronymus subjecit Eusebii Chronico.

[h] Hæc ex fine præfat. Hieronymi in Chronicon desumpta videntur, quanquam alibi similia in Hieronymo legisse me puto.

[i] Chronicon Eusebio Hieronymianum, quod ad 14 usque Valentis annum historiam continet, quodunc

Tamen quia ad nostri temporis cursum, ut superior lectio docet, descriptio defluxit annorum, cum membrana hujus historiæ curam contigisset expertis, mentem monuit imperiti, ut de cognitis (etsi in omnibus impari gressu) vel vestigiis se substerneret prædecessorum. Quæ fideli suscipiens cordis intuitu, partim ex studio scriptorum, partim ex certo aliquantorum relatu, partim ex cognitione, quam jam lacrymabile propriæ vitæ tempus ostendit, quæ subsequuntur adjecimus; quorum continentiam gestorum et temporum qui legis, ita discernes. Ab anno primo Theodosii Augusti in annum tertium Valentiniani Augusti Placidiæ filii ex supradicto a nobis conscripta sunt studio, vel ex scriptorum stylo, vel ex relationibus indicantum. Exin immerito allectus ad episcopatus officium, non ignarus omnium miserabilis temporis ærumnarum et conclusi in angustias imperii Romani, metas subdidimus ruituras. Et quod est luctuosius, intra extremam universi orbis Gallæciam, deformem ecclesiastici ordinis statum creationibus indiscretis honestæ libertatis interitum, et universæ propemodum in divina disciplina religionis occasum, ex furentium dominantem [a] permista iniquarum perturbatione nationum. Hæc jam quidem inserta, sed posteris in temporibus, quibus offenderint, reliquimus [*Al.*, relinquimus] consummanda.

antea, nunc iterum, et paulo post per ea *super lectio* A tertio testatur præpositum a se fuisse Chronico suo in eodem volumine. Hoc autem si quo modo ab Idatio emissum est in publicum, ad nostra tempora pervenisset; non dubito quin in fine auctarii Hieronymiani Abrahami annus 2394, et sub ipso Olympiadis 289 annus tertius consignatus reperiretur; nam quæ in Chronico Idatii subsequuntur chronologiæ notæ, eas Hieronymiano requirunt.

[a] Legerem *dominatum*, aut, quod magis arridet, *imminentem*.

IDATII EPISCOPI CHRONICON.

IMP. ANNI. **51** Romanorum XXXIX [a] Theodosius per Gratianum in consortium regni assumptus cum ipso et Valentiniano juniore regnat annis XVII. OLYMP. AN. CHR.

I. *Abrahæ II. CCCXCV. Olympiadis 289 annus ab æstate præcedenti inchoatus.* III 379

Theodosius natione Hispanus, de provincia Gallæciæ, civitate Cauca (1) [b], a Gratiano Augustus appellatur [c].

Inter Romanos et Gothos multa certamina conferuntur. IV.

II. Theodosius Constantinopolim ingreditur in primo consulatu suo quem cum Gratiano agebat Augusto [d]. 380

52 Alexandriæ XXI [e] habetur episcopus Theophilus (2), vir eruditissimus, insignis, qui a primo consulatu Theodosii Augusti laterculum per centum annos [f] digestum de Paschæ observatione composuit.

III. Athanaricus (3) rex Gothorum [g] apud Constantinopolim, XV die [h] ex quo a Theodosio susceptus erat, interiit. 381 II.

IV. [i] 420. VII jubilæus, ex quo Dominus ascendit. 382

Gothi in fœdera [j] Romanis pace se tradunt (4).

Ambrosius in Italia Mediolani episcopus, Martinus in Galliis Turonis episcopus, et vitæ meritis et patratis miraculis virtutum habentur insignes. III.

[a] Idatius ordinem servat Chronici Hieronymiani, in B quo proxime præcedit: *Valentinianus et Valens XXXVIII*. At Orosio et Paulo Diacono Theodosius XL est; Marcellino vero Comiti XXXVIII.

[b] Non modo Idatius sed Zosimus etiam, lib. IV, Theodosium Caucæ natum esse affirmat. At Marcellinus in Chronico, et Jornandes, *de regnor. Success.*, Italicæ ortum autumant. Vide, infra, post Chronicon, notam 1.

[c] Sirmii Augustus renuntiatus est Theodosius XIV Kal. Feb. Ita idemmet Idatius in Fastis et Marcellinus in Chronico. Eratque tunc Theodosius XXXIII annorum, ut ex Victore colligitur et Paulus Diaconus diserte tradit.

[d] Ingressus hujus diem designavit, opinor, in Fastis Idatius VIII Kal. Decemb., sed librariorum negligentia factum est ut pro VIII legatur nunc XVIII. In Vita sane sancti Isaaci confessoris (30 Maii) dicitur Theodosium ingressum fuisse Constantinopolim die 24 Novemb., idque etiam colligitur ex lege 15 *de petitionibus* Cod. Theod., uti observat Gothofredus. C

[e] Prolepsi hic usus est Idatius loquens de Theophilo quasi jam nunc episcopo. Vid. notam 2.

[f] Cyclus Theophili 437 annorum erat. Sed in Occidente visa tantum est excerpta ex eo periodus annorum C vel XCV a Cyrillo Theophili nepote. Meminit illius Leo, epist. 64.

[g] Visigothis nonnullis imperabat tunc Athanaricus. Alii ejus imperium detrectabant, seditionis auctore Fritigerne, sub quo sive regulo sive duce erant reliqui Visigothi.

[h] Juxta Idatium in Fastis, ingressus est Athanaricus Constantinopolim III Id. Jan.; obiit ergo 25 die ejusdem mensis. Vid. notam 3.

[i] In aliis Editionibus notæ istæ Hispanæ æræ 420 et Jubilæi 7 margini ascriptæ sunt e regione 4 anni Theodosii, sicut e regione anni ejusdem 6 Abrahami annus 2400. Sed cum duo tantum æræ octoque annorum Abrahami decades toto reperiantur Chronico, visum est eas omnes a libri ora removere; nam neque aliis immisceri sine erroris periculo, neque ab eis separari possunt sine chartæ dispendio.

[j] Vulgati libri legunt *infida*, corrigo *in fœdera* ex excerptis seu fragmentis quæ habentur tom. IV Hispaniæ illustratæ. Vid. notam 4.

IMPER. OL. A. C.

V. **53** Theodosius Arcadium (5) [a] filium suum Augustum appellans regni facit sibi esse consortem. IV. 383

VI. Abrahami annus II. CCCC [b]. 384

Honorius nascitur filius Theodosii [c].

Legati Persarum ad Theodosium Constantinopolim veniunt (6) [d]. 291

VII. (7) [e] Priscillianus declinans in hæresim Gnosticorum per episcopos, quos sibi in eadem pravitate collegerat, Abulæ [f] episcopus ordinatur. Qui aliquot episcoporum conciliis auditus [g] Italiam petiit et Romam [h], ubi ne ad conspectum quidem sanctorum episcoporum Damasi et Ambrosii receptus, cum his cum quibus iverat, **54** redit ad Gallias. Inibi similiter a sancto Martino episcopo et ab aliis episcopis hæreticus judicatus [i], appellat ad Cæsarem, quia in Galliis his diebus potestatem tyrannus Maximus [j] obtinebat imperii. II. 385

VIII. [k] Greothingorum [l] gens a Theodosio superatur (8). 386

[m] Priscillianus propter supradictam hæresim ab episcopatu depulsus, et cum ipso Latronianus (9) [n] aliquantique sectatores, apud Treverim sub tyranno Maximo [o] cæduntur. III.

Exin in Gallæciam Priscillianistarum hæresis invasit.

IX. [p] Arcadii quinquennalia celebrantur [q]. Romanæ Ecclesiæ XXXVI [r] habetur episcopus Siricius. IV. 387

X. **55** Maximus tyrannus occiditur per Theodosium tertio lapide ab Aquileia V Kalendas Augustas (10) [s]. Et eodem tempore vel ipso anno in Galliis per Arbogastem comitem filius Maximi, nomine Victor, exstinctus est. 293 388

Cynegius Theodosii præfectus habetur illustris (11) [t]. Qui factis insignibus præditus, et usque ad Ægyptum penetrans, gentium simulacra subvertit.

XI. Theodosius cum Honorio filio suo Romam ingressus est [u]. II. 389

XII. 390

XIII. . . . . III. 391

XIV. Æra CCCCXXX. IV. 392

Valentinianus junior apud Viennam scelere comitis Arbogasti occiditur [v]. Et

[a] Arcadius declaratur Augustus die XVII Kal. Feb., ut tradit Idatius noster in Fastis. Refragatur Pagius, sed immerito. Vid. notam 5.

[b] Cum hoc Theodosii anno VI, æræ vulgaris 384 conjunxit Idatius annum Abrahami II. CCCC. Vid. dissert. præv. n. 26.

[c] Natalem Honorii consignant etiam Prosper et Marcellinus et Chronicon Alexandrinum sub hujus anni consulibus. Diem adnotant Socrates, lib. V, cap. 12, atque anonymus Cuspiniani auctor (in Actis SS. Antwerpiensibus, tom. VI Junii) V Idus Sept. Verum anonymus annum anticipat designatque præcedentem.

[d] De hac legatione vide notam 6.

[e] Annum hunc 7 Theodosii vacuum reliquit doctissimus Florus. Editio Sirmondiana sub eo victoriam et § hunc *Priscillianus declinans* præfert. Separari debent, et alterum sub anno 7, alterum sub anno 8 consignandum est, ut factum hic vides. Vide notam 7.

[f] *Abylæ* scribit Hieronymus, lib. de Script. Eccl., n. 131. Severus, lib. II Hist. *In Labilensi oppido*, lege *Abilensi*.

[g] Hinc constat non unum tantum Cæsaraugustanum concilium, sed etiam aliquot alia contra Priscillianum in Hispania coacta fuisse, antequam is supplicio afficeretur anno 386.

[h] Damasus obiit anno 384; ultra hunc annum iter istud differi non potest.

[i] In concilio Burdegalensi, anno 385.

[j] Occiso Gratiano VIII Kal. Sept. anni 383, Maximus, ut tradunt Marcellinus et incertus Cuspiniani auctor, imperium arripuit. Prosper et Cassiodorus perperam hoc referunt in annum sequentem.

[k] Præcedenti anno alligatum id est in Editione Sirmondiana, restitui suo loco ex Fastis Idatii. Vide notam 7, n. 2.

[l] Greothingi Ostrogothorum erant portio. De his et de hoc bello nonnulla dabo nota 8.

[m] Ordine præpostero vulgati libri prius § *Arcadius* anno Theodosii 8, deinde § *Priscillianus propter* anno 9 subjectos offerunt. Verum ordinandos esse, sicuti hic eos exhibeo, ostendam nota 7, n. 3 et 4.

[n] Matronianum vocat Hieronymus, *De Script. eccles.*, n. 130. At Prosper et Severus Latronianum cum Idatio appellant. De sociis Priscilliani supplicio affectis, vid. notam 9.

[o] Sententiam tulit Evodius et præfectus prætorio.

[p] Vide, supra, ad notam 3.

[q] Die XVII ante Kal. Febr., ut ait Idatius in Fastis, quem immerito corrigit Pagius.

[r] Cum Idatio Prosper et Marcellinus XXXVI pontificem numerant Siricium, secuti Eusebium, qui a Lino numerare exorsus; et Cletum cum Anacleto, Marcellumque cum Marcellino confundens, Felicem præterea, quia intrusum putavit, prætermittens, quem XL dicturus erat, XXXVI facit. Siricius creatus est pontifex anno 385, non autem 387, quo illius meminit Idatius. Quem Florius putat non adepti sed habiti episcopatus tempus respicere, dum in Chronico Romanorum pontificum meminit.

[s] De loco et tempore necis Maximi eadem repetit Idatius in Fastis sub consulibus hujus anni. Socrates, lib. V, cap. 14, necis diem designat VI Kal. Augusti. Incertus Cuspiniani V Kal. Sept. Vide alia, nota 10.

[t] Plura de hoc illustri viro prodit Idatius in Fastis hoc eodem anno. Ea, si vis, lege, nota 11.

[u] Idatius ipse, in Fastis, Idibus Junii Romam ingressum fuisse Theodosium prodit. Cui anonymus Cuspiniani suffragatur. Idatius addit Theodosium congiarium dedisse Romanis· ex quo intelligimus triumphum etiam tum egisse.

[v] Idatius, in Fastis, eadem habet. Verum Cassio-

IMPER.		OL.	A. C.
	56 Eugenius tyrannus efficitur (12) [a].	293	
XV.	(13) [b]		393
XVI.	Abrahami II.CCCCX.	II.	394
	Eugenius a Theodosio Augusto superatus [c] occiditur.		
XVII.	Theodosius invaletudine hydropis apud Mediolanum defunctus est anno regni sui XVII [d]. Et iste annus, qui Theodosii XVII, ipse Arcadii et Honorii in initio regni eorum [e] primus est. Quod ideo indicatur, ne Olympiadem quinque annorum turbet adjectio, in hoc loco propter regna tantum [f] inserta principum (14).		
I.	57 Romanorum XL Arcadius et Honorius Theodosii filii, defuncto patre [g], regnant annis XXX (15) [h].	IV.	
II.	. . . .	294	396
III.	(Romanæ ecclesiæ XXXVII habetur episcopus Anastasius) [i].	II.	397
IV.	. . . .		398
V.	[j]	III.	399
VI.	In provincia Carthaginensi in civitate Toleto synodus episcoporum contrahitur, in qua, quod gestis continetur, Symphosius [k] et Dictinius et alii Gallæciæ [l] provinciæ episcopi Priscilliani sectatores, hæresis ejus blasphemissimam cum assertore eodem professionis suæ subscriptione condemnant. Statuuntur quædam etiam 58 observanda de Ecclesiæ disciplina [m]. Communicante in eodem concilio Ortigio episcopo, qui Cœlenis [n] fuerat ordinatus; sed agentibus Priscillianistis pro fide catholica pulsus factionibus exulabat.	IV. 295	400
VII.	[o] Theodosius Arcadii filius nascitur (16).	II.	401
VIII.	Solis facta defectio III Novemb., feria II [p].		402
	Romanæ ecclesiæ XXXVII habetur episcopus Innocentius [q].	III.	
IX.	[r].		403
X.	Abrahami II.CCCCXX.	IV.	404
	Constantinopoli Joannes episcopus prædicatur insignis, qui ob fidem catholicam		

dorus, in Chronico: *Valentinianus*, ait, *vitæ tædio apud Viennam laqueo suspensus est*. Ita quidem per summam calumniam ab interfectoribus vulgatum est. Rem ad unguem exponit Orosius, lib. VII, cap. 35. Pressius ac significantius divus Hieronymus, epist. 3. *Valentinianus*, inquit, *necatus est, et cadaver exanime suspendio infamatum*. Occisus est Idibus Maii pridie Pentecostes, uti ex Epiphanio observarunt jam alii.

[a] Eodem hoc anno Eugenius tyrannidem arripuit. Vide notam 12.

[b] Oblitus est hic adnotare Idatius Honorium hoc anno a patre in consortium regni assumptum. Vide notam 13.

[c] Victus est Eugenius, Arcadio III et Honorio II consulibus hoc scilicet anno. Ita Claudianus in IV consulatu Honorii, vers. 637, Idatius ipse in Fastis, Marcellinus anonymusque Cuspiniani, qui diem adnotat 6 Sept., Prosper et Cassiodorus sequenti anno victoriam de Eugenio non recte ascribunt.

B [d] Theodosius annum imperii 18 non modo non explevit, sed neque attigit; siquidem appellatus est Augustus 19 Jan. ann. 379, obiitque hoc anno 15 ejusdem mensis, juxta incertum Cuspiniani, vel 17, juxta Socratem, lib. VI, cap. 1. Idatius tamen omnes annos civiles seu Julianos quos regnando contigit, illi tribuit.

[e] Primum appellat, quia, vivente patre, filii, quamvis in imperio socii, nullam illius administrandi partem sortiti sunt, neque ætas ferebat. Cæterum in edendis quinquennalibus, decennalibus, etc., ratio habebatur primævæ inaugurationis.

[f] Reliqui libri habent: *In hoc loco tantum propter regnantum inserta principum*. Vid. not. 14.

[g] Iterum Idatius declarat se imperii Arcadii et Honorii annos ab hoc ipso auspicari.

[h] Quomodo hi anni intelligendi sunt explico nota 15.

[i] Sirmondus, in prima editione ansulis hæc conclusit, quæ in Veneta diverso charactere expressa sunt. An quia Chronico infarta censuit? Ut ut sit, C Anastasius inter pontifices Romanos XLI pontificatum adeptus est anno 398 exeunte, non vero 397.

A [j] In Sirmondiana Editione 5 huic anno subditus est § *In provincia Carthaginensi*, et annus 6 vacuus relictus est. E contrario fieri debuit. Vid. not. 16, n. 1.

[k] Cum ex concilio ipso constet Symphosium jam tum senem fuisse, alius procul dubio est ab eo Symphosio de quo loquitur Chronicon ad annum 433, sicut etiam alius est hic Dictinius ab eo de quo agitur anno 460.

[l] Hinc apparet merito scripsisse Idatium anno 386 a Priscilliani morte ejus hæresim in Gallæciam invasisse. In universum affirmarat olim Severus, lib. II Hist., in fine: *Priscilliano occiso, non solum non repressa est hæresis, quæ illo auctore proruperat, sed confirmata latius propagata est*.

[m] Etiam nunc XX canones exstant in hoc concilio confecti. De eo plura in dissert. de Priscillianistis; ibi fidem horum canonum contra Quesnellum ostendam.

[n] Sensus est Ostigium tanquam legitimum Cælenarum episcopum sedisse in concilio, Aquæ Cælenæ, Antonino Cælenæ, nunc *Orense*.

[o] Verba ista in vulgatis libris perperam anno 9 ascripta sunt. Vide notam 16, n. 2.

[p] In Fastis feriam silentio præterit Idatius, quam forsitan neque hic expressit. Porro cum alicujus eclipsis meminit Chronicon, frequenter mensis aut hebdomadæ diem male designat. Namque hæc eclipsis feria 3, non autem 2, contigit, anno 418, feria 6, non autem 5. Anno 447, defectus solis evenit X Kal. Dec., pro quo habet Chronicon IX Kal. Quæ omnia castigavit doctissimus Florius, notis 5, 7 et 13, in Idatium. Denique Petavius, Ration., p. II, lib. IV, cap. 13, pro V Kal. Octob., quem diem præfert Chronicon, defectum lunæ narrans anno 451, legendum esse ait VI kal.

[q] Innocentius in ordine Romanorum pontificum XLII est renuntiatus, initio anni æræ vulgaris 402.

[r] Hoc loco vulgati libri natalem Theodosii exhibent, quem dedi an. 7. Vide notam 16, n. 2.

IMPER. — OL. — A. C.

59 Eudoxiam Arcadii uxorem infestissimam patitur [a] Arianam. 296

XI. ——— 405

XII. Hierosolymis Joannes. Cæsarea Eulogius, Cypro Epiphanius [b], Alexandria Theophilus, qui supra [c], episcopi habentur insignes. II. 406

Hieronymus presbyterio præditus, in Bethleem Judææ vicinia consistens, præcipuus habetur in cunctis. III.

XIII. Post supradictos [d] sane Arianos, qui Hierosolymis ante Joannem episcopi fuerint (17) [e], Idatius, qui hæc scribit, scire non potuit. Hunc vero sanctum cum sanctis Eulogio, Theophilo et Hieronymo vidit [f] et infantulus et pupillus. IV. 407

XIV. ——— [g] 297 408

XV. Alani et Vandali et Suevi [h] Hispanias 60 ingressi [i] æra CCCCLVII, alii quarto Kal., alii III Idus Octob. memorant die, tertia feria, Honorio VIII et Theodosio Arcadii filio III consulibus. II. 409

(19) [j] Alaricus, rex Gothorum, Romam ingressus cum intra et extra Urbem cædes agerentur, omnibus indultum est qui ad sanctorum limina confugerunt (20) [k].

Placidia, Theodosii filia, Honorii imperatoris soror, a Gothis in Urbe capta [l].

XVI. (21) [m] Alaricus moritur, cui Ataulfus succedit in regno. 410

Barbari, qui in Hispanias ingressi fuerant, cæde deprædantur hostili. Pestilentia suas partes non segnius operatur.

[n] Debacchantibus per Hispanias Barbaris, et sæviente nihilominus pestilentiæ malo, opes et conditam in urbibus 61 substantiam tyrannicus exactor diripit, et miles exhaurit. III.

Fames dira grassatur adeo, ut humanæ carnes ab humano genere vi famis fuerint devoratæ, matres quoque necatis vel coctis per se natorum suorum sint pastæ [o] corporibus. Bestiæ occisorum gladio, fame, pestilentia, cadaveribus assuetæ, quosque hominum fortiores interimunt, eorumque carnibus pastæ, passim in humani generis efferuntur interitum. Et ita quatuor plagis, ferri, famis, pestilentiæ, bestiarum, ubique in toto orbe sævientibus prædictæ a Domino per prophetas suos annuntiationes implentur.

XVII. Subversis memorata plagarum grassatione Hispaniæ provinciis, Barbari ad pacem ineundam, Domino miserante, conversi, sorte [p] ad habitandum sibi provinciarum dividunt regiones. IV. 411

---

[a] Sicut Justina Ambrosium, ita etiam Eudoxiam fidei causa persecutam fuisse Chrysostomum credidit Idatius; et in Occidente forsan ita pervulgatum est. At Eudoxia non Ariana sed catholica fuit.

[b] Epiphanius hoc anno inter vivos non erat; namque antea obiit.

[c] Anno 380 de Theophilo locutus est, et nunc eo respicit.

[d] Arianos episcopos intelligit, quos Hieronymus commemorat anno 11 filiorum Constantini Magni, quos ideo *supradictos* ait, quia in eodem volumine Chronicon suum cum Eusebiohieronymiano Idatius conjunxit, ut observatum est in diss. prævia, n. 11, confirmatque Isidorus, de Viris ill., c. 9, cum historiam Idatii Chronico Hieronymi subjectam esse innuit.

[e] Omnino scire non potuit, quia nullus alius præter eos quos recenset Hieronymus episcopatum illum tenuit Arianus. Vid. not. 17.

[f] Horum omnium meminisse videtur nunc Idatius, quia hoc anno factum est ut eos videret, cum infantulus peregrinaretur per Palæstinam.

[g] Hoc anno Arcadius Kal. Maii. decessit, successore relicto filio Theodosio.

[h] De his gentibus nonnulla dicemus dissert. de Gothis.

[i] Suspecta mihi sunt quæ sequuntur usque ad finem §. Idatius has et similes notas ubique omittit, nisi ubi de defectibus solis aut lunæ agit, tum enim diem et feriam designare solitus est. Vide notam 18.

[j] Cl. Florius hoc loco annum Honorii 16 consignat. A Sirmondus vero Ms. secutus, eum annum præfert § *Debacchantibus*. Medium inter utrumque tenere mihi visum est, et Idatium tenuisse verosimilius est. Vide notam 19, n. 1, ubi de anno excidii Urbis agitur.

[k] Verissime scriptum id ab Idatio; haud enim una tantum ecclesia sed plures asylo Romanis fuerunt. Vide not. 20, ubi de Gothorum moderatione in ea urbis irruptione.

[l] Capta est Placidia anno 409. Vide not. 10, n. 5.

[m] Huc a § *Debacchantibus* hanc anni 16 notam retraxi. Vide notam 21, ubi de Alarici morte et Ataulfi successione agitur.

[n] Hoc loco Sirmondus ex Ms. annum expressit Honorii 16, quem ego supra ad illa *Alaricus moritur* apposui, ductus Isidori auctoritate, qui initium regni Ataulfi anno 410 alligat, quo etiam necesse est obiisse Alaricum; et hæc est communis omnium sententia.

[o] Rem distinctius narrat Olympiodorus inquiens: B *Mulier una quatuor liberorum mater omnes devoravit, ad singulos prætexens reliquos se alere et salvare velle; donec, omnibus absumptis, lapidibus a plebe obruta est.* Hoc ipso anno Romani, fame ac peste conflictati, circo tamen vacabant, ibique feralis illa vox audita est: *Pone pretium carni humanæ*. Ita Zosimus.

[p] De hac inter Barbaros provinciarum sortitione meminit Orosius, lib. VII, cap. 40, scribens: *Actis aliquandiu magnis cruentisque discursibus, post graves rerum atque hominum vastationes, quarum ipsos quoque modo pœnitet, habita sorte et distributa usque ad nunc possessione consistunt.*

IMPER. OL. A. C.

Gallæciam Vandali occupant [a] et 62 Suevi [b] sitam in extremitate Oceani maris occidua; Alani Lusitaniam et Carthaginiensem provincias [c]; et Vandali cognomento Silingi [d] Bæticam sortiuntur. Hispani per civitates et castella [e] residui a plagis Barbarorum per provincias dominantium se subjiciunt [f] servituti (22).

Constantinus [g], post triennium invasæ tyrannidis, ab Honorii duce Constantio intra Gallias occiditur [h].

XVIII. Jovinus et Sebastianus fratres intra Galliam, et in Africa Heraclianus pari tyrannidis inflantur insania. 412

Augustinus Hipponensis episcopus 63 habetur insignis. Inter cujus studia magnifica Donatistas ab eo Dei adjutorio superatos probata fides demonstrat actorum [i]. 298

XIX. Jovinus et Sebastianus, oppressi ab Honorii ducibus [j], Narbona interfecti sunt [k] (23). 413

Gothi Narbonam ingressi vindemiæ tempore [l].

Heraclianus [m] movens exercitum de Africa adversus Honorium, Utriculo in Italia in conflictu superatus, effugit in Africam, cæsis in loco supradicto L millibus [n] armatorum. Ipse post Carthagine in æde Memoriæ per Honorium percussoribus missis occiditur. II.

XX. Abrahami II.CCCCXXX. 414

64 Ataulfus apud Narbonam Placidiam duxit uxorem (24) [o]. In quo prophetia Danielis putatur impleta [p], qui ait filiam regis Austri sociandam regi Aquilonis, nullo tamen ejus ex ea semine subsistente [q]. III.

XXI. Hierosolymis Joanne, de quo supra [r], episcopo præsidente, sanctus et primus post Christum Dominum martyr Stephanus revelatur (25) [s]. 415

Hieronymus, qui supra [t] præcipuus in omnibus, elementorum quoque peritissimus Hebræorum, in lege Domini, quod scriptum est, diurna nocturnaque meditatione continuus, studia operis reliquit innumera. Ad ultimum Pelagianorum sectam [u] IV.

[a] Vandali regi Gunderico parebant, filio Godigiseli sive Godagisci sive Gudegiscli (namque ita nomen ejus variant auctores, sub quo Vandali Rhenum transire aggressi sunt. Sed ibi, Godigiselo a Francis occiso, ut ex Frigerido narrat Gregorius Turonensis lib. II, cap. 9, Gundericus primus in Hispania Vandalorum rex fuit, ut recte in eorum historia prodit Isidorus. Quare corrigendus est Procopius, qui lib. I de Bello Vandalico Godigiselum in Hispaniam venisse affirmat.

[b] Suevi regem habebant Hermericum, cujus apud Idatium crebra deinceps mentio.

[c] Atax rex erat Alanorum; meminit illius Idatius, infra, anno 418.

[d] Cum Fredibalum regem Vandalorum appellet Idatius anno 416, Vandalos Silingos intelligo, nam reliquis imperabat Gundericus.

[e] Gentes, quæ Hispanias irruperant, loca aut natura aut arte munita obsidione cingere et machinis expugnare admotis nesciebant. Ideo Hispani ad ea loca confugerunt.

[f] De hac servitute dicam nota 22.

[g] De eodem Constantino Idatius noster in Fastis, sub consulibus hujus anni, ait: *Constantini tyranni in conto caput allatum est* XIV *Kal. Octob.* Anno igitur 408 tyrannidem arripuit.

[h] Prosper victum et captum ait Arelate (Orosius addit occisum) per duces Honorii Constantium et Ulfilam. Hujus etiam meminere Sozomenus et Olympiodorus.

[i] In vulgatis libris legitur *auctorum*; sed constat manifesto legendum esse *actorum*. Sæpe enim Augustinus cum Donatistis disputavit, collationumque harum acta, a notariis excepta, deinde in publicum emissa sunt. Horumque fidem appellat hic Idatius.

[j] Marcellinus in Chronico tyrannidis et necis Jovini et Sebastiani meminit anno præcedenti. De iis vide notam 23.

[k] Adventum Gothorum in Gallias recte Prosper et Cassiodorus anno superiori illigant; neque advertantur Idatio, quia Ataulfus Gallias ingressus Narbonam non contendit perpeti cursu. Qui poterat, A cum parvulorum, senum, feminarumque populum secum duceret, quibus annonam providere atque etiam sæpe armorum vi aperire sibi viam necesse habuit? Olympiodorus sane Massiliam obsedisse in itinere Ataulfum et ab Bonifacio inde repulsum testatum reliquit.

[l] Orosius, lib. VII, cap. 42, tyrannidem Heracliani, irruptionem ejus in Italiam atque supplicium exponit, additque expeditionem adornasse, instructa 3700 navium classe.

[m] Numerum occisorum ad Utriculum non L sed XX millia præfert Chronicon Parvum, quod fortasse verius est.

[n] Novus hoc loco annus ab Idatio designatus evidens argumentum est ipsum a Januario annos auspicari.

[o] De his nuptiis nonnulla ex Olympiodoro describam nota 24.

[p] Daniel, cap. XI, de rege Ægypti Ptolemæo Philadelpho B vaticinatur, qui filiam suam Berenicem nuptui dedit Antiocho, qui Theos cognominatus est, Syriæ regi. Laodice autem, prior Antiochi uxor, repudiatam se dolens, necem ipsi Antiocho, Berenici et utriusque filio intulit, et Callinicum, suum ex eodem Antiocho filium, regem constituit. Rem fusius narrant Hieronymus, Apianus et Justinus.

[q] Sicut ex Berenice nullus superstes filius Syriæ regnum obtinuit, ita neque ex Placidia et Ataulfo natus filius, Theodosius nomine, in regno parentibus successit; obiitque paulo postquam natus est, et in templo juxta Barcinonem argentea capsula cum ingenti utriusque parentis luctu sepultus est.

[r] Supra, anno 406 et 407.

[s] Eadem habet Marcellinus in Chronico. Idatius vero in Fastis nonnulla addit, quæ videre potes nota 25, ubi de patria Pauli Orosius inquiritur ex conjectura.

[t] Supra, anno 406 et 407.

[u] Hieronymus primum epistola ad Ctesiphontem, quæ justi voluminis librum conficit, Pelagium exagitavit, deinde tres contra ipsum dialogorum libros conscripsit, et utrumque opus etiamnum exstat.

IMPER. OL. A. C.

cum ejusdem auctore adamantino veritatis malleo contrivit. 65 Adversus hos et alios hæreticos exstant ejus probatissima monumenta.

XXII. Ataulfus a patricio Constantio pulsatus, ut relicta Narbona (26) [a] Hispanias peteret, per quemdam Gothum [b] apud Barcinonam inter familiares fabulas [c] jugulatur. Cui succedens Vallia [d] in regno cum patricio Constantio, pace mox facta (27) [e] Alanis et Vandalis Silingis in Lusitania et Bætica sedentibus adversatur. 416

Alexandrinæ Ecclesiæ post Theophilum quis præsederit [f] ignoravi hæc scribens.

Constantius Placidiam accipit uxorem (28) [g].

66 [h] *Frediba'um regem gentis Vandalorum* [i], *sine ullo certamine ingeniose captum ad imperatorem Honorium destinat* [j].

XXIII. Vallia, rex Gothorum, Romani nominis causa, intra Hispanias cædes magnas efficit Barbarorum. II. 417

XXIV. Solis facta defectio die XIV Kal. Augusti, qui fuit feria V [k]. 418

Romanæ Ecclesiæ XXXIX præsidet [l] Zosimus.

[m] *Durante episcopo quo supra*, etc. (29).

Vandali Silingi in Bætica per Valliam regem omnes [n] exstincti.

Alani, qui Vandalis et Suevis potentabantur, adeo cæsi sunt a Gothis, ut exstincto Atace [o] rege ipsorum, pauci, qui superfuerant, abolito regni nomine [p], 67 Gunderici, regis Vandalorum, qui in Gallæcia resederat, se patrocinio subjugarent. III.

XXV. [q] Durante episcopo quo supra [r], gravissimo terræmotu sancta in Hierosolymis loca quassantur (30). Et cætera [s] de quibus in Gestis ejusdem episcopi. 419

Gothi, intermisso certamine quod agebant [t], per Constantium ad Gallias revocati, sedes in Aquitanica [u] a Tolosa usque ad Oceanum acceperunt.

Vallia eorum rege defuncto (31) [v], Theodores (32) [x] succedit in regno.

[y] Inter Gundericum Vandalorum et 68 Hermericum Suevorum reges certamine orto, Suevi in Nervasii [z] montibus obsidentur a Vandalis. IV.

[a] Ataulfus, anno superiori Narbonam relinquens, Barcinonam devenit, ubi hoc anno, qui fuit æræ communis 416, occiditur. Vide notam 26, n. 1.

[b] Interfectorem Ataulfi Olympiodorus Bobbium, Jornandes Vernulfum vocat. Vide notam eamdem.

[c] In stabulo occisum ait Olympiodorus.

[d] Orosius, lib. VII, c. 43, Jornandes in Geticis, n. 45, Isidorus et alii Sigericum successorem Ataulfi faciunt. At Idatius et Prosper Sigericum silentio prætereunt; quia, ut refert Olympiodorus, septem dies cum imperasset, interfectus est.

[e] De tempore confectæ hujus pacis sententia Pagii refutatur nota 27. Ubi ad quos pertineat lex 14 Cod. Theod. *De infirmandis quæ sub tyrannis*, indico.

[f] Seriem episcoporum Alexandrinorum Chronico suo innectere voluisse Idatium, uti ab Hieronymo et Eusebio factum fuerat, ex hoc loco intelligimus. Sed non hos tantum, verum et Hierosolymitanos Antiochenosque omisisse videtur, quia eorum scire non potuit successiones.

[g] Dei primo sequentis anni alligat has nuptias Olympiodorus. Vide notam 28.

[h] Editio Sirmondiana lineolis circumclusa ista exhibet. An subdititia visa sunt Sirmondo? Sane Chronicon Parvum ea omittit et eorum loco hæc habet: *Idatii ad Dominum conversio peccatoris.* Isidorus quoque illa de Fredibalo præteriit. At Sigonius, lib. XI de Occidentali imperio, Jornandi tribuit in Annalibus, sed nullibi in Jornande a me reperta sunt.

[i] Vandalos Silingos intelligit; namque aliis imperabat Gundericus.

[j] Destinat Constantius, a quo captus est Fredibalus.

[k] Lege feria 6, uti supra ad annum 402 adnotatum est.

[l] Præsidet ab initio 417 inter Romanos pontifices XLII.

[m] Nodus hic occurrit, qui necesse est ut scindatur: cum nullo modo solvi possit. Itaque traducendus est § *Durante episcopo*, etc. invenies post duos sequentes *Vandali* et *Alani*, et cum eo traducendæ etiam sunt hæ notæ XXV. Vide not. 29.

[n] Chronicon Parvum verbum *omnes* omittit.

[o] Ex quatuor regibus Barbarorum, quos supra ad annum 411 distinxi, Atace nunc exstincto, et anno 416 Fredibalo, duo tantum relicti sunt, scilicet Hermericus Suevorum et Vandalorum Gundericus.

[p] In aliis editionibus legitur: *Abolito regni nomine de Gunderici regis*, etc.: erasi præpositionem *de*, quæ contra leges grammaticæ irrepsit.

[q] Omnino consignandus hic fuit ex mente Idatii, exque ipso rerum gestarum ordine § iste *Durante* cum anno 25 Honorii, uti ostensum est nota 29.

[r] Supra, anno 415, meminit Idatius Joannis, eumdemque nunc designari ex Fastis ejus discimus. At Joannes secundo aut tertio abhinc anno decesserat. Vide notam 30.

[s] Ea innuit Marcellinus in Chronico sub consulibus hujus anni.

[t] Bellum intelligit cum Vandalis et Alanis, de quo antea.

[u] Lege ex Chronico Parvo *Aquitania*, vel ex Isidoro *secunda Aquitanica*, cujus caput Burdegala, quæque cum aliis *quibusdam civitatibus confinium provinciarum*, ut ait Prosper, ab Honorio hoc anno Gothis data est. Ex confinibus provinciis Novempopulana et Narbonensi prima, in qua Tolosa, pars certo Valliæ attributa fuit.

[v] Isidorus, in Hist. Gothor., æræ 457 mortem Valliæ annectit. Vide notam 31.

[x] Quem Theodorem vocat Idatius, Teudoredus, Theudores, Theudoridus, Theodoricus et Theudo dicitur ab aliis. Ab Hispanis vulgo *Theodoredo* appellatur. De ejus genere not. 32.

[y] Consignatum hoc loco offerunt aliæ Editiones, una excepta Floriana, annum 25 Honorii; sed ascribendum fuisse § *Durante* supra demonstratum est, simulque eum § loco suo restitui, nihil veritus ne quis correctionem improperet, aut eam ex Idatii mente esse neget.

[z] Ptolomeus Tori Narbassorum meminit in Europæ

IMPER. OL. A. C.

Valentinianus [a] Constantii et Placidiæ filius nascitur (33).

In Gallicana regione, in civitate Biterris multa signa effecta terrifica Paulini epistola ejusdem civitatis episcopi enarrat ubique directa.

XXVI. Vandali, Suevorum obsidione dimissa, instante Asterio [b] Hispaniarum comite, et sub vicario [c] Maurocello, aliquantis Bracaræ in exitu suo occisis, relicta Gallæcia ad Bæticam transierunt. 420

(Romanæ Ecclesiæ XL [d] præsidet episcopus Bonifacius.)

Honorius apud Ravennam Constantium **69** consortem [e] sibi facit in regno [f]. 300

Constantius imperator Ravennæ moritur in suo tertio consulatu (34).

XXVII. [g]. . . . . II. 421

XXVIII. Castinus magister militum cum magna manu et auxiliis Gothorum bellum in Bætica Vandalis infert [h]; quos cum ad inopiam vi obsidionis arctaret, adeo ut se tradere jam pararent, inconsulte publico certamine confligens [i], auxiliorum fraude deceptus [j], ad Tarraconem victus [k], aufugit. 422 III.

Bonifacius palatium deserens [l] Africam invadit (35).

XXIX 423

XXX. **70** Abrahami II. CCCCXL. IV.

Honorius, actis tricennalibus suis, Ravennæ obiit (36) [m]. 424

Paulinus nobilissimus et eloquentissimus, dudum conversione ad Deum nobilior factus, vir apostolicus, Nola Campaniæ episcopus habetur insignis; cui Therasia de conjuge facta soror testimonio vitæ beatæ æquatur et merito. Exstant operis ipsius egregii studia prædicanda.

Romanorum XLI Theodosius Arcadii filius ante aliquot annos regnans [n] in partibus Orientis, defuncto patre, post obitum Honorii patrui monarchiam tenuit imperii [o], cum esset annorum XXVI [p] (37).

Joannes arripit tyrannidem [q].

tabula 2, quam urbem collocat Ortelius ad Durium A amnem. Hinc Idatii tempore Nervasius sive Narbassus mons dictus est, qui olim Herminius dicebatur, non longe ab hodierna civitate Roderici. Morales et Mariana aliter opinantur, et Nervasios montes, de quibus hic loquitur Idatius, eos esse existimant quos nunc Arvas appellamus, Legionem inter et Ovetum.

[a] Hoc anno natus est profecto Valentinianus, cum prius nata esset Honoria. Nota 33.

[b] Asterius, sive Asturicus, utroque enim nomine ab Idatio et ab aliis appellatur, vir fuit comitiva, magisteria utriusque militiæ, consulatu demumque patriciatu insignis. De eo plura ad annum 449.

[c] Ex hoc loco discimus, per vicarium PP. Galliarum Hispanias hoc tempore administratas fuisse.

[d] Anno 418 exeunte, electus fuit Bonifacius Romanæ Ecclesiæ pontifex XLIV. Hæc autem (sicut et illa quæ de Anastasio, supra, anno 397, et de Leone, infra, 441 leguntur) adjecta fuisse Idatio videntur. B

[e] Constantii inaugurationem Prosper et Cassiodorus huic anno ascribunt, quibus et Idatio major præ Orientali Theophane habenda est fides, qui in annum sequentem eam differt.

[f] Libri editi hoc loco annum Honorii 27 exhibent, contra clarissima Idatii verba, quæ nos cogunt ejus anni notas hinc abjicere. Vide notam 34.

[g] Vacuum reliqui hunc annum, quia sub ipso præferunt aliæ Editiones quæ ad præcedentem annum, ut dictum est, pertinent.

[h] Eodem hoc anno Cassiodorus hujus belli meminit. Meminit etiam Prosper, qui tum hic, tum anno 425, sub consulibus Theodosio XL et Valentiniano pluscula alia addit de Castino.

[i] Quas ob causas expeditio ista male cesserit, ex Prospero et Salviano disces nota 35.

[j] Nihil de hac fraude Prosper, nihil Salvianus. Superbiens Castinus sibique præfidens temere conflixit et exercitum perdidit; nam XX millia suorum occisa sunt, si Prospero Pithœano credimus.

[k] Romanos tum temporis Hispaniam citeriorem, excepta Gallæciæ provincia, retinuisse ex hoc atque aliis Idatii locis apparet.

[l] Bonifacium a Castino discedentem primum in Italiam, deinde in Africam devenisse docet Prosper. Vide not. 35 n. 2.

[m] De Honorii obitu Idatius noster in Fastis sub consulibus Asclepiodoto et Maximiano ait: *His consulibus Honorius Augustus recessit Ravennæ.* Eidem anno, qui fuit æræ Dionysianæ 423, Honorii mortem alligant Prosper, Marcellinus, Cassiodorus. Socrates, lib. VII, cap. 22, mortis diem designat 15 Augusti, Olympiodorus 27; quod fortassis verius est, etiamsi Socrati astipuletur Theophanes. Aquæ intercutis morbo interiisse Olympiodorus et alii tradiderunt. Tricennalia agere non potuisse post annum 423 evidens est, namque eo vita excessit. Cur ergo Idatius, qui id non ignoravit, et obitum et tricennalia ipsius huic anno 424 alligavit? Conjecturam meam exponam nota 36.

[n] A Kalendis Maii, anno 408; eo enim die obiit Arcadius pater.

[o] *Monarchiam tenuit*, quia solus ipse legitimus erat princeps; Joannes autem tyrannus erat.

[p] Librarius, ex XXIV, quod scripsit certissime Idatius, XXVI fecit, unitatis notam I facili lapsu notæ V postponens, cum anteponere debuisset. Vide not. 37.

[q]. Joannes ex Primicerio notariorum tyrannidem arripuit vel desinente anno 423, quo Prosper, vel ineunte 424, quo Idatius et Marcellinus illius meminere. Adjutores perduellionis illi fuerunt Castinus et Aetius, teste Prospero.

IMPER. OL. A. C.

71 [a] Theodosius Valentinianum, suæ amitæ Placidiæ filium [b], Constantinopoli Cæsarem facit et contra Joannem mittit (38). 425

Sub quo a ducibus, qui cum eo per Theodosium missi fuerant, apud Ravennam primo anno invasæ tyrannidis occiditur (39) [c]. Et Felix patricius ordinatur [d] ex magistro militum. II.

Valentinianus, qui erat Cæsar Romæ [e], Augustus appellatur (40).

Vandali Balearicas insulas deprædantur [f]. Deinde Carthagine Spartaria [g] et 72 Hispali eversa, et Hispaniis deprædatis, Mauritaniam invadunt [h].

II Romanæ Ecclesiæ XLI [i] præsidet episcopus Cœlestinus. III. 426

III. 427

IV. Gundericus rex Vandalorum, capta Hispali [j], cum ipse elatus manus in ecclesiam civitatis ipsius [k] extendisset, mox Dei judicio dæmone correptus interiit [l]. Cui Gaisericus frater [m] succedit in regno. Qui, ut aliquorum relatio habet, effectus apostata, de fide catholica in Arianam dictus est transiisse perfidiam. IV. 428 302

V. Gaisericus rex de Bæticæ provinciæ littore cum Vandalis omnibus [n], eorumque 73 familiis mense Maio ad Mauritaniam et Africam relictis, transit Hispaniis (41) [o]. Qui priusquam pertransiret admonitus, Hermigarium Suevum vicinas in transitu suo provincias deprædari, recursu cum aliquantulis suis facto, prædantem in Lusitania consequitur. Qui haud procul de Emerita, quam cum sanctæ martyris Eulaliæ injuria spreverat, multis per Gaisericum cæsis ex his quos secum habebat, arrepto, ut putavit, Euro velocius fugæ subsidio, in flumine Ana divino brachio præcipitatus interiit. Quo ita exstincto, mox quo cœperat Gaisericus enavigavit. II.

VI. Suevi sub Hermerico rege [p] medias partes Gallæciæ deprædantes per plebem, quæ castella tutiora retinebat [q] acta suorum partim cæde, partim captivitate, pacem, quam ruperant, familiarum quæ tenebantur redhibitione instaurant. 430

Per Aetium comitem non procul de Arelate quædam Gothorum manus exstinguitur (42) [r], 74 Anaolfo optimate eorum capto

Juthungi per eum similiter debellantur [s] et Nori. III.

---

[a] Hinc Idatius simplici numerali nota non tantum Theodosii, ut plures sentiunt, nec solius Valentiniani, ut autumat Florius, sed utriusque annos designat, ut ex initio et fine hujus epochæ perspicuum fit, siquidem initio illius Valentinianus nondum factus fuerat Augustus et in fine Theodosius jamdiu obierat.

[b] Thessalonicæ Cæsarem renuntiatum fuisse tradit Olympiodorus. Vide notam 38.

[c] Expeditionem hanc multis narrat Socrates, lib. VII, cap. 23, et Olympiodorus atque Philostorgius, quos, si libet, leges. Præcipui in ea duces Ardaburius, Aspar, Candidianus et Helion fuere. Vide notam 39.

[d] Florentio et Dionysio consulibus, id est anno 429, Felicem patricium factum scribit Prosper.

[e] Ravennæ ait Marcellinus in Chronico; sed fallitur. Vide notam 40.

[f] Ex hoc Idatii loco maximeque ex Isidoro in Historia Vandalorum, ubi easdem insulas circa annum 411 Vandalos Silingos deprædatos esse scribit, ostenditur non undequaque verum esse quod de Vandalis tradit Prosper sub consulibus Hierio et Ardaburio, scilicet usque ad transitum in Africam, qui anno 429 contigit, navibus eos uti nesciisse.

[g] Major huic urbi illata clades est quam Hispali. Ita quæ de Hispali narrantur anno 428 ostendunt. Neque dubito quin eversa penitus fuerit tunc Carthago.

[h] Invadunt prædandi, non vero manendi ibi causa; id enim quarto deinde anno evenit.

[i] Cœlestinus ordine XLV creatur pontifex anno 422, mense Septembri.

[j] Igitur tertio retro anno, cum iidem Vandali Hispalim irruperunt, neque eam penitus vastarunt, neque sibi retinuerunt. Mansit ergo sub Romanis, sub quibus ipsa sicut etiam Carthago ante illud tempus erat.

[k] Sanctus Isidorus, in Hist. Vandal., ecclesiam hanc martyri Vincentio dicatam fuisse tradit.

[l] Gundericus XIX annos regnavit, juxta Isidorum, ubi supra, quos non ab ingressu Barbarorum in Hispanias, anno 409, sed a sortitione provinciarum ab illis facta anno 411 numerare videtur. At cum de Hermerico rege Suevorum agit, regni ejus initium ab anno 409 desumit.

[m] Gaisericus Victori Vitensi Geisericus est, reliquis fere omnibus Gensericus. Filius fuit Godigeli et Gunderici frater; sed ex impari matre, uti observat Procopius, lib. I Hist. Vandal., cap. 3, et, si Sidonio credimus, serva; nam de eo in Paneg. Anthemii, vers. 358, loquens ait :

Incertum crepat ille patrem, cum serva sit illi
Certa parens ......

[n] Numerata Gaiserici jussu Vandalorum multitudine, quam secum ferebat, *qui reperti sunt* (ait Victor, initio libri I) *senes, juvenes, parvuli, servi, domini, octoginta millia numerati*.

[o] Gaisericus regnum Africanum hoc anno auspicatus est, quo, ut narrat Idatius, Africam invasit. Vide notam 41.

[p] Hermericum hunc regem fuisse Suevorum, supra, anno 411, adnotatum est, regnavitque solus et cum filio Rechila usque ad annum 441, ut sæpe repetit Idatius. Quare Hermigarium, de quo paulo ante, ducem aliquem seu præfectum Suevorum fuisse oportet. Florius Hermigarium regem facit eique successisse Hermericum falso asserit, tom. XIII, pag. 82.

[q] Hispanos in ingressu Barbarorum ad urbes et castella confugisse, ubi suam adversus hostium incursus tuebantur libertatem, sæpe meminit Idatius, et nota 22 declaratum est.

[r] Bellum istud sex annos antehac non bene consignat Prosper. Isidorus de eo quædam addit. Vide not. 42.

[s] Meminit hujus belli Sidonius in Aviti panegyrico, versu 233 inquiens :

IMPER. OL. A. C.

Felix, qui dicebatur patricius, Ravennæ tumultu [a] occiditur militari (43).

VII. Aetius, dux utriusque militiæ, Noros edomat rebellantes. Rursus Suevi initam cum Gallæcis pacem libata sibi occasione conturbant. Ob quorum deprædationem Idatius episcopus [b] ad Aetium ducem, qui expeditionem agebat in Galliis, suscipit legationem (44) [c]. IV. Vetto [d], qui de Gothis dolose ad Gallæciam venerat, sine aliquo effectu redit ad Gothos.

VIII. Superatis per Aetium in certamine Francis et in pace susceptis, Censorius [e] comes 432 legatus mittitur ad Suevos, supra dicto secum Idatio redeunte.

Bonifacius in æmulationem Aetii de **75** Africa per Placidiam evocatus in Italiam ad 303 Palatium redit (45) [f]. Qui, depulso Aetio, in locum ejus succedens, paucis post mensibus inito adversus Aetium conflictu, de vulnere quo fuerat percussus interiit. Cui Sebastianus gener substitutus per Aetium de palatio superatus expellitur [g].

IX. Regresso Censorio ad palatium, Hermericus pacem cum Gallæcis, quos prædabatur 433 assidue, sub interventu episcopali datis sibi reformat obsidibus.

Symphosius episcopus, per eum ad comitatum legatus missus, rebus incassum frustratur arreptis [h]. II.

In conventu Lucensi contra voluntatem Agrestii episcopi Lucensis [i], Pastor [j] et Syagrius episcopi ordinantur.

76 Aetius, dux utriusque militiæ, patricius appellatur.

X. Abrahami II.CCCCL. 434

Sebastianus exsul et profugus effectus [k], navigat ad palatium Orientis (46).

Romanæ Ecclesiæ XLII [l] habetur episcopus Xistus. III.

XI. Hierosolymis Juvenalem episcopum præsidere [m], Germani presbyteri Arabicæ 435 regionis exinde ad Gallæciam venientis, et aliorum Græcorum relatione comperimus, adjicientibus, Constantinopolim eum cum aliis et Palæstinæ provinciæ et Orientis episcopis evocatum, sub præsentia Theodosii Augusti contracto episcoporum interfuisse concilio [n] ad destruendam Hebionitarum hæresim [o], quam Nestorius, ejusdem urbis [p] episcopus, pravo **77** stultissimæ sectæ resuscitabat ingenio.

Quo vero tempore sancti Joannes [q], Hieronymus [r] et alii, quos supra diximus, IV.

Nam post Juthungos et Norica bella subacto
Victor Vindelico. . . . .

Vide Sirmondum ad eumdem locum. Interim ne mireris quod, finito bello Gothico initio hujus anni, aliud cum Juthungis æstate et deinceps gestum sit.

[a] Felicem hunc virum fuisse improbum ea ostendunt quæ narrat Prosper de Patroclo, episcopo Arelatensi, et Tito, Romano diacono, illius jussu occisis. Vide not. 43.

[b] Auctor hujus Chronici.

[c] Ex numero sequenti apparet, expeditionem istam susceptam fuisse adversus Francos, quos Aetius ultra Rhenum trusit. De ea præmature agit Prosper. Vide notam 44.

[d] Quos dolos struxerit Vetto, tacente Idatio, divinare non possumus.

[e] Censorius Romanarum partium comes fuit, qui non unica ad Suevos legatione functus fuit. Meminit illius Idatius annis 433, 437 et 448.

[f] Bonifacius in multis vir egregius fuit, et erga Placidiam eximiæ fidelitatis, teste Olympiodoro. De eo plura si vis, vide notam 45.

[g] Sebastianus non isto, sed secundo post anno ab Aetio palatio exactus est, ut ibi narrat Idatius. At nunc cum de Socero Bonifacio locutus fuisset, hæc de Sebastiano adjecit, ut quæ uterque ab invidentia Aetii passus est, oculis lectorum simul exponeret.

[h] Cum inter Censorium et Hermericum de pace non convenisset, illo discedente et episcopis provinciæ adnitentibus, pax tandem constituta est, tradentibus Gallæcis Hermerico aliquos obsides. Ut autem Romanorum nomine firmaretur, missus est ab Hermerico episcopus Symphosius ad comitatum; sed frustra. Spes ibi de pace penitus abrupta est. Ita quod duobus hisce §§ ait Idatius, capio. An ipsum non capio? Pro *arreptis* lege *abruptis*. Et hunc Symphosium diversum esse ab eo cujus mentio fit anno 400, ubi de synodo Toletana, scito.

[i] In Agrestii diœcesi, licet metropolita non esset, extraneus episcopus absque illius consensu id præstare non poterat. Quare perperam Quesnellus ex hoc Idatii loco Lucum metropolim tunc fuisse infert.

[j] An Pastor is est de quo Gennadius, de Script. eccles., n. 76, agit? Libri argumentum Hispano episcopo, tempus ipsum huic etiam congruit.

[k] Expulsum ab Aetio Sebastianum, præmisit supra Idatius. Idipsum nunc repetit, quia re ipsa hoc anno in Orientem aufugit. Rem ex Prospero lege no a 46.

[l] Xistus sive Sixtus XLVI pontifex Romanus renuntiatus est anno 432, mense Maio.

[m] Præsidebat quidem hoc anno Hierosolymitanæ Ecclesiæ Juvenalis, idque vere narrat Idatius; at longe antea episcopatum illum obtinuerat. De quo dictum est nota 30.

[n] Concilium istud habitum est Ephesi anno 431. Quare aut Germanus aliique Græci tempus quo coactum est Idatio non indicarunt, aut Idatius, cum hæc scriberet, illius oblitus erat. Ad illud accessit Juvenalis intra octavas Pentecostes, ibique partes Ecclesiæ suæ (forsan ultra quam par erat) strenue egit.

[o] Ebionæum hæreticum appellat etiam Nestorium Cassianus, lib. I de Incarn. Verum non Ebionem modo, sed et Paulum Samosatenum et duos Theodoros, Mopsuestenum et Tarsensem, suæ hæresis magistros habuit.

[p] Nimirum Constantinopolis.

[q] De anno mortis Joannis vide not. 30.

[r] De Hieronymo Prosper, ad annum 420: *Hieronymus*, inquit, *presbyter moritur anno ætatis* 91, *prid. Kal. Octob.* De anno emortuali Hieronymi nullum, de ætate aliquod dissidium est. Vide Pagium, anno 420, n. 21.

IMPER. OL. A. C.

[a] obierint, vel quis Joanni ante Juvenalem successerit, sicut et fecisse cognitum est in brevi (47) [b] seniorem quemdam, referentum sermo non edidit.

XII. Narbona obsideri cœpta per Gothos. Burgundiones, qui rebellaverant [c], a Romanis duce Aetio debellantur. 436

Uno eodemque tempore Alexandriæ Cyrillum episcopum præsidere et Constanti- 304
nopoli Nestorium hæreticum Hebionæum [d], Cyrilli ipsius ad eumdem epistola **78** et hæresim destruentis et regulam fidei exponentis ostendit. Hæc cum aliis [e] habentur allata (48).

XIII. Narbona obsidione liberatur [f] Aetio [g] duce et magistro militum. Burgundionum cæsa [h] XX millia (49). 437

Rursus Censorius et Fretimundus legati mittuntur ad Suevos II.

Gothorum [i] cæsa octo millia sub Aetio duce. 438

Suevi cum parte plebis Gallæciæ, cui adversantur, pacis jura [j] conficiunt.

Hermericus rex morbo oppressus, Rechilam filium suum substituit in regnum [k]. Qui Andevotum cum sua quam **79** habebat manu ad Singilionem [l] Bæticæ fluvium aperto marte prostravit, magnis ejus auri et argenti opibus occupatis.

XV. Carthagine fraude decepta (50) [m] XIV Kal. Novemb., omnem Africam rex Gaisericus invadit. 439 IV.

Bello Gothico sub Theodore rege apud Tolosam Litorius Romanus dux inconsultius cum auxiliari manu irruens, cæsis his [n], ipse vulneratus [o] capitur et post dies paucos occiditur (51).

[p] Inter Romanos et Gothos pax efficitur (52). Gaisericus elatus impie episcopum clerumque Carthaginis depellit ex ea [q]. Et juxta prophetiam Danielis [r] demutatis **80** ministeriis, sanctorum ecclesias catholicas tradit Arianis.

Rechila rex Suevorum Emeritam [s] ingreditur.

XVI. Gaisericus Siciliam deprædatus, Panormum diu obsedit (53) [t]; qui damnati 440

[a] Præter Joannem et Hieronymum duos alios laudavit supra Idatius, anno 407, Eulogium Cæsariensem et Theophilum Alexandrinum. Theophilus obiit anno 412 Id. Octob. Ita Socrates, lib. VII, cap. 7. De Eulogio, primas tenuisse constat in synodo Diospolitana, quæ habita est post diem 20 Decemb., anno 415. Quandiu post illam vixerit Eulogius nondum scire potui.

[b] Senior qui Joanni successit in Ecclesia Hierosolymitana, Praylius fuit. Nomen ignoravit Idatius, at illum *brevi* obiisse diserte testatur. Unde opinio Papebrochii de excessu Praylii ante annum 421 contra card. Norisium et Pagium confirmatur. Vid. not. 47.

[c] Prosper et Cassiodorus rebellionem hanc sub consulibus anni 435 designant; sed forsan eo anno incepit, isto finivit.

[d] Ita quidem tribus annis et tribus fere mensibus ab initio Aprilis anni 428 ad exitum Julii anni 431 Cyrillus et Nestorius, hic Constantinopoli, ille Alexandriæ, episcopatum eodem tempore gesserunt. At hic sextus erat annus ex quo Nestorius ab Ecclesia Constantinopolitana ejectus fuit.

[e] De his Cyrilli scriptis vide notam 48.

[f] De Narbonensis civitatis liberatione sub consulibus anni 436, quo, ut adnotavit Idatius, obsideri cœpta est, Prosper : *Gothi*, inquit, *pacis placita perturbant, et plurima municipia sedibus vicina suis occupant, Narbonensi oppido maxime infesti, quod, cum diu obsidione et fame laboraret, per Litorium comitem ab utroque periculo liberatum est.*

[g] Non Aetio duce, sed Litorio, ut ait Prosper, Narbona liberata est, quod non ignoravit Idatius. Locus itaque sic est interpungendus, ut ea *Aetio duce* cum sequentibus, non autem cum præcedentibus conjungantur.

[h] Rursus Burgundio rebellat bellumque infert. Vide not. 49.

[i] Gothi ab obsidione Narbonæ non a bello discesserant. Dum ergo cum Aetio pugnant, octo eorum millia occisa sunt.

[j] Inter Suevos et Gallæcos pax nunquam stabilis, breves aliquando induciæ erant. Censorius et Fretimundus, qui anno superiore legati a Romanis ad Suevos venerant, hanc inter utrosque qualemcunque pacem composuisse videntur.

[k] Isidorus in Hist. Suev. eadem habet, prætereaque, Hermericum, morbo antea tentatum, pacem cum Gallæcis, de qua modo Idatius, fecisse tradit. Adnotat insuper, Andevotum Romanæ militiæ ducem fuisse. Unde Romani tunc temporis præter oppida et castella, quæ in Gallæcia sub eorum nomine ab indigenis tenebantur, reliquas Hispaniæ provincias sub se habuisse videntur; nisi si ex Lusitania jam tum aliqua Suevi decerpserant.

[l] Singilio Hispanis nunc est *Genil*.

[m] Marcellinus perperam eversionem Carthaginis ascribit diei x Kal. Octob.; nam Prosper eumdem ac Idatius diem præfert, doloque captam urbem affirmat. Idatius excidium ejus anno 439 consignat, non autem 438, ut ait Pagius. Vide notam 50.

[n] Hunnos intelligit, quos secum in auxilium ducebat Litorius, ut exprimit hoc anno Prosper.

[o] Latius hæc exponuntur ex Prospero et Salviano. Vide notam 51.

[p] Pacem hanc petiisse et impetrasse Romanos, contra quam Prosper narrat, ostendo nota 52.

[q] Crudelitatem Gaiserici in Catholicos graphice depingit Victor Vitensis, toto lib. I de Persecutione Vandalica. Episcopus erat Quodvultdeus, quem ejectum sua Ecclesia hoc anno locus hic Idatii invicte probat.

[r] Abominationem desolationis intelligit, quam vaticinatus est Daniel cap. XI, 31, quamque Antiochum Hierosolymitano templo intulisse legimus lib. II Machab., cap. VI.

[s] Apparet Rechilam strenuum ac bellatorem fuisse, qui Romanis tot provincias, scilicet Lusitanam, Bæticam et Carthaginensem, ademerit. Vide, infra, anno 441. Isidorus usurpatam nunc Emeritam sibi in posterum retinuisse affirmat.

[t] Ex quo Gaisericus Carthaginem expugnavit, continuo maritimas omnes utriusque imperii provincias incursionibus vexavit. Vide not. 53.

IMPER. OL. A. C.

a catholicis episcopis Maximini (54) [a], apud Siciliam Arianorum ducis, adversus Catholicos præcipitatur instinctu, ut eos quoquo pacto in impietatem cogeret Arianam.
Nonnullis declinantibus, aliquanti durantes in fide catholica consummavere martyrium. 305

Censorius comes, qui legatus missus fuerat ad Suevos [b], residens Myrtili [c], obsessus a Rechila, in pace se tradit.

XVII. Rex Suevorum diuturno per annos septem morbo afflictus moritur Hermericus [d]. 441

81 Rex Rechila, Hispali obtenta, Bæticam et Carthaginensem [e] provincias in suam redigit potestatem.

Romanæ Ecclesiæ XLIII præsidet episcopus Leo [f].

Sabino episcopo de Hispali factione depulso [g], in locum ejus Epiphanius ordinatur fraude, non jure.

Asturius [h] dux utriusque militiæ ad Hispanias missus Tarraconensium cædit multi- II.
tudinem Bacaudarum (55) [i].

XVIII. Cometæ sidus apparere incipit mense Decembri [j], quod, per menses aliquot vi- 442
sum, **82** subsequentis in pestilentia plagæ, quæ fere in toto orbe diffusa est, præmisit ostentum.

Constantinopolitanæ Ecclesiæ, depulso Nestorio, præsidet episcopus Flavianus [k]. III.

XIX. Asturio, magistro utriusque militiæ, gener ipsius successor ipsi mittitur Merobaudes, 443
natu nobilis et eloquentiæ merito vel maxime in poematis studio veteribus compa-
randus, testimonio etiam provehitur statuarum (56) [l]. Brevi tempore potestatis suæ IV.
Aracellitanorum [m] frangit insolentiam Bacaudarum. Mox nonnullorum invidia perurgente ad urbem Romam præceptione evocatur.

XX. Abrahami H̄. CCCCLX. 444

Sebastianus, illic quo confugerat deprehensus, sibi adversa moliri e Constantino-
poli fugit admonitus, et ad Theodorem regem Gothorum veniens, conquisitam 306
83 sibi, qua potuit, Barcinonam [n] hostis ingreditur (57).

XXI. In Austuricensi urbe Gallæciæ quidam ante aliquot annos latentes Manichæi gestis 445
episcopalibus deteguntur, quæ ab Idatio et Turibio (58) [o], qui eos audierant, ad Antonium Emeritensem episcopum directa sunt.

Vandali, navibus Turonio [p] in littore Gallæciæ repente advecti, familias capiunt II.
plurimorum.

[a] Hic, ut opinor, Maximinus est, cum quo Augustinus Hippone regio disputationem illam habuit, quæ inter ipsius Augustini Opera reperitur. Vide not. 54.

[b] De hac legatione Idatius, supra, anno 437. Ea autem obita, Censorius in Hispania resedit.

[c] Oppidum est Lusitaniæ ad ulteriorem Anæ fluminis ripam, quod nunc parum immutato nomine Mertola dicitur.

[d] In Historia Suevorum eadem narrat Isidorus, adnotatque, Hermericum XXXII annos regnasse; qui cum hoc anno obierit, id enim testatur Idatius, qui inter Suevos degebat, quemque Isidorus exscribere solet, illius regnum necesse est anno 409 exordium, anno vero 441 finem accepisse. Quapropter initio Suevicæ historiæ æra 447 et in morte Hermerici æra 479 consignandæ erant, et non aliæ, ut jam antea animadvertit Floresius, tom. VI Hispaniæ sacræ, pag. 526.

[e] Easdem provincias retinet anno 446.

[f] Cum Leonis pontificatus iterum adnotatus sit A infra ad annum 447, ista certo ab alio quam ab Idatio scripta sunt et Chronico subdita, nam de hac Leonis electione nihil Idatium scivisse, currente anno 445, denotant præcipue verba quæ ibi leguntur, videlicet: *Per episcopum Romæ tunc præsidentem*, etc. Sane si scivisset pontificis nomen, non ita loqueretur, sed diceret: *Per Leonem*, etc.

[g] Chronicon Parvum de hoc Sabino sub æra 495 ait: *Post annos XX, quam certaverat, expulsus de Galliis, ad propriam rediit Ecclesiam*. Si ergo ejectus fuit hoc anno, redire non potuit ante æram 499.

[h] Quem anno 420 Astericum vocat, nunc Asturium appellat, itemque annis 443 et 449.

[i] De Bacaudarum factione vide notam 55.

A [j] Meminit de hoc cometa Marcellinus sub consulibus Eudoxio et Dioscoro. Ex hoc loco denuo discimus, Idatium annos deducere non ab Octobri in Octobrim, sed a Januario in Januarium. Siquidem December anni Abrahami 2458, cui adnectit Idatius hunc cometam anno 441, nisi is a Januario incipiat, concurrere non potuit cum Decembri anni 442 æræ vulgaris, quo hi consules fuerunt.

[k] Ecclesiæ Constantinopolitanæ nondum hoc tempore præerat Flavianus, qui, Nestorio ab ea exturbato anno 431, non proxime successit. Nam post Nestorium primum Maximianus annis III, deinde Patroclus XIII Ecclesiam illam rexerunt. Postremo Flavianus anno 447 episcopatum illum tenuit.

[l] Hæc de nostrate Merobaude confirmata reperies not. 56.

[m] Plinius, lib. III, cap. 3, meminit Arocelitanorum, quos conventui Cæsaraugustano attribuit et stipendiarios fuisse affirmat. An Arocelitani Plinii, Arracillum Flori, Aracillum Orosii, et quod Aracœlim B vocat Antoninus, idem omnino sint ac quos Aracellitanos hic vocat Idatius, incertum est. Sed verisimile valde est de eodem cunctos loqui oppido, quod nunc etiam extstare et *Araciel* vulgo appellari censet Zurita.

[n] Decimo abhinc anno Sebastiani aufugium in palatium Orientis narravit Idatius. Illinc, anno 440, in Africam transmisisse, refert Prosper, cum Idatius ex Oriente ad Aquitaniam venisse hoc anno et insequenti ex Hispania in Africam commigrasse affirmet. Vide not. 57.

[o] Idatius et Turibius hæc gesta conficiunt Leonis exemplo provocati. An ea ad Antonium Emeritensem miserunt tanquam metropolitam? Vide notam 58.

[p] Meminit Turonii hujus divisio episcopatuum cor-

IMPER. OL. A. C.

Sebastianus de Barcinona fugatus migrat ad Vandalos [a].

Per episcopum Romæ tunc præsidentem [b], gesta [c] de Manichæis per provincias diriguntur.

XXII. **84** Vitus, magister utriusque militiæ factus, ad Hispanias missus, non exiguæ manus fultus auxilio [d], cum Carthaginenses vexaret et Bæticos, succedentibus cum rege suo illic Suevis, superatis etiam in congressione, qui ei ad prædandum in adjutorium venerant, Gothis [e], territus miserabili timore diffugit. Suevi exin illas provincias magnas deprædatione subvertunt. 446 III.

XXIII. Romanæ Ecclesiæ XLIII [f] præsidet episcopus Leo. Hujus scripta per episcopi Turibii diaconum Pervincum contra Priscillianistas ad Hispanenses episcopos deferuntur. Inter quæ ad episcopum Turibium de observatione catholicæ fidei et de hæresum blasphemiis disputatio plena dirigitur (59) [g], quæ ab aliquibus Gallæcis subdolo probatur arbitrio. 447 IV.

Solis facta defectio die IX Kal. Jan. (60) [h], qui fuit III feria.

XXIV. **85** Rechila, rex Suevorum, Emeritæ gentilis moritur mense Augusto, cui mox filius suus catholicus Rechiarius [i] succedit in regnum, nonnullis quidem sibi de gente sua æmulis, sed latenter. Obtento tamen regno, sine mora ulteriores regiones invadit ad prædam. 448 307

Pascentium quemdam urbis Romæ [j], qui de Asturica diffugerat, Manichæum Antoninus episcopus comprehendit, auditumque etiam de provincia Lusitana [k] facit expelli.

Per Ajulfum [l] Hispali Censorius jugulatur.

XXV. Rechiarius, accepta in conjugium Theodoris regis filia [m], auspicatus initium regni, **86** Vasconias deprædatur mense Februario. 449

Basilius [n] ob testimonium egregii ausus sui, congregatis Bacaudis in Tyriassone fœderatos [o] occidit. Ubi et Leo, ejusdem Ecclesiæ episcopus, ab iisdem qui cum Basilio aderant in eo loco obiit vulneratus.

Rechiarius mense Julio ad Theodorem socerum suum profectus, Cæsaraugustam regionem cum Basilio in reditu deprædatur. Irrupta per dolum Ilerdensi urbe, acta est non pauca [*Al.*, non parva] captivitas. II.

cilio, ut fertur, Lucensi, æra 607 celebrato, annexa, quæ inter parœcias Tudensis episcopatus Turonium numerat. Anno 1171 comes Urgellæ dominans in Limia et Turonio confirmat privilegium, quod describit Florius tom. XVI Hispaniæ sacræ. Nomen illi erat Armengaudus, obiitque anno 1184, uti narrant Zurita et Mariana.

[a] Sebastianum præcipitem vocat Sidonius carm. IX, 277, quia, varia et subita consilia secutus, non diu in eodem animi proposito permanere visus est.

[b] Leo Magnus is erat.

[c] Causa cur Leo hæc gesta ad provincias miserit, prodit Prosper anno superiori, inquiens: *Confessionibus in Urbe captorum Manichæorum, qui doctores eorum, qui episcopi, quive presbyteri, in quibus provinciis vel civitatibus degerent, patefactum est. Detecti ergo Manichæi provinciis denuntiantur, ut ab illis hæ caveant.*

[d] Vitus a Valentiniano missus, ut Hispanias a Suevico jugo vindicaret, ipse e converso eas depopulatus est.

[e] Gothos ex fœderatis intelligo, qui ea tempestate plurimi inter Romanos militabant, quique Viti exemplum secuti, ipsi pariter provincias, quibus auxilio venerant, deprædabantur.

[f] Leo ab anno 440, mense Julio, Romanæ Ecclesiæ præerat, ordine XLVIII.

[g] Multa hic præstringit Idatius, quæ brevi scholio explicari nequeunt. Vide ergo notam 59.

[h] Ad annum 402 monui legendum esse x Kal. Jan., non vero IX Kal., quia re ipsa eclipsis hoc anno contigit die 23 Decembr., qui incidit in feriam 3 designatam ab Idatio, dies autem 24 feria 4 fuit. Corrigendi item sunt Pagius et Calvisius. De quibus not. 60.

[i] Suevi ethnici erant. Rechiarius iidem catholicam primus ex eorum regibus professus est. Verum post ejus obitum, ab Atace quodam Galata seducti, in Arianam impietatem prolapsi sunt anno 466, ut ibi narrat Idatius. Eam tandem sub Theodomiro rege, anno circiter 560, ejurarunt, et catholici facti sunt prædicatione sancti Martini Dumiensis. Ita Isidorus in Historia Suevorum.

[j] An hic Pascentius Roma aufugit, dum ibi Leo; Asturica vero, dum in ea Turibius et Idatius in Manichæos inquirebant?

[k] Observa jus et antiquam consuetudinem episcoporum agendi contra hæreticos.

[l] Agiulfum vocat Chronicon Parvum. Jornandes in Gethicis, n. 74, *Athiulfum Varnorum stirpe genitum longe a Gothici sanguinis nobilitate sejunctum* fuisse scribit. Suevis hoc tempore adhæsisse videtur. Inter quos cum esset Censorius, qui Myrtili regi eorum sese dederat, potuit (jure an injuria quis statuat?) ab Ajulfo jugulari.

[m] Nomen filiæ hujus Theodoris nusquam, quod sciam, proditur, sicut neque annus quo nupsit Rechiario.

[n] Basilius fortasse ex imperii perduelle Bacaudarum dux evasit, cujus audax factum fuerit, quod ex saltibus, fragosisque ac præruptis montium jugis in aperta et plana loca descenderit, bellumque urbibus et provinciis intulerit. Sed hæc conjecturæ sunt.

[o] An fœderatos pro militibus, qui ita appellabantur, accipiat Idatius, an simplicius pro populo in ecclesia congregato, quis statuat? Primum videtur verisimilius; nam neque cædem istam factam in ecclesia fuisse ait expresse Idatius, neque plebem ac cives fœderatorum nomine appellatum us videtur. Tyriasso, aliis Turiaso est, aliis Turiasso; sed in nummis *Turiaso* constanter legitur. Vulgo nunc *Turasona* appellatur.

IMPER. OL. A. C.

[a] Asturius vir illustris (61) [b] ad honorem provehitur consulatus.

XXVI. [c] Sebastianus (62) [d] exsul factus, ad perniciosam sibi, **87** sicut post exitus docuit, Gaiserici confugit potestatem; parvo post tempore [e] quam venerat, per eum jubetur occidi. 450

De Galliis (63) [f] epistolæ deferuntur Flaviani episcopi ad Leonem episcopum [g] missæ [h] (cum scriptis Cyrilli episcopi Alexandrini ad Nestorium Constantinopolitanum) de Eutychete Hebionita hæretico [i] et Leonis episcopi ad eumdem responsa [j], quæ cum aliorum episcoporum **88** et gestis et scriptis [k] per Ecclesias diriguntur. III.

[l] Theodosius imperator moritur Constantinopoli, anno ætatis suæ quadragesimo octavo (64) [m].

Post quem XLIII [n] statim [o] apud Constantinopolim Marcianus a militibus et ab exercitu, instante etiam sorore Theodosii Pulcheria regina [p], efficitur imperator: qua sibi in conjugium [q] assumpta, regnat in partibus Orientis.

[r] Placidia moritur apud Romam (65).

89 In Gallæcia terræmotus assidui; signa in cœlo plurima ostenduntur. Nam pridie Nonas Aprilis, tertia feria [s], post solis occasum, ab Aquilonis plaga cœlum rubens sicut ignis aut sanguis efficitur, intermistis per igneum ruborem lineis clarioribus in speciem hastarum rutilantium deformatis [t]. A die clauso usque in horam fere tertiam signi durat ostensio, quæ mox ingenti exitu [u] perdocetur.

XXVII. I. [v] Gens Hunnorum (66), pace rupta, deprædatur provincias Galliarum. Plurimæ 451.

[a] Hic etiam, sicut supra, dum consulatum Constantii meminit Idatius, librarius notam chronologicam anticipavit. Utrobique enim lecto consulatus nomine, quasi novus aperiretur annus, novum numerum inscripsit, cum tamen utrobique uno post versu consignandus esset. Neque aliter scriptum fuisse ab Idatio quemquam dubitaturum existimo, et ideo neque ego utrumque locum corrigere dubitavi.

[b] De Asturio aliqua dixi ad annum 420. Vide not. 61.

[c] Annus 26, quem librarius § *Asturius* ante tempus apposuit, hic certissime, aut insequenti § *De Galliis* consignatus est ab Idatio. Vide not. 63, n. 2.

[d] De Sebastiano vide notam 62.

[e] Sebastianus quinto abhinc anno ad Gaisericum confugit. Si ergo parvo post tempore occisus est, ante hunc annum occidendus fuit.

[f] Sanctus Leo per Gallias hæc ad Hispanias scripta misit. Exinde insulse Quesnellus occasionem arripuit extollendi episcopos Gallos, et Hispanos deprimendi. Vide not. 63, n. 1.

[g] Binæ litteræ sunt, quæ inter Leoninas post VIII reperiuntur in veteribus Editionibus.

[h] Hæc parenthesi conclusi, ne cum sequentibus conjungantur; nam ad superiora certe pertinent, quibus ita sunt connectenda: *de Galliis epistolæ deferuntur Flaviani episcopi ad Leonem episcopum missæ de Eutychete*, etc.; siquidem Cyrilli scripta Nestorium impugnabant, non autem Eutychem. De his Cyrilli scriptis egi nota 48.

[i] Cur Eutyches Hebionita dicatur penitus ignoro. Ab Hebionis enim hæresi, quæ Christum purum hominem esse docebat, tam longe abfuit Eutyches, ut in oppositum Apollinaris errorem declinaverit, qui in Christo hominem negavit; quanquam Flavianus de eo loquens: *Nestorii*, inquit, *impietatem confirmabat et succingebatur pro Nestorio militare in pugna.* Hæc Idatium in errorem ducere potuerunt; nam Nestorius Hebionita fuit. Sed et Avitus Viennensis post Idatium Nestorii errores Eutycheti applicuit, epistola 2.

[j] Leo Flaviano respondit celeberrima epistola *Lectis dilectionis tuæ*, etc., de fide Incarnationis; quam ipsi cardinalis Norisius nimis quam immerito abrogat, ut Prospero adjudicet. Vide notam 63, n. 3 et 4.

[k] Horum gestorum meminere Flavianus, epist. 1 aliàs 2, et Leo, epist. olim 16.

[l] Inscriptam hoc loco notam 27 contra manifestam Idatii mentem, ut ostendi in prologo et mox iterum demonstrabo, incunctanter erasi.

[m] Theodosius ætatis anno 49 expleto obiit. Nota 64.

[n] XLI transit ad XLIII, prætermisso XLII; parum hoc refert, sed tamen notandum est.

[o] Auctor Chronici Alexandrini sub hujus anni consulibus initium assumpti a Marciano imperii consignat his verbis: *Marcianus in Hebdomo ab exercitu mense Augusto* VIII *Kal. Septemb. die Jovis imperare jussus est.* Ubi tamen aut in mensis aut in septimanæ die errat; nam hoc anno dies 25 Augusti non 5, sed 6 feria erat.

[p] Reginam appellat Pulcheriam illius ævi more. Ita enim vulgo appellabantur filiæ aut sorores Augustorum. Cyrillus Alexandrinus ad eamdem Pulcheriam et sorores duos libros misit, quos *de Fide ad reginas* inscripsit. Quin etiam Claudianus, si male non memini, Serenam, Honorii fratris Theodosii Magni filiam, reginæ nomine alicubi honorat. Cæterum Pulcheria a fratre Theodosio Augusta renuntiata est anno 414, ut tradunt Marcellinus et auctor Chronici Alexandrini.

[q] Data Pulcheriæ fide de ipsius virginitate non temeranda, quam Deo devoverat.

[r] In aliis Editionibus ita legitur: *XXVIII Valentiniani imperatoris mater Placidia moritur apud Romam.* Notam chronologicam et tria priora verba delevi. Vide notam 65, n. 1.

[s] Hæc manifeste declarant, Idatium anno Dionysiano 450, Valentiniani 26, eadem subjecisse; nam eo anno dies 4 Aprilis incidit in feriam tertiam; habuit enim cyclum solis *XI*, litteram dominicam *A*.

[t] Ostenta et signa hujusmodi quid divinitus portendere existimavit antiquitas; neque falsam semper fuisse hanc interpretationem credere nos cogit auctor lib. II Machab. cap. 5. Nunc etiam nihil prohibet, quominus hisce signis præmonstrare voluisse Deum dicamus dirum ac ferale illud Attilæ bellum, ut innuit Idatius, et cum eo Isidorus. At si quis portentum hic nullum agnoscere velit, recurratque ad auroram, ut dicunt, Borealem, suo fruatur iudicio.

[u] Pugnam Attilanam intelligit.

[v] Notas has XXVII I. hoc loco inscripsit Idatius, easque perperam librarii ad § *Placidia* retro traxerunt. Vide notam 66.

IMPER. OL. A. C.

civitates effractæ [a]. In campis Catalaunicis (67) [b], haud longe de civitate quam effregerant **90**, Mettis, Aetio duci [c] et regi Theodori, quibus erat in pace societas (68) [d], aperto marte confligens, divino cæsa superatur auxilio. Bellum nox intempesta diremit. Rex illic Theodores prostratus [e] occubuit (69); CCC ferme millia hominum [f] in eo certamine occisa numerantur. IV.

Multa anno signa procedunt. Quinto Kal. Octob. [g], a parte Orientis luna fuscatur. In diebus sequentis Paschæ [h], visa quædam in cœlo in regionibus Galliarum, epistola de his Eufronii Augustodunensis episcopi **91** ad Agrippinum comitem facta evidenter ostendit. Stella cometes a XIV Kal. Jul. apparere incipit, quæ III Kal. diluculo ab Oriente visa, post occasum solis ab occidua parte mox cernitur; Kal. Augusti a parte Occidentis apparet.

Occiso Theodore, Thorismo filius ejus succedit [i] in regno.

Hunni cum rege suo Attila, relictis Galliis post certamen, Italiam petunt

XXVIII. II. [j] (id est, *secundo regni anno principis Marciani*) Hunni, qui Italiam prædabantur, aliquantis etiam civitatibus irruptis, divinitus partim fame, partim morbo quodam, plagis cœlestibus feriuntur; missis etiam per Marcianum principem, Aetio duce, cæduntur auxiliis; pariterque in sedibus suis et cœlestibus plagis et per Marciani subjugantur exercitum; **92** [k] et ita subacti, pace facta cum Romanis, proprias repetunt sedes. Ad quas rex eorum Attila mox reversus [l] interiit (70). 452

Ad Suevos Mansuetus comes Hispaniarum [m], et Fronto [n] similiter comes, legati pro pace mittuntur et obtinent conditiones injunctas. 308

Thorismo rex Gothorum, spirans hostilia [o], a Theodorico et Frederico fratribus jugulatur (71) [p], cui Theudoricus succedit in regno.

XXIX. III. [q] (id est, *tertio regni anno principis Marciani*) **93** regina moritur Pulcheria mense Julio (72) [r]. 453

A

[a] Multa de hoc Attiliano bello apud Paulum Diaconum, lib. XV, et Jornandem, n. 60. Præterea in Actis fusioribus sancti Lupi episcopi Tricassini die 29 julii non pauca invenies de provinciis ab Attila vastatis, de urbibus direptis aut etiam excisis. Quæ omnia pleraque alia collegit Hadrianus Valesius, tom. I Rerum Francic., lib. IV.

[b] Gregorius Turonicus Mauriacos vocat hos campos. Utrumque nomen habuerunt, teste Jornande, n. 6. De eorum situ vide notam 67.

[c] In Chronico Parvo ita legitur: *Cum gente ejus ducis gens regis Theodori*, etc.: puto germanam lectionem fuisse: *Cum gente Aetii ducis et regis Theodoris, quibus*, etc.; nam confligere *cum gente* dicimus, non autem confligere *genti*.

[d] Idatius Gothos tantum Aetii in hoc prælio socios numerat. Sidonius insuper Francos cum Attila fuisse diserte tradit. Itaque improbabilia narrant Pagius et alii scriptores Galli, qui Meroveum Francorum regem cum suis Aetio adhæsisse, eosdemque reportatæ de Attila victoriæ partem magnam vel etiam præcipuam fuisse jactant. Vide notam 68.

[e] De Theodoris morte, regno atque filiis, nonnulla dabo nota 69.

[f] Enormis visus est aliquibus occisorum hic numerus. Apud auctorem Miscellæ et Jornandem ad cc millia non ascendit. Isidorus Idatium exscribit.

[g] Istic dies corrigendus est, ut ad annum 462 docui, et ex Petavio pro V Kal. reponendum VI Kal. esse monui. Hic autem solis defectus novum suppeditat nobis argumentum, quo librariorum negligentiam demonstremus. Incredibile enim est Idatium, qui accuratissime annos eclipsium adnotavit, hanc Valentiniani anno 28, Christi 452 subjecisse. Itaque anno 27 Valentiniani, Christi vero 451 eam consignavit.

[h] Vereor ne *præcedentis Paschæ* Idatius scripserit; nam si hoc ad consequentem annum pertineret, utquid præsenti anno illud subdidisset? De Eufronio nonnulla dicam nota 67.

C [i] Theodores, ait Jornandes, *quatuor filiis domi dimissis, Frederico et Turico* (lege Eurico) *Rotem ro et Himmerit, secum tantum Thorismund et Theodoricum participes laboris assumit*, id est, secum duxit in bellum contra Attilam. His docemur Thorismundum ætatis prærogativa patri ex electione tamen successisse. Regnum illi delatum est inter fremitus exsultationesque militum; nam eodem ipso tempore, ut narrat Jornandes, n. 6, Theodori *adhuc justa solventes Gothi*; *armis insonantibus, regiam deferebant Thurismundo majestatem*. Hic observa, hunc qui Thorismo est Idatio, Thorismodum Prosper, Thorismund Jornandes, Isidorus Thurismundum appellant.

[j] Nunquam alias nisi numeralibus tantum notis annos principum designat Idatius. Unde neque annum 1 Marciani, expressis id genus verbis, adnotasse videtur: alioquin in tanta luce annus ille 1 effugere non potuisset librariorum oculos, ut sane effugit, quandoquidem designatum eum in Chronico non reperimus. Ergo ista subdititia sunt atque hoc et consequentibus annis expungenda erant, repositis numeralibus notis. At notas ego reposui, sed verba etiam servavi, ne antiquis Editionibus quidquam detraherem.

B [k] Ex his apparet, bellum hoc anno cum Hunnis et in Pannonia et in Italia gestum fuisse auspiciis Marciani.

[l] Immanis generis humani hostis Attila non tam armis militum quam cœlesti vi victus et interfectus est, ut indicat Idatius. Vide notam 70.

[m] Comes erat Mansuetus Hispaniarum, qua hæ Romanis parebant.

[n] De hoc Frontone iterum Idatius anno 456. Arvernus erat, laudaturque a Sidonio, lib. IV, epist. 21.

[o] Tyro Prosper sub consulibus ins quentis anni inquit: *Apud Gothos intra Gallias consistentes inter filios Theodori regis, quorum Thorismodus maximus natu patri successerat, orta dissensio est. Et cum rex ea moliretur quæ et Romanæ paci et Gothicæ adversarentur quieti, a germanis suis, quod noxiis dispositionibus irrevocabiliter instaret, occisus est*. Gregorius, Hist. Franc. l. II, c. 7, narrat Thorismundum Alanos bello domuisse.

[p] De anno mortis Thorismundi agam nota 71.

[q] E regione anni 3 Marciani exhibent libri editi annum Abrahami 2470: nimirum, aucto numero annorum principum supra § *Theodosius imperator*, consequens fuit, ut citius quam par erat ad eum Abrahami annum perveniretur.

[r] Divam Pulcheriam diem suum obiisse hoc anno

IMPER. OL. A. C.

Per Fredericum Theudorici regis fratrem Bacaudæ Tarraconenses cæduntur ex auctoritate Romana [a].

In Gallæcia terræmotus et in sole signum in ortu, quasi altero secum concertante, monstratur.

XXX. IV. Abrahami II.CCCCLXX. 454

[b] Aetius dux (73) et patricius, fraudulenter singularis accitus, intra palatium manu ipsius Valentiniani imperatoris occiditur [c]. Et cum ipso per spatarium ejus aliqui singulariter intromissi jugulantur honorati.

94 His gestis legatos Valentinianus mittit ad gentes, ex quibus ad Suevos venit Justinianus. III.

XXXI. V. [d] Per duos barbaros Aetii familiares [e] Valentinianus Romæ imperator occiditur in Campo [f], exercitu circumstante, anno ætatis suæ XXXVI [g] et regni XXXI. Post quem mox Maximus ex consulibus XLIII Romæ Augustus appellatur. Qui cum, imperator factus, relictam Valentiniani sibi duxisset uxorem, et filio suo ex priore conjuge Palladio, quem Cæsarem fecerat, Valentiniani filiam (74)[h] in conjugium tradidisset, magnorum motuum, quos verebatur, perturbatione distortus, et quia in occisorum per Valentinianum, et in ipsius interitum Valentiniani, ambitu regni consilia scelesta patrata contulerat, cum imperium deserere vellet [i] et Romam, 95 vix quatuor regni sui mensibus expletis, in ipsa Urbe tumultu populi et seditione occiditur militari (75) [j]. 455

Ipso anno in Galliis Avitus, Gallus civis [k], ab exercitu Gallicano et ab honoratis primum Tolosæ [l], dehinc apud Arelatem [m], Augustus appellatus, Romam pergit et suscipitur [n]. IV.

I. (76) [o] Romanorum XLIII [p], Marcianus [q] 98 quinto jam regni sui anno obtinet monarchiam.

Vincomalo et Opilione consulibus, testantur etiam A Marcellinus et Chronicon Alexandrinum. De mense cardinalis Norisius et Pagius immerito ab Idatio dissentiunt. Vide notam 72.

[a] Quia auspiciis Romani imperii non autem Gothico nomine hoc bellum gessit Fredericus, ideo auctoritate Romana Bacaudas cecidisse dicitur.

[b] Hoc loco has excidisse notas XXX. IV, designantes trigesimum annum Valentiniani et quartum Marciani, ostendam nota 73, neque mihi religio fuit eas huc revocare, licet in reliquis Editionibus omittantur.

[c] Procopius, lib. I de Bello Vandal., narrat, Valentinianum, deceptum ab Eunuchis (unum tantum Heraclium exprimit Prosper sub consulibus hujus anni, ejusdemque meminit Marcellinus sequenti consulatu), credidisse Aetium sibi insidias struere. Fraudis hujus auctorem accusat Maximum; quod etiam infra innuit Idatius affirmatque expresse Marcellinus. Porro Sidonius, carm. V, 203, Aetium ejusque conjugem, quam Gethico et regio sanguine ortam affirmat, Gaudentio B filio imperium concupivisse prodidit. Joannis insuper tyrannidi Aetium favisse Prosper suo loco commemorat. Denique hoc eodem tempore, ut altera ex filiabus Valentiniani filio suo nuberet, instanter urgebat. Cætera Aetium virum fuisse bello et pace clarissimum quis neget?

[d] Libri editi sic habent : XXXI. *Quarto regni anno principis Marciani.* Verba hæc delevi et notam V addidi, quia ex dictis constat annum hic quintum Marciani Idatium ascripsisse.

[e] Hos Barbaros Optilam et Transtillam vocat Marcellinus; a quo nihil fere discrepat Jornandes de rerum et temp. Success.

[f] In campo Martio, ut expressit Marcellinus sub hujus anni consulibus.

[g] Incertus Cuspiniani levatum fuisse ait Maximum XVI Kal. Aprilis, et Marianus Scotus Valentinianum uno ante die occisum esse tradit, id est 16 Martii. Vixit igitur Valentinianus annos XXXVI, menses VIII, dies XV; agebat principatus annum 30 a C die X Kal. Novemb. præcedentis anni. Card. Norisius, Hist. Pelag. lib. II, cap. 13, minus exacte quam tantum decebat chronologum ista recenset, Idatius autem ex V non integris principatus mensibus duos annos I et XXXI fecit, quod præstitit etiam in Avito.

[h] Utram? Placidiam an Eudociam? Nemo explicat. Vide not. 74.

[i] In eamdem sententiam Sidonius, lib. II, cap. 13, de Maximo ait : *Quamdam potestatis immensæ vertiginem sub corona patiebatur. Nec sustinebat dominus esse, qui non sustinuerat esse sub domino.*

[j] Idem Sidonius, carm. VII, 441, de nece Maximi hæc scribit :

Interea incautam furtivis Vandalus armis
Te capit (*Roman*) infidoque tibi Burgundio ductu
Extorquet trepidas mactandi principis iras.

Ubi Burgundionis alicujus ductu sive manu periisse Maximum innuit. Aliter alii narrant. Not. 75.

[k] Nempe Avitus Arvernus erat.

[l] Sidonius, carm. VII, Theodoricum Visigothum Avito, cum hic Tolosæ in illius regia esset, auctorem fuisse narrat sumendi imperii, quod invitum suscepisse ait, ut illius regis ope atque auxilio reipublicæ subvenire posset. Sed par erat ut gener soceri ambitum tegeret, et cuncta sileret quæ Avitus egit ut a Gallicano exercitu Gothis consentientibus Augustus renuntiaretur. *Levatus autem* est (ut loquitur Anonymus Cuspinianeus) *die VI Id. Julias.*

[m] De hac Aviti nuncupatione Sidonius, carm. VII, 571, inquit :

Fragor atria complet
Ugerni, quo forte loco pia turba, senatus
Detulerat vim, vota, preces. Locus, hora, diesque
Dicitur imperio felix.

Ugernum autem castrum erat Arelatensium. Ideo Idatius Arelate Augustum renuntiatum esse ait.

[n] Avitum a Romanis susceptum, ut Idatius narrat, probat Panegyris ipsi dicta Romæ a Sidonio.

[o] Hæc nota I non initium novi anni, sed imperii Aviti designat. Nota 76.

[p] Tertium jam nunc numeratus est XLIII imperator.

[q] Perperam vulgati libri pro *quinto* præferunt *quarto anno*.

IMPER. OL. A. C.

Per Avitum, qui a Romanis et vocatus et susceptus fuerat imperator, legati ad Marcianum pro unanimitate mittuntur imperii.

Gaisericus sollicitatus a relicta Valentiniani, ut malum fama dispergit [a], priusquam Avitus Augustus fieret [b], Romam ingreditur, direptisque opibus [c] Romanorum, Carthaginem redit, relictam Valentiniani et filias duas et Aetii filium Gaudentium nomine secum ducens.

Suevi Carthaginienses regiones, quas Romanis reddiderant [d], deprædantur. Marcianus et Avitus concordes principatu utuntur imperii.

II. VI. [e] Per Augustum Avitum (77) Fronto comes **97** legatus mittitur ad Suevos. Similiter a rege Gotho Theudorico, quia fidus Romano esset imperio, legati ad eosdem mittuntur, ut tam secum quam cum Romano imperio, quia uno essent pacis fœdere copulati, jurati fœderis promissa servarent [f]. Remissis legatis utriusque partis, atque omni juris ratione violata, Suevi Tarraconensem provinciam, quæ Romano imperio deserviebat [g], invadunt. 456

De Erulorum gente (78) [h] septem navibus in Lucensi littore aliquanti advecti, viri ferme CCCC expediti, superventu multitudinis congregatæ, duobus tantum ex suo numero effugantur occisis. Qui ad sedes proprias redeuntes, Cantabriarum [i] et Varduliarum [j] loca maritima crudelissime deprædati sunt.

98 Legati Gothorum rursum veniunt ad Suevos. Post quorum adventum rex Rechiarius cum magna suorum multitudine regiones provinciæ Tarraconensis invadit [k], acta illic deprædatione et grandi ad Gallæciam captivitate deducta.

Mox [l] Hispanias rex Gothorum Theudoricus cum ingenti exercitu suo [m] et cum voluntate et ordinatione Aviti imperatoris [n] ingreditur. Cui cum multitudine Suevorum **99** rex Rechiarius occurrens, duodecimo de Asturicensi urbe milliario, ad fluvium nomine Urbicum [o] III Non. Octob. die, quarta [*Al.*, sexta] feria, inito mox 309

[a] Ita etiam narrant Marcellinus in Chronico, Jornandes, lib. de rer. et temp. Success., et Paulus diaconus, lib. XV, atque etiam alii.

[b] Hæc perspicue denotant, Idatium etiam nunc gesta anni 455 et 5 Marciani narrare; quibuscum 1 Aviti annum conjunxit, uti supra 1 Arcadii et Honorii cum 17 Theodosii copulavit. Sed de his actum est memorata nota 76.

[c] De hac urbis direptione Prosper: *Post XIV dies secura et libera scrutatione omnibus opibus suis Roma vacuata est, multaque millia captivorum, prout quique aut ætate aut arte placuerunt, cum regina et filiabus ejus Carthaginem abducta sunt.* Hæc Prosper, quæ auctor Miscellæ transcripsit lib. XV; regina Eudoxia, filiæ Eudocia et Placidia vocabantur.

[d] Isidorus in Hist. Suevor. Rechilam has provincias Romanis reddidisse tradit. Rechila autem anno 448 obiit.

[e] Ineunte novo anno civili, qui fuit æræ vulgaris 456, Idatius 6 Marciani annum et Aviti 2 (nam utriusque imperatoris annos conjungere, ubi primum se dat occasio, mos illius est) designavit. Et quidem hoc eodem loco annum 6 Marciani retinet Chronicon Parvum. Vide notam 77.

[f] Avitum non solum Marciani, sed aliorum quoque principum amicitias sollicite sibi quæsivisse, Theodorico juvante, clare ista ostendunt.

[g] Ex his evidenter colligitur, Idatium a § *Per Augustum Avitum* res gestas anno æræ communis 456 atque adeo 6 Marciani narrare incepisse. Sed et quæ narrat usque ad § *Mox Hispanias*, idipsum etiam evidentius demonstrant. Nam tot tantæque res confici non poterant a die X Julii anno 455, quo Avitus factus est imperator, ad finem illius anni. Itaque mirum est annum ipsius 2, qui totus cum 6 Marciani decucurrit, potuisse a librariis tanto post ad § *Rechiarius* transferri.

[h] De Erulis paucula nota 78.

[i] Antiqui scriptores Cantabros, Vardulos, Vascones dixere, non autem Cantabrias, Varduliás, Vasconias; hæc enim nomina deterioris sunt ætatis. Plinius, lib. III, cap. 3: *Ad Oceanum*, inquit, *reliqua vergunt, Vardulique ex prædictis et Cantabri.*

[j] Vardulorum civitas et portus Flaviobriga fuit. Idem Plinius, lib. IV, cap. 2. Flaviobrigam autem eam esse urbem quæ nunc Hispanis *Bilbao* dicitur, multorum opinio est.

[k] Rursus postquam Avitus imperator renuntiatus est, legati Gothorum veniunt ad Suevos, ut hos de irruptione in provinciam Tarraconensem arguerent. Sed nihil hac expostulatione profecerunt; imo Suevi eamdem provinciam secundo invasere. Hinc luce clarius ostenditur, duplicem hanc Gothorum legationem Suevorumque irruptionem, nisi cæcus penitus esset Idatius, in annum 455 post Aviti nuncupationem congerere nequivisse.

[l] Rerum gestarum hoc tempore hic ordo fuit. Desinente anno 455 concordia Marcianum inter ac Avitum stabilita, hic Frontonem legatum suum cum legatis Theudorici ad Suevos mittit initio anni 456. Sed Suevi, nulla datæ fidei ratione habita, Tarraconensem provinciam invadunt. Quod cum audivisset Theudoricus, secundam ad Rechiarum legationem direxit. Nihil tamen profecit, Suevique iterum in Tarraconensem irrumpunt. Interea annus 456 in autumnum vergebat, cum Theudoricus contra Rechiarium in Hispanias venit, uti narrat hoc loco Idatius.

[m] Eadem habet Isidorus in Hist. Gothor., eaque alligat anno 5 regni Theodorici. Annum autem 1 ipsius conjunxit cum anno 2 Marciani. Unde liquet hæc ascripta fuisse anno 6 Marciani ab Idatio, atque adeo anno 456. Jornandes in Geticis, n. 74, narrat Burgundionum reges Gundiacum et Hilpericum cum Theudorico in Hispanias venisse.

[n] Isidorus, laudato loco: *Theudoricus*, ait, *in Hispaniam cum ingenti multitudine exercitus, et cum licentia Aviti imperatoris ingreditur anno 5 regni.* Unde Theodoricus æquo jure Hispaniarum regnum a Suevis extorsisse sibique comparasse constat.

[o] Hodie *Orbigo* vulgo appellatur et ab Euro Asturicam respicit. Prælium istud ad oram Chronici Victoris Tunensis anonymus adnotator sed antiquus contigisse ait *in campo Paramo, juxta flumen Orbicum.* Unde duo colligimus: 1 flumen illud *Orbicum* et

certamine superatur. Cæsis suorum agminibus, aliquantis captis, plurimisque fugatis, ipse ad extremas sedes Gallæciæ plagatus vix evadit ac profugit.

Theudorico rege cum exercitu ad Bracaram extremam civitatem Gallæciæ pertendente V Kal. Novemb. die Dominico [a], etsi incruenta, fit tamen mœsta et lacrymabilis ejusdem direptio civitatis. Romanorum [b] magna agitur captivitas captivorum; sanctorum basilicæ effractæ, altaria sublata atque confracta; virgines Dei exin quidem abductæ, sed integritate servata [c]. Clerus usque ad nuditatem pudoris exutus; promiscui sexus **100** cum parvulis, de locis refugii sanctis populus omnis abstractus; jumentorum, pecorum, camelorumque horrore locus sacer impletus, scripta super Jerusalem ex parte cœlestis iræ [d] revocavit exempla.

[e] Rechiarius (79) ad locum, qui Portucale [f] appellatur, profugus, regi Theudorico captivus adducitur. Quo in custodiam redacto, cæteris, qui de priore certamine superfuerant, tradentibus se Suevis, aliquantis nihilominus interfectis, regnum destructum et finitum est [g] Suevorum.

Iisdem diebus Rechimeris comitis circumventione magna multitudo Vandalorum, **101** quæ se de Carthagine cum LX navibus ad Gallias vel ad Italiam moverat, regi Theodorico nuntiatur occisa per Avitum.

Hesychius tribunus legatus ad Theudoricum cum sacris muneribus [h] missus ad Gallæciam venit, nuntians ei, id quod supra, in Corsica cæsam multitudinem Vandalorum, et Avitum de Italia ad Gallias Arelate (80) [i] successisse. Orientalium naves Hispalim venientes per Marciani exercitum [j] cæsas nuntiat (81).

In conventus parte Bracarensis latrocinantium deprædatio perpetratur.

Ajulfus deserens Gothos in Gallæcia residet.

Suevi, qui remanserant in extrema parte Gallæciæ, Massiliæ filium nomine Maldram sibi regem constituunt.

Theudoricus Emeritam deprædari volens beatæ Eulaliæ martyris terretur ostentis.

XL. VII. **102** (82) [k] Avitus, postquam a Gallis et a Gothis factus fuerat imperator, caret imperio [l], Gothorum promisso destitutus auxilio [m] caret et vita. 457

In Orientis partibus VII anno imperii sui [n] moritur Marcianus.

Urbicum dictum, frequenti *u* in *o* et e converso facta commutatione; 2° Sepontiam Paramicam Ptolomæi in hoc fuisse tractu ab urbe quæ nunc *Miranda de Duero* dicitur, satis dissitam.

[a] Dies ista 28 Octob. in Dominicam, et dies 5 ejusdem mensis, de qua paulo antea in feriam quartam inciderunt anno 456. Quare nullum dubium relinquitur Idatium acta hujus anni nunc persequi, recteque supra annum 6 Marciani et 2 Aviti inscriptos esse.

[b] Scilicet Gallæcorum, qui sub Romanorum imperio aut protectione erant.

[c] Gothorum pudicitiam mirifice laudat Salvianus, lib. VI de Providentia.

[d] Daniel. IX, 24; Matth. XXIV, 15.

[e] Non nisi per summam librariorum inscitiam aut negligentiam fieri potuit, ut istuc annus 2 Aviti translatus fuerit. Vide notam 79.

[f] Ad Durii ripam propeque illius ostium castrum hujus nominis unicum erat Idatii tempore; nam si duplex fuisset, utique distinxisset, ut sciremus quodnam illorum fuit ad quod devenerat Rechiarius. Procedente vero tempore, novum castrum erectum est Portucale etiam dictum a *Cale* vico utrique vicino. Postremum hoc episcopali sede cohonestatum, antiquum episcopo Conimbricensi subjectum fuit, ut constat ex divisione sedium episcopalium, quæ sub nomine concilii Lucensis fertur. Hinc itaque apparet ascendentibus a mari per Durium, castrum novum ad lævam, ubi nunc est civitas Portuensis, vetus autem ad dextram occurrere, atque huc, quia eo tempore unicum erat, appulisse Rechiarium.

[g] Isidorus, in Historia Gothorum sic ista legit: *Pro majori parte destructum est finitumque Suevorum regnum*; in Historia vero Suevorum: *Pene destructum est finitumque.* An perdita sunt in Idatio illa *pro majori parte*, aut illud *pene?* Sane Suevorum reges et regnum toto deinceps Chronico legimus.

[h] Sacra vocat, quia missa ab imperatore.

[i] Observare hoc loco maxime oportet ordinem quem tenet Idatius in his quæ hoc anno gesta sunt narrandis. Nam ex eo quivis intelligere poterit, res ea continuatione et tenore processisse quo ab Idatio narrantur. Atque inde ulterius certi aliquid de tempore quo Avitus ab imperio dejectus est eliciemus. Vide notam 80.

[j] Tam inepte librarii hunc locum immutaverunt, ut nullus in eo sensus sit. Quare ex Fragmento secundo Hispaniæ illustratæ sic legendum existimo: *Orientalium naves Hispalim venientes pro Marciano exercitum cæsum nuntiant;* nimirum Gaiserici exercitum, qui in Corsicam descenderat. Vide not. 81.

[k] Chronicon a Sirmondo editum hunc locum ita exprimit: III. *Avitus tertio anno postquam a Gallis*, etc. At Henricus Valesius, qui manuscriptum Sirmondi viderat, ita in eo legi testatur in notis ad lib. II Evagrii, cap. 7: *Tertio anno Avitus, septimo mense postquam a Gallis*, etc., atque hanc lectionem in Editione sua offert doctissimus Florius. At germanam lectionem hanc esse, quam nos damus, demonstrabitur nota 82.

[l] Exutus purpura a Rechimere, ut dictum est nota 80. An ad Avitum dejiciendum decretum senatus exquisierit Rechimer? Valde dubito.

[m] Avitum ordinatum fuisse Placentiæ episcopum post imperii abdicationem, tradunt Gregorius Turonensis et Victor Tunensis, qui multis post annis vixerunt. Coævi autem scriptores de Aviti episcopatu non meminere; quinimo Idatius, dum Aviti in Gallias adventum et legationem ab eo ad Theudoricum missam narrat, hujusmodi episcopatum negare mihi certo videtur. Vide notam 83, n. 5.

[n] Marcianus imperium tenuit a die 24 aut 25 Augusti anni 450 ad initium Februarii anni 457. Itaque recte Marcellinus regnasse eum ait annos VI, menses VI, nisi quod pauculos dies præteriit; Idatius more suo aliter numerat, ut sæpe dictum est.

IMPER. OL. A. C.

Romanorum XLIV Majorianus in Italia et Constantinopoli Leo [a] Augusti appellantur.

I. [b] Theudoricus (83) adversis sibi nuntiis territus, mox post dies Paschatis, quod fuit II [c] Kal. Aprilis **103** de Emerita egreditur, et Gallias repetens, partem ex ea quam habebat multitudine variæ nationis [d], cum ducibus suis ad campos [e] Gallæciæ dirigit. Qui dolis et perjuriis instructi, sicut eis fuerat imperatum, Asturicam (quam jam prædones ipsius sub specie Romanæ ordinationis [f] intraverant) mentientes ad Suevos, qui remanserant, jussam sibi expeditionem, ingrediuntur pace fucata solita arte perfidiæ. Nec mora, promiscui generis reperta illic cæditur multitudo; sanctæ effringuntur ecclesiæ, altaribus direptis et demolitis, sacer omnis ornatus et usus aufertur. Duo illic episcopi inventi **104** cum omni clero abducuntur in captivitatem; invalidior promiscui sexus agitur miseranda captivitas, residuis et vacuis civitatis domibus datis incendio. Camporum loca vastantur (84) [g], Palentina civitas simili, quo Asturica, per Gothos periit exitio. Unum Coviacense [h] castrum tricesimo de Asturica milliario a Gothis diutino certamine fatigatum, auxilio Dei hostibus et obsistit et prævalet. Quamplurimis ex eorum manu interfectis, reliqui revertuntur ad Gallias. II.

Ajulfus, dum regnum Suevorum spirat, Portucale moritur [i] mense Julio.

Suevi in partes divisi pacem ambiunt Gallæciarum [j]. E quibus pars Frantanem, pars Maldram [k] regem appellant. Solito more perfidiæ, **105** Lusitaniam deprædatur pars Suevorum Maldram sequens. Acta illic Romanorum cæde prædisque contractis civitas Ulyxipona sub specie pacis intratur.

II. [l] Frantanes (85) moritur per Pascha et Pentecosten. Jubente Maldra, Suevi in solitam perfidiam versi regionem Gallæciæ adhærentem flumini Durio deprædantur. Quinto [m] Idus Junias die IV feria, ab hora quarta in horam sextam, ad speciem lunæ quintæ vel sextæ sol de lumine orbis sui minoratus est. 458

[n] Gothicus exercitus, duce suo Cyrila a Theudorico rege ad Hispanias missus, mense Julio succedit [o] ad Bæticam. Legati Gothorum et Vandalorum pariter ad Suevos [p] veniunt et revertuntur. III.

[a] Utrumque hoc anno imperium adeptum fuisse, Marcellinus et Cassiodorus aliique testantur. Majorianus, ut ait incertus Cuspiniani, *levatus est Kal. Aprilis*; Leo VII Idus Febr., teste Chronico Alexandrino.

[b] Tantum Leonis et Majoriani epocham designat hæc nota I; chronologiam vero regit illa, quæ supra ascripta est ad tertium Aviti annum. Vide notam 83.

[c] In vulgatis libris legitur V *Kal.*; correxi II *Kal.*, non tantum quia Pascha hoc anno 31 Martii celebratum est, nam potuisset ex oblivione errare, sed quia verosimilius est librarium ex hac nota II, quam Idatius, hanc aliam V fecisse. Insuper in vulgatis legitur *Paschæ quod*; correxi ex grammaticæ regulis *Paschatis*, quo nomine utitur infra Idatius § *Frantanes*.

[d] Burgundiones cum Theudorico in Hispanias venisse adnotavi supra ex Jornande.

[e] *Ad campos* ait, vel quia Suevi aperta tantum planaque loca possidebant, vel potius quia ad tractum illum, quem nunc *Tierra de Campos* dicimus, milites suos direxit Theudoricus. Campi siquidem Palentini ab Orosio laudantur lib. VII, cap. 40, ubi tamen pro *Palatinis campis*, *Palentinis* cum Livio, aut *Palantinis* cum Strabone, legendum est.

[f] Quod jam alias dictum est, Gallæci, qui anno 409, irruentibus in provinciam Barbaris, in loca tutiora se receperunt, sub Romanorum nomine etiam nunc censebantur; quod significavit paulo antea Idatius, dum Bracaræ magnam *Romanorum captivitatem* factam fuisse affirmat. Sed ergo causæ fuit cur Asturica, Palentia, aliaque oppida Gothos, qui pro Romano imperio atque ex imperatoris ordinatione bellum gerere præseferebant, intra mœnia receperunt.

[g] Theudoricus ob Aviti ab imperio dejectionem in Gallæcos, qui partes Romanorum sequebantur, desævit. Vide notam 84.

[h] Anno æræ Christianæ 1050 habitum est concilium in castro Coyacensi, quod aliud non est quam cujus hic meminit Idatius. Situm est in agro Ovetensi, vulgoque nunc *Valencia de D. Juan* appellatur.

[i] Ajulfum neque præpositum Suevis a Theudorico neque hujus imperio occisum fuisse (quod tradit Jornandes, n. 74 in Geticis) apparet ex his quæ Idatius testis oculatus scribit. Nam Ajulfus, antequam Theudoricus a provincia discederet, Gothos deseruit; et mortuus, non autem interfectus hic dicitur. Ipsum regno inhiasse non dissimulat Idatius; attamen ambire potuit regnum sine Theudorici injuria, qui Suevis potestatem fecerat eligendi sibi regem.

[j] Nempe Gallæcorum, qui libertate gaudebant, neque Barbaris subjiciebantur.

[k] Maldræ electionem anno superiore consignavit Idatius; sed aliquanto post, dissensione orta inter Suevos, nonnulli alium sibi regem, scilicet Frantanem constituunt. Rem dilucide exposuit Isidorus in Hist. Suevor., ubi hæc scribit: *Suevi Maldram Massiliæ filium sibi regem constituunt. Mox bifariam divisi pars Frantanem, pars Maldram regem appellant.*

[l] Hic ex § sequenti annum 2 Majoriani et Leonis retraxi. Nota 85.

[m] V *Kal. Junias* non autem V *Idus* scribendum esse docent Petavius et Ricciolus, et nos alias monuimus.

[n] Libri editi annum hic 2 Majoriani exhibent vitio librariorum; nam Idatius hanc notam supra, ut demonstratum est nota 85, ad § *Frantanes* consignavit.

[o] Hinc rursus intelligimus, Idatium acta anni 458 a § præcedente narrare exorsum fuisse, et illic quæ mense Maio, hic quæ mense Julio gesta sunt, eodem anno tradere.

[p] Quo tenderent istæ legationes, quid Gothi, Vandali et Suevi molirentur, eventus ipse docuit. Omnes enim communi consilio in Romanos arma verterunt, quos privatis odiis dissidiisque inter se certantes, facillime vinci posse animadverterant. Theudorici tunc odium in Suevos exstinctum erat, occiso aut mortuo Avito, cujus causa in eos bellum susceperat, atque interfecto Rechiario, quem licet affinem privatim oderat ob ea quæ narrat Jornandes in Geticis, n. 73.

IMPER. — OL. — A. C.

III. **106** Theudoricus cum duce suo Sunierico exercitus sui aliquantam ad Bæticam dirigit manum. Cyrilla revocatur ad Gallias. Suevi nihilominus Lusitaniæ partes cum Maldra, alii cum Remismondo [a] Gallæciam deprædantur. 459

Eruli maritima conventus Lucensis loca nonnulla crudelissimé invadunt, ad Bæticam pertendentes.

Maldras germanum suum fratrem interficit, et Portucale (86) [b] castrum idem hostis invadit.

Inter Suevos et Gallæcos, interfectis aliquantis honestis natu, malum hostile miscetur.

Legati a Nepotiano [c] magistro militum **107** et a Sunierico comite missi veniunt ad Gallæcos, nuntiantes, Majorianum Augustum et Theudoricum regem firmissima inter se pacis jura sanxisse, Gothis in quodam certamine [d] superatis (87).

IV. Maldras, in fine (88) Februarii [e] jugulatus, merito periit interitu. 460

Per Suevos Luco habitantes in diebus Paschæ Romani aliquanti cum rectore suo honesto natu repentino (securi de reverentia dierum) occiduntur incursu.

Mense Maio, Majorianus Hispanias ingreditur imperator. Quo Carthaginensem provinciam pertendente, aliquantas naves, quas sibi ad transitum adversus Vandalos præparabat, de littore Carthaginensi [f] commoti Vandali per proditores abripiunt. **108** Majorianus, ita a sua ordinatione frustratus, ad Italiam revertitur.

Pars Gothi exercitus, a Sunierico et Nepotiano comitibus ad Gallæciam directa, 310 Suevos apud Lucum deprædantur [g]; quæ Dictinio, Spinione et Ascanio delatoribus, spargentibusque ad terrorem propriæ venena perfidiæ [h], indicata [i] recurrit ad suos. Ac mox iisdem delatoribus quibus supra, Frumarius, cum manu Suevorum quam habebat impulsus, capto Idatio episcopo VII Kal. Augusti in Aquæflaviensi [j] ecclesia, eumdem conventum grandi evertit excidio.

Remismundus vicina pariter Auregensium [k] loca et Lucensis conventus maritima populatur.

Inter Frumarium et Remismundum oritur de regni potestate dissensio.

109 Gallæcorum et Suevorum pacis quædam umbra conseritur.

A Theudorico legati ad Suevos veniunt et revertuntur.

[a] In Historia Suevorum divi Isidori Recchimundum et Remismundum reperimus. Sed cum neque in omnibus illius Historiæ exemplaribus, neque in Idatio Recchimundi nomen unquam legatur, unicum tantum eumque Remismundi nomine Suevorum regem fuisse hoc tempore puto. In aliquibus præterea Gothicæ Historiæ ejusdem Isidori Editionibus Remismundus dicitur *Maldræ filius;* at in Labbeana hæc verba desunt, et Idatius diversarum partium reges Maldram et Remismundum facit. Ideo verius existimo Remismundum non fuisse Maldræ filium.

[b] Penes Gallæcos hoc castrum eo tempore fuisse existimo. Not. 86.

[c] Nunc primum apud Gothos comites et magistros militum lego. An reipsa tales erant Nepotianus et Suniericus? an Idatius a Romanis hos titulos in eos transtulit? Sane Sunienicum Gothum fuisse non dubito. Et licet Nepotiani nomen Gothicum non sit, sub Theudorico militasse testatur infra Idatius; attamen adhæsisse Gothis potuit post Aviti interitum, sicut etiam Sunienicus, atque hic comitivæ, ille magisteriæ honorem, quem apud Romanos adepti erant, inter Gothos retinuere. Ostrogothus Theodoricus hujusmodi honoris gradus paulo post in Italicum suum regnum invexit; apud Visigothos non nisi longe serius invenimus.

[d] Ubinam gestum sit hoc bellum, in quo Gothi a Romanis victi sunt, non exprimit Idatius. In Gallia pugnatum inter utrosque fuisse ex Sidonio colligitur. Not. 87.

[e] Ex tempore quo Maldram regnasse constat, liquet Idatium ista ad annum Abrahami 2476 retulisse, qui cum anno æræ vulgaris 460 concurrit. Not. 88.

[f] De littore, non de portu Carthaginensi abreptas a Vandalis naves fuisse ait Idatius. Atqui littus longius se extendit, ad oram scilicet maritimam totius provinciæ. Quamobrem verum esse existimo quod Marius Aventicensis pressius scribit, dum ait prope Ilicem ista contigisse. Porro in illa ora promontorium est, cujus nullam apud antiquos geographos mentionem invenio; nunc autem nostratibus *Cabo de Santa Pola* dicitur, duplicemque præbet stationem, alteram ad ortum, ubi Alona, alteram ad occasum, ubi castrum est et viculus vulgo *Lugar nuevo*, utramque satis navibus fidam atque opportunam.

[g] In Editione Veneta, anno 1728, hæc ita in Ms. reperiri adnotatur: *Suevos apud Lucum deprædatur habitantes*, etc., quam lectionem germanam Idatii esse puto. Habetur id in præfatione, tom. II Oper. Sirmondi.

[h] Apparet Dictinium, Spinionem et Ascanium homines fuisse perfidos, qui nunc Suevos, nunc Gallæcos prodiderunt, illos Gothis, hos Suevis.

[i] Suspectum mihi est verbum illud. In Sandovalii Idatio lacuna hoc loco cernitur.

[j] Quod in Aquiflaviensi ecclesia inventus fuerit Idatius a Frumario et ad eamdem post tertium mensem redierit, illius Ecclesiæ episcopum fuisse affatim declarat.

[k] An quos hic Auregenses vocat Idatius iidem illi sunt qui in lapide Aquiflaviensi Aobrigenses dicuntur? Sane nomen non multum abludit. Et si Auregensium civitas eadem est ac quam nunc *Orense* vulgo dicimus, et ad conventum Lucensem procul dubio pertinuit, et ponti Aquiflaviensi construendo, ob vicinitatem, opem ferre et potuit et debuit. Joannes Biclarensis anno 7 Leovigildi meminit etiam montes Aregenses.

IMPER. OL. A. C.

Suniericus Scalabim [a], cui adversabatur, obtinet civitatem.

Idatius, qui supra, tribus mensibus captivitatis impletis, mense Novembri [b], miserantis Dei gratia, contra votum et ordinationem supradictorum delatorum [c], redit ad Flavias [d].

De rege Theudorico legati gentis perfidæ [e] revertuntur.

Gaisericus rex a Majoriano imperatore per legatos postulat pacem [f].

V. **110** [g] Majorianum de Galliis Romam redeuntem et Romano imperio vel nomini res necessarias ordinantem Rechimer, livore percitus et invidorum consilio fultus, fraude interficit circumventum [h]. 461

Romanorum XLV Severus a senatu Romæ Augustus appellatur [i], anno imperii Leonis quinto.

VI. I. [j] Suniericus redit ad Gallias. Nepotianus, Theudorico ordinante, Arborium accipit successorem. 462

In provincia Gallæciæ prodigiorum videntur signa diversa. Æra D, VI Nonas Martias, **111** pullorum cantu ab occasu solis, luna in sanguinem plena convertitur. Idem dies sexta feria fuit (89) [k].

Antiochia major Isauriæ (90) [l] inobediens monitis salutaribus [m], terra dehiscente demergitur [n], tantum ipsius civitatis aliquantis, qui ea, obaudientes timori Domini, sunt secuti, de interitu liberatis turrium etiam solis cacuminibus exstantibus super terram.

Gaisericus Valentiniani relictam Constantinopolim remittit (91) [o]. Filiæ suæ, una Gentoni [p], Gaiserici filio (92), alia Olybrio, senatori urbis Romæ, jure matrimonii copulantur. III.

Agrippinus (93) [q] Gallus et comes et civis Ægidio comiti, viro insigni, inimicus, ut Gothorum mereretur auxilia, Narbonem tradidit Theudorico.

VII. II. [r] Adversus Ægidium comitem utriusque **112** militiæ virum, ut fama commendat, 463

[a] Scalabis nota nunc est Lusitaniæ civitas sub nomine *Santarem*. Ptolemæo colonia, Plinio municipium civium Romanorum fuit.

[b] Annon clarissime ostendit nunc Idatius, se a Januario, non autem ab Octobri annum auspicari. cum a mense Augusto ad Novembrem transeat sub eadem nota chronologica qua 4 annum Majoriani designavit?

[c] Dictinium, Spinionem et Ascanium intelligit, Idatio, ut apparet, maxime infestos.

[d] Morales et Mariana *Flavias* in Iriam Flaviam commutaverunt, decepti a Roderico Toletano, qui, dum hæc narrat, Flaviam pro *Aquis Flaviis* scribit. Isidorus etiam non Aquas Flavias sed urbem Flaviensem nominavit. Morales et Mariana Idatium non viderant.

[e] Suevorum scilicet gentis.

[f] Gaisericus equidem expeditionem Majoriani in Africam, direpta illius classe in littore Carthaginensi, disturbaverat; sed tamen fortem strenuumque imperatorem subvereri cœperat, ideoque pacem ab eo postulat.

[g] Vulgati libri hoc in loco notas præferunt duas V et I, annum Leonis quintum et primum Severi significantes. Verum Idatii perpetuus mos est ut nullius principis annos adnotet, quin prius ejusdem inaugurationem enuntiet. Atqui ita res ipsa postulat; cum agnoscere nequeat lector cujusnam principis epocham denotet novus numerus, si nondum novus princeps in Chronico apparuit. Præterea cunctis retro principibus adjudicavit Idatius annum illum quo vita functi sunt, etiamsi initio ejus excesserint. Igitur unicam hanc notam V hic affixit, annum quintum Leonis et Majoriani significantem, qui labente anno obiit.

[h] Anonymus sæpe laudatus, sub consulibus hujus anni: *Majorianus depositus est a patricio Ricimere Dertonæ* VI *Non. Aug., et occisus est ad fluvium Hyram* VII *Idus Augusti*. Cassiodorus eumdem annum, Marcellinus eumdem et annum et locum necis designat; diem neuter exprimit.

[i] De Severo idem Anonymus: *Levatus est imperator* XIII *Kal. Decemb.* Eidem huic anno alligant nuncupationem Severi Marcellinus et Cassiodorus, quam Ravennæ factam fuisse ait Marius Aventicensis. At Idatius res suo tempore gestas narrat, non ita nunc Marius.

[j] Ad 6 Leonis annum, quocum currebat æræ vulgaris 462, Severi annum 2 et Abrahami 2480 præferunt libri editi. Sed Severi annus 1 hic consignandus est, Abrahami vero 2480, secundo post anno, quod ex dictis supra consequitur.

[k] Ex hoc loco apparet, Idatii chronologiam a librariis fuisse perturbatam. Vide notam 89, ubi alia etiam invenies.

[l] Hæc dubio procul ita scripsit Idatius: *Antiochia majoris Syriæ inobediens monitis salutaribus.... aliquantis, qui ea (monita) obaudientes timori Domini*, etc. Vide not. 90, n. 1.

[m] Quæ monita dederit hoc tempore Antiochenis sanctus Simeon Stylita. Vide eamdem notam 90, n. 2.

[n] De anno quo hic terræ motus contigit, eadem nota, n. 3.

[o] Una cum Eudoxia Augusta remissa est Constantinopolim filia Placidia et quidem hoc anno, quod perperam negat Pagius. Vide notam 91.

[p] Alii Hunnerico, alii Trasimundo Eudociam, alteram Eudoxiæ filiam, nupsisse affirmant. Not. 92.

[q] De Ægidio et Agrippino agam nota 93.

[r] Explorate has notas hoc loco affinxi, licet eas omittant reliqui vulgati libri; nam, ut supra demonstravi, annus 1 Severi inscribendus fuit § *Suniericus redit;* cum ergo § *Nepotianus recedit*, qui multo post sequitur, adjectus sit annus 3 ejusdem Severi, nullibi melius quam isto loco consignari potest annus illius 2: præsertim cum Marius Aventicensis hoc Ægidii cum Frederico prælium sub consulibus Basilio et Viviano, qui hoc anno consulatum gesserunt, contigisse testetur. Quod si quis præcedenti § *Agrippinus* has notas ascribendas esse velit, non admodum contendam, si modo mihi assentiatur alteri ex his duobus §§ eas consignandas esse. Et sane potuit Narbona Gothis ab Agrippino tradi eodem hoc anno 463

IMPER. OL. A. C.

Deo bonis operibus placentem [a], in Armoricena provincia [b] Fredericus (94) frater Theudorici regis insurgens, cum his cum quibus fuerat superatus occiditur [c].

[d] Cum Palegorio, viro nobili Gallæciæ, qui ad supradictum fuerat regem, Cyrila legatus ad Gallæciam veniens, euntes **113** ad eumdem regem legatos obviat Remismundi. Qui regressi in celeri revertentem Cyrilam in Lucensi urbe suscipiunt. Post IV. cujus mox egressum de Gallæcia Suevi, promissionum ut semper fallaces et perfidi, diversa loca infelicis Gallæciæ solito deprædantur.

Per Theudoricum ad Suevos Remismundus [e] et Cyrila cum aliquantis Gothis, qui prius venerant, remittuntur Cyrila in Gallæcia remanente, Remismundo mox recurrente ad regem, inter Gallæcos et Suevos indisciplinata perturbatio dominatur.

Romanæ Ecclesiæ XLIV [f] præsidet episcopus Hilarus.

VIII. III. (95) [g] Abrahami II.CCCCLXXX. 464

Nepotianus recedit e corpore.

Frumario mortuo [h], Remismundus, omnibus Suevis in suam ditionem regali jure revocatis **114**, pacem reformat elapsam.

Mense Maio, supradicti viri Ægidii [i] legati per Oceanum ad Vandalos transeunt, qui eodem cursu Septembri mense revertuntur ad suos.

Decimo tertio Kal. Aug. die, II feria [j], in speciem lunæ quintæ, sol de lumine suo ab 311 hora tertia in horam sextam cernitur minoratus.

Legatos Remismundus mittit ad Theudoricum, qui similiter suos ad Remismundum remittit cum armorum adjectione vel munerum, directa et conjuge [k] quam haberet.

Vandali per Marcellinum [l] in Sicilia cæsi fugantur ex ea.

IX. IV. **115** (96) [m] Ægidius moritur (97) [n], alii dicunt insidiis, alii veneno deceptus. 465

Quo desinente, mox Gothi regiones invadunt quas Romano nomine tuebatur.

[a] Ægidii probitati alii etiam testimonium præbent. Quare falsum puto quod nonnullus de eo narrat, probante Pagio, per calumniam scilicet Agrippinum accusasse perduellionis apud imperatorem. Vide quæ dicta sunt nota 93.

[b] Ventum est ad pugnam, ut scribit Marius Aventicensis sub consulibus hujus anni, inter Ligerim et Ligericinum; cum autem Ligericinus seu Ligerulus *una tantum exigua leuca ab Aurelia oriatur, cursumque habeat paris longitudinis aut paulo majoris*, ut tradit Masson, de Fluminibus Galliæ, pag. 57, pugnatum fuisse dicimus duobus aut tribus milliaribus ab ea urbe. De hoc bello vide notam 94.

[c] Ita Frederici nomen expressi constantiæ causa, quia supra, anno 452 et 453, *Fredericus* legitur, non vero *Fridericus*, ut modo in Vulgatis legitur. Frater regis erat, non autem rex, ut falso narrat Marius Aventicensis. Fredericum *magnificum virum filium nostrum* appellat Hilarus papa, et litteras ab eodem accepisse significat in epistola ad Leontium Arelatensem.

[d] Sensus est : Cyrila a Theudorico ad Remismundum regem Suevorum legatus, cum Palegorio, qui ex Gallæcia ad Theudoricum *ierat* (sic enim legendum esse videtur, non autem *fuerat*), Tolosa profectus obvios habuit legatos, qui a Remismundo ad Theudoricum eodem tempore mittebantur. Hi legatione cito obita et Tolosa ad Gallæciam redeuntes, Cyrilæ, qui legatione itidem functus Tolosam properabat, in civitate Lucensi occurrunt, eumque in ipsa excipiunt. Nisi hæc ita interpreteris, vix ac ne vix quidem intelligere poteris.

[e] Gothum oportet fuisse hunc Regismundum, ut qui Gothorum regi Theodorico parebat. Sane distinctus omnino necesse est ut sit a Remismundo rege Suevorum.

[f] Hilarus XLVIII pontifex Romanus renuntiatus est, anno 461 exeunte.

[g] Hoc loco annus Leonis 8 adnotandus erat; sed cum librarius supra ad § *Adversus Ægidium* consignare omisisset annum 7, huc illum transtulit, eumque hic offerunt lectoribus libri editi. Vide notam 95.

[h] Frumarii mortem Isidorus in Hist. Suevor. æræ 502 adnectit. Quare dubitandum non est consignatum hic fuisse ab Idatio, Isidorumque consignatum reperisse eum principatus annum, qui Hispanam hanc æram et æræ communis annum 464 referret.

[i] Ægidium auspiciis suis, non vero imperatoris Severi auctoritate, provinciam seu partem illam Galliarum quam regebat, administrasse perspicue hæc ostendunt. Nec mirum si, cum vir esset egregius ac fortis, immani Rechimeris, qui insignes quoque viros conculcabat, tyrannidi sese submittere noluit.

[j] Ita quidem contigit ut anno 8 Leonis, vulgaris æræ 464, dies 20 Julii in feriam secundam inciderit, cum littera Dominica esset *E. D.* Eadem die solem obscuratum fuisse adnotavit Petavius in Rationario Temporum, p. II, lib. IV, cap. 13, et lib. VIII de Doctrina Temporum, pag. 818, ubi eumdem diem 20 Julii designat, non autem 22, ut male refert Pagius ad annum 464. Itaque certum nobis esse debet Idatium anno Abrahami 2480 et anno Leonis 8 ista alligasse.

[k] Conjugem Remismundo missam a Theudorico hujus filiam fuisse tradunt Mariana et alii. Verisimile sane est; verum, tacentibus Idatio atque Isidoro, affirmare non audeo.

[l] De Marcellino nonnulla ex Prisco protuli nota 94; de eodemque agam iterum nota 104. Natione erat Dalmata, et, ut ait Marcellinus in Chronico, patricius Occidentis atque paganus; tantaque crevit potentia, ut utrique imperio magno metui esset. Novis studuisse rebus indicat Procopius, lib. I de Bello Vandal. Apertius loquitur Sidonius, lib. I, epist. 11, dum ait : *Cum de capessendo diademate conjuratio Marcelliana coqueretur*. Sed valde vereor ne calumniam hanc passus sit a Rechimere, qui, teste Prisco, hominem pessime oderat.

[m] Hæ notæ annum 9 Leonis et 4 Severi significantes desunt in libris vulgatis. Nota 96.

[n] Chronicon Virdunense ait, *Childericus filius Merovei, expulso Ægidio duce Romanorum de regno atque interfecto, regnum invadit anno ab Incarnatione Domini* 466. At Gregorius Turonensis, lib. II, cap. 18, Rorico, lib. I de Gest. Francor., et Aimonius, non occisum, sed mortuum fuisse aiunt. Quod utique necesse est, ut de veneno, quod ait Idatius, rumor spargeretur; nam si in acie cecidisset, quodnam esse poterat de genere mortis dubium? Cætera quæ refert illud Chronicon discutiam nota 97. Quod re-

IMPER. OL. A. C.

Suevi, Conimbricam dolose ingressi, familiam nobilem Cantabri spoliant, et captivam abducunt matrem cum filiis. II.

Legati eodem anno duabus vicibus a rege Suevorum mittuntur ad regem Theudoricum. Ad quem et Arborius proficiscitur [a] evocatus.

X. [b] Reversi legati Suevorum obiisse nuntiant Severum **116** imperii sui anno quarto (98). Qui supra remittuntur ad Conimbricam. 466

Ajax, natione Galata [c], effectus apostata et senior [d] inter Suevos, regis sui auxilio hostis catholicæ fidei et divinæ Trinitatis emergit [e]. De Gallicana Gothorum habitatione hoc pestiferum inimici hominis virus advenit.

Suevi adversum Aunonensem sæviunt plebem. Qua de causa legati a Theudorico ad Remismundum mittuntur incassum, spretique ab eo mox redeunt. III.

XI. [f] De Constantinopoli a Leone Augusto **117** Anthemius frater [g] Procopii (99) cum Marcellino aliisque comitibus viris electis, et cum ingenti multitudine exercitus copiosi ad Italiam, Deo ordinante, directus ascendit. 467

Romanorum XLVI Anthemius octavo [h] milliario de Roma Augustus appellatur (anno Leonis imperii octavo [i], mense Augusto [j]). IV.

I. (100) [k] Expeditio ad Africam (101) adversus Vandalos ordinata [l] metabolorum [m] commutatione **118** et navigationis inopportunitate revocatur.

Per Theudoricum Sella [*Al.*, Salla] legatus mittitur ad Remismundum regem Suevorum, qui, reversus ad Gallias, eum a fratre suo Eurico reperit interfectum (102) [n].

Euricus, pari scelere quo frater, succedit in regnum [o]; qui honore provectus ac

---

giones ait Idatius Ægidium Romano nomine tutum A fuisse, non sic capias ut credas ipsum obedivisse tum Romano imperatori; neque enim ita est. Sed ita loquitur Idatius, quia Ægidius pro imperio se stare jactabat, licet principibus, quos illegitimos habebat, sese nollet subjicere.

[a] Sulpicius Severus et Fortunatus, in Vita sancti Martini Arborii cujusdam viri præfectorii meminere, qui hujus Arborii pater vel potius avus esse potuit; namque utrumque Aquitanum fuisse existimo.

[b] Hæc Idatii verba satis clare significant post annum 4 Severi ea Idatium scripsisse, alias is simpliciter dixisset: *Obiit Severus*, vel *Legati obiisse nuntiant Severum*. Ita enim debuit loqui, si mors Severi in annum quem decurrit incidisset. Quapropter nullibi melius Leonis annum 10 consignare possumus (siquidem chronologiam, quam ab anno illius 8 deseruit Idatius, continuare velimus) quam hoc post Severi mortem loco, quæ anno superiore certo contigit. Vide notam 98. Deinde cum ea quæ præcedenti § *Legati eodem anno* scribit Idatius ad annum Leonis 9 B et Severi 4 attinere demonstraverim nota 96, nunc si novus hic annus designandus est, non Leonis 9, sed 10, procul dubio est.

[c] An Galatam Ajacem vocat Græcorum more, cum Gallum eum esse significare velit? An potius Galatam dixit, id est Græcum, sicut in Vita sancti Epiphanii Ticinensis Ennodius Anthemium imperatorem Galatam appellat? Sane si ex Gallæcia originem duceret, Idatius Gallæcum eum nominasset, non Galatam. Quare perperam Orosius Gallæcum hunc facit. Illius omnes Hispani historici meminere, quia ab eo primum Suevorum gens Arianæ hæresis veneno infecta est, cum antehac immunis hujus labis puraque vel etiam inter Vandalos permanserit.

[d] Noluit eum presbyterum appellare.

[e] In manuscripto ita hæc scripta feruntur: *Ad Gallicanam Gothorum habitationem hoc pestiferum*, etc. Sed cum in historia Suevorum divi Isidori eodem C modo ista legantur, ac in Editione prima Sirmondiana retinenda est a summo viro scite adhibita emendatio.

[f] Cum hæc ad annum 467 pertineant, chronographi Cuspinianei, Marcellini, Cassiodori et communi scriptorum omnium testimonio conscribendus hoc loco fuit annus 11 Leonis, qui cum eo concurrit.

[g] Nullus dubito quin pro *frater Procopii* legendum sit filius Procopii. Vide notam 99.

[h] Tertio ab urbe milliario in loco Brontotas, ait Cassiodorus. Nec facile statuas utri potius credas Cassiodoro an Idatio.

[i] Prorsus afficta sunt Idatio hæc verba: *Anno Leonis imperii octavo*, ex quo ad Isidorum transierunt, ut mox dicam. Error inde ortus est quod Idatius octavum Leonis annum tantummodo in Chronico designavit, ut sæpe alias animadversum est. Librarius autem hæc addidit, ut memoriam lectoris juvaret, si forte oblitus fuerat Idatium etiamnum res gestas narrare anno Leonis 6; ipse enim ita existimavit, cum post annum hunc 8 nullum alium designatum in Chronico reperiret.

[j] Incertus Cuspiniani sub consulibus hujus anni: *Anthemius*, inquit, *levatus est imperator Romæ pridie Idus April*. De loco, ut vides, neque cum Cassiodoro neque cum Idatio illi convenit. Ab Idatio de mense etiam dissentit.

[k] Multiplici errore annum Leonis 9 cum 1 Anthemii conjunctum præferunt hoc loco libri editi; at in eo Anthemii annum 1, quem ipse labente Leonis 11 et vulgaris æræ 467 auspicatus est, consignandus tantum erat, uti in hac Editione factum vides nota 100.

[l] Parari cœpta est hoc anno expeditio in Africam; peracta tamen non est nisi anno sequenti. Vide not. 101.

[m] Isidorus in Glossario *metabulum* ait prosperam navigationem significare; et in hoc sensu, vel affini huic aliquo, scilicet pro tempestivo navigationi tempore *metabulum* sumit Idatius, quæ tamen vox mutationem alioquin aut conversionem Latine significat.

[n] Cædes Theudorici anno Leonis 11, Anthemii 1, æræ communis 467 contigit; nam illam Idatius subjicit Anthemii nuncupationi, quæ hoc anno certissime facta est. Proinde Theudoricus regnavit annos XIV, et quidem integros atque completos, attigitque etiam 15. Aliter numerat Isidorus. Vide notam 102.

[o] Nimirum quia sicut Theudoricus per Thorismundi fratris necem ad regnum ingressus est, ita etiam Euricus regnum usurpavit, illata a se nece Theudorico fratri.

crimine legatos ad regem dirigit Suevorum. Quibus sine mora a Remismundo remissis, ejusdem regis [a] legati ad imperatorem, alii ad Vandalos, alii diriguntur ad Gothos.

De Aunonensi plebe, cui Suevorum adversabatur hostilitas, Opilio cum viris **119** secum a rege profectis, et cum aliquantis qui cum ipso missi fuerant, revertitur.

Gothi, qui ad Vandalos [b] missi fuerant, supradictæ expeditionis rumore perterriti, revertuntur in celeri [c]. Pariter et Suevi, qui post legatos, more solito, per diversa loca in prædam dispersi fuerant, revocantur. Sed, paucis post mensibus, ipse rex Suevorum ad Lusitaniam transit.

XII. II. [d] Conimbrica in pace decepta [e] diripitur. Domus destruuntur cum aliqua parte murorum, habitatoribus captis atque dispersis, et regio desolatur et civitas. 468

Legati de Gothico reversi [f] *nuntiant* **120** portenta in Galliis visa aliquanta in conspectu [g].....: similem ipsi de continuo paruisse solem, alium visum..... solis occasu; congregatis etiam quodam die [h] concilii sui Gothis, tela, quæ habebant in manibus, a parte ferri vel acie, alia viridi, alia roseo, alia crocco, alia nigro colore naturalem ferri speciem aliquandiu [i] habuisse mutatam; medio Tolosæ civitatis, iisdem diebus, e terra sanguinem erupisse totoque diei fluxisse curriculo. 312

XIII. III. [j] Legatorum Suevorum [k] reditum aliquanta Gothorum manus insequens Emeritam petit. 469

121 Ulixippona a Suevis occupatur, cive suo, qui illic præerat, tradente Lusidio. Hac re cognita, Gothi, qui venerant, et Suevos deprædantur pariter et Romanos [l] ipsis in Lusitania (103) servientes.

Legati, qui ad imperatorem missi fuerant [m], redeunt nuntiantes sub præsentia sui [n]

[a] Dubium est ad quem ista *ejusdem regis* referatur, an ad Euricum, an potius ad Remismundum. Idatius dum de eodem rege ait ipsum legatos misisse ad imperatorem, ad Vandalos et ad Gothos de Remismundo loqui videtur; nam Gothus rex legatos ad se non mitteret. At Idatius paulo post legatos ad Vandalos Gothum misisse prodit. Idatiumque describens Isidorus, Euricum, statim ac regnum adeptus est, legatos ad Leonem imperatorem direxisse narrat. Quamobrem judico Isidorum hæc tantum in Idatio legisse: *Ejusdem regis* (Eurici) *legati ad imperatorem alii, ad Vandalos alii diriguntur*, et duo illa verba *ad Gothos* post Isidori ævum subdita fuisse et adjecta Idatio.

[b] En quod antea dicebam Gothorum regem Euricum legatos suos ad Vandalos misisse, atque adeo de illo intelligenda esse illa *ejusdem regis*.

[c] Hinc discimus: 1° expeditionem in Africam anno 467 apparari cœptam fuisse, famaque vulgatum classem in Vandalos eodem anno immittendam esse, quod supra observatum jam est; 2° non solum Vandalos sed etiam Gothos atque Suevos timore perculsos et animis suspensos fuisse, dum quem finem tantus belli apparatus habiturus sit exspectant.

[d] In vulgatis libris Leonis quoque 12 annus desideratur. Eum tamen atque etiam 13, qui pariter omissus est, adjeci, non quod illis opus esset ad chronologiæ continuationem, ut sane opus fuit 10 et 11, quando interregnum erat in Occidente; sed quia his et aliquot post annis Leo imperium tenuit, illudque ab initio adnotare cœperat Idatius.

[e] Conimbrica, Scalabis, Olisipo, item Lucensium, Auregensium et Aunonensium civitates et oppida in Lusitania et Gallæcia, a Gothis et Suevis per hæc tempora hostili invasione direpta argumento sunt multa etiamnum oppida sub Provincialium jure ac potestate fuisse.

[f] Cum magna ex parte hunc § exscribat Isidorus in Historia Gothorum, ostentum tamen de duplici sole, quod primis versibus narrare videtur Idatius, penitus ille omittit. Sed neque aliunde cætera, quæ desunt, supplere possumus, nisi hoc tantum verbum *nuntiant*, aut aliud simile, quod in Chronico scriptum fuisse res ipsa et grammatica docent.

[g] Livius, lib. XXVIII, cap. 11, Antii cruentas spicas et Albæ duos soles visos esse narrat anno Urbis 544. Simileque prodigium meminit Plutarchus in Marcello.

[h] Rodericus Toletanus, lib. II, cap. 10, et Morales, lib. XI, cap. 34, evenis e hæc aiunt Arelate; quod neque Idatius neque Isidorus prodiderunt. Decepit viros doctissimos idem Isidorus, qui ea narrat, postquam Arelatem et Massiliam ab Eurico captas fuisse commemoraverat, quod longo post hunc annum evenit. Sed ex verbis etiam ipsius Isidori aperte colligitur se, quoto Eurici anno portentum hoc contigerit, designare nolle, cum indiscriminatim scribat: *Iste quodam die*, et cætera quæ statim dabo.

[i] In Vulgatis est: *Aliquandiu non habuisse mutata*. Delevi voculam *non* evidentissime Idatio ingestam. Afflicta etiam fuit Isidoro in Historia Gothorum Editionis Labbeanæ; at in aliis ita legitur: *Iste* (Euricus) *quodam die congregatis in colloquio Gothis, tela, quæ habebant in manibus, a parte ferri vel acie, alia viridi, alia roseo, alia croceo, alia nigro colore naturalem ferri speciem vidit aliquandiu habuisse mutatam*. Ex quo in Idatio *mutatam* reposui, cum antea *mutata* legeretur.

[j] Deest in Vulgatis hæc nota XIII.

[k] Ad Gothos hi Suevorum legati missi videntur, quos ex Aquitania venientes insecuti dicuntur Gothi.

[l] *Euricus*, ait divus Isidorus in Historia Gothorum, *honore et crimine provectus, statim legatos ad Leonem imperatorem dirigit. Nec mora, partes Lusitaniæ magno impetu deprædatur*. Habes hic legationem Eurici ad Leonem imperatorem, quam supra dixi ab Isidoro commemorari; quod autem addit: *Nec mora, partes Lusitaniæ*, etc., secundo post anno, nempe isto, contigit. Nam Euricus post regni usurpationem sese continuit, nec bellum ciere ausus est, nisi postquam de infelici exitu expeditionis Romanorum in Vandalos certior factus est. Vide not. 103.

[m] Hæc rursus dubitare nos faciunt an supra de legatis ad imperatorem a rege Gothorum, an de missis a rege Suevorum loquatur Idatius; nam ii qui nunc rediisse dicuntur Suevi procul dubio erant.

[n] Erant igitur legati apud imperatorem anno 468, quo hæc acta sunt.

magnum valde exercitum [a] cum tribus ducibus [b] lectis adversum Vandalos a Leone imperatore descendisse, directo Marcellino (104) [c] pariter cum magna manu eidem per imperatorem Anthemium sociata; Rechimerum (105) generum Anthemii imperatoris et patricium factum [d]; Asparem (106) **122** [e] degradatum ad privatam vitam, filium ejus occisum, adversus Romanum imperium, sicut detecti sunt, Vandalis consulentes.

Hilaro defuncto sex sacerdotii sui annis expletis [f], XLV [g] Romanæ Ecclesiæ Simplicius episcopus ordinatur.

Aunonenses [h] pacem cum rege faciunt Suevorum; qui et Lusitaniæ et conventus Asturicensis quædam loca prædantes invadunt.

Gothi circa eumdem conventum pari hostilitate desæviunt, partes etiam Lusitaniæ deprædantur [i].

Lusidius per Remismundum, cum suis hominibus Suevis, ad imperatorem in legatione [j] dirigitur. II.

123 Durissimus extra solitum hoc eodem tempore annus hiberni, veris, æstatis, autumni, in aeris et omnium fructuum permutatione diffunditur.

Signa etiam aliquanta et prodigia in locis Gallæciæ pervidentur [k].

In flumine Minio, de municipio Lais milliario fere quinto, capiuntur pisces quatuor novi visu et specie, sicut retulere qui ceperant Christiani et religiosi, autem Hebræis et Græcis litteris [l], Latinis ærarum numeris insigniti, ita CCCLXV [m] anni circulum continentes, pari mensium intervallo. Haud procul de supradicto municipio, in speciem lenticulæ viridissimorum, ut herba quædam, forma **124** granorum plena amaritudine defluxit e cœlo. Et multa alia ostenta memorare prolixum est.

FINIS CHRONICI [n].

[a] De ingenti militum naviumque numero totaque expeditione, vide Baronium et Pagium ad hunc annum.

[b] Præter Basilicum et Heraclium, quos Procopius commemorat, tertium ducem, nisi is Marcellinus sit, non reperio. At alium a Marcellino fuisse significare videtur Idatius.

[c] Marcellinus ab ipsis quibus auxilio in Africam venerat Romanis in eadem Africa occisus est, si Marcellino comiti fidem habeamus. In Sicilia interfectum narrant Anonymus Cuspinianeus et Cassiodorus. Vide notam 104.

[d] Rechimer non isto, sed secundo retro anno, videlicet 467, Anthemii gener, iterumque Patricius factus est. Vide notam 105.

[e] Quæ ad Asparem pertinent, postquam absolutum est Chronicon, eidem certissime adjecta sunt sive ab Idatio, sive ab alio. Reliqua omnia Idatii esse videntur. Vide notam 106.

[f] Nescio quo pacto Pagius ad annum 457, n. 3, oblitus fuit sententiam suam de annis pontificatus Hilari expresso hoc Idatii auctoris coævi testimonio confirmare; præsertim cum nullum alium, cujus nomen cognitum sit, ætatis tantæ, quanta Idatio est, haberet, opinioque sua tot adversarios pateretur. Sed reipsa vera illa est, si credimus Idatio.

[g] Simplicius juxta Pagium laudato loco ordinatus est die 25 februarii, sexta a morte Hilari, anno 468, Romanus pontifex XLIX.

[h] Ubi Aunonenses constituti fuerint nondum scire potui. Intra conventum Lucensem fuisse vel juxta ipsum opinor.

[i] Hispanos, qui in Lusitania et Gallæcia libertatem suam tuebantur, sæpe alias vidimus a Gothis et Suevis oppugnari.

[j] Hinc deducitur Lusidium intra Olisiponis mœnia Suevos admisisse, ut eam urbem a Gothis defenderent, qui tunc Romanis infestiores erant quam Suevi. Ideo non veretur cum Suevis ad imperatorem accedere.

[k] Sigebertus, in Chronico ad annum 491, hæc aliter narrat; ait enim in flumine Minio captos fuisse pisces qui inscriptam habebant æram Hispanam quæ illum annum referebat, ac proinde æra 532 futura erat. Verum Idatius non epochæ alicujus certum annum, sed numerum dierum, quo quilibet annus solaris constat expressum præ se tulisse eos pisces affirmat. Vel ergo aliud portentum est quod narrat Sigebertus, vel si unum idemque est, ascita sunt hæc Idatio post absolutum Chronicon anno 25; aliter narrata hic sunt, ac in scripto illo, unde ea desumpsit Sigebertus. Quid litteræ Hebrææ, quid Græcæ significarent, non prodit Chronicon. Neque ego quid sibi illa velint *pari mensium intervallo* capio.

[l] Aliquid hinc excidisse videtur, ex quo suspensa et biulca mansit oratio. Id autem fortasse erat, quod Hebrææ atque Græcæ litteræ significabant, vel verba ipsa Hebræa atque Græca.

[m] Tria modo conjungit Idatius, vel si quis ista Chronico adjecit, æram, numerum et annum, quæ nisi aliquatenus distincta sint, male ipsum locutum fuisse necesse est. Igitur *ærarum* nomine significari hic puto notas numerales, quales apud Latinos sunt I, V, X, et quales apud nos sunt, quas cifras dicimus, 1, 5, 10.

[n] Garzonius ad calcem paginæ verba quæ sequuntur Hispano idiomate ascripsit: « Esta cita de Sigeberto esta tomada de Morales, lib. XI, cap. 38, en donde por hierro de Imprenta se pone la era 432; mas si era el âno de 494, la era no puede ser otra que la 532, porque esta es que corresponde â tal âno. »

127 NOTÆ IN IDATIUM.

Nota I, p. 51.

Caucam, quæ Livio Caucia est, inter Vaccæorum urbes numerant Plinius, lib. III, cap. 3, et Ptolemæus, in 2 Europæ tabula. Eam ibi fuisse ubi nunc Coca est affinitas nominis, et situs ipse suadet; nam si Antonini Itinerario credimus, XXIX milliario Segovia Palantiam tendentibus occurrit. Gallæciæ contributam fuisse Idatius, ut vides, et ex eo explicandur

Orosius, lib. v, cap. 7, testantur. Accinit Claudianus, carm. de laudibus Serenæ, Honorii, Theodosii fratris filiæ, ubi natale solum in ejus ortu lætitia exsultans depingit a versu 70, inquiens :

Te nascente ferunt per pinguia culta tumentem
Divitiis undasse Tagum, Gallæcia risit
Floribus, et roseis formosus Duria ripis
Vellere purpureo passim mutavit ovile.
Cantaber Oceanus vicino littore gemmas
Expuit.....

Hæc Serenam in Gallæcia natam innuunt, Caucæ nimirum, ubi familia Theodosii consederat. Alioquin, si Italicæ nata fuisset, Bætim atque Bæticam mareque Tartessiacum carmini suo inseruisset Claudianus, non vero Gallæciam, Durium et Oceanum Cantabricum. Durium, inquam ; nam si qui ea *roseis formosus Duria ripis* de Turia Edetanorum flumine interpretentur, credet his qui volet, mihi nunquam imponent. Qui enim fieri poterat ut poeta neque indiligens neque ineruditus ex Gallæcia, quam floribus ridentem depinxerat, Durio ipsius **128** provinciæ fluvio prætermisso, saltu se proriperet ad Turiæ ripas, nulla decori ratione habita? Durium autem Duriam dixit, uti antea Straboni dictus fuerat Dorias. Nec me quidquam movet auctoritas Melæ, apud quem Duria legitur, cum de Turia illi sermo ibi sit ; nam librariorum hic error est, quem Hermolaus, Pincianus, Schottus, et præter hos Petrus Joannes Oliverius atque etiam Petrus Joannes Hunnesius, uterque patria Valentinus et eruditione clarissimus, jam olim castigaverunt. Scio Claudianum non semel Honorii originem ad gentem Ulpiam referre, quæ Italicensis erat. Aurelius etiam Victor Theodosium ipsum a Trajano principe originem ducere affirmat. Esto ; sed non propterea Italicæ nasci debuit.

Nota II, p. 52.

Theophilus, anno 385, Alexandrinus creatus est episcopus XXIII, non vero XXI, ut ait Idatius, qui Eusebii in numerandis illius Ecclesiæ præsulibus ordinem secutus, non a sancto Marco, sed a Marci successore Aniano antistitum Alexandrinorum catalogum, sicut Romanorum a Lino, et Antiochenorum ab Evodio, non autem a sancto Petro exorsus est. Ad hæc ipse Idatius post Petrum, quem ultimum nominaverat Hieronymus, Timotheum prætermisit, qui Petro ante Theophilum successor datus est circa an. 380. Sancto itaque Marco atque hoc Timotheo additis Alexandrinorum patriarcharum numero, recte in eorum chronologia præfixa V tomo Sanctorum mensis Junii Jesuitæ Antuerpienses XXIII episcopum numerant Theophilum.

Nota III, p. 52.

Consulatu Syagrii et Eucherii, qui nomen fecerunt anno æræ vulgaris 381, hæc de Athanarico scribit Idatius in Fastis : *Ingressus est Athanaricus rex Gothorum Constantinopolim die III Idus Januar., eodem mense diem functus idem Athanaricus VIII Kal. Februar.* Eumdem annum ac mensem designat Marcellinus in Chronico; diem omittit. Porro pulcherrimus hic de hoste formidabili triumphus præmium fuit ob debellatum anno **129** superiore Arianismum religiosissimo imperatori Theodosio divinitus destinatum. Ita interpretatur sanctus Ambrosius in prologo ad lib. I de Spiritu sancto. Sed præs at audire Marcellinum, qui sub Gratiano V et Theodosio consulibus hæc narrat : *Theodosius Magnus, postquam de Scythicis gentibus triumphavit, expulsis continuo ab orthodoxorum ecclesia Arianis, qui eam per* XL *annos tenuerant, nostris catholicis orthodoxus restituit imperator mense Decembri.* Ecclesiam intelligit urbis Constantinopolitanæ, ad quam anno elapso directum est a Theodosio celeberrimum illud edictum l. II *de fide catholica*, Cod. Theod. De Constantinopoli et de Athanarico loquens Ambrosius loco laudato, inquit : *Postea vero quam fidei exsules abdicavit* (Constantinopolis) *hostem ipsum, quem regnum semper timere consueverat, deditum vidit, supplicem recepit, morien-* A *tem obruit, sepultum possidet.* Nimirum quanquam Theodosius post initum principatum nondum Constantinopolim ingressus fuerat, eratque in ea hæreticorum ingens potentia, par audacia, ille tamen, nihil horum veritus, statim a suscepto Thessalonicæ baptismo bellum hæresi indixit felici adeo exitu, ut dum ipse pro fide ac religione pugnat, Deus illi cunctos imperii hostes subdiderit, tyrannosque Maximum et Eugenium procedente tempore conculcandos subjecerit. Sed ante hæc Athanaricum, ut ait Ambrosius, deditum ac supplicem recepit.

Nota IV, p. 52.

Orosius, lib. VII, cap. 34, de pace inter Romanos et Gothos inita anno 4 Theodosii, Christi 382, ita scribit : *Universæ Gothorum gentes, rege defuncto, aspicientes virtutem benignitatemque Theodosii, Romano sese imperio dederunt.* Paulus Diac., lib. XI, et Marcellinus, in Chronico Orosium exscribunt. Sanctus Isidorus, in Histor. Gothor.: *Gothi*, inquit, *proprio* B *rege defuncto... inito fœdere Romano se imperio dediderunt.* Sed et Sinesius, in Orat. ad Arcadium, de Theodosio et de hac pace loquens, inquit : *Gothos una cum uxoribus suis ad pedes ejus* **130** *procumbentes supplices excitavit, belli socios ascivit, civitate donavit, honores omnes communicavit et partem agri Romani attribuit.* Nullus præterea est scriptor vetus, qui de hac pace loquens malæ fidei Gothos arguat. Imo divus Ambrosius, quo nemo melius res hoc tempore gestas cognovit, de his agens, epist. 22, ait : *Nonne in Macedonia similia* (videlicet similia his quæ de Eliseo, IV Reg. VII, narrantur) *Dominus per orationes sancti Acholii fecit miracula, aut prope majora? Non enim inani metu, nec superflua suspicione, sed sæviente lue et ardenti pesti entia perturbati Gothi ac territi sunt. Denique tunc fugerunt, ut evaderent; egressi postea pacem rogaverunt, ut viverent.* Tangit in his Ambrosius aliquorum annorum gesta. Primo bellum innuit, de quo in Chronico Idatius, anno 371, C ait : *Inter Romanos et Gothos multa certamina conseruntur.* Et in Fastis eodem anno victorias amborum Augustorum nuntiatas fuisse tradit. Has Ambrosius, ut vidimus, non tam armis militum quam orationibus sancti Acholii Thessalonicensium episcopi obtentas refert, cujus precibus lues pestilentiaque Gothos perculit atque fugavit. Deinde pacis, de qua nunc agimus, quæque ad annum 382 pertinet, meminit Ambrosius, quam profecto neque Acholii meritis partam neque divinitus concessam prædicaret, si mala Gothi fide eam rogassent ac obtinuissent. Quapropter recte, opinor, pro *infida*, quod habent libri editi, reposui *in fœdera;* sed si magis arridet, lege, ex Isidoro et Jornande, *inito fœdere.* De hac Romanos inter et Gothos pace iterum Idatius scribit in Fastis consulatu Syagrii et Antonii : *Universa gens Gothorum cum rege suo in Romaniam se tradiderunt die V Non. Octobr.* Diem nunc exprimit, quem in Chronico prætererat. Atque inde videtur corri- D gendus Marcellinus, in quo legitur : *Eodem anno universa gens Gothorum. Athanarico rege suo defuncto, Romano sese imperio dedit. Mense Octobri Damasus,* etc. Legendum est enim : *Romano sese imperio dedit mense Octobri. Damasus,* etc.; ita ut illud *mense Octobri* ad deditionem Gothorum referatur, non autem ad mortem Damasi, quæ secundo post mense contigit. Quod Idatius ait : *Cum rege suo*, de Fritigerne **131** intelligo; nam tunc cum Gothis, qui sub ipso erant, de pace actum ; nimirum cum illis, quibuscum post fatale illud prælium quo Valens ejusque exercitus perierunt, Theodosius bellum gessit annis 379 et 380.

Ad hæc Gothi, qui partes Athanarici secuti fuerant, cum illo sublato rege carerent, Theodosio sese submittere decreverunt, a quo et humanissime susceptum et splendidissime habitum regem suum lætantes audierant. Atque ita factum est ut universa Visigothorum gens, vivo ex suis regibus altero, altero exstincto, pacem a Theodosio peteret et acciperet. Quare non est cur Idatium corrigamus et quod ait

cum rege suo, scilicet Fritigerne, in *cum regno suo* mutemus, quod tentavit Pagius, in Critica, ad annum Christi 381, n. 2.

Nota V, p. 53.

Arcadium in consortium regni ascitum a patre ait Idatius in Fastis die 16 Januarii. Sed Pagius, in Dissert. Hypat., in coss. anni 383, inaugurationis hujus diem 19 ejusdem mensis fuisse affirmat. Cujus testes adducit Marcellinum in Chronico, Paulum Diaconum et Chronicon Alexandrinum. Sed Marcellinus et Paulus Diaconus diem non exprimunt. Chronicon Alexandrinum in his frequenter errat. Quare non est cur illi potius quam Idatio credamus; præsertim si Idatio Socrates adhærere testatur ibidem Pagius. Socratis tamen exemplar, quo utor, diem præfert 19. Quod autem in Critica, ad an. 383, n. 12, addit idem Pagius, scilicet electum fuisse diem illum XIV Kal. Febr. ad Arcadii inaugurationem, quia eodem die Theodosius pater imperator renuntiatus est, nullius est momenti; nam et Honorius ab eodem Theodosio B patre et minor Theodosius ab Arcadio Augusti nuncupati sunt alio quam ipsorum parentes die. Idatius insuper, in Fastis ad annum 383, quod de die inaugurationis Arcadii in Chronico scripserat confirmans, ait quinquennalia ipsius celebrata fuisse XVII Kal. Febr. Quod iterum suggillat Pagius, in Critica, eo anno, inquiens id esse in errore **132** perstare. Verum eidem diei initium imperii et quinquennalia ascribere, non quidem erroris, sed constantis veritatis indicium est.

Nota VI, p. 53.

De legatione Persarum ad Theodosium, Orosius, lib. VII, cap. 37, ait: *Persæ... ultro Constantinopolim ad Theodosium misere legatos pacemque supplices poposcerunt; ictumque fœdus tunc est, quo universus Oriens ad nunc tranquillissime fruitur.* Pro isto fœdere cum Persis feriendo missus est a Theodosio legatus Stilico, uti nos docet Claudian., paneg. I in ipsius laudem, vers. 51, ubi inquit:

C

Vix primævus eras, pacis cum mitteris auctor
Assyriæ. Tanta fœdus cum gente ferire
Commissum juveni, etc.

Nota VII, p. 53 et 54.

1. Theodosium de Greothingis triumphasse, anno imperii sui 8, æræ Dionysianæ 386, nos dubitare non sinit Claudianus, Honorii IV consul., vers. 654, ubi ipsum Honorium alloquens ait:

Tibi debeat orbis
Fata Gothunorum debellatumque tyrannum
Ister sanguineos egit, te consule, fluctus.

Nam hæc ad primum Honorii consulatum refert, quem gessit eo anno. Non id latuit Idatium; siquidem in Fastis sub eodem consulatu scribit: *His consulibus victi atque expugnati et in Romaniam captivi adducti gens Greothingorum a nostris Theodosio et Arcadio. Deinde cum victoria et triumpho ingressi sunt Constantinopolim die IV Idus Octobris.* Quapropter D triumphum de Greothingis optime et ex auctoritate Idatii ab anno 7 Theodosii, cui ascriptus est in Editione Sirmondiana, in annum 8 transtulit Florius.

2. Sub eodem anno 7 Theodosii consignatus est in Chronico Sirmondi § *Priscillianus declinans*, in quo Idatius ea de Priscilliano **133** narrat quæ ante annum 8 Theodosii æræ communis 386 gesta esse satis certo constat, uti in scholiis per singula notatum est. Proindeque § iste *Priscillianus declinans* sub anno 7 Theodosii relinquendus erat, ubi eum ex Ms. exhibuit Sirmondus. Neque enim consequens est ut ad annum 8 pertineat, si ad hunc pertinet § *Greothingorum*, qui ante ipsum descriptus est. Namque hoc vitium in Chronicon irrepsit ex librarii oscitantia, qui a § *Legati Persarum* ad § *Greothingorum* transiit, prætermisso § *Priscillianus declinans*. Cumque errorem hunc suum corrigere debuisset, deleto ibi § *Greothingorum*, et in locum suum (ad annum scilicet 8) translato, emendatione hac contempta, satis

A illi fuit § *Priscillianus declinans* subjicere § *Greothingorum*, utrumque anno 7 Theodosii consignando cum hic anno 8, § vero *Priscillianus declinans* anno 7 ascribendus esset; quod ex Idatio et ex dictis patere existimo.

3. Cum § *Greothingorum* sub eodem anno 8 Theodosii conjunxit Idatius § *Priscillianus propter*. At librarius, qui hunc locum dederat § *Priscillianus declinans*, coactus est § *Priscillianus propter* alio traducere, ne quos et loco et anno sejunxerat Idatius, ipse utroque conjungeret. Hinc post § *Priscillianus declinans*, quem subjecerat anno 7 Theodosii, annum adnotavit 8 et Arcadii quinquennalia. Post hæc sub anno 9 conscripsit § *Priscillianus propter*, atque his interpolationibus trium annorum chronologiam penitus evertit. Conanti eam restituere facem mihi prætulit Idatius ipse, dum in Fastis victoriam de Greothingis anno 8, ut dictum est, adnectit, Arcadiique quinquennalia anno 9 æræ vulgaris 387; quippe sub hujus anni consulibus hæc scribit: *Quinquennalia Arcadius Augustus propria cum Theodosio Augusto patre suo editionibus ludisque celebravit* XVII *Kal. Febr.* Quapropter ista sic ordinanda sunt, ut sub anno 7 consignetur § *Priscillianus declinans*; sub 8 § *Greothingorum* et § *Priscillianus propter*; sub 9 § *Arcadii quinquennalia*; quæ omnia ex Chronico et Fastis Idatii desumuntur. Cujus ope quod **134** vulnera ipsimet a librariis inflicta curemus, quis reprehendat? Tantum de § *Priscillianus propter* dubitare quis poterit an ab Idatio alligatus sit anno Theodosii 8. Sed præterquam quod verosimillimum est quod supra dixi, eum § a librario ejectum fuisse loco suo, cum in eum intulit § *Priscillianus declinans*, ea etiam quæ in eo narrantur illo Theodosii 8 anno certissime contigerunt.

4. Itaque Priscillianus, quemadmodum refert Prosper in Chronico sub consulibus Arcadio et Bautone, qui anno 385 nomen dederunt, damnandum se intelligens in synodo Burdegalensi, ad imperatorem Maximum provocavit. Idatius in Chronico a Sirmondo edito hæc etiam alligat eidem anno 385, dum ait Priscillianum in Galliis a sancto Martino et ab aliis episcopis hæreticum judicatum ad Cæsarem appellasse. Cum ex his ergo præcipuum sit supplicium de Priscilliano, post concilium Burdegalense et ante invasam a Maximo Italiam, sumptum fuisse; cogimur anno 8 Theodosii, æræ Dionysianæ 386, necem illius illigare. Maxime cum quæ Severus, lib. II Histor. scribit inter synodum et Priscilliani necem intercessisse; ante exitum anni 385 peragi nequaquam potuerint, rursusque quæ in eadem Historia et in lib. II Dialog. gesta esse narrat, a nece Priscilliani admotum in Italiam Maximi integrum ut minimum annum requirant. Atqui Maximus anno 387, autumno appetente, aut etiam antea, bellum in Italiam tulit. Hinc consequens est ut Priscillianus et socii anno 386, Theodosii 8, plexi fuerint.

Nota VIII, p. 54.

1. Greothingos inter Ostrogothos numerant Jornandes et Ammianus Marcellinus. Nam Jornandes, in Geticis, n. 46, Hermanaricum Ostrogothorum regem appellat, eumdemque Marcellinus, lib. XXXI, regem vocat Greutbingorum. Eosdem Claudianus Gothunos ubique nominat. Quare iidem omnino sunt Greothingi Idatii, Ammiani Greutbingi et Claudiani Gothuni, quidquid contradicat **135** Salmasius in notis ad Trebellium, pag. 329. An vero hoc nomen in Claudiano depravatum sit? Alia quæstio est.

2. Bellum cum Greothingis per legatum Promotum gessit initio Theodosius; deinde per se ipsum. De illo fuse Zosimus, lib. IV, et Claudianus, de IV consulatu Honorii, non parce; hæc ex isto accipe, vers. 623:

Ausi Danubium quondam tranare Gothuni,
In lintres fregere nemus; ter mille ruebant
Per flumen plenæ cuneis immanibus alni.

Dux Odothæus erat. Tantæ mollimina classis
Incipiens ætas et primus contudit annus.....

Primus annus Claudiano est primus Honorii consulatus, quo hæc acta sunt, ut superius observabam. Idatius in Fastis non expugnatos modo, sed et captivos in Romaniam traductos fuisse Greothingos testatur, ubi colendis agris addicti sunt alii, alii in militiam assumpti. Utrumque tradit Claudianus, lib. II in Eutropium, inquiens : *Ostrogothis colitur mistisque Gothunis Phryx ager.* En primum. *Legio pridem Romana Gothum.* Eadem habet Pacatus in panegyrico ad Theodosium, ubi : *Dicamne*, ait, *receptos ad servitium Gothos castris militem, terris sufficere cultorem?* En secundum. Ubi licet Gothunos ab Ostrogothis distinguere videatur, reipsa Gothuni sive Greothingi non magis a Gothis distinguebantur, quam Silingi a Vandalis, Gallæci ab Hispanis.

Nota IX, *p.* 54.

Una cum Priscilliano, quod Severus et Hieronymus testantur, morte multati sunt Felicissimus, Julianus, Asarinus, Aurelius, Armenus, Latronianus atque uxor Delphidii Rhetoris Eucrocia. De quorum filia Procula ait Severus : *Fuit in sermone hominum, Priscilliani stupro gravidam partum sibi graminibus abegisse.* Utrumque et uxoris Delphidii supplicium et filiæ dedecus significat Ausonius, dum., epig. v profess. Burdeg., **136** de eodem Delphidio ait, ut jam olim adnotavit Gislenius :

Medio quod ævi raptus est :
Errore quod non deviantis filiæ,
Pœnaque læsus conjugis.

Alii Priscilliani sectatores, mitioribus suppliciis affecti, in exsiliumque pulsi sunt. At hæresis exstincta non est, sed in majus aucta exinde, ut ait Idatius, in Gallæciam invasit.

Nota X, *p.* 55.

Maximum, quem, multorum judicio, exitus potius quam causa tyrannum fecit, cur plerique Britannum dicant vix capio. Nam quod de illo canit Claudianus, IV consulatu Honorii : *Hunc sævum Britannia fudit*, non patriam significat, sed provinciam ubi imperium arripuit. Zosimus profecto Hispanum fuisse affirmat, lib. IV. Depranius Theodosio ipso coram Theodosianæ domus vernam indigitat tanquam in ea ortum. Coævis his testibus et ferme oculatis quis non credat? Plura his dabit Pagius in Critica, ad annum 383, n. 4. Maximum non semel nec parce laudat Severus, et ejusdem uxoris pietatem atque religionem multis commendat dialogo II, n. 7. Orosius, lib. VII, cap. 34, Maximum virum strenuum, probum atque Augusto dignum vocat. Quin etiam Theodosius ipse (apud Suidam, verbo *Valentianus*) eumdem Valentianum alloquens, de Maximo ait : *Recte Christum colit, qui te non injuste ejecit, ac perversæ fidei tuæ* (Arianis quippe adhæserat) *Maximo hanc fecit occasionem.* Denique sanctissimus etiam pontifex Leo religionem Maximi commendat, epist. ad Thurib. Mitto Rufinum lib. II, cap. 16, ubi causas tyrannidis Maximi et rebellionis in Valentinianum hujus impietatem et hæresim fuisse indicat.

Nota XI, *p.* 55.

1. De Cynegio Idatius in Fastis consulatu Theodosii II et ipsius Cynegii : *Defunctus est*, ait, *Cynegius præfectus Orientis* **137** *in consulatu suo Constantinopoli. Hic universas provincias longi temporis tabe deceptas in statum pristinum revocavit, et usque ad Ægyptum penetravit, et simulacra gentium evertit. Unde cum magno fletu totius populi civitatis deductum est corpus ejus ad Apostolos, die* XIV *Kal. April. Et post annum transtulit eum matrona ejus Achantia ad Hispanias pedestre.* Videsne, lector, ut nostratem Cynegium, obitis muneribus illustrissimum, fidei catholicæ et justitiæ zelus illustriorem reddiderit? Nostratem, inquam; nam quo pertinet ut conjux Achantia ab urbe Constantinopolitana immenso fere itinere in Hispaniam deduceret, nisi ut eum in majorum suorum monumentum inferret? Factum id ipsum et cum Ar-
A borio eodem fere tempore, et in eadem urbe Constantinopoli vita functo, qui in patriam, sive ea Tolosa fuit, sive Burdegala, translatus est. Quod Ausonius ejusdem Arborii sororis filius prodidit laudato loco, epigr. XVII, inquiens :

In patriam sed te sedem ac monumenta tuorum
Principis Augusti restituit pietas.

2. Cynegius igitur Hispanus erat. Sed veterum scriptorum pertinaci silentio vel aliis casibus factum est ut neque illius neque plurium aliorum Hispanorum, quos secum habuisse Theodosium necesse est, patriam ullibi litteris expressam habeamus. Claudianus profecto Hispanam nobilitatem Honorii lateri adhæsisse, in IV ejus consulatus panegyrico testatur, dum versu 582 ait :

Illustri te prole Tagus, te Gallia doctis
Civibus, et toto stipavit Roma senatu.

Quidni etiam Theodosium patrem plures etiam quam filium Hispani sequerentur? Sed ad Cynegium
B redi ; eum non ultra meritum ab Idatio laudatum fuisse, Zosimus, lib. IV, testis est minime suspectus, utpote qui Christianis viris etiam principibus iniquus frequenter est. Magnus etiam Theodosius, lib. XV *de* **138** *Accusatoribus*, Cod. Theod., cum Cynegio loquens ait : *Justitia et æquitate, qua notus*, etc. Plura si vis, lege Gothofredum, in Prosopog., Cod. Theod., verbo *Cynegius*, ubi accurate de Cynegii muneribus, comitiva Sacr. largit., Præfectura prætorii per Orientem pluribus annis et consulatu agit.

3. Quoad locum quo mortuus est Cynegius, non te fallat Zosimus, diem obiisse cum ait in itinere. Ita quidem ; sed Cynegio ut ex Ægypto ad Theodosium, a quo arcessitus erat, in Illyricum veniret, Constantinopoli transeundum erat, ibique, ut ait Idatius, mors illum occupavit. Lex etiam XVI *de hæreticis*, Cod. Theod., cum inscripta sit Cynegio præf. prætorio die 6 Augusti hujus anni, inducere poterit lectorem et impellere ut ea die Cynegium nondum vita
C functum credat. Verum fallit ea inscriptio, ut probat lex III, *de his qui super religione* eodem Cod., ex qua discimus XVI Kal. Julias ejusdem anni Tatianum præfecturam illam tenuisse. Quare Cynegius ab humanis excessit prope diem 19 Martii, quo, secundum Idatium, ad Apostolos elatus est.

4. In actis sancti Porphyrii, apud Surium et Bollandum, 26 Febr., præclara fit alterius Cynegii mentio, cui Arcadius Augustus ejusque uxor Eudoxia anno 401 excidendi Marnæ Gazensis delubrum curam imposuerunt. Cynegii nomen ardensque religionis studium, atque eximius in eum aulæ favor, filium aut cognatum superioris Cynegii indicant. Unde inclyta gens Cynegiorum expugnandis et solo æquandis idololatriæ arcibus nata videri potest. Verum hic Cynegius idem fortasse est ac cui divus Ambrosius epistolam misit 72. Pietas atque egregia illius juvenis indoles, tempus etiam quo illæ litteræ scriptæ sunt, hanc mihi cogitationem injiciunt. Cæterum Cynegii hujus pater Paternus vocabatur, quem Ambrosius a
D proposito deterret sociandi hunc filium suum cum nepte sua ex filia, atque adeo ex istius Cynegii sorore nata. Horrebat religiosus juvenis has nuptias, quas cum illæsa erga patrem pietate vitare vellet, Ambrosium, qui eas patri dissuaderet, deprecatus est. Quod sanctissimus pontifex præstitit data epistola 47 **139** ad Paternum lectu dignissima. Ubi et a Theodosio legem latam meminit, qua patruelium fratrum et consobrinorum inter se conjugia sub severissima pœna vetuit ; lege, si vis, emin. Baronium, an. 390, in fine. Denique apud Ennodium, post epist. 7 lib. IV, et alibi, epitaphia legitur Cynegiæ uxoris Fausti, summi viri et supremis honoribus functi, quæ alicujus ex his Cynegiis neptis esse potuit.

Nota XII, *p.* 56.

Eugenianæ tyrannidis initium anno 391 perperam adnectunt Prosper, Marcellinus et Incertus Cuspiniani, qui diem illius designat XI Kal. Septembris. Porro Marcellinus et Anonymus rem narrant non per se

incredibilem; nam Valentiniani cædem, quam Eugenii tyrannis consecuta est, eidem anno 391 ascribunt. At Prosper, qui occisum ait Valentinianum, ut quidem occisus est, anno 392, sibi ipsi contrarius est et pugnantia scribit. Quod non animadvertens Petavius, eidem ac Prosper anno 391 arrepti ab Eugenio imperii exordium illigat.

Nota XIII, *p.* 56.

Nescio quo pacto fieri potuit ut Idatius ad annum 393 Honorium in consortium principatus a patre Theodosio assumptum non meminerit. Socrates, lib. v, cap. 24, consulatu Theodosii III et Abundatii, qui huic anno 393 nomen dederunt, Honorium Augustum renuntiatum fuisse v Idus Januarii tradit. Sed cum Theodosium non multo post in Gallias contra Eugenium profectum fuisse scribat, legesque XXXI *de operibus publicis*, et XXIV *de hæreticis*, Cod. Theod., nos doceant Theodosium initio Julii insequentis anni nondum Constantinopolim dereliquisse, quis non videt Socratem sibi non constare? Nam quo B pacto verum esse potest Theodosium, paulo post ascitum in regni societatem Honorium, versus Gallias Constantinopoli movisse, si post sesquiannum nondum Constantinopoli egressus erat? Quid quod Prosper et Marcellinus ita loquuntur, ut **140** eadem die qua Honorium consortem imperii renuntiavit pater, solem defecisse affirmare videantur; hic autem solis defectus anno 393, ex astronomiæ regulis, cadere non potuit in diem 9 Januarii. Melius itaque præclarissimus astronomus Petavius, Rationarii Tempor. parte II, lib. IV, cap. 2, Honorium a patre in regni consortium assumptum fuisse censet die 20 Novemb., quo illo anno 393 sol eclipsim passus est, quinque decem minus menses et amplius distat a Julio consequentis anni 394, quo Theodosius adversus Eugenium ex Oriente profectus est, quam die 9 Januarii a Socrate designata. Ptolemeus Silvius, in Kalendario, natalem Honorii consignat 18 Febr., natalem, inquam, purpuræ, de quo nunc quæritur. Quod si ab opinione C Petavii recedendum sit, Silvio potius quam Socrati assentiar, quia ille in Occidente, vel etiam in ipsa Roma vixit, ubi quotannis natalis hic dies Honorii solemnis erat Silvii ipsius tempore. Ab omnibus dissentiens Anonymus Cuspiniani eclipsim ascribit diei VI Kal. Novemb. et inaugurationem Honorii X Kal. Februarii.

Nota XIV, *p.* 56.

Cum dormitans nescio quis librarius hæc ita prius descripsisset: *In hoc loco tantum præter regna tantum inserta principum*, vocabulum *tantum* ineptissime iterans, alius postea labem hanc emundare aggressus, adverbium *tantum* in prima sede conservavit, in secunda vero illud cum præcedenti verbo *regna* commiscens, ex duobus illis *regna* et *tantum* hoc unum fecit *regnantum*, quod hucusque in libris editis retentum est, ut monui in scholio. Interim tamen manifestum nobis indicium relictum fuit antiquæ lectionis, D quæ adverbium istud *tantum* semel et quidem in ultima sede præferebat, afficiens, ut ita dicam, verba illa *propter regna*. Neque unquam Idatio mens fuit ut in hoc tantum loco quinque principatus annos sub una Olympiade legeremus, nam idipsum aliquoties infra videbimus. Quotiescunque autem id fiet, sub uno anno civili imperatorios duos reperies, alterum principis excedentis, alterum principis imperium **141** adeuntis; attamen quia neuter completus est, ambo unico civili notantur. Quod autem de Olympiade monuit Idatius, monitum etiam esse debet de decadibus annorum Abrahamiticorum, ne eam undecimi anni principatus turbet adjectio. Quod Bouquetius Pagiusque non animadvertentes ab anno Abrahami 2410 ad annum 2420 annos undecim numerant. Exinde Pagius, ad annum 405, n. 14, annum 2416 Abrahami anno Honorii 5 non recte alligat, ut ad annum 400 ostendam. Bouquetius (apud Florium n. 116) errat præterea, inquiens annum 17 Theodosii A anno Abrahamitico 2410 in Idatii Chronico respondere; nam præterquam quod hic annus Abrahami propius accedit in Chronico ad annum 16 Theodosii, reliqui omnes usque ad 2460 necessario postulant ut 2410 Theodosii 16 alligetur. Sed de his plura, si vis, invenies in dissert. prævia, n. 25 et 26.

Nota XV, *p.* 57.

Dum Idatius, de Arcadio et Honorio loquens, regnasse eos asserit XXX annos ab excessu patris, non utrumque eorum, sed alterum, Honorium videlicet, annum 30 regni pervenisse significare voluit. Et nec Honorium verum est solidos XXX annos imperasse. Nam Arcadius 14 imperii anno, mense quarto, obiit, nimirum Kal. Maii, anno æræ vulgaris 408; Honorius vero 29 quidem non implevit. At Idatius ejus regno ascribens quod temporis excurrit a Theodosii patris morte ad imperium Valentiniani III, anno 425, vel potius ad initium hujus anni, ubi annum 1 Theodosii minoris præfixit subductis rationibus, summam confecit annorum XXX. Hinc colligimus perspicuæ Idatium æræ communis annum 424 Honorio adjudicasse. Quod etiam ex ipsa notarum chronologicarum designatione aperte comprobatur.

Nota XVI, *p.* 58.

1. In Editione Sirmondiana concilium istud Toletanum anno Arcadii et Honorii 5, Christi vero 399, alligatum est. Cl. Florius **142** illud primus huic anno 6 subjecit; et licet nullo alio Idatii testimonio correctio fulciatur, firmiter tamen tenenda mihi visa est; tum quia epigraphe ipsa concilii consulatum Stiliconis præfert, qui alius vix ac ne vix quidem esse potest quam quem gessit anno 400; tunc quia facilis fuit librarii lapsus anticipandi hunc § *In provincia Carthaginensi* lineola una, maxime cum illa vacaret. Attamen doctissimus Pagius antiquam lectionem retinendam censet, quia concilium istud alligasse Idatium putat, nec fallitur, anno Abrahami 2416, qui (ait Pagius, ad annum 405, n. 14) Kal. Sept. anni Christi 399 inchoatur. Sed primum si annus Abrahami 2416 inchoatus sit Kal. Septemb. an. 399, necesse est pridie Kalendas easdem anno 400 finem accepisse. Atqui concilium his an. 400 Kalendis coactum est, si coactum est consulatu I Stiliconis. Non ergo intra annum Abrahami 2416 est celebratum, sed die prima anni 2417, quod nolet Pagius. Deinde annus Arcadii et Honorii 5 secundum Idatium neque in annum Dionysianum 400, quo primum Stilico consul renuntiatus est, neque in Abrahamiticum 2416 incidere potuit, cum annus eorumdem Augustorum 1 innexus sit ab Idatio anno Abrahamitico 2410, qui cum Dionysiano 395 concurrit. Igitur quisquis concilium hoc Toletanum celebratum esse affirmet anno æræ communis 400 ac Abrahamitico 2416, nequit non ipsum conjicere in annum Arcadii et Honorii 6. Quod non animadvertisse Pagium vehementer mirarer, nisi non ipse alibi monuisset periodorum multiplicationem memoriæ et animo onerosam esse; a diversa namque annos Idatianos computandi putandi ratione, quam sequitur Pagius, hunc ipsius lapsum fluxisse minime dubito.

2. Natalem Theodosii junioris, qui in aliis Chronici hujus Editionibus illigatus est anno 9 Arcadii et Honorii in hunc annum 7 retraxi, nihil dubitans eidem anno ab Idatio fuisse ascriptum, librariorumque errore in illum annum 9 æræ communis 403 rejectum fuisse. Siquidem in Chronico, sub Severi Sulpicii nomine ab eruditissimo Florio promulgato anno 7 (Florius correxit 8, sed immerito), ita in Ms. legitur: **143** *Theodosius junior et Augustus factus est.* Constat autem fere omnia quæ in eo Chronico a Theodosio Magno usque ad Anthemium scripta sunt, ex Idatio desumpta fuisse. Quapropter haudquaquam ego dubitem Idatium in Chronico ita scripsisse: vu. *Thodosius Arcadii filius nascitur et Augustus factus est.* Et sane in Vita sancti Porphirii episcopi Gazensis (26 Febr.) ita scriptum est: *Theodosius, cum primum*

fuisset natus, fuit renuntiatus imperator. Quod de acclamatione et assumptione purpuræ saltem interpretari possumus; verum si cui de solemni inauguratione interpretanda esse velit verba Idatii, eamque cum Marcellino et Chronico Alexandrino in diem IV Idus Januarii anni 8 Arcadii et Honorii referat, dicam Idatium hæc ita distinxisse : VII. *Theodosius Arcadii filius nascitur;* VIII. *Theodosius factus est Augustus. Solis facta defectio* III *Idus Novemb.* Porro apud Severum, post illa verba *Theodosius junior*, aliquid deesse manifestum est; neque melius locum suppleas quam si legas : *Theodosius junior nascitur et Augustus factus est.* Atque id etiam suadent quæ in eodem Severo sequuntur; nam addit statim : *Sol eclipsim passus*, quæ certe eclipsis anno 8 contigit. Hæc omnia satis clare demonstrant Idatium natalem Theodosii anno 7 Arcadii et Honorii adnexuisse, librariorumque oscitantia in annum ipsorum 9 delapsum esse.

3. Præterea Idatius ad annum Honorii 30, Christi 424, de eodem Theodosio ait : *Post obitum Honorii patrui monarchiam tenuit imperii cum esset annorum* XXVI. Quæ falsa esse necessarium est, si natus fuerit Theodosius anno 403. Verum si pro XXVI legatur XXIV, anteposita nota I notæ V, cui facili lapsu postposita est, ut ego existimo, a librario, tunc omnia cohærent, neque pugnantia scribet Idatius; namque XXIV annos si Theodosius numerabat, dum anno 425 Chronico suo eum ingerit Idatius, natum fuisse oportet anno 401; et si natus est eo anno, cum ad 426 perventum est, XXIV annorum tunc certe erat. Natus est Theodosius IV Idus Aprilis; ita Socrates, lib. VI, cap. 6, et Marcellinus, in Chronico ante Sirmondum edito et in Ms. Brugensi, quod habuit Petrus Franciscus **144** Chiffletius, at in Sirmondiano III *Idus* legitur. Bollandus, ex Actis sancti Porphyrii episcopi Gazensis deducit natum fuisse die 23 Martii. Sed quæ in illis Actis narrantur eum diem non necessario postulant. Et fortasse natus est ejusdem mensis Martii die 29, atque in Socrate et Marcellino pro IV *Kal.* librarii vitio scriptum est IV Idus Aprilis.

Nota XVII, p. 59.

Cum Cyrillo, de quo Hieronymus, lib. de Script. eccles., n. 112, testatum reliquit, *quod sæpe pulsus ecclesia* (Hierosolymitana) et *receptus ad extremum sub Theodosio principe octo annis inconcussum episcopatum tenuit*, Joannes suffectus fuerit circiter annum 387, nullus præterquam quod idem Hieronymus in suo Chronico commemoraverat, Arianus episcopus ante Joannem Ecclesiam Hierosolymitanam occupaverat. Imo cum de orthodoxia et sanctitate Cyrilli satis abunde constet, utpote qui sanctorum fastis ascriptus est (vide Acta Jesuitarum Antuerpiensium, ad diem 28 Martii), nunquam per ea tempora legitimus fuit Hierosolymorum episcopus Arianus; nam Maximo catholico successit Cyrillus, Cyrillo vero defuncto proxime successit Joannes. Quapropter quos anno 11 duplici ex Constantini Arianos episcopos numerat Hieronymus filiorum causa, intrusi et pseudoepiscopi dicendi sunt, et quia hæretici, et quia vivente legitimo episcopo Cyrillo, Ecclesiam illam occupaverunt.

Nota XVIII, p. 60.

De ingressu Barbarorum in Hispanias Idatius consulatu Honorii VIII et Theodosii III hæc tantum in Fastis scripsit : *His consulibus Barbari Hispanias ingressi*; nec plura. Cætera quæ hæc habet Chronicon suspecta mihi esse fassus sum in scholio. Equidem cum ingressus Barbarorum in Hispanias inspectante Idatio contigerit, quis ab illo scripta esse credat illa : *Alii* IV *Kal.*, *alii* III *Id. Octobr. memorant*, maxime cum uno eodemque anno dies 28 Septembris et 13 Octobr. in tertiam feriam **145** incidere nequeat, in qua ingressum illum statuit Idatius ? Itaque alter eorum dierum subditilius est; cur non et reliqua omnia a verbo illo *ingressi?* Sed qui vulgatam lectionem tueri velit, diem illum III *Idus* Octob. corrigat A ex Chronico Parvo, legatque IV *Id.*, vel illum penitus rejiciat, ex Excerptis Hispaniæ illustratæ, ubi primus tantum dies IV *Kal.* expressus est. Nam cum ab hoc anno ingressus Barbarorum in Hispaniam removeri nequeat, quandoquidem illum confirmat Idatius in Fastis, Isidoro, Prospero et Cassiodoro ipsi assentientibus, satius est ut diem illum III Id., qui feria 4 (habuit enim hic annus cyclum solis XXVI, litt. Dom. C), aut mutemus in IV *Id.*, qui fuit feria 3, uti etiam dies IV Kal. aut hunc postremum retineamus, illo prorsus abjecto.

Nota XIX, p. 60.

1. Cum Sirmondus, ex fide Codicis ms., annum 16 Honorii, qui fuit æræ communis 410, post relatam in Chronico Urbis irruptionem mortemque Alarici ad § *Debacchantibus* consignavisset, Cl. Florius eas notas loco movit et § *Alaricus rex Gothorum* adjecit, ut irruptio Urbis, obitusque Alarici, sub eo Honorii B anno legeretur. Ego autem, quemadmodum facile assentior Idatium, mortem Alarici anno 409 non alligasse, notasque illas § *Alaricus moritur* adjunxisse, cui idem initium est ac illi alteri *Alaricus rex*, ita etiam existimo ea quæ de Placidiæ captivitate atque Urbis vastatione scripsit, sub anno Honorii 15, æræ vulgaris 409 adnotasse. Nam licet omnium ferme scriptorum testimonio constet Romam ab Alarico captam fuisse atque direptam anno Honorii 16, cum tamen contestatum pariter sit, Alaricum non unam tantum in urbem fecisse invasionem, ea omnia quæ a § *Alani et Vandali* usque ad § saltem *Alaricus moritur* narrat Idatius, anno Honorii 15, Christi 409, non inepte illigare potuit, quia pars eorum maxima hoc anno gesta sunt. Plurimæ intra et extra Urbem cædes, cives vehementer vexati; Alaricus Romam ingressus, **146** Placidiam velut obsidem initæ cum senatu pacis, et ut ab Honorio confirmaretur, inde adduxit. Hæc igitur narrans hoc anno 409 Idatius, cladem Urbis, quia cum iis connexa erat, adjecit. Ut ut sit, C quia Ven. Beda, lib. I Histor. Anglor., cap. 2, et Ivo Carnotensis, in Chronico ms., apud Schelestratum, tom. I, dissert. 2, pag. 229, anno 409, excidium Urbis evenisse tradunt, quod novissime Pagius multis asserere aggressus est, transferendum in Idatio non putavi Honorii annum 16 ad § *Alaricus rex*, ne hunc sententiæ suæ patronum eripere ipsi velle videar.

2. Cæterum vastitatem Romæ illatam non fuisse ante annum 410 ego quoque firmissime assentior. Namque idipsum cuncti historici tradunt, præter Bedam et Ivonem laudatos, de quorum tamen supputatione dubitare possumus, an quam alii observant ipsi sequantur. Deinde id ipsum rerum quæ a nece Stiliconis ad postremam illam Urbis irruptionem gestæ sunt magnitudine demonstratur. Siquidem Alaricus non statim ac Stilico interfectus est, in Urbem movit, sed movit non paulo post, cum etiam Eucherius Stiliconis filius extinctus fuerit. Accedente deinde ad Urbem Alarico, eamque obsidione cingente, D gemina legatio a senatu ad Honorium, qui Ravennæ tunc erat, pro pace cum Gotho ferienda missa est. Post hæc ipse etiam Alaricus cum exercitu Ravennam accessit. Longæ ibi per internuntios de pacis conditionibus inter ipsum et Honorium tractatio habita est. Præterea Attalus semel atque iterum purpura indutus atque exutus fuit, quidquid Pagius ad an. 410, n. 10, contra perspicua Orosii et Olympiodori verba reclamet, tyrannidem secundo ab Attalo assumptam anno 414 contendens. Denique ab eodem Attalo tunc temporis expeditio in Africam instituta fuit, ob eamque, quia male cessit, quod Romano tantum milite, exclusis Gothis, suscepta fuerat, Alaricus Attalo imperium abrogavit. Hæc autem omnia longiorem quam unius anni moram requirunt. Quare cum Stilico occisus sit 23 die Augusti et 24 Augusti etiam mensis Urbs a Gothis vastata, Stiliconis cædem mense Augusto anni 408, **147** postremam Urbis irruptionem eodem mense Augusto anni 410 cuncti historici consignaverunt.

3. Sed præstat audire Zosimum, qui, referente in sua Bibliotheca Photio, ait : *Alaricus Romam iterum obsidens, civibus ad inopiam redactis, obsidionem solvit, eisque imperatorem dedit Attalum, quem tamen deinde rursus abdicavit imperio; atque ad Honorium Augustum Ravennæ tunc agentem fœdus cum eo initurum misit. Assarus vero* (Sarum appellant continuo reliqui), *Gothus et ipse, Alarici rebus impedimentum injecit.* Atque hunc (addit Photius) sexti historiarum libri finem fecit Zosimus. Agnovit id ipsum Pagius, ad annum 410, n. 5, dum ait : *Deinde loquitur* (Zosimus) *de pugna inter Alaricum et Sarum ducem habita; quo prœlio ex parte narrato, opus ejus absolvitur, reliquis injuria temporum deperditis.* Hinc liquide constat Romam ter a Gothis obsessam fuisse, quod diserte tradit Sozomenus, lib. IX, capp. 6, 8 et 9. Et expresse Zosimus iteratæ obsidionis meminit, eamque Alaricum solvisse, deindeque de pace cum Honorio ineunda cogitasse atque serio egisse narrat, cui conciliandæ impedimentum objecit Sarus. Plura non legimus in historia Zosimi, quam nunc habemus, vir Pagius ipse agnoscit, ad an. 410, n. 5. Et tamen postquam ipse historiæ suæ finem posuit, et Sarus injuria Alaricum lacessivit, irruptio illa subsecuta est, qua capta Roma atque vastata est. Quare incredibile prorsus fit tertiam hanc et postremam Urbis expugnationem ante annum 410 contigisse.

4. Tertulli præterea consulatus id ipsum, ut ego sentio, clarissime demonstrat, mirorque doctissimum Pagium, ad an. 410, n. 8, ex eo consulatu Urbem ab Alarico vastatam esse anno 409, collegisse. Tertullusne post Attali abdicationem, post Urbis direptionem atque Gothorum inde abitum, ausus fuisset consulis nomen usurpare? At Pagius adducto Zosimo ait : *Attalum postridie* (quam imperator appellatus est) *senatum ingressum Tertullum consulem designasse, quod anno 409 sine dubio factum... Urbemque tunc ab Alarico direptam.* Imprimis hæc Tertulli designatio quid ad rem faciat **148** nondum capio. E contrario vero consulatus, anno 410, per aliquot menses intraque Urbis tantum mœnia a Tertullo gestus, eam initio saltem illius anni a Gothis nondum deprædatam fuisse atque desertam ostendit. Quare appetente illo anno 410, turbatis maxime rebus, Gothisque circa Urbem omnia occupantibus, licuit in ea Tertullo personatum consulem agere, donec post Romæ cladem, Gothis inde discedentibus mense Augusto ejusdem anni 410, ea consulatus umbra etiam evanuit. Hinc Orosius umbratilem consulem Tertullum appellat, lib. VII, cap. 42; Prosper et Marcellinus, in Chron., non modo consulatum ejus prætereunt, verum etiam expresse notant unicum eo anno consulem fuisse orientalium partium Varanem. Idatius quoque ita Tertulli consulatum asserit, ut neganti propior sit. Deinde ubinam legit Pagius Urbem captam ac direptam fuisse a Gothis, statim ac Attalus imperator et Tertullus consul designatus fuit? Zosimus tam longe abfuit ut hoc scripserit, ut disertis verbis contrarium tradat inquiens : *Alaricus Romam iterum obsidens, civibus ad inopiam redactis, obsidionem solvit*, et reliqua supra exhibita. Quid quod tot tantaque ab hoc tempore usque ad excidium Urbis gesta sunt, ut hic integer solidusque annus vix sufficiat; quod jam antea satis superque ostendisse me existimo. Ut autem Pagius plura de Urbis direptæ anno a veritate aliena scriberet, inde natum est quod ad scribendum accesserit, sibi persuasum habens bis tantum a Gothis Romam obsessam fuisse. Hinc quod in tertia expugnatione contigit, quodque de illa antiqui scriptores narrant de secunda, quæ tertiam anno uno antevertit, interpretatus est. Idatius ergo cum de Urbis calamitatibus anno superiori, quando semel et iterum obsessa est, loqui cœpisset, postremæ illius cladis eodem illo anno meminit ante scenæ quidem finem.

5. Tum etiam Placidiam ab Alarico captam in Urbe memorat; et reipsa eo anno 409 inde a Gothis abducta est. Namque Zosimus, qui historiæ ante ter- A tiam Urbis irruptionem, ut modo dictum est, finem fecit, hæc de Placidia, lib. VI, scribit : *Placidia soror imperatoris apud Alaricum manebat, vicem illa* **149** *quidem obsidii modo quodam implens, ita tamen ut honore omni cultuque regali frueretur.* Ex quibus nonnulla, quæ supra dicta sunt, confirmantur, et Alarici comitas et magnanimitas ostenditur, qui regiam virginem splendide et, ut cum Plauto loquar, *basilice* habuit.

Nota XX, p. 60.

1. Consulto ab Idatio scriptum est, indultum esse a Gothis in Urbis excidio iis qui ad sanctorum limina confugerunt; non enim basilicæ tantum Apostolorum, sed ut testatur divus Augustinus, lib. I de Civit., cap. 1, *Martyrum etiam loca in illa vastatione Urbis ad se confugientes suos alienosque receperunt*, ita ut *quod in Romanos jure belli fieri licuisset, illicitum sibi esse judicarent Gothi.* Ait ibidem, lib. II, cap. 2, Augustinus, quin etiam universum militibus suis Alaricum indixisse, *ut in quantum possent, præ-* B *dæ inhiantes, a sanguine temperarent.* Ita Orosius refert, lib. VII, cap. 39. Parsum quoque est maxima, imo omni fere ex parte, domibus atque ædificiis civitatis. Idem Orosius, cap. 40, de hac clade loquens, inquit : *Cujus rei quamvis recens memoria sit, tamen si quis populi Romani multitudinem videat et vocem audiat, nihil factum, sicut etiam ipsi fatentur, arbitrabitur, nisi aliquantis adhuc existentibus ex incendio ruinis doceatur.* Ita a Gothis in Romanos actum est. Quod confirmat Olympiodorus, qui quarto ab irruptione anno, præfecturam Urbis gerente Albino, eam ad pristinum rediisse statum tradit. Quicunque autem ista comparet cum iis quæ Romani ipsi tum in Deum tum in homines impie crudeliterque admiserant, inveniet profecto longe eos mitiora quam quæ fecerant passos fuisse.

2. Nam præter enormia quibus tunc laborabant vitia, quæque divus Augustinus, Orosius, Salvianus, Sozomenus et alii exprobrant, quanto illi atrocius in C reliquum pene orbem terrarum grassati sunt? Ut taceam præclarissimas urbes Carthaginem, Corinthum, Syracusas, Tarentum et virtutis merito clariorem his omnibus Numantiam, innumerasque alias, unus Sempronius **150** Gracchus CCC oppida intra Hispaniæ limites ferro et igne vastavit. Polybius in fragmentis id testatur. Orosius, lib. IV, cap. 20, excisa fuisse ab hoc Graccho ait oppida CCCL. Sed lege CCCV, nam libri variant et hic numerus propius accedit ad Polybianum. Quid etiam Julius Cæsar in Galliis? *Præter civiles victorias, XI centena et XCII milia hominum ab eo occisa prœliis confessus est ipse.* Verba sunt Plinii, Hist. lib. VII, cap. 25. Totidem uno Gallico bello victimas insanæ ambitioni suæ victimarius iste Julius mactavit. Sed non est cur antiquiora quæramus. Heraclianus comes Africæ hoc eodem tempore truculentius quam Gothi sæviit in Romanos suos, qui ex Urbis naufragio emergentes crudeliora, ut scribit Hieronymus, epist. 8, invenere Africæ littora. Denique multa non barbaræ aut feræ, imo D egregiæ indolis exempla dedere tunc Gothi, uti narrant Hieronymus, Augustinus, Orosius, Sozomenus atque alii. Scio duobus non retro sæculis a magno viro scriptum fuisse, Urbe a Gothis occupata, Titum Diaconum pecuniam pauperibus distribuentem tribuni barbari jussu per Gothos Arianos occisum fuisse. Quid Gothi tantum virum læserint nescio; at quam immerito ipse Gothos Gothorumque nepotes frequenter traducat norunt omnes. Porro sanctus Prosper, necis sancti Titi testis singularis, longe aliter ad consulatum Theodosii XII et Valentiniani II rem narrat, quod jam olim viri in Gallia doctissimi adnotarunt. Verba Prosperi, infra, nota 43, exscripta reperies.

Nota XXI, p. 60.

Alaricus, ut narrat Isidorus in Historia Gothorum, paulo post cladem Urbis vita functus est 27 regni sui anno, Honorii 16, æræ vulgaris 410. Cum ergo Isidorus Idatium exscribat, non temere credidi Alarici mortem librariorum vitio anno Honorii 15 subditam

fuisse, uti in libris editis videmus, attamen alligandam esse anno ejusdem Honorii 16, atque hanc notam a § *Debacchantibus* avulsam § *Alaricus moritur* præponendam. Itaque tertio, non sexto die, ut perperam Marcellinus **151** in Chronico tradit, Alaricus sponte sua cum suis egressus et Campaniam Lucaniamque pervagatus, tandem in Brutiis prope Consentiam morbo correptus interiit. Eo ingenti luctu et superbo funere elato, Visigothi regnum *Ataulfo ejus consanguineo* (certe affini, nam uxoris Alarici frater erat) *et forma et mente conspicuo tradunt.* Ita Jornandes, in Geticis, n. 54 et 55, ubi alia, si vis, legere poteris. Quo autem die Alaricus mortuus sit, quove rex factus Ataulfus, certo statui non potest, cum nihil horum ab historicis litteris mandatum sit. Sed neutrum ante Novembrem anni 410 contigi se ex eo colligitur, quod capta Roma est die 24 Augusti, Paulo Diacono et Theophane testibus. Post triduum, id est, 27 aut 28 die ejusdem mensis, eam deseruit Alaricus, et in Campaniam irruens reliquam Italiam usque ad Siculum fretum peragravit, quæ duos ut minimum tresve menses requirunt.

Nota XXII, p. 62.

1. Dum Idatius Hispanos, quæ in castella sese et urbes receperunt, Barbarorum se subjecisse servituti ait, non ita illius verba accipias ut existimes suam eos libertatem amisisse. Namque his in locis cum a Barbaris expugnari non possent, ad extremum pax inter utrosque conciliata est, atque Hispani majorem quam antea libertatem quodammodo nacti sunt, cum neque Barbaris neque Romanis servire cogerentur. Siquidem a Barbaris tutos eos reddebat locorum munitio, a Romanis vero eorumque tum temporis effreno dominatu Barbari ipsi. Cæterum inter Romanos etiam tum numerari avebant Hispani ob imperii, cui diu suberant, majestatem, et ut a Romanis, si fors ferret, adjuvarentur. Quod sane sæpius experti sunt Gallæci, uti pluribus locis scriptum reliquit Idatius. Magistratus etiam ab imperatore accepisse eos puto, quotiescunque ab Urbe ipsis mittebantur. Sed raro in Gallæciam missos crediderim, ubi ab anno 400 fusi per campestria Suevi omnia itinera commeantibus Roma in Gallæciam claudebant. Ergo per hæc **152** tempora electum a civibus in unaquaque urbe ac oppido magistratum rempublicam administrasse et libertatem suam populos servasse existimo. Quin etiam id aperte testatur Isidorus in Histor. Suevor., ubi hæc ait : *Gallæci* (ita leges, non *Gallicia* uti Grotius, neque *Galliæ* uti Labbeus, legunt) *in parte provinciæ regno suo utebantur*. Attamen Idatius Hispanos sese barbaris submisisse ait, quia passi sunt eos in provincia consistere, atque uberiores et fecundiores agros possidere. Quibus sæpe non contenti, reliquos etiam, qui ex pacis conditionibus aut quis locorum dominis cesserant, continuo depopulabantur, urbibusque etiam ac castellis assidue imminebant. De hac igitur servitute loquitur Idatius, quæ Gallæcos frequentibus et fere quotidianis Suevorum infestationibus obnoxios reddebat.

2. At quantumcunque hæc servitus molesta esset Hispanis, longe illos Gallosque graviorem his temporibus a Romanis, dum ipsis subjecti erant, sustinuisse testantur Orosius et Salvianus. Orosius quidem de hac re loquens, lib. vii, cap. 41, ait : *Post hoc* (id est post magnos cruentosque barbarorum incursus in Hispanias, quorum antea meminerat) *continuo barbari exsecrati gladios suos ad aratra conversi sunt residuosque Romanos* (Hispanos intelligit, qui pars fuerant imperii Romani) *ut socios modo et amicos forent, ut inveniantur jam inter eos Romani quidam, qui malint inter barbaros pauperem libertatem quam inter Romanos tributariam servitutem sustinere.* Similia habet Salvianus, lib. vi de Gubern., agens de Gallis sponte sua ad Gothos declinantibus : *Ad barbaros*, inquit, *migrant et commigrasse non pœnitet; malunt enim sub specie captivitatis vivere liberi quam sub specie libertatis esse captivi.*

Nota XXIII, p. 63.

Idatius noster in Fastis, Lucio consule, qui anno 413 nomen dedit, ait : *Occisi sunt Jovinus, Sebastianus et Heraclianus abolitus.* Subscribit Prosper. At Marcellinus Jovini et Sebastiani necem anno præcedenti alligat. Potior est Idatii **153** atque Prosperi auctoritas. De iisdem tyrannis Orosius, lib. vii, cap. 42 : *Jovinus*, inquit, *vir Galliarum nobilissimus, in tyrannidem mox ut assurrexit, cecidit; Sebastianus frater ejus hoc solum, ut tyrannus moreretur, elegit; nam continuo, ut est erectus, occisus est.* Olympiodorus Jovinum apud Mundiacum (lege Moguncíacum), Germaniæ urbem, tyrannidem arripuisse tradit studio Goaris Alani et Guntarii (aliis est Gundicarius) Burgundionum præfecti. Addit præterea Jovinum ægre tulisse Ataulfum sibi appropinquasse, pariterque Ataulfum Jovino succensuisse, quod is se invito Sebastianum fratrem imperatorem renuntiaverit. Quare utrique Ataulfus infestus Sebastiano caput abscidit, Jovinum vero ad Honorium vivum remisit. Hæc Olympiodorus, qui in Italia, ubi erat Honorius, necem Jovino illatam aperte significat. Prosper tamen et Marcellinus Idatio consentiunt, dum utrumque fratrem in Gallia interfectum fuisse narrant.

Nota XXIV, p. 64.

1. De nuptiis Ataulfi et Placidiæ Olympiodorus apud Photium hæc prodit : « Ataulfo studio ac consilio Candidiani nuptiæ cum Placidia conveniunt. Januario mense nuptiis dies dictus Narbone Galliæ urbe, in domo Ingenii cujusdam primarii ejus urbis viri. Hic digniore loco residente Placidia in atrio Romano more adornato habituque regio, assedit ipsi et Ataulfus lana indutus omnique alio amictu Romano. Inter alia nuptiarum dona donatur Ataulfus (*ab Ataulfo* legi debet; nam non Ataulfus a Placidia, sed Placidia ab Ataulfo his muneribus donata est) etiam quinquaginta formosis pueris serica veste indutis, ferentibus singulis utraque manu ingentes discos binos, quorum alter auri plenus, alter lapillis pretiosis vel pretii potius inæstimabilis, quæ ex Romanæ urbis direptione Gothi deprædati sunt. Hinc versus canuntur epithalamii, Attalo præcinente, dehinc Rusticio atque Phœbadio. Nuptiis finis datus lusu gaudioque ingenti Barbarorum simul et Romanorum, qui cum eis erant. »

154 2. Hinc liquide infertur et tempus et locum harum nuptiarum ignorasse auctorem Miscellæ, dum, lib. xiii, celebratas esse ait Foro Cornelii, antequam Ataulfus ab Italia discessisset. Patet deinde ex assignato ab Olympiodoro nuptiarum mense Januario doctissimum Pagium hallucinatum esse vehementer, dum persuasissimam eam imbibit opinionem de annis Idatianis ab Octobri auspicantibus. Nam si ita esset, profecto vindemiæ anni 413 æræ vulgaris et nuptiæ Ataulfi et Placidiæ mense Januario consequente celebratæ eidem anno alligatæ essent ab Idatio in Chronico, nimirum anno Abrahami 2430, in cujus primum mensem vindemiæ, in tertium vero nuptiæ incidissent. Atqui non ita ab illo factum est; sed contra vindemias, quarum tempore Gothi ingressi sunt Narbonem, anno 19 Honorii, nuptias vero anno 20 ascripsit. Exinde igitur manifestum est Idatium annum 19 Honorii et Abrahami 2429 finem usque Decembris, qui proxime post illas vindemias insecutus est, perduxisse, eoque ibi absoluto, novum a Januario sequenti annum inchoasse, videlicet Honorii 20, Abrahami 2430, die prima anni Christiani 414. Sed hoc ipsum positus notarum chronologicarum Chronici evidentissime demonstrat.

3. Denique Philostorgius, mendacissimus alioquin scriptor, Ataulfum duxisse Placidiam tradit, vivente prima ipsius uxore, quod nullus alius prodidit neque quisquam, opinor, crediturus est.

Nota XXV, p. 64.

1. Idatius, in Fastis, sub consulibus Honorio x et Theodosio vi, id est anno æræ communis 415, postquam inventionem sacrarum exuviarum divi Ste-

phani contigisse narravit, 6 feria, die 3 Decemb., A addit: *Exstant ex his gestis epistola sancti Luciani presbyteri et sancti Aviti presbyteri Bracarensis, qui tunc in Hierosolymis degebant.* Lucianus, cui facta est revelatio, Græce historiam hujus inventionis scripsit; Avitus Latinam fecit. Exstat autem tom. X operum divi Augustini, pag. mihi 630.

155 2. Avitum hunc non nemo forsan eumdem illum esse existimabit cui Hieronymus epistolam misit LIX, in qua de Origenis erroribus sermo est. Porro causa tunc non levis suberat, quamobrem Hispani Hieronymum de Origene consulerent. Ea declarat Orosius in commonitorio quod tom. VI oper. divi Augustini insertum est. Tempus deinde optime congruit: nam ea epistola est circa annum 413, quod ex illius exordio constat, ubi Hieronymus ante annos decem de eodem argumento litteras se ad Pammachium dedisse affirmat. Atqui litteræ hæ ad Pammachium anno circiter 404 scriptæ sunt; in iisdem enim legimus a morte tum Origenis annos numerari B CLI. Origenes autem mortuus est anno 253; igitur ex his omnibus annus elicitur 414. Si autem non omnes integri atque completi sint, recte eam epistolam ad Pammachium ad annum 403 referemus, et epistolam ad Avitum ad annum 413; si vero integri, altera anno 404, altera 413 scripta erit.

3. Scio, doctissimum Pagium, eam ad Pammachium epistolam anno 399 ascribere, ductum testimonio ipsius Hieronymi, qui ante annos XX quam eas ad Pammachium litteras mitteret, Constantinopoli se cum Gregorio Nazianzeno fuisse significat. At deceptus est Pagius, magnusque etiam Baronius, dum credunt Hieronymum Constantinopoli Gregorium convenisse anno 379. Siquidem Gregorius post synodum Antiochenam eodem anno 379, mense Octobri, habitam, ex Syria Constantinopolim profectus est, ad eumque postea Hieronymus accessit. Nihil autem similius vero est quam quod Hieronymus istud iter non arripuerit, nisi postquam ad Orientem fama pervenit, ecclesias Constantinopoli Arianis ereptas fuisse C Catholicisque restitutas Theodosii Magni edicto, quod Thessalonicæ promulgatum sive conditum est III Kal. Martii anni 380 habeturque l. II *de fide cath.*, Cod. Theod. Unde fieri vix potuit ut Hieronymus Constantinopolim advenerit, nisi eodem anno 380 labente. Substitit etiam in eadem urbe anno insequenti 381, dum generale concilium habebatur; quod testatur idemmet Baronius ad eumdem annum, colligiturque **156** ex ipso Hieronymo, lib. de Scrip. Eccles., in Gregorio Nisseno. Igitur cum ex his omnibus recte conficiatur, fieri non potuisse ut annus 20 a commoratione Hieronymi in urbe Constantinopolitana completus fuerit ante annum 402, completum autem fuisse tradit idem Hieronymus, dum ait: *Habetur liber in manibus ante* XX *annos editus*, quæ sunt verba ejus in laudata epistola ad Pammachium 65, multo probabilius est, quos ab incolatu suo in urbe Constantinopolitana ad scriptam a se epistolam ad Pammachium, annos XX, et amplius quoque a scripta hac D epistola ad scriptas Avito litteras annos X ipse numerat, ab anno 412 vel, ut potius, ab anno 413, retrorsum numerando, putandos esse; non vero ab anno 379. Maxime cum hic computus atque prior ille quem supra deduxi ex annis Origenianis optime inter se cohæreant.

4. Quod si hic Avitus ille etiam sit qui ex Hierosolymitana peregrinatione Origenis libros in patriam secum advexit, equidem vel sanctorum locorum desiderio vel tædio patriæ, quam a Barbaris dilacerari cernebat, vel Hieronymum consulturus, iterum in Palæstinam post annum 409 navigare potuit, cum semel antea eam peregrinationem confecisset, quando ex ea rediens Origenis libros attulit. Si ita est, Orosius profecto Bracarensis dicendus erit, cum ipse in Commonitorio Avitum illum civem suum appellet. Ego ex Aviti nomine (quod ea Hispaniæ ora frequens jam olim fuisse constat ex antiquis inscriptionibus apud Gruterum, pag. 31, n. 8; pag. 95, n. 2; pag. 252, n. 5, et apud Barveirum, in Itiner., pag. 49), item ex peregrinatione in Palæstinam per ea tempora a Gallæcis frequentata, demum ex Priscilliani erroribus, qui nullibi magis quam in Gallæcia invaluerant, quosque Orosius conjunctim cum Origenianis in eodem Commonitorio Augustino præposuit, non omnino temere credi posse existimo, Avitum, qui libros Origenis in Hispaniam asportavit, Bracarensem, aut saltem Gallæcum fuisse. Sed tamen certum id esse non affirmo; tantummodo nostræ historiæ illustrandæ desiderio suspicionem hanc meam volui exponere.

Nota XXVI, p. 65.

157 1. Ataulfus, ut in scholio adnotatum est, Narbonam anno superiore deseruit, et Barcinonam in Hispania occupavit, ubi insequenti anno interfectus est, qui fuit æræ vulgaris 416. Morales igitur, lib. XI, cap. 12, ingressum Gothorum in Hispaniam regnique eorum in illa initium perperam in eumdem hunc annum 416 distulit. Longius aberravit Majansius, dum in præfat. ad opera chronologiæ Marchionis Mondex., n. 80, hæc scripsit: *El Reyno de Espana empeso ano 420... quando los Godos sortearon entre si las provincias de Espana de la manera que escribe Idacio Obispo de Lamega en su Chronicon y S. Isidoro, copiandole in Vandalorum Historia, æra* 459. Non recte; nam Gothicum in Hispania regnum ex Idatio anno æræ vulgaris 420 neutiquam auspicatum est, sed 415. Sortitio provinciarum a Barbaris facta est, ex eodem Idatio, anno 411, quo Gothi nondum Italia excesserant Alpesve superarant, ut in Hispaniam venirent. Quare non hi, sed Vandali, Alani, Silingi atque Suevi provincias inter sese sortiti sunt. Eamdem provinciarum divisionem Isidorus æræ 449 adnectit, non vero 459, ut ait Majansius, qui hæc omnia posuit, ut exinde conficeret regni Gothici annum 985 in 1407 Dionysianum incidisse, quod ut eliceret, necesse erat ut regni Gothici exordium anno æræ vulgaris 423 illigasset. Neque melius doctissimus Pagius Ataulfi mortem retro ad annum 415 (ibi ipsum lege, n. 23), auctoritate Chronici Alexandrini, in quo sub consulibus Honorio X atque Theodosio VI hæc leguntur: *Mense Goripiæo*, VIII *Kal. Octob., die Veneris, nuntius allatus est de cæde Ataulfi barbari in partibus superioribus.* Ex quibus elicit Pagius, mortem Ataulfi die 24 Sept. anni 415, in quem incidit ille consulatus, contigisse, et, Idatium a Kal. Octob. annum exordiri. Verum si Pagius de hoc annorum initio ideo nos nunc monuit, ut Idatio cum auctore Chronici Alexandrini de anno necis Ataulfi convenire nobis persuademus, frustra est; nam 24 illo die **158** Sept. Abrahami annus 2332, cui necem Ataulfi alligat Idatius, nondum in cursu erat, sed octavo post die, nempe Kalendis insequentis Octobris, Pagio affirmante, inchoatus est. Quare dicendum incunctanter, Ataulfum occisum fuisse anno æræ vulgaris 416, cui in Idatii Chronico ex integro respondet annus Abrahami 2332 et 22 Honorii; præsertim cum divus Isidorus in Hist. Gothor. sex illi regni annos tribuat, et nequidem quinque regnasset, si 24 die septembris anni 415 interfectus fuisset. Nam a mense Novembri an. 410, quo citius regnum accipere non potuisse Ataulfum nota 21 ostendi, ad 24 Sept. anni 415, quinque non integri anni numerantur. Quapropter nisi Isidoro atque Idatio, quorum testimonium in rebus præsertim Hispaniæ longe potius est quam Chronici Alexandrini, refragari velit Pagius, Ataulfi necem ascribat oportet anno 416. Hinc etiam illud insuper liquet, desumptum ex Ataulfi cæde argumentum nihil facere ad exordium annorum Idatianorum eliciendum; nam divus Isidorus, qui annos æræ Hispanæ a Januario auspicatur, cædem Ataulfi ascribit æræ 454 et anno 22 Honorii, id est anno æræ vulgaris 416, siquidem huic anno alligat regnum Sigerici. Cum ergo ex Olympiodoro constet Sigericum septem tantum regnasse dies, necesse est mor-

tem Ataulfi demortui mense Septembri, et regnum Sigerici in eumdem annum Julianum incidisse æræ vulgaris 416, ut tradit Isidorus. Itaque de die ac mense cædis Ataulfi fortasse non falsa narrat auctor Chronici Alexandrini, tantumque ab eo peccatum erit in anno designando, dum pro Honorio et Palladio, qui consulatum gessere anno 416, Honorium atque Theodosium, et sub eis mortem Ataulfi scripsit. Denique Jornandes, in Geticis, n. 55, dum de Ataulfo ait : *Tertio anno postquam Gallias Hispaniasque domuisset, occubuit*, tam ambigue loquitur, ut, si velis, colligere ex eo possis Ataulfum anno 418 aut 419 obiisse.

2. De interfectore Ataulfi, de necis loco et causa, hæc narrat Olympiodorus : *Interficitur Ataulfus, dum equos suos in stabulo* **159** *de more contemplatur, a Gotho quodam ejus domestico, Dobbi nomine; cum hanc veteris odii vindicandi occasionem ille captasset; hujus enim prior dominus, Gothicæ partis rex, fuerat ab Ataulfo e medio sublatus. Exin Dobbium receptum Ataulfus in suam familiam asciverat, qui in ultionem prioris domini alterum hunc injecta manu violenta sustulit.* Et hæc Olympiodorus. At Jornandes, de rebus Geticis, n. 55, de eadem Ataulfi nece ait : *Occubuit gladio illo perforato Vernulfi, de cujus solitus erat ridere statura.* In his Olympiodori et Jornandis verbis interfectoris Ataulfi nomen diversum est. Reliqua neque inter se neque ab Idatianis valde discrepant, nisi quod Olympiodorus pluribus rem exponit. Qui cum plura etiam alia de Ataulfo tam distincte singillatimque describat, cum eodem Ataulfo Narbonæ Barcinonæque fuisse videtur.

Nota XXVII, p. 65.

Pagius, ad an. 415, n. 25, ex XIV. Cod. Theod., *de Infirmandis his quæ sub tyrannis*, deduci posse putat ante Kal. Mart. anni 416 inter Valliam et Honorium de pace conventum fuisse. Sed cum Vallia non ante hunc annum, verum ipso jam labente, Gothorum rex fuerit renuntiatus, quod ex supra dictis abunde constat, multo post Kal. Mart. ejusdem anni pacem illam confectam fuisse necesse est. Quid quod lex ea, ut mea quidem sententia fert, non eos respicit qui alicui ex tyrannis, sed eos qui prædæ sese latrocinioque dedentes, inturbatis rebus, Bacaudarum factionem a temporibus Diocletiani fere exstinctam initio hujus sæculi in Galliis suscitaverunt, duravitque non ibi modo, sed etiam in Hispaniis centum et eo amplius annos. Hos homines, ut ad tecta et oppida redigeret ex saltibus atque inaccessis locis, allicit Honorius melioribus illis verbis ejusdem legis : *Si qua per fugam aut per congregationem infelicium populorum*, etc. Præterea cum lex XI et XII *de Indulg. Crim.*, eod. Cod., datæ fuerint, quando bellum tota Italia fervebat, cur prædicta lex *de Infirmandis* **160** dari non potuit antequam pax cum Gothis iceretur? Igitur certius est fœdus istud percussum fuisse desinente quam ineunte anno 416. Neque enim statim ab electione Valliæ iniri potuit; quin imo postquam de hac electione Ravennæ auditum est : *Emplutius Magistrianus ad Valliam Gothorum præfectum mittitur* (ab Honorio), *qui pacis fœdera iniret Placidiamque reciperet. Ille vero commode recepit, missaque frumentatione sexcentorum millium, Placidia Emplutio tradita ad Honorium fratrem remittitur.* Hæc scripta reliquit Olympiodorus, quæ brevi tempore confici non potuerunt. Quare si Ataulfus vergente anno 416 interfectus est, Valliaque post ipsum accepit regnum (Sigericum non est cur modo numeremus), pax ista eodem anno desinente firmata est. Marcellinus hæc anno 414 tribuit.

Nota XXVIII, p. 65.

De Constantii et Placidiæ nuptiis Olympiodorus hæc narrat : *Honorius imperator Placidiam licet invitam Constantio in manum tradit ipso quo consulatum iniit die.* Iniit autem consulatum II (nam de hoc loquitur Olymp.) Kal. Jan. anni 417. Harum nuptiarum Idatius noster, Prosper et Cassiodorus, anno 416 ideo meminerunt, quia tum Placidia desponsata est Constantio ab Honorio, licet tradita non sit ante diem primam insequentis anni.

Nota XXIX, p. 66.

1. Duplex in describendo § *Durante episcopo* contractum est a librariis vitium; nam et de sua illum sede dejecerunt, et notis bis chronologicis XXV, quas Idatius eidem certissime indiderat, spoliaverunt, eas rejicientes in § *Inter Gandericum*, ubi illas nunc profert Editio Sirmondiana. Ultimum hoc vitium correxit Florius, prædictasque notas suo loco restituit. Optime id quidem exque auctoritate ipsius Idatii in Fastis, ubi consulatui Monaxii et Plintæ, qui in annum æræ vulgaris 419 et Honorii 25 incidit, terræ motus illos Palæstinæ **161** alligat; ibi enim hæc habet : *Sanctus Joannes Hierosolymorum episcopus, qui supra epistolam dirigit per Ecclesias orbis terrarum, quæ habetur de signis terroribusque divinitus perpetratis.* Et ne quis dubitet eumdem hic Idatium loqui qui Chronicon scripsit, animadvertat, quæso, pari utrobique errore hæc sub episcopo Joanne contigisse ab auctore affirmari. Quod sane argumentum est utrumque opus ab eodem fonte manasse, ut in dissert. prævia, n. 37, observatum est. Marcellinus quoque in Chronico sub iisdem consulibus eos terræmotus Palestinæ consignat.

2. Sane correctione doctissimi Florii prædictus § *Durante episcopo* anno suo, id est Honorii 25, restitutus est, verum non suo loco; namque collocari procul dubio debuit post §§ *Vandali Silingi* et *Alani qui*, in quibus bella quæ gessit Vallia anno 418 Idatius commemorat. Neque enim eo anno occisus fuit, teste Orosio, qui, finem suis Historiarum libris eodem anno faciens, hic, cap. ult. lib. VII, scribit : *Nunc quotidie apud Hispanias geri bella gentium et agi strages ex alterutro Barbarorum crebris certisque nuntiis discimus. Præcipue Valliam Gothorum regem insistere patrandæ paci ferunt.* Refragatur tamen Pagius ad annum 417, n. 23, quo Orosium opus suum in Hispania absolvisse duplici errore affirmat. Nam primum Orosius finem operi imponere se testatur anno mundi Eusebiano (Eusebii enim chronologiam secutus est, ut constat ex cap. 1, lib. I) 5618, qui cum anno æræ communis 418 concurrit, ut calculos subducenti perspicuum fiet. Siquidem in chronologia Eusebii annus 1 æræ vulgaris respondet anno mundi 5201. Igitur annus æræ vulgaris 418 concurrat necesse est cum anno mundi 5618. Sed nequaquam fieri potest ut annorum æræ communis impar numerus, puta 417, pari annorum numero, sive mundi, sive Abrahami, sive Eusebii chronologia respondeat, cum ab impari earum epocharum numero epocha Christiana initium suum sumpserit. Quapropter **162** in Chronicon Prosperi ubi annus mundi 5618 cum Monaxii et Plintæ consulatu connectitur, qui nomen dederunt anno æræ Christianæ 419, mendum irrepsit; nam ibi annus mundi 5619 consignandus certissime fuerat. Verum hujusmodi vitium totum illud Chronicon fœdavit, ex quo in ejus aditu inscriptus est annus mundi 5580, cum consignandus fuisset 5579, quod jam alibi demonstratum est.

3. Deinde allata modo ex eodem Orosio verba evidenter ostendunt eum, dum illa scriberet, alibi quam in Hispania fuisse; ait enim : *Nunc quotidie apud Hispanias bella geri.... crebris certisque nuntiis discimus.* Hæccine ab Orosio scribi poterant in Hispania consistente? Ubi vero tum erat? In Africa; quod ipse clarissime prodit, lib. V, cap. 2. Utrumque præterea ex epistola Severi in minori Baleari episcopi (apud Baronium, anno 418) satis certo colligitur, nam in ea Severus, de Orosio loquens, ait : *Presbyter quidam sanctitate præcipuus ab Hierosolyma veniens, Magonæ non longo tempore moratus est. Qui postquam transvehi ad Hispanias, sicut desideraverat, nequit, remeare ad Africam denuo statuit.* Hæc autem contigisse tradit Severus initio Februarii post

consulatum Honorii et Constantii iterum, qui consules fuerunt anno 417. Porro ab *Hierosolyma* Orosium venire ait Severus, quia exinde iter in Hispanias exorsus ille est, ibique sacrarum divi Stephani exuviarum reliquias adeptus erat, in quarum honorem Deus ingentia illa prodigia, quæ narrat in epistola sua Severus, operatus fuerat. Attamen Orosius, priusquam Magonem appulisset, in Africam delatus est, ut constat ex litteris Aurelii Carthaginensis et aliorum episcoporum provinciæ proconsularis ad Innocentium, pontificem Romanum, ex synodo habita die 23 Augusti anni 416 datis. In eadem Africa perstitisse Orosium usque ad initium anni 418 fere certum est. Sed tum ex ea solvens, cum in minorem ex Balearibus insulam descendisset, ibique infestari omnia a Barbaris in Hispania cognovisset, remeare in Africam statuit. Ubi ab Augustino, ut puto, hospitio exceptus, ipsius rogatu libros Historiarum **163** eo anno 418 aut a capite ad calcem totos confecit, aut incœptos antea, sive anno 416, sive 417, tum demum absolvit.

Nota XXX, p. 67.

Prodigia illa, quæ Hierosolymis anno Christi 419 evenerunt, a Joanne, illius urbis episcopo, litteris consignata fuisse Idatius et in Fastis et in Chronico tradit. At ex epistola Zosimi papæ secunda ad Aurelium et reliquos episcopos Africæ certissime constat, Joanne vita functo, Praylium anno 416 aut initio sequentis episcopatum Hierosolymitanum obtinuisse. Quin etiam Praylio quoque mortuo, Juvenalis eam Ecclesiam regebat anno 418, ut ostendam nota 47. Quapropter vel in scripto illo de signis atque prodigiis quæ Hierosolymis visa sunt expressum non erat episcopi nomen, et Idatius Joannem esse existimavit, vel in exemplari quod ipse habuit pro Juvenale subditus fuerat Joannes; ut ut sit, Fasti profecto sic sunt corrigendi : *His consulibus Juvenalis Hierosolymorum episcopus*, etc., et in Chronico quatuor illa verba, *Durante episcopo* quo supra, deleri debent. Attamen nobis nihil mutare licet, quia ab eodem Idatio ita scriptum fuisse videtur, cum in utroque opere Joannis nomen legatur, testatumque ipse reliquerit ad annum 435 se quo anno obierit Joannes scire non potuisse. Quæ autem fuerint portenta illa atque prodigia, quæ tunc Hierosolymis evenerunt, narrant Marcellinus in Chronico et divus Augustinus tomo IV Editionis Benedict., serm. 19. Irridet illa omnis pietatis irrisor Phereponus, religiosissimeque Sirmondo imponit quod in notis ad eum sermonem Augustini priora Marcellini verba præ verecundia reticuerit.

Nota XXXI, p. 67.

Cum divus Isidorus in Hist. Gothor. totum exscribat Idatium, mortemque Valliæ adnectat æræ Hispanæ 457, quis dubitet Idatium mortem hanc sub anno Honorii 25, quem etiam **164** in Isidoro exhibent Editiones Labbei et Grotii, consignasse, et notas has xxv in § *Inter Gundericum* post narratam mortem Valliæ non rejecisse? Itaque Vallia interiit anno æræ communis 419, et quidem, ut ego opinor, non ante autumnum. Nam cum regnum, teste Isidoro, *tribus annis tenuerit*, illudque adierit desinente anno 416, ut ex supradictis nota 27 constat, consequens est ut post Septembrem anni 419 obierit. Jornandes, in Geticis, per summum errorem Valliam inter vivos numerat anno quo Vandali in Africam transmiserunt; quem exteri plerique scriptores secuti sunt, Valliæ vitam et regnum protrahentes ad annum usque 429. Sed neque verius eidem anno alligat Jornandes naufragium illud quod in freto Herculeo passos fuisse Gothos anno 417 Orosius (anno sequenti Historiæ suæ finem imponens) memoriæ tradidit. At vero non ita hallucinatum fuisse Jornandem credo, dum Valliam scribit Tolosæ decessisse. Filiam is reliquit, quæ, viro ex regia Suevorum stirpe nupta, filium edidit Rechimerem. Id nos præcipue docet Sidonius in paneg. Anthemii, vers. 360, ubi hæc ait :

Ricimerem
In regnum duo regna vocant; nam patre Suevo
A genetrice Gethes. Simul et reminiscitur illud,
Quod Tartes iacis avus hujus Vallia terris
Vandalicas turmas et juncti Martis Alanos
Stravit, et occiduam texere cadavera Calpen.

Ubi Sidonius bellum innuit, quod Vallia cum Vandalis et Alanis gessit annis 417 et 418, cujus ait : *Gaisericus reminiscitur;* nam de Gaiserico ibi loquitur

Nota XXXII, p. 67.

Theodorem Gothorum regem, qui Valliæ successit, filium, seu potius generum fuisse Alarici significat Apollinaris Sidonius, **165** carm. VII, versu 501, ubi Theodoricum Theodoris hujus filium sistit ita loquentem :

Testor, Roma, tuum nobis venerabile numen,
Me pacem servare tibi, vel velle abolere
Quæ noster peccavit avus; quem fuscat id unum
Quod te, Roma, capit.....

En Theodoricus Theodoris hujus filius avum vocat Alaricum; hic enim est qui Romam expugnavit et cepit. Unde necesse est Theodorem aut Alarici filium fuisse, aut generum. Regni ejus initium anno 419 in exitum vergente consignandum est ex supradictis.

Nota XXXIII, p. 68

Olympiodorus, qui Placidiam Constantio traditam fuisse scribit Kal. Jan. an. 417, Honoriam ex hoc conjugio prius in lucem editam quam Valentinianum memorat. Proinde Valentinianus ante annum 419 nasci non potuit. Marcellinus, in Chronico a Panvinio edito, rursusque in Hildelbergensi Editione anni 1588, diem designat et locum natalis Valentiniani, inquiens natum fuisse Ravennæ VI Non. Jul. Sub eadem die Kalendarium Ptolemei Silvii, in Actis sanctorum Antuerpiensibus, tom. VI Junii, hæc habet : *Natalis genuinus domini Valentiniani*. Eumdem etiam diem designat Prosper in Chronico. Quapropter corrigendus est Marcellinus in Editione Sirmondiana, quæ diem V Nonas præfert.

Nota XXXIV, p. 69.

1. Dum librarius ea Chronici verba scriberet : *Constantius imperator Ravennæ moritur in suo III consulatu*, consulatum audiens, notam novi anni, scilicet 27 Honorii, iisdem verbis apposuit non aliter ac si Chronicon consulare exscriberet. Sed aperte contradicit Idatius, cum dicat Constantium mortuum fuisse *tertio consulatu*, qui in Fastis ejusdem Idatii anno Honorii 26 **166** æræ communis 420 respondet. Similiter peccatum est a librario infra, anno 449, uti ostendam. Igitur Idatius Constantii principis tota Hispania notissimi atque celeberrimi, et sub cujus ditione ipse neque puer neque adolescens, sed pene vir, anno 420 degebat, eidem anno mortem alligavit expressis illis verbis : *Moritur in suo tertio consulatu*, quæ non facile vitiari queunt; cum e converso notæ chronologicæ frequentissime a librariis depraventur, eas vel prius vel posterius quam ab auctoribus inscriptæ sunt describentibus. Panvinius, lib. I de Romanis principibus, Idatio, quem non viderat, consentit, atque etiam enim. Baronius, dum ad annum 419, num. de Constantio, ait : *Quem sequenti anno obiisse scimus*. Prosper et Cassiodorus mortuum esse aiunt Constantium an. 421. Denique Theophanes regnum adiisse tradit 8 die Febr. anni 421, eodemque mensis Sept. die 2 obiisse. Dissentit itaque Theophanes ab omnibus antiquis scriptoribus Occidentis, a Prospero et Cassiodoro, de initio, ab Idatio vero de initio et fine imperii Constantii. At fieri potest ut dum Constantium inquit imperium adiisse VI Id Febr. anni 421, de die inaugurationis vera scripserit, licet quod narrat de anno falsum omnino est.

2. Interea doctissimus Pagius ad annum 420, n. 2, Theophani, qui quadringentos fere post annos in Oriente vixit, quique in eadem Constantii narranda morte insigniter deceptus est, fidem præstare maluit quam Idatio coævo scriptori, qui ea quæ sub ejus

ferme oculis gerebantur posteritati mandabat, quique Constantii mortem singulari characterismo designavit, inquiens: *Moritur in suo tertio consulatu.* Existimat sane Pagius Theophani suffragari præter Prosperum et Cassiodorum (quos tamen non magis Theophani quam Idatio favere supra vidimus), leges quas ex Cod. Theod. post Sigonium et Gothofredum profert. Sed primum animadvertere oportet nullam toto imperii Constantiani tempore (siquidem 2 die Septemb. an. 420, mortuus fuerit) editam fuisse legem, in qua Constantii nomen ullo modo exprimi potuerit, etiamsi eo **167** anno a mense Februario in septembrem imperaverit. Nam in his quæ a Theodosio latæ sunt, cum ille Constantium in regni societatem assumere noluerit, procul dubio expressum non fuit. Honorius autem duas eo anno edidit, alteram quæ est VI *de Legitimis hæredit.* V. Kal. Octob., alteram quæ nunc in duas conscissa est, cum unica tantum fuisset, uti constat ex appendice Cod. Thod., n. 10, apud Sirmondum, tom. I, p. 409, eamque Gothofredus monuit in *Aniano optimæ notæ* subcriptam esse VIII Kal. Novemb. Igitur utraque edita est post Constantii obitum, si is mortuus est 2 Septemb. an. 420.

3. Deinde ex septem legibus anno 421 editis, secunda *de Repudiis* in Aniano et aliis manuscriptis Codicibus data legitur VII Idus Novemb., uti testatur Gothofredus. Tum autem, juxta Theophanem, mortuus erat Constantius. Quatuor aliæ, scilicet unica *de Quinquen. præscript.*, XXIII de *Bonis præscript.*, et XXXIX et XXX de *Petit. et ult. dat.*, unica tantum ab initio fuit; nunc autem cum in quatuor partita est; prima, secunda et ultima, duæ illæ in Cod. Theod., hæc in Cod. Justin., Constantii nomine carent.

Sexta, quæ est XLV de *episcopis*, Constantium non exprimit.

Septima, quæ est unica: *Si certum petatur de chirographo*, Constantii nomen retinet; sed id non satis est, ut dicamus Constantium tunc temporis nondum obiisse; quandoquidem tam sæpe fallunt legum inscriptiones, ut Gratiani nomen post ejus etiam mortem sexagies et ultra nobis obtrudant. Quin etiam lex XXXI *de Petit. et ult. dat.*, Cod. Theod., quæ lata est anno 422, Constantium in fronte refert; et tamen nemini dubium est tum jam Constantium vivere desiisse. Igitur ex hujusmodi inscriptionibus, nisi firmiora argumenta aliunde habeantur, nullo pacto collegi certe potest quo anno Constantius decesserit, quaque morte mortuus fuerit, non violenta, ut narrat ibidem Theophanes (ex quo fit ut minor ipsi in his quæ de Constantio tradit adhibenda sit fides), sed pleuritide correptus interiit. Quod scriptor illius temporis Olympiodorus testatur inquiens: *Septimo imperii mense (quemadmodum et in somnium sic indicaverat:* SEXTUS ABIIT, SEPTIMUS INCOPATUR) **168** *pleuritide exstinctus est.* Neque Idatius, si violenta cæde periisset, scriberet *moritur.*

4. Cardinalis Baronius, ad annum 420, doctissimus Joannes Garnerius, dissert. 3 de Constit. imperat. adversus Pelagianos, et alii, epistolam allegant Constantii ad Volusianum præfectum Urbis, quam idem Garnerius pluresque alii eruditissimi viri scriptam fuisse opinantur anno 421. Igitur Garnerius, laudato loco, postquam supra verum asserit Idatium *ubique fere corruptum esse*, contraque veritatem opinatum illum fuisse affirmat *Constantium jam inde ab anno* 419 *imperium* suscepisse, ex prædicta epistola initium Constantiani imperii alligandum prorsus contendit anno 419. Sed immerito, tum quia ea epistola nota diei et consulis caret; tum etiam quia titulus illius apud Garnerium *Epistola Constantii imperatoris patris Valentiani Augusti III* (a quo nihil quoad rem nostram differt is qui legitur apud Salmasium in Eucharistico) argumento est Codicem in quo ea epistola continebatur longe post Constantii mortem scriptum fuisse. Unde fieri potuit, et ita factum esse nequaquam dubito, ut a librario in inscriptione epistolæ imperatoris nomen adderetur; quantumvis illa ante initum a Constantio imperium scripta fuisset. Equidem constat id genus epistolas ad diversos magistratus et episcopos ante imperium dedisse Constantium.

5. Exemplar quoddam hujusmodi litterarum ad Symmachum P. V. datarum affert Baronius, ad annum 419, et paulo antea eodem anno binas exscribit Honorii epistolas, in quarum prima ad Aurelium Carthaginiensem ait Honorius: *Et quamvis sufficerent domini germani mei Augusti scripta.* In secunda vero ad Augustinum et alios: *Sed quamvis sacra Domini germani mei Augusti principis ad Italiæ synodum evocans auctoritas non negligenda provenerit.* Honorii has esse litteras, non autem Placidiæ, quod opinatur em. Norisius, lib. I Hist. Pelag., cap. 16, constat tum ex fide manuscriptorum, quæ habuit em. Baronius, tum ex ipsarum verbis. Perpendat illas lector, invenietque de Honorii Augusti auctoritate non tam humiliter demisseque locuturam fuisse **169** Placidiam maxime cum de se ipsa ita loquatur: *Sociandа, etiam serenitatis nostræ scripta judicamus.* Quidquid non ad unum tantum Aurelium, sed ad septem alios episcopos scripsisse Placidiam incredibile est. Tandem in Append. Cod. Theod., apud Sirmondum, tom. I, pag. 417, Honorius ad Constantium scribens ait: *Id, Constanti, parens charissime, ad notitiam omnium ordinariorum judicum facies pervenire.* Scripta notatur hæc epistola XV Kal. Feb., Honorio XI et Constantio III consulibus. Sed vix dubium est quin legendum sit Constantio II, ut ad annum referatur 417, quo cum Honorio XI consul fuit iterum Constantius; nam si ad annum 420 pertineret epistola, quo tertium consulatum cum Theodosio gessit Constantius, librarius *Theodosio* IX in *Honorio* XI commutasset, longe autem credibilius est pro *Constantio* II scripsisse *Constantio* III.

6. Ex his omnibus nonnulla nobis datur colligere: 1° Constantium antequam in imperii consortium ascitus fuisset, decoratum esse ab Honorio *Augusti* titulo, quod alias nulli unquam viro ante solemnem inaugurationem, id est, ante imperium regnumque assumptum contigisse credo, certe non memini. 2° Eumdem Constantium postquam in matrimonium Placidiam duxit, auctoritate quadam functum fuisse, quæ ipsi supremos etiam magistratus præfectos prætorio et Urbi subdebat; quam imperii vicariatum aut proconsulare imperium non omnino inepte appellare possumus. 3° Constantium hac, qua præpollebat, auctoritate prædictam ad Volusianum epistolam vel ante initum etiam imperium dare potuisse. Quamobrem nisi constet aliunde illam anno 421 scripsisse, nihil penitus actum fuerit a Garnerio. Atqui neque ex ascriptione, cum illa careat epistola, neque ex titulo *Imperatoris* Constantio ibi attributo id deduci potest, ut supra observatum est. Restat ergo ut ex persona illius ad quem mittitur epistola, tempus quo scripta est, eruamus. Igitur Volusianus Urbis præfecturam accepit anno ejusdem Urbis 1170, teste Rutilio Numatiano, lib. I Itiner., ubi Volusianum sibi proxime in ea **170** præfectura successisse affirmat. Rutilius autem eam administravit anno Urbis 1179, quod ipse hoc disticho testatur:

> Quamvis sedecies denis et mille peractis
> Annus præterea jam tibi nonus eat.

Urbis hunc annum cum æræ Christianæ anno 417 conjungit Panvinius. Quare si anno insequente præfecturam Urbis gessit Volusianus, profecto eam gessit anno 418. At inquies, in chronologia Panvinii, qui ipsi annus est Christi 417 juxta Dionysii computum est 416, quia Panvinius epocham Christi a consulatu Cæsaris et Pauli numerat, atque adeo recte cardinalem Norisium in Adventoria ad Macedum scripsisse concludes: *Gessit Rufius Volusianus Urbis præfecturam anno epochæ Christianæ* 417. Nec vacat, nec juvat examinare quam de Urbis conditu opinionem Numatianus secutus fuerit, neque an in secundo versu legendum sit *nonus eat*, qua i annus is quem designat etiam tum flueret, an *nonus erat*, quod in

Editione Panvinii legitur, quodque annum jam exactum significat. Satis est ut ex Numatiani auctoritate statuamus proxime post ipsum Urbis præfecturam tenuisse Volusianum. Nam cum ex leg. IV *de habitu quo uti oportet*, Cod. Theod., constet die 12 Decemb. anni 416 eam præfecturam Probianum administrasse, præfectura Volusiani nequivit non incidere in annum 418, quando quidem inter ipsum et Probianum medius fuit Numatianus. Itaque deceptus est cardinalis doctissimus, et præfectura Volusiani alliganda est anno æræ vulgaris 418. Cum ergo a die 30 Aprilis ejusdem anni constitutiones atque edicta in Pelagium et Cœlestinum ab Honorio Augusto et a præfecto prætorio promulgari cœpta fuissent, et præfectus Urbi Volusianus negligenter nimis sanctiones principis contra fidei perduelles executioni mandaret, Constantius severa eum censuit correctione admonendum, quod fecit missa ad eum epistola de qua sermo est.

171 7. Ex quibus liquido consequitur nullum aliud esse fundamentum, ut hujusmodi epistola scripta fuisse dicatur anno 421, quam quod in ipsius titulo imperatoris nomen Constantio defertur. Cæterum ut eam in annum 418 referamus, suadet, 1° præfectura Volusiani, quam hoc anno administrasse modo demonstratum est: anno autem 421, eam gessisse nusquam alias, quod ego sciam, proditum est. 2° Quod insignita non sit epistola nominibus aliorum Augustorum, sal em Honorii, cum in epistola ejusdem Honorii ad Aurelium Carthaginensem episcopum de iisdem, Pelagio et Cœlestio, scripta, Theodosii nomen expressum sit. 3° Id ipsum suadet edictum Volusiani, in quo ista leguntur: *Hactenus Cœlestium divinæ fidei et quietis publicæ turbatorem, judiciis, amica reis secreta subduxerunt. Jam leges et jam edicta persequentur absentem*, etc. Hæc Volusianus ediceret anno postquam sententia in Cœlestium lata est. 4. Editum jam, an non potius olim *jam* in hunc divinæ fidei et quietis publicæ perturbatorem edicta jaculata fuisse diceret Volusianus, si edictum suum anno 421 proponeret?

8. Enim vero res, ut ego existimo, ita se habuit. Ab Octobri anni 417 ad Maium insequentis anni 418 plurimis gravissimisque *inter apostolicam sedem* (ut refert Augustinus, lib. II ad Bonif., cap. 3) *et Afros episcopos currentibus et recurrentibus scriptis ecclesiasticis*, tandem Zosimus papa, quantumvis eo usque lenius cum Cœlestio se gessisset, rursus in examen vocare, severiusque causam illius dijudicare constituit. *Ergo cum ejus* (addit ibidem Augustinus) *præsentia posceretur, ut certis ac dilucidis responsionibus vel astutia hominis, vel correctio dilucesceret, et nulli ambigua remaneret, se subtraxit et negavit examini.* Hæc Augustinus. Eadem Marius Mercator narrat in Commonit., illud expresse adnotans, quod Cœlestius huic indictæ a Zosimo *audientiæ pleniori non solum non adfuit, sed etiam ex Romana urbe profugit.* Dum hæc geruntur, deventum est ad diem 30 Aprilis anni 418, quo Honorius Augustus constitutionem edidit adversus Pelagium et Cœlestium, **172** quos urbe pelli cum cæteris sectatoribus jubet. Constitutionem imperatoris consecutum est edictum præfecti prætoris, præcipiens ut *Pelagius atque Cœlestius venerabili Urbe submoti bonorum concilio mulctarentur.* Aberat tunc Roma Pelagius; attamen quia erroris magister et sacrilegæ sectæ auctor habebatur, in eum etiam constitutiones principum et edicta præfectorum animadvertebant; et ne illi ad Urbem accedere futuris temporibus liceret, ab ea non secus ac si præsens esset, pelli ipsum jubent. At Volusiani edictum Cœlestium solum petit, et exinde non temere colligimus editum illud fuisse anno 418 aliquod post tempus quam promulgata fuit imperatoris constitutio, quia dubium erat an Cœlestius Urbem reliquisset, Constantiusque aut suspicabatur aut certe cognoverat Romæ delitescere. Porro Garnerius, dissert. de Auctoribus et Defens. hæresis Pelag., cap. 5, disertis verbis scripsit: *Cœlestium vel re ipsa non profugisse Urbe, cum se judicio subduxit, sed apud potentes præsertim feminas latuisse, vel in Urbem postquam detonuit tempestas, securum rediisse, connivente Urbis præfecto.* Si ergo Cœlestius ab Urbe non discessit constitutionis Honorii in eum promulgata metu, vel etiamsi ad tempus aufugit, ubi primum sese dedit occasio, in eam iterum irrepit; quis negat ante annum 419, id est anno 418 desiderare potuisse præfecti Urbis in tanta peste ab ea arcenda diligentiam?

9. Sane quæ hucusque dicta sunt, quam veri simillima sint, quantoque probabilius anno 418 quam 421 ascribi queant, nemo, qui ea pensiculate consideret, non agnoscet. Ita ut si in epistola adjectum Constantio *Imperatoris* nomen non legeretur, nemo opinor, anno 421, eam unquam adjudicandam existimasset. At quis non videt *Imperatoris* titulum apponi potuisse a librario, ut sciremus quisnam esset auctor illius epistolæ, sicut eadem de causa in ejus fronte adjecta sunt illa *patris Valentiniani Augusti III?* Porro Photius cum de scriptis principum adversus Pelagianos agit, Cod. 53, Theodosium et Honorium imperatores appellat, **173** Constantium vero non ita. Igitur ab ea epistola, ut Constantium usque ad annum 421 vitam duxisse credamus, dubium admodum, ne dicam futile, argumentum desumitur. Efficacius multo efformare possumus ex consulatu quem idem Constantius gessit anno 420, ut eodem anno ad imperii fastigium ascendisse incunctanter asseramus. Id enim alias non semel factum fuisse scimus, et de alio vero testatur Spartianus, quod *quia deputatus erat imperio, iterum consul designatus est.* Itaque cum Honorius Constantium anno 420 Augustum nuncupare decrevisset, in eumdem hunc annum consulem designavit, ut in Kal. Jan. et consul et imperator procederet. Verum, obnitente Theodosio, qui Constantium in regni societatem assumere recusabat, atque euntibus hinc illinc et redeuntibus nuntiis, res protacta est ad diem usque VI ante Id. Febr., quo, omni spe abrupta obtinendi a Theodosio consensus, absque eo Constantius Augustus factus est eo anno 420. Hinc in Orientem, cui Theodosius imperabat, Constantii iræ; hinc in ipsum meditata expeditio. Exstat apud Grut., p. 449, n. 7, lapis in quo legitur Honorium, Theodosium et Constantium, Augustos, jussisse statuam Petronio Maximo, præfecto Urbis constitui. Præfecturam autem Urbis gessisse Maximum anno 420 opinantur viri doctissimi ipsique directam fuisse autumant legem VI *de legit. hæredit.*, quæ lata est V Kal. Octob. eodem anno 420. Nam licet inscripta sit Maximo P. P., at illo anno 420 Palladium, non vero Maximum P. P. fuisse constat. Quapropter subscriptionem eam corrigunt leguntque *Maximo P. U.* Ex his ergo concludimus Constantium, si renuntiatus fuit Augustus mense Febr., ut ait Theophanes, non alio quam Febr. anni 420 renuntiatum fuisse eodemque anno post 6 imperii menses interiisse.

Nota XXXV, p. 69.

1. Salvianus, lib. VII de Gubern. Dei, agens de prælio quod Castinus cum Vandalis commisit, ait: *Ad Vandalos cum in* **174** *Hispania sitos nostra pars pergeret, tantamque ad debellandos eos præsumptionis fiduciam ferret, quantam proxime ad Gothos* (bellum innuit Tolosanum, de quo Idatius anno 439), *pari superbiæ fastu, pari exitu corruerunt.* Hæc prima causa infelicitatis illius pugnæ, despectus hostium et propriarum virium confidentia. Secundam adnotat Prosper sub consulibus hujus anni 422: *Castinus*, inquit, *Bonifacium virum bellicis artibus præclarum inepto et injurioso imperio ab expeditionis suæ societate avertit; nam ille periculosum atque indignum ratus sequi quem discordem superbientemque expertus esset, celeriter se ad portum Urbis atque inde ad Africam proripuit.* Ita Castinus dum Bonifacium a se avertit, ab hostibus superatus et victus est. Alter Prosper ad annum 8 Theodosii XX fere millia Romanorum a Vandalis occisa fuisse affirmat.

2. Idatius silentio præteriit Bonifacium tum temporis in Hispania fuisse ex eaque in Italiam properasse. Attamen ipse cum Prospero ex Italia in Afri-

eam Bonifacium contendisse testatur. Nimirum in Africam tandem rediit, unde Honorii jussu ad bellum sub Castino gerendum in Hispaniam venerat. Ita ex epist. divi Augustini (olim 70) colligo; qui præterea Bonifacium hoc tempore, defuncta uxore, secundam extra Africam eamque Arianam duxisse refert. At cognatam eam fuisse regis Gaiserici, ut ait Baronius, neque Augustinus innuit, nomenque mulieris renuit, quod fuit Pelagia.

Nota XXXVI, p. 70.

Cum ex Fastis Idatii nostri (quidquid reclamet Pagius) liquido constet eum non ignorasse Honorium ante annum 424 vita functum esse, atque adeo 30 imperii annum non attigisse, cur triginta principatus illi annos tribuit et sub anno 424 mortem ejus ac tricennalia consignat? Si vehementer non ego fallor, Idatius, cum animadverteret epocham imperatorum mensuram esse aliarum, Abrahamiticæ nimirum, et Olympiadicæ, quas non singulis, ut imperatoriam, annis, **175** sed decimo quoque Abrahamiticam, quarto quoque Olympiadicam tantum solitus sit exprimere, nullam putavit faciendam sibi esse in Chronico annorum imperatoriorum interruptionem, ne novis hujusmodi annorum deficientibus Abrahamiticorum et Olympiadicorum cunctæque chronologiæ ratio perturbaretur, ut sane turbata est infra ab anno Leonis VIII, postquam Idatius narrationem suam non digessit, nec partitus est adnotato quolibet imperii ineunte anno. Id autem ut præcaveret Idatius, interregnorum tempus his principibus qui præcesserunt ascripsit. Quod infra in Avito demonstrabo. Igitur Idatius Honorio adjudicans interregni tempus quod inter ipsum et Valentinianum III fuit, imperium ejus ad triginta usque annos produxit; et cum ad extremum pervenit, tricennalia illius mortemque enuntiavit; ne cuiquam absonum videretur exhiberi a se Honorium tricennalia ante trigesimum regni annum celebrantem et imperium post ipsam etiam mortem administrantem.

Nota XXXVII, p. 70.

Theodosius Arcadii filius, anno æræ Christianæ 425, cui Idatius in Chronico imperii ejus annum 1 adnectit, ætatis procul dubio agebat 24, atque hunc, non autem 26 designavit isto loco Idatius. Relege quæ dicta sunt nota 16. Utrobique ergo tum hic, tum ad annum 401 Idatius a librariis depravatus est. Quare non erat cur Pagius ad annum 428, ut nota præcedenti observabam, ex hoc librariorum errato in annis Theodosii describendis et ex morte Honorii ab Idatio sub anno illius 30, id est, 424 æræ vulgaris commemorata, eum quasi parum accuratum in Romana historia scribenda illiusque imperitum accusaret. Potiori jure Pagius ipse corrigendus infra veniet, quia, ad annum 448, n. 13, sui immemor, Idatio imponit auspicatum esse annos regni Theodosii ab Octobri anni 423, cum ex annis quos tribuit Honorio quoque, quod ei tribuat carpit memorato anno 428 **176** Pagius, manifestissime deducatur annum 1 Theodosii anno æræ vulgaris 425 eum illigavisse.

Nota XXXVIII, p. 71.

Olympiodorus non Cæsaris, sed Nobilissimi titulum, Constantinopoli accepisse Valentinianum scribit; Cæsarem vero Thessalonicæ factum ipse Olympiodorus atque etiam Philostorgius tradunt. Porro Valentinianus Nobilissimi, Placidia vero Augusti titulis decorati antea fuerant; utrique tamen Theodosius conferre honores istos voluisse videtur, quia in principatus societatem ipse Constantium admittere noluerat, ex quo in uxorem Placidiam et filium Valentinianum hæc prius decora promanaverant. Lex XIV *de Muril et Gynæc.*, Cod. Theod., die 16 Octob. anni 424 lata, Valentinianum Cæsarem vocat. Sed lex, ejusd. Cod., XXXIII *de annona et tributis*, quæ sex ante dies edita fuerat, Theodosii solius nomen præfert. Hinc inferre utcunque licet aliquo ex illis sex diebus, A qui a 10 ad 16 Octob. ejusdem anni 424 excurrerunt, Valentinianum Cæsarem renuntiatum fuisse.

Nota XXXIX, p. 71.

Joannem tyrannum Aquileiæ necatum fuisse affirmat Philostorgius, lib. XII. Quod quidem dubitandum non esse asseverat Pagius ad annum 42, n. 4, quia Idatius, qui Ravennæ Joannem supplicio affectum fuisse tradit, *de rebus extra Hispaniam*, inquit Pagius, *parum edoctus fuit*. At Philostorgius nequidem de rebus in Græcia actitatis conscium sese prodit eodem loco, dum ibi idem Placidiam scribit et Valentinianum post obitum Honorii ex Italia Byzantium profugisse. *Atqui Placidia Augusta a fratre Honorio pulsa ad Orientem cum Honoria* (sic enim lege, non Honorio, feminæ significatu, quod improbabiliter docet alicubi Norisius) *et Valentiniano filiis profecta fuit*, ut narrat Prosper sub consulibus Mariniano et Asclepiodoto; eademque tradunt Cassiodorus et auctor Miscellæ, **177** omniumque fusissime Olympiodorus. Idatio B igitur magis quam Philostorgio fidem adhibere oportet; Joannemque neci Ravennæ datum credam, quandocunque nullus melior auctor quam Philostorgius Aquileiæ occisum testetur.

Nota XL, p. 71.

Valentinianus junior apud Ravennam factus est Imperator, scribit Marcellinus, in Chronico, sub consulibus anno 425. *Romæ Augustus appellatur*, ait Idatius, cui Olympiodorus præiverat, dum in fine Historiæ suæ scripsit: *Cæso Joanne Tyranno, Helion magister et patricius Romam invasit, omnibusque eo confluentibus Valentinianum jam septennem veste induit imperatoria.* Septimum annum inierat Valentinianus secunda die Julii hujus anni. Quapropter septennem eum tunc fuisse non ita intelligas, quasi septimum jam tum explevisset annum. Die 8 Octob. hujus anni 425 nondum Augustum renuntiatum fuisse Valentinianum, indicio est lex XLVII *de episc. Eccl. et* C *cler.*, Cod. Theod., in qua ea die Cæsar appellatur. Verumtamen decimo quinto post die, id est, 23 ejusdem mensis Augustus inauguratus est. Ptolemæus Silvius, in Kalendario supra laudato: X *Kal. Novemb.*, *natale Valentiniani purpuræ*, etc. Eadem die, qua Romæ imperatoriam vestem induit Valentinianus, Constantinopoli Theodosii decreto Augustus nuncupatus est, ut ex Prospero, in Chronico, et ex Socrate, lib. VII, cap. 25, colligitur; namque in hoc sensu verba Socratis accipienda sunt.

Nota XLI, p. 73.

1. Vandalicum in Africa regnum initium suum sortitum est mense Maio anni 329, quod in scholio adnotatum supra. At Cuperus, et, apud ipsum, in Vita sancti Victoris Vitensis XXIII; Chiffletius atque Ruinartius Vandalorum in Africam irruptionem ex Prosperi testimonio, in Chronico, quem de more sequitur Cassiodorus, anno 427 adnectunt. Verum **178** nemo erit qui dubitet potiorem in hac re esse D auctoritatem Idatii, qui tum inter Vandalos degebat, et tertio jam anno episcopus creatus fuerat. Quid quod Prosperi Chronicon frequentibus scatet chronologicis mendis. Sane Cuperus ipse, in Chronotaxi gestorum divi Augustini, ad diem 28 Augusti, annumque 428 hæc ait: *Hoc vel sequenti anno Vandali Africam ingrediuntur.*

2. Nec fefellit magnos viros, ut Pagius ad annum 428, n. 3, conjicit, modus in annis numerandis ab Idatio usurpatus (quod quia sæpe inculcat vir hic doctissimus, sæpe etiam a me refellendus est), nam in chronologia Idatii Maius est anni Abrahamitici 2445 idem ipsissimus Maius est anni Dionysiani 429, sive annum illum Abrahami numeret ab octobri æræ communis 428, sive a Januario insequentis anni 429. Quicunque ergo Vandalorum transitum in Africam vel anno Dionysiano 427 vel 428 alligant, non ideo decepti sunt, quia methodum non animadverterunt quam in annis numerandis tenet Idatius, sed quia

Idatii testimonium obliti sunt, vel quia despectui habuerunt.

3. Præterea exinde etiam factum est ut viri illi doctissimi sibi persuaserint, Victorem Vitensem libros suos de persecutione Vandalica scribere aggressum fuisse anno 487. Cum tamen, juxta id quod scribit Idatius, annus sexagesimus Vandalici in Africa regni, quo se scribere nos monuit Victor, in annum inciderit 489, nam a 429 ad 487 non plures quam LVIII numerantur. Sexagesimus ergo, quo scribebat Victor, annus erat Dionysianus 489.

4. Cæterum, licet ab anno 429 regnum Africanum auspicatus sit Gaisericus, attamen a capta Carthagine, id est, ab anno 439, numerari vulgo solet ab historicis, atque etiam ab eodem Victore. Nam in fine lib. I Gaisericum regnasse scribit annos XXXVII, menses III (Anonymus Augustanus a Canisio editus addit dies VI), quos a capta Carthagine, non autem ab ingressu illius in Africam numerat. Itaque cum Carthaginem occupaverit XIV Kal. Novembris anni 439, **179** ut ad eum annum asserit Idatius; si huic numero addas annos XXXVII, menses III, obiisse Gaisericum colliget an. 477, die XIV Kal. Febr., aut sexto post die, juxta Anonymum Augustanum.

5. Hinc corrigendus est Victor Tunensis, qui Gaisericum decessisse ait Olybrio et Rustico consulibus, qui nomen dederunt anno æræ communis 464, Africani regni 40 anno. Victorem hunc secutus est divus Isidorus, in quo propterea tam Gaiserici quam successorum ejus cunctæ epochæ depravatæ sunt. Sed hæc jam dicere occupavit Florius ad ipsius Isidori Vandalorum Historiam.

Nota XLII, p. 74.

1. Prosper consulatu Theodosii XI et Valentiniani, qui eum gesserunt anno 425: *Arelas, ait, nobile oppidum Galliarum a Gothis multa vi oppugnatum est, donec, imminente Aetio, non impuniti recesserunt.* Unum idemque bellum Prosperum hic Idatiumque anno 430 narrare res ipsa, verbaque utriusque, atque Isidori, quem statim adducam, ostendunt. Et tamen quinque prius annos Prosper quam Idatius illud consignat. Pagius Prospero huic adhæret, alterumque Prosperum Pithœanum ad Idatii sententiam propius accedentem sugillat, *quia per hæc tempora,* inquit, *Chronicon ejus quoad annos imperatorum valde depravatum est.* Sed id verius Aquitano Prospero objici poterat, qui per hos annos bellum hoc Gothicum et transitum Vandalorum in Africam, bellum insuper Francicum, perturbato nimium ordine describit. Quod ad rem nunc attinet, mirum est virum eruditissimum Pagium non animadvertisse Aetio eo anno 425 primum fovendæ Joannis tyrannidi, deinde Hunnis in Pannoniam deducendis intentum, bellum cum Gothis gerere non potuisse. Itaque bellum istud annos quinque Prosper antevertit. Finitum autem est fœdere Romanos inter et Gothos inito, datisque a Gallis regi Theodori obsidibus, inter quos Theodorus erat, **180** Aviti propinquus; cujus meminit Sidonius carm. VII, vers. 218:

Regi Getico tua Gallia pacis
Pignora jussa dare est, inter quæ nobilis obses
Tu, Theodore, venis, quem pro pietate propinqui
Expetis in media pellitis principis aula,
Tutus, Avite, fide.

Anno autem 425 tantæ apud Gothos auctoritatis fuisse Avitum, ætate tum juvenem, utpote qui triginta post annos imperator factus est, non facile credam. Quam ob rem rursus Idatio præ Prospero assentior.

2. De eodem hoc bello Isidorus, in Hist. Gothor., inquit: *Theodorus regno Aquitanico non contentus, pacis Romanæ fœdus recusat, pleraque municipia Romanorum vicina sedibus suis occupat. Arelas, nobilissimum Galliæ oppidum, multa vi oppugnat; a cujus obsidione imminente virtute Aetii, Romanæ militiæ ducis, non impunitus abscedit.* Post quæ hæc statim subjungit: *Remoto igitur Valentiniani imperatoris jussu a potestate militari Aetio,* etc. Atqui Aetius ab exercitu Gallicano amotus est anno 432 postquam Bonifacio necem intulit. Ex tenore igitur narrationis Isidorianæ satis clare deducitur, bellum hoc Gothicum Aetii a Galliis remotionem præcedere non potuisse annis septem, quotquot præcedere debuisset, si actum fuisset anno 425, cui illud adnectit Prosper.

3. Quæ præterea oppugnaverit Theodorus oppida non explicat Idatius, imo neque Isidorus. Sed ut Arelatem usque penetraret, plura in itinere expugnasse necesse est.

Nota XLIII, p. 74.

Felicis necem anno 430 alligat Prosper, hæc consulatu Theodosii XIII et III Valentiniani scribens: *Aetius Felicem cum uxore sua Padusia et Grumatium Diaconum, eos insidiari sibi cum præsensisset, interemit.* Eumdem Felicem nefarium fuisse hominem prodiderat alias ipse Prosper, ad annum 426, consulibus Theodosio XII et Valentiniano II, inquiens: *Patroclus* **181** *Arelatensis episcopus a tribuno quodam barbaro multis vulneribus laniatus occiditur. Quod facinus ad occultam jussionem Felicis magistri militum referebatur. Cujus impulsu creditus est etiam Titus diaconus, vir sanctus Romæ pecunias pauperibus distribuens, interfectus.* Vides, lector, quam jure merito flagitiorum scelerumque vindex Deus Aetii ministerio in Felicem animadverterit! Sed et observa quæ de Titi nece narrat Prosper; creditum fuisse testatur auctorem impiæ cædis illius eumdem hunc Felicem fuisse, qui non Gothus, sed Romanus aut Gallus erat, ut vult Pagius, ad annum 428, n. 1. Tribunum autem barbarum Patroclum interfecisse testatur sane Prosper. De interfectore vero Titi penitus tacet. Et tamen de hac Titi cæde ea narrantur (et quidem ubi minime oportebat) quæ supra nota 20 perstrinxi.

Nota XLIV, p. 74.

1. Expeditionem, quam Idatius egisse ait Aetium in Galliis adversus Francos anno 431, Prosper ascribit anno 427; dein sub consulibus Felice et Tauro ait: *Aetius, multis Francis cæsis, quam occupaverant propinquam Rheno partem recipit Galliarum.* In hoc dissidio satius est ut Idatio assentiamur, quam Prospero, siquidem Idatius tum cum Aetio in Galliis erat, nec nisi finito hoc bello anno 432 ab Aetio recessit in patriam rediturus. Clarissima Idatii verba exhibet Chronicon annis 431 et 432. Quid quod expeditionem hanc Aetii altero post Vandalorum in Africam transfretationem anno Prosper ipse commemorat. Vandali autem in Africam transmiserunt anno 429. Qui ergo Francicum illud bellum confici anno 428 potuit? Sed ut supra animadverti, et observare quilibet poterit, chronologia in Prospero valde per hos annos depravata est. Franci tum ab Aetio debellati in genitalem Nicrum retusi sunt. Hinc anno 450 aut 451 in Galliam cum Attila irruerunt, Sidonio teste, carm. VII, vers. 325. Quapropter nescio quid Ægidium Vœchtium a Papebrochio **182** relatum in appendice 2 ad Exegesim de episcopis Tungrensibus, tom. IV sanctorum Maii, n. 105, impulerit, ut, contra auctoritatem Prosperi et Sidonii, scriptorum ejusdem ævi atque Gallorum, Francos omnes ab anno 406, aut 407, in Taxandriam vicinamque Tungriam ad gentiles suos Salios transiisse, neque deinceps trans Rhenum habitasse affirmaret. Neque melius alii, cum diserte Prosper bellum hoc juxta Rhenum actum fuisse testetur, huc revocant quod Sidonius, carm. V, vers. 212, de Aetio et Majoriano cum Clojone Franco decertantibus canit, inquens:

Post tempore parvo
Pugnastis pariter, Francus qua Clojo patentes
Attrebatum terras pervaserat.

Quid Attrebates ad Rhenum?

2. Præterea hæc de bello cum Clodione non ad annum 427 aut 431, neque ad 437, ut tolerabilius aberravit Valesius, pertinent, sed ad annum circiter

447 spectant. *Nam qui potuit* (inquit Sirmondus ad hunc Sidonii locum) *Majorianus bello adesse* (anno 428) *et tam acriter dimicare, qui XXX post annos in suo consulatu* (anno 458) *juvenis erat;* ut patet ex eodem Sidonio, ibidem, vers. 524? Accedit auctoritas non omnino contemnenda Chronici Verdunensis, quod ad annum 446 hæc habet: *In Francorum terra reges regnare cœperunt, et primus eorum regnat Clodio.* Interea tamen Francici scriptores, ex laudato Prosperi loco, Clodionem anno 428, et, ex Prospero Pithœano, Pharamundum anno 418, vel citius, inter Francos cis et ultra Rhenum regnasse prædicant. Etsi Pagius, ad annum 418, n. 81, de Pharamundo, et ad annum 428 de Clodione sic loquitur, maxime de Pharamundo, ut satis liquido appareat, non suam, sed suorum assertam vulgo opinionem de initio regni Francici in Galliis exprimere voluisse. Sed de his alias fortasse plura.

3. Nunc duo ipsius Pagii lapsus in Critica ad annum 428, **183** n. 9, corrigendi sunt. Alter, quod dicat Sirmondum nihil in medium protulisse, quo suam comprobet sententiam de Clodiani belli tempore. Nimirum evidens argumentum ab ætate Majoriani desumptum et a me ipsius Sirmondi verbis modo productum nihili Pagio est. Sirmondus itaque bellum illius anni 427, ut vult Prosper, vel, ut rectius observat Idatius, anno 431 a Clodiano distinguit, quod gestum esse negat per hæc tempora, et post annum 445 ablegat. Rursus de Clodiano isto bello loqui existimat non solum Sidonium, sed etiam Gregorium Turonensem, Sigebertum et cum his Annales Francorum, atque in eadem tempora illud rejicere. Neque est cur Sirmondo Pagius objiciat quod Sidonius victos Francos, Sigebertus vero et Annales patriæ victores fuisse prædicent; nam quando Franci apud domesticos historicos non victores? quando non triumphos agunt?

4. Alter Pagii error est, quod dicat *Idatium hoc loco non significare eo Abrahami anno* (2448, Christi 432) *Francos victos esse, sed tantum pacem eos cum Aetio pepigisse.* Et post pauca: *Ibi Idatius loquitur de pristina dignitate ab Aetio recuperata, quod tamen non nisi post aliquot annos contigisse videbimus.* Hæc Pagius, quem Idatius evidentissime refellit, dum anno 431 inquit: *Idatius episcopus ad Aetium ducem, qui expeditionem agebat in Galliis, suscepit legationem.* Statimque anno 432 subjungit: *Superatis per Aetium in certamine Francis, et in pace susceptis, Censorius comes legatus mittitur ad Suevos, supradicto secum Idatio redeunte.* Quamnam ergo agebat Aetius expeditionem in Galliis anno 431 nisi quæ insequenti anno finita est, superatis per ipsum Francis et in pace susceptis? Sed tædet in his diutius immorari. Tantum in fine duo moneo: alterum, Idatium harum rerum testem fuisse oculatum et ideo periculum nullum est, nec suspicio quidem, quod eas extra locum et tempus referat; alterum, de pristina dignitate ab Aetio recuperata nullum per eos annos Idatium verbum facere.

184 *Nota XLV*, *p.* 75.

De Bonifacio, commentarii vice, hæc in nonnulla Idatii loca ex Augustino, Prospero, Olympiodoro et aliis summatim excerpta accipe. Bonifacius, Thrax genere, belli pacisque artibus insignis, a Castino male habitus ex bello Hispaniensi contra Vandalos, anno 432, in aulam Honorii Augusti, et inde in Africam transiit. Post Honorii mortem provinciam hanc contra Joannis tyrannidem, tribunus tunc militum, defendit, Placidiæque et Valentiniano filio servavit. Exinde Placidia, quia sibi fidissimum Bonifacium ubique experta fuerat, comitiva domesticorum atque Africæ honestatum eidem provinciæ præfecit, quod Aetius tulit ægerrime. Itaque ut Placidiæ suspectum redderet Bonifacium, cum apud ipsam cœpit criminari, regno inhiare dictitans, et siquidem ab Africa revocaretur, non pariturum. Simulque ad Bonifacium scribit Placidiam ipsi insidias struere, quarum hoc ei erit indicium, fore ut absque ulla causa subito ad A palatium accíretur. His artibus Placidia et Bonifacio circumventis, illa Bonifacium ex Africa venire ad se jubet; Bonifacius vero venire abnuit. Quare perduellionis damnatus, cum bellum in publico nomine indiceretur, Vandalos ex Hispania, ut sibi auxilio essent, advocavit. Verum detectis postea Aetii dolis abstersisque suspicionibus, quæ Placidiam a Bonifacio et Bonifacium a Placidia averterant, Bonifacius quidem nihil non egit, ut Vandalos ab Africa removeret (quanquam omnia frustra fuerunt), Placidiæ vero jussu in æmulationem Aetii et *totius orbis* (ut ait Prosper ad annum 432) *pace et confessione* (an consensione?) *mirabili Bonifacius ab Africa ad Italiam in Urbem venit, accepta magistri militum dignitate.* Aetius acrioribus propterea invidiæ stimulis agitatus, Bonifacium breviore telo instructum longiore ipse aggreditur vulneratque. Hinc tertio post mense Bonifacius ex vulnere moriens uxorem suam valde locupletem, ut nulli nisi Aetio nubat, monet. B Ubi observa, Aetium tunc sine uxore fuisse; namque alias importuna esset et inofficiosa **185** Bonifacii de nuptiis cum Aetio contrahendis ad uxorem admonitio. Si tamen Aetio nupsit, atque illa Gaudentii mater est, de qua loquitur Sidonius carm. v, verso 205; ex Gothica profecto gente fuit, non ex Vandalica. Quanquam Pelagiæ nomen (quod Bonifacii uxorem habuisse prodidit Marcellinus) neutrum sonat, et extra Gothos et Vandalos Arianam, quam duceret, invenire potuit Bonifacius. Id autem ex Prisco et Cassiodoro constat, Aetium alium habuisse filium nomine Carpilionem, qui major Gaudentio erat; nam hic apud Sidonium *parvus Gaudentius* a matre dicitur eo tempore quo Carpilio legationem jam obierat ad Attilam. Quare si Carpilio nondum mortuus erat, quando Gaudentio minori ejus fratri imperium quærebatur, quid causæ esse potuit, nisi quod Aetii uxor, quæ apud Sidonium loquitur, mater erat Gaudentii et Carpilionis noverca. Plura de Bonifacio collegit Stiltingus commentario prævio ad Vitam sancti C Augustini, § 52.

Nota XLVI, *p.* 76.

De Aetio post interfectum ab eo Bonifacium Prosper sub consulibus Aetio ipso et Valerio, id est anno 430, hæc tradit: *Aetius cum, deposita potestate, in agro suo degeret, ibique cum quidam inimicus ejus repentino eum incursu opprimere tentasset, profugus ad Urbem atque illinc ad Dalmatiam, deinde Pannoniam, ad Hunnos pervenit, quorum amicitia auxilioque pacem principum et jus interpolatæ potestatis obtinuit.* In libro Prosperi, quo utor, pro *et jus* quod hic exhibeo, scriptum est *Aetius*. Sed oræ libri ascriptæ ex fide Manuscriptorum sunt, exque aliis auctoribus optimæ pluresque correctiones et notæ, quas esse suspicor a studio magni Antonii Augustini. Ex illis una hæc est quæ, expuncto illo verbo *Aetius*, ea restituit *et jus*. Igitur ex descriptis Prosperi verbis nemo non videt, Aetium, interfecto Bonifacio, iram principum metuentem palatium reliquisse. Ubi Sebastianus Bonifacio succedens, tandiu ibidem permansit quandiu abfuit **186** Aetius. At hic, anno 433 ad aulam reversus, Patriciusque renuntiatus, Sebastianum palo post aula expulit et ad Orientem navigare coegit. Quare quæ Prosper de secessu Aetii in agrum fugaque in Dalmatiam et Pannoniam narrat, maxima ex parte ad annum 433 pertinent.

Nota XLVII, *p.* 77.

1. Praylium anno 416 aut initio anni 417 Joanni in episcopatu Hierosolymitano successisse, decessisse vero ante annum 419, ejusque in locum suffectum fuisse Juvenalem, nota 30 paucis exposui. Igitur doctissimus, cui ego assentior, Papebrochius, in Hist. chronolog. episcop. Hierosol., Praylii mortem anno 418 adnectit. Clar. vero Pagius, in Critica, ad annum 429, n. 27, mortuum asserit Praylium anno 425. Verum neuter quemquam veterum scriptorum pro-

ducit, qui suæ sententiæ presse clareque suffragetur. Quinimo Pagius ex xx episcopatus annis, quos Praylio Nicephorum et Theophanem tribuere fatetur, novem et ultra necesse est ut detrahat, et nec sic quidem computus illius constat. Papebrochius similiter in Cyrillo, scriptore Vitæ sancti Euthymii (20 Januarii) qui Juvenalem successorem Praylii anno 46 episcopatus obiisse tradit, pro 46 legendum esse ait 40; namque ita chronologiam, quam astruit, requirere existimat. Nimirum tam Pagius quam Papebrochius, dum suam quisque sententiam comprobare conatur, scripta veterum vel refellit vel corrigit, quia uterque opinioni suæ contraria esse cernit. Attamen Papebrochii correctio Cyrillo adhibita non tam enormis est, ut per sese patet, ac illa quam Pagius Nicephoro et Theophani adhibet, ut eos in suam sententiam trahat. Quanquam hi, ut verum fatear, severiorem longe merentur, quia longissime a veritate aberrant. Præterea, ut ad Papebrochium redeam, facillimum fuit auctori Vitæ Euthymii Cyrillo episcopatum Juvenalis numerare a morte Joannis, prætermisso ex oblivione Praylio. Quem cum in *brevi*, id est, brevi tempore, **187** episcopatum tenuisse Idatius affirmet, illius testimonio efficere potuisset Papebrochius, ut ejus opinio, sin minus certa, valde tamen probabilis lectoribus videretur. Porro episcopatus decem annorum, quantum Praylio tribuit Pagius, brevis dici non potest. Si autem brevis fuit, ut tradidit Idatius, secundo a morte Joannis anno, id est, 418 obiit; Juvenalisque post ipsum electus est eodem anno.

2. Emin. card. Norisius Praylium non ante annum 421 obiisse existimare se indicat, dum, in hist. Pelag., lib. II, cap. 4, scribit ab eo anno (421), qui acceptæ a Theodoto sedis (Antiochenæ) primus numeratur, contigisse ut Pelagius de sanctis Hierosolymorum locis ejiceretur. Duo hic astruit vir doctissimus: alterum, electionem Theodoti evenisse anno 421; alterum, Pelagium post Theodoti electionem abactum fuisse Hierosolymis. Cæterum Eusebius Cremonensis (ita conjicit magnus Baronius, ad annum 417, n. 15, vel si Cremonensis non est, certe ille videtur esse cujus meminit Hieronymus epistola nunc inter Augustinianas 202) Cyrillo Alexandrino scribens (apud Baron., ibidem) hæc inquit: *Quomodo nunc, cum beatæ memoriæ Innocentius Pelagium, Cœlestiumque cum suis capitibus condemnavit, cunctis eos abjicientibus Orientalibus, Alexandrina Ecclesia in communionem receperit, quæ sola et prima inter provinciales suos tales refutare debuerat?* Si *nunc*, id est quando Innocentius, qui initio anni 417 decessit, Pelagium damnavit, Orientales hunc abjecerunt Syri et Palæstini, annon sero nimis, scilicet post quatuor aut quinque annos abactus dicitur a Norisio? Quid quod de hac Pelagii e sanctis locis ejectione sub Catilinæ nomine locutus fuisse videtur Hieronymus, epist. 55 ad Riparium. At Hieronymus ante annum 421 mortuus est. Fortasse etiam clarius de ejectione Pelagii e sacris locis locutus est alias Hieronymus, scriptumque, ubi hæc narrat, deperiit. Plura enim opera sancti doctoris injuria temporum perdita sunt.

3. Itaque Praylius Pelagium Hierosolymis expulit post synodum Antiochenam, quæ serius quam anno 417 cogi **188** non potuit. Nam cum Pelagius ex synodo Diospolitana indemnatus evasisset anno 415 desinente, orthodoxi, qui ipsius condemnationem flagrantissime concupiscebant, confestim hanc causam ad Antiochenum patriarcham, cui suberant episcopi Palæstini, detulerunt. Sed importune in eo rerum articulo evenit, ut Alexander episcopus Antiochiæ moreretur, unde causa procrastinata est usque ad electionem Theodoti in annum 417. Garnerius, dissert. 2 de synodis in causa Pelagiana habitis, synodo 10, Theodotum anno 411 Alexandro successisse existimat, sed immerito. Marius Mercator, cap. 3 Commonit., postquam Pelagium Patres Dio-

A spolitanos delusisse narravit, continuo quid Antiochiæ de eo actum sit commemorat, inquiens: *Postmodum evidenter deprehensus* (Pelagius) *insistentibus accusatoribus a posteriore synodo, cui sanctæ memoriæ Theodotus Antiochiæ præsedit episcopus, atque detectus, a sanctis quoque et venerabilibus Hierosolymorum locis est deturbatus.* Ergo si *postmodum*, si *insistentibus accusatoribus*, scilicet iisdem qui in Diospolitana synodo eum accusaverant, damnatus est a Theodoto, quis aut cum Norisio anno ab ea synodo quinto, aut cum Pagio anno octavo, ut opinatur is ad annum 424, n. 8, nimirum multos etiam post annos, quam celeberrimum Zosimi decretum totum orbem percurrerat, factum id fuisse credat? Imo neque Norisium neque Pagium credituros id fuisse existimo, nisi viri doctissimi in eam ivissent opinionem, quod Theodotus longe post annum 417 Antiochenam obtinuerit sedem.

4. Verum aliter omnino res se habet; namque
B Theodotus anno isto 417 Antiochiæ factus est episcopus, ut in hist. patriarch. Antioch. præfixa tomo IV sanctorum Julii, satis liquido deducit eruditissimus Jesuita Boschius; ejusque opinio laudato Mercatoris testimonio adjunctisque Eusebii verbis supra descriptis maxime comprobatur. Cum enim Eusebius solius Innocentii rescriptum meminerit, nulla recentioris alicujus decreti (puta Zosimi) facta commemoratione, profecto gravissimum nobis præbet fundamentum, ut credamus epistolam **189** illam missam ad Cyrillum fuisse eodem anno 417. At quid ego moror? Iidem emin. Norisius ac Pagius (lege hunc, ad eum annum, n. 9) hoc ipsum fatentur, scilicet, eas Eusebii litteras scriptas fuisse initio pontificatus Zosimi, quem eodem anno 417, die 18 Martii consecratum fuisse tradit ibidem Pagius, n. 12. Cum ergo Pelagius ex sacris Hierosolymorum locis exturbatus fuerit auctoritate synodi Antiochenæ, in qua sederunt Theodotus et Praylius; namque id etiam de Praylio testari videtur Mercator, qui post laudata
C ipsius supra verba hæc statim adjicit: *Quod* (ejectionem Pelagii a sanctis locis Hierosolymorum) *ejusdem sancti Theodoti ad reverendissimum urbis Romæ episcopum et sanctæ memoriæ Praylii Hierosolymitani episcopi missa scripta testantur*, annon ex his omnibus liquido colligitur, 1° synodum Antiochenam habitam fuisse anno 417, non autem post annum 421; 2° Theodotum jam tum Antiochiæ episcopum factum fuisse, uti, contra quam opinantur Norisius et Pagius, propugnat Boschius; 3° Pelagium, etiam si post electionem Theodoti Hierosolymis expulsus fuerit a Praylio, Prayliusque e vivis excesserit vel in fine anni 418, vel initio insequentis, ab eo prorsus expelli potuisse et re ipsa expulsum fuisse anno 417, non autem post annum 421, uti contendunt Norisius et Pagius, existimantes Praylium eo anno nondum obiisse?

5. At constat, inquies, Praylium propensiore in Pelagium animo fuisse initio episcopatus, et pro eo tum ad Innocentium papam litteras dedisse. Quo ita-
D que pacto fieri potuit ut tam cito, nempe in ipso episcopatus anno primo, Pelagium abjiceret et a Palæstina expelleret? Simili ratiocinatione asserere qui poterit Tractoriam Zosimi post annum 418 editam fuisse, quia Zosimus usque ad diem 21 Martii ejusdem anni Pelagium Cœlestiumque excusare conatus est, eorum accusatoribus acerrime suggillatis. Praylius utique litteras pro Pelagio ad Innocentium scripsit, illæque perlatæ sunt eo tempore quod inter primas et secundas litteras Zosimi (qui Innocentio successerat) ad Africanos episcopos excurrit. Id ex eo colligitur **190** quod cum Zosimus nullam Praylii epistolæ mentionem in primis suis ad Afros litteris fecisset, facturus procul dubio, si eam jam tum accepisset; in secundis, quæ datæ sunt 22 die septemb. anno 417, acceptam a se meminit. Cæterum dum Praylii litteræ ad Innocentium perferuntur, delatum est ad Orientem decretum ejusdem Innocentii, quo Pelagius damnabatur. Hoc decreto excitus Theo-

dotus, et insistentibus Pelagii accusatoribus, synodum statim coegit, ubi præsente Praylio Pelagius damnatus est, et, ut aiebat supra Eusebius, a cunctis Orientalibus abjectus. Siquidem opportune tunc, id est, pontificatus Innocentii tempore, legatio Romam missa fuerat ab episcopis Orientalibus, de qua Bonifacius papa in epistolis ad quosdam Macedoniæ episcopos, tom. IV Concil. Collectionis Labbeanæ, col. 1708 hæc habet : *Ante breve tempus, id est, sub prædecessore meo beatæ memoriæ Innocentio Orientalium Ecclesiarum pontifices, dolentes se a beati Petri communione sejunctos, per legatos pacem, si charitas vestra retinet, poposcerunt.* Nec mirum sejunxerunt sese Orientales, Constantinopolitani et Ægyptii a communione Romanæ sedis, recusantes nomen sancti Joannis Chrysostomi dypticis inserere, quod Innocentius urgebat. Orientalium autem legationis auctorem Alexandrum fuisse prædecessorem Theodoti, ipse Innocentius testatur epistola ad Maximianum episcopum, tom. II Conciliorum, col. 1266; in qua hæc scribit : *Antiochenæ Ecclesiæ frater et coepiscopus noster Alexander digna legatione et prosecutus est et probavit*, negotium scilicet reconciliationis Orientalium cum Ecclesia Romana. Igitur ex Italia Antiochiam redeuntibus Alexandri legatis, desinente anno 416 vel ineunte potius 417, ad alia, quæ ab ipso Innocentio tradita sunt, rescripta decretum contra Pelagium recens tum editum adjunxisse tam est credibile quam quod maxime. His ergo Innocentii litteris a Theodoto acceptis, namque interim Alexander decesserat, ut se Romano pontifici magis probaret, synodum statim coegit, Pelagium damnavit et ab Oriente rejiciendum decrevit.

6. Sed ecce nunc Norisius, lib. I Hist. Pelag., cap. 11, nullum **191** ab Innocentio adversus Pelagium conditum decretum contendit. Tum quia hujusmodi decreti, ait, nullibi divus Augustinus meminit; tum quia illud Zosimus pontifex Cœlestio non objecit; cum tamen ab eo requisiverit *ut sedis apostolicæ litteris, quæ a sanctæ memoriæ suo prædecessore manaverant, præberet assensum*, uti refert idem Augustinus, lib. II de Peccato origin., cap. 3. In Norisii sententiam pedibus, ut solet, ivit Pagius ad annum 416, n. 15 et 16. Sed imprimis esto quod illius decreti Innocentiani nullam sanctus Augustinus mentionem fecisset, non satis hoc erat ut illud exstitisse unquam negemus. Atqui id expresse tradit Gennadius, cujus testimonium tanti aliquando facit Norisius, quanti infra videbimus nota 63, a n. 3, ubi de epistola Leonis ad Flavianum de Incarnationis mysterio dicendum est. Testatur id ipsum etiam liber Pontificalis, ut Eusebius antea laudatus non obscure indicat. Utquid enim cum Pelagianos ab Orientalibus abjectos esse ait, factum id significanter adnotat, *cum beatæ memoriæ Innocentius Pelagium Cœlestiumque cum suis capitibus condemnavit?*

7. Deinde nego, Augustinum non meminisse decreti Innocentiani, neque illud Cœlestio Zosimum objecisse. An quia Augustinus *litterarum*, non vero *decreti* nomine utitur, ideo epistolam aut epistolas aliquas, non autem decretum significare voluisse dicendus est ? At enim vel consulto, vel casu potuit *decreti* nomen non usurpare. Annon Possidius, in Vita ejusdem Augustini, cap. 18, de Innocentio et Zosimo loquens, inquit : *At illi tantæ sedis antistites suis diversis temporibus eosdem* (Pelagianos) *notantes.... datis litteris et ad Africanas Occidentis et ad Orientis partis Ecclesias eos anathematizandos et devitandos ab omnibus Catholicis censuerunt. Et hoc tale de illis Ecclesiæ Dei catholicæ prolatum judicium*, etc. En Possidius litteras appellat tam Zosimi quam Innocentii adversus Pelagium constituta; easque non a solo Zosimo, sed etiam ab Innocentio ad Orientis partis Ecclesias missas esse testatur. Ipse etiam Augustinus, epist. 190, alias 157, ad Optatum, de constitutis ab Innocentio et Zosimo, eodem tenore loquens, **192** ait : *Pelagius et Cœlestius duobus venerabilibus antistitibus apostolicæ sedis papa Innocentio et papa Zosimo toto Christiano orbe damnati sunt. De quibus exempla recentium litterarum sive quæ universaliter ad omnes episcopos de memorata sede manarunt*, etc. At dubium non est quin Zosimus decretum contra Pelagianos ediderit. Denique emin. Baronius, Garnerius et alii assensi sunt Gennadio, lib. de Vir. illustr., de Innocentio juxta lectionem Pagii dicenti : *Scripsit decretum Occidentalium et Orientalium Ecclesiis adversus Pelagium datum. Post quem successor ejus papa Zosimus latius promulgavit.*

8. Et sane si quo scripta sua contra Pelagium mittere debuisse et misisse Innocentium credendum est, Orientis diœcesis fuit, ubi quot et quanta perpetraverit Pelagius, tum per se episcopos deludens in synodis, tum per suæ factionis homines Hieronymum et sanctas virgines Eustochium et Paulam juniorem immaniter vexans, mature cognoverat, ut patet ex ipsius Innocentii epistola, inter Augustinianas olim 95, nunc 193, exque alia, quam ad Joannem episcopum Hierosolymitanum scripsit, habesque apud Baronium ad annum 416. Sed jam nimis multa de nomine disputavimus; præsertim cum uno verbo lis dirimi possit, si dixerimus latuisse Augustinum decretum Innocentii contra Pelagium missum in Orientem, sicuti latuit ipsum concilium in eodem Oriente, in eadem causa et eodem anno habitum a Theodoto: neque enim illius synodi meminit usquam sanctus doctor; si ergo ex ejus de hac synodo silentio nemo nisi temere falsitatis arguet Mercatorem, quod et habitam dicat, et in ea damnatum fuisse Pelagium scribat; cur, quia decreti Innocentiani sub expresso nomine *decreti* non meminit Augustinus, falsitatis arguendi sunt Gennadius, liber Pontificalis, vel etiam laudatus supra Eusebius? Ego equidem cum hæc et plura his similia lego in Historia Pelagianorum et Vindiciis Augustini ejusdem auctoris, illud, uno commutato verbo, repetere soleo : *Honor regis judicium diligit.* Verumtamen sive decretum contra Pelagianos ediderit Innocentius, **193** quod ad cunctas Ecclesias miserit, sive epistolarum ad Afros scriptarum exemplar in Palæstinam et Orientem transmitti curaverit; id ex Eusebii et Mercatoris testimoniis certissime constat, Orientales Pelagium abjecisse, quia illum ab Innocentio, nondum autem a Zosimo damnatum didicerant. Quod cum anno 417 vel ut serius initio 418 factum fuerit, sedente Hierosolymis Praylio, Joannes, qui hunc in episcopatu illo præcessit, tenere eum non poterat anno 419, quo terræ motus ab Idatio commemorati contigerunt. Quin etiam Praylio brevi vita functo, Juvenalis tunc temporis Hierosolymitanam sedem occupabat.

Nota XLVIII, p. 78.

I. Inter epistolas S. Cyrilli Alexandrini octava, quæ incipit : *Nugantur quidam*, ad Nestorium directa est. De ea autem sanctus Leo epist. (mihi) 33, ad Theodosium Augustum, ait : *Qua* (epistola Cyrillus) *Nestorium corrigere et sanare voluit, pravas prædicationes ipsius arguens et evidentius fidem Nicenæ definitionis exponens; quamque ab eo missam apostolicæ sedis scrinia susceperunt.* Ejusdem Cyrilli epistolæ meminit sanctus Flavianus in primis et secundis ad sanctum Leonem missis a se litteris, quæ in antiquis Leonis Editionibus post epistolam octavam reperiuntur. Ergo in primis testatur Flavianus, ei Cyrilli epistolæ omnes synodi Ephesinæ Patres assensisse. In secundis verba quædam adducit, quæ cum ex eadem illa Cyrilli epistola desumpta sint, aperte demonstrant, de ea, et non de alia Cyrilli epistola locutum fuisse Flavianum in primis suis litteris, et de eadem locutos Leonem in litteris ad Theodosium, et Idatium in Chronico, dum Cyrilli epistolæ unius meminit ad Nestorium missæ *ejus hæresim destruentis et regulam fidei exponentis.*

2. Quapropter immerito Quesnellus præter hanc Cyrilli epistolam, *Nugantur quidam*, quæ in tomo 1 Concilii Ephesini, cap. 12, initium aliud habet, scilicet : *Intelligo quosdam*; illam etiam, quæ de pace est ad Orientales incipitque : *Lætentur cœli*, **194** significatam esse vult a Flaviano. Nam quod hic Ida-

tias alia cum hac epistola missa esse testatur, interpretari possumus, A et quidem consultius, de alio Cyrilli scripto, quod laudato loco designat Leo inquiens : *Ephesinæ etiam synodi gesta recenseat, quibus contra Nestorii impietatem a sanctæ memoriæ Cyrillo inserta et allegata sunt de Incarnatione Catholicorum testimonia sacerdotum.* Quamquam nihil nos cogit, ut ea *alia*, quæ allata fuisse ait Idatius, Cyrilli esse dicamus.

3. Porro contra Nestorianæ hæresis venenum, quod has quoque Occidentis partes afflaverat, præsentissimum scripta hæc antidotum attulerunt. Nam, ut omittam Leporium monachum Massiliensem, quem in emendationis suæ libello (scripto, ut opinatur Tillemontius, anno 427) apud Sirmondum tom. I opuscul. confitentem legimus : *De sancta Maria non Deum ipsum natum, sed perfectum cum Deo natum hominem dicebamus :* ex Hispania datis ad Capreolum Carthaginensem in Africa episcopum litteris Vitalis et Constantius scripserunt : *Sunt hic quidam, qui dicunt non debere dici Deum natum ; nam et hæc est fides* B (*hæresis potius*) *eorum, hominem purum natum fuisse de Maria Virgine, et post hæc Deum habitasse in eo.* Ita a religiosis his viris Vitale et Constantio scripta fuisse post Ephesinam synodum litteræ Capreoli ad ipsos demonstrant, quæ tom. I Operum Sirmondi, pagina 215, legi poterunt. Cum autem scripta non fuerint post occupatam a Gaiserico Carthaginem die 19 novemb. anno 429 ; nam ab eo tempore cuncta in illa urbe perturbatissima fuerunt ; puto, Vitalem et Constantium eas litteras ad Capreolum misisse aliquo ex his annis, qui inter 432 et 439 decurrerunt. Quod si scriptas fuisse eas dicamus, antequam ad Hispanias anno 436 allata fuerint scripta quæ hoc anno memorat Idatius, nihil fortasse a veritate aberrabimus.

Nota XLIX, p. 78.

Semel et iterum Idatius Burgundiones contra Romanos rebellasse **195** tradit annis 436 et 437, atque in hoc ultimo bello cæsa eorum xx millia testatur. C De quo intelligenda sunt illa, quæ Sidonius carm. vii, vers. 324, scribit :

..... Belgam, Burgundio quem trux
Presserat, absolvit junctus tibi.

Videlicet Aetius junctus Avito. Addit insuper Sidonius :

Vincitur illic
Cursu Herulus, Chunus jaculis, Francusque natatu,
Sauromata clypeo, Salius pede, etc.

Ubi utrosque Francos, Atthurios, qui ad Nicrum, et Salios, qui ad Salam aut Isalam flumina considebant, Burgundionibus adhæsisse significat. Cæterum unicus belli dux et auctor Gundiacus fuit, Burgundionum rex ; reliquæ vero gentes Burgundionis ductum fortunamque sequebantur. Et tamen Marianus Scotus sexto post natus sæculo sub hujus anni consulibus hæc scribit : *Batavos, Tungros, Menapios, Tervanos, Morinos, Ambiones, Cameracenses, Tornacenses, Attrebates, Belvacanses, et quidquid his regionibus interjacet,* D *ultraque Sequanam et Ligerim Clodius Francorum regno adjecit.* Hæc cum Sidonianis contulisse refutasse est. Sirmondus ad hunc Sidonii locum Gothos Burgundionibus auxilio accurrisse, eorumque viii, Burgundionum vero xx millia eodem tempore et loco occisa fuisse refert. Sed fallitur vir doctissimus; Gothi enim alio anno quam Burgundiones perierunt, ut constat ex Idatio; et loco etiam diverso bellum gessisse videntur, scilicet in provincia Narbonensi, cum Burgundiones in Belgica bellarent.

Nota L, p. 79.

Narraturus Idatius acta anni 439, nihil peccavit si Carthaginis, celeberrimæ urbis, excidium ante omnia præmisit, ante ea etiam, quæ eodem illo anno prius contigerunt. **196** Pagius tamen illum peccasse vult, imo peccare eum facit, dum sibi fingit Abrahami annum 2455, cui ad diem 19 octobris eversionem Carthaginis alligat Idatius, numerandum esse a die prima octobris anni Dionysiani 438 ; quod si ita esset, certe eversionem Carthaginis ascripsisset Idatius anno eidem 438. At numeret Pagius annos hujus Chronici a Januario, et incidet illud excidium in annum 439, in quem cum dubitari nequeat Idatium illud retulisse, agnoscat tandem Pagius errorem suum, desinatque inculcare toties annos Idatianos ab Octobri numerandos esse.

Nota LI, p. 79.

De bello Tolosano, de quo Idatius anno 439, Prosper sub ejusdem anni consulibus hæc scribit : *Litorius, qui secundæ ab Aetio patricio potestati Hunnis auxiliantibus præerat, dum Aetii gloriam superare appetit, dumque aruspicum responsis et dæmonum significationibus fidit, pugnam cum Gothis imprudenter conseruit.* Merito ergo victus, captus, occisus est, qui vanitate tumidus et sacrilega impietate contaminatus pugnam conseruit. Comparat hunc catholici imperatoris ducem Salvianus, lib. vii de Gubern., cum Theodore Gothorum rege Ariano, pieque sapienterque philosophatur, dicens : *Cum Gothi metuerent, præsumpsimus nos in Hunnis spem ponere, illi in Deo ; pax ab illis postularetur, a nobis negaretur, illi episcopos mitterent, nos repelleremus, illi etiam in alienis sacerdotibus* (erant enim, quos pacis internuncios et sequestres ad Romanos mittebant Gothi, episcopi catholici) *Deum honorarent, nos in nostris contemneremus. Prout actus utriusque partis, ita et rerum terminus fuit. Itaque ille dux nostræ partis Litorius eamdem urbem hostium* (Tolosam) *quam eodem die victorem se intraturum esse præsumpsit, captivus intravit. Vincla quæ aliis paravit, ipse sustinuit. Ut qui maximum habuerat supercilium fortis viri, mortem subiret ignavi, longo tempore et diuturna in ergastulo Barbarorum tabe consumptus.* **197** *Ipse rex hostium, quantum res prodidit, ac probavit, usque ad diem pugnæ stratus cilicio preces fudit ; ante bellum in oratione jacuit ; ad bellum de oratione surrexit. Priusquam pugnam manu capesseret, supplicatione pugnavit ; et ideo fidens processit ad pugnam, quia jam meruerat in oratione victoriam.* Hæc carptim, quia lectu illa dignissima, et quæ egregiam Theodoris Gothorum nostrorum indolem ostendunt, ex Salviano descripsi. Interim observa, Idatium post *dies paucos*, quam captus est Litorius, occisum fuisse affirmare ; Salvianus vero *longo tempore et diuturna in ergastulo Barbarorum tabe consumptum* ait. Salvianus et loco et tempore rebus his propior erat ; nam per hos dies aut paulo post hæc in Gallia scribebat.

Nota LII, p. 79.

Pacis inter Romanos et Gothos eodem anno 439 confectæ laudem Avito tribuit Sidonius carm. vii, vers. 299, ubi Aetii totiusque Galliæ trepidationem post devictum a Theodore Litorium his carminibus depingit :

Gallia..... Getica pallebat ab ira :
Nil prece, nil pretio, nil milite fractus agebat
Aetius : capto terrarum damna patebant
Litorio. In Rhodanum proprios producere fines
Theudoridæ fixum ; nec erat pugnare necesse,
Sed migrare, Getis. — Postquam undique nullum
Præsidium ducibusque tuis nil, Roma, relictum
Fœdus, Avite, novas, etc.

Prælicenter ista a Sidonio scripta videri poterunt, si Prospero creditur, qui de eadem hac pace loquens inquit : *Pax cum Gothis facta, cum eam post ancipitis pugnæ lacrymabile experimentum humilius, quam unquam ante poposcissent.* Sed hunc Prosperi locum luxatum esse dubitare non possumus ; tum propter Salviani testimonium, quo Sidonianum confirmatur ; tum præcipue, quia Paulus Diaconus, qui Prosperum exscribere manifeste videtur, hæc, lib. xiv, tradit : *Pax cum Gothis* **198** *facta est, cum eam Romani post hujus lacrymabilis belli perniciem humilius, quam unquam antea poposcissent.* Quare in Prospero vox *Romani*, quæ librariorum negligentia inde excidit, reponenda est.

Nota LIII, p. 80.

De Gaiserici irruptionibus, quibus maritimas

utriusque imperii regiones per singulos annos vastare solitus est, Victor Vitensis in fine lib. I hæc scribit : *Quæ vero in Hispania, Italia, Dalmatia, Calabria, Apulia, Sicilia, Sardinia, Brutiis, Lucania, Epyro, vel Hellade* (Gaisericus) *gesserit, melius ibi ipsi, qui passi sunt, miserabiliter lugenda narrabunt.* Hinc apud Cassiodorum, lib. I Variar., epist. 4 : *Sævus et repentinus hostis dicitur*, a quo avus ipsius senatoris *Siciliam Brutiosque liberavit.* Quod fortassis nunc accidit. Ab hac Sicula expeditione narrat Prosper sub coss. hujus anni revocatum fuisse Gaisericum metu Sebastiani, qui ab Hispania in Africam transfretaverat, adjungitque ab eodem tandem Gaiserico Sebastianum interfectum fuisse. Vid. not. 57.

Nota LIV, p. 81.

Exstat tomo IV Oper. divi Augustini Editionis theol. Lovaniensium disputatio inter ipsum Augustinum et Maximinum episcopum Arianum, qui, teste Possidio in Vita sancti Augustini, cap. 17, cum Gothis in Africam venerat. Ipse autem Maximinus initio disputationis Carthagine se missum Hipponem ait *a comite regis*; sed lege *a comite Sigisvulto*, quomodo legendum esse monuit Sirmondus; cujus animadversionem nescio cur ex quadam ejusdem Sirmondi nota ad sermonem 140 divi Augustini resciderunt Benedictini. Sigisvultus ergo natione Gothus bellum pro Valentiniano in Africa contra Bonifacium administravit; ipsoque ab ea recedente, recessisse etiam cum eo gentilem suum Maximinum existimo. Saltem nemo inficias ibit, post devictos a Gaiserico Asparem et Bonifacium hujusque **199** in aulam regressum anno 432, quo eum consignat Idatius, Marcellinum ab Africa discessisse. Hinc irrumpenti hoc anno 441 in Siciliam Gaiserico occurrere et Ariani regis Arianus episcopus gratiam aucupari potuit. Maximinum autem ab episcopis damnatum ideo dixit Idatius, quia sanctus Augustinus, præter commemoratam supra disputationem, quæ nunc primus est ex libris quos habemus ab Augustino contra Maximinum, duobus insuper aliis II eum eum sanctus doctor validissime refutavit.

Nota LV, p. 81.

Bacauda non gentis, sed factionis nomen est latrociniis deditæ. Quæ Diocletiani tempore in Galliis ita invaluit, ut contra Bacaudas mittendus fuerit Maximianus, qui eos non tam exstinxit, quam frenavit. Post irruptiones vero Barbarorum in Hispanias Galliasque immaniter coaluere, præterque plurima alia loca, Pyrenæos saltus omnes a Mediterraneo ad Oceanum mare occupaverunt. Hinc Aracillitani, inde Tarraconenses Bacaudæ erumpentes oppida, urbes atque integras provincias vastabant. Mentio etiam eorum fit in Chronico pluribus in locis. Lege, si vis, in fine hujus operis dissertatiunculam de Bacaudis *.

Nota LVI, p. 82.

Merobaudem, quem eximie laudat Idatius ad annum 443, eumdem illum poetam esse existimat Sirmondus, de quo Apollinaris Sidonius carm. IX, vers. 293, canit :

Sed nec tertius ille nunc legatur
Bætim qui patrium semel relinquens
Undosæ petiit sitim Ravennæ.
Plosores cui fulgidam Quirites,
Et charus popularitate princeps
Trojano statuam foro locavit.

200 Patriam quidem Merobaudis tacet Idatius, Sidonius nomen ; cætera tamen quæ seorsim unusquisque exprimit satis sunt, ut utrumque de eo viro loqui credamus. Merobaudis poemata aut perierunt, aut hucusque latent præter unum de Christo epigramma, cujus hoc est initium :

Proles vera Dei, cunctisque antiquior annis
Nunc genitus, qui semper eras, lucisque repertor.
Ante tuæ matrisque parens, quem misit ab astris
Æquævus genitor, verbique semina fusum
Virgineos habitare sinus et corporis artus
Jussit inire vias parvaque in sede morari.

Reliqua in Bibliotheca Vet. PP. invenies. An Merobaudes hic filius neposve fuerit alterius Merobaudis, qui semel et iterum consulatum gessit annis 377 et 388, an nullam cum eo cognationem habuerit ? Horum neutrum sine auctore, sine ullo teste, statuere valemus. Raritas quidem ac insolentia nominis intra unam familiam retentum id fuisse suadent. Nam quem Ammianus Marcellinus, lib. XXX, et Prosper sub consulibus Clearcho et Richemere regem Gallorum et magistrum militum meminerunt, non Merobaudes, quod apud hos auctores legitur, sed Mallobaudes dicebatur. Merobaudes ille consularis sub Maximo Tyranno periit, ut narrat Latinus Pacatus in Panegyrico Theodosio dicto.

Nota LVII, p. 83.

Idatius, anno 434 in Orientis palatium ex Ravennatensi Sebastianum aufugisse ait. Ex Oriente in Aquitaniam profugum hoc anno 441 venisse affirmat, et anno insequenti 445 transitum illius ad Vandalos in Africam consignat. Prosper vero, sub consulibus Valentiniano Augusto V et Anatolio, id est anno 440, Sebastianum in Africam navigasse significat. At Idatium melius quam Prosperum res Sebastiani cognitas habuisse existimo. Quod si quis istius testimonio assentiendum sibi esse judicaverit, duplicem Sebastiani **201** transitum in Africam statuat, primum anno 440, post quem regressus in Orientem, ibique aliquot annos commoratus, in Aquitaniam nunc ad Theodorem venerit, Barcinonemque postmodum occupaverit ; unde iterum anno 445, quod Idatius testatur, in Africam convolarit. Sed ut verum fatear, cum satis frequenter res gestas præmature consignet et aliquando integro quinquennio prævertat, mirum non erit, si nunc etiam annos totidem Sebastiani transitum ad Vandalos anticipaverit. Verum nihil ego definio, sed lectoris judicio relinquo.

Nota LVIII, p. 83.

Idem Prosper sub consulibus anni 443 diligentiam sancti Leonis papæ laudat, qui latentes in urbe Manichæos e latebris suis eruit, eosque totius Ecclesiæ oculis exposuit, additque : ***Multi Orientalium partium sacerdotes industriam apostolici rectoris imitati sunt.*** Imitatus est etiam Turibius Asturicensis episcopus, qui Idatium nostrum in laboris ac sollicitudinis suæ societatem asciscens, Manichæos Asturicæ latentes detexit, eisque diem dixit. Gesta autem episcopalia contra hos hæreticos confecta ad Antonium Emeritensem episcopum a Turibio et Idatio missa fuisse puto, quomodo ab Adigino episcopo Cordubensi circa annum 480 ad Idatium ejusdem Emeritensis Ecclesiæ episcopum de Priscilliano relatum est, quod Severus, Hist. lib. II, prope finem, testatum reliquit : non quod Emeritensi metropoli aut Corduba aut Asturica subjicerentur, quod nec tunc, neque unquam postea contigit, sed vel ob illius urbis dignitatem vel ob episcoporum Antonii et Idatii famam. Ita etiam a nostratibus Hispanis sæpe alias factum est, ut etiam extra provinciam celeberrimarum urbium antistites Cuprianum et Capreolum Carthaginienses, Ambrosium et Simplicianum Mediolani de rebus gravioribus consulerent. Omnia constant ex epistola 68 Cypriani, ex epistola Capreoli, supra, nota 48, laudata, atque ex Actis concilii I Toletani.

202 *Nota LIX*, p. 84.

1. Turibius, Asturicensis episcopus, ut grassantibus per Hispanias Priscillianistis obviam iret, primum commonitorium ad Orthodoxos, puto, scripsit. Deinde libellum composuit, in quo sexdecim capitulis damnatas Priscilliani opiniones perstrinxit. ***Sexdecim***, inquam ; nam 16 ultimum vocat sanctus Leo, et 17 non in hoc de Priscilliani erroribus libello, sed in

* Hanc dissertationem ab auctore elucubratam non fuisse, dictum est in præfatione.

epistola familiari Turibii ad se missa expressum fuisse declarat. Hæc autem Turibius ad Leonem pontificem Romam misit, ut ex epistola 93, nunc 15, ipsius Leonis discimus. Qui præter hanc ad Turibium epistolam litteras simul misit ad cunctos Hispaniæ episcopos, quod hæc ipsius verba declarant : *Dedimus*, inquit, *litteras ad fratres et coepiscopos nostros Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos atque Gallaicos* (Bæticos addit concilium I Bracarense, neque ulla suberat causa cur eos præteriret Leo), *eisque concilium synodi generalis indiximus*. Quæ omnia cum a Leone per Pervincum ejusdem Turibii diaconum missa fuisse oculatus testis Idatius diserte affirmet, nescio quæ illa scripta sint, quæ Leo, eodem concilio Bracarensi testante, per Turibium notarium sedis suæ ad synodum Gallæciæ direxit. Maxime cum ibidem subjecerit Leo : *Si autem aliquid, quod absit, obstiterit quominus possit celebrari generale concilium, Gallæciæ saltem in unum conveniant sacerdotes, quibus congregatis fratres nostri Idatius et Ceponius imminebunt, conjuncta cum eis instantia tua, quo citius vel provinciali conventu remedium tantis vulneribus afferatur*. Post hæc igitur neque opus erat ut quidquam aliud ad synodum Gallæciæ scriberet Leo, neque, si quid scripsit, fieri potuisse videtur ut Idatius ejusdem provinciæ episcopus, et illius pars magna synodi posterioris hujus Leonis scripti nusquam meminerit.

2. Neque suspicari fas est, vitium irrepsisse in concilium illud Bracarense, et in eo a collectore addita esse illa verba *notarium* **203** *sedis suæ ;* nam ea repetit Innocentius III, lib. II, epist. 133, ubi ait : *Dicitur in I concilio Bracarensi, quod Theoribius, notarius a papa Leone ad synodum Gallæciæ* (quam Gallæciæ synodum jam tum periisse affirmat ibidem Innocentius) *missus fuit*. Quod interea tamen simile valde vero puto, hoc sane est, Turibium illum, de quo loquitur concilium Bracarense, diversum non esse a Turibio Asturicensi, quem impropria satis significatione, neque quinto sæculo usitata, notarium appellaverit concilium vel ejus potius collector. Indistinctum etiam existimat Florius, tom. VI Hisp. sacræ, dissert. I, ad n. 200, ubi Pagium Quesnellumque refellit, qui Turibium Leonis notarium a Turibio episcopo Asturicensi distinguunt. Verum enimvero sive alter ab altero diversus, sive non diversus sit, confundendus non est Turibius Leonis notarius cum Turibio sive Theoribio illo ad quem octogesimo post anno epistolam scripsit Montanus Toleti episcopus, quæ edita est post concilium Toletanum II, quæque in addita ibi ad oram nota scripta dicitur ad Turibium Asturicensem. Qui potuit post annos octoginta ? Ibi etiam epistola alia legitur ejusdem Montani ad Palentinos, in qua scripta Turibii nostri impense commendantur.

Nota LX, *p*. 85.

1. Nunc quoque Pagius Idatium errare facit, illi imponens eclipsim, quam Decembri anni Abrahamitici 2463 ascribit, æræ vulgaris 446, alligare. Et quidem ita consequitur, si Idatius annos quibus Chronicon suum insignivit ab Octobri auspicatur ; nam annus Abrahami 2453, ab Octobri æræ communis 446 inchoatus, eumdem cum anno isto Dionysiano Decembrem habet. At æquum erat ut Pagius Idatium toties et tam fœde in errores impegisse non crederet, sed potius annos illum a Januario numerare sibi persuaderet, quo pacto tot errores antiquo huic et accurato scriptori nulla esset objiciendi causa nullumque fundamentum. Idatius ergo eclipsim illam mensi Decembri **204** anni Dionysiani 441 adnectit, quocum a prima ad ultimam diem annus Abrahamiticus 2433 concurrit. Dies tamen perperam in Chronico designatus est ; nam feria tertia, qua contigisse dicitur eclipsis, dies erat 10, non autem IX *Kal. Jan.* Sed hoc adnotatum supra fuit in scholio.

2. Pergit insuper Pagius, et ad eumdem annum 447, n. 13, suum et Calvisii errorem prodit, asserentium Theodosiani principatus annos ab anno æræ communis 423 Idatium exordiri. Falsum id evidentissime demonstrat series annorum in Chronico observata. Item numerus annorum XXX, quos Idatius Honorio tribuit a morte Theodosii patris, et suo ordine digessit ab anno æræ vulgaris 495, quo Honorii regno initium fecit. Si ergo huic primo anno XXIX adjicias, ut XXX compleas, in annum devenies ejusdem æræ 424. Ergo insequens annus, cui exordium Theodosii junioris et Placidi Valentiniani principatus adnexuit Idatius, annus fuit æræ vulgaris 425, annusque ipsorum 23, annus ejusdem æræ 447. Porro cum ex ipso Chronico evidenter constet Idatium designato anno 50 Theodosii eidem subjecisse initium imperii Valentiniani, et eadem chronologica nota deinceps utriusque regni annos designare continuasse, quis non videat, eos annos ab æræ Dionysianæ 42 auspicatum fuisse, siquidem hoc anno desinente Valentinianus Augustus renuntiatus est ? Præterea cum Idatius annum 30 Honorii cum anno Abrahamitico 2440 conjunxerit, ut ipsius Chronicon demonstrat, annum Theodosii et Valentiniani 1 cum Abrahamitico 2441 alligasse necesse est. Igitur annus 23 eorumdem non potuit non concurrere cum anno Abrahami 2463, atque æræ vulgaris 447, cujus die 23 Decemb. eclipsis contigit. Non ergo erravit Idatius consignans hanc eclipsim anno 23 Theodosii et Abrahami 2463. Sed potius Calvisius Pagiusque aberrant, quorum ille sesqui anno citius Theodosii regni annos numerare Idatium cœpisse, hic autem annos Abrahami ab Octob i auspicari falso affirmat.

205 *Nota LXI*, *p*. 86.

1. Asterium Protogenis in consulatu collegam anno 449 Hispanis valde acceptum ipsique pariter acceptam fuisse gentem nostram, argumento sunt diuturna illius in Hispania commoratio et filia Hispano Meraubandi in matrimonium collocata. Cujus pietatem commendant Sedulii Christiani ac religiosi poetæ carmina ab ipso collecta et divulgata. Namque huic nostro Asterio eam carminum Sedulii edendorum curam tribuit Sirmondus, ad epist 24 lib. I Ennodii, ubi epigramma quoddam Asterii ex Codice Rhemensi protulit, cui præmissa erat hæc adnotatio : *Hoc opus Sedulius inter chartulas dispersum reliquit ; quod recollectum adornatumque ad omnem elegantiam divulgatum est a Turcio Rufio Asterio v. c. consule ordinario atque patricio*. Sequitur Asterii epigramma ad eumdem Macedonium, ad quem per epistolam opus suum Sedulius direxit. Ita illud ex emendatione Gasparis Barthii descriptum accipe :

Sume sacer meritis veracis dicta poetæ
Quæ sine figmenti condita sunt vitio ;
Quo caret alma fides, qua sancti gratia Christi,
Per quam justus ait talia Sedulius.
Asteriique tui semper meminisse jubeto,
Cujus ope et cura dedita sunt populis,
Quem quamvis summi celebrent per sæcula Fasti ;
Plus tamen ad meritum est, si viget ore tuo.

2. Cardinalis Norisius, in Cenotaphiis Pisanis, dissert. VI, hanc Sirmondi opinationem suis despicabilem lectoribus facere voluisse videtur, dum eam tanto contemptui habitam fuisse ab Usserio et Pearsonio ait, ut nequidem in ea commemoranda voluerint immorari : quasi id solemne non sit plerisque acatholicis, ut ejusmodi professionis viros, cujus fuit magnus Sirmondus, nihili se facere videri velint. At Norisius contra virum agens eximiæ probitatis, doctrinæ atque modestiæ, eumdemque **206** sacerdotem summisque Ecclesiæ viris atque etiam Christianissimis Galliæ regibus magno in pretio habitum, non his profecto armis certare debuit. Argumentum, quod habuit Sirmondus, ut collecti et adornati operis Seduliani laudem Asterio huic nostro tribueret, desumptum est ex Gennadio, *ex cujus integris exemplaribus*, ait Sirmondus, *Sedulium Theodosio juniore, cui opus suum dedicavit, et Valentiniano regnantibus vita functum didicimus*. Exstat etiam nunc carmen, ubi Sedulius eumdem juniorem Theodosium alloquens hæc inter alia scribit :

Hæc relegas servesque diu tradasque minori
Arcadio; hæc ille suo generi. Hæc tua semper
Accipiat, doceatque suos Augusta propago.

Neque insertum carmini Arcadii nomen cogit nos ut Theodosio Magno inscriptos hos versus credamus; namque hic *minor Arcadius* Theodosii minoris filius est, non qui jam ipsi natus esset, aut quem unquam nasci contigerit, sed quem Theodosio blandiens nasciturum ominatur poeta, sicut et ipsi Arcadio sobolem filiosque vaticinatur, cum addit: *Hæc ille suo generi.* At *minorem Arcadium* vocat, quia ex more illius ævi mascula prima Theodosii proles de avi nomine appellanda erat, quod fuit Arcadius. A quo, ut distingueretur secundus hic Arcadius, *minor* dicendus erat, ut ipse Theodosius *junior* dictus est, ut ab avo Theodosio Magno distingueretur. Ne autem id de Arcadio Theodosii junioris patre dictum existimemus, ratio temporum suadet, multoque minus de Arcadia ejusdem Theodosii sorore interpretari possumus; nam, præterquam quod in ipso carmine *Arcadio* legitur, non *Arcadiæ*, cur Arcadiam potius quam Pulcheriam aut Mariam appellaret poeta?

3. Secundum argumentum, quod habuit Sirmondus, ut Asterio huic Protogenis in consulatu collegæ concinnationem Seduliani operis adjudicaret, desumpsit ex epigrammate supra adducto ipsius Asterii ad abbatem illum Macedonium cui idemmet 207 Sedulius opus suum mittere decreverat, et cui inscripta est epistola, quæ Rhemensi in Codice carmen præcedit. Nam cum Sedulius, Gennadio teste, ante annum 450 obierit; eo enim anno obiit Theodosius, Seduliusque regnante Theodosio fato functus est, juxta Gennadium (ut omittam quod si vera esset cardinalis Norisii conjectura, qui in laudato supra carmine pro *Arcadio* legi vellet *Arcadiæ* quæ mortua est, ut tradit Marcellinus in Chronico, anno 444, ante hunc annum opus suum absolvisset); oppido incredibile est, Macedonium inter viros egisse quinquagesimo ferme ab obitu Sedulii anno. A qui hoc opus erat, ut ipsi epigramma illud misisset Asturius, is qui consulatum gessit cum Præsidio anno 494, quemque Pearsonius, Usserius, Norisius et Pagius affirmant Sedulii opus collegisse et evulgasse. Ad hæc, carmina tot annos inter chartulas schedasque neglecta atque dispersa facilius, quam Sibyllina oracula foliis inscripta periissent. Demum nemo hucusque evicit, ea omnia nomina quæ in Rhemensis Codicis adnotatione expressa sunt, Asterio nostro non congruere. E contrario aliena ab eo non esse existimavit Sirmondus, qui de nominibus mediæ ætatis erudite scripsit, cujusque de hac re judicium non est cur aliorum opinamentis non præferamus.

4. Sed esto Asterius hic noster *Flaverius Asterius* vocatus sit, non vero *Turcius Rufius Asterius*, quid inde? Enim vero hæc dico, *Turcius Rufius* affinxisse illi dicam librarios. Annon id facilius fecit, quam Sedulio affinxisse epistolam ad Macedonium et carmen ad Theodosium, quod, ut suam opinionem tueantur, factum esse dicunt qui Sirmondi sententiam contemnunt aut rejiciunt? Et carmen quidem Probæ Falconiæ adjudicant, quia præfixum aliquando fuit Centoni hujus poetriæ: quasi non potuerit ab opere Sedulii in Centonem Falconiæ transferri, sicut a carmine Falconiæ in opus Sedulii translatum esse dicitur. Porro si in carmine Sedulii ad Theodosium de Arcadio jam nato sciolus aliquis sermonem esse putavit, satis hoc ipsi erat ut carmen illud Falconiæ ascriberet, 208 quam sciret Theodosii Magni, qui filium habuit Arcadium, tempore vixisse. Epistolam autem ad Macedonium cur Asterio ascribendam esse velint, nescio. Nisi quod, ut dictum est, si Sedulio tribuatur, et is mortuus fuerit ante annum 450, carmen quod ad eumdem Macedonium scribit Asterius, Seduliani operis concinnator et editor, nemo unquam credet scriptum esse ab eo qui anno 494 consulatum gessit. Sane utrumque scriptum, epistolam, inquam, ad Macedonium et carmen ad Theodosium sub Sedulii nomine ipsiusque operi præfixum frequenter

A invenimus. Vide Bibliothecæ Vet. PP. editæ Lugduni anno 1677, tom. VI. In eadem, tom. V, reperies Centonem Falconiæ sine eo ad Theodosium carmine.

Nota LXII, p. 86.

Sebastiani inclyti bello viri *Gaisericus* (ait Victor Vitensis, lib. I) *sicut consilia necessaria habebat, ita et præsentiam formidabat. Cupiens autem illum exstinguere, occasionem mortis de religione quæsivit*, nimirum ad Arianismum trahere illum pertentavit. Sed cum Gaiserici suggestionem acuta pulcherrimaque responsione retudisset Sebastianus, obmutuit quidem tum Gaisericus; *verumtamen* (addit Victor) *alio generis argumento postea bellicosum virum occidit.* Quodnam autem fuerit illud argumentum, non prodidit Victor. At si unica tantum religio apud impium regem reum fecerat Sebastianum, quocunque alio prætextu eum occiderit, ipsius nomen cœli tabula (ait emin. Baronius, ad annum 446) et liber vitæ indelebili nota scriptum retinet.

B *Nota LXIII, p. 87.*

1. Qui legat epistolam Leonis ad Ravennium Arelatensem episcopum, quæ 110 est in antiquis Editionibus, intelliget profecto de illis scriptis agere hic Idatium quæ sanctissimus pontifex Ravennis indixit, *ut sollicitudine vigilantiæ suæ faceret universis fratribus innotescere*, fratribus, scilicet, non Hispanis modo, 209 sed etiam Gallis. Et ad Hispanos quidem transmittendi hæc scripta cura Ravennio demandatur, quia, sic provinciarum positu exigente, per Gallias ad Hispanias mitti solebant, uti constat ex epist. (mihi) 52 ipsius Leonis ad eumdem Ravennium. Quare mirari satis nequeo Paschasii Quesnelli levitatem, qui ex iis occasionem arripuit in notis ad epistolam Leonis (apud ipsum) 15, n. 9, ista effutiendi: *Cum Hispaniarum Ecclesia in magna tunc ignorantia versaretur, plurimis earum episcopis vel errore infectis vel de Ecclesiæ doctrina non satis instructis, admodum conveniens erat, ut earum synodis ex Gallicanorum*
C *antistitum fide ac doctrina robur accederet.* Ita Quesnellus, honestiore nullo fine quam ut vanissimam Gallis suis laudem quærat, episcopos Hispaniæ dehonestat. Verum id tolerabilius, illud gravius est, quod cum ab episcopis Galliæ nulla doctrinæ capita, scripta nulla, nisi quæ Ravennio missa sunt a sancto Leone, in Hispanias transmissæ fuissent, nullo pacto fieri potuit ut ex Gallicorum antistitum fide ac doctrina synodis Hispaniæ robur accederet, nisi si dixerit Quesnellus scriptis sancti Cyrilli a synodo generali Ephesina approbatis eidemque synodo insertis, atque epistolæ dogmaticæ pontificis summi Leonis novum a Ravennio et collegis robur accessisse, quod eadem scripta secum in Hispaniam tulerint, hujus provinciæ synodis inserenda.

2. At quam longe fuerint ab hac vanitate Ravennius et quadraginta tres alii episcopi Galliarum cum Ravennio in synodo congregati, ipsorum litteræ ad Leonem ostendunt, quibus pro tanto munere sibi
D ipsis misso gratias ei agunt, profitentes Galliam totumque orbem epistolæ hujusmodi radiis fuisse illustratum. Sed ipsos audiamus: *Perlata ad nos*, inquiunt, *epistola beatitudinis vestræ, quam ad Orientem pro catholicæ fidei assertione misistis..... Quis apostolatui vestro pro hoc tanto munere, quod non solum Gallias, sed totum mundum velut quibusdam gemmis ornavit, dignas æstimet gratias posse persolvi?* Et rursus: *quæ apostolatus vestri scripta ita ut* 210 *symbolum fidei quisquis redemptionis sacramenta non negligit, tabulis cordis ascripsit.* Audin' Quesnelle! Scripta sedis apostolicæ de re dogmatica, qualis est bulla *Unigenitus*, ut *symbolum fidei tabulis cordis nostri ascribenda sunt.* Quod si e converso ea præfracte Redemptoris gratiam magnificis verbis extollere videri velis, *redemptionis sacramenta* factis re ipsa negligis, spernis, conculcas. Sed ad inceptum redeamus. Ex episcoporum Galliæ allatis verbis, etsi cætera deessent, si clausis non erat Quesnellus oculis, videre clarissime potuit, scripta illa a Leone missa

fuisse in Gallias, non ut illic ab episcopis Gallicanis nova luce ac robore donarentur, antequam deferrentur in Hispanias, sed quia ad Hispanias, ad quas sicut ad reliquas orbis provincias mittebantur, iter erat per Gallias.

3. Quesnellus vim auctoritatemque epistolæ Leonis obscuris ambiguisque verbis extenuare voluisse visus est. At Norisius, dum etiam inter suos concellitas privatam vitam ageret, aperte nimis atque intrepide dictatæ ejusdem epistolæ laudem Leoni ademptam in Prosperum transferre conatus est. Sed præstat ipsum audire, lib. II, cap. 15, Histor. Pelag., ad quam nihilo plus faciebat sermo de hac Leonis epistola, quam prolixa illa de Levinensibus, Agaunensibus et Jurensibus monachis dissertatio atque sexcenta alia. Ergo Norisius, adducto Gennadii testimonio, ubi de Prospero inquit : *Epistolæ quoque papæ Leonis adversus Eutychen de vera Christi Incarnatione ad diversos datæ et ab ipso* (*Prospero*) *dictatæ creduntur*, hæc addit ex Baronio in notis ad Martyrologium Romanum, die 25 Junii : *Ado Viennensis et alii tradunt, Prosperum fuisse ab epistolis sancti Leonis papæ ab eoque scripta fertur famosissima illa epistola sancti Leonis ad Flavianum de Incarnatione Verbi. Quod non tantum Gennadius, Honorius et alii, sed et Marcellinus comes testatur in Chronico.* Ex his concludit emin. Norisius, conclamatque : *In tanta antiquorum consensione vix Bellarmino hac de re jure dubitandi locus superest.*

4. Sed imprimis cum ignorare non posset Norisius, certe non deberet, eadem Baronium de auctore hujus epistolæ, **211** quam Bellarminum sentire, qua fide eos quasi inter se dissidentes lectoribus suis objecit? Porro Baronius, in Annalibus, ad annum 449, hæc de ea epistola scribit : *Cæterum non nisi sancti Leonis esse dixerim; etenim eamdem dictionem quæ est in epistola utique recognosco in ejusdem sancti Leonis sermonibus.* Bellarminus vero, lib. de Script. Eccl., in Prospero, ait : *Si ulla epistola sancti Leonis est, illa omnino est, sive stylum, sive doctrinam Leonis attendas.* En duo eminentissimæ sanctitatis ac sapientiæ viri, cum vix dubitare jure possent, si Norisio credimus, eam epistolam Prosperi esse, ipsam Leoni indubitanter adjudicant.

5. Ad hæc illa Adonis, Marcellini atque Honorii cum Gennadio consensio non tam antiquorum quam antiquariorum aliena scripta exscribentium consensio est. Nam ut ipse Norisius fatetur, sequenti cap. 14, Marcellinus *unius Gennadii verbis loquitur*; Honorius *omnia ad verbum transcribit ex Gennadio.* Sed et Adonis hæc verba sunt : *A quo* (a Prospero) *dictatæ creduntur esse epistolæ adversus Eutychen de vera Christi incarnatione.* Eadem profecto quæ supra ex Gennadio protuli. Ergo unus Gennadius *tantam* illam *antiquorum* turbam conficit, ex quorum *consensione vix Bellarmino locus superest* divinam illam epistolam sancti Leonis *jure* adjudicandi. E contrario vero ex obscuro insertoque quolibet ramusculo jus sibi assumere licere existimant hesterni nonnulli critici, ut contra omnis retro antiquitatis consensum (Gallicanorum antistitum supra vidimus) contra fidem cœlestium signorum, quæ laudato loco refert emin. Baronius, Prosperum celeberrimæ illius epistolæ auctorem prædicent, hominem doctum oppido atque pium, et de gratia Dei contra Pelagianos et Semipelagianos optime meritum, sed tamen laicum cæteraque ignotum. A quo proinde nemo non videt sanctum Leonem sine aliquo sui ipsius totiusque ordinis episcopalis dedecore emendicare non potuisse scriptum illud in quo quidquid de œconomia sacratissimi mysterii fide tenendum erat, universo orbi sexcentorumque et amplius episcoporum generali concilio propositum fuit. Verum o te felicem **212** Gennadium! qui *Galla credulitate* (liceat cum Valerio Martiale loqui quandoquidem Gennadius ipse ait : *epistolæ dictatæ creduntur*) sapientissimo maximoque pontifici detraxisti quod Prospero adjudicares; nam si quem

A ex his quos amat Norisius tetigisses, acceptus ab eo procul dubio fuisses, sicut misellus ille acceptus est Prosper Pithœanus, quia ad annum Honorii 23 hæresis Prædestinatianorum mentionem fecit. Vid., infra, not. 68, n. 6.

6. Epistola Leonis ad Ravennium scripta est III Non. Maii Valentiniano Aug. VII et Avieno consulibus, anno scilicet æræ christianæ 450. Unde dubitare non possumus scripta illa quæ ibi injungit Leo Ravennio, ut nota faciat fratribus, ad Hispanias non pervenisse ante hunc annum. Quod cum Idatius non ignoraret, erat enim de illorum numero ad quos eadem illa scripta mittebantur, de eorum acceptione meminisse non potuit ante annum 26 Valentiniani, quocum concurrit annus ille vulgaris æræ 450. Igitur has notas XXVI, quæ vigesimum sextum annum imperii Valentiniani significant, consignare non debuit, et certo non consignavit Idatius post § *De Galliis epistolæ*, alioquin asportationem in Hispanias eorum scriptorum alligasset anno 25 Valentiniani B æræ communis 449, videlicet uno citius anno quam a Leone missa fuerunt. Itaque annum Valentiniani 36 ascripsit Idatius § *Sebastianus*; unde ad § *Asturius* extulit librarius has notas, cum ibi nomen *consulis* legeret, quod novi anni signum sibi visum est, uti supra etiam Honorii annum 28 ad § *Constantius* simili ductus errore transtulit.

Nota LXIV, p. 88.

Consignatum ad § *Theodosius imperator moritur* annum 27 Valentiniani delevi, nihil dubitans eam istic notam non ab Idatio, sed a librariis impressam fuisse. Ex quo non unus tantum, sed plures errores in Chronicon irrepserunt, quos singulatim mox recensebo. Igitur Theodosii mors illigari non potuit anno Valentiniani 27, qui in annum æræ vulgaris **213** incidit 451. Hunc enim annum non attigit Theodosius, cum 450 obiisset, die, si Theodoro Lectori, lib. III Collectan., credimus, 28 Julii. Vixit Theodosius annos XLIX, menses circiter III. Quare C in Idatio pro quadragesimo octavo legendum est XLIX; namque hunc numerum retinet Fragmentum 1 Hispaniæ illust., et in Chronico Parvo annus legitur 44, quod vehemens indicium est germanam antiquitus lectionem fuisse XLIX, atque ex ea natam fuisse illam Chronici Parvi XLIV, mutata X in V. Ex his liquido consequitur non ideo notarum chronologicarum seriem in Idatio per hos annos perturbatam fuisse, quia ante hunc § *Theodosius imperator moritur* Valentiniani annus 26 inscriptus est; sed quia nota anni 27 ejusdem Valentiniani eidem § adjecta est, cum rejicienda esset ad § *Gens Hunnorum*, ubi eam consignavit Idatius, ut mox ostendam.

Nota LXV, p. 89.

1. Mortem Placidiæ Augustæ adnotavit Tyro Prosper sub consulibus Valentiniano VII et Avieno, qui consules fuere anno æræ vulgaris 450. Alter Prosper mortis diem V Kal. Decemb., quem etiam præfert D sepulcralis inscriptio quæ Ravennæ in ecclesia sanctorum martyrum Nazarii et Celsi visitur quamque apud emin. Baronium invenies ad annum 449, n. 167. Pseudo-Severus, qui acta hujus temporis ex Idatio describit, eidem anno obitum Theodosii et Placidiæ adnectit, ut minime dubitare liceat Idatium utriusque mortem eidem notæ chronologicæ subjecisse, huic nimirum XXVI, quæ ascripta § *Sebastianus*, annum designat æræ communis 450, quocum, ut dictum est, connectitur annus vigesimus sextus Valentiniani. Quapropter in reliquis Chronici Idatiani Editionibus, in quibus legitur : XXVIII *Valentiniani imperatoris mater Placidia moritur apud Romam*, triplici laborat vitio locus iste : 1° quod notam præferat chronologicam XXVIII, cum Idatius sub modo dicta nota XXVI a § *Sebastianus exsul* ad § *Gens Hunnorum* decurrat; 2° quod ex duabus numeralibus **214** notis altera XXVII, altera I, una conflata sit XXVIII; 3° quod verba illa *Valentiniani imperatoris mater*, quæ Idatii non sunt, huic loco ingesta sint.

2. Idatius itaque ab anno æræ Dionysianæ 451, quo Valentiniani 27 numerabatur, utriusque imperatoris tam Occidentis quam Orientis principatus annos Chronico suo inseruit: Occidentis, quia Idatius ipse sub illo; Orientis (opinor) quia legitime et diutius imperare ibi soliti principes. Cum ergo ad ea narranda quæ anno illo 451 gesta sunt devenit, quod exsequitur a § *Gens Hunnorum;* has notas XXVII: I. illi § apposuit, quibus significabat annum vigesimum septimum Valentiniani et primum Marciani. Verum enim vero cum has notas plures legerent atque exscriberent, unus nescio quis, rei novitate perculsus, neque quid hoc, erat intelligens (anni enim Honorii et Arcadii, rursusque anni Theodosii et Valentiniani cum ab initio æqualiter fluerent, utrorumque eorum simplici et indiscreta nota ab Idatio consignati fuerant), ex his duobus numeris XXVII et I unicum confecit XXVIII. Deide cum quæ retro scripta erant relegeret, et notam anni 27 Valentiniani nullibi inveniret, eam ascripsit § *Theodosius imperator moritur*, totamque Idatii chronologiam interturbavit.

B 3. Alius vero, notas illas relegens XXVII. I. earumque significatum capiens, claritatis gratia hoc modo distinxit XXVII V. I. M., quæ sic exponi debuissent: *vigesimo septimo Valentiniani, primo Marciani anno.* Sed inventus est, qui posteriores illas notas V. I. M. ita interpretaretur: *Valentiniani imperatoris mater*; atque ex hoc commento et ex primo illo errore, quo duæ duorum principum epochæ, scilicet XXVII et I in hanc unam coaluere XXVIII, nata est illa lectio XXVIII, *Valentiniani imperatoris mater Placidia*, etc., quam cuncti libri præferunt, et qua chronologia Idatii penitus turbata est. Nam qui hanc interpretationem sive a se inventam, sive ab alio excogitatam inhærere non posse vidit § illi *Gens Hunnorum* (quem en in sensum haberent ista: XXVIII *Valentiniani imperatoris mater. Gens Hunorum?*) notam chronologicam et tria **215** priora verba, nimirum hæc, XXVIII. *Valentiniani imperatoris mater*, a § *Gens Hunnorum* avulsit, et cum his, *Placidia moritur apud Romam*, quæ aliquanto antea præcesserant, conjunxit, hanc periodum conficiens: XXVIII. *Valentiniani imperatoris mater Placidia moritur apud Romam.* Hæc autem cum sensum non ineptum redderent, ablata est legentibus occasio hujus observandæ labis, quæ Chronicon deturbabat. At ea nunc detecta, lectionem, quam hic exhibeo, germanam esse eam et ab Idatii calamo judicaturum te, lector, confido. Nam licet quæ de ratione et causa eversæ per hos annos in Idatio chronologiæ dicta a me modo sunt meræ conjecturæ sint, at præterquam quod illæ probabiles admodum sunt, maxime si conferantur cum his quæ dicturus sum ad annum 7 Marciani, nota 82, n. 1, ubi aliam Chronici depravationem superiori omnino similem detegam, correctiones quas adhibui ex ipso Idatio vel ex iis qui eum exscribunt desumptæ sunt.

Nota LXVI, p. 87.

1. § *Gens Hunnorum* ascribendas esse has notas XXVII. I. quæ annum vigesimum septimum Valentiniani, et I. Marciani designent, argumenta, quæ supra adduxi, convincunt. Et de Valentiniani anno 27 nemo erit qui neget. At de Marciani vereor ne quis adnectendum fuisse contendat anno Valentiniani 26, æræ communis 450. Nam ab hoc anno plurimi scriptores imperium Marciani deducunt. Enim vero deducunt historici, quia reipsa Marcianus imperator renuntiatus est mense Augusto anni 450. Attamen Chronicorum et Fastorum consularium scriptores, adnotato principis ad imperium aditu eo anno quo evenit, principatus annum 1 sequenti consulatui subjecerunt. Porro Marcellinus et Cassiodorus consulatui ejusdem Marciani et Adelphii illius annum 1 alligant, qui incidit in annum 451. Apud Panvinium vero non solum consulatus designatione, sed apposita etiam margini hac nota I, exin annos Marciani auspicari apertissime significatur. **216** Et sane Idatium annum 1 Marciani cum anno 27 Valentiniani a Januario anni

A Dionysiani 451 inchoato ex æquo comparasse, perspicue constat ex ordine quem in cæteris ejusdem Marciani annis designandis observat. Potuisset profecto Idatius imperii Marciani exordium ejusque annum 1 anno 450 jam inchoato adnectere, et ineunti postea anno 451 annum 2 Marciani cum anno 27 Valentiniani alligare; namque ita eum observasse in Avito et aliis infra videbimus; cur autem non id ipsum in Marciano præstitit, divinare non possumus.

2. Sed juvat hic animadvertere ex scriptorum in annis Marciani numerandis diversitate natum esse ut de anno et consulibus sub quibus habita fuit IV synodus, diversa atque pugnantia litteris consignata inveniantur. Cum enim in eadem synodo annus 2 Marciani ejusdemque consulatus, quem cum Adelphio gessit anno 451, ascripti sint, auctor Chronici Alexandrini in annum 2 Marciani, quem designat synodus, animum intendens, Fastosque deinde consulatus, dum in his annum 2 Marciani ex integro collatum videt cum anno æræ communis 452, seu quod idem est, cum anno qui Sporatium et Herculanum consules habuit, hæc de ea synodo scripsit: *Marciani anno 2 Sphoratio et Herculano consulibus, acta est IV synodus Chalcedonensis.* At synodus annum 2 Marciani non a prima die Januarii anni Dionysiani 452 numerat, sed a die 24 aut 25 Augusti anni 451, quando Marcianus annum 1 ab inito imperio explevit. Cum ergo anno 451 consules fuerint Marcianus et Adelphius, et eodem anno, mense Octobri, coacta sit IV synodus, recte in ipsa Marciano et Adelphio, in Chronico vero Alexandrino perperam Sporatio et Herculano consulibus habita esse dicitur. Non minori, licet dispari, vitio laborat Panvinius de eadem synodo agens in Chronico; nam dum in consules, qui in ea ascribuntur, oculos conjicit, habitam esse ait anno 1 Marciani, consulibus eodem Marciano et Adelphio. Itaque consules eosdem ac concilium præfert; annum vero imperii Marciani diversum. Cæterum Panvinius dum **217** ita scribit, ab instituta a se imperii Marciani epocha non discedit.

C 3. Interea Alexandrini, Onuphriani, aliorumque Chronicorum exempla fidem faciunt, non modo Idatium, sed plures etiam alios scriptores Marciani 1 annum consulatui ejusdem et Adelphii, id est anno 451, annumque 2 consulatui Sporatii et Herculani vulgaris æræ anno 452 solitos fuisse adnectere. Denique in Hist. Gothor. Isidori annus 1 Marciani et Turismundi (is Idatio Thorismo est) illigatur Hispanæ æræ 490, id est, anno æræ communis 452. Sed cum idem Isidorus in Chronico annum eumdem Marciani 1 adnectat anno mundi 5649, cui juxta ipsum Isidorum respondet annus æræ Hispanæ 489, Christianæ vero annus 451, utrumque nec simul verum, neque ab eodem Isidoro esse potest. Quin etiam in fine Chronici annum mundi 5845 componit Isidorus cum æra Hispana 654. Si ergo ab eo anno mundi in annum 5649, cui Isidorus, ut dictum est, annum 1 Marciani alligat, retrorsum numerando ascendere velis, subducendi tibi sunt anni CLXV.

D Igitur eosdem subtrahe ex illa æra 654, reliqui erunt CCCCLXXXIX, non autem CCCCXC. Hinc in Historia illa Gothorum corrigendus est locus ubi Marciani et Turismundi annus 1 ascriptus est æræ 490, et reponenda æra 489.

Nota LXVII, p. 89.

Catalaunicos Campos, ubi Romani et Gothi cum Attila acie decertarunt, a Catalauno, Campaniæ Gallicanæ ad Matronam urbe, vulgo *Châlons*, nomen accepisse communis est eruditorum sententia. Sed quid si a Cabillono Æduorum oppido ita appellati sunt? Sane Cabillonum istud ad Ararim Catalaunum etiam olim vocatum fuisse indicio est, quod nunc etiam *Châlons*, sicut illud prius Catalaunum ad Matronam vulgo nominatur. Deinde Eumenius, in panegyrico Constantini Augusti, ubi quid egerint, quid passi fuerint Ædui pro Romanis dicendum **218** sibi unice proposuerat, cujusdam cladis Catalaunicæ

meminit. Atqui Cabilloni ad Matronam nihil, Cabilloni vero ad Ararim clades plurimum ad institutum suum faciebat. Præterea planitiem circa istud Æduorum Cabillonum oculis nostris videmus, et ipsius idem Eumenius ibidem meminit. Denique Rodericus Toletanus Euphronium Augustoduni, quæ primaria Æduorum civitas est, episcopum innumera in ea pugna occisorum millia sepelivisse narrat lib. II, cap. 8. Qui quidem Rodericus licet multo posterior fuerit, et auctorem longe se antiquiorem hujusce rei testem habuisse videtur. Nam pseudo-Severus a doctissimo Florio editus, ad annum 1 Marciani hæc scribit : *Cadavera innumera* (ex occisis in pugna Catalaunica) *Eupronius episcopus Augustoduno sepelitur*, ubi procul dubio legendum est : *Episcopus Augustoduni sepelivit*. Verum non dissimulo, in hoc Severi loco hæc etiam adduntur : *Aetius contra Attilam Tricasiis pugnat loco Mauriacos*. Tricasses autem longius distant a Cabillono ad Ararim, quam a Catalauno ad Matronam ; quo, pietate duce ac comite, accurrere potuit Euphronius, etiamsi pugnæ tempore longe a loco abesset ; ingens enim occisorum ille numerus terræ mandari nisi pluribus diebus non potuit.

Nota LXVIII, p. 90.

1. Cum Aetio adversus Attilam non tantum Gothos, sed etiam Francos fuisse narrant locis in scholiis laudatis Jornandes, Gregorius Turonicus et auctor Miscellæ. Quorum Jornandes, omnium antiquissimus, integro post hæc tempora sæculo scripsit. At scriptores illius ævi Idatius et Prosper de Francis penitus silent ; solos Gothos Romanis junctos contra Attilam pugnasse expresse tradunt. Idatii verba supra habes. Prosper vero consulatu Marciani et Adelphii hæc ait : *Cito et nostris et Gothis placuit, ut furori superborum hostium consociatis viribus repugnaretur*. Tacet etiam de Francis, Gothosque tantum cum Aetio conjungit auctor Vitæ sanctæ Genovefæ (3 Januarii) quem, **219** opinio est, prope annum 500 scripsisse, quemque nihil Francorum laudibus gloriæque detractum aut dissimulatum de illis quidquam ire voluisse credendum est, cum jam tum hi Parisiis dominarentur. Quod autem maximi momenti est, Sidonius, qui historiam hujus belli conscribere se cœpisse prodit lib. VIII, cap. 15, tam longe abest ut Francos cum Romanis conjungat, ut contra Romanos pro Attila eos stetisse disertis verbis testetur carm. VII, vers. 325. Cum Hunno enim ait :

Ulvosa, quem vel Nicer abluit unda
Prorumpit Francus.

Itaque tacentibus vel etiam contradicentibus viris gravissimis Prospero, Idatio, atque Sidonio, qui quæ suo tempore et suos ante oculos gerebantur posteritati mandabant, quis non miretur oculatissimum Pagium ista ad annum 451, n. 22, scripsisse? *Ex Turonensis*, inquit, *et Prisci inter se collatione aliqua alias magna caligine involuta in manifestam lucem proferuntur ; liquetque* 1. *Clodionem Francorum regem ante quadriennium demortuum duos filios reliquisse* ; 2. *inter eosdem post ejus mortem de regni successione controversiam motam* ; 3. *eorum unum in bello Attiliano pro Romanis pugnasse* ; 4. *hunc fuisse Meroveum*.

2. Sed Turonensis imprimis, lib. II, cap. 7, nihil amplius quàm quod Franci Aetio adhæserint, scribit. Id quod si aut de tota gente, aut de tanta ejusdem multitudine, quæ regnum constitueret, regemque super se haberet, interpretetur Pagius, et non potius de his Francis ita existimet, sicut de Sarmatis, Ripariolis, Ibrionibus et aliis populis, quos etiam socios adjungit Aetio Jornandes, Idatii Prosperique silentio et expresso Sidonii testimonio ita retunditur, ut quæ narrat non in manifestam lucem prodiisse, sed ea potius densis adhuc in tenebris delitescere fatendum sit : maxime cum idem sanctus Gregorius, cap. deinde 9, Francorum reges inter vulgi ramusculos (nam quæ ex antiquis scriptoribus desumpsit, nominatim eos appellando exprimit) quæritans tradat : A *De* **220** *hujus* (Clogionis seu Clojonis vel Clodionis) *stirpe quidam Meroveum regem fuisse asserunt, cujus fuit filius Childericus*. Hæccine verba sunt hominis qui Francos sub Meroveo filio Clodionis pro Romanis militasse et agnoverit ipse et posteris testatum esse voluerit?

3. Sed et Priscum audiamus, qui ab ipso Pagio, ibidem, n. 20, productus ait : *At Francos bello lacessendi illi* (Attilæ) *causa fuit regum ipsorum obitus, et de regno inter liberos controversia. Seniori Attilas studebat, juniorem Aetius tuebatur ; quem Romæ vidimus legationem obeuntem nondum lanugine efflorescere incipiente, flava coma et capillis propter densitatem et magnitudinem super humerum effusis*. Pagius itaque defunctum regem, etsi nomen non exprimat Priscus, Clodionem, quasi liquido constaret, interpretatur. Hujus filium, cujus nomen silet etiam Priscus, Meroveum esse divinando asserit ; nam Gregorius non filium Clodionis, sed de ejus stirpe fuisse Meroveum dictitari testatur. Ad hæc si objicias, Meroveum post B patris Clojonis obitum (quem alias anno 447 alligat Pagius) imberbem, uti eum depingit Priscus, esse nequivisse, cum ipsius filius Childericus anno post hæc 11, nimirum 458, luxuriæ immodicus arguatur a Turonensi, cap. 12 ; respondet Pagius, Priscum nullatenus Romæ vidisse Meroveum anno 448, aut, quod rerum series quas narrat Priscus videtur postulare, anno 448, vel serius ; sed anno 432, cum legatus a patre Clodione missus esset ad Aetium vel ad Augustum. Sed præterquam quod acriores aliæ curæ distinebant eo tempore Aetium, perdendi scilicet Bonifacium, quem in palatium a Placidia accitum ægerrime ferebat, quemque tandem eodem anno de medio sustulit, ex quo ipsi in Pannoniam fugiendum fuit, idemmet Priscus non modo istud non astruit, sed ipsum aperte destruit. Nam postquam horum meminerat patris mortem, filiique legationem, declaraturus quid oratum et a quo missus ille Francus Romam ad imperatorem venisset, subdit : C *Hunc etiam Aetius in filium adoptaverat et plurimis donis ornatum ad imperatorem, ut amicitiam* **221** *et societatem cum eo faceret, miserat*. Potuitne Priscus clarius exprimere, Francum illum, quem ipse legationem obeuntem Romæ vidit, Aetii consiliis instructum et muneribus ornatum illuc ab eodem Aetio missum fuisse, non ut patri, sed ut sibi amicitiam et societatem cum Valentiniano conciliaret? Potuit Aetius prædicto anno 432, dum iram Valentiniani fugiens secessit in Pannoniam, ista præstare? Quapropter licet Pagius, dum has explicat tricas, in manifestam se lucem protulisse dicat, Meroveum jam tum Francis imperantem pro Romanis contra Attilam pugnasse anno 450, ut ego quidem puto (idemque fortasse judicabunt prudentissimi quique Galli, qui de Pharamundo quo modo alias loquatur observarunt), non aliter melius ostendere ille potuit, pleraque ex his quæ de eo rege Annales Francici jactant, incerta prorsus atque obscura esse, utpote quæ non alia luce clareant, nisi quam ab hujusmodi D caliginosis conjectionibus mutuantur.

4. At inter omnes historiæ Francicæ scriptores convenit Meroveum post Clodionem regnasse. Esto. Sed ubinam gentium regnavit? Nam si eidem Pagio credimus, frater Merovei natu major utramque Rheni ripam tenebat. De tempore quo regnum inivit etiam obscurum. Patre enim mortuo anno circiter 448, ut tradit Pagius ad annum 432, n. 10, dissidium ortum est inter fratres. Et Meroveus postquam fratri cedere coactus est, ad Aetium confugit, apud quem diutius moratum fuisse necesse est, neque enim uno die illius amicitiam adoptionemque promereri poterat. Post hæc illi Romam proficiscendum fuit deprecatum imperatorem, ut Romanorum armis in paternum se regnum restitui vellet, atque præciperet. Hæc omnia non modicum tempus requirunt. Et tamen neque tunc regnum obtinuisse Meroveum, neque ad illud obtinendum adjutum fuisse a Romanis usquam legimus. Quin imo quisquis altum scriptorum illius tem-

poris silentium, ingentes Attilæ motus, Romanorumque trepidationem consideret, profecto intelliget nullum ab eis bellum pro Meroveo Pagiano ante **222** annum 453 fuisse susceptum, neque suscipi potuisse.

5. Verum itaque Meroveum patrem Childerici, Clodionis vero aut filium aut cognatum aut generum nihil fortasse a veritate aberret, qui dicat, post bellum Attilianum vel etiam post Aetii mortem ex Francia transrhenana in Gallias irrupisse, atque huc referendum esse quod in Sidonio carm. VII, vers. 372, legitur:

> Francus Germanum primum Belgamque secundum
> Sternebat.

Porro Henschenius in Exegesi de episcopis Tungren. præfixa tom. IV Maii, n. 2, Tungrorum urbem, postquam ab Attila vastata fuit, a Francis occupatam fuisse se opinari significat. Dicamus ergo Meroveum annum circiter 453 sedem in Gallia propinqua Rheno fixisse, primumque omnium Francici regni jecisse fundamentum. Quod suadet etiam prima regum Francorum in Gallia stirps a Meroveo Merovingiæ nomen sortita. At regnum Clodionis (ne de Pharamundo loquar) *in termino Tungrorum* regnantis valde dubium est, vel potius falsum. Codices Historiæ Turonensis Gregorii fere omnes non *Tungrorum* sed *Thoringorum* legunt, horumque sæpe in eadem Historia mentio occurrit. Deinde de Tungris, immaniter ab Hunnis hoc bello vexatis, dum historici loquuntur, nullius aut regis aut regni aut gentis Francorum meminere. Laciniam ex Sigeberto scriptore sæculi noni Actis sancti Lupi assutam, in qua mentio fit Merovei, nihil ego moror. Itaque Clodionem in Gallias aliquando irrupisse, certum est; in ea substitisse, incertum quam quod maxime. Id non ignorant Galli, atque adeo non ignorant, ut Adrianus Valesius in Historia Francorum stomachi plenus invehi sæpe soleat in sanctum Gregorium Turonensem, Francicæ Historiæ patrem, quia nihil de Pharamundo, de Clodione vero et Meroveo jejune admodum locutus est. Quasi ille quidquid post ipsum ex Prospero Pithœano ineptissime interpolato rerum Francicarum scriptores de his regibus, neque **223** de his tantum, sed de Priamo quoque et Trojana Francorum origine narrant, legere potuerit; aut etiam, si nunc redivivus legeret, aliquo pacto probaturus esset. Laudandus tamen est idem Valesius, quod in notitia Galliarum ingenue fatetur, Pharamundum nihil terrarum in Gallia, Clodionem et Meroveum pleraque trans Rhenum pauca eis illum obtinuisse.

6. Interpolatum dico hujus Prosperi Chronicon, quod ex fide duorum vetustissimorum Codicum ostendit Henschenius loco supra laudato, cap. 10, ubi de altero illorum anno 623 exarato, vel saltem ex alio tanti ævi descripto ait: *In hoc vetustissimo Prosperi Chronico vel saltem tam vetusti exemplaris apographo nulla prorsus fit mentio Priami, Pharamundi, Clodii, Merovei.* Interpolatum tamen negat Pagius, anno 418, n. 31, contenditque in exemplaribus Henschenianis hæc omnia omissa fuisse non vero alii inserta. Attamen quibus argumentis probat hoc Pagius? Habuitne Codicem ante annum 623 scriptum, aut aliquem alium, qui ex tantæ ætatis Codice descriptus fideliter fuerit, qualem habuit allegavitque Henschenius? Quanquam perinde etiam est sive a librariis sive ab auctore ipso ea de Priamo Pharamundo et Clojone conficta sint. Annon jure conficta esse dicuntur, quando illius temporis scriptores, etiam cum ferebat occasio resque ipsa postulabat, eorum nunquam meminerunt. Atqui non meminisse fatetur Ibidem idemmet Pagius inquiens: *Unus pseudo-Prosper in Chronico imperiali monarchiæ Francicæ initii meminit.* Neque doctissimum virum latuisse opinor censuram, quam de eo scriptore protulit cardinalis Norisius, lib. II, cap. 15 Hist. Pelag., ubi hæc scripsit: *Mirari soleo homines eruditos Prospero Tyroni adeo fidenter fidem præstitisse, cum idem non tyro, sed puer* A *in chronologia appareat totus in historia hospes, ac omnium quæ litteris prodidit imperitissimus.* Recenset deinde plures fœdosque illius lapsus, finitque: *Mallem Augiæ stabulum purgare, quam tyronis hujus errores ex indice recitare.* Quantis igitur sordibus fœtere hunc Prosperum credimus, qui censuram hanc meruit a viro cujus ea vox est: *acerbiora dicta procul esse volumus ac* **224** *mitissime semper loqui.* Hist. de Synodo V, cap. 22. In his itaque fæcibus clarissimi gloriosissimique Francorum regni initia inquirere vanum et indecorum est.

Nota LXIX, p. 90.

Sanctus Isidorus in Hist. Gothor., semel et iterum Romanos et Gothos cum Attila dimicasse significat, et Theodorum in prima congressione occisum atque a Thurismundo filio altero prælio egregie vindicatum narrat. Jornandes, n. 66, equo dejectum, dum suos Gothos ad pugnam hortatur, et ab iisdem conculcatum interiisse affirmat, additque: *Alii dicunt* B *eum interfectum telo Andagis de parte Ostrogothorum, qui tunc Attilanum sequebantur regimen.* Obiit rex vero magnus annum auspicatus regni 33. Atque ita intelligendus est Isidorus, dum 33 annos principatus illi tribuit, nisi mavis Isidorum ideo 33 annos Theodori ascribere, quia uno post anno quam mortuus est ejus obitum consignat, nimirum 452. Et re vera, Theodoris annum regni 33 vix attigit; nam regnare cœpit anno 419 circiter autumnum, ut dictum est nota 31; obiitque eodem fere tempore anno 451. Regnum Gothicum sub hoc principe ingens incrementum accepit; nam angustis finibus initio circumclusum ad Ligerim usque et Rhodanum ab eo dilatatum est; sex filios masculos superstites reliquit, quorum nomina ex Jornande in scholio descripsi. Filiam insuper unam, quam Rechiario Suevo matrimonio junxit anno 449. Nam de altera, quam Hunnerico Gaiserici filio in Africa nuptam socer deprehensam necem sibi machinari ad patrem hunc Theodorum abscissis nari- C bus, remisisse narrat Jornandes, non satis constat atque hæc fabulæ similia sunt.

Nota LXX, p. 92.

Prosper consulatu Sporatii et Herculani Attilam mira sancti Leonis virtute ultra Danubium abactum narrat. Exinde vero **225** nunquam alias in has Occidentis partes rediit. Quare audiendus non est Jornandes, qui iterum contra Visigothos movisse et a Thurismundo pene simili tenore ut prius in campis Catalaunicis fugatum affirmat. Attilæ post huncannum mors accidit, consultoque scripsit Idatius: *Mox interiit.* Prosper et Cassiodorus obitum illius illigant anno 453, Marcellinus vero anno sequenti. Jornandes multa de Attila refert in Geticis, numero autem 82 singularia de mortis genere et de ejus funere narrat, quæ ibi legi poterunt. Inter cætera Attilæ mortem Marciano optimo et cumprimis religioso principi divinitus prænuntiatam testatur, inquiens: *Id accessit mirabile, ut Marciano principi Orientis de tam fero i* D *hoste sollicito in somnis divinitus assistens arcum Attilæ in eadem nocte* (nimirum qua Attila periit) *fractum ostenderet.*

Nota LXXI, p. 92.

Licet Prosper Thurismundi necem ascribat anno 453 eidemque assentiri videatur Isidorus, dum initium regni ejus sub æra Hispana 390 consignat, unumque tantum annum regnasse affirmat; at cum ibidem Thurismundum ad regnum provectum fuisse asserat anno primo Marciani, qui fuit æræ vulgaris 451, ut supra ostensum est, si Thurismundus post unum annum occisus est, necem ejus in annum 452 incidisse necessario consequitur. Et reipsa Isidorus cum Idatio sentire dicendus est secundum ea quæ de eo Isidori loco dicta sunt nota 66, n. 3; cum utroque ergo Thurismundi cædem anno 452 ascribamus. Jornandes in Geticis, n. 72, triennio regnavisse tradit, sed audiendus non est; etiamsi Rodericus Toletanus, lib. II, cap. 8, ut hoc dissidium com-

ponat, scripsisse videatur : *Thurismundus regnavit anno uno, cum patre duobus, qui patri annumerantur*; nam Thurismundum cum patre regnasse falsum est. Interemptum fuisse notat Jornandes, *dum sanguinem tollit de vena*.

226 *Nota LXXII*, p. 93.

Pagius, ad annum 453, n. 5, asserere non dubitavit emin. Norisium ex Chronico Alexandrino demonstrasse sanctam Pulcheriam obiisse XII Kal. Mart. Attamen eruditissimus Joannes Stillingus, in Vita ejusdem sanctæ Pulcheriæ, 10 Septembris, clarius demonstrat Norisium verba Chronici Alexandrini male intellexisse. Quapropter idem Stillingus et apud ipsum Tillemontius et Cangius Idatio subscribunt, et quidem jure merito. Nam Chronicon illud inventionem capitis sancti Joannis Baptistæ et Pulcheriæ mortem uno tenore narrans, non mortem Pulcheriæ, sed inventionem capitis sancti Joannis in diem illum XII Kal. Martias refert, uti ex Græcis ejusdem Chronici verbis, si exacte fideliterque reddantur, perspicuum fit. Ea vide in Actis sanctorum Antuerpiensibus, loco antelaudato. Utrumque pariter Marcellinus in Chronico tradit, ejusque hæc verba sunt : *Hoc venerabile caput* (Joannis Baptistæ) *sub Uranio memoratæ civitatis* (Emisenæ) *episcopo, per præfatum Marcellum presbyterum constat inventum Vincomalo et Opilione consulibus, mense Februario. die 24, media jejuniorum paschalium septimana, imperatoribus vero Valentiniano et Marciano regnantibus. Pulcheria Augusta, Marciani principis uxor, beati Laurentii atrium inimitabili opere consummavit, beatumque vivendi finem fecit.* Hæc Marcellinus, diem inventionis capitis sancti Joannis adnotans, tacensque obitus diem sanctæ Pulcheriæ. Idemque Chronicon Alexandrinum exsequitur. Quare silentibus cunctis et Idatio diserte testante Pulcheriam obiisse mense Julio, æquum est illi assentiri. Inventionem capitis sancti Joannis Marcellinus diei 24 Februarii, Alexandrinum vero Chronicon 18 tribuit. Ita quidem; non tamen audeo utri credendum sit statuere. Laudes augustæ hujus et admirandæ virginis patre, avis atavisque Hispanis editæ, quaque nihil sanctius, majus nihil tulit illud ævum, etiam in his dotibus quæ sunt supra sequiorem sexum, prædicat sæpissime sanctus Leo, prædicat concilium Chalcedonense 227 et innumeri alii. Plura de ea invenies in Annalibus ecclesiasticis.

Nota LXXIII, p. 93.

1. Ad oram § *Aetius dux* omissas esse a librariis has notas XXX et IV, trigesimum Valentiniani et quartum Marciani annum significantes, quas ibi Idatius impresserat, duobus argumentis comprobatur in hoc genere maxime efficacibus. Primum est : Idatius post hæc continuo ait Valentinianum 30 regni anno interfectum fuisse. Atqui necesse est, ut 30 occisus sit, si inter § *Tertio regni anno* novus non sit ascriptus numerus. Nam quod Idatius ad § *Tertio regni anno* Valentiniani annum 29 consignaverit, supra affatim demonstratum est. Alterum argumentum est : Idatius, de annis quos imperavit Marcianus agens, ait infra : *In Orientis partibus anno 7 imperii sui moritur Marcianus.* Rogo ergo te, lector, a § *Tertio regni anno* usque ad Marciani obitum quatuor annos reliquos quærere. Nusquam invenies; namque hæc nota I § *Romanorum* XLIII adjuncta numerum annorum Marciani non auget, ut ibi ostendam : imo et ipsum Chronicon Sirmondianum, quantumcunque depravatum, per sese ostendit; namque ibi annum quartum Marciani etiam tum fluere adnotat; cum tamen præcedenti notæ annorum Valentiniani nimirum XXXI hunc eumdem Marciani annum quartum alligaverit. A § ergo *Tertio anno* ad obitum Marciani tres tantum regni ejus anni in editis libris numerantur. Itaque annus quartus ex § *Aetius dux*, aut ex altero e duobus, qui hunc præcedunt, abscissus est. Cæterum ego § *Aetius dux* hos numeros XXX et IV apposui, quia Aetii mors certissime ad annum 4

A Marciani et 30 Valentiniani pertinet; incertum autem est an ad eum annum pertineant illa quæ narrat Idatius de Friderici bello adversum Bacaudes et de Gallæciæ terræ motu. Denique, Aetio occiso, Valentinianus legatos suos, qui hanc mortem nuntiarent, ad cunctas provincias misit, etiam ad Suevos, ut testatur Idatius. Cum ergo inter 228 Suevos ageret, credibilene est tempus illius mortis ignorasse et anno Christi 453, Marciani 3 innexuisse? Similiter de nece Valentiniani ratiocinari possumus, quam in vulgatis hujus Chronici Editionibus collatam videmus cum 4 anno Marciani, qui fuit æræ vulgaris 454. Hæccine scripsisse Idatium erit qui sibi persuadeat?

2. Sed lubet hic deletarum e regione § *Aetius dux* illarum notarum XXX. IV. occasionem lectori aperire. Res, nisi ego maxime fallor, ita se habet. Anni Valentiniani 30 et Marciani 4 iisdem prorsus notis exprimuntur ac anni Valentiniani 31 et 5 Marciani, his nimirum XXX. IV, ita ut uno tantum
B puncto hic aut illic inscripto distinguantur. Si punctum imprimas ante I, ita videlicet XXX. IV, designabis annum trigesimum Valentiniani, et quartum Marciani. Si autem punctum post I affingas, ita scribens XXXI. V, denotabis annum Valentiniani trigesimum primum, Marciani quintum. Tantilla res aut in Codice prætermissa, aut a librario non animadversa plagam hanc, de qua agimus, Idatio fecit. Exinde enim natum est, ut existimaret nescio quis unum eumdemque numerum notis illis significari, perque errorem bis in Chronico scriptas esse. Hoc autem errore imbutus, eas a primo loco ejecit, nimirum a § *Aetius dux*, servavit vero secundo loco ad § *Per duos barbaros*, ubi deinceps necesse fuit ut 4 annus Marciani legeretur, cum retro proxime 3 consignatus esset. Atque hoc demum pacto 5 et 6 annus Marciani ex manuscriptis Chronici exemplaribus evanuit.

Nota LXXIV, p. 94.

Si vera sunt quæ Nicephorus, lib. XV, cap. 2, et
C alii narrant, Placidiam Valentiniani filiam, antequam Roma a Gaiserico caperetur, Olybrio desponsam fuisse, oportet Eudociam sororem filio Palladio a Maximo datam fuisse. Ni malit quis a Maximo Placidiam Olybrio ablatam fuisse, aut Olybrium, interfectis Maximo et filio Palladio, Placidiam sibi despondisse triduo illo, 229 quod a morte Maximi ad ingressum Gaiserici in Urbem defluxit, teste Victore Tunensi. Utrumque autem satis incredibile. At cum Evagrius, lib. II, cap. 7, atque etiam Priscus, contra quam alii scriptores frequenter narrant, Eudociam majorem natu Placidia fuisse tradant, veri cuique simillimum videri poterit Valentinianum, qui mascula prole carebat, quique non ignorabat se patremque suum Constantium per matrem Placidiam ad imperii fastigium ascendisse, nuptias majoris filiæ Eudociæ retardasse, ne dum ipse vegeta adhuc et florenti erat ætate, successorem sibi in genero absisceret; atque Maximum ob eamdem rationem Palladio filio Eudo-
D ciam potius quam Placidiam conjungere voluisse

Nota LXXV, p. 95.

De interfectoribus Flavii Anicii Petronii Maximi, qui occiso Placido Valentiniano imperium arripuit, non convenit inter scriptores. Prosper ab Augustæ Eudoxiæ famulis dilaniatum, Cassiodorus a militibus exstinctum, Jornandes ab Urso milite Romano necatum, Theophanes a suis interemptum fuisse mira varietate tradiderunt. Prosper deinde breviter sed dilucide, quæ ad necem Valentiniani et Maximi attinent, perstringit. Occisus est Maximus, teste Anonymo Cuspinianeo, pridie Idus Junias. Marcellinus, in Chronico, tertio tyrannidis mense, Chronicon Severo afflictum septuagesimo imperii die necatum fuisse narrant. A Severo nihil differt Sidonius, qui imperium Maximo paulo amplius quam bimestre tribuit lib. II, epist. 13. Verum Idatius more suo eidem etiam interregni ascribit, quod ad diem 10 Julii, quo Avitus imperator factus est, duravit. A die au-

tem 10 Julii, si retro numerando ascendas ad diem 17 Martii, qua Maximus imperium usurpavit, quatuor menses, septem minus dies, reperies. Quare Idatius vere exacte locutus est, dum Maximum vix quatuor regni sui menses explevisse dixit. Neque minus recte emin. Baronius interregnum a Maximi cæde ad Aviti nuncupat onem dierum XXVIII fuisse **230** asseruit; ideoque perperam eum corrigit Pagius anno 455, n. 10.

Nota LXXVI, p. 95.

Nihil profuit Idatio ad Arcadii et Honorii annum 1 hæc ed xisse : *Ne Olympiadum quinque annorum turbet adjectio, propter regna tantum inserta principum.* Nihil, inquam, profuit; turbavit librarios in Aviti ad imperium aditu quinque annorum numeranda Olympias, propterea quod consignari debuit primus illius annus, qui civiles annos non augeret, sicut eos non auxit 1 annus Arcadii et Honorii. Enimvero clamat toto ore Idatius se ejusdem anni res gestas persequi a § *Per duos barbaros* ad § (ut minimum) *Suevi Carthaginenses regiones*; nam primum id clarissime significat inquiens : *Ipso anno Avitus*; deinde dum ait : *Marcianus quinto jam regni sui anno* eumdem annum Marciani retinens, quem supra designaverat. Atque simile quid evenit in aliis Editionibus, in quibus per errorem non *quinto*, sed *quarto anno* legitur; perinde enim est sive *quarto* sive *quinto* legas, si eumdem annum utrobique retineas. Atqui si nota illa 1 § *Romanorum* XLIII ascripta, quæ 1 annum Aviti significat, novum annum civilem indicaret, annorum Marciani numerum augere debuisset atque 6 illius annorum cum 1 Aviti conjunxisset, et deinceps 7 cum 2 et 8 cum 3, quod non facit; imo expressis dilucidisque verbis septem tantum annos imperii ei tribuit. Tandem Idatius infra Gaiserici ingressum et irruptionem in Urbem narrat, quam factam fuisse ait, *priusquam Avitus Augustus fieret*. Quid itaque? Nimis vecordem oportebat esse qui ad annum post initum ab Avito imperium referre id quod ipse evenisse affirmat ante illius inaugurationem. Quid autem intra illius anni 455 gesta, renuntiationem Aviti, quæ posterior fuit vastatione Urbis, ante hanc commemoravit; ideo ab ipso factum est ut successorem Maximi, cujus cædes ante Gaiserici irruptionem, et perpetrata fuerat et in Chronico narrata, uno **231** tenore denuntiaret. Idatius itaque ad § *Romanorum* XLIII annum primum Aviti consignavit, sicut consignaverat supra ad § *Romanorum* XL annum 1 Arcadii et Honorii, et ut infra ad § *Romanorum* XLIV consignaturus est annum 1 Majoriani atque Leonis, nulliam per hoc in annos civiles innovationem inducendo. Quapropter annum 5 Marciani æræ vulgaris 455 nunc etiam in hoc § *Romanorum* XLIII Idatius decurrit, decurretque usque dum ad § *Per Augustum Avitum* pervenit; ubi numerandus erit annus Aviti 2, Marciani 6, Abraham 2472, Christi 456.

Nota LXXVII, p. 97.

Animadverterat olim Sirmondus a § *Per Augustum Avitum* excidisse notas chronologicas, cumque Idatium in lucem proferret, oræ Chronici hujus apposuit *Vannus Marciani*, quæ in sua Editione omisit doctissimus Florius. Et quidem merito, nam ea verba Sirmondi sunt, non vero Idatii. At locum quo novus designandus erat numerus, recte observavit Sirmondus, non item numerum ipsum; neque enim Marciani 5, sed 6 annus illic conscribendus erat. Utrumque videre licet in Chronico Parvo; quippe in eo statim post illa verba : *Marcianus et Avitus concordes principatu utuntur imperii*, hæc subjunguntur *VI anno Marciani*, nisi quod in Manuscripto legebatur *annis*, quod recte correxit cl. Florius. Ita etiam legisse Isidorum ostendunt ea quæ scribit tum in Historia Gothorum, ubi Theodoricum ingressum ait in Hispanias 5 regni sui anno, pauloque antea de eodem Theodorico dixerat regnare cœpisse anno 2 Marciani, tum in Chronico, ubi expressis verbis ait : *Hujus* (Marciani) *VI imperii anno Theodoricus rex Gothorum cum ingenti exercitu in Hispaniam ingreditur*. Itaque librarii pessime annum 6 Marciani ubique omiserunt et 2 Aviti, quem cum 6 Marciani certissime conjunxit Idatius, in § *Rechiarius ad locum* a propria sede quam longissime rejecerunt.

232 *Nota LXXVIII, p. 97.*

De Erulis Jornandes in Geticis, n. 43, ad Mæotidem sitos et pedestri militia insignes fuisse ex Ablavio describit. Mamertinus, in panegyrico Maximiano Augusto dicto : *Cum Eruli*, inquit, *viribus primi Barbarorum, locis ultimi, in has provincias* (Galliæ) *irruissent*, etc., victos deinde eos excisosque ibidem ait. Ex quo intelligimus a Galliæ finibus ejectos juxta Amasium seu Amisium flumen ad Oceanum Germanicum aut consedisse tunc aut cum jam antea loca illa tenerent, ad ea rediisse, finitimos Batavis fuisse, animisque conjunctos ex eo apparet, quod inter Romanos milites Eruli Batavis misti sæpe memorantur. Ex iis ergo locis piraticam sicut vicini Saxones exercentes, Belgii, Galliæ ac Hispaniæ oras assiduis plurimos per annos irruptionibus vexaverunt. Sidonius, de Erulis, lib. VIII, epist. 9, inquit :

Hic glaucis Erulus genis vagatur
Imos Oceani colens recessus,
Algoso prope concolor profundo.

De Saxonum maritimis irruptionibus, quibus Erulorum similes omnino erant, loquitur idem Sidonius, eod. lib., epist. 6.

Nota LXXIX, p. 100.

Nihil opus hic verbis est. Scriptionis et rerum gestarum ordinem tute ipse, lector, in Chronico dispice. Profecto liquido elicies quod multis jam argumentis demonstratum est, perperam a librariis annum 2 Aviti § *Rechiarius ad locum* ascriptum fuisse, cum is consignari debuisset § *Per Augustum Avitum*; qui etiamsi ad § *Rechiarius* pertineret, sejungendus non erat ab anno 6 Marciani; sed uterque simul inscribendus eodem loco fuerat. Itaque cuncta quæ sequuntur, usque ad § *Avitus posteaquam*, ipso nos docente Idatio, discimus ad **233** annum qui cædem Valentiniani consecutus est, id est vulgaris æræ 456, pertinere. Neque ad excusandum librariorum errorem prodesse quidquam potest sententia Pagii, quod Idatius auspicetur annos a mense Octobri; nam Octobrem recto jam reliquit a § *Mox Hispanis*, quod ex ipso Chronico evidentissime constat. Imo vix alius est toto Chronico locus, ex quo opinio Pagii manifestius falsitatis arguatur.

Nota LXXX, p. 101.

1. Postquam id quod gestum fuerat die 28 Octobris anni 2 Aviti et 6 Marciani, vulgaris æræ 456, narravit Idatius, subjungit Hesychium tribunum in Gallæciam advenisse legatum ab Avito, qui eumdem Avitum *de Italia ad Gallias Arelate successisse* nuntiavit. Deinde necem Rechiarii commemorat, quem occisum fuisse ait mense Decembri. Ex quibus non temere colligimus Hesychium eodem anno, mense Novembri ad Gallæciam pervenisse. Quisquis enim attente legat Idatium, dubitare vix poterit ipsum illius anni gesta non alio quam quo evenere ordine narrare. Hesychium autem postulatum venisse a Theodorico auxilia, quæ hic Avito promiserat, et res ipsa suadet, innuitque infra Idatius, dum de Avito scribit : *Gothorum promisso destitutus auxilio caret et vita.* Atqui credere oportet Avitum, statim ac se imperio spoliatum sensit, opem auxiliumque a Theodorico postulasse. Si ergo Hesychius Theodoricum in Gallæcia convenit mense Novembri, consequens est ut Avitus a Ricimere imperio depositus fuerit mense Octobri; neque enim longiore tempore opus erat ut Hesychius ex Italia ad Gallæciam perveniret. Verum enim vero clarissimum habemus testimonium Anonymi Cuspiniani, qui Avitum imperii fastigio de-

jectum fuisse tradit XVI Kal. Novemb. Verba illius consulatu Varanis et Joannis sunt : *Captus est imperator* (Avitus) *Placentiæ a magistro militum Ricimere et occisus est Messianus patricius ejus* XIV *Kal. Novemb*. Ita in eo Chronico legitur, quod Viennæ in Austria descripsit anno 1683 **234** Joannes Baptista Solerius (seu potius Conradus Janingus) Societatis Jesu, posteaque tom. V sanctorum Junii imprimi curavit. Huic Editioni a viro adornatæ harum rerum experientissimo, quique per sese manuscriptum Cuspinianeum recens descripserat, æquius est ut credamus, plenamque adhibeamus fidem, quam antiquæ Editioni Panvinii, in qua pro XVI *Kal. Novemb*. legitur XVI *Kal. Junias*. Maxime cum in ipsa Panvinii Editione ista præcedant : *Occisus est Remiscus in palatio Classis* XV *Kal. Octob*., quibus proxime succedunt illa : *Captus est imperator Avitus*, etc., quæ si ad XVI Kal. Jun. pertinerent, profecto auctor illius Chronici ante cædem Remisci commemorasset.

2. Fere nihil discrepat ab Anonymo pseudo-Severus, siquidem regnasse Avitum asserit annum I, menses III, id est septem minus dies tantum quam quos numerat Anonymus, quosque ille fortasse omisit, annum et menses rotunde designare contentus. Favet etiam inscriptio Romana apud Arhingum in Roma subterranea et Sirmondum in carmen VI Sidonii, in qua legitur : DEP. THIMOTHEA. IN. PACE. D. KAL. NOV. CONS. D. N. AVITI. Si enim tanto antea, videlicet, XVI Kal. Jun. purpura exutus esset Avitus, utique *Dominus* non appellaretur intra Urbem a Romano cive. Quare in illa die inscriptione, quæ ab iisdem Sirmondo et Arhingo adducitur : LOCUS. GERONTI. PRESB. DEPOSITUS. XIV KAL. JUL. CONS. EPARCHI. AVITI. Avitus iste consul unus aliquis est ex suffectis, non vero Avitus Augustus, cui non Eparchius, sed Fl. Mæcillius Avitus nomen erat, ut constat ex nummo apud Mediobarbum, et jam olim observaverat Morales, lib. VI, cap. 28, magnusque etiam Augustinus.

3. Avitus itaque imperium tenuit a die 10 Julii anni 455 ad 17 Octob. insequentis anni; ideoque imperavit annum I, menses III, dies VII. Quapropter corrigendi sunt Evagrius, qui, lib. II, cap. 7, octo tantum menses; Pagius, qui, in Critica, ad annum 456, n. 6, pravam Anonymi Cuspiniani lectionem secutus, menses X et dies VII; Valesius, qui, in notis ad Evagrium, VII duntaxat aut VIII menses Avitum imperasse tradiderunt.

235 4. Quo autem loco aut tempore, quove mortis genere obierit, valde incertum est. Nam quod Idatius mortem ejus inserat anno 457, non satis est ut illum ante hunc annum non obiisse dicamus. Quippe Honorii mortem sub anno 424 adnotavit; et tamen diem ille extremum obiit ante hunc annum, scilicet anno 423. Quod quidem non ignoravit Idatius, ut ipse in Fastis suis indicavit. Verum quia interregni tempus. quod tunc fuit (excluso ab imperatorum numero Joanne, uti eum excludit Idatius), Honorio ascripsit, ideo mortem ejus in Chronico siluit usque ad annum 424. Id ipsum in Avito præstitisse potuit Idatius, ipsi adjudicans interregni tempus quod renuntiationem Majoriani præcessit. Ex Idatio igitur eruere certo non possumus an Avitus ex hac vita decesserit anno 456 exeunte, an 457 incipiente. Aliquantulum temporis inter ejus abdicationem et mortem cessisse Idatius non semel significat; nam et de *Italia ad Gallias Arelate successisse*, imperio utique spoliatum, hic affirmat, et postmodum hanc spoliationem illiusque mortem gradatim commemorat, inquiens : *Avitus posteaquam a Gallis et a Gothis factus fuerat imperator, caret imperio, Gothorum promisso destitutus auxilio caret et vita;* quin etiam supra clare id expressit, dum Hesychium narrasse ait Avitum de Italia ad Gallias successisse. Ex his sane non temere deduces, Avitum Placentiæ ab imperio dejectum die 17 Octob., uti narrat Anonymus, ex ea urbe in Gallias, cum primum se dedit occasio, aufugisse et ad Theodoricum in Hispanias

A Hesychium tribunum auxilia petitum legasse. Hesychius Theodoricum convenit in Gallæcia, ubi Idatius agebat, desinente Novembri aut initio Decembris, anno 456, nullisque a Theodorico impetratis auxiliis ad Avitum rediit, appetente anno 457. Tum Avitus, aut rerum desperatione aut necis metu, ad quam a Recimere quærebatur, aut utroque in morbum incidit, mortemque oppetiit, ut indicat Turonensis, cujus verba statim dabo.

5. Locum et genus mortis, utcunque nos docet laudatus Gregorius Turon., lib. II Hist. 11, ubi hæc scribit : *Avitus*.... **236** *a senatoribus ejectus apud Placentiam urbem episcopus ordinatur. Comperto autem quo adhuc indignans senatus vita eum privare vellet, basilicam sancti Juliani Averni martyris cum multis muneribus expetivit, sed impleto in itinere vitæ cursu obiit, delatusque ad Brivatensem vicum ad pedes antedicti martyris est sepultus*. Hæc Gregorius. Ubi quod de episcopatu Placentino Avito collato narrat
B (id etiam ante scripserat Victor Tunensis) verum fortasse est, certe a moribus illius ævi non abhorret. Attamen verius puto quod cum Ricimer ad illius civitatis episcopatum suscipiendum Avitum cogere vellet, ipse in Gallias nondum initiatus aufugit, ibique de imperio potius recuperando quam de episcopatu capessendo cogitavit.

6. Sed quoniam inclyti martyris Juliani Brivatensis incidit mentio, juvat obiter adnotare quod idem Gregorius Turonicus, lib. II de Gloria martyrum, cap. 4 refert, scilicet, Hispanam feminam primam omnium huic sancto martyri templum seu sacellum dedicasse. Nam cum Brivate transiret, Trevirus approperans, ubi vir ejus jamjam a Tyranno Maximo neci adjudicandus erat, auditis Juliani miraculis, promisit ædiculam se illi constructuram, si maritus tanto periculo eriperetur. Igitur, voti compos facta, pollicitationem quam promiserat cum immensis muneribus adimplevit.

Nota LXXXI, p. 101.

C Theodorus Lector, lib. I Collectan., post irruptionem Gaiserici in Urbem adductasque inde in Africam Eudoxiam Augustam ejusque filias, Marcianum bellum Gaiserico inferre decrevisse his verbis testatur : *Marcianus, agnitis quæ contra Romanam civitatem et imperatrices ab Afris fierent, pro majestate imperii commotus ad bellum se paravit*. Hunc jure merito ambigas an verum sit quod Procopius, lib. I de bello Vandalorum, et ex eo alii scribunt, nimirum, Marcianum aliquando in Africa a Gaiserico captum fidem huic suam obstrinxisse nunquam se Vandalis molestum fore. Sed ad rem nostram. Expeditio de qua **237** Theodorus loquitur Marciani contra Afros, neque alio tempore quam isto, neque alia quam navalis esse potuit. Unde Idatium, dum ait : *Orientalium naves Hispalim venientes pro Marciano exercitum cæsum nuntiant*, sic interpretor, ut quas Orientales naves appellat, classis sit a Marciano ad fretum Herculeum et Hispalim missa, quæ auxiliis ab Avito
D aucta in Africam irrumperet. Constat enim Prisci testimonio utrumque Augustum pro libertate Eudoxiæ et filiarum liberasse. Ergo classis hæc Hispalim appulsa cædem exercitus Vandalici in Corsica a Ricimere factam, quam Avitus antea per Hesychium Theodorico retulerat, iterum nuntiavit. *Pro Marciano* autem dixit Idatius, quia ex parte Marciani naves illæ Orientales venerant. Lectio hæc ac interpretatio satis congrua, et alioquin necessaria videtur; namque ea, quam vulgati libri præferunt, sine sensu ac nullius rei est.

Nota LXXXII, p. 102.

1. Quemadmodum ad annum 1 Marciani notas quas ibi inscripserat Idatius, primum interpolatione ista XXVII V. I. M. deinde hoc commento XXVIII. *Valentiniani imperatoris mater*, depravaverunt librarii, ita etiam ad ipsius Marciani annum ultimum, quas consignavit Idatius notas has III, VII, quibusque si-

gnificare voluit tertium annum Aviti et septimum A Marciani, interpolavit primum nescio quis, ita scribens : III A. VII M., posteaque alius sic illas interpretatus est : *Tertio anno Avitus septimo mense;* monstrum lectionis, quod huc usque omnes qui hæc legerunt turbavit. Et erat quidem cognitu difficilis depravatio illa : *Valentiniani imperatoris mater*, postquam notæ illæ : V. I. M. translatæ sunt a § *Gens Hunnorum* ad § *Placidia moritur;* nam sensum reddebant non undequaque ineptum. Ideo nemo quod sciam de ea lectione, quantumvis nota, aliquando dubitavit. Verum hanc nostram, qua illud VII M. in *septimum mensem*, aut *septem menses* commutatum est, adeo suspectam, aut etiam falsam **238** habuit Sirmondus, ut in sua Editione duo illa verba *septimo mense* expunxerit. Henricus Valesius, qui de hac correctione Sirmondi nos docuit, ut dictum est in scholio, nihilo ipso meliorem exhibet; ait enim : *Sirmondus has duas voces* septimo mense *in Editione sua omisit, melius facturus si duas illas* tertio anno *expunxisset.* Florius, nota 14 in Idatium, n. 6, Valesio subscribit, nisi quod pro *septimo mense* scripsisse fortasse ait Idatium *decimo*.

2. Equidem tres hi clarissimi viri Idatii textui aliquid detractum volunt. At Sirmondus illud rejicit, quod mea sententia nunquam scripsit Idatius, sed neque id locorum scribere potuit; nam exinde narrationem eorum exorditur quæ acta sunt anno 457; quando autem hic annus advenit, non septem aut decem menses, sed octodecim ferme ab inauguratione Aviti effluxerant. Verum Valesius atque Florius id detrahere vellent, quod scripsit certissime Idatius. Præstantissimus criticus Pagius, Dissert. Hypat., cap. 14, dum de consulibus anni 456 agit, utramque lectionem consistere posse asserit; ipse tamen ne conatus quidem est ista componere aut ibi aut in critica, ubi iterum hunc Idatii locum retractat. Imo, n. 7, anno eodem 456, ita concludit : *Verba itaque illa, de quibus quæstio est* (nimirum hæc duo, *tertio anno*) *in Idatium videntur infarta.*

3. Pace tamen tantorum virorum dicam, notam illam III, quæ annum tertium Aviti imperii significat, eradendam non esse a Chronico; ab Idatii namque calamo absque ullo dubio scripta est. Idatius igitur hunc morem ubique in Chronico servat, ut postquam cujusque principis annum primum consignavit, tot deinceps illi tribuat, quot ipse imperando civiles annos attigit; etiam si ultimum non solum non expleverit, sed nec vix quidem inchoaverit. Ita ab illo factum est in Theodosio Magno, cui annum 395 addixit, et tamen Thodosius 17 illius anni die extremum vitæ suæ obiit. Similiter Valentiniani et Marciani numeravit. Nam quidquid sit de loco de quo nunc quærimus, expressis statim verbis septem illi regni annos ascribit, inquiens : *In Orientis partibus septimo imperii sui* **239** *anno moritur Marcianus.* Ex dictis autem liquido constat, septimum hunc annum Marciani cum 457 æræ vulgaris Idatium connectere ; et tamen vix illius mensem primum vivens explevit Marcianus; nam successor ejus Leo 7 Febr. die eodem anno electus est, juxta Chronicon Alexandrinum.

4. Præterea cujusque interregni tempus, si quando intervenisse contigit, ei imperatori attribuit qui proxime præcessit. Exemplum habemus in Honorio, qui anno 423 obiit, et tamen imperium ipsius protrahit ad annum 425, quo Theodosium juniorem primo, deinde Valentinianum inserit Chronico. Ergo, juxta morem suum, Idatius, cum Aviti principatus et quod secutum est post ipsum interregnum tres annos civiles contigissent, videlicet 455, 456 et 457, tres ei annos imperii ascripsit, quos hac nota III designavit, cui adjunxit hanc aliam VII, Marciani annum septimum indicantem. Has autem notas sciolus aliquis interpolavit, ut dictum est supra ; et inde nata est lectio *Tertio anno Avitus septimo mense.* Neque propter tres annos Avito ascriptos invecta fuisset in Chronicon ulla perturbatio, si lectores ac librarii meminissent regulæ ab Idatio traditæ anno 17 Theodosii Magni; ex ea enim intellexissent 1 Aviti annum eumdem esse cum anno 5 Marciani, et 1 Majoriani eumdem cum 3 Aviti; proptereaque annos civiles in Chronico augendos non esse, neque ubi 1 Aviti, neque ubi 1 Majoriani annus inscriptus est. Hoc pacto constat omnino chronologia Idatii, patetque cunctis nihil ab eo peccatum fuisse, quamvis Avito tres imperii annos adjudicaverit; nam numerandi sunt sicuti ab eodem Idatio numerantur anni 17 Majoris Theodosii, et 31 Placidi Valentiniani.

Nota LXXXIII, p. 102.

Quisquis Idatium credidit ad § *Theudoricus adversus* novum annum civilem inchoasse, næ ille non modo regulæ oblitus est quam anno primo Arcadii et Honorii Idatius idem **240** præscripsit, sed et clausos penitus habuisse oculos oportuit. Tam evidens namque est Idatium eo § *Theudoricus aversis* narrationem B continuare, quam § *Theudoricus Emeritam* instituerat, ut si modo quis oscitanter ista non legat, nequeat id non manifesto percipere. Quippe res ipsa moram rejicit sedecim mensium, quos ut minimum decurrisse oportet a præconcepta per Theudoricum Emeritæ deprædatione ad egressum illius ab ea urbe, si § *Theudoricus adversus* novus annus communis numeretur. Porro sanctus Isidorus, in Hist. Gothor., hæc eadem narrans, *Theudoricus*, ait, *dum Emeritam urbem deprædari moliretur, sanctæ martyris Eulaliæ Ostensis perterritus cum omni protinus exercitu discedit et Gallias repetit.* Theudoricum Emerita *protinus* discessisse dicturus erat Isidorus, si, dum hæc ex Idatio describebat, existimavit notam illam I § *Theudoricus adversis* annexam non modo novum principatum, sed novum etiam annum significare? Sed rursus, infra, ad annum 460, ostendam Isidorum novum hoc loco civilem annum non computasse. Igitur Idatius a § III. VII. *Avitus posteaquam* novum annum inchoans, eidem epocham imperii Leonis et Majoriani, quæ post C Januarium initium suum habuit, infra innectit, consignata ad § *Theudoricus adversis* hac nota I, quæ proinde novum principatum, non autem novum civilem annum significat.

Nota LXXXIV, p. 104.

Cum Avitum ab imperio dejectum ex Tribuno Hesychio didicisset Theudoricus, aut ira percitus, aut subitanea correptus cupiditate regno suo adjiciendi quidquid in Gallæcia et in aliis Hispaniæ provinciis juris erat Romanorum (nam hucusque fidum imperio fuisse Idatius et Sidonius non semel testantur), illa quæ ab Idatio narrantur ad annum 457 a suis Gothis perpetrari passus est, vel etiam jussit. Atrocia quidem ea atque sæva et a moribus Theudorici, quos describit idem Sidonius lib. I, epist. 2, nimis aliena. Postea tamen antiquis Gallæciæ **241** possessoribus tam indignis, quam Suevis, cunctam provinciam concessit Suevisque, pro ingenita mag- D nanimitate, ut regem e sua gente sibi asciscerent, indulsit. Rem fusius narrat Jornandes in Geticis, n. 71, inquiens : *Suevi rectoris sui* (regis Rechiarii) *interitum contuentes, locorum sacerdotes ad Theodoricum supplices direxerunt. Quos ille pontificali reverentia suscipiens, non solum impunitatem Suevis indulsit, sed ut sibi de suo genere principem constituerent, flexus pietate concessit.* Sacerdotes hi episcopi erant catholici; neque enim alii id temporis in Gallæcia erant. Eos tamen reveritus est Theudoricus, propterque illos indulgentius, quam pro jure belli cum Suevis egit. Gothorum hanc in episcopos observantiam, sæpe alias a scriptoribus testatam, animadverti, verbaque Salviani de hac eadem re, supra, nota 51 adduxi.

Nota LXXXV, p. 105.

Florio religioni fuit ex § *Gothicus exercitus*, qui post hunc *Frantanes* sequitur, annum 2 Majoriani et Leonis isthuc revocare ; etiam si id huc pertinere op-

time noverat. Equidem nihil amplius opus est ut quilibet ita ab Idatio scriptum fuisse cognoscat, quam eumdem Idatium legere. Nam, supra, § *Theudoricus adversis*, unius paschatis meminit, aliusque meminit hoc § *Frantanes* : alius, inquam, quod nemo inficias ibit, si narrationis Idatianæ seriem diligenter perpendat. Igitur primum Pascha ad annum æræ communis 457 et 1 Majoriani spectat, secundum vero ad annum 458 et 2 Majoriani, quem ad hunc § *Frantanes* designasse Idatium manifesto apparet.

Nota LXXXVI, p. 106.

Portucale sub potestate Romanorum, id est Gallæcorum, qui immunes a jugo Suevorum remanserant, fuisse existimo, quando illuc Rechiarius, vi tempestatis actus, ut narrat Jornandes, appulit. Eisdem Theudoricus illud castrum reliquit, **242** simulque quidquid juris eorum erat ante bellum contra Rechiarium susceptum, quod ex ipsa Idatii narratione perspicue colligitur. Unicum tunc fuisse castrum *Portucale* nomine, ad annum 456, in scholio, littera P, adnotatum est. Postea novum ejusdem nominis castrum conditum fuit, quod in præclaram civitatem mox evasit, nomenque suum Portugaliæ dedit ab eo tempore quo catholici nostri reges ex Gallæcia contra Saracenos ad Austrum moventes civitatem illam sibi subjecerunt, et ex ea suburbanam regionem, et quidquid postmodum continenter in ea ora occupaverunt, Portucale dixerunt. Hinc liquet non recte *Portugallia* duplici *ll* a nonnullis scribi.

Nota LXXXVII, p. 107.

1. Idatius de firmissima pace inter Majorianum et Theudoricum inita meminit ad annum 459. De eadem Sidonius, carm. v, vers. 571, laudes prædicans Petri, qui ab epistolis erat Majoriano, hæc ait :

.... Attamen hic nuper, placidissime Cæsar,
Obside percepto, nostræ de mœnibus urbis
Visceribus miseris insertum depulit hostem,
Et quia lassatis nimium spes unica rebus
Venisti, nostris primum succurre ruinis,
Lugdunumque tuum dum præteris, aspice, victor ;
Otia post nimios poscit te fracta labores.
Cui pacem das, redde animos :

Hic hostis qui tam misere lugere Lugdunum coegit, et cum quo nunc, datis obsidibus, pax composita est, non externus miles, si doctissimo Sirmondo credimus, sed miles præsidiarius erat Lugdunensibus impositus, ut eos in officio contineret. At vero Sigonius, de Occidentali imperio, lib. xiv de Gothis, qui Lugdunum occupaverant, hunc Sidonii locum interpretatur. Cui sane ego quoque assentior. Quisquis enim Idatium attento legat animo, nequibit non intelligere, Theudoricum, statim ac de Aviti abjectione certior factus est per Hesychium **243** tribunum, bellum, quod adversus Suevos instituerat, in Romanos vertisse. Et in Bætica quidem per legatos illud gessit, in Gallæcia per se ipsum. Quo, relicta Hispania, properasse Theudoricum post pascha anni 457 narrat idem Idatius.

2. Porro simile valde vero est Gallos, qui Avito sumendi imperii auctores fuerant, ægre illius dejectionem tulisse, Sidoniumque, Aviti generum, atque alios maxime ex Avernis cum Theudorico egisse, ut Ricimeri, et ab ipso creato imperatori Majoriano bellum inferret, injuriamque Avito Gallorum Gothorumque communi consilio imperatori facto illatam vindicaret. Sidonius sane non præsidii, sed hostis, neque rebellionis, sed belli, nomina ibi usurpat, seseque illi immiscuisse in prælatione fatetur inquiens :

Ut tibi, Flacce, acies Bruti Cassique secuto,
Carminis est auctor, qui fuit et veniæ ;
Sic mihi, diverso nuper sub Marte cadenti,
Jussisti placido, victor, ut essem animo.

Quin et ipse Sirmondus, ad epist. 13 lib. vii ejusdem Sidonii, Gothos hoc tempore Arelatem oppugnasse, et ab Ægidio comite Dei auxilio et divi Martini precibus perculsos atque fugatos, ex Paulino, A in Vita sancti Martini observarat. Carmina Paulini dabo nota 93, ex quibus ista novam lucem accipient. In hoc tandem bello, quod in fine anni 459 gestum est, prostrati aliquando Gothi pacem cum Majoriano icerunt. Quod Sunieric{us} et Nepotianus Gallæcis renuntiari curarunt, ut narrat Idatius eodem anno 459. Aderat tunc in Galliis Majorianus, et Arelate, die 17 Maii, edidit *Novellas de adulteriis*.

Nota LXXXVIII, p. 107.

Cum in Hist. Suevor. totidem fere ac Idatius verbis ingressum Maldræ in regnum et egressum e vita referat Isidorus, ejusque obitum æræ 498 alliget, satis certo colligitur, numeros Chronici ætate Isidori non dum in hac parte vitiatos fuisse, **244** eosque, ubi Maldræ mors consignata fuit ab Idatio, annum 460 æræ vulgaris, cui æra Hispana respondet, reddidisse. Præterea cum idem Isidorus jugulatum a suis dicat Maldram tertio regni sui anno (sprevit pauculos dies quos ultra regnavit) profecto a § *Suevi, qui remanserant*, ubi regni illius consignatum est initium, ad hunc B § *Maldras in fine*, tres tantum annos Julianos ab Idatio inscriptos invenisse se ostendit. Atqui designatos reperisset non tres tantum, sed quatuor, si ad § *Theudoricus adversis* civilium annorum numerus augeatur ; nam quinquies ab uno ad alium locum numerales n tas multiplicat ; igitur il a nota 1 § *Theudoricus adversis* impressa annum Majoriani et Leonis primum, non autem annum civilem designat.

Nota LXXXIX, p. 111.

De hoc defectu lunæ scribit Petavius, Ration. p. ii, lib. iv, cap. 13 : *Hoc anno 462 ineunte, feria 6, hoc est paulo post mediam noctem diei secundæ Martii, obscurata est luna ad dodrantem.* Itaque verti nequit in dubium, Idatium quæ nunc de defectu lunæ narrat ad eum Abrahami et Leonis annum retulisse, qui anno 462 æræ Dionysianæ respondet ; quod etiam Hispana æra 500 isthic inscripta evidenter demonstrat. Et licet ab Idatio ea non sit, ab antiquo scriptore, qui hoc C loco in Idatio illum Christi annum numeravit, certo inscripta est. Chronicon Parvum alterum ex his prodigiis meminit, inquiens : *In conventu Bracarensi duorum natorum portentum visum* ; id est, duo infantes carne invicem solidata adhærentes. Ita ex fragmentis Hispaniæ Illustratæ discimus, ubi tamen pro *infantes* legitur *albescente*.

Nota XC, p. 111.

1. Duplici mendo quo laborat Chronicon § *Antiochia* correctionem adhibui in scholio. Et primum legendum esse dixi *Antiochiæ majoris Syriæ*, non vero *Antiochia major Isauriæ*, **245** quod ferunt vulgati libri ; nam in Isauria nulla est major nec minor Antiochia. At *majoris Syriæ* mentio fit in lapide Tarraconensi apud Gruterum, pag. 1091, nec mirum est librarium ex *majoris Syriæ* fecisse *major Isauriæ*, ex priori voce *majoris* duabus postremis litteris *is* sequenti *Syriæ* ascitis, ex quibus vocem *Issyriæ* confectam postea in *Isauriæ* mutavit. Deinde ubi vulgati D libri *eum* exhibent, legendum monui *ea*, ut referatur ad *salutaria* monita, quod præcessit. Aliter neque sensus neque grammatica constat.

2. Baronius, qui ex Evagrio hanc Antiochiæ cladem describit, ad annum 458, n. 27, eam Antiochenos propter hæreses quas fovebant passos fuisse affirmat. Verum in Vita sancti Simeonis Stylitæ (5 Jan. apud Bollandum), Antiochenses tunc ab eo sanctissimo viro reprehensos maxime fuisse dicitur ob luxum, intemperantiam aliaque id genus flagitia. Neque enim solius hæresis crimen, sed alia quoque innumera cœlestem iram provocant et vindictam Dei in homines accersunt.

3. Quod attinet ad tempus quo ille Antiochiæ terræ motus contigit, fatendum est Idatium res Orientis, eas præsertim quæ ad statum publicum non pertinebant, aliquando non satis cognitas habuisse ; quod supra jam vidimus, imo Idatius ipse nonnunquam confessus est. Alterum nunc etiam occurrit exem

plum istud de terræmotu, nam certius est contigisse anno 458 quam 462, cui illum Idatius alligat. Verum ab Orientalibus decipi ille potuit, quippe eorum unus scripsit (et quod scripsit Evagrius, alii prius scribere potuerunt) terræmotum illum evenisse elapsis CCCXLVII annis ab eo alio terræmotu qui Trajani temporibus contigit. Atqui is alligatur ab Eusebio Abrahami anno 2130. Si ergo his addas annos CCCXLVIII, nimirum CCCXLVII, qui juxta Evagrium elapsi jam fuerant, annumque præterea qui tunc, dum hic alius terræmotus evenit, fluebat, profecto ad annum Abrahami devenies 2478. Hunc ergo ipsum annum decurrit Idatius, dum terræmotum hunc commemorat. Lege, si lubet, doctissimum **246** Pagium, ad annum 458, n. 6, ubi non unum errorem Evagrii in hac re detegit atque redarguit.

Nota XCI, p. 111.

1. Pagius, ad annum 457, n. 14, adducto Theophanis testimonio, Eudoxiam Augustam cum filia Placidia eodem illo anno 457 ex Africa in Orientem advenisse affirmat. At ut Idatio discessum illum Eudoxiæ ex Africa anno 462 alliganti potius assentiar quam Theophani, movet me primo quod in Vita sancti Danielis Stylitæ die 11 Dec. apud Surium, n. 22, de eadem Augusta legitur; siquidem hæc ibi scripta sunt: *Cum fama sanctum* (Danielem) *ubique prædicaret, ad eum* (in columna degentem) *venit imperatrix Eudoxia, quæ nuper servata ex Africa*, etc. Atqui constat Danielem columnam ascendisse post mortem Simeonis, qui vivere desiit die Parasceves, aut, quod magis arridet Pagio, Kal. Septemb., anno 440. Qui ergo fama Danielem ubique prædicare potuit, ante annum 462? Quod si re ipsa id fieri non potuit, neque Eudoxia ad Danielem venit ante hunc annum, quomodo *servata nuper ex Africa* dicitur, siquidem quinque ante annos ex Africa in Orientem advenerat, anno scilicet 457, ut vult Pagius.

2. Deinde Eudocia Augusta hujus Eudoxiæ mater obiit die 20 Octob., anno 460. Ita legitur in Vita sancti Euthymii, teste Pagio ad eum annum, n. 7, cum apud Bollandum (20 Januarii) dies emortualis Eudociæ non exprimatur. Incredibile autem est Eudoxiam, ubi primum in Orientem pervenit, ad matrem non advolasse, si hæc inter vivos etiam tum agebat. Pariter incredibile etiam est, si ad matrem accurrit, scriptores omnes de hoc occursu penitus tacuisse, maxime Cyrillum, qui, illam Vitam Euthymii scribens, silentio non præteriit Eudociam corde sauciatam fuisse, cum de generi Valentiniani nece et de filiæ atque neptum captivitate audivit. Porro Theophanes, ad annum juxta Alexandrinos 464, non siluit, neptem Eudociam, statim ac ex Africa rediit, Hierosolymam properasse **247** exuvias aviæ veneratum. Quapropter verisimilius mihi videtur quod narrat Idatius, auctor coævus, quique proximior erat Africæ, et cum Gaiserico vixerat in Gallæcia, ubi etiam ipsius legatos videre potuit anno 458, deque ipsis quid præcedenti anno gestum erat apud Vandalos certo cognoscere, præsertim de Eudoxia ejusque filiabus, de quarum sorte magna tunc Oriens atque Occidens in exspectatione erat.

3. Immerito præterea Pagius in suam sententiam trahit Priscum, quasi is Gaisericum liberas misisse Eudoxiam filiamque Placidiam anno 457 ullo modo significet. Nam præterquam quod Prisci narrationes nullis chronologicis characteribus distinguuntur, quibus discerni certo possit quid cui anno singulatim ipse ascribat, hanc de assertis in libertatem Eudoxia ejusque filia sic exorditur: *Genserichus cum non amplius fœderibus cum Majoriano pactis stare constituisset*, etc. Deinde addit: *Missa est ad Genserichum legatio a Richimero, ne fœdera violaret*; et post, iste Eudoxiæ narrat et Placidiæ liberationem. Ex his autem liquido deducitur Priscum earum ex Africa reditum non nisi post pacem inter Gaisericum et Majorianum initam, imo et postquam Vandalum hujusmodi pacis tædium ceperat, Majorianoque interfecto, Severus regnabat, statuisse. Quapropter vix juxta Priscum fieri potest ut Eudoxia et Placidia ante annum 462 a Gaiserico in Orientem missæ sint.

Nota XCII, p. 111.

Quisnam fuerit Gaiserici filius, cui a patre nuptui data est Eudoxiæ et Valentiniani filia Eudocia, non una est scriptorum sententia. Idatius Gentonem, Paulus Diaconus et Golfridus Viterbiensis Trasamundum, Priscus Procopius, Victor Tunensis, Evagrius, sanctus Isidorus, Theophanes, Zonaras et alii, Hunnericum Eudoxiam duxisse affirmant. De Trasamundo non est cur disputemus, cum ex Cassiodoro, lib. v Var., epist. 43, et lib. IX, epist. 1, constet Amalafridam sororem Theodorici Italiæ **248** regem habuisse uxorem. Ex his autem qui Eudociam matrimonio junctam fuisse Hunnerico asserunt si Priscum excipias, qui tamen fœde errat Eudociæ nomen in Honoriam commutando, reliqui centum et amplius annos postquam hæc gerebantur scripserunt, atque alius ex alio quod litteris mandabat excipiebat. Insuper Procopius, præcipuæ inter hos scriptores auctoritatis, multa de Gaiserici filiis et nepotibus ignorasse visus est, dum Theodoricum, Hunnerici fratrem, mortuum fuisse narrat, vivente Gaiserico, nullaque relicta prole; quæ falsissima esse ex Victore, teste oculato, certo constat. At Idatius sexagenario major tunc erat, cum Eudocia ducta est in Africam, et quindecim ut *minimum* annos insuper vixit. Præterea res Gaiserici, quem factus jam episcopus ex Gallæcia in Africam transfretantem viderat, fere nihil dubito quin ad unam omnes cognitas habuerit, ut etiamsi tot alii scriptores secus ac ipse narrent, nihilominus illius testimonium contemnendum non sit. Porro unus Victor Vitensis, qui rebus tunc præsens aderat, his nos dubietatibus atque hesitationibus eximere potuisset; verum nequidem Eudociæ nomen tota unquam historia sua meminit. Et licet lib. III Hunnericum filium habuisse tradat Hildericum nomine, attamen qua ex uxore illum susceperit nullatenus prodit.

2. Ut autem Eudociam eam fuisse non continuo assentiar, præter Idatii auctoritatem movet me tum hoc ipsum Victoris silentium, qui, cum sororis ejus Placidiæ meminerit, Eudociam non videtur taciturus, siquidem uxor Hunnerici et hujus filii Hilderici mater exstitisset; tum quod de Eudociæ in Orientem fuga Hunnericum questum aliquando fuisse nullibi legitur. Quin imo Placidiæ sororis rogatu ordinari episcopum permisit in Ecclesia Carthaginensi, quæ sine episcopo erat annis XXIV, eidemque Placidiæ possessiones, quas habebat in Africa, servavit, et per Alexandrum, illius procuratorem, a Xenone Augusto comitem creatum rerum privatarum, administrare concessit. Quæ sane Hunnericum exacerbato non fuisse animo in Eudociam ejusque ad quos confugerat cognatos ostendunt. **249** At si per hujus fugam non modo uxore sed etiam filiis viduatus fuit, nemo illum credet æquo animo tantam orbitatem laturum fuisse. Nam Eudociam filios secum abduxisse, morientemque episcopo Hierosolymorum commendasse testatur Theophanes his verbis: *Eudocia, Curco cujus opera et auxiliis velut sibi fidissimi, dum Honoricum conjugem fugeret, usa fuerat, cum liberis archiepiscopo Hierosolymorum commendato, in pace animam efflavit.* Ut autem illud *cum liberis*, non de Curci, sed de ipsius Eudociæ liberis, inter quos fuerit Hildericus, qui in Africa post Trasamundum regnavit, intelligamus, id quod Procopius, lib. I de bello Vandal. scribit, facit; ait enim: *Erat Hildericus arctissimæ amicitiæ vinculo atque hospitio junctus Justiniano, nondum quidem adepto imperium, id tamen ad arbitrium moderanti.*

3. Ergo ista de Hilderico ab Eudocia secum in Orientem ex Africa ducto, ibique post matris obitum apud materteram Placidiam et consobrinam Anciam Julianam, Arcobindi uxorem, longo tempore com-

morante, non imprudenter interpretamur capimusque. Quæ e converso de Hilderico, Hunnerici filio, vix intelligi queunt; hic enim Carthagine erat, quando aliquot post annos ab Eudociæ fuga Hunnericus pater episcopis catholicis edici jussit : *Jurate si post obitum domini nostri regis ejus filium Hildericum desideratis esse regem, vel si nullus vestrum ad regiones transmarinas epistolas diriget.* Hæc Victor loco supra laudato. Ex quibus novum pro Idatii narratione argumentum desumitur, non illud quidem efficacissimum, attamen non penitus exile. Nam ad quos trans mare auxilium ærumnis suis imploraturi scriberent catholici episcopi, cum, Occidentali imperio abolito, Hispanias, Gallias, Italiam Barbari tenerent? Ab Oriente vero timendum non erat Hunnerico ne communi ipsius Eudociæque filio bellum inferretur, cum cognati illius Constantinopoli potentes admodum essent atque gratiosi. Verum quod Hunnericus timet, quod reformidat, hoc ipsum est. Nimirum Hildericus, quem Eudocia genuerat, non Hunnerici, sed Gentonis filius erat. Is, Gentone **250** patre mortuo, cum matre Eudocia in Orientem elapsus in metu ponebat Hunnericum, ne pro eo Oriens contra Hildericum filium arma susciperet. Ideo urget episcopos ut jurati promittant se nihil contra hunc suum Hildericum cum transmarinis simul machinaturos.

4. Itaque Victor Vitensis de crudelitate Hunnerici, postquam is regnum adeptus est, sermonem instituens, hæc, lib. II, inter alia scribit : *Theodoricum fratrem filiosque ejus Gentonis fratris filios crudeliter cœpit insequi. Quorum nullum dimisisset, nisi ei mors desiderii sui voluntatem auferret.* Rursus de Gentonis filio : *Gentonis majorem filium nomine Godagisum cum uxore atque solatio servuli aut ancillæ crudeli exsilio delegavit.* Ex his exque aliis supra expositis, si in re penitus obscura locus est conjecturis, quatuor hæc colligo : 1° Gentonem, cum regnum assumpsit Hunnericus, fato jam suo functum fuisse; nam si inter vivos tum ageret, quis dubitet Hunnericum, sicut filios, sic etiam patrem insectaturum? 2° Eumdem Gentonem bis uxorem duxisse, et ex prima Godagisum, qui anno 477 matrimonio junctus erat, et alios fortasse filios suscepisse, ex secunda vero, eaque Eudocia, quam anno 462, ut tradit Idatius, accepit uxorem, Hildericum, et quidem non unicum, genuisse; 3° Eudociam post 16 annum a nuptiis cum Gentone contractis, anno circiter 478, cum sibi suisque filiis ab Hunnerico timeret, quem in agnatos suos omnes tam immaniter desævire cernebat, Carthagine in Orientem aufugisse; 4° id causæ fuisse quamobrem Hunnericus nihil de Eudociæ fuga conquestus sit; nam neque uxor illius erat, neque ipse Gentonis fratris filios amabat, imo eos a se abigere satagebat, ut de Godagiso dictum est. Sed tamen quod Eudocia cum filiis suis ad cognatos confugisset, nullus dubito quin ipsi vehementer displicuerit; neque enim non videre poterat, exinde sibi filioque suo Hilderico aliquod belli periculum imminere. Quod ut averteret, Xenoni et Placidiæ ea quæ refert Victor gratificatus esse videtur. Denique Eudociam, viro suo Gentone soceroque Gaiserico viventibus, elabi ex Africa non potuisse **251** perspicuum est. Ideo post utriusque obitum, cum non ita continuo observaretur ut antea, fugam capere potuisse existimo. Sed hæ conjecturæ sunt, quibus liberum erit lectoribus vel assentiri vel dissentiri. Tantum ne Idatium, dum Gentoni matrimonio junctam Eudociam narrat, manifestæ falsitatis teneri asseveranter pronuntient.

Nota XCIII, p. 111.

1. Agrippinus comes, quem Idatius ad annum 462, ob inimicitias quas cum Ægidio comite et magistro militum gerebat, Narbonam Gothis tradidisse narrat, ab eodem Ægidio perduellionis falso accusatus dicitur in Vita sancti Lupicini, quam ad diem 21 Martii exhibent Acta sanctorum Antuerpiensia. Ex ea pauca hæc, plurimis prætermissis, accipe. Vir quondam illustris Agrippinus per Ægidium comitem, tum ma-A gistrum militum, callida malitiosaque apud imperatorem arte fuerat obfuscatus, eo quod Romanis fascibus lucens, Barbaris procul dubio favere, et subreptione clandestina provincias a publica niteretur ditione dejecisse. Evocatum propterea Romam Agrippinum, indiscussum atque inauditum capitalem subire sententiam, atque interim in carcerem detrudi jussit imperator. Ex quo ad basilicam sancti Petri insigni miraculo elapsus Agrippinus, moxque Augusto præsentatus, ac suspicione detersa, ad Gallias repedavit; aditoque sancto Lupicino, cujus precibus tanto discrimine ereptus fuerat, gratias illi pro tanto beneficio coram omnibus retulit. Hæc iisdem fere verbis ibi, quæ quomodocunque vera sint, ad annum tamen 462 referenda non sunt, neque ab Ægidio proditionis accusatus fuisse Agrippinus coram Augusto dicendus, postquam hic Narbonam Gothis contradidit. Namque, rhetore Prisco teste, cujus verba sequenti annotatione exhibebo, Ægidius, post Majoriani necem Romanis infestus, eorum sese atque Severi imperio subB traxit, et dominatu quodam sibi in media Gallia comparato, auctoritate sua, atque auspiciis bella gerere, deque rebus omnibus disponere consuevit. **252** Quod Idatius noster annis 463 et 464 diserte prodidit. Quare si cui imperatori Ægidius delationem contra Agrippinum dedit, is Majorianus fuit, nequaquam vero Severus.

2. Ergo post duos aut tres annos, quam Agrippinus apud imperatorem perduellionis accusatus est, Gothis Narbonam prodidit. Atqui hoc ipsum, etsi cætera deessent, satis est ut narrationem, supra ex Vita sancti Lupicini adductam, suspectam habeamus. Nam cum semel Agrippinus proditionis manifestus teneatur, quis credat callida et malitiosa arte de hoc apud imperatorem crimine accusatum fuisse ab Ægidio, quem, ut ait Idatius, *fama commendat virum esse Deo bonis operibus placentem*, quemque non modo Idatius, sed etiam Paulinus, qui Vitam sancti Gregorii Turonensis eodem tempore scribebat, sumC mis laudibus celebrat, ita de eo lib. VI canens:

Illustrem virtute virum, sed moribus almis
Plus clarum, magnumque fide, qua clarior exstat,
Ægidium hostilis vallaverat agmine multo
Obsidio, objectis, quæ mœnia sepserat, armis.

Elogia hæc Ægidii perspicua sunt. Pergit deinde Paulinus ea enarrare quæ obsidionis tempore actitata sunt, et illius finem perstringens inquit :

Verum præsidio Domini dejecta fugantur
Millia, et egressum portis bipatentibus agmen
Restaurat solidas securo principe vires.

Ergo hoste fugato atque depulso, ait Paulinus, milites, qui civitatem defenderant, de salute Majoriani (de Majoriano enim intelligi illud debet *securo principe*) solliciti obviam illi procedunt, eumque salvum et securum offendentes, ingenti alacritate ac lætitia gestiunt. Ex his autem facile intelligitur periculosissimum fuisse hoc bellum, quod cum Gothis gestum D fuisse ostendi nota 77. Post hæc redit Paulinus ad Ægidium, et quis de eo populorum esset sensus, declarat, dum cunctos **253** pavidos, mœstos, et de salute illius perquam sollicitos atque anxios depingit. Sed præstat Paulinum ipsum audire, cujus hæc verba sunt :

Interea trepido vicinia mœsta pavore
Pallebat tanti proceris (Ægidii) discrimine, et omnis
Anxia pendebat populorum cura paventum,
Dum se quisque putat similem perferre procellam,
Inque uno nutat, quidquid consistit in uno.

Denique quod prius dixerat, Dei ope atque auxilio civitatem ab hostibus liberatam et in ea Ægidium ipsum, id sancti Martini precibus ascribit, inquiens :

Obsidione urbem Martino orante solutam
Atque ipsi donasse Deum populumque ducemque.

Urbs autem, sub cujus mœnia tam insigni prodigio Gothi prostrati sunt, eam fuisse ait :

Præcipitem Rhodanum molli quæ ponte subegit
Et junxit geminas connexo tramite ripas.

Quæ Arelatensem civitatem clare significant, ut ad epist. 13 lib. vii Apollinaris Sidonii observavit olim doctissimus Sirmondus. Hæc igitur, quæ historica proprietate cecinit Paulinus vera esse confirmant illa, quæ poetice Sidonius ipse scripsit Carm. v, vers 555, ubi de Ægidio nostro, magistro tunc militum, inquit:

Dignus cui cederet uni
Sylla acie, genio Fabius, pietate Metellus,
Appius eloquio, vi Fulvius, arte Camillus.

Quare non erat cur Pagius hujus viri gloriæ, Idatiique de eo testimonio detractum ire voluerit, auctoritate inductus scriptoris Vitæ sancti Lupicini. Nam præterquam quod quisnam ille fuerit, et quonam præcise tempore scripserit, ignoratur, **254** unde comparandus non est coævis et magnæ certæque fidei viris, Idatio, Paulino atque Sidonio, scriptiuncula ipsa non ab omnibus probatur; imo aliquibus supposititia aut saltem interpolata visa est. Lege Papebrochium, tom. II Maii, pag. 805 Venetæ Editionis.

Nota XCIV, p. 112.

Post mortem Majoriani, acre inter Romanos qui sub Ægidio militabant et Gothos bellum exarsit. Narbona a Gothis occupata est, tradente Agrippino, et Fredericus Gothus ab Ægidianis in prælio occisus. Meminit hujus belli Priscus, cujus in Excerptis legationum ad historiam hujus temporis facientia hæc verba accipe: *Occidentalibus Romanis Marcellini incrementa timorem injiciebant, ne is, tantis viribus auctus, bellum ipsis inferret. Prorsus enim tunc temporis res illorum variis modis perturbatæ erant, hinc Vandalis imminentibus, illinc Ægidio, viro ex Gallia oriundo, qui Majorianum in bellis comitatus fuerat, magnasque circa se copias habebat, et ob Majoriani imperatoris cædem erat infensus. Sed eum a bello Italis inferendo avocaverat ortum ipsi cum Gothis in Gallia dissidium. De contermina enim regione cum illis certans fortiter bellum gerebat, simulque viri strenui in bello facinora edidit.* Hinc discimus: 1° Ægidium origine fuisse Gallum; 2° eumdem, Majoriani optimi principis necem pertæsum, propterea que Romanis vehementer iratum, exercitus Gallicanos atque provincias (quantum ex illius temporis monumentis elicere possumus) Lugdunensem, Senoniam, Belgicam secundam et conterminarum aliquam partem sub se retinuisse. Quin etiam Annales Francici ex Gregorio Turonense regem eum frequenter appellant, et Francos, abjecto expulsoque Childerico rege suo gentili, sese Ægidio submisisse affirmant. Quod immerito vertere in dubium voluit Calmetus in Chronico. 3° Docet nos Priscus, bellum cum Gothis gessisse Ægidium, et quidem diuturnum. Quæ si cum his quæ narrat Idatius conferantur, **255** nihil videri poterit vero propius quam quod Agrippinus invidia percitus, tradita Gothis Narbona, eos in Ægidium stimulaverit, et ad bellum ipsi indicendum accenderit. Hæc autem rursum suspectam valde reddunt historiam de Agrippino a sancto Lupicino mire servato, de qua supra. Interim vero animadverte, lector, quam misere Occidentale imperium undique dilacerabatur, dum, imperatoribus umbratilem tantum principatus speciem gerentibus, cuncta ad se Recimer trahebat. Unde in sola Gallia Ægidius, Agrippinus et Arvandus ad aliquam dominationis partem comparandam, diversis licet artibus, excitati sunt.

Nota XCV, p. 113.

Notam hanc viii indicem anni octavi Leonis præponendam esse illis Chronici verbis: *Nepotianus recedit e corpore*, docui in scholio. Quonam autem pacto fieri potuit ut cardinalis Norisius retinuerit eo loco anni 7 Leonis notam, nulla ego ratione assequi potui: maxime cum quæ ipse ex Idatio assumit librarii lapsum tam evidenter redarguant, ut nihil clarius in confirmationem correctionis a me nunc adhibitæ adduci queat. En, lector, verba eminentissimi viri, ex Historia Pelag., lib. ii, cap. 3: *Ægidii et Agrippini tempus variis chronologicis notis Idatius in*

A *Chronico illustrat, annum* (quo Agrippinus prodidit Narbonam Gothis) *ait fuisse 6 Leonis, æra Hispana 500, quo anno sexto Nonas Martias ab occasu solis luna defecit feria 6.* Alligavit ergo Idatius, fatente Norisio, annum 6 Leonis anno æræ vulgaris 462. Addit deinde: *Scribit Marius Aventicensis Basilio et Viviano.* His consulibus pugna facta est inter Ægidium et Gothos, etc. *Fuit annus* 463, atque ideo 7 Leonis. Pergit iterum vir doctissimus: *Anno insequenti* (videlicet 464) *Ægidium obiisse Idatius, illius temporis scriptor, affirmat, nobilibus etiam characteribus eumdem annum demonstrans; quod esset* 7 *Leonis, quando* xiii *Kal. Aug., feria* 2, *solis eclipsis accidit ab hora tertia ad* **256** *horam sextam. Et quidem anno* 464, *Leonis* 7, *die* 20 *Julii*, etc. Idatiusne annum 464 demonstravit eo characterismo, *quod esset 7 Leonis annus?* Porro si æra 500, id est anno 462, ante diem vi Nonas Martias, numerabat annum Leonis 6, post annos duos et quinque fere menses, qui ab eo lunæ defectu, qui vi Non. Mart. anni memo-
B rati 462 contigit, ad diem 21 Julii anni 464, quando eclipsis illa solis accidit, defluxerant, nisi penitus cæcutiret Idatius, annum Leonis 8 numerare debuit. At, inquies, Chronicon quod ante oculos habuit Norisius annum 7 eo in loco exhibebat. Ita sane. Verum tamen quis non miretur potuisse tantum chronologum et criticum non animadvertere a librario, non vero ab Idatii manu, annum ibi Leonis 7 pro anno 8 scriptum fuisse? Equidem potuisse cernimus. Nos autem librariorum errorem agnoscamus, et, Idatio ipso nos docente annum 8 § *Nepotianus recedit* restituamus.

Nota XCVI, p. 115.

In dissertatione prævia, n. 30, ex Isidori verbis, præfatus sum ab anno 8 Leonis ad finem usque Chronici prætermissas in eo fuisse notas quæ acta quinque saltem annorum, quos ulterius decurrit Idatius, in annales digererent ac partirentur; proindeque laboris in nobis relictum fuisse, ut annorum Leonis 9, 10, 11, 12 et 13 notas propriis in locis sta-
C tuamus. Cæterum cum tres Anthemii 1, 2 et 3 cum 11, 12 et 13 Leonis concurrerint, et hi Anthemii anni jam olim adnotati in Chronico fuerint, sive ab ipso Idatio, sive ab alio, Leonis 12 et 13 cum 2 et 3 ex integro conferemus, 11 paulo ante 1 Anthemii consignabimus, eo quod ex eadem Idatii narratione constat, labente jam anno 467, qui fuit Leonis annus is 11, Anthemium imperii sui annum 1 auspicatum fuisse. Igitur reducta in sedem suam, a qua remota fuit anni 8 Leonis, nota, ejusdem annus 9 et Severi 4, qui connexi fuerunt cum anno æræ vulgaris 465, nullibi **257** melius quam § *Ægidius moritur* consignabuntur. Nam legationes quas Idatius commemorat § *Legatos Remismundus* et § *Legati eodem anno* ad diversos annos pertinere liquidissime constat; cum autem priores illæ de quibus § *Legatos Remismundus*, ad annum Leonis 8 Severi 3 et æræ communis 464 spectent, posteriores profecto legationes anno Leonis 9, Severi 4, æræ communis 465, Idatium alli-
D gasse dubitari minime potest. Si autem quæras cur has notas § *Ægidius moritur* potius quam alteri e duobus sequentibus apposuerim, ingenue fateor, argumentum modo propositum id solum probare, sub his notis conscribendum esse § *Legati eodem anno*. Attamen quia Chronicon Virdunense Ægidii mortem anno ab Incarnatione 416 illigat, verisimilius mihi visum est eum post annum a Christi nativitate 464 obiisse. Ideo § *Ægidius moritur*, ubi ejus obitum narrat Idatius, notas has ix, iv, annum nonum Leonis et quartum Severi significantes, apposui, quia is annus fuit æræ vulgaris annus 465.

Nota XCVII, p. 115.

1. De anno mortis Ægidii quid Chronicon Virdunense narrat jam vidimus. Addit deinde interfectum fuisse a Childerico, Merovei filio, qui regnum ejus invasit. Idatius contra, Gothos eam Galliæ partem, quam Ægidius tuebatur, hoc mortuo, invasisse diserte affirmat, nullam de Francis mentionem faciens

Eodem tempore, Severo decedente, interregnum A subsecutum est atque rerum ingens perturbatio. Quæ Arvando præfecto Galliarum animos fecerunt, ut provinciam misere vastaret, et ut in rempublicam hostile nescio quid moliretur. Hujusmodi criminis testes a provincialibus productæ sunt litteræ ab Arvando dictatæ, et ad regem Gothorum missæ, fœdus cum Græco imperatore (Leonem intelligeret an Anthemium, incertum) ne feriat suadentes, Britannos super Ligerim sitos expugnari oportere suadentes, cum Burgundionibus jure gentium Gallias dividi debere confirmantes. Hæc Sidonius, lib. I, epist. 7, judicium **258** exponens, quo Arvandus secundo posthac anno majestatis damnatus est. Ubi cum nullam ab Arvando mentionem de Francis fieri neque inter illos quibuscum pugnare, neque quibuscum Galliam dividere deberent Gothi, videamus, profecto non imprudenter existimabimus, Francorum res in Gallia aut nullas aut nimium tum exiles fuisse, et Childericum neque cum Ægidio pugnare, neque Ægidium in pugna cædere potuisse.

2. Itaque in re satis obscura et a nullo scriptorum illius ævi litteris clare ac distincte tradita liceat quod probabilius puto verbis etiam exprimere. Ægidius igitur anno 465 extremum diem obiit. Post ejus mortem, hi qui inter Francos (exiguam sane manum et a Sidonio propterea nunquam per hos annos commemoratam) Childerico favebant, ut is e Thoringia revocaretur, effecerunt. Childericus ergo circa annum 466, octavo postquam a suis Francis abjectus erat et in ipsius locum Ægidius ab iisdem rex appellatus est, ut testatur Turonensis, lib. II, cap. 12, in Galliam rediit, et cum Syagrio, Ægidii filio, et aliis bellum annis insequentibus gessit. Sane de bellis ipsius nihil aliud quisquam ex laudato loco Turonensis eliciet. Nam quod ibi ait, regnantibus Ægidio et Childerico, *Basina, relicto viro suo, ad Childericum venit*, non opus est ut de Childerico in interiori Gallia regnante intelligamus; sed intelligere possumus de eo ad Rhenum et Treviros bellum administrante, quando, ut narrat Rorico, lib. I, Coloniam occupavit; cujusque belli meminit auctor de Gestis Francorum, cap. 8, insuper adnotans, tum temporis Ægidium obiisse. At Childericum tunc nondum regnum suum firmasse, neque radices in interiori Gallia egisse, ostendunt ea quæ Sidonius, lib. VIII, cap. 3, de Eurico, Gothorum rege, longe post Francis ad Vahalim pacem concedente prodidit.

3. Judicium de Arvando habitum fuisse dixi anno 467 (exeunte scilicet), quia ex eadem Sidonii epist. 7, lib. I, supra laudata, fere certo constat judicium illud habitum fuisse tum cum Sidonius præfecturam Urbis nondum adeptus fuerat; alioquin Arvandus non illi exprobrasset indignum esse *præfectorio patre*, **259** quod exprobrasse sibi narrat ibi Sidonius, sed potius objiceret indignum esse præfectura. Hanc autem Sidonius administravit anno 468. Dixi iterum Childericum in Galliam rediisse anno 466. Pagius anno 464 rediisse affirmat ad eum annum, n. 6. Sed contradicit Turonensis laudato loco, ubi vocatum e Thoringia asserit Childericum, *cum octavo anno regnaret Ægidius*. Cum autem Ægidius clarescere inceperit sub Majoriano imperatore, neque ante annum 458 regnare (ut loquitur Turonensis) potuerit inter Francos, consequens est ut annus hujusmodi regni Ægidii 8 cœperit anno Christi 465 finieritque anno 466.

Nota XCVIII, p. 116.

De Severi Augusti morte Marcellinus comes sub consulibus Hermenerico et Basilisco, qui nomen dederunt anno Dionysiano 455 : *Severus*, ait, *qui Occidentis arripuit principatum, Romæ interiit*. Anonymus laudatus a Sirmondo in carmen II Sidonii, vers. 317, inquit : *Severus Romæ imperavit annis* IV, *ibique religiose vivens obiit*. Denique Anonymus Cuspinianeus eodem anno : *Defunctus est Severus imperator Romæ* XVIII *Kal. Sept.* At inter Novellas constitutio quædam est Severi, quæ data dicitur VII Kal. Octobr. sub iisdem consulibus. Habes annum, diem et locum mortis Severi. De veneno quod addit Cassiodorus, non credo, quando tres laudati scriptores simul et Idatius naturali ipsum morte interiisse significant.

Nota XCIX, p. 117.

Anthemio Augusto Procopius pater fuit, quem egregie laudat Sidonius, carm. II, a vers. 68, inquiens :

> Procopio genitore micas, cui prisca propago
> Augustus venit a proavis; quem dicere digno
> Non datur eloquio.

Lege, si vis, reliqua in Sidonio et in notis Sirmondi ad eum locum. A patre igitur adeo illustri merito Idatius Anthemium **260** commendat. At commendare ipsum voluisse a fratre, quem Procopium nomine nequidem habuisse uspiam legitur, quis sibi persuadeat?

Nota C, p. 117.

B Si ad § *Expeditio in Africam* notam hanc I, quam ubique consignare solitus est Idatius postquam alicujus novi imperatoris nuncupationem enuntiavit, Idatius ipse apposuit, non eam novum annum civilem significare certum esse debet, sed annum I Anthemii principatus; alias inauguratio illius diverso quam quo venit in Italiam anno consignata esset ab Idatio. Quod de tanto viro, et qui ea quæ hoc tempore gerebantur in diem scripsisse videtur (nam paulo post defunctus est), credere nobis non licet. Quapropter nota illa I, ad § *Expeditio in Africam* apposita, nullum incrementum affert annis Olympiadicis neque Abrahamiticis, uti neque similis nota consignata in aditu ad imperium Honorii, Aviti et Majoriani augmentum ullum annis civilibus in Chronico fecerunt. Idatius itaque contra § *De Constantinopoli*, unde narrationem eorum quæ gesta sunt anno 467 exorsus est, Leonis annum 11 statuit, nuntiataque deinde Anthemii inauguratione, quæ eodem anno C mense Aprili vel Augusto celebrata est, primum illius annum § *Expeditio in Africam* ascripsit, quin Olympiadis *quinque annorum adjectione* annos chronologicos multiplicare vellet. Nam et Anthemii inauguratio et quæcunque alia ad § usque *Conimbrica in pace* habentur in Chronico, ad eumdem annum 467 spectant, ut ex Olympiade 312 insequenti § *Legati de Gothico* consignata clarissime patet.

Nota CI, p. 117.

Nisi si duplex expeditio in Africam suscepta est, atque utraque navalis, altera anno 467, altera 468, quod non credo, præmature eam isthic commemoravit Idatius. Nam ex Marcellino in Chronico, et ex Sidonio, cujus verba mox describam, certissime constat classem, quæ conjunctis utriusque **261** imperii viribus apparata fuit per hæc tempora in Vandalos, non nisi anno 468 sub præfecto Basilisco in Africam movisse. Verumtamen, quia anno 467 præparari et instrui cœpta est, vulgatumque quaquaversum fuit eodem anno in Africam extensuram D (quod tamen factum non est aut reflantium ventorum importunitate, aut, quod verius existimo, quia non omnia in tempore disposita atque parata fuerant), ideo expeditionem istam sub anno I Anthemii æræ Dionysianæ 467 alligavit Idatius, seu quisquis in hac Chronici postrema parte numeros chronologicos inscripsit. Nam quod recens Ecclesiasticæ Historiæ scriptor, lib. XXXV, n. 12, narrat, a Ricimere, anno 466, instructam fuisse hanc classem, dum interregnum, Severo mortuo, in Occidente durabat, sine ullo antiquo teste dictum existimo. Igitur expeditio in Africam anno 468 peracta est ingenti militum naviumque instructa classe. Sidonius panegyrico, Anthemio dicto, anno eodem, Kal. Januar., de hac expeditione, vers. 540, inquit :

> Attamen, o princeps, quæ nunc tibi classis et arma
> Tractantur, quam magna geris, quam tempore parvo

Quæ sane perspicue demonstrant Anthemium, ex quo in Occidentem venit præcedenti anno, apparando in Vandalos bello curas suas omnes intendisse. Illud eodem anno inferendum fuisse, et timuit in Africa Gaisericus et tota Europa creditum est, ut indicat Chronicon, § *Gothi, qui ad Vandalos.*

Nota CII, p. 118.

1. Isidorus in Historia Gothorum Theudorici necem et Eurici in regnum aditum 8 Leonis anno ascribit. At cum hæc ibidem alliget æræ Hispanæ 504, pugnantia profecto scribit; nam æra 504 cum anno Leonis 10, Christi vero 466, concurrit. Hujusce rei testem habemus ipsum Isidorum in Chronico, in quo imperii Leonis initium anno mundi 5670 innectit, quocum connexa est æra 495. Ab hac autem æra ad 504, si **262** utriusque extremum annum in summam conferas, non VIII tantum annos sed prorsus X invenies. Deinde in ipsa Historia Gothorum paulo ante scribe-rat Isidorus Theudoricum annos XIII regnasse, ejusque regni initium æræ 471 illigavit. Hæc sane vera esse non possunt, si Theudoricus anno Leonis 8 interfectus est. Si enim CCCCXCI addas XIII, efficies DIV. Hæc autem æra annum Dionysianum 466 refert, et Leonis 10, ut dictum est. Isidorus, dum Euricum ait Theudorico successisse anno 8 Leonis, aut depravatus est a librario, aut in Codicem ipse Idatii vel vitiatum vel notis chronologicis carentem incidit; indeque factum est ut cuncta quæ ab eo loco ubi notam 7 anni Leonis invenit, ad finem usque Chronici, ex eodem desumpsit, eidem anno Leonis 8 adjudicaverit.

2. Cæterum neque Isidorus concors cum Idatio erit, etiamsi Theudorici mortem et exordium Eurici anno Leonis 10 atque æræ Hispanæ 504 ascribat. Nam Idatius utrumque adnectit anno quo Anthemius Augustus renuntiatus est, ut ex ipso Chronico patet. Anthemius vero imperium inivit anno Leonis 11, Christi 467, æra Hispana 505. Idatio adhæret Marius Aventicensis, qui licet Velsero auctor sit parvi pretii, cum consentientem habeat Idatium, scriptorem coævum harumque rerum pene oculatum testem, amborum testimonium non exigui meriti est. Quare, occiso Thorismondo anno 452, cum ab eodem anno Theudoricus ad 467 regnaverit, ipsum XIV et amplius annos regnum tenuisse, non autem XIII tantum, ut plerique omnes numerant, atque Euricum eodem anno 467 regnum arripuisse, dicendum est. Diligentissimus Morales hæc de fine Theudorici et exordio Eurici acute vidit, et in hunc annum retulit. At tam ipse quam Mariana, cum Idatium nunquam integrum vidissent, Theudorici regno initium cum Isidori anno 484 fecerunt. Hos secuti sunt posteri, et exinde invaluit error eorum qui Theudorico XIII tantum annos regni tribuunt. Denique Sidonius amplissimum Theudorico elogium confecit lib. I, epist. 2, ubi ejus virtutes, magno quolibet rege dignas, egregie laudat.

263 *Nota CIII, p.* 121.

1. Eurici bella hoc ordine recenset Isidorus in Historia Gothorum : *Partes Lusitaniæ magno impetu deprædatur. Inde Pampilonam et Cæsaraugustam misso exercitu capit. Superiorem quoque Hispaniam in potestate sua mittit. Tarraconensis etiam provinciæ nobilitatem, quæ ei repugnaverat, exercitus irruptione evertit. In Gallias autem reversus, Arelatum urbem et Massiliam bellando obtinuit, suoque regno utramque adjecit. Iste quodam die congregatis in colloquio Gothis*, etc., quæ in scholio exhibui. Nimirum Euricus cum dominatui universæ Hispaniæ, quæ Romanis parebat, inhiaret, postquam hos a Gaiserico in Africa victos anno 468 intellexit, anno insequenti 469 arma movit in Hispaniam, et a Lusitania, in cujus fines ab anno 456 pedem intulerant Gothi, ibique militare, ut opinor, præsidium constituerant, bellum inchoavit, suorumque manum Emeritam, quod narrat Idatius, primum misit. Ibi autem Gothi audientes Olisiponem (sic hujus civitatis nomen scribendum est, namque ita perpetuo lapidibus incisum est, non autem *Ulis-*

A *sipo*, quidquid deceptus a Clusio dicat Ortelius) a Lusidio traditam Suevis, quos extra Gallæciam dominationem proferre nolebant, eosdem Suevos Lusitanosque his subjectos aggrediuntur, expugnant, deprædantur. Mox in Austrum et Eurum arma vertentes totam fere Hispaniam sibi subjiciunt, Romanumque in ea nomen tantum non penitus delent imperiumque evertunt; sed hæc postea. Bello huic Hispaniensi Gallicum successit, in quo Euricus Arelatem et Massiliam suo regno adjecit circa annum 475, Anthemio et Olybrio Augustis fato functis. Ita ex Jornande discimus, qui in Geticis, n. 75, scribit : *Euricus, Vesigothorum rex, crebram mutationem Romanorum principum cernens, Gallias suo jure nisus est occupare.* Et n. 76 : *Euricus Arvernam Galliæ civitatem occupavit, Anthemio principe jam defuncto.* Occupavit quidem non vi, sed eam ipsi cedente Nepote Augusto. Plura de his Sidonius, et ad epist. ejusdem 1, lib. III, Sirmondus.

B 2. Verum, cæteris omissis quæ nunc ad institutum nostrum **264** faciunt, duo hæc certa sunt : 1° Idatium anno 469 Chronico finem imposuisse; utpote qui nullum Eurici bellum meminerit, præterquam quod in Lusitania gessit, quod ultra eum annum differre non possumus, juxta ea quæ dicta sunt in scholio; 2° portentum illud de telis Gothorum in varios colores permutatis anno 468 contigisse, cui alligat Idatius, atque adeo aliquot ante annos quam Euricus trans Rhodanum arma tulerit et Arelatem occupaverit.

Nota CIV, p. 121.

Incertus Cuspiniani, anno 468 : *Marcellinus*, inquit, *occisus est in Sicilia mense Augusto.* De anno et loco cædis assentitur Anonymo Cassiodorus. Marcellinus comes, in Chronico, eodem anno, hæc habet : *Marcellinus Occidentis patricius, idemque paganus, dum Romanis contra Vandalos apud Carthaginem pugnantibus opem auxiliumque fert, ab iisdem dolo confoditur, pro quibus palam venerat pugnaturus.* Ubi Marcellinum

C non in Sicilia, sed in Africa interfectum fuisse significat. At præstat anonymo coævo scriptori atque Cassiodoro credere quam Marcellino. Damasius, apud Photium, Cod. 262, pag. 570, narrat Gaisericum, audita Marcellini cæde, dixisse : *Romani sinistra manu dexteram amputarunt.*

Nota CV, p. 121.

Anthemius Augustus, apud Ennodium, in Vita Epiphanii, episcopi Ticinensis, aiebat : *Quis veterum retro principum fecit unquam ut inter munera quæ pellito Getæ* (Ricimeri) *dare necesse erat pro quiete communi filia poneretur?* Invitus ergo Anthemius filiam Ricimeri nuptui collocavit. Sed nuptiæ anno 467 desinente, non vero 469, quando earum meminit Idatius, conjunctæ sunt, uti ex Sidonio, lib. I, epist. 5, et carm. II, vers. 543, manifeste colligitur. De patriciatu etiam dubium ingerit Anonymus sæpe laudatus, dum consulatu Constantini et Rufi, hoc est anno 457 æræ Dionysianæ, hæc scribit : *His consulibus*

D *Ricimer, magister militum, patricius factus est pridie Kal. Mart.* Ergo ante Anthemium Ricimer patriciatus **265** honore decoratus fuerat. Quanquam id verum sit, duplici ex causa novos patriciatus codicillos ab Anthemio expetere potuit Ricimer. Nam priores illos interregni tempore, dum turbatæ nimium res erant, accepit, aut ipse sibi confecit, et fœdis postea in Majorianum et Severum criminibus ab eo honore excidisse videri poterat. Deinde, cum patricius, ex leg. I instit., tit. XII, in patrem imperatoris eligatur, sanctius putavit Ricimer Anthemio futurum sui patriciatus nomen, quod idem Anthemius ipsi præstitisset. Namque is quem ipse sibi princeps patricium elegerat, singularis ejus patricius habebatur. Quod indicat anonymus Cuspinianeus, dum consulatu Joannis et Varanis Messianum Aviti patricium vocat.

Nota CVI, p. 122.

1. Marcellinus, in Chronico, consulatu Leonis IV

et Probiani, anno æræ vulgaris 471, hæc de Aspare ejusque filiis tradit : *Aspar primus patriciorum cum Ardabur et Patriciolo filiis, illo quidem olim patricio, hoc autem cæsare, generoque Leonis principis appellato, Arianus cum Ariana prole, spadonum ensibus in palatio vulneratus interiit.* Hæc Marcellinus breviter quidem, sed dilucidius atque etiam verius quam Idatius, vel quisquis illius Chronicon hoc addimento auxit, de Aspare et filiis narrat. Cæterum Candidus, apud Photium, Cod. LXXIX, scribit Patriciolum cæsarem excepta plaga salvum evasisse.

Cassiodorus eidem ac Marcellinus anno hæc ascribit, eoque jam desinente contigisse necesse est; siquidem Theophanes id ad annum Incarnationis secundum Alexandrinos 464 refert, qui Kal. Septemb. anni Dionysiani 471 inceptus fuit.

2. Igitur de Asparis filiorumque casu Idatius in Gallæcia ante annum 472 vix ac ne vix quidem scire potuit. Quapropter, si hæc, ubi de Aspare agitur, ipse scripsit, consequens est ut ante eum annum non excesserit. Quod si non ab Idatio scripta, sed ab alio assuta sunt Chronico, cætera quæ sequuntur cuinam anno, cujusnam etiam calamo tribuemus? Ego quidem ita judico, Idatium omnia scripsisse, et ad annum 469 pertinere cuncta præter ista quæ de Aspare et filio **266** narrantur. Hæc enim a legatis, quorum paulo ante meminerat, non accepit Idatius, sed aliquot ab eorum reditu annis nuntiata sunt et addita Chronico. Alioquin si hæc quæ anno 471 acta sunt Idatio legati retulere, cur de exitu expeditionis in Africam nihil, sed tantum bellicum apparatum immissamque in Vandalos classem nuntiarunt? Nam quis credat, finem illius belli scivisse Idatium, eumque silentio præteriisse? Quid quod minus etiam credibile est, legatos ab anno 467, quo filiam Anthemius in uxorem dedit Ricimeri, usque ad finem 471, quo de Aspare et filiis supplicium sumptum est, apud imperatorem substitisse? Itaque legati Roma discedentes, postquam nuntiatum est classem versus Africam vela fecisse, ad Gallæciam pervenerunt, aut exeunte anno 468, aut 469 ineunti, ibique ea narraverunt quæ Idatius Chronico inseruit, expressitque ab initio illius § *Legati qui ad imperatorem* ad ea usque *Patricium factum*. Cætera vero ad finem ejusdem §, vel ab Idatio vel ab alio margini, ut puto, primum inscripta, postmodum a librario aliquo cum iis quæ ibidem conscripsit certo Idatius (non quod cuncta ad annum 469 pertinerent, sed quia tunc, ut ipse ait, a legatis nuntiata sunt), eodem tenore ac reliqua in interius Chronicon relata fuerunt. Atque hæc ita interpretatus sum auctoritate Marcellini, Cassiodori et Theophanis. Si quis tamen malit adhibere fidem Chronico Alexandrino, dicet, Idatium optime quod de Aspare et filio narrat audire potuisse anno 469, cum Chronicon istud, sub consulibus Joanne et Pusæo, anno 467, id accidisse affirmet.

3. Quod autem de Aspare et filiis additum est, nimirum animadversum in eos fuisse, quia inventum est Vandalis ipsos favere, Theophanes confirmat, inquiens : *Aspar et Ardaburius, Arii sectatores, Basilisco* (illius Africanæ expeditionis duci et præfecto) *imperium se pollicebantur tradere, si modo classem cum toto exercitu Gaiserico, qui una cum ipsis Arianas opiniones sequebatur, proderet. Qua de causa Basiliscum ad exercitum prodendum inclinasse dicunt.*

DISSERTATIONES DUÆ

DE DUOBUS NOTANDIS CHRONICI LOCIS.

DISSERTATIO PRIMA [(a)].

DE JUBILÆO VII AB ASCENSIONE DOMINI

269 1. In ora Chronici Idatiani ad annum 4 Theodosii Magni, qui cum anno æræ Dionysianæ 482 concurrit, hæc consignata sunt : CCCCXX. VII *jubilæus, ex quo Dominus ascendit.* Quæ si scripta fuissent ab Idatio, ipse procul dubio et cum Dionysio de anno mortis Christi et cum omnibus plerisque scriptoribus hujus temporis de exordio æræ Hispanæ, quæ expressa est ea nota CCCCXX consentiret. Nam juxta Dionysium, a morte seu ascensione Christi, si ineunte ætatis 33 anno passus est, ad 4 Theodosii annum, CCCL sive septies quinquaginta anni numerantur, per quos ad 7 jubilæum devenitur; eodemque anno æra Hispana 420 putanda est, si hæc anno ante Natalem Christi Dionysianum 38, ut communis fert opinio, initium habuit. Ast ego longe aliter judico, eaque verba post Idatii ævum Chronico infarta fuisse semper existimavi. Argumenta vero, **270** quæ in hanc me opinionem induxerunt, hac dissertatione expendere statui. Et primo quidem de jubilæo agam, deinde vero de æra Hispana. Hac æra Idatium neque Chronicon neque Fastos insignivisse, abunde, nisi valde deceptus sum, demonstravi dissertatione prævia num. 9. Sed nunc præcipue de ejus exordio dicam quod dici non potest quam sit obscurum quamque inter se pugnantia sint quæ de eo deducuntur ex dictis veterum scriptorum, quorum auctoritate ducti posteri in consulatum Pulchri et Flacci, et in annum periodi Julianæ 4676, mundi vero (juxta Eusebium) 5163, id est in annum 38 ante Natalem Christi Dionysianum, referendum esse sibi persuaserunt. Cæterum quidquid dicam, non eo tendit, ut usitatum æræ computum dissuadeam, nam a communi scriptorum sententia sine certis atque evidentibus argumentis dissentire non licet cordato ac modesto viro. Imo nunc temporis etiamsi certo constaret natam fuisse æram vel ante vel post 38 annum quam Christus Dominus natus est, nihil prorsus in usu hujus epochæ innovandum esset, eademque quæ nunc ejus putandæ ratio servatur retinenda foret, siquidem mille et amplius annos ubicunque ea adhibita est, sive in

(a) In Codice Garzonii hæc dissertatio inscribitur *secunda*, et quæ sequitur de æræ Hispanæ initio *tertia* dicitur; prævia enim dissertatio de vita et scriptis Idatii ordine *prima* est. *Secundam* et *tertiam* auctor in unam dissertationem conflaverat, sed propter argumenti diversitatem duæ factæ sunt. Desiderantur aliæ dissertationes de Priscillianistis, de Gothis, etc., quas auctor morte præventus elucubrare non potuit.

historiæ, sive in conciliis, sive in aliis monumentis, A xxxviii præcise annis æram vulgarem antevertit; ita ut nisi cuncta refingantur, corrigi nequeat error, si quis in tali supputatione admissus est. Igitur, quod in hac dissertatione de æræ Hispanæ initio demonstrare intendo, id tantum est, nimirum illud incertum penitus esse et neque ex hoc Idatii loco, neque ex ullis antiquitatis monumentis hucusque liquido constare, anno ante æram communem 38 illigandum fuisse. Id autem si lectoribus probaverim, fortassis exinde fiet ut in tam erudito sæculo viri docti aliqua ex ruderibus **271** antiquitatis effodiant, quibus vulgaris de æræ nostro exordio opinio melius firmiusque stabiliatur.

§ I. *Quod ea verba*, VII jubilæus, etc., *afficta sint Chronico, probat veterum scriptorum de hujusmodi jubilæo silentium.*

2. Jubilæus primum apud Hebræos institutus est (*Levit.* xxv). *Qui*, ut ait divus Gregorius Nazianzenus (*Orat.* 44), *Septennarium numerum ex legis Mosaicæ præscripto in honore habent. Porro hic honos apud eos non in diebus tantum est, sed ad annos quoque porrigitur; nec in hebdomadis solum, sed etiam in hebdomadarum hebdomadis, in diebus juxta atque annis. Enimvero dierum hebdomades Pentecostes pariunt, annorum autem septimanæ jubilæum annum.* Jubilæi hoc genus ad quinquagesimum quemque annum ab Ascensione in cœlos Christi Domini recensendo, solemne aliquando fuisse atque speciali aliquo in Ecclesia ritu celebratum nunquam legi. Isidorus Hispal. (*L.* v C *Orig.*, *c.* 31) *eum in usu non fuisse satis aperte indicat*, dum, postquam de jubilæo apud Hebræos quinquagesimo quoque anno celebrato mentionem fecisset, ait: *Hunc numerum etiam in diebus Pentecostes et ipsi celebramus post Domini resurrectionem*; siletque penitus de jubilæo quinquagesimi cujusque anni ab Ascensione Christi, aut centesimi.

3. Præterea si hujusmodi jubilæus institutus fuisset in Ecclesia ante Idatii tempora, non essent nunc tot lites totque opiniones de anno sæculi quo Christus Dominus **272** mortuus est; nam ex publica solemnique hac institutione constitisset apud omnes, Christum passum fuisse sub consulibus Persico et Vitellio, a quorum consulatu ad 4 Theodosii annum vii jubilæi seu cccl anni numerantur. Neque passum D fuisse Christum sub duobus Geminis tradidissent tot antiqui scriptores quos infra recensebo, interque eos idemmet Idatius. Nec me latet, a Venerabili Beda (*Ration. temp.*, *c.* 65) memoriæ posterorum traditum fuisse: *Fratres qui Romæ fuerunt anno juxta Dionysium* 750, *in Natali Domini, in cereis sanctæ Marthæ scriptum vidisse, et inde descripsisse hoc modo: A passione Domini nostri Jesu Christi anni sunt* dclxviii. At ista longe post Idatii ævum, post inductam videlicet a Dionysio rationem annos numerandi ab Incarnatione, actitata Romæ testatur expresse Beda, quæ proinde argumentum nostrum non modo non elidunt, sed potius egregie confirmant. Nam si a tempore quo consuetudo inducta est edicendi quotannis populo quis a morte Christi annus juxta Dionysii computum hic et nunc decurrit, nunquam in hac epocha quidquam turbatum est, neque dubitatum an nunc numerandus sit hic an alius a Christi morte annus; igitur si a primis Ecclesiæ temporibus mos obtinuisset celebrandi jubilæum quinquagesimo quoque aut centesimo anno ab Ascensione Domini, nullum inter scriptores esset nunc dissidium de anno, qui hodie numerandus est ab eadem Ascensione. Quod si in aliquibus Ecclesiis, etiam ante quintum sæculum, et in Alexandrina multo antea, atque a tempore divi Marci, si vera est conjectura Papebrochii (*Conat. chron.*, *p.* 33, *n.* 11), indicebatur quotannis populo, quo **273** die agendum erat Pascha, attamen annus qui a morte Christi tunc flueret non enuntiabatur, B ut constat ex formula qua in Ecclesia Mediolanensi diaconus Pascha promulgabat, inquiens (*Ibid.*): *Noverit charitas vestra, fratres charissimi, quod, annuente Dei et Domini nostri Jesu Christi misericordia, tali die Pascha cum gaudio celebrabimus.* Hinc non imprudenter quis eliciat, notam hanc de 7 jubilæo ab Ascensione Domini additam fuisse Chronico Idatii post Bonifacii VIII et Clementis VI tempora, quando Hebraici jubilæi instar jubilæus Christianus statis temporibus, primum centesimo, deinde quinquagesimo quoque anno, ut celebraretur, sancitum est. Nisi mavis, post Bonifacium, antequam a Clemente ad quinquagesimum quemque annum jubilæus contractus fuisset, eam Chronico notam infartam esse. De jubilæo curiosa quædam recenset liber non minus egregius quam ab æmulis arrosus, qui inscribitur: *Imago primi sæculi societatis Jesu*, in prolegom., dissert. v.

§ II. *Eadem verba afficta fuisse Chronico ex Fastis ipsius Idatii ostenditur.*

4. Sub consulibus Octaviano Augusto xiii et Silvano, Idatius in Fastis hæc habet: *His consulibus natus est Christus die* viii *Kal. Januarii.* Silvanus autem cum Augusto consul fuit duobus ante æram Dionysianam annis. Sive ergo Idatius communem inter scriptores sui ævi de anno mortis Christi sententiam secutus fuerit, quod ego vix dubito, ut mox dicam, sive cum Eusebio, quem ante oculos habebat, senserit Christum passum fuisse quarto post expletum 32 ætatis annum mense, **274** consulatu Tiberii Augusti v atque Ælii Sejani, necesse est in annum jubilæi 7 vel, quod idem est, in annum 350 ab Ascensione ejus, ante 4 annum Theodosii devenerit. Cum enim annus emortualis Christi primus sit annus primi jubilæi, sicut dies Resurrectionis illius primus dies Pentecostes, annus 350 ab Ascensione Domini septimusque ab ea jubilæus cum consulatu concurret Gratiani v et Theodosii, qui nomen dederunt anno 380 æræ vulgaris, Theodosii Magni anno 2, uti numeratis consulibus perspicuum fiet.

5. Sed est longe probabilius, Idatium mortuum credidisse Christum sub duobus Geminis Rubellio et Fusco consulibus; nam id expresse tradit ipse in Fastis ad eumdem consulatum inquiens: *His consu*

libus passus est Christus Dominus. Quod si quis ista A negel scripta fuisse ab Idatio, Fastisque ejus ingesta esse contendat ab aliena manu, at inficiari non poterit, hanc eamdem fuisse totius ferme antiquitatis a tempore Tertulliani opinionem, maxime eorum qui Idatii ætate scripserunt. Id nos docet Auctarium Chronici Tironis Prosperi Editionis Labbeanæ, et scriptores ipsi per se aperte testantur: Sulpicius Severus (*L.* II *Hist.*), sanctus Augustinus (XVIII *de Civit.*, *c.* 54), Victorius Aquitanus (*Can. pasch.*), anonymi duo Cuspiniani, quos a cl. Janingo descriptos, alterum idem Janingus (*Tom. VI SS. Jun.*), alterum cl. Scheelstratus (*Append. ad op. chron.*) edidit. In eadem sententia fuisse puto Quintum Julium Hilarionem et Prosperum Pithœanum. Nam ille (*L. de Hebdom. Dan.*) scripta hæc reliquit: *A passione* **275** *Domini* B *in consulatum Cæsaris* (lege Cæsarii) *et Attici*, *die* X *Kal. April.*, *anni transierunt* CCCLXIX. Consulatus autem Cæsarii et Attici incidit in annum æræ vulgaris 397. Ex quibus si annos subducas XIX, qui in CCCLXIX sunt, supra VII jubilæos, sive supra annos ab Ascensione Domini CCCL, reliqui fient CCCLXXVIII. Isto ergo anno, juxta Hilarionem, jubilæus 7 a morte Christi r censendus erit. Præterea Prosper a passione Christi ad consulatum Valentiniani Junioris tertium annos numerat CCCLX. Cum ergo consulatus ille cum anno æræ communis 387 concurrerit, si ex his annos X tollas, qui subtrahendi sunt ex CCCLX, ut fiant CCCL, sive septem jubilæi, ad ann. regredieris 377, in quem 7 jubilæus inciderit. Igitur ex supputatione Hilarionis et Prosperi, qui aliquanto prius quam Idatius scripsere, jubilæus 7 ab Ascensione Domini quatuor aut quinque annos Theodosiani imperii annum 4 præcessit, ita ut jubilæus primus numerandus sit a consulatu duorum Geminorum, vel, juxta Prosperum, si mendum in ejus Chronicon non irrepsit, ab uno altius anno. Itaque a tot tantisque viris eodem illi ævo recessisse Idatium, aut ipsum, qui Fastos consulares scripsit, ignorasse quot anni a consulatu duorum Geminorum ad consulatum Antonii et Syagrii annumque 4 Magni Theodosii effluxerint, qui prudens affirmet?

6. Si ergo horum sententiam secutus est Idatius, quod vix in dubium verti potest, juxta ipsum jubilæus 7 mense Maio anno 379 finem accepit. Cum autem Theodosius eodem illo anno die 19 Januarii renuntiatus fuisset imperator, primus regni sui annus quatuor fere menses cum hoc jubilæo communes habuit. Unde existimare quis poterit, Idatium, dum in Chronico suo verba **276** illa, *VII jubilæus, ex quo Dominus ascendit*, consignavit, ea eidem anno 379 ascripsisse, ut hac nota, quasi futuræ felicitatis omine, initium Theodosiani principatus insigniret. Nam cum nusquam alias hujus modi jubilæi mentio occurrat, quod unus Idatius illius meminerit, in commendationem Theodosii, imperium tum adeuntis, factum id ab eo aliquis suspicabatur. Cui ista placeant, suo ut fruatur judicio per me licet. At ego neque ad annum 1 Theodosii neque ad 4 ea verba Idatium ascripsisse, sed a librariis illius Chronico affixa fuisse, puto.

DISSERTATIO SECUNDA.

DE ÆRÆ HISPANÆ INITIO.

§ I. *Quantum sibi in notis chronologicis sive formandis sive reformandis indulserint librarii, dum antiqua monumenta exscribunt. Locus Augustini corrigitur.* C

1. Cum æra Hispana nullo in usu fuerit apud exteras gentes, neque chronologiæ deducendæ causa a quoquam extra Hispaniam adhibita unquam sit, quis librariorum audaciam non miretur, qui hanc epocham epistolis sancti Leonis Magni non semel ascripserunt? Quin etiam præfixa ab ipsis est plerisque conciliis, videlicet Nicæno I, Sardicensi, Constantinopolitano I, Chalcedonensi, Carthaginensi IV et V, atque sexcentis aliis. Qui autem in synodis **277** extra Hispaniam habitis ista sibi licere arbitrati sunt, quid non in Hispanis conciliis describendis sibi permiserint? Quare imbelle prorsus est argumentum quod Florius (*T. II Hisp. sacr. p.* II, *c. ult.*) urget, dum contra Majansium, ex laudatis ibi conciliis, Tarraconensi, Gerundensi atque Ilerdensi, demonstrare nititur, ante sæculum X in usu fuisse æræ epocham in provincia Tarraconensi; namque in titulis tantum horum conciliorum æra expressa est, ubi non a notariis tempore conciliorum, sed a librariis inscripta postea est, uti ab ipso certissime factum fuit in synodis œcumenicis et Africanis, quas supra recensui. Atqui nullum conciliorum Codicem habemus, quem scriptum fuisse constet ante sæculum X. Cæterum in Cæsaraugustano III fortassis æra consignata est eo tempore quo concilium celebratum est, scilicet anno æræ communis 691; nam verba illa, quæ ibi leguntur: *In nomine Domini incipiunt gesta synodalia in urbe Cæsaraugusta sub die Kal. Novemb.*, *æra* 729, *anno* 4 *orthodoxi atque serenissimi domini nostri Egicanis regis*, non penitus absimile est scripta fuisse ab ejusdem concilii notario. Verumtamen non erat cur argumentis non omnino certis aut etiam falsis ageret contra Majansium Florius, cum efficacissimum desumere posset ex constitutione Fisci Barcinonensis (*In collect. Loaisæ, p.* 250), ubi hæc habentur: *In* D *quo consensu subter qui consensimus, manibus nostris subscripsimus: Factum consensum sub die pridie Non. Nov.*, *æra* 630, *anno* 7 *regni Dni nostri*, nimirum Reccaredi. De hac æra nemini dubium esse potest quin adhibita fuerit ab eo qui instrumentum illud Barcinone confecit. Cumque confectum sit anno 592 **278** æræ vulgaris, liquet longe ante sæculum X usitatum fuisse æræ computum in provincia Tarraconensi. Sed ista doctissimis Florio atque Majansio re

linquamus; nos vero ad æras consignatas in conciliis Hispaniæ redeamus.

2. Ergo de his ita ego judico: eas omnes quæ in plerisque synodorum inscriptionibus reperiuntur, quales sunt illæ: *Concilium Eliberitanum æra* 362, *concilium Cæsaraugustanum æra* 418, *constitutio concilii episcoporum Toleti Arcadii et Honorii temporibus æra* 438, *concilium Tarraconense æra* 554, *concilium Gerundense æra* 555, *concilium Ilerdense æra* 583, subdititias esse et ab antiquariis vel collectoribus ipsorum conciliorum, non autem a notariis, qui decreta Patrum excipiebant, eaque diei et anni nota munire debebant, consignatas esse. Nimirum qui olim ea concilia aut collegerunt, aut descripserunt, quamvis nullam in eis adnotatam æram invenirent, eam ipsi addiderunt; sicut postmodum Loaisa aliquibus synodis, in quibus suo tempore æræ nota desiderabatur, illam ipse adjecit. Quod in chronologia conciliorum, quam suæ collectioni præposuit, ingenue fatetur. Rem ita, ut a me dictum est, contigisse, Codices ipsi ex quibus concilia a typographis expressa sunt manifesto demonstrant. Namque aliquando omnes æram omittunt, aliquando unusquisque diversam ab aliis præfert. Codex Emilianensis (alias Hispalensis), omnium antiquissimus, in nullo eorum conciliorum, quæ ante sæculum sextum habita sunt, æram consignatam habet. Quod testatum reliquit cl. et illustrissimus Peres in chronologia conciliorum Hispaniæ, quam in collectione Loaisæ et alibi reperies. Atqui incredibile est notarios diem et annum quibus habitæ sunt synodi adnotare oblitos fuisse? Sane nunc etiam in aliquibus eorum exstant **279** diligentiæ notariorum in hac re indicia. Nam in concilio Toletano I consulatus Stiliconis exprimitur, in Tarraconensi consulatus Petri et annus 6 Theodorici, in Gerundensi consulatus Agapiti et annus Theodorici 7. Cæterum librarii in multis aliis compendii ergo ista resecantes, uno verbo tempus quo concilia coacta sunt, significarunt, ita scribentes: Concilium Cæsaraugustanum æra 418, concilium Eliberitanum æra 362. An vero, ubi pro consulatu annoque principis æram subrogarunt, id sine errore præstiterint, an e contrario annum qui per illas notas significabatur falso per suffectam æram reddiderint, scire haudquaquam possumus; id enim non nisi ex iisdem notis colligendum erat, quas ipsi e libris cum eraserint, nulla adipiscendæ veritatis via nobis relicta est.

3. Quin tamen numerales notas putandique rationem, quam in libris quos describebant repererunt, ad arbitrium sensumque suum sæpe contorserint, dubitare nos non sinunt variantes Codicum lectiones, atque nonnulla etiam exempla, quorum unum idemque valde perspicuum occurrit in Augustino (XVIII *de Civit.*, *c.* 54), apud quem de anno mortis Christi, de quo modo agebamus, hæc leguntur: *Mortuus est Christus, duobus Geminis consulibus*, VIII *Kalend. April.*; et aliquanto post: *Missus est Spiritus sanctus per Idus Maias. Numeratis proinde consulibus*, CCCLXV *anni reperiuntur expleti per easdem Idus consulatu Honorii et Eutychiani.* Quod apertissime refragatur menti verbisque Augustini; nam cum ibidem mortem Domini duobus Geminis consulibus contigisse affirmet, qui nomen dederunt anno æræ vulgaris 29, ab hoc ad consulatum Honorii IV et Eutychiani numerare non potest **280** pauciores quam CCCLXIX annos, siquidem consulatum hi gesserunt anno communis æræ 398. Quis igitur nunc temeritatem librariorum non agnoscat et damnet, qui hoc Augustini loco, et sæpe fortassis alias, quamcunque annorum summam aut a natali aut a morte Christi deductam, contra mentem atque auctorum quos describebant verba, ad epochæ Dionysianæ calculos reformare ausi sunt? Quanquam, hunc Augustini locum corrumpendo, id modo assecuti non sunt: nam ab anno emortuali Christi, si mortuum dicas Dominum post 33 ætatis expletum annum, ad eum Honorii consulatum, juxta Dionysium, CCCLXIV tantum anni, non autem CCCLXV elapsi sunt. Coquæus, de primis ex supra scriptis Augustini verbis: *Mortuus est Christus Dominus duobus Geminis consulibus*, non dubitavit asserere (*Aug. ibid.*): *Augustinus fortasse, non examinatis Fastis consularibus..... sub duobus Geminis consulibus Christi passionem collocavit.* Quod, salva reverentia quæ Augustino debetur, de postremis saltem verbis dici non potest, cum sanctus doctor disertis verbis dixerit: *Numeratis proinde consulibus, anni reperiuntur.* Quot? non utique CCCLXV, quod librarius, Augustini chronologiam ad Dionysianam contorquere volens, ausus est confingere, sed CCCLXIX, quos Augustinus a consulatu Geminorum ad consulatum Honorii IV numeravit, scriptoque suo tradidit. Ex his utique omnibus apparet quid nos de librariis timere possumus, cum æram nostram cum æra Christiana, sive Dionysiana, sive Eusebiana, sive alia quacunque comparant, additis super hanc annis XXXVIII, ut illam eliciant.

281 § II. *Quo tempore, quave occasione publicus æræ usus in Hispania cœperit.*

4. Omnium monumentorum quæ æram Hispanam præferunt illud et antiquissimum est, et dignissimum, cui fidem adhibeamus, quod in dissertatione prævia ex Morale (*L.* XI, *c.* 31) descripsi, invenitur-que etiam apud Gruterum (*a*), ubi illud reperiet lector. Cumque in eo æra 503 insculpta sit, quisquis eam ante sæculum quintum in publico et communi usu apud Hispanos fuisse suadere voluerit, is nisi vetustiora monumenta effoderit, testesque suscitaverit, quibus prudenter credi possit, profecto a nemine assensum extorquebit. *In publico*, inquam, *et communi usu*; nam ab officio rationalis, et apud procuratorem summæ rei per Hispanias usurpatam fuisse plurimos ante annos, et ab ipsius æræ exordio, neutiquam dubitari potest: alioquin quomodo in eo lapide æra 503 consignata esset, si totidem

(*a*) Pag. 1049. — Vid. supra page 20.

ante annos orta atque usitata ab aliquibus non fuisset? A

5. Verum enim vero, cum ante æræ exordium Romani, qui Hispanis dominabantur, in publicis monumentis annum quo ea conficiebantur per consules designare consuescerent, cautumque aliquando fuerit lege (*a*) nullum ut instrumentum quod consule careret ullius esset roboris, **282** computus ille æræ in officio rationalis, inter scribas quæstorios, et in ore vulgi, quod æra census solvere quotannis cogebatur, retentus est, neque in alia publica instrumenta transiit, donec, Romano labente imperio, Gothisque Suevisque magnam partem Hispanias occupantibus, nequidem quis Romæ consulatum gereret sciri poterat in his partibus. Exinde ergo, necessitate duce ac magistra, tempora atque annos Hispani exorsi sunt per *æras* designare, moremque B istum initio, ut assolet, unus aut alter secutus est, mox in omnem gentem transiit, et in omnia instrumenta, in chartas, in lapides, in reliqua. Consequenti vero tempore, notarii etiam in solemnioribus maxime actis annos principum et Theodorici Italiæ regis ætate consules exprimere consueverunt. De annis principum exempla passim occurrunt. Consulatum Petri in concilio Tarraconensi, et consulatum Agapiti in Gerundensi, supra laudatis, inscriptos reperies. Nimirum Theodoricus cum in Occidente consules designaret, non modo Italiæ sed etiam Hispaniæ, quam pro nepote suo Amalarico administrabat, quis ab eo unoquoque anno consul renuntiatus fuerat, notum fieri jubebat, placebatque, opinor, Theodorico, ut sicut olim, ita etiam tum nomen C consulis qui ab eo creabatur actis insereretur.

6. Itaque invectæ in publica monumenta æræ epocham deducendam esse statuo ab eo circiter tempore quo Theodoricus, Visigothorum rex, Aviti imperatoris consensu, deinde suum dilatandi regnum desiderio, Hispanias ingenti cum exercitu aggressus est, Gallæciamque, Lusitaniam et Bæticæ partem occupavit. Quod ex Idatio, Isidoro et aliis, anno 456 evenisse constat. Ex eo autem tempore omnia in Hispania turbari, resque Romanorum in præceps ruere visa sunt, ita ut in Gallæcia, cum Fastos consulares **283** scriberet Idatius, scire non potuerit quinam post annum 464 consules fuerint. Ad sequentem vero annum, secundum communem de exordio æræ opinionem, spectat elogium illud Alex- D andriæ quod æram 503 præfert. Post hæc increbuit usus æræ publicus, eamque frequenter exhibent inscriptiones sepulcrales. Duas ad initium sæculi VI pertinentes refert Morales (*L.* XI, *c.* 41), earumque alteram Gruterus (*P.* 1054), posteriorisque ævi plures aliæ passim occurrunt. Concilium Bracarense I æra 598 consignatum est, neque de ejus inscriptione dubitari potest, cum genius tenorque illius certam nobis fidem faciant; ita enim habet: *Synodus Bracarensis, regnante Domino nostro Jesu Christo, currente æra* 598, *anno* 3 *Ariamiri regis, die Kal. Maias* (*b*). De Toletano I e contrario vix dubium esse potest, quin in eo æra 438 a librariis adjecta sit. Licet enim in contextu synodi hæc legantur: *Æra qua supra*, tamen ea verba collectoris sunt qui acta illius synodi interpolavit, multos post habitum concilium annos. Quod clarissime ex eo constat, quod ibidem concilii alterius meminit, quod sanctus Leo papa, ut ex omnibus Hispaniæ partibus cogeretur, injunxit anno 447, sive æræ 485. Ita ex epistola ipsius Leonis (*Epist. olim* 93) et ex Idatii Chronico (*c*) colligitur. In concilio Toletano II, quamvis æra expressa sit in fine inscriptionis post annotatum Amalarici annum 5, tamen ascribi potuit a librario, et ascripsisse suadent tria concilia quæ usque ad Bracarense I sequuntur, quæque æram non nisi in **284** titulis a concinnatoribus collectionis conciliorum adjectis habent. Ideo ea concilii Toletani II æra 565 dubia, imo subdititia mihi semper visa est. Quare his insuper habitis, ex certioribus aliis monumentis argumentisque supra adductis dicamus, publicum æræ usum labente V sæculo invectum fuisse, paulatimque per omnem Hispaniam increbuisse.

7. De tempore vero quo audacia librariorum hanc æræ epocham scriptis Codicibus qui illa carebant affinxit, mirum est quod Loaisa (*d*), magnum Hispaniæ ornamentum ex Hincmaro, ut ait, Rhemensi, narrat. Nimirum Hincmarum producit in libro de Conciliis, quem ms. apud se habere testatur, asserentem æram nostram in synodo I Constantinopolitana et in universali Ephesina reperiri. Atqui Hincmarus Rhemensis obiit anno 882; oportet ergo æræ computum ante annos ferme nonagentos in aliarum extra Hispaniam gentium monumenta illatum fuisse. Profecto fieri potuisse non inficior; at locus a Loaisa productus nihil convincit, neque enim liber ille de conciliis Hincmari Rhemensis esse potest, cum in eo mentio fiat *Domini Hermani*, id est, Hermani Contracti, qui duobus ferme sæculis Hincmaro posterior fuit.

8. Hæc de initio et progressu publici usus æræ vero similiora mihi videntur; neque Florio et Majansio assentiri in omnibus valeo. Disputant ergo viri hi doctissimi de invectæ in communem usum æræ initio, et Florius (*Hisp. sac.*, *t. II*, *p.* I, *c.* 7) ante Gothos, Majansius vero a Gothis hujusmodi supputationem inductam fuisse indiscriminatim affirmant. At oportebat duplicem æræ usum distinguere, alium publicum **285** et ubique adhibitum, privatum alium, qui non ubique, sed ab his tantum qui vectigalia et tributa exigebant, usurpatus fuerit. Ergo de publico, quod asserit Florius, nego ante invasam a Visigotho Theodorico Hispaniam anno 456 usurpatum unquam fuisse, quandoquidem nul-

(*a*) Leg. I, *de Const. princip.* Cod. Theod., quæ data est ad Lusitanos, transit hoc etiam ad Gesta eccles., uti constat ex Aug., tom. IX Edit. Benedict., in Brevic. Collat. diei 3, n. 27, et can. 89 concil. Milevit. habiti an 401.

(*b*) Editio Loaisæ, pag. 115, Aguirrii Editio novissima, pag. 177.

(*c*) Anno Domini 447. — Vide supra.

(*d*) In notis ad conc. Eliber., § *Quid sit Æra*.

lum hujus rei indicium ullibi exstat. Nam elogium cujusdam Udellæ, quod affert vir cl. (*Hisp. sac.*, *t. II*, *p.* 1, *c.* 7, *p.* 123), et si qua sunt alia huic affinia, quo loco habenda sint docuerunt ante me plerique viri eruditissimi. Incredibile autem est in tanta inscriptionum segete, quæ passim in libris prostant, quæque non tantum a Romanis magistratibus, sed etiam a municipiis civitatibus et privatis quibusque indigenis in Hispania dedicatæ sunt, nunquam ante Theodoricum atque annum 465 inveniendam fuisse æram, si publicus illius usus quatuor et amplius ante Theodoricum sæculis invaluerat inter nostrates : maxime cum in iisdem elogiis sive inscriptionibus consulatus nonnunquam annotati sint etiam apud Hispanos, apud exteras vero gentes vel in lapidibus sepulcralibus sæpissime.

9. Imbelle vocat hoc argumentum Florius, contendens ex defectu monumentorum ante sæculum quintum æram proferentium non recte deduci eam ante hoc tempus in usu non fuisse, quasi, ut aliquid exstitisse negemus, non satis sit nullum de eo indicium reperiri. Porro nihil apud ipsum Florium frequentius est quam hujusmodi argumentum, passimque eorum scriptorum qui de rebus vetustioribus agunt opiniones rejicit, causatus, auctorum ejusdem ævi testimoniis eas destitui. Quapropter verissime auctor Chronici Burgensis, diligens, ut apparet, scriptor, DXLV retro annis, hæc tradidit : *Ex quo Gotho Hispanias* **285** *intraverunt*, *consuetudo obtinuit ut per æras tempora supputarent.* Ab eo itaque tempore ea consuetudo invaluit, ab Hispanis, ut supra dictum est, necessitate cogente, ex vulgi ore et rationalis officio desumpta, non autem, ut vult Majansius, a Gothis inducta, quibus neque usitata, imo neque cognita fuisse videtur, dum in Aquitania et ultra Pyrenæos montes se tenuerunt.

§ III. *De anno primo seu initio æræ.*

10. Ante inventum a Dionysio Exiguo æræ Christianæ computum nullibi allegatum reperimus æræ Hispanæ exordium, cuiquam ex antiquioribus epochis, aut Olympiadis, aut urbis Romæ, aut alii. Cæterum, cum anno ante Christum 38 eam exortam fuisse antiqua et pervulgata gentis nostræ opinio sit, ex anno quo natum Christum scriptorum quisque teneat, quo item anno æram incepisse senserit, deducemus. Et quia de anno Natali Christi diversæ sunt sententiæ, diversæ pariter futuræ sunt opiniones de æræ initio. Quapropter, ut quæstionem istam clarius et expeditius agitemus, operæ pretium erit nobilis alicujus scriptoris chronologiam in exemplum assumere, juxtaque ipsam pro varietate sententiarum diversos Natalis Christi atque æræ annos statuere. Cumque satis diligens vetusque auctor Isidorus Pacensis in fine Chronici sui (*Num.* 80) scripserit : *Anno Octaviani 42 Christum natum secundum Historiam ecclesiasticam domini Eusebii*, *Cæsariensis episcopi*, *in lib.* 1, *ætate* 6, *et nunc secundum* **287** *Chronicam domini Isidori.. . . . . utique omnes scripturæ denuntiant ;* profecto ex hoc testi-A monio et ex Orosio, Idatio, Joanneque Biclariensi, certissime colligimus, chronologos nostrates Eusebium Cæsariensem ejusdemque computum in annis mundi deducendis maxime secutos fuisse; atque adeo nihil melius securiusque a nobis nunc agetur quam si ad ejusdem Eusebii calculos varias scriptorum sententias de æræ initio exigamus, et cum illius chronologia comparemus. Itaque ordine nunc ostendam cui scriptorum nostrorum quisque tum æræ tum Christi Natalem Chronici Eusebiani anno alliget, additis etiam consulatibus annisque periodi Julianæ et Augusti, qui Eusebianis respondent, ut ex certis his characterismis, quo anno unaquæque opinio ex quinque, quas (præter vulgarem) in scriptis veterum Hispanorum invenio, æræ initium aut adnectat B aut adnectere debuerit, lectoribus perspicuum fiat. Incipiam vero ab ea quæ minus recedit a communi usuque nunc recepta æræ epocha, quæ ab anno mundi Eusebiano 5163, periodi Julianæ 4676, Augusti 6, consulatu Pulchri et Flacci auspicatur. Annos autem Augusti a Kalendis Januarii numero illius anni quo consules renuntiati sunt C. Livius Pansa et Aulus Hirtius. Hunc enim annum designat et quidem a prima die Januarii Chronicon Eusebio-Hieronymianum, dum 1 Augusti annum mundi anno illigat 5158. Eusebium vero secutos fuisse nostrates chronologos, præter illum qui Chronicon Burgense scripsit, mihi dubium non est.

11. Prima igitur sententia Christi Natalem anno mundi Eusebiano 5200 ascribit, anno uno æram C Dionysianam prævertens, qui anno mundi 5201 periodi Julianæ 4714, Augusti 44, consulatu Cæsaris et Pauli, **288** natum fuisse Christum docet. Eruditus Majansius, in præfatione ad opera chronologica excellentissimi marchionis Mondejarensis, n. 55, hujus primæ sententiæ auctorem facit sive assertorem Julianum Toletanum. Porro in Juliani opere de sex ætatibus sæculi aliquando Natalem Christi anno mundi 5200 alligatum legimus. Sed cum alias anno 4525, alias etiam anno 5325 in eodem opere adnectatur, nihil certi ex his locis, qui a librariis evidenter depravati sunt, de sensu Juliani definire possumus ; maxime cum ex sincerioribus aliis, quos infra exhibebo, appareat in alia illum longe diversa opinione fuisse. Quisquis autem primam hanc senten-D tiam aut tenuerit, aut teneat, æræ exordium trahere ipse retro debet in annum mundi 5162, periodi Julianæ 4675, Augusti 5, consulatu Censorini et Sabini.

12. Secundam sententiam tribuere possumus antiquioribus Hispaniæ historiæ parentibus Idatio, Joanni Biclariensi, et alicubi etiam sancto Isidoro. Sane Idatius, in præfatione ad Chronicon, ubi magnopere oportuit, æræ non meminit. Unde ærarum notæ eidem Chronico Fastisque Idatii ascriptæ, mihi, ut alias dictum est, suspectæ et sublestæ fidei semper visæ sunt. Verumtamen esto Idatius de æra omnino taceat, at in Fastis Natalem Christi adnectit consulatui Augusti XIII et Silvani, id est anno mundi Eusebiano 5199, periodi Julianæ 4712, Au-

gusti 42. Ex quibus si, ut æram nostram elicias illiusque Natale, annos subducas XXXVIII, in consulatum devenies Calvini et Pollionis, et in annum mundi Eusebianum 5161, periodi Julianæ 4676, Augusti 4. Pariter Joannes Biclariensis æram nunquam usurpat; sed cum in fine Chronici ab Abraham usque ad Christum eosdem cum Eusebio annos MM.XV numerat (concludit **289** in his ipsum Christi natalem annum, sicut fecit olim Orosius et deinceps alii), eidem ac Idatius anno, tum Christi, tum etiam æræ ortum ascribit. Denique Isidorus, in Chronico, Natale Christi anno Augusti 42 cum Idatio, Biclariensi Joanne et aliis, diserte illigat. Attamen, quod dissimulandum non est, sed potius pro his quæ infra dicemus diligenter est observandum, annum 1 Augusti cum anno mundi 5156 conjungit. Hunc Isidori locum cum obiter legisset Majansius, fœdum ipsi errorem imposuit, dum in præfatione ad opera chronologica marchionis Mondejarensis scribit, Isidorum Natale Christi anno mundi 5155 tribuere. In Isidori computo, si per annos mundi, quomodo ille in fine quintæ ætatis hos annos numerat, Natalem Christi quæras, in annum inde venies 5197. Si autem per annos Augusti ab eodem Isidoro ibidem expressos, non tamen ab anno mundi 5156 cum eodem Isidoro, sed a 5158 cum Eusebio putatos, rationem ineas, in annum incurres 5199, nunquam vero in annum 5155, quod Isidorum affirmare Majansius ait. Eamdem cum laudatis chronologis sententiam amplexi sunt Lucas Tudensis et auctor Chronici Albeldensis, qui de Natali Christi hæc scribit: *Colligitur omne tempus ab Adam usque ad Christum* VM.CXCIX. Item auctor Annalium Compostellanorum, cujus hæc verba sunt: *Augusti 42 anno imperii sub 1 æra* (post) 38 *Jesus in Bethlem natus est*. Exciderat hæc vocula *post*, verborumque sensus perierat; nunc vero manifestissimus est mentemque scriptoris exprimit, qui Christum natum esse vult æra 39, quæ prima est post 38. Saltem hic est illius loci genuinus sensus.

13. Chronici Burgensis auctor, cujus mentio supra facta est, postquam aliorum scriptorum errores ac vitia suggillavit, **290** diligentiamque suam in temporibus digerendis exposuit, initium æræ anno Augusti 4 alligans, inquit: *Quia scriptorum diligentia in numeris errat sæpe, oritur lectoribus in annorum serie contrarietas. Concordare volentibus difficultas est, eo quod alii Codices imperatoribus vel regibus attribuunt plures annos, alii pauciores. Ego imperatorum et regum tempora ex variis exemplaribus a primæ æræ principio imperatorum tempora, per annos quibus imperabant, computavi, et æras assumpsi, ita quod imperatorum temporibus computatio a principio 4 anni Octaviani Augusti, a quo æra legitur incepisse*, etc. Ita legendum est, non autem a *principio quorum*, quod alias inepte legitur. Hæc scripta reliquit auctor illius Chronici, qui cum finem operi suo imponat anno 212, eo tempore floruisse videri poterit. Sed animadvertere oportet, eum annos Augusti a morte Julii Cæsaris putare, atque adeo quartus apud ipsum Augusti annus ejusdem Augusti annus tertius est apud alios, qui a Kalendis Januarii anni Juliani 5 auspicatus est, et cum consulatu Antonii et Isaurici decurrit. Hinc initium æræ nunc anno 3 Augusti juxta aliorum sententiam, nunc 4, juxta propriam, illigat, seu potius annum 3 exclusive, 4 vero inclusive, uti dici vulgo solet, computat. Igitur scriptor is plura, ut ipse testatur, antiquorum Codicum exemplaria contulit, quæ aut archetypa erant, aut saltem emendatiora quam quæ aliquibus postea sæculis Editionibus typographicis obstetricandis deservierunt. His omnibus recensitis, Hispanam æram tribus antiquiorem annis quam quod vulgo putatur deprehendit, ipsiusque initium in primam diem Januarii anni 5 Juliani, mundi, juxta Eusebium, 5160, periodi Julianæ 4673, quo consulatum gessere L. Antonius et **291** Isauricus, retulit. Huic tertiæ sententiæ adhæsisse videtur sanctus Julianus, Toleti episcopus, quando lib. I de sextæ ætatis comprobatione scribit: *Octavianus Cæsar regnat annis* LVI. *Hujus 41 anno, secundum quod Tertullianus Hieronymusque testantur, Christus Dei Filius de Maria virgine nascitur.* Namque verosimillimum est Julianum Augusti annos cum Eusebio ab anno mundi 5158 putare.

14. Quarta de initio æræ sententia deducitur ex his quæ divus Isidorus Hispal. narrat in Chronico. Ibi enim cum Augusti anno 42 natum fuisse Christum tradat, Augusti annum 1 alligat anno mundi 5156, uti superius adnotatum est. Exinde autem fit, Natalem Christi in annum mundi 5197 incidisse dicendum esse. Atqui si ex his XXXVIII subducas, ut ad æræ exordium revertaris, tantum VM.CLIX reliqui fient. Hoc ergo mundi anno, periodi vero Julianæ 4672, consulatu M. Lepidi II et L. Munatii Planci, juxta hunc Isidori locum, æra inchoata est. Non unius Isidori Hispalensis hanc fuisse opinionem (si tamen illius fuit, et non potius depravatum est ejus Chronicon) indicat Isidorus alius dictus Pacensis, in Chronico, n. 79, ubi hæc leguntur: *Quia completo 5 anno Julii Cæsaris, fiunt anni sæculi* VM.CLIV; *additis* XLII *Octaviani, fiunt ab Adam usque in Nativitatem Christi* VM.CXCVI, *subtractis* IV, *quos superius diximus ab anno sæculi 5200 quosdam subtrahere; quibus* VM.CXCVI *superius memoratis si addantur anni Incarnationis Domini* DCCLIV, *qui in æra 792 veridice computantur, reperiuntur anni* VM.DCCCCL, *oblitis quatuor diminutisque effectis. Oblitis* legendum est ex Ms. Marianæ, non *obitis*; ab *oblino*, non ab *obeo*. Multum in his verbis Isidori extricandis laborat cl. Florius, **292** quem vide tom. VIII Hispaniæ sacræ, ubi Marianæ lectionem nobis offert. Nunc satis est ut, adductis Isidori verbis, perspicue colligatur reperiri nonnullos qui Natalem Christi alligarunt anno mundi 5197. Cum enim dicat Isidorus: VM.CXCVI *superius memoratis si addantur anni Incarnationis Domini* DCCLIV, *qui in æra* DCCXCII *veridice computantur, reperiuntur anni* VM.DCCCCCL, verum id esse non potest, nisi 1 Christi annus connectatur cum anno mundi 5197 initiumque æræ cum anno 5159, quatuor prævertendo annis communem æram Christianæ atque Hispanæ computum.

Hucusque quatuor sententias protuli, cunctasque communi vulgoque receptæ de initio æræ repugnantes. Nunc quinta in qua diutius immorabimur, exponenda est.

§ IV. *Sancti Juliani archiepiscopi Toletani locus, ubi æram 724 cum anno 2 regis Ervigii comparat, expenditur.*

15. Sanctissimus pariter ac sapientissimus Toletanus episcopus Julianus (*a*) hæc de æra tradidit: *Æra inventa est ante* XXXVIII *annos quam Christus nasceretur.* Est quidem Julianus, inter eos qui de hoc æræ initio testimonium tulere, et auctoritate præcipuus et tempore primus. Atque ille, ut quod verbo docuerat aliquo exemplo confirmaret, hæc addidit: *Nunc acclamatur æra esse* 724. *Detractis igitur* XXXVIII, *ex quo æra inventa est, usque ad Nativitatem Christi, residui sunt* DCCCCLXXXVI. Corrigendus est manifestus **293** error typographiæ, reponendumque DCLXXXVI, uti paulo post errore sublato legitur. Nunc vero computum ineamus, si prius Julianum ipsum audimus, qui se ista scribere testatur, *quando serenissimus Ervigius princeps imperii sui videtur habere annum.* Nimirum libros hos absolvit Julianus, et Ervigio obtulit, recurrente annali inaugurationis ipsius in regem die, quæ incidit in XII Kal. Novemb. Siquidem fatetur hoc opus se confecisse, ejusdem Ervigii, utique jam regis, rogatu; estque ita spissum elaboratumque, ut brevi tempore perfici non potuerit. Ad hæc initio regni Ervigii pluribus distentus fuit Julianus curis, scilicet inaugurandi regis, concilii XII Metani celebrandi, et aliis. Quapropter eo die quo Ervigius annum principatus exegerat, aut circiter, hos libros absolvit Julianus, eodemque illo tempore ea scripsit quæ in fine operis sui legimus: *Nunc acclamatur æra esse* 724. Ergo octobri illo, in quo desiit 1 Ervigii annus, et initium habuit ejusdem annus 2, numerabat Julianus 686 Christi, atque æræ Hispanæ 724. At in aliis Hispaniæ nostræ monumentis et Chronicis hic idem Ervigii annus Christi est 681, æræque 719. Quinque ergo superius annis quam vulgaris fert opinio Natalem tum Christi tum æræ repetit Julianus. Quapropter si 1 Christi annus, secundum receptam vulgo chronologiam, in consulatum incidit Cæsaris et Pauli, atque 1 æra Hispana in consulatum Pulchri et Flacci, in Juliani computo 1 æra Hispana inciderit in consulatum Hirtii et Pansæ, et in annum mundi 5158, periodi Julianæ 4671, Aug. 1.

16. Et sane, cum fere id ipsum sit quod plurimi atque eruditissimi viri jam olim demonstrandum susceperunt, videlicet, Natalem Christi a Dionysio quinque serius annis **294** quam quo evenit consignatum fuisse, mirum cuique videri potest quod neque in illo tam grandi de hac re Scheelstrati volumine tanti doctoris testimonium in hujusce opinionis confirmationem adducatur. Scio, excellentissimum marchionem Mondejarensem (*De æra Hisp., diss.* 3, § 14) laudatum Juliani locum ita legendum esse existimasse: *Quando serenissimus Ervigius princeps imperii* A *sui videtur habere annum* 4. Sed primum, quicunque æram annis tantum XXXVIII Natalem Christi anteire sentiunt, correctionem hanc rejicient, contendentque 2 legendum esse, non 4, quod intrudit, inquient, marchio, ut sententiam suam de excessu æræ ad Christum XXXIX annorum confirmet. Deinde utrosque refutant cuncti libri, in quibus neque 4, neque 5 uspiam legitur. Denique *annus* sine ulla adjecta nota *primus, secundus, tertius*, etc., adhibetur in sermone a probatis quibusque auctoribus, uti a Plauto, qui ait: (*Men., scen.* 3, *a.* 1): *Isthanc emi anno;* et dum sic absolute effertur, annum unum aut primum significat. Quare non est cur ulla in Juliano correctio fiat, nisi eum, quantumvis repugnantem, ad se sensumque suum trahere quisquam velit. Neque quod Natalem B Christi 41 anno Augusti ascripsisse eum supra vidimus, quidquam refert, cum scire nequeamus unde Augusti annos numerare exorsus fuerit. Credibile est cum Isidoro Hispalensi anno mundi 5156 Augusti annum 1 illigare, ipsiusque 41, quo natum affirmat Christum, anno mundi 5196, periodi Julianæ 4709, consulibus eodem Augusto XII et Sulla adnectere. Quod si ita est, utrobique hanc quintam sententiam tenere dicemus, tertiam vero nullibi.

295 § V. *Hispana æra nata videri potuit triumviratu Lepidi, Antonii et Octavii.*

17. Si vera est sancti Juliani commemorata sententia, oportet Hispanam æram initium habuisse eo ipso anno quo M. Lepidus, M. Antonius et Octavius C Cæsar triumviratum sibi vindicaverunt. Id non erit creditu difficile iis qui, cum eam opinionem imbiberint, quod æra nomen suum ab ære sortita est, sciunt ab eo statim tempore Antonium et Octavium pecunias corrogare, vectigalia cupidissime exigere cœpisse. Quod abunde testantur Appianus Alexandrinus, Dio Cassius, nec abnuit Tranquillus. *Vectigalia*, inquit Dio (*L.* XXXVII), *partim prius abrogata tum renovabantur, partim nova constituebantur.* Quæ licet narret Dio, postquam consulatus a Lepido et Planco initi anno Urbis 712 (mundi 5159) meminerat, tamen neque præcedentem annum immunem triumviros tributo fecisse vix dubium est. Præterea Appianus (*L.* IV) edictorum triumviralium formulam nobis conservavit, quæ triumvirorum nomina præferebat D hoc ordine: *M. Lepidus, M. Antonius, Octavius Cæsar*, etc. Et licet de Lepido loquens adjungat, Antonium et Cæsarem *statuisse eum ob utrosque Iberiæ præsidere*, at in Hispania sicut in reliquis provinciis edicta sub ea formula promulgabantur. Itaque pecuniæ quæ primum Cæsaris nomine, licet non solius, dein, abolito triumviratu, sub ejusdem solius nomine plurimos annos indictæ Hispanis sunt, *æra Cæsaris* et nomen et initium facere in Hispania quam belle potuerunt. Sed initium a Cæsare et sociis acceperit, nomen vero **296** a solo Cæsare, propter diuturnam imperii illius durationem, et quia deinceps hoc Cæsaris nomen reliqui imperatores sibi retinuerunt.

(*a*) Lib. III *de sextæ ætatis comprobatione*, in Bibl. Vet. PP. Editionis Paris., an. 1610, tom. IV, col. 251, et multis in aliis, quas vidi

18. Verum si consulatu Hirtii et Pansæ v Kal. Decemb. erectus fuit triumviratus, ab Hispania, inquies, non nisi anno consequente, tributum exigi ullo modo potuit. Ita sane est. Sed tamen anno Urbis 712, ante Philippense bellum, duorum annorum vectigalia exigi potuerunt ab Hispanis : alterum quod ad ipsius anni 712, alterum quod ad præcedentis 711, quo consules fuerunt Hirtius et Pansa, rationes pertineret. Scitum non minus est atque facetum, quod triumviro Antonio, eodem illo anno Urbis 712 duplicatum ab Asiaticis tributum exigenti, Hybræus quidem objecit : *Si potes*, inquit, *Antoni, eodem anno bis vectigal exigere, illud etiam efficere te decet, ut bis æstatem habeamus bisque autumnum* (*Plutarch.*, *in Vit. Anton.*). Eusebius, in Chronico, anno altero a morte Ciceronis, qui Hirtio et Pansa consulibus occisus est, refert, Curtium Talassum cum quatuor cohortibus vivum combustum esse in insula Arado, quod gravius tributa exigeret. Quod de eadem exactione de qua Hybræus ab Antonio imperata intelligendum est, sive is in Asiam jam advenisset, sive tum etiam in Græcia subsisteret. Cum ergo triumviris bellum adversus Brutum et Cassium apparantibus immensa vis auri atque argenti opus esset, non prorsus absimile vero est eos, sicut Asianis post confectum bellum, sic ante ipsum, anno Urbis 512, duplum, id est duorum annorum tributum atque I et II æs Hispaniæ indixisse, III vero anno Urbis conditæ 513, et ita deinceps IV, V, VI, etc., quotoquoque anno scriptum.

297 19. An Lepidi, an Antonii, an Cæsaris nomine, seu, quod magis arridet, solemni illa ab Appiano memorata formula, æra ista, seu tributa, jussa fuerint, definire non possumus. Verum si ab initio ea Cæsari pendere se Hispani putarunt, indeque nomen æræ Cæsaris derivatum est atque inventum, id propterea factum fuisse crediderim, quod Antonio sæpius longe agente et Lepido cuncta Cæsari assentante, hujus nomen et auctoritas prævalebat. Quod de tempore consulatus Hirtii et Pansæ testatur Xiphilinus (*L.* XLVI) inquiens : *Potestas omnis penes Cæsarem fuit*. Et versus isti, quos alicubi legi, et de triumviris sunt intelligendi in eamdem rem :

Omnis non probat hic duos sodales,
Laudatur tamen a duobus unus.
Aut est Maximus, aut duo nihil sunt.

Quapropter si consulatu Hirtii et Pansæ anno Urbis 711, Augusti 1, periodi Julianæ 4671, mundi 5198, aut pro eo, ut dictum est, consequenti anno 712 Urbis conditæ, novum tributum imperatum est Hispanis et ab illis exactum, triumviris pecunias insatiabili cupiditate undequaque everrentibus, nescio cur æra Hispana ab eodem illo anno ortum suum exordiumque non deducat.

20. Porro mirari satis nequeo, quosdam utique magnos viros Hispanæ æræ initium in consulatum Pulchri et Flacci sibi visos fuisse, ex Dionis auctoritate (*L.* XLVIII) referre certo posse. Narrat quidem Dio, statim a Philippensi bello Antonium Cæsari Hispaniam cessisse, Lepido ereptam, et 298 secundo post anno, videlicet 714 Urbis, in potestatem Cæsaris venisse. Deinde ad annum U. c. 715 ait senatum rata esse jussisse omnia quæ triumviri ab inito eo magistratu egissent. Demum novorum vectigalium meminit, quæ triumviri *jam ante instituissent*. Ex his autem quo pacto elici possit Hispanam æram initium habuisse anno 716 U. c., consulatu Pulchri et Flacci, ego plane non video. Nam senatusconsultum illud tam nihil ad rem facit, quam nihili senatum faciebant triumviri, de quibus ipse Dio (*L.* XLVI) : *Omnia ex animi sui sententia agebant, etsi neque ad senatum neque ad populum de his retulissent*. Quid ergo? etiamsi non statim ac triumviratum inierunt Lepidus, Antonius et Octavius, nova vectigalia provinciis omnibus quas sub se habebant indixissent, credibile est, Cæsarem Hispaniam, auri ditissimam, ab anno 714 U. c. pleno jure et dominatu obtinentem, uno et altero anno usque ad 716 immunem eam tributo voluisse, bellis circumquaque strepentibus, et militibus non solum stipendia petentibus, sed donativa insuper largissime promissa minaciter expostulantibus? Sed neque Dio, quod maxime ad rem pertinet, ullius vectigalis quod anno Urbis 716 institutum sit, meminit, meminit vero vectigalium *jam ante institutorum*.

21. Verum enim vero si, quod viri doctissimi opinati sunt, scilicet Hispanæ æræ exordium consulatui Pulchri et Flacci ex Dionis auctoritate affigi posse, incertum maxime esse dixi, non propterea existimare quisquam debet me ea quæ attuli tanquam certiora vindicare. Profecto quidquid ex Romana historia de hac re deducatur, certum nihil, sed meras oportet esse conjecturas, 299 cum de æra nostra ibi altum sit silentium. Verum si ab ære Hispanis imperato dicta sit æra, hujusque initium ad primam illius tributi seu vectigalis institutionem referendum esse dicamus, quisquis Appianum, Dionem, Plutarchum legat, fortasse quæ a me exhibita atque disputata sunt verisimiliora judicabit. Ad hæc monitum hic volo, nullam me nunc litem his intendere qui XXXVIII non amplius annos æram nostram præcedere Natalem Christi existimant: nam neque de hoc ipse quidquam dubito, quin verum sit totius gentis hic sensus est. Quid ego pervicaciter frustraque obnitar? Cæterum argumenta supra exposita dubitare nos faciunt de quo Natali Christi anno intelligendum id sit, quemve illorum æra Hispana XXXVIII annos antevertat, Dionysianumne an alium quemquam illorum quinque quos ex scriptoribus nostratibus antiquioribus recensui, quorumque unaquæque opinio etiamnum patronos suos viros eruditissimos habet? Quare quæ hucusque a me dicta sunt de æræ nostræ initio, eo tendunt ut ostendam XXXVIII illos annos, quibus ea dicitur Natalem Christi superare, non adeo certis argumentis constare computandos esse ab anno 1 æræ Dionysianæ sursum, ut piaculum sit hoc in dubium vertere et in quæstionem vocare.

§ VI. *Æræ initium, dum de eo certiora non appareant argumenta, dubium erit. Tenenda tamen est communis et usitata illius putandæ ratio.*

22. Sanctus Julianus centum abhinc supra millo

amplius annos ea scripsit quæ supra retuli : *Æra inventa est ante* XXXVIII *annos quam Christus nasceretur*. Sexagesimo post Julianum anno eadem Isidorus Pacensis tradidit **300** inquiens : *In æra* 792 *anni* DCCLIV *Incarnationis Domini veridice computantur*. Ex quibus duo perspicue colligimus : 1° ab antiquis Hispaniæ scriptoribus, dum chronologos agunt, in eadem significatione sumi Incarnationis ac Nativitatis Christi verbum; nimirum utrumque pro Natali Christi accipiunt, quod statim de Isidoro, qui Incarnationis voce utitur, demonstrabo ; 2° totius antiquitatis sensum fuisse Hispanam æram XXXVIII annis ante Natale Christi incœpisse. Addo insuper Isidorum excessum hunc æræ Hispaniæ ad Christianam, qualem hanc Dionysius Exiguus commentus est, metiri ; ait namque (*In Chron.*, *n.* 79) : *Fiunt igitur ab exordio mundi usque in æram cœptam* 792, *imperii Constantini* (Copronymi) 10....... *anni* VII.DCCCCLIV. Annus iste mundi, ne de aliis æris quas ibi congerit Isidorus disputemus, annum designat Dionysianum 754, ad quem, ut ex æra 792 descendas, quam cum eodem anno fluere Isidorus affirmat, subtrahendi tibi sunt neque plures, neque pauciores quam XXXVIII anni. Isidorus ergo mille ante annos expresse diserteque communem hujus temporis opinionem de exordio æræ nostræ XXXVIII præcise annis ante Dionysianam, quæ a Nativitate Christi, non vero ab Incarnatione deducitur, tenuit et amplexus est. Neque enim an. mundi VII.DCCCCLIV numerare potest Isidorus Christianæ æræ 754, nisi hos ab anno mundi 5201 cum Dionysio auspicetur, uti subdictis rationibus quilibet deprehendit.

23. Vera equidem ista sunt. At cum paulo antea ex aliorum opinione ea non refutata eamdem æram annumque Christi illiget Isidorus anno mundi 5950, uti supra, **301** num. 20, annotatum est, profecto ex eo discimus, non unam eamdemque fuisse suo tempore scriptorum omnium de hac re sententiam. Imo neque ipse secum convenit, dum anno mundi A 5954 æram 792 annumque Christi 754 innectit; namque, ut supra, n. 12, vidimus, Natale Christi cum Eusebio, Isidoro, omnibusque scriptu is (sic loquitur) anno 42 Augusti adnectit, qui cum anno mundi 5199 concurrit. Atqui ab hoc mundi anno ad 5954 numerantur anni DCCLVI, non vero DCCLIV. Et si æra Hispana XXXVIII ante Christum annis exorta est, numerari debet DCCXCIV, non autem DCCXCII. Igitur Isidorus sibi ipsi contrarius est et pugnantia scribit.

Porro mirabile valde est intellectuque difficile, qui fieri potuit ut qui æram nostram XXXVIII, neque plus neque minus, annos Natalem Christi diem præcessisse crediderunt, istudque alii anno 39, alii 40, alii 41, alii 42, alii 43 Augusti illigarunt, omnes ferme B eamdem æram XXXVIII illis annis priorem faciant uno tantum Natali Christi Dionysiano, quod cum nullo ex eis Augusti annis, nisi cum 44 connexum est. Hæc ut quam male inter se cohæreant oculis lectorum subjiciam, duplicem hic annorum Augusti laterculum proponam, quorum primus sex annos a 1 illius ad 6, quibus initium æræ, secundus vero sex alios a 39 ad 44, quibus Nativitas Christi secundum sex diversas opiniones respondet, antiquitatis ordine servato, exhibebit. Nimirum in utroque laterculo primam lineam ducet ea opinio quæ antiquius reliquis initium uniuscujusque æræ statuit, Hispanæ anno Augusti 1, Christianæ anno 39; secundam, quæ æram Hispanam alligat anno Augusti 2, Christianam anno 40, et sic deinceps. Annis autem C Augusti consulatus annosque mundi et periodi Julianæ, quibuscum **302** concurrunt, adjiciam, ut ex his characteribus illarum opinionum varietas et contrarietas facilius clariusque dignoscatur. Si quis autem in Historia tiro tot de anno Natali Christi esse sententias nunc primum legit et stupet, consulat doctissimum Lamy, qui eas et quos unaquæque habuerit assentores recenset (*Appar. Chron. ad concord. p.* I, *c.* 7, § 4).

Laterculus æræ Hispanæ.

I.	Aug. an.	Coss. Hirtio et Pansa.	M. 5158,	p. J. 4671,	1
II.	Aug. an.	Coss. Lepido II et Planco.	M. 5159,	p. J. 4672,	2
III.	Aug. an.	Coss. Antonio et Isaurico.	M. 5160,	p. J. 4673,	3
IV.	Aug. an.	Coss. Calvino et Pollione.	M. 5161,	p. J. 4674,	4
V.	Aug. an.	Coss. Censorino et Sabino.	M. 5162,	p. J. 4675,	5
VI.	Aug. an.	Coss. Pulchro et Flacco.	M. 5163,	p. J. 4676,	6

Laterculus æræ Christianæ.

XXXIX.	Aug. an.	Coss. Aug. XII et Sulla.	M. 5196,	p. J. 4709,	1
XL.	Aug. an.	Coss. Sabino et Rufo.	M. 5197,	p. J. 4710,	2
XLI.	Aug. an.	Coss. Lentulo et Messal.	M. 5198,	p. J. 4711,	3
XLII.	Aug. an.	Coss. Aug. XIII et Silvano.	M. 5199,	p. J. 4712,	4
XLIII.	Aug. an.	Coss. Lentulo et Pisone.	M. 5200,	p. J. 4713,	5
XLIV.	Aug. an.	Coss. Cæsare et Paulo.	M. 5201,	p. J. 4714,	6

Inspectis his laterculis non potest lector non intelligere quoto ex sex supra memoratis opinionibus anno Hispanam æram aut reipsa innectat, aut saltem innectere debeat.

24. Nimirum quisquis natum Christum existimaverit anno Augusti 39, seu, quod idem est, anno mundi Eusebiano 5196, Hispanæ æræ annum primum D alligare debet anno ejusdem Augusti 1 et mundi anno 5158.

Qui Natalem Christi connectat cum anno Augusti 40, Hispanam æram ejusque exordium illigare debet ejusdem Augusti anno 2 et mundi 5159, et sic de cæteris. Loquimur autem **303** de his qui XXXVIII annos Hispanam æram prius quam Christianam ini-

tium suum sortitam fuisse sentiant et e converso. Hi A nunquam, nisi sibi ipsi contrarii esse velint, æræ Hispanæ exordium in postremum primi laterculi annum conjicient, si Natalem Christi addicant alicui ex quinque primis annis secundi laterculi. Neque si Hispanam æram natam fuisse asserant aliquo ex quinque prioribus annis primi laterculi, consignare poterunt Natale Christi anno secundi laterculi postremo. Sed quod fieri non posse dicimus factum videmus. Quo tamen casu factum, ignoramus. Cæterum ab inducto in usum Ecclesiarum paschali Dionysii cyclo natum id fuisse verosimillimum conjectamus. Antiqua monumenta omnia a clericis et monachis vel scripta vel exscripta ad nos pervenisse nullus non scit. Dionysii cyclus statim ac confectus fuit, quin omnibus Occidentis Ecclesiis a Romano pontifici B sit missus, nemo inficias ibit, qui antiquum Alexandrinæ et Romanæ Ecclesiæ morem in paschate denuntiando noverit. Igitur in eo cyclo ecclesiastici illi viri Natale Christi relatum ostendentes in annum postremum secundi laterculi, iidem incunctanter Dionysio adhibent, non intelligentes diversam illum chronologiam sequi quam quæ ab ipsis aut ab his quos describebant usurpata hactenus fuerat. Inde itaque factum est ut dum sive suum ipsorum sive eorum quos describebant computum modo retinent, modo abdesciscunt, ut Dionysiano adhæreant, omnem in libris chronologiam inextricabilibus nodis implicuerint, dubiumque fecerint quonam quisquis Hispanam æram, quonam Christianam consignaverit anno.

25. Interea tamen cum in dubium revocari nequeat Hispanos, si apud eos in rationario saltem fisci aut in officio procuratoris summæ rei æræ computus perpetuo in **304** usu fuit, tam in eo designando falli non potuisse, quam nos nunc falli nequimus in æra vulgari assignanda, illius annum 1758 numerando; hic enim, dum hæc scribo, agitur, quandocunque certis et ineluctabilibus argumentis demonstraretur scriptores nostrates hanc a majoribus æram sine interruptione acceptam ita semper putasse, ut XXVIII anni, neque plures neque pauciores, inter eam vulgaremque Dionysii Exigui intercedant, profecto exordium æræ nostræ in consulatum Pulchri et Flacci, in Augusti annum 6, periodi Julianæ 4676, mundi anno 5163 incidisse, comprobabitur; exempli gratia de lapide Toletano, quem adducit cl. Florius ista leguntur (*Hisp. sacr. t. II, p. 23 et alibi*):

IN NOMINE DNI CONSECRA-
TA ECCLESIA SCTE MARIE
IN CATHOLICO DIE PRIMO
IDUS APRILIS ANNO FELI-
CITER PRIMO REGNI DNI
NOSTRI GLORIOSISSIMI FL.
RECCAREDI REGIS ERA
DCXXV.

Hæc inscriptio rem conficeret, siquidem duo comparent: primum, æram sine errore consignatam fuisse, eo quod hæc epocha ab ipsius ortu usque ad eum annum semper apud Hispanos in usu fuerit; secundum, notas illas DCXXV æram 625, non vero 630, significare; nam si hæc certa sint, ex reliquis characteribus elicitur annus 587 æræ vulgaris, in quo primo Idus seu Idibus Aprilis dies **305** catholicus, hoc est, universo populo colendus, et 1 feria fuit. Annis autem DLXXXVII si addas XXXVIII, efficies æram Hispanam 625.

26. Cæterum testimonium sancti Juliani supra exhibitum formaque ipsa ultimæ notæ V dubitationem mihi ingerunt, et timere me faciunt ne propter litterarum Gothicarum difficultatem, vel etiam quia sinistrorsum exesa est inferne nota illa V, accepta ea sit pro V a scriptoribus, cum re ipsa X futura sit. Id quod maxime verendum est, si eum qui primus exscripsit illud elogium (idem putem de his qui etiam nunc legant) præjudicium sententiæ communis urgebat, ut exinde æram Hispanam 625 eliceret. Sed neque ex die Dominico ibi consignato argumentum ullum desumere possumus, quod dubium istud dirimat, cum tam æra Juliani (juxta memoratam ipsius auctoritatem) 630, quam aliorum 625 cum anno Christi 587 concurrerit. Quin etiam anno Christi 592, quocum, juxta communem sententiam, æra Hispana 630 conjungitur, Idibus Aprilis dies Dominica fuit. Quod si nota illa V non V sed X est, lapis hic ipsissimam divi Juliani epocham exprimet, nimirum æram 630, et hoc novo argumento comprobabitur æram nostram integro quinquennio prius quam vulgo nunc creditur incœpisse. Quapropter maximi refert, ut de hujus inscriptionis germana lectione publice liquidoque constet.

C 27. Sed neque id satis est, ut æræ computus certus sit et indubitatus. Postquam enim demonstratum fuerit in eo lapide Toletano vel DCXXV vel DCXXX scriptum fuisse, illud præterea necesse est, ut qui eas notas insculpsit, hujus epochæ ortum exacte noverit, ita ut neque plures neque pauciores anni transierint ex quo æra nata est quam quot ille designavit. Id autem valde affirmare ego non ausim, **306** neque alius fortasse quisquam, quandoquidem in monumentis quæ apud nos sunt non nisi post quingentesimum ab æræ exordio annum illius mentio sit. Atqui Dionysium Exiguum, dum sexto sæculo communem Christi æram commentus est, quinquennio toto a vero, ut nunc fert plurimorum eruditissimorumque hominum opinio, aberrare videmus. Ergo si quid simile de D æræ nostræ putandæ ratione vereri se quisquam dicat, non est cur illi succenseamus et temeritatis illum damnemus. Nam si Dionysius, cui præfulserat infallibile divi Lucæ testimonium illud, ubi ea enarrans quæ gesta sunt anno quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris ait: *Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta* (*Luc.* III), immaniter hallucinatus est, si credimus chronologis omnium doctissimis, nonne similiter hallucinari potuit is qui sæculo sexto æræ Hispanæ inscriptionem eam Toletanam exaravit? Falli utique potuit, tantoque facilius quam Dionysius, quanto rariora, ut apparet, exstitere semper indicia de exordio æræ nostræ, quam de anno Incarnationis Christi Domini; huic enim inveniendo præter scriptores ecclesiasticos Fasti etiam totaque Romanorum

historia usui esse poterant Dionysio ex assignato ibi a divo Luca Tiberii decimo quinto anno.

28. Ergo, ut finem ponam prolixæ disputationi, quæcunque hactenus dicta sunt, nos planè, opinor, docent non satis certo constare epocham æræ Hispanæ a consulatu Pulchri et Flacci, atque ab anno Augusti 6 mundi 5193, periodi Julianæ 4676 descendere. Quare manifestioribus id argumentis comprobari oportet. Id quod cum ex antiquis tantum inscriptionibus **307** ac monumentis erui valeat, profecto antiquitatum Hispanarum studiosi eruditique viri intelligent interesse quam plurimi, ut si quæ adhuc sunt, quæ in tenebris delitescant, publica ac communi luce donentur.

29. Interea autem, quia unius veritatis amore hæc scribere aggressus sum, diuque mecum cogitavi si qua ratione pervulgata de æræ initio sententia sustineri possit, nihil obstantibus quæ adversus eam superius allata sunt, lectorem meum non celabo argumentis supra expositis occurri non improbabiliter posse, si dicatur laudatos antea scriptores, illorumque antiquissimos, æram ab anno ante consulatum Cæsaris et Pauli, seu, quod idem est, ab anno ante Natalem Christi Dionysianum 38 deduxisse, accepta ex ore vulgi et ex rationario fisci hujusmodi supputatione. Quæ proinde, ut observabam, num. 22, incerta esse non potest, etiamsi posteri, Natalem Christi per annos Augusti designantes, illum tribus quatuorve aut pluribus annis antevertisse videantur. Namque ipsi quotocuique anno Augusti aut mundi Nativitatem Domini alligent, eidem ac Dionysius anno se illam alligare opinabantur. Hoc de Isidoro Pacensi manifestum est, quem, supra, n. 16, vidimus Natalem Christi anno Augusti 42 asseverantissime adnectere; et tamen annos ab exordio mundi usque in æram 792 (in qua, ait, anni Incarnationis Domini DCCLIV veridice computantur) colligens, summam conficit annorum VM.DCCCCLIV. Si ergo hoc mundi anno numerabat Isidorus annum 754 Christi, non potuit Christianæ æræ initium non alligare anno mundi Eusebiano 5201, eidem scilicet, cui alligavit Dionysius Exiguus. Atqui cum anno mundi Eusebiano 5201 connexus fuit annus Augusti 44. Igitur Isidorus Natalem Christi anno Augusti 62 verbo innexuit, at reipsa cum **308** anno 44 conjunxit communemque de æræ nostræ exordio sententiam tenuit. Relege quæ n. 28 scripta sunt. Si cui hæc responsio placet, videat perpendatque an reliquis adductis supra testimoniis adhiberi possit fides. Ego sane sancti Juliani auctoritatem allatam n. 21 dilui non posse existimo hujusmodi interpretatione, quam etiam respuere videntur verba Chronici Burgensis, quæ n. 19 protuli. Et quod silentio præterire nolo, clarissimus eruditissimusque vir Joannes Vergara, canonicus Toletanus, ante ducentos annos ex historiis, chronologis, fastisque consularibus exordium æræ nostræ cum eruere tentasset, illud consulatui Cn. Domitii Calvini et C. Asinii Pollionis innexuit, Natalemque Christi, quem XXXVIII annis æram prævertisse, cum communi sententia affirmat, in annum Augusti 42 verbo atque re conjecit.

30. Denique si forte aliquis invenisse se certo crediderit æram non eo quo vulgo putatur anno natam fuisse, non propterea aliter ejus computo utendum licere sibi existimet, ac quo nunc ab omnibus usurpatur. Equidem postquam de Christianæ æræ initio a doctissimis viris disputari cœptum est, atque alii tres, alii quatuor, alii quinque aut plures annos serius quam par erat auspicatum eam fuisse Dionysium demonstrasse sibi visi sunt, non propterea in ea allegandα quidquam præter communem usum licere sibi arbitrati sunt; sciteque a non nemine, dum de hac re ageret, dictum est: Scientiam tibi serva, consuetudinem et antiquum usum vulgo relinque. Præterea cum historias, chronica cæteraque monumenta scriptorum nostratium legeris, æram juxta vulgarem supputationem sume; nam juxta eam ab ipsis scriptoribus sive a librariis ubique fere adhibita est.

AD TOMUM LII.

SANCTUS SEVERINUS,

EPISCOPUS ET ABBAS.

NOTITIA HISTORICA IN SEVERINUM.

(Fabric. Bibl. Med. et inf. ætat.)

Severinus, incertæ ætatis et sedis episcopus, Colemensem fuisse conjectura est rev. Pezii. Opusculum ejus exiguæ molis, quod *Doctrinam* inscripsit, vel ut codex monast. Hilariensis in Austria habet, *Doctrina de Sapientia*, editum est primo per Pithæum Paris., deinde in Bibl. PP. Parisinæ supplemento Latino, in Bibl PP. Coloniensi, t. II Operum Sirmondi, in Thesauro Anecdotorum novissimo Pezii t. IV, part. II, p. 1, denique in Fabricio nostro sub finem libri VI hujus operis p. 227. Homilia inter opera S. Petri Chrysologi serm. 50 legenda quæ incipit: *Christum in humanis actibus*, in vetusto homiliario ms. Bibliothecæ Can. majoris ecclesiæ Lucensis tribuitur S. Severino episcopo. Nec sane in ascribenda homilia illa S. Pe-

tro Chrysologo mss. Codices conveniunt; nam in aliis S. Hieronymi, in aliis S. Joannis Chrysostomi nomen præfert. An reipsa a Ravennatensi præsule detrahenda sit, et alteri ascribenda, incertum. Si tamen Severini A esse dicatur, dubii pariter hærebimus, num præferendus sit Severinus ille, cujus *Doctrina de Sapientia* sæpe typos exercuit.

S. SEVERINI EPISCOPI DOCTRINA.

I. Dilige Deum.

II. Sapientiam disce.

III. Omnia cum mensura age.

IV. Quod odis, et tibi fieri non vis aliis non facias.

V. Semper spera in Domino.

VI. Tempus futurum exspecta.

VII. Necessitati subditus esto.

VIII. Justitiam sequere.

IX. Jurejurando uti noli.

X. Doce quod utile est.

XI. Injustitiam odio habe.

XII. Sapientes homines cole, insipientes fuge.

XIII. Quod bonum est, discere non erubescas.

XIV. Linguæ tuæ impera.

XV. Magnanimus esto.

XVI. In nullo mentiaris.

XVII. Fidem tuere.

XVIII. Veritatem testificare.

XIX. Noli aliena concupiscere.

XX. Pecuniæ amator ne fueris: quantum ad usus tibi sufficiat, quære: cum habueris, dona petenti.

XXI. Tuis negotiis vaca, alienis autem noli commisceri.

XXII. Loquacitatem odio habe; bona est enim taciturnitas, mala est verbositas.

XXIII. Boni consilii amator esto

XXIV. Nullum contemnas.

XXV. Majorem natu venerare; adolescentiorem, si sapiens fuerit, ut senem honora.

XXVI. Lauda veritatem, et quæ animæ prosint discere elabora.

XXVII. De amicis bene opinare.

XXVIII. Inimicos noli exasperare: utilius est enim eos amicos facere, quam inimicos habere.

XXIX. Cum justis hominibus loquere.

XXX. Filios tuos bene educa.

XXXI. Simplicibus inserere.

XXXII. Misericordiam faciens noli contristari, nec dubitare.

XXXIII. Quod daturus es, ex animo da, quia futura ignoras.

XXXIV. Misericordia et veritas non desint tibi, et charitas; et hæc bona cooperient multitudinem peccatorum.

XXXV. Nemini opprobrium dixeris.

XXXVI. Animæquus, et suavis, et continens esto.

XXXVII. Iram fuge, mater est enim peccati.

XXXVIII. Justitiam operare in judicio.

XXXIX. Servos dilige.

XL. De nullo malum loquaris.

XLI. Testimonium in tempore opportuno verum dic.

XLII. Simultates odio habe.

XLIII. Litigantes concorda.

XLIV. Mala quæ tibi accesserint, patienter sustine.

XLV. Juste judica; memineris enim te hominem esse.

XLVI. De rebus nonnullis noli anxius esse: sapiens B homo cito non conturbatur.

XLVII. Cum nullo litiges.

XLVIII. Linguam bonæ famæ habe.

XLIX. Sectare silentium, quia absque pœnitentia est: tumultum pœnitentia subsequitur.

L. Inimicitias dissolve.

LI. Noli incredulus esse; et elabora in bono non esse jactantior.

LII. Inanem gloriam fuge.

LIII. Tuis mansuetus esto, et extraneis necessarius.

LIV. Concupiscentias animi tui vince.

LV. Amicos noli cito comparare; quos autem comparaveris, noli cito reprobare.

LVI. Peccantium curam habere noli: nihil enim tibi proderit.

C LVII. Brutis sapientiam ne dederis; postea enim persequentur te.

LVIII. Sacramenta Dei non nisi dignis aperias.

LIX. Imprudentium primatum ne eligas, ne dux dæmonum efficiaris.

LX. Contra legem Dei nihil agas.

LXI. Differentiam habe inter bonum et malum, et manifestum apud te sit inter justum et injustum; injustitiæ enim opera hæc sunt: odium, fornicatio, furtum, rapacitas, veneficia, mendacium, falsum testimonium, cupiditas, detractio, dolus, superbia, malitia, temeritas, improbitas, jactantia, contentio, simulatio, maliloquium, amor pecuniæ, impietas et omne quod alienat a doctrina Dei. Justitiæ autem D opera sunt hæc: semper Deo gratias agere, Dei cultores amare, nemini nocere, nec contristare quemquam, pudice vivere, misericordem esse, proximum suum sicut se ipsum diligere, esurientes saturare, sitientibus potum dare, nudos vestire, hospitalem esse et humanum et indigentibus tribuere cum hilaritate.

LXII. Noli esse amarus his qui in tristitia sunt.

LXIII. Omne quod pertinet ad justitiam fac.

LXIV. Leges hominum ut homo utere. et legem Dei ut Dei.

LXV. Noli invidere bono; non enim immortalis es.

LXVI. Sicut lucerna ardens ita esto, et angelus Dei vocaberis.

LXVII. Cum conscientia mala noli accedere ad ora-

tionem; condemnaberis enim per tuam conscientiam. Confessio peccati initium est salutis.

LXVIII. Supplex esto Deo semper, et sic age ut irreprehensibilis habearis.

LXIX. Neminem male loqui permittas, ne ut fautor injustitiæ habearis.

LXX. Absentem noli condemnare; præsentem juste accipe.

LXXI. Ex argumentis noli condemnare, ne et tu condemneris, quia displicent Deo talia : et quomodo vis videri agere, sic judica.

LXXII. Mulierem in testimonium noli recipere.

LXXIII. Omne peccatum indulge, præter homicidium et adulterium.

LXXIV. Injuriam facienti noli consentire, ne sicut adjutor injustitiæ puniaris : quem vero reprobaveris, sit tibi quasi ignarus

LXXV. Servos ut filios enutri; apud Dominum enim æquales sunt, quia personas non accipit.

LXXVI. Super mensuram nihil feceris, et superbis noli conjungi, ne amicus injustitiæ habearis.

LXXVII. Facies seniorum semper inquire, ut instruaris verbis eorum : sapientum enim sensus pleni sunt fructibus vitæ.

LXXVIII. Ducem vitæ tuæ et Deum habe, a Deo enim tibi missus est ut salveris : et in omni substantia tua participem eum habe; qui enim in divinis te comparticipat, debet in humanis particeps esse.

LXXIX. Misero noli exprobrare, ne et tu exprobrabilis efficiaris : circa omnes enim judicium Dei est, et ut justum est judicat.

LXXX. Misericordiam faciens absconse facito, et non confundes personam tuam. Si facis ut ab aliis publice videaris, et ut magnificeris ab hominibus, nihil tibi proderit.

LXXXI. Adorans Dominum secreto adora, et noli notabilem locum eligere : ubique enim est Deus, et ubicumque invocatus fuerit, adest. Quotidie autem illi gratias age, vigilans et dormiens, ut propitium eum habeas, et desideria tua impleat. Et orans, noli multum loqui, ne stulto similis habearis; scit enim Deus petitiones tuas ante quam petas, et quæ cogitas non ignorat.

APPENDIX AD SÆCULUM QUINTUM.

DE REBUS LITURGICIS

MURATORII DISSERTATIO.

Præfatio.

Non angustum eruditionis ecclesiasticæ campum studiosæ genti sacra liturgia exhibet, quæ de ritibus adhibitis ad publicum Dei cultum, in ministrandis divinis sacramentis, atque in aliis catholicæ religionis officiis agit. Ex quo Carolus Magnus Augustus, ejusque filius Ludovicus Pius tam Gallos quam Germanos ad restaurandum jacentium litterarum regnum excitavit, jam tunc docti viri ad hujusmodi argumentum exornandum se contulere, Amalarius, Florus Magister, Agobardus, Rhabanus Maurus, Walafridus Strabo, Subsequentibus sæculis Berno Augiensis abbas, Micrologus, et qui sub Alcuini nomine evulgatus est scriptor. Serius quoque Guilielmus Durandus, et Joannes Belethus de divinis officiis multas tradidere. Tum sæculo Christi sextodecimo Jacobus Pamelius, Gregorius Cassander, Joannes Stephanus Durantus, Claudius de Saintes, et alii, qui Orientalium Ecclesiarum liturgias Latio donarunt, in hac palæstra se exercuere. Longe majori etiam successu, subsequente sæculo decimo septimo, liturgiæ ecclesiasticæ patrimonium est auctum; nam, ut alios prætercam, Joseph Vicecomes, Joannes Baptista Casalius, Bartholomæus Gavantus, Jacobus Goar, Gabriel Albaspineus, Leo Allatius, Joannes Morinus, et Hugo Menardus, accuratius de ritibus sacris scripsere. Sed omnium maxime nos obstrictos fatemur tribus hoc de argumento scriptoribus, videlicet, Joanni Bonæ cardinali, qui res liturgicas tanta cum eruditione ac judicio pertractavit; et venerabili cardinali Josepho Mariæ Thomasio, qui tot egregia hac de re monumenta tenebris erepta evulgavit; et Joanni Mabillonio immortalis nominis viro, qui in hunc etiam argumentum vires suæ eruditionis non uno opere extendit. Ab hisce vero catholicorum studiis excitatus inter Anglicanos Joseph Binghamus, cum multis et ipse libris origines, sive antiquitates ecclesiasticas excolendas post primos sæculi præsentis annos suscepisset, liturgiam quoque sacram illustrare aggressus est, sectæ suæ pro viribus serviens, sed non semper veritati. Iisdem ferme temporibus egregium opus confecit Eusebius Renaudotius Parisiensis, *Collectionem*, scilicet, *liturgiarum Orientalium*, quas etiam eruditis notis auxit. Mirum quoque in modum bene de eadem liturgia meritus est Pater Don Edmundus Martene, Benedictinus e congregatione sancti Mauri, editis quatuor tomis *de*

antiquis *Ecclesiæ Ritibus*. Ad hæc Pater Petrus Le Brun, Oratorii Parisiensis presbyter, quatuor aliis tomis *Explicationem missæ*, omnium utilissimam, et liturgiarum quarumcunque compendium, nobis dedit, una cum aliquot dissertationibus liturgicis, quibus singularis laus debetur. In Italia vero Pater Joseph Blanchinius, Oratorii Romani presbyter, insigne beneficium Christianæ reipublicæ contulit ob detectum typisque publicis traditum *Leonianum Sacramentarium*, simulque ob antiquum Gothico-Hispani ritus Orationarium, luce donatum atque illustratum. Præterea Pater Dom Cajetanus Maria Meratus clericus regularis *Thesaurum sacrorum rituum Gavanti* amplificavit. Sed et sanctissimus pontifex hodie regnans Benedictus XIV, pro suo erga eamdem liturgiam amore, cujus etiam partes aliquot suis jam editis libris exornavit, inter alias a se institutas in Urbe Academias, liturgicam minime neglexit, atque inde jam fructum se percepisse gavisus est. Nam Dominicus Georgius *Pontificiam Missam* multiplici eruditione illustravit. Ad elucidandam quoque *Mozarabicam* aliasque Hispanicas liturgias multum studii contulit Pater Joseph Pinius e societate Jesu; Petrus vero Morettus canonicus sanctæ Mariæ trans-Tiberim, *Ritum dandi presbyterium* exponens, liturgica multa complexus est. Alia alii ex doctis iis viris meditantur, continuandæque profecto messis spes nobis est facta.

Quod tamen expostulare quisquam possit, ejusmodi materies exhausta jam videatur, et occupata a tot eximiis scriptoribus provincia, prope est ut quisquiliæ tantummodo, aut merces parum utiles, successoribus sint relictæ. Atque in hanc ipsam cogitationem antea præreptum me fateor, cum nuper memoratus Pater Blanchinius a studiis liturgicis avocatus ob impositum sibi a prælaudato pontifice maximo onus concinnandi Annales ecclesiasticos Odorici Raynaldi, sibi jam parata antiquissima Gregoriani Sacramentarii exemplaria ad me misit, ut per me aliquo cum fenore donum hoc acciperet catholica Ecclesia. Nam quis, aiebam ego, in animum inducat, Sacramentario huic commentarios et ornamenta comparare se posse, quando hoc munere adeo feliciter Hugo Menardus monachus Benedictinus est functus? Unum ergo mihi proposui, scilicet, conjuncta exhibere lectoribus Romana tria Sacramentaria, *Leonianum* videlicet, quod paucorum in manus hactenus pervenit, dignumque majori plane fortuna est; tum *Gelasianum*, cujus exempla jam rara admodum evaserant; denique *Gregorianum* ex omnium id genus antiquissimo Codice ms. expressum; ejus enim ætas nongentos annos superare deprehensa mihi est. In tribus hisce Sacramentariis tota liturgia Romana vetus concluditur, eamque habere conjunctam non ingratum compluribus futurum arbitrabar. At mecum simul recogitabam: ex tot hominibus, qui sacris litteris dant operam, quot quæso erunt, quibus videatur aliquid utilitatis extundi ex hoc opere posse? Nobis sunt, inquient illi, Missales nostri; quidquid in vetustis, imo et vetustissimis occurrit, tam precum, quam rituum, in his quoque nostris deprehenditur; imo plura habent nostri quam illi. Cur ergo exoletos et carie consumptos Codices excutere hic homo velit, ut nobis non aliud præbeat, quam quod a tanto tempore possidemus? Res nunc est mihi, non cum veris eruditis, doctissimisque hominibus, qui probe norunt quanti facienda sint tum in se ipsis, tum ob ipsam antiquitatem ejusmodi Sacramentaria, quantumque sit pondus ipsius vetustatis in controversiis ecclesiasticis; sed cum id genus hominibus, qui, præ oculis aurifodinas habentes, earum tamen pretium minime noscunt, aut omnem educendi auri rationem ignorant. Itaque hosce tantum monendos duco, nullam graviorem, nullam celebriorem inter nos atque acatholicos fervere controversiam, quam quæ Eucharistiam et sacrificium missæ respicit. Ad hanc autem dirimendam mirifice conducit liturgicorum Codicum auctoritas, si quos ostendere possumus natos ante putidam fabellam de Paschasio Ratberto, quem stulta imaginatione heterodoxi somniarunt veteris catholicæ doctrinæ corruptorem. Istius itaque doctrinæ stabilem semper et nunquam variatam in Ecclesia Dei veritatem demonstrandam mihi sumpsi, ope potissimum vetustissimæ Romanæ liturgiæ. Adjeci consensionem reliquarum omnium veterum liturgiarum Christiani orbis, sanctorumque etiam Patrum, ita ut idem dogma de Eucharistia in omnium temporum, in omnium locorum Ecclesiis, constantissime viguisse videas, et grandi piaculo novatores ab eo recessisse. Tanto autem fidentius in agonem istum descendi, quod, uti infra ostendetur, heterodoxi eadem arma quæ toties ab illustribus catholicæ communionis pugilibus protrita fuere, nobis opponere pergunt, quasi eorum vigor perduret, satisque futurus sit ad continendum in fide contribulum suorum gregem. Si quis ergo ex iis unquam hæc pauca legat, et sincere in tanti momenti re secum agat, non inutili fortasse labore eadem ego congesserim. Sin minus, hoc saltem consecuturum me spero, ut quicunque e nostris, minus in ejusmodi concertationibus versatus, ad ista legendum adducatur, sibi ea consolationi esse sentiat, dum et ab infantia acceptam fidem suam tanto totius antiquitatis consensu firmatam agnoscet, simulque excusatione eos minime dignos intelliget, qui ineffabile mysterium Eucharistiæ, et missæ sacrificium, sua dignitate temerario ausu privarunt, ejusque veritati insultare adhuc non desinunt.

Denique, ut lector sub oculis habeat antiquiora Occidentalium Ecclesiarum Sacramentaria, Romanis adjuncta veluti Missale Gothicum, Francorum, et Gallicanum vetus, a cardinali Thomasio edita; uti et alterum Gallicanum, una cum duobus omnium antiquissimis Romanæ Ecclesiæ Ritualibus libris a Mabillonio evulgatum. De his postremis aliquid suo loco præfabor.

DE ORIGINE SACRÆ LITURGIÆ.

CAPUT PRIMUM.

Uti jam complures docti viri animadverterunt, Græca vox *liturgia* significabat quod apud ethnicos *ministerium publicum*, ita ut λειτουργὸς diceretur qui publico aliquo munere fungebatur, et illud exercere λειτουργεῖν. Ad sacra facientes eadem vox quoque translata. Testem habemus sanctum Lucam (*Act.* XIII, 2), scribentem de prophetis et doctoribus Ecclesiæ : Λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ Κυρίῳ, *Ministrantibus autem illis Domino*. Quæ liturgia, ut a cæteris distingueretur, *sacra* propterea appellata fuit. Est autem liturgia, peculiari significatione usurpata, ratio colendi Deum verum per externos legitimos ritus, tum ad illius honorem testandum, tum ad ipsius in homines beneficia derivanda. Strictiori etiam sensu accepta, eos tantum ritus respicit, quibus sacrificium peragitur, et quidquid ad munus sacrificandi pertinet, quale est apud catholicæ Ecclesiæ filios incruentum missæ sacrificium. Aliis vocibus tum a Græcis, tum a Latinis sacrum hujusmodi munus designatur, neque solum sacerdotes complectitur, sed ad reliquos etiam Ecclesiæ ministros sacris operantes extenditur. Fuit sua Judaico populo liturgia, cum sacrificia cruenta aut pacifica Deo offerret, ac de ejus gentis sacerdotibus idcirco Apostolus aiebat : *Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, et easdem sæpe offerens hostias* (*Hebr.* X, 11). In Græco est λειτουργῶν pro *ministrans*. Eorum autem sacrificia, Apostolo ipso testante, umbra futurorum fuerunt (*Col.* II, 17), qua de re multa habet sanctus Augustinus. Chrysostomus vero : « Sive ovis, ait, immolabatur, erat imago Salvatoris ; sive bos, imago erat Domini ; sive vitulus, sive juvenca, seu aliud quid eorum, quæ offerebantur, sive columba et turtur ; omnia ad Salvatorem referebantur (*Homil.* CLXVI, *tom. V*). Per adventum autem Filii Dei reformata in melius veteri lege, et cessantibus cruentis sacrificiis, uti jam prædictum a prophetis fuerat, successere perfectiora sacramenta, ac novi ritus, plerisque antiqui populi cæremoniis abrogatis, hoc est, nova Christianæ reipublicæ liturgia successit, sive disciplina in sacris, cujus duplex genus statuendum est : alterum ex ritibus aut ab ipso Salvatore, ejusve apostolis nascente Ecclesia præscriptis, de quibus certos nos faciunt divini libri, aut apostolica traditio, per primitivæ Ecclesiæ Patres usque ad nos derivata : alterum ritus illos complectitur, quos identidem Ecclesia universa, aut peculiares Ecclesiæ invexerunt in sacra, prout pastoribus visum fuit magis congruum majestati mysteriorum,
A sive efficacius ad alendam augendamque populi devotionem.

De hujusmodi sacra liturgia nunc nobis sermo est, quæ ritus missæ aliorumque sacramentorum complectitur. Nulla autem dubitatio est quin vel ipsis apostolis viventibus aliquis fuerit liturgiæ usus, variis constans precibus in conficiendo tremendo altaris sacrificio. Sancto Luca teste, perseverabant apostoli *in fractione panis et orationibus* (*Act.* II, 42). Apostolus vero vult fieri *obsecrationes*, *orationes*, *interpellationes*, *et gratiarum actiones pro omnibus hominibus*, *pro regibus*, *et omnibus qui in sublimitate sunt* (*I Tim.* II, 1). Ecquando vero ista peragebantur ? In sacrificio ineffabili Christianæ gentis, uti memoriæ prodidit sanctus Justinus martyr. Eo enim tempore congregabantur fideles « ad communes preces et
B supplicationes cum pro se ipsis, tum pro illuminato, et aliis ubique gentium omnibus, intento animo peragendas (*Justin. mart. apolog.* II). » Paria refert Tertullianus : « Itaque, ait, sacrificamus pro salute imperatoris, sed Deo nostro, et ipsius (*Tertul. ad Scapul.*). » Morem hunc ab Ecclesia observatum describebat circa annum Christi 347 sanctus Cyrillus Jerosolymitanus, inquiens : « Super illam propitiationis hostiam (en sacrificium propitiatorium, quod negare sunt ausi, qui missam impia temeritate abrogarunt) obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro regibus, pro exercitibus, et sociis, etc. (*Cyril. Jer. Catech.* XXIII, *n.* 8). Propterea sanctus Augustinus,
C quid in Ecclesia Dei a vetustis temporibus ageretur, considerans, *obsecrationes*, sive *precationes* ab Apostolo nuper memoratas interpretatur, « quas facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici. » *Orationes* quoque significari ait, « quas proferimus, cum benedicitur et sanctificatur, et ad distributionem comminuitur : quam totam petitionem fere omnis Ecclesia Dominica oratione concludit (*August. epist.* CLIX, *olim* 59, *ad Paulin.*). » Paucis delineatum habes sacrum missæ canonem, qualis adhuc apud Catholicos in usu est. Quare jam agnoscimus, ipsis quoque primis Ecclesiæ sæculis ordinem quemdam precum et orationum exstitisse, quibus in divinis mysteriis utebantur sacerdos et plebs fidelis. Præfationis nunc
D quoque usitatæ meminit sanctus Cyprianus cum nempe dicimus *Sursum corda*, et populus respondet *Habemus ad Dominum* (*Cypr. lib. de Orat.*). Ita baptismi quosdam ritus suo tempore observatos Tertullianus indicabat ; uti et orationem adhibitam in

conferendo confirmationis sacramento tum ipse, tum idem Cyprianus innuerunt, ut alia omittam.

Doctissimus vir Pater Petrus Le Brun, Oratorii Parisiensis presbyter, auctor est, « ante quintum Ecclesiæ sæculum nullam ex liturgiis, sive Græcis sive Latinis, scripto fuisse commendatam » (*Le Brun, tom. II, Dissert. liturg.*); sed preces omnes ac ritus, memoriæ traditos, per oralem tantummodo traditionem ad posteros fuisse propagatos. Equidem fateor me in ejusmodi sententiam inclinare nondum potuisse; non enim ea vis esse videtur illius argumentis, quæ ad rem statuendam sit satis. Epiphanium is profert scribentem de apostolis: « Iidem mysteriorum auctores atque conditores fuerunt, una cum Jacobo Domini fratre, etc. (*Epiphan. hæres.* LXXIX). » Non ait Epiphanius quæ ab ipsis apostolis facta dictaque fuere in celebrandis divinis mysteriis, litteris etiam fuisse consignata. Ita Pater Le Brun, inani prorsus ratione, cum neque sanctus Epiphanius neget quin constituta ab iis liturgia scripto tradita fuerit, imo veri semper similius sit, quæcunque ordinantur ad successores instruendos, etiam litteris commendari. Justinus Martyr, dum sacrificii incruenti ritus recenset, hæc habet: « Præpositus, quantum pro sua virili potest, preces et gratiarum actiones fundit; et populus fauste acclamat, dicens: Amen (*Justin. mart. apolog.* II). » Cum sacerdos multum, et quousque poterat, oraret, infert inde Le Brun statas et constantes nequaquam fuisse omnes synaxeos preces. Sed minime vis facienda verbis Græci textus ὅσα δύναμις αὐτῷ; nam per ea significari potest quod nos Italice dicimus: *Il sacerdote per la sua parte*, aut, *secondoche a lui appartiene, profferisce le preghiere e i rendimenti di grazie.* Hæc autem non extemporanea, sed jam diu constituta fuisse, merito conjicere possumus, si apostoli, ut vidimus, *mysteriorum conditores* fuere, ut fuerint etiam traditæ ab ipsis obsecrationes et gratiarum actiones, atque istæ ab eorum discipulis observatæ. Tertullianum deinde Le Brun nobis exhibet: « Quæramus an et traditio non scripta non debeat recipi (*Tertul. de Coron. mil. c.* XXVII). » Et sanctum Basilium, qui tradit: « Nos alia quidem habere e doctrina scripto prodita, alia vero nobis in mysterio tradita recipere ex traditione apostolorum, etc. (*Basil. l. de Spir. S. c.* XXVII). » Tum subdit: « Invocationis verba, cum conficitur panis Eucharistiæ, et poculum benedictionis, quis sanctorum in scripto nobis reliquit? » Ex his exculpere se posse arbitratus est idem Le Brun nondum Tertulliani et Basilii ævo litteris fuisse mandatas formulas sacramentorum. Vulgare dogma catholicæ Ecclesiæ semper fuit nos doctrinæ partem alteram accepisse ab apostolis per scripta ab eis Evangelia et Epistolas, alteram vero sine scriptis, et viva voce tantum commendatam discipulis, eorumque successoribus. « Non enim, inquit Basilius, his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus, aut Evangelium; verum alia quoque et ante et post (consecrationem) dicimus, tanquam multum habentia momenti ad mysterium, quæ ex traditione non scripta accepi-

A mus. » Pars ergo liturgiæ, quæ ab apostolis descendebat, quos *sanctorum* nomine Basilius appellat; hanc illi in scripto minime reliquerunt. At hinc minime infertur neminem scriptis postea consignasse quæ apostoli sine scriptis tradidere. Doctrina hæc, etiamsi litteris immissa postea fuerit, adhuc appellabatur traditio sine scriptis, quia revera in apostolorum libris non legebatur; ab iis autem et illam se accepisse Ecclesia firmissime credebat per traditionem majorum, qui apostolorum auditores antea fuerant. Neque plus ponderis habet, quod Le Brun postea subdit, inquiens, cum in Diocletiani persecutione libri sancti Christianorum flammis traderentur, nullam liturgiam memorari, quæ hanc pœnam subierit. Nam, uti Eusebius auctor est, *Scripturas*, qui-

B dem *sanctas*, ἱερὰς γραφὰς (*Euseb. Hist. eccles. l.* VIII, *c.* 2), tradere jussi sunt Christiani, non reliquos religionis, aut sanctorum patrum libros. Optatus itidem Milevitanus: « Instrumenta divinæ legis, instrumenta Deifica, religiosissimas Scripturas », traditas a nonnullis fuisse scribit (*Optat. l.* I), non vero quælibet Christianæ gentis volumina. Sin vero etiam alios Christianorum libros tunc periisse putes (quod Actis martyrum accidisse cardinalis Baronius est arbitratus), cur non idem et sacris liturgiis contigerit?

Nihil ergo profert Pater Le Brun, quo nobis persuadeat nullam liturgiam, aut saltem missæ canonem ante sæculum Christi quintum litteris fuisse consignatum. Contra idem sanctus Justinus potiorem

C illius partem describit, imo neque sibi religioni ducit, producere verba ipsa Domini, quibus consecratio peragitur. Addit etiam: Ἔπειτα ἀνιστάμεθα κοινῇ ἅπαντες, καὶ εὐχὰς πέμπομεν, id est: *Sub hac consurgimus communiter omnes; et precationes profundimus* (*Justin. mart. apolog.* II). Nisi jam constitutæ fuissent sacrificii orationes et preces, quomodo concors in iis recitandis populus perrexisset? Si autem constitutæ, scriptis quoque traditæ fuerint oportet. Idemque dicendum de episcopis et presbyteris sacra facientibus, quibus, ut concordiam servarent in conficiendis divinis mysteriis, opus fuit libellum aliquem precum habere præ oculis; neque enim pro libito eas componere aut mutare cuicunque licebat; neque in tanti momenti orationibus et ritibus memoriæ

D dumtaxat fidere, congruum ac tutum videbatur. Prælaudatus sanctus Basilius, de baptismo loquens, petit: « Jam ter immergi hominem, unde haustum? Reliqua autem, quæ fiunt in baptismo, veluti renuntiare Satanæ et angelis ejus, ex qua Scriptura habemus? Nonne ex minime publicata et arcana hac doctrina, quam Patres nostri silentio quieto minimeque curioso servarunt (*Basil. lib. de Spir. S.*)? » Eo semper Basilii mens recidit, quos nunc habemus ritus sine scripto ab apostolis fuisse ad nos transmissos, non vero quod nefas esset eosdem scriptis tradere ad sacri mysterii usum. Ipsemet Basilius nihil veretur hæc eadem in scripta sua inferre, uti neque Tertullianus, qui scripsit: « Denique ut a baptismate ingrediar, aquam adituri, ibidem, seu et aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu, con-

testamur, nos renuntiare diabolo, et pompæ, et Angelis ejus. Dehinc ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit (*Tertul. l.* I *de coron. mil. c.* 3). » Erant autem olim ritus nonnulli et dogmata quædam sacra, quæ nondum initiatis Ecclesia occultare consuevit, atque in primis Eucharistiæ mysterium; at eadem fidelibus tradere, atque in tabulas referre, sacris ministris nunquam interdictum fuit. Exemplo sit ipse sanctus Basilius. Ab eo compositam fuisse aliquam liturgiam, non solum Græci veteres, sed et ipse Gregorius Nazianzenus, oratione in ejusdem Basilii laudem (*Orat.* xx), agnovere. Hæc ab ipso Nazianzeno Εὐχῶν διατάξεις, *Ordo precum*, appellatur, atque hæc procul dubio longe ante finem sæculi quarti scripta fuerit. Negari etiam nequit quin sanctus Cyrillus Jerosolymitanus liturgiæ partem, non levem, in baptismo et sacra synaxi observatam, circiter annum Christi 347, in Catecheses suas intulerit.

Per eadem ferme tempora in Galliis sanctus Hilarius Pictavorum episcopus, Hieronymo teste, « librum Hymnorum et mysteriorum alium confecit (*Hieron. lib. de Script. eccles.*). » Liturgiæ quoque prolixa documenta habemus in Constitutionibus apostolicis, sub falso Clementis nomine evulgatis, quarum tamen origo saltem ad ipsum pertinet sæculum quartum. Quid plura? Cælestino I, pontifici Romano tribuuntur, et certe sæculo Christi quinto nata sunt, capitula nonnulla de gratia Dei, quæ in conciliorum Collectionibus leguntur. Tantam sacræ liturgiæ antiquitatem deprædicat auctor ille, de canone, ut reor, loquens, ut ad apostolos ipsos eamdem referat. « Obsecrationum quoque, ait, sacramentalium sacramenta respiciamus, quæ ab apostolis tradita, in toto mundo, atque in omni Ecclesia catholica uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex statuat supplicandi. » Tum ex eisdem precibus nonnullas recenset, inquiens: « Sanctarum plebium præsules precantur, ut infidelibus donetur fides; ut idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus; ut Judæis, ablato cordis velamine, lux veritatis appareat; ut hæretici catholicæ fidei perceptione resipiscant, » etc. Si ejusmodi preces in toto mundo atque in omni Ecclesia catholica uniformiter, et quidem ab Apostolorum ævo, celebrabantur, quis unquam credat, sine scripto potuisse hæc celebrari, ac præsules et presbyteros quosque memoria tantum fuisse complexos tot Precum seriem atque apparatum? Sæculo Christi quinto (ut habemus a Gregorio Turonensi (*Lib.* II *Hist. c.* 22) Appollinaris Sidonius, celebris Arvernorum episcopus, « ablato sibi nequiter libello, per quem sacrosancta solemnia agere consueverat, ita paratus a tempore cunctum festivitatis opus explicavit, ut ab omnibus miraretur. » Mirabilis nempe res visa est, episcopum sine libro, et sola memoria fretum, divina peregisse mysteria. Denique audi quid ferant concilii III Carthaginiensis Patres, quod Anno Christi 397 habitum fuit: « Primitiæ vero, seu mel et lac, quod uno A die solemnissimo pro infantum mysterio solet offerri, quamvis in altari offerantur, suam tamen habeant propriam benedictionem; ut a sacramento dominici corporis et sanguinis distinguantur (*Can.* 24). » Quis non videt jam diu benedictiones istas scriptis traditas fuisse? eæ sane e libro, non e memoria arcessendæ erant.

Mirum etiam videatur contendi a Patre Le Brun, per quatuor, aut quinque Ecclesiæ sæcula « Symbolum apostolorum » a nemine exaratum, et memoriæ tantummodo fuisse commendatum. Quam in rem urget sancti Hieronymi adversus errores Joannis Jerosolymitani sequentia verba: « In Symbolo fidei et spei nostræ, quod ab apostolis traditum non scribitur in charta et atramento, sed in tabulis cordis B carnalibus post confessionem Trinitatis, et unitatem Ecclesiæ, omne Christiani dogmatis sacramentum carnis resurrectione concluditur (*Hieron. adv. error. Joan. Jerosol. c.* 7). » Sanctum quoque Augustinum inducit scribentem: « Quotidie dicite apud vos. Symbolum nemo scribit, ut legi possit; sed ad recensendum, ne forte deleat oblivio quod tradidit diligentia. Sit vobis Codex vester memoria (*Aug. de Symb. ad Catech.*). » Hisce locis utitur Le Brun, ut ostendat ad tempora usque Hieronymi et Augustini Symbolum apostolorum papyro ac membranis a nemine commendatum fuisse; sed quidem uni fidelium memoriæ traditum. Oblitus profecto videtur vir doctissimus, Symbolum apostolorum litteris consignatum fuisse a sancto Cyrillo Jerosolymitano, C cujus Catecheses ipse Hieronymus memorat (*Lib. de Script. Eccles.*). » Notum præterea est, a Ruffino Aquileiensi ante Augustini tempora idem Symbolum commentario fuisse illustratum, ipsumque in Actis concilii Nicæni I et Constantinopolitani I conscriptum adhuc legi; neque enim propter additamenta quædam desiit esse Symbolum antea in Ecclesia usitatum. Quænam ergo mens Hieronymo et Augustino fuit? Non alia, nisi Symbolum sub apostolorum nomine evulgatum tanti esse pretii, ut quisque fidelium memoriæ tradere, ac sæpe recitare jubeatur, ipsum in mente potius quam in charta scriptum retinens, ad Judæorum discrimen, qui in tabulis lapideis, atque in phylacteriis chartaceis legem scriptam præferebant, cum hæc cordibus foret D conscribenda. Utitur autem Hieronymus Apostoli verbis: *Manifestati quod epistola estis Christi, ministrata a nobis et scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus* (*II Cor.* III, 3). Quia Corinthii probe tenerent Christianæ legis documenta, in cordibus suis impressa, eos epistolam Christi Paulus appellat. At ista documenta in Codicibus etiam legebantur. Imo Augustinus ipse in loco nuper memorato nos docet Symbolum ipsum litteris commissum fuisse, non ut legendo recitaretur, cum fidelis quisque memoria illud complecti, ac memoriter recitare deberet, sed ut in memoriam ex scripto, si opus esset, revocaretur, hoc enim significat, inquiens, « sed ad recensendum

(id est, ad iterum legendum) ne forte deleat oblivio quod tradidit diligentia. » Ad episcopos Galliarum sanctus Leo I papa epistolam scripserat; en quid ii ad ipsum rescripserint: « Apostolatus vestri scripta, ita ut symbolum fidei quisquis redemptionis sacramenta non negligit, tabulis cordis ascribit, tenaci, quo ad confundendos hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendavit (*Aug. de Symb. ad catech.*). Scripta certe fuit Leonis Magni epistola, sed simul memoriæ commendata ab iis episcopis. Sacramentarium quoque Gelasianum vide, a venerabili cardinale Thomasio editum. Symbolum fidei Græcis verbis scriptum ibi legitur, et nihilominus cathechumenis edicitur: « Intentis itaque animis Symbolum discite; et quod vobis, sicut accepimus, tradimus, non alicui materiæ, quæ corrumpi potest, sed paginis vestri cordis ascribite. » Paria leguntur in Missali Gallicano apud eumdem Thomasium. Quisnam inde inferat, minime exaratum neque exarandum fuisse Symbolum?

CAPUT II.

De Romanæ Ecclesiæ liturgia.

Qualis fuerit quatuor primis Ecclesiæ sæculis Romanæ Ecclesiæ liturgia in sacrificio ineffabili, frustra quæras. Nam quod sanctus Gregorius I papa scripsit, scilicet « morem apostolorum fuisse, ut ad ipsam solummodo orationem Dominicam oblationis hostiam consecrarent (*Lib.* VII, *epist.* 64), » cum sine tabulis ac testibus id ab eo affirmatum fuerit, consensum minime extorquet a nobis. Et præcipue quod aliter senserint antiquiores Ecclesiæ Patres. Quid de hac re sanctus Basilius tradiderit, capite præcedenti vidimus. Accipe nunc, quæ de ipsa Romana Ecclesia anno Christi 416, hoc est, tot ante Gregorium Magnum annos, scripserit Innocentius I summus pontifex: « Si instituta ecclesiastica, ait, ut sunt a beatis apostolis tradita, integra vellent servare Domini sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas in ipsis ordinibus et consecrationibus haberetur (*Epist. ad Decent. Eugub.*). » Addit infra: « Quis enim nesciat, aut non advertat id, quod a principe apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari? » etc. Ut hoc fieret, quis non videt, scripto opus fuisse? Denique ait: « Sæpe dilectionem tuam ad Urbem venisse, ac nobiscum in ecclesia convenisse, et quem morem vel in consecrandis mysteriis, vel in cæteris agendis arcanis teneat, cognovisse, dubium non est » etc. Quæ tunc igitur liturgia missæ in usu erat, ab Apostolis descendisse Innocentio pontifici credebatur: quod et ipsum tamen in tanta latitudine non facile accipiendum est; moris enim fuit eorum temporum ad apostolos referre quæcunque in sacris antiquitatem olebant, neque eorum origo erat perspecta, cum tamen ex iis nonnulla post apostolorum ævum instituta fuisse deprehendantur. Unum nobis pro certo statuendum est, videlicet, quidquid ad substantiam sacramentorum pertinet, in quibus necessaria animarum subsidia, aut præcipua vis ineffabilis sacrificii sita est, ab apostolorum ævo ad nostra usque tempora semper fuisse in universa Ecclesia observatum. Nulla unquam in his discordia fuit inter Latinos et Græcos, aliosque Orientis fideles, et ne nunc quidem habetur, quanquam plerique ex iis a Romanæ Ecclesiæ communione avulsi sint, aut videantur. Semper oblatio, semper consecratio et communio peracta; semper creditum sacra dona realiter converti in pretiosum corpus et sanguinem Domini. Tota ergo varietas ac dissimilitudo non solum inter Orientales et Occidentales, sed et inter ipsas Occidentis Ecclesias, in varietate precum, in diversitate verborum, atque in arbitrariis cæremoniis versata est. Aliis enim ritibus Latini, aliis Græci utebantur in conficiendis sacramentis; et in orationibus ad Deum, intacta tamen eorumdem sacramentorum essentia: quod præcipue in baptismi administratione, et in Eucharistiæ sacramento et sacrificio animadvertere possumus.

Porro notissimum est inter ipsas Occidentis Ecclesias hanc ipsam rituum et precum varietatem olim viguisse; alia enim a Romana fuit Hispanicis et Gothicis liturgia; alia Gallicanis, alia Ambrosianæ Ecclesiæ. Imo cuilibet Ecclesiæ, cuilibet episcopo licuit suam instruere novis orationibus, easque amplificare ac minuere. Sanctis Basilio et Chrysostomo suæ missæ ritus tribuunt Græci, sancto Ambrosio ordinem suarum precum Mediolanensis Ecclesia. A sancto Hilario in Galliis confectum vidimus librum Mysteriorum. A sancto Paulino episcopo Nolano Sacramentarium, et Hymnarium, Gennadio teste, fuisse conscripta circiter annum Christi 412 pariter compertum habemus. Ita et in Hispaniis sapientissimi alii pastores, aut presbyteri, pro sua quisque prudentia ac pietate, sacros ritus composuerunt et exornarunt. Neque hoc improbatum, imo probatum videas a sancto Gregorio Magno Romano pontifice in litteris ad Augustinum Cantuariensem episcopum datis. Interrogatio Augustini hæc fuit: « Cum una sit fides, cur sunt Ecclesiarum consuetudines tam diversæ, et altera consuetudo missarum est in Romana Ecclesia, atque altera in Galliarum Ecclesiis tenetur? » Cui his verbis respondet sanctus Pontifex: « Novit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritam. Sed mihi placet, ut sive in Romana, sive in Gallicana, seu in qualibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas, et in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc in fide nova est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro rebus loca nobis amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, elige; et hæc quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem depone. » Idem e sancto Augustino Hipponensi colligas (*Aug.*, *epist.* 64 *ad Januar. olim* 118), atque a sancto Ambrosio, sive a vetustissimo auctore operis de Sacramentis. Quod plus est, ne ipsa quidem Romana Ecclesia ejusmodi varietatis expers fuit; nam, uti infra monebimus, Leo Magnus pontifex liturgiam

sacram instaurasse videtur. Certe eamdem Gelasius I papa novo ordine donavit; rursus vero idem Gregorius Magnus ad eam formam redegit, quæ subinde semper servata est, exceptis additamentis non paucis festorum atque orationum, quæ subsequentium temporum devotio invexit. At quod est ad canonem, in quo præcipue tremendum sacrificii Mysterium peragitur, nulla in eo unquam facta est novatio; et si quæ levis momenti verba addita fuere a Romanis quibusdam pontificibus, id in eorum Vitiş apud Anastasium collectorem commemoratum fuit. Illustris est in hanc rem Vigilii papæ locus in epistola anno Christi 538 exarata : « Ordinem quoque precum (ita ille scribit) in celebritate missarum nullo nos tempore, nulla festivitate significamus habere divisum; sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare. Quoties vero Paschatis, aut Ascensionis Domini, vel Pentecostes, vel Epiphaniæ, sanctorumque Dei fuerit agenda festivitas, singula capitula diebus apta subjungimus, quibus commemorationem sanctæ solemnitatis, aut eorum facimus, quorum natalitia celebramus; cætera vero ordine consueto prosequimur. Quapropter et ipsius canonicæ precis textum dirigimus subter adjectum, quem Deo propitio ex apostolica traditione suscepimus (*Vigil. pap. epist. ad Eutherium., sive Profuturum.*). » Quæ hic canonicæ preces dicuntur, et ex apostolica traditione proficisci asseruntur, respiciunt unum canonem missæ, qui in omnibus missis idem erat, neque mutationibus obnoxius. Stabiles quoque semper fuere ritus alii in missa, uti lectiones ex Veteri Testamento, aut ex Epistolis apostolorum, atque ex Evangelio, atque aliis, de quibus liturgici scriptores multa tradidere.

Quod nunc cernimus, inter Romanæ Ecclesiæ missam et Græcorum non leve discrimen intercedit. Primis etiam Christianæ fidei sæculis intercessisse videtur; neque enim a Græcis sacros ritus Romani acceperunt, sed ab apostolorum principibus. In substantialibus tamen tam Romana quam reliquæ Christiani orbis Ecclesiæ concordes perrexere semper. Fieri tamen potuit ut ante Gelasium et Gregorium Magnum pontifices quotidiana Romanæ missæ liturgia prolixior foret, quam quæ nostris temporibus usurpatur. In Græcorum missa ante præfationem Orationes dicuntur pro Ecclesia, pro regibus, pro catechumenis, etc. Aliæ etiam adduntur post consecrationem, pro clero, etc. Latinus auctor de Sacramentis, si non Ambrosius, certe vetustissimus atque Italus, ait : « Laudes Deo deferuntur, oratio petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris (*Auct. de Sacr. l.* IV, *c.* 4, *inter Op. Ambros.*). » Nunc in Romana liturgia paucis, et quidem in secreta oratione, papa, episcopus, et reges Deo commendantur. Olim fortasse pro iis rogatum fuit in qualibet missa solemni distinctis orationibus, ut nunc fit in missa feriæ sextæ in Parasceve, quæ missa a nonnullis, mera conjectura utentibus, existimatur omnium antiquissima, quanquam de præsanctificatis confecta. Certe vetustis sæculis præfationes complures in usu fuere. Hasce sanctus Gregorius Magnus ad paucas nunc usitatas redegit. Psalmi etiam integri adhibiti antiquitus, sive cantati in missa fuerunt; idque ex non uno sancti Augustini loco, et ex homiliis sancti Petri Chrysologi constat; verum nostris temporibus versiculus tantummodo ex iis canitur, aut recitatur. Cur autem a sancto Gregorio pontifice breviata fuerit liturgia, id factum suspicari licet ad majus fidelium commodum, atque ut omnes divinis mysteriis interesse possent. Olim quoque multos occupabat cura filiorum, custodia agrorum et bestiarum, servitium dominis præstitum, ut alia impedimenta omittam. Hosce, ut opinari fas est, absterrebat a sacris prolixitas liturgiæ. Idcirco satius visum fuit eamdem contrahere, et præsertim postquam præceptum invaluit de missa audienda singulis Dominicis, aliisque festis solemnibus.

Sed quando Romanam priorum sæculorum liturgiam ostendere non datur, antiquiora saltem illius monumenta et exemplaria prodamus. Ante paucos annos, clarissimus Pater Joseph Blanchinius, Oratorii Romani presbyter, quartum tomum adjiciens Romanorum pontificum Vitis ab Anastasio collectis, et a cl. v. Francisco patruo suo illustratis, opusculum edidit cum hocce titulo : *Codex sacramentorum vetus Romanæ Ecclesiæ, a sancto Leone papa confectus, primum prodit ex ms. libro, ante mille annos conscripto, qui exstat in bibliotheca amplissimi capituli Veronensis.* Egregium sane ac pretiosum venerandæ antiquitatis monumentum, cui par in hoc genere non reperias, utpote quod in eo exhibeatur omnium vetustissima liturgia, quæ Romanæ olim in usu fuit. Dolendum tantummodo quod non integrum opus ad nos pervenerit, cum multa exciderint, et præsertim orationes pro compluribus Dominicis diebus, quæ præcipuum divini cultus patrimonium constituunt. Ad hæc anno Christi 1680 Joseph Maria Thomasius, clericus regularis, postea venerabilis sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis, vir pietate non minus quam doctrina conspicuus, et de sacris litteris optime meritus, libros tres Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ ex insigni Codice Christinæ Suecorum reginæ evulgavit. Contendit ille, et gravibus quidem rationibus adductus, Missalem librum a Gelasio I pontifice circiter annum Christi 494 instauratum, ibi contineri, quanquam fateatur nonnulla fuisse apposita sæculo subsequenti. Nobis denique est Sacramentarium Gregorianum, ordinatum videlicet ab insigni Romanæ Ecclesiæ pontifice Gregorio Magno circiter annum Christi 598. Plura hujus perantiqua exemplaria exarata supersunt. Mihi omnium, ut reor, antiquissimum ex Vaticano Codice suppeditavit prælaudatus Pater Joseph Blanchinius, vir pro virili ad sacras litteras promovendas natus. Tria hæc ergo Sacramentaria ad Romanam Ecclesiam spectantia, in unum conjuncta, producere constitutum mihi fuit, ut sub uno conspectu habeant lectores quidquid in remota antiquitate reliquum est de liturgia Romana. Quod antequam præstem, aliquid præfari juvat de singulis hisce Sacramentariis, et quanto in pretio habenda sint, palam facere.

CAPUT III.

De Sacramentario Leoniano, cui per conjecturam præfixum fuit nomen sancti Leonis Magni.

Editum, ut nuper monui, primum fuit a Patre Blanchinio, et recudendum infra erit Sacramentarium, quod « a sancto Leone papa I » confectum, per conjecturam ipse est opinatus. Quæ de hac re doctiorum virorum sententia foret, exquisivit deinde Blanchinius, eorumque litteras pro suo erga me amore ad me misit. Rescripsit cl. Pater Joseph Augustinus Ursius ordinis Prædicatorum, a secretis congregationis Indicis, sibi minime videri Gelasianum opus Sacramentarium illud, quod venerabilis cardinalis Thomasius edidit, et Gelasio potius tribuendum esse, si quod a Blanchinio evulgatum fuit, altero sine dubitatione vetustius. Cum Gelasianam liturgiam sanctus Gregorius Magnus « multa subtrahens, » contraxerit (ita argumentatur Ursius) atque ad meliorem ordinem redegerit, verba hæc minime cum Thomasiano Codice conveniunt, qui mole sua inferior Gregoriano deprehenditur. Contra notæ hujusmodi recte cadunt in Blanchinianum, qui si integer ad nos pervenisset, longe Gregorianum mole superaret; quæ vero sine ordine in Gelasiano procedunt, ordinem a sancto Gregorio acceperunt. Sed quod potissimum ad hujusmodi quæstionem dirimendam urget idem Ursius, hæc oratio pagina 51 Editionis Blanchinianæ in Leoniano Codice occurrit: *Majestatem tuam, Domine, supplices exoramus, ut anima famuli tui Simplicii episcopi ab omnibus, quæ humanitus attraxit exuta, in sanctorum censeatur sorte pastorum.* Post sanctum Leonem Simplicius Romanæ Ecclesiæ præfuit, et vita functus est anno Christi 483. Ergo Leonem Magnum nequaquam Collectio ista habere potuit. Rursus cum hæc, post mortem Simplicii statuenda sit, ad Gelasiana tempora referendus Codex videtur; nam Gelasius anno Christi 492 renuntiatus fuit Romanus pontifex. Ad controversiam hanc dijudicandam accessit etiam cl. v. Eusebius Amort ecclesiæ collegiatæ ad sanctam Crucem Pollingæ in Superiori Bavaria canonicus regularis, et sacræ theologiæ professor. En ejus sententiam: Sacramentarium istud « non est opus unius alicujus pontificis, sed est Sacramentarium Romanorum pontificum, usu receptum primis temporibus, auctum tamen et interpolatum per varios pontifices usque ad tempora Gelasii papæ. Specialiter in hoc Sacramentario agnoscuntur manus Sixti III, Leonis I et Felicis III. » Quæ omnia is erudite persequitur, et subacto judicio consentire cum sua sententia ostendit. Utraque sane opinio laudanda, atque inter utramque ego, sed titubante gressu, procedam; cum enim conjecturis tantum esse hic locus possit, nulla neque ab iis, neque a me inconcussa in omnibus sententia est exspectanda.

Itaque primo veri prorsus simile videtur, in liturgicum hoc ærarium illatas fuisse preces et obsecrationes quæ per prima quinque religionis Christianæ sæcula in usu fuerunt Romanæ Ecclesiæ, ac reperiri potuerunt: tanta est earum copia atque varietas. Quippe ad primi, secundi, tertii sæculi preces additamenta identidem facta fuerunt, prout sanctissimis pontificibus videbatur magis idoneum ad augendam sacramentorum venerationem, populique Christiani devotionem. Quarto autem et quinto sæculo potior orationum adjectio, uti suspicari licet, facta fuerit. Atque ubi conjectura hæc vim habeat, jam intelligimus quanti faciendum sit Sacramentarium istud, in quo videlicet pietatis Christianæ professio et supplicationes contineantur, primis illis Ecclesiæ temporibus usitatæ. Inter ejusmodi orationes, sensim ad sacra mysteria adjectas, eæ dignosci facile possunt, quæ sæculo III, quæ IV, quæ V originem suam debent. Nam quoties novæ hæreses emergebant, atque in conciliis orthodoxis damnabantur, curabant etiam doctissimi et piissimi pontifices ut in concionibus et sacris precibus germana Ecclesiæ doctrina proponeretur, et populi catholicis auribus ac mentibus sæpius inculcaretur. Hinc natæ pro temporum varietate complures orationes et præfationes, quibus configebantur hæreses Manetis, Sabellii, Pauli Samosateni, Arii, Apollinaris, Macedonii, Pelagii, Nestorii, et Eutychetis. In Blanchiniano Sacramentario passim prostant hujus veritatis documenta. Sed quinam fuerint singularium ejusmodi additamentorum auctores, indicare, eoque minus decernere, nemo nunc potest. Certe quin Romanis pontificibus tribuenda sint quæcunque in prælaudato Sacramentario occurrunt, negare quisquam non ausit; hunc enim Codicem in usu Ecclesiæ Romanæ fuisse, evidentissime agnoscimus. In festo sanctorum martyrum Pauli et Joannis ad missam 5 legitur: *Nobis contulisti, ut non solum passionibus martyrum Urbis istius ambitum coronares, sed etiam in ipsis visceribus civitatis Joannis et Pauli victricia membra reconderes.* Et in festo sancti Laurentii ad missam 5: *Quamvis sanctorum tuorum toto orbe clara sit gloria, de beati tamen solemnitate Laurentii præ cæteris Roma lætatur.* Atque eodem Sacramentario Romanos ipsos pontifices usos fuisse, multa apertissime evincunt. In festo apostolorum Petri et Pauli, num. 20, Præfatio hæc verba exhibet: *Qui ut hanc sedem regimen Ecclesiæ totius efficeres, et quod hæc prædicasset, ostenderes ubique servandum, simul in ea et apostolicæ principem dignitatis, et magistrum gentium collocasti.* In natali episcoporum, num. 5: *Qui licet Ecclesiam tuam, toto terrarum orbe diffusam, largitate munerum ditare non desinis, sedem tamen beati apostoli tui Petri tanto propensius intueris, quanto sublimius esse voluisti; da mihi famulo tuo hujus providentiæ tuæ dispositionibus exhibere congruenter officium,* etc. Hæc sapiunt sancti Leonis I doctrinam. Alia id genus prætereo. Pro usu quoque Romanæ Ecclesiæ concinnatam fuisse Collectionem istam, ediscimus ex cœmeteriis, aliisque sanctis locis æternæ Urbis, ubi festa olim celebrabantur, atque stationes. Ibi enim pridie Kalendas Octobris recensetur « natale basilicæ Angeli in Sa-

laria. » Tum alibi : « natale sancti Stephani in cœmeterio Callisti; et Felicissimi et Agapiti in cœmeterio Prætextati via Appia. » Et « sexto Iduum Juliarum » de filiis sanctæ Felicitatis habentur hæc : « Natale sanctorum Felicis, Philippi, in cœmeterio Priscillæ; Vitalis, et Martialis, et Alexandri, in cœmeterio Jordanorum; et Silani in cœmeterio Maximi, via Salaria; et Januarii in cœmeterio Prætextati via Appia. » Hæc miram antiquitatem olent.

Secundo ubi quæratur quis hujus Sacramentarii auctor sive consarcinator fuerit, nuper memoratus Pater Blanchinius, cui thesaurum hunc debemus, continuo occurrit, inquiens, nomine sancti Leonis I videri illud inscribendum. Et profecto non paucis conjecturis, iisque gravissimis, ejus opinio nititur. Etiamsi ex Joanne Diacono didicerimus a sanctis duntaxat pontificibus Gelasio et Gregorio I elaborata fuisse Sacramentaria ad usum Romanæ Ecclesiæ (*Joan. Diac. in Vit. S. Greg. M.*), attamen etiam ante Gelasium Romanis pontificibus sua procul dubio fuit liturgia, atque ad eam exornandam et amplificandam facile suam opem contulerit sanctus Leo Magnus bene de religione tot aliis in rebus meritus, et singulari eloquentia præditus. Et revera vetustus auctor libri, cui titulus : *Gemma animæ*, scribit : « *Orate pro me peccatore*, Leo papa dici statuit. Hic et præfationes composuit (*Auctor Gem. anim.*, c. 49). » Tum addit : « Leo papa apposuit (canoni) *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam* (*Idem*, c. 90); » quod et in Romanorum pontificum Vitis legitur apud Anastasium Bibliothecarium. Infra ait : « *Benedicamus Domino*, acceptum est de Psalterio. *Deo gratias*, de Apostolo. Sed hæc dici constituit Leo papa. » Ad hæc Quesnellius adnotat : « Qui Pontificale Missaleque Romanum paulo attentius legerit, haud difficile deprehendet plurima hic inserta legi, quæ Leoninam phrasim dictionemque omnino redolent, ut dubium apud me non sit magnam eorum partem, quæ vel in officiis ecclesiasticis, antiquarum præsertim solemnitatum, Paschæ puta et Pentecostes, recitantur, a sanctissimo pontifice Leone I fuisse composita vel restituta. Inter hæc numerandæ mihi videntur præfationes, quæ canoni missæ præmittuntur, nec non et aliæ duæ, quas habet Pontificale Romanum, altera in episcopi consecratione, altera in ordinatione presbyteri (*Quesn. t. I Ed. op. S. Leon. ad serm.* 96), » etc. Neque alia mens fuit cardinali Thomasio, scribenti : « Quod nolim, integrum Gelasio ascribas, sed Leoni Magno ex parte, ejusque prædecessoribus Romanis episcopis. Nec immerito; cœperam enim Leoninas phrases sententiasque cum hoc Codice conferre; et inveni, nedum stylum, sed ipsissima verba Leonis hic recitari; et hinc certior factus, paulo certius hoc asserere non dubito (*Card. Thom. in præf. ad Sacram Gelas.*). » Quæ eminentissimus Thomasius scribit, facile foret exemplis plurimis confirmare; eloquentia enim sancti Leonis, ejusque elegans stylus in oculos incurrit tam in ejus sermonibus et epistolis, quam in Blanchiniano Sacramentario. Unum tantummodo et alterum exemplum proferam. In sermone primo de Jejunio Pentecostes hæc habet sanctus pontifex : « Hi itaque doctores et tirocinium militiæ Christianæ sanctis jejuniis inchoarunt, ut, contra spiritales nequitias pugnaturi, abstinentiæ arma caperent. » In Sacramentario ad jejunium quarti mensis hæc repetuntur : *Concede nobis, Domine, præsidia militiæ Christianæ sanctis inchoare jejuniis, ut, contra spiritales nequitias pugnaturi, continentiæ muniamur auxiliis.* Infra in eodem sermone sanctus Leo addit : « Igitur post sanctæ dies lætitiæ, quos in honorem Domini a mortuis resurgentis, ac deinde in cœlos ascendentis exegimus, postque perceptum sancti Spiritus donum, salubriter et necessarie consuetudo est ordinata, ut si quid forte inter ipsa festivitatum gaudia negligens libertas et licentia inordinata præsumpsit, hoc religiosæ abstinentiæ censura castiget. Quæ ob hoc quoque studiosius exsequenda est, ut illa in nobis, quæ hac die Ecclesiæ sunt collata, permaneant. » At in Sacramentario ad idem jejunium quinti mensis præfatio eadem sensa, totidemque ferme verbis, exhibet : *Vere dignum. Post illos enim lætitiæ dies, quos in honorem Domini a mortuis resurgentis, ac in cœlos ascendentis, exegimus, postque perceptum sancti Spiritus donum, necessarie nobis hæc jejunia sancta provisa sunt, ut pura conversatione viventibus, quæ divinitus sunt collata permaneant.* Ita in sermone 76 ista leguntur : « Solemne jejunium, quod animis corporibusque curandis salubriter institutum, devota nobis est observantia celebrandum. » Eadem occurrunt in Sacramentario ad jejunium quarti mensis : *Adesto, Domine, supplicationibus nostris, ut hoc solemne jejunium, quod animabus corporibusque curandis salubriter institutum est, devoto servitio celebremus.*

Possit quidem quisquam contendere hujusmodi orationes ac præfationes expressas fuisse e sancti Leonis sermonibus per aliquem ex subsecutis pontificibus, puta a sancto Gelasio, Sacramentarii instaurati auctore. Sed æquius est arbitrari eas ad ipsum Leonem Magnum esse referendas, qui utrobique tam in sermonibus, quam in concinnandis sacris precibus, phrasibus ac sensis sibi familiaribus usus fuerit. Neque hujus opinionis fundamenta nutant, quod Simplicii pontificis nomen sese hic intulerit; conjicere enim quisquam potest, a librario Leonianum opus exscribente pro *Silvestri* nomine, improvide substitutum fuisse *Simplicii* nomen. Accedit, quod multa in hoc Sacramentario comprehensa ad conditionem temporum, quibus sanctus Leo cathedram apostolicam tenuit, spectare omnino videantur. Norunt eruditi, sub eo pontifice contigisse immanem Attilæ irruptionem in Italiam, cujus immensus exercitus postremum Urbi trepidanti exitium minabatur; tum anno Chr. 455 eamdem urbem a Genserico Vandalorum rege captam, atque direptam. In utroque eventu miserentis Dei manus super Romanos effulsit, tum quod Attilam crudelissimum vastatorem urbium compescuit, ne Romam victor pergeret; tum

quod Gensericum a capta neque tamen vastata Urbe tam cito removit. Miserrima hujusmodi tempora delineata in Sacramentario videntur. In jejunio quarti mensis, num. 11, oratio hæc legitur : *Deus, qui vastatoris antiqui perfidiam virtute Filii tui et sancti Spiritus destruendo, dedisti nobis de captivitate victoriam, concede, quæsumus, ut qui nos impetere moliuntur, potentiæ tuæ dextera conterantur.* Mense Julio, num. 28 : *Munera nomini tuo, Domine, cum gratiarum actione deferimus, qui nos, ab infestis hostibus liberatos, paschale sacramentum placida tribuis mente suscipere.* In præfatione : *Ut sic vitia nostra depellas, sicut corporum ferales exstinguis inimicos, nec captivitatem quam extrinsecus submovisti, sustinere nos patiaris internam.* Supra quoque habetur : *Agnoscimus ad peccatorum merita pertinere ut servorum tuorum labore quæsita sub conspectu nostro manibus diripiantur alienis, et quæ desudantibus famulis nasci tribuis, ab hostibus patiaris absumi,* etc. *Supplices exoramus, ut ab omni mortalitatis incursu continuata miseratione nos protegas.* Sunt et alia loca, quæ prætermitto, indicantia, gravibus pressuris tunc populum Romanum obnoxium fuisse, quod certe Leonis Magni temporibus contigit. Audi quid ipse sanctus pontifex dicat : « Quis hanc Urbem reformavit saluti? quis a captivitate eruit? quis a cæde defendit? Ludus Circensium, an cura sanctorum? Quorum utique precibus divinæ censuræ flexa sententia est, ut qui merebamur iram, servaremur ad veniam. » Infra subdit : « Revertimini ad Dominum, intelligentes mirabilia quæ in nobis dignatus est operari; et liberationem nostram, non sicut opinantur impii, stellarum affectibus, sed ineffabili omnipotentis Dei misericordiæ deputantes, qui corda furentium Barbarorum mitigare dignatus est (*S. Leo, serm.* 81, *in octav. Apost.*). » Quare tandem intelligas, justas Blanchinio adfuisse causas tribuendi sancto Leoni editum a se Sacramentarium.

Tertio, ista nihilominus certi aliquid nobis præbere non possunt; et quicunque reliqua monumenta expendat, rem adhuc dubiam fateri cogatur. Si, quod ego suspicor, proferre licet, veri mihi videtur similius collectionem hanc post tempora sancti Leonis ab aliquo consarcinatam fuisse; quascunque reperit orationes et præfationes, ab ipso sancto Leone ejusque prædecessoribus Romanis pontificibus compositas, in unum Codicem coegit, et quidem sine accurato illo delectu, ac sine exquisito ordine, quem rei gravitas exposcebat. Fas mihi sit et alteram addere conjecturam. A Gelasio papa, aut sub ipso Gelasio eadem collectio fieri potuit, inclinante ad finem sæculo Christi quinto; veri tamen similius videatur id potius sub Felice III pontifice contigisse, qui Gelasio proxime præivit. En quæ me ad hujusmodi opinionem adduxere. Mense Julio, num. 18, hæc in præfatione occurrunt : *Qui nos doces illorum jugiter relaxare, qui nobis adversantur, offensas, sic dissimulare culpas, ut sub specie gratiæ nocere cupientium declinemus, in qua student perseverare, malitiam. Tu etenim, Domine, nos munere vis similitudine columbarum, et astutos fieri more serpentium, non utique ut cuiquam noxii simus, sed ut sollicite dolos caveamus alienos. Ita mites ad omnes esse nos jubes, ut pariter corripere præcipias inquietos; longe aliud quippe est contumeliam præterire; aliud, ne per improvidam benignitatem capiamur, intendere. Quoniam et tua clementia ea lege nostros resolvit errores, ut nos denuo, ne deteriora subeamus, errare prohibeas; nec sibi quispiam aut non cessum judicet fuisse delictum, aut læsum se fortassis existimet, si facultas eidem potius subtrahatur lædendi, cum hoc ipso magnum beneficium talibus conferatur, ut mali esse dediscant vel impossibilitate peccandi.* Qui hæc attente perpendat, duo inde manifeste colligit : scilicet hanc præfationem a Romano quopiam pontifice elucubratam, qui potentem aliquem aut aliquos inimicos, calumniatores, sive insidiatores, passus fuerat, a quibus adhuc sibi timebat. Respicere hæc possunt schisma contra Damasum papam ab Ursicino excitatum anno Christi 367. Referenda tamen potius sunt ad schisma Eulalii anno 419 contra Bonifacium I papam, aut ad Bassi exconsulis accusationes anno 433 adversus Sixtum III pontificem conflatas, de quibus Vitæ Romanorum pontificum aliaque monumenta fidem faciunt, Pagio tamen reclamante, ac rem in dubium revocante. Neque enim hic agi videtur de schismate Symmachi et Laurentii, quod sæculo subsequenti accidit. Alterum est, hæc minime consentire cum Leonis I pontificis vita, moribus ac rebus gestis, erga quem perpetuus fuit amor et obsequium cleri et populi Romani. Neque illum excogitare licet hujusmodi præfationis auctorem, cum adversus tantum virum nullus unquam domesticus hostis insurrexerit, sive insidias struxerit. Imo improvide eadem præfatio in collectionem hanc illata videtur; quæ usui quidem fuerit alicui Romano pontifici in privata quapiam contentione suis cum æmulis, at locum subinde habitura non erat in Sacramentario, quod in usum subsequentis Ecclesiæ fuisset efformatum.

Post eamdem præfationem alia subsequuntur non absimilia. *Deus, qui prudentem sinceramque concordiam tuorum cordibus inesse voluisti, da nobis legitimæ dilectionis tenere mensuram, ut qui a justæ pacis puritate dissentiunt, in nobis tamen quod merito debeant lacerare, non inveniant.* Ibidem, in missa 8 : *Comprime, Domine, quæsumus, os iniqua loquentium, et eos qui nos moliuntur insimulare confuta.* In præfatione : *Qui famulos tuos informare digneris, ut non tam nos exagitet inepta laceratio superborum, quam potius moveat miseratio lacerantium.* In missa 3 hæc animadvertenda occurrunt : *Nihil ergo juvat eos qui dedecora sua notasque non cernunt; et quia ipsi se non vident, æstimant nec se ab aliis videri. Cum enim clamat Apostolus : « Quæ secundum faciem sunt, videte, » quemadmodum se celare posse confidunt, qui, sicut scriptum est, per dulces sermones suos seducentes corda fallacia, et (sicut Evangelium ait) Christum in cubili requirentes, palam manifesteque declarant quid et dictis exsequantur et factis? Nec eos fulcit aut munit, quia ut se valere contendant, volumina divina percur-*

runt: cum per hæc ipsi potius improvos mores suos et profiteantur et damnent; nescientes quod traduntur in reprobum sensum, ut faciant quæ non conveniunt, etc. Graviora habes in missa 20, mense Julio, ubi hæc præfatio: *Qui cœlestibus disciplinis ex omni parte nos instruens, qualiter a fidelibus tuis falsos fratres discerneremus*, etc. *De his sunt enim inflati sensu carnis suæ; de his sunt qui, terrena sapientes, ideo deprecantium te verba fastidiunt, quia animales atque carnales, quæ sunt spiritus Dei, stulta mente non capiunt. De his sunt qui, reprobi circa fidem, quam nescientes et quæ loquantur, neque de quibus affirment, sæpe subvertere conati sunt. De his sunt subdoli operarii qui introeunt explorare Ecclesiæ libertatem quam habet in Christo, ut eam secum in turpem redigant servitutem. De his sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas* B *oneratas peccatis, non solum viduarum facultates, sed devorantes etiam maritarum. Isti nec justos appetunt se videri, nec saltem deforis sunt vel dealbati vel loti, sed palam pudore calcato, de pravis conversationibus suis etiam gloriantur; et domi forisque spurcitiam contrahentes, non tam referti sunt ossibus mortuorum, quam magis ipsi sunt mortui*, etc. *Isti non solum ad tui gratiam venientes sui fœditate deterrent, sed etiam intrinsecus fratribus constitutis, pro quibus Christus est mortuus, offendiculum suæ perversitatis opponunt. Tales cavere nos jubes*, etc. Hæc sane longiuscula, sed non dissimulanda. Equidem quo sæpius ipsa considero, persuadere mihi non possum, eadem a quoquam Romanorum pontificum, nedum a prudentioribus, in sacram liturgiam fuisse illata. In concionibus quidem C atque in epistolis hæc ferantur, hæc laudentur. Verum atrox hujusmodi censura adversus privatos homines male sedet in divinis mysteriis, neque cum eorum majestate, mansuetudine et modestia, componi facile possit. Si ejusmodi præfationes ab aliquo privato homine, aut a pontifice quopiam, pro aliqua singulari necessitate compositæ fuerunt, dignæ certe non erant quæ in publica et communi liturgia conservarentur. Doctissimus quidam vir in litteris, ad Patrem Blanchinium datis, hæc interpretatur de Manichæis sub sancto Leone detectis. Addere is poterat, et sub sancto Gelasio. In iis tamen præfationibus agi non de hæreticis, quos sanctus Leo acerrima eloquentia exagitat (*Serm.* 33, 41; *epist.* 8 *ad episc. Ital.*), sed quidem de *fratribus*, quorum corrupti mores graphice D pinguntur omnino evidens quisque fateatur. In eorum quoque consortio ecclesiasticos quosdam saltem viros non defuisse, ex adductis verbis non difficile colligas. Quod si in Gelasianum Sacramentarium aliqua ex istis irrepsere, nullum tamen ibi excessum deprehendas.

Accipe nunc quare mihi visa fuerit liturgia hæc consarcinata temporibus potius Felicis III, papæ, quam Gelasii successoris. Jam supra vidimus preces Deo oblatas fuisse in Sacramentario hoc pro anima famuli Simplicii episcopi. Vitiatum eum locum a librario suspicari fas est. Nam cur cum festo sancti Silvestri conjungitur emortualis dies Simplicii pontificis, qui, ut habetur in Vitis Romanorum pontificum A ab Anastasio collectis, « vi Nonas Martias » sepulturæ traditus fuit? Cur geminæ orationes ibi in honorem « sancti Silvestri exhibentur, » tertia vero, quæ ad ipsum quoque referenda pro more erat, de Simplicio episcopo agit? Conjicere possumus tres orationes in honorem sancti Silvestri fuisse positas in Codice, et post eam missam successisse alteram in depositione Simplicii pontificis: librarium vero, dum istam Collectionem exscriberet, incaute ex una per saltum transiliisse in alteram. Attamen hæc ipsa papæ Simplicii mentio Collectionis hujus tempus posse innuere videtur. In Romana Ecclesia perdurat adhuc mos ut pontificis ultimo vita functi annuum funus habeatur. Si Gelasius hujusmodi liturgiam concinnasset, cur Simplicii, et non potius Felicis III papæ prædecessoris sui nomen posuisset? Hæc autem adnotatio verum tempus indicare videtur, et præsertim quod cum eo consentiant, quæ supra animadvertimus. Sedente sancto Leone I, quot turbines passa fuerit Romana civitas, jam vidimus, et propterea illius ævo multa quæ hic continentur congruere demonstratum est. At commode etiam direptiones illæ, majoraque impendentia pericula, et subsecuta liberatio, ad Felicis III pontificatum spectare possunt. Eo quippe tempore inter Barbaros, hoc est inter Odoacrem regem ac Theodericum Gothorum ducem, postea regem, atrox bellum viguit, et de Romæ totiusque Italiæ imperio disputatum fuit: plerique non potuit quin Romanus ager gravissima subierit incommoda, grandisque trepidatio Urbem concusserit, quam tamen miseratio divina excussit. Mense Julio, ad missam 12, oratio ista occurrit: *Auxiliare, Domine, temporibus nostris, ut tua nos ubique dextera protegat, et religionis integritas, et Romani nominis securitas reparata consistat.* Paganorum colluviem Odoacer, Gothos Arianam gentem Theodoricus in Italiam invexere. Horum causa et religioni et Urbi sub Felice III papa timebatur. Sub Gelasio autem pontifice pacata omnia fuerunt Romæ, ita ut rectius ad ejusdem Felicis III tempora referenda hæc videantur.

Præterea animadvertas velim preces ad Deum in isto Sacramentario, uti mos poscebat, pro dominantibus Romæ fundi. En quibus verbis. Mense Julio, ad missam 25: *Protege, quæsumus, Domine, Romani nominis ubique rectores.* Ad missam 34: *Romanis auxiliare principibus.* Mense Augusto, ad missam 45: *Romani nominis defende Rectores.* In Gelasiano quoque Sacramentario ista habentur. Cur nusquam imperatorum sive Augustorum nomen adhibetur? Ea, ut videtur, ratione, quod primo Odoacer, tum Theodoricus, Urbi sunt dominati, uterque regis nomine contentus, et neuter imperatoris aut Augusti appellationem usurpare ausus. Imo Græcos Augustos, uti supremos Urbis dominos uterque, æque ac populus Romanus, venerabantur. Quamobrem Romana liturgia eo tempore tam pro barbaricis regibus quam pro imperatoribus deprecatura, *rectores Romani nominis*, aut *Romanos principes*, apto utrisque dominatoribus vocabulo, in suis precibus appellare consuevit. Denique recolenda sunt quæ in Sacramentario

isto ad missam quartam mense Septembri in natali episcoporum occurrunt. Ibi hæc præfatio : *Aptius siquidem atque decentius his diebus episcopalis officii suscepta principia celebramus, quibus et Ecclesiæ totius observantia devota concurrit ; et ipsius, cui sacerdotale ministerium deputatum, natalis colitur sacramenti ; dumque, restrictius castigatiusque viventes, in summi pontificis proficiendo membra transferimur, adeptum temporalem hunc honorem, potius fieri speramus æternum.* Subsequitur oratio*: Præsta, Domine, quæsumus, ut de nostræ gaudeamus provectionis augmento, et de congruo sacramenti paschalis obsequio.* Paria habes in subsequenti missa. Ex his autem evidenter colligitur, cum tempore et jejunio quadragesimali, quod nomine *observantiæ* et *observationis* novimus donatum in Gelasiana et Gregoriana liturgia, concurrisse diem natalem, hoc est, anniversarium diem ordinationis, sive consecrationis Romani illius episcopi, sive *sacerdotis* (hoc enim quoque nomine tunc designabantur episcopi) qui Sacramentarii hujus consarcinator dicendus est, aut sub quo idem concinnatum fuit. Quam vellem hæc sancto Leoni Magno pontifici possent aptari ! Verum si cardinalem Baronium audimus, Leo I ordinatus est summus pontifex post Pascha anni 440, id est, die decima mensis maii ; si Papebrochium, die octava Septembris ; si Pagium, die vigesima secunda ejusdem Septembris. Quare ex hisce rationibus Leonem exclusum vides. Contra, qui Gelasium auctorem Sacramentarii istius opinantur, consentientem habent Codicem ipsum, cum is ordinatus fuerit pontifex Kalendis Martiis, anno Christi 492, adeoque Dominica secunda Quadragesimæ, cum anno illo Pascha in diem *quintam Aprilis* inciderit, non vero in diem *septimum Aprilis*, ut ex oscitantia typographorum legitur in Critica Baroniana Pagii. Sed quando visum potius fuerit pertinere Sacramentarium hoc ad tempora Felicis III papæ, a systemate hoc non dissentit illius consecratio. Testibus enim Anastasio, Pagio, aliisque scriptoribus, a quibus biduo tantum cardinalis Baronius differt ; consecratus fuit Romanus pontifex idem Felix III anno Christi 483, die sexta Martii. Et cum eo anno celebratum sit Pascha die decima Aprilis, natalis quoque ejusdem papæ incurrerit oportet in Dominicam secundam Quadragesimæ.

Reliquum igitur est, si hisce conjecturis fidendum sit, ut ad sancti Felicis III tempora referendum videatur Sacramentarium istud. Fueritne autem illius conditor ipse pontifex, an quisquam alius, decernere quis unquam sibi sumat? Potuit aliquis in unum compingere, quæ ex variis tunc Sacramentariis seligenda censuit, et Romanum vetus novis onerare mercibus. Certe non hic is ordo, atque accuratus rerum delectus apparet, qui ejusdem ædificium alicujus Romani pontificis prudentiæ sine ulla dubitatione tribuendum persuadeat. Nempe in eo desideratur exacta temporum connexio, et distributio festorum. Mense Septembri missam sancti Petri apostoli, missam quoque sancti Laurentii habes. Ad Septembrem fit invitatio plebis in jejunio mensis decimi. Missæ de vigilia confusæ sunt interdum cum missis de festo. Aliquando præfationes sine præviis et subsequentibus orationibus ponuntur. Julio mense variæ congeruntur missæ in jejunio, atque orationes et preces diurnæ ; tum paucæ quædam orationes matutinæ et vespertinæ. Subsequuntur preces diurnæ cum sensibus necessariis, et aliæ missæ in jejunio. Hic grandis congeries et confusio missarum et orationum, neque præscriptum quibus diebus earum usus futurus esset. Uno verbo, videtur collector quidquid sibi occurrebat descripsisse, sed non eam, quæ par erat, dispositionem et ordinem curæ ipsi fuisse. Ei tamen vitio ne vertas quod hic nulla Quadragesimæ, Paschatis, et Dominicarum recurrentium per annum, mentio fiat ; neque enim integrum ad nos pervenit Sacramentarium istud, mutilum nempe in principio et fine. Et nihilominus sparsas ibi reperimus non paucas Dominicarum ipsarum orationes, quæ omnium vetustissimæ in liturgia censendæ sunt. Interea, utcunque de Sacramentarii ipsius auctore statuas, repetendum hic est, pretiosum eximiumque nos in eo habere promptuarium sacræ antiquitatis, et Romanæ liturgiæ ; nullumque alium liturgicum Codicem Occidentalis aut Orientalis Ecclesiæ superesse, qui ad tantam vetustatem accedat. Ex Latinis enim et Græcis liturgiis, nobis notis, et nomina sanctorum Jacobi, Basilii, Ambrosii, Chrysostomi, Gelasii, aliorumque Patrum præferentibus, nullam ostendas, in quam sensim non irrepserint additamenta aliqua subsequentis ævi. At hic præter millenariam originem Veronensis Codicis, a Patre Blanchinio, hujusmodi rerum æstimatore idoneo, firmatam, nihil offendis quod cum quinti sæculi conditione atque eruditione non consentiat. Imo adsunt quæ singularem illius antiquitatem apertissime produnt.

In Pentecosten ascendentibus de fonte hæc benedictio legitur : *Benedic, Domine, et has tuas creaturas fontis, mellis, et lactis ; et pota famulos tuos ex hoc fonte aquæ vivæ perennis, qui es Spiritus veritatis, et enutri eos de hoc lacte, et melle, quemadmodum patribus nostris Abraham, Isaac, et Jacob... introducere te eos in terram promissionis, terram fluentem melle et lacte. Conjunge ergo famulos tuos, Domine, Spiritui sancto, sicut conjunctum est hoc mel et lac, quo cœlestis terrenæque substantiæ significatur unitio in Christo*, etc. Hæc, inquam, remotiorum sæculorum post Christum vestigia sunt ; primis enim Ecclesiæ sæculis in more fuit infantibus e sacro lavacro egressis lac et mel degustanda porrigere, veluti sacra symbola quibus significabatur eorum ingressus in sortem filiorum Dei, velut in terram promissionis lacte et melle fluentem. Hujus moris, imo et orationis, mentionem supra vidimus factam in concilio Carthaginiensi ; quod habitum fuit anno Chr. 397. Sanctus autem Hieronymus circiter eadem tempora scribebat : « Multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt, velut in lavacro ter caput mergitare, deinde egressos lactis et mellis prægustare concordiam (*Hieron. dial. adv. Lucif.*). » Sed et ejusce ritus sæculo Christi secundo testem ha-

hemus Tertullianum, dum et ipse ad traditionem A provocans, de baptismo agit : « Ter mergitamur, inquit, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde suscepti, lactis et mellis concordiam prægustamus (*Tertul.*, *de Coron.*, *mil.*, *c.* 3). » Adversus Marcionem (*Lib.* I) commemorat « Mellis et lactis societatem, qua Creator suos infantat. » Alicui mirum videatur a prælaudato Hieronymo alibi scribi, non lactis et mellis, sed « vini et lactis, » concordiam recens baptizatis fuisse exhibitam (*Hieron. comment. in cap.* LV, *Isai.*) : « Qui mos, ait, ac typus in Occidentis Ecclesiis hodie usque servatur, ut renatis in Christo vinum lacque tribuatur. » Suspicari quis possit a librario pro mellis scriptum fuisse vini. Sed animadvertendum Clementem Alexandrinum, postquam lactis et mellis mistionem B in baptismo agnovit, hæc addere : « Miscetur quoque lac vino (*Clem. Alex. l.* I, *c.* 6, *Pædagog.*), etc., » quanquam hæc non satis aperte ab baptismum referat. Cæterum perdurat adhuc ritus iste in Æthiopicis Ecclesiis, ibique baptizatis lac et mel præbetur. Verum in Occidentalibus Ecclesiis desiisse hunc ritum post sæculum Christi quintum, conjicere possumus ex antiquorum silentio. Nullum enim illius vestigium superest in Sacramentariis Gelasiano et Gregoriano, uti neque in vetustissimis Ordinibus Romanis a Mabillonio editis.

Occurrit quidem oratio hæc in antiquissimo Ordine Romano de divinis officiis, quem Melchior Hittorpius anno 1568 evulgavit, sed ad diem sacrum Resurrectionis Domini, et sine ulla mentione ritus porrigendi lactis et mellis recens baptizatis. Est et ibi benedictio agni in Pascha, et benedictio aliarum carnium, tum benedictio lactis et mellis. Dissimulare tamen nolim, cl. Patrem Martene censuisse usque ad sæculum nonum perseverasse in Occidente ritum hunc exhibendi neophytis lac et mel (*Marten. t. I*, *c.* 1, *art.* 15, *de antiq. Eccles. ritib.*). Joannes enim Diaconus, in epistola ad Senarium, edita a Mabillonio, sciscitantem inducit : « Cur in sanctissimum calicem lac mittatur et mel, et Paschæ Sabbato cum sacrificiis offeratur (*Tom. I Musæi Ital.*). » Diligenter animadverte, qualis foret Joannis istius Diaconi tempore mos. Non enim lac et mel seorsim benedicebantur, ut est in Leoniano Sacramentario, sed una cum vino mista offerebantur. Respondet Joannes Diaconus : « Baptizatis hoc sacramenti genus offerri, uti intelligant, quia non alii, sed ipsi, qui participes fiunt corporis et sanguinis Domini, terram repromissionis accipient, cujus iter inchoantes, tanquam parvuli, lacte nutriuntur et melle. » Hic autem assentiri non possum doctissimis viris Mabillonio et Martene, dum epistolam hanc tribuunt Joanni illi Diacono, qui sæculo Christi nono ex Vita Gregorii Magni aliisque libris non mediocrem nominis celebritatem sibi conquisivit. Num in Romana Ecclesia unus fuit Joannes Diaconus? Intellexissent ii longe nimis vetustiorem fuisse altero illo auctorem epistolæ hujus, si quæ idem scribit de confirmatione per presbyteros collata, attentius animadvertissent. En ejus verba : « Sed nec illud tangat animum, quod sibi aliquando quædam vis necessitatis assumit, veluti (quod nunc per Africam fieri dicitur) ut presbyteri sanctum chrisma conficiant ; quod merito moveret, si istam pontificalis auctoritas licentiam non dedisset. » Sæculo Christi nono excisa omnino erat in Africa Christiana religio, circumquaque ibi diffuso imperio et superstitione Arabicæ gentis. Quæ igitur hic legis, Joannem hunc Diaconum referendum monent saltem ad finem sæculi quinti, quo tempore in Catholicos barbaricam persecutionem excitavit Hunericus Arianus Africæ rex. Hæc cœpta anno Christi 485 acrius deinde efferbuit. Tunc in exsilium actis episcopis catholicis, *ex necessitate* presbyteris chrisma conferre permissum fuit. Fieri etiam potest ut ante eadem tempora floruerit Joannes ille Diaconus. Repetere hic liceat, quæ habentur in Carthaginiensi concilio anni 397. « Ut in Sacramentis corporis et sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit ; hoc est panis et vinum aqua mistum. Primitiæ vero, seu mel et lac, quod die solemnissimo in infantum mysterio (nempe baptismo) solet offerri, quamvis in altari offeratur, suam tamen habent propriam benedictionem, ut a sacramento corporis et sanguinis distinguantur (*Concil. Carthag.* III, *c.* 24). » Cum Joannes Diaconus non improbarit commistionem lactis et mellis cum sanguine Domini, a Patribus Carthaginiensibus improbatam, suspicio suboritur, ipsum eodem sæculo Christi C quarto floruisse. Quod tamen ad rem nostram facit, cum in Sacramentario Leoniano, sive Blanchiniano, benedictio lactis et mellis a Sacramento corporis et sanguinis Domini distinguantur, hinc deducere fas est remotissimam ipsius antiquitatem. Neque minoris roboris suppeditatur nobis argumentum ex paucitate festorum ; qua de re in subsequenti capitulo agemus

Non est autem dissimulandum quod habetur hic de *confessoribus*. Mense Aprili ad missam nonam hæc præfatio occurrit : *Qui non solum martyrum, sed etiam confessorum tuorum es virtute mirabilis ; licet enim illi passione sint clari, qui manifestis acerba supplicia sustinuere tormentis, etiam isti tamen, oc-* D *cultæ proposito castigationis afflicti et cruciati, spiritalis observantiæ disciplinis illorum sunt vestigia subsecuti.* In subsequenti præfatione hæc alia habentur : *Qui dum confessores tuos etiam nunc tanta festivitate glorificas, simul et nullum apud te sanctum propositum doces esse sine præmio, et, præter duriora certamina, fragiles quoque ad tuæ remunerationis munus invitas.* Memorantur etiam in missa trigesima octava *insignes confessorum tuorum et martyrum palmæ.* Fieri potest ut mentio ista confessorum videatur detrahere aliquid antiquitatis Sacramentario huic. Norunt enim eruditi, primis Ecclesiæ sæculis inter Martyres et confessores discrimen intercessisse. Qui pro Christo sanguinem, eoque magis vitam dabant, martyres appellati ; qui vero exsilia, carceres, sive

tormenta pro confessione Christianæ professionis tolerabant, confessorum nomine donati fuerunt. Procedente autem tempore translatum fuit confessoris nomen ad eos etiam qui piissimo vivendi genere et virtutibus supra cæteros excellebant. Sed nihil hæc pugnant adversus Sacramentarii istius vetustatem; nam sæculo Christi quinto, quo ipsum fuisse consarcinatum diximus, jam confessoris vocabulum ad quosque sanctitate conspicuos viros propagatum fuerat. Serius quidem confessorum hujusmodi, quam martyrum, festa instituta fuerunt; sed ipso sæculo quinto eorum quoque festivitates invalescere cœperunt. Hoc nomine celebris potissimum fuit sanctus Martinus, episcopus Turonensis, de quo Apollinaris Sidonius anno Christi 482 scribebat: « Basilicam sancti pontificis confessorisque Martini, perpetuus episcopus, dignissimus tanto prædecessore successor, multum priori, quæ fuit hactenus, capaciorem novavit (*Apoll. Sidon.*, *l.* IV, *epist.* 16). » Et infra:

Quæ confessori non erat æqua suo.

Imo animadverte nullum in Sacramentario isto festum *confessorum* haberi, si sanctum Silvestrem excipias, cui tamen, quod sub ethnicis imperatoribus, antequam Constantinus Magnus Roma potiretur, veterum confessorum merita non defuisse, veri admodum simile est. Dubitari etiam potest num is jam sanctorum albo fuerit additus, cum hic preces in illius depositione adhibitæ videantur, et sancti appellatio viventibus etiam episcopis eo tempore tribueretur. Quod plus est, sancti Silvestri commemoratio ponitur hic mense Novembri, nullumque ejus festum exhibetur pridie Kalendas Januarii, quod tamen reperias in Sacramentario Gregoriano, ita ut hinc etiam aliquod insignis antiquitatis præbeatur indicium. Aprili mense, ad missam 20, legas velim hæc verba: *Cujus Ecclesia sic veris confessoribus, falsisque permista* NUNC *agitur, ut tamen et fragilitatis humanæ semper cavenda mutatio, et nullius sit desperanda conversio*. De confessoribus secundi generis, hoc est, de piis hominibus, hæc dicta non puto; qui enim *confessores* falsos eos quisquam appellet, quibus nomen confessoris minime conveniebat? Hæc potius interpretanda veniunt de confessoribus primi generis, qui coram ethnicis simulabant se nomen Christi confessos fuisse. Et nisi malis hic agi de persecutione Africana quæ sub Felice III papa, uti supra innuimus, excitata est, referenda erit præfatio ista ad sæculum Christi tertium. Novimus enim sancti Cypriani ævo non defuisse confessores hoc nomine indignos, uti constat ex ejus scriptis (*Lib. de Unit.*, *c.* 18; *epist.* 57). Ad uberius confirmandam Sacramentarii Leoniani antiquitatem, animadvertere etiam juvat ibi adhibitam fuisse non Vulgatam, qua utimur, sed Italicam veterem Scripturæ sanctæ versionem. Mense Junio habes: *Nisi granum tritici cadens in terram*, etc. (*Joan.* XII, 24). In Vulgata est: *Nisi granum frumenti*, etc. Mense Julio habetur hic: *Separate vos ab omni fratre inordinate ambulante* (*II Thess.* III, 6). In Vulgata est: *Ut subtrahatis vos ab omni fra-* A *tre ambulante inordinate*. Mense Septembri hic legitur: *Episcopatum qui desiderat, bonum opus concupiscit* (*I Tim.* III, 1). At in Vulgata: *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*. Mense Decembri hic habemus: *Ecce enim Virgo in utero concepit*, etc. *Cujus potestas super humeros ejus* (*Isai.* VII, 14, IX, 6). In Vulgata: *Ecce Virgo concipiet*, etc. *Cujus potestas super humerum ejus*. Quo ergo tempore concinnata fuit hæc liturgia, nondum in Romana Ecclesia usus Vulgatæ fuisse videtur.

Quod superest, ex præstantissimo hujusmodi Sacramentario multiplicem eruditionis Ecclesiasticæ segetem colligere possumus. Hic sententiarum copia, quibus hæreses Ariana, Pelagiana, Nestoriana et Eutychiana, refelluntur. Hic primatus apostolicæ B sedis, et illibata ejusdem Ecclesiæ doctrina, quam etiam reliquarum magistram Deus constituit. Hic eodem die, quanquam non eodem anno, sancti apostoli Petrus et Paulus martyrium fecisse traduntur; quod et sancti Hieronymus, et Prudentius, atque alii, opinati sunt: qua de re tamen videndus est Pagius (*In Critic. Baron.*, *ad an.* 258). Quæ Dodwellus Britannus de Paucitate martyrum (*Dissert.* 11) scripsit, nemo eruditorum ignorat. Illine, an antiquorum sæculorum scriptoribus, major fides habenda? Ut alios omittam, Paulinus Nolanus episcopus anno Chr. 406, in natali 13, a me tenebris erepto, scribebat:

Hic Petrus, hic Paulus proceres, hic martyres omnes,
Quos simul innumeros magnæ tenet ambitus Urbis.

C Sanctus Leo, in Natali apostolorum (*Serm.* 8) commemorat: « Beatorum millia martyrum, quæ, apostolicorum æmula triumphorum, Urbem nostram purpuratis, et longe lateque rutilantibus populis ambierunt. » Paria in hoc Sacramentario habes Mense Aprili ad Missam Septimam, in cujus Præfatione legitur: *Quoniam tui operis, tuæque pietatis est, quod innumeræ sanctorum tuorum multitudini, non solum credere in Filium tuum Dominum nostrum, sed etiam pro eo pati datum est*. Et infra ad missam vigesimam octavam: *Præsta nobis, Domine, quæsumus, universa peccata pariter atque pericula corporis et mentis evadere, quos innumerabilium martyrum pia confessione circumdas*. De intercessione quoque D sanctorum, de vigiliis ante eorum festivitatem; de suffragiis pro defunctis, de benedictione nuptiali, de cleri ordinationibus, aliisque hujusmodi Ecclesiæ catholicæ dogmatibus et ritibus, a priorum sæculorum veneranda antiquitate ad nos usque transmissis, multa ibi occurrunt. Tot etiam orationes, quibus nunc in sacris utimur, ex eorum temporum religione, sacraque eloquentia ad nos descendisse animadvertas. *Ascensa Domini* tum hic, tum in Gelasiano, et Gregoriano antiquissimo, ut infra videbis memoratur. *Ascensionem* et *Ascensum* elegantia Latina poscebat. Christianæ plebi *Ascensa* in usu fuit, quæ vox adhuc perdurat apud Venetum populum, Mutinenses, aliosque Italiæ populos. Cum vero hic reperias tot de martyribus missas et ora-

tiones, uti nunc dicimus, de communi, id factum noveris ut præsto essent missæ pro singulis martyribus, aliisque sanctis, quorum sacra corpora intra Urbem, seu potius in suburbanis cœmeteriis condebantur, aut in quorum honorem templa Deo dicata fuerant. Sanctus Gregorius Magnus hæc scribit ad Eulogium patriarcham Alexandrinum : « Nos autem pene omnium martyrum, distinctis per dies singulos passionibus, collecta in uno Codice nomina habemus (quibus verbis martyrologium designat) atque quotidianis diebus in eorum veneratione missarum solemnia agimus (*Gregorius Magnus, lib.* VII, *epist.* 29, *ind.* 1). » De communi martyrum tunc, ut reor, missa celebrata fuerit. Qui vero quotidianis diebus in venerationem eorumdem martyrum missa peracta dicatur, interpretatione aliqua fortassis indiget; neque enim quadragesimali tempore, ac Dominicis diebus missa de martyribus celebrata fuisse credi potest. Attamen in cœmeteriis illis, aut ædibus sacris, ubi eorum corpora jacebant, celebrare ad eorum honorem missam, recurrente annua ipsorum martyrum commemoratione, olim mos fuisse putandus est. Illud denique monendus est lector, quanquam de auctore pretiosi hujus atque omnium antiquissimi Sacramentarii nihil certe habeamus, posse illud tamen jam editum a Patre Blanchinio sancti Leonis Magni nomen retinere, tum quod plura quam quisquam arbitretur a sanctissimo pontifice illo profecta complectatur, tum etiam ut a Gelasiano et Gregoriano in posterum distinguatur. Antiquitatem vero Codicis Veronensis, unde Sacramentarium ipsum fuit expressum, specimen characterum confirmabit, in sequenti tabella ejusdem Patris Blanchinii cura ære insculptum.

IUNIO

praesidiis quibus et scipicationem repe
rat et subsidia pro priae fragilitatis ad
quirat p inn apostolorum petri et pauli
XV ds qui hunc diem beatorum apostoloru
a petri et pauli martyrio consecrasti da
aeclesiae toto terrarum orbe diffusae
eorum semper magisterio gubernari
per quos sumpsit religionis exordium p
munera plebis tuae dne quaesumus bea
torum apostolorum f. iant grata suffra
giis ut pro quorum triumphis tuo nomi
ni deferuntur ipsorum digna perfici
antur et meritis p
uere dign · qui secundum promissionis
tuae ineffabile constitutum apostolicae
confessionis superna dispensatione
largiris ut in ueritatis tuae fundamine
solidatae nulla mortiferae falsitatis
iura praeualeant et quantaliuet
exsistat errantium multitudo illi sint

redemptionis tuae filii et illis aeclesia
tota numeretur quia b̄ electorum tuo
rum principali traditione non dissonat p̄
XVI coniunctio oblationis uirginum sacrataru
hanc etiam oblationem dn̄e tibi uirginum

CAPUT IV.

De festis in Leoniano aliisque Sacramentariis Romanæ Ecclesiæ occurrentibus.

Si integrum ad nos pervenisset Leonianum Sacramentarium, major fortasse lux nobis affulgeret ad ejus ætatem dignoscendam. Experiamur tamen an quæ pauca injuriam temporum evasere ad hujusmodi inquisitionem præsidio nobis esse possint. Equidem cum festos dies in eo memoratos considero, inde grandis antiquitatis prærogativam educi posse reor : Nullius confessoris solemnitas ibi visitur, nisi sancti Silvestri papæ, cujus tamen infra cernes nomen beatorum fastis additum vel ipso sæculo Christi quarto. Fortassis etiam non de festivitate, sed tantum de depositione illius annua videtur A ibi missa celebrata. Nulla ibi mentio Inventionis et Exaltationis sanctæ crucis ; nulla Assumptionis, aut Nativitatis Deiparæ. Sed quod præcipue meminisse juvat, perquam similis est festorum hic descriptorum catalogus Kalendario omnium antiquissimo, quod Ægidius Bucherius e societate Jesu olim evulgavit, et exaratum merito creditur circiter medium sæculum quartum, tum quod ibi nullus Romanus pontifex in festis refertur ultra illud tempus, tum etiam quod in eo Codice catalogus Romanorum pontificum in Liberio desinit, sine ulla ejus mentione. Kalendarium hoc, utpote breve ac rarum, neminem pigebit huc translatum accipere, simulque e regione positum intueri Leonianum, ut quæ similitudo intercedit, facilius deprehendi possit.

KALENDARIUM BUCHERIANUM.	KALENDARIUM LEONIANUM.
IV Id. Januar., Miltiadis (papæ) in Callisti.	(Priores menses exciderunt.)
XVIII Kal. Febr., Marcellini (papæ) in Priscillæ.	
XIII Kal. Febr., Fabiani (papæ) in Callisti, et Sebastiani in Catacumbis.	
XII Kal. Febr., Agnetis in Nomentana.	
VIII Kal. Mart., natale Petri de Cathedra.	
III Non. Mart., Lucii (papæ) in Callisti.	
Non. Mart., Perpetuæ et Felicitatis Africæ.	
Prid. Id. April., Julii (papæ) in via Aurelia, milliario 3 in Callisti.	
X Kal. Maii, Caii (papæ) in Callisti.	
XIV Kal. Jun., Parthini et Caloceri in Callisti, Diocletiano IX et Maximiano VIII coss.	XVIII Kal. Maias, sancti Tiburtii.
III Kal. Jun., Petri in Catacumbis et Pauli Ostiense, Tusco et Basso coss. [a].	Paschale tempus.
	IX Kal. Maias, Georgi martyris.
IV Id. (Jul.), Felicis et Philippi in Priscillæ; et in Jordanorum, Martialis, Vitalis, Alexandri; et in Maximi, Silani (hunc Silanum martyrem Novati furati sunt); et in Prætextati, Januarii.	Dedicatio basilicæ beati Petri apostoli. Ascensio Domini. Pridie Pentecosten. In Pentecosten ascendentibus de fonte.
III Kal. Aug., Abdon et Senen in Pontiani, quod est ad Ursum Pileatum.	Dominica Pentecosten. Jejunium quarti mensis.
IV Non. Aug., Stephani (papæ) in Callisti.	VIII Kal. Jul., natale sancti Joannis Baptistæ.
VIII Id. Aug., Syxti (papæ) in Callisti; et Prætextati, Agapiti et Felicissimi.	VI Kal. Jul., natale sanctorum Joannis et Pauli. III Kal. Jul., natale apostolorum Petri et Pauli.
VII Id. Aug., Secundi, Carpophori, Victorini, et Severiani, Albano, et Ostiense [b]	VI Id. Juliarum, natale sanctorum martyrum Felicis, Philippi in cœmeterio Priscillæ. Vitalis, et Martialis, et Alexandri in cœmeterio Jordanorum. Et Silani in cœmeterio Maximi, via Salaria. Et Januarii in cœmeterio Prætextati, via Appia.
VI Ballistaria, Cyriaci, Largi, Crescentiani, Memmiæ, Julianæ, et Smaragdi.	
IV Id. Aug., Laurentii in Tiburtina.	

[a] Id est anno Christi 258, quo illorum facta creditur translatio uno eodemque die.

[b] Scriptum ibi, ut opinor, fuerit VI *Id. Aug.*, quo die vetusta Martyrologia horum sanctorum mentionem faciunt. Et cum hoc connectendum est laterculum subsequens, in quo *Ballistaria* est pro *via Salaria*.

Kalendarium Bucherianum.

Idib. Aug., Hippolythi in Tiburtina, et Pontiani (papæ) in Callisti.

XI Kal. Sept., Timothei Ostiense.

VI Kal. Sept., Hermetis in Bassillæ Salaria vetere.

Non Sept., Aconti in Porto; et Monni, et Herculani, et Taurini.

V Id. Sept., Gorgonii in Labicana.

III Id. Sept., Prothi et Hyacinthi in Bassillæ.

XVIII Kal. Octob., Cypriani Africæ. Romæ celebratur in Callisti [a].

X Kal. Octob., Bassillæ [b] Salaria vetere, Diocletiano IX et Maximiano VIII coss.

VI Kal. Octob., Eusebii (papæ) in Callisti.

Non. Octob., Marci (papæ) in Balbinæ.

Pr. Id. Octob., Callisti (papæ) in via Aurelia milliario 3.

V Id. Nov., Clementis, Semproniani, Claudii, Nicostrati in Comitatum.

III Kal. Decemb., Saturnini in Thrasonis.

VI Id. Decemb., Eutychiani (papæ) in Callisti.

Idib. Decemb., Ariston in Pontum.

VIII Kal. Jan., natus Christus in Bethleem Judæ.

VI Kal. Jan., Dionysii (papæ) in Callisti.

III Kal. Jan., Felicis (papæ) in Callisti.

Prid. Kal. Jan., Silvestri (papæ) in Priscillæ.

Kalendarium Leonianum.

III Non. Aug., natale sancti Stephani in cœmeterio Callisti, via Appia.

VIII Id. Aug., natale sancti Sixti in cœmeterio Callisti. Et Felicissimi et Agapiti in cœmeterio Prætextati, via Appia.

IV Id. Aug., natale sancti Laurentii.

Idib. Aug., natale sanctorum Hippolythi et Pontiani.

III Kal. Sept., natale sanctorum Adaucti et Felicis.

XVIII Kal. Octob., natale sanctorum Cornelii et Cypriani.

XVI Kal. Octob., natale sanctæ Euphemiæ.

Jejunium mensis septimi.

Prid. Kal. Octob., natale basilicæ Angeli in Salaria. Depositio sancti Silvestri.

V (vel VI) Id. Nov., natale sanctorum Quatuor Coronatorum.

X Kal. Dec., natale sanctæ Cæciliæ.

IX Kal. Dec., natale sanctorum Clementis et Felicitatis.

VIII Kal. Dec., natale sanctorum Chrysogoni et Gregorii.

Prid. Kal. Dec., natale sancti Andreæ apostoli.

VIII Kal. Jan., natale Domini. Et martyrum Pastoris, Basilei, et Joviani, et Victorini, et Eugeniæ, et Felicitatis, et Anastasiæ.

VI Kal. Jan., natale sancti Joannis evangelistæ.

V Kal. Jan., natale Innocentum.

Nunc utrumque Kalendarium confer, Bucherianum, quod circiter annum Christi 355 scriptum viri docti censent, et Leonianum, quod ex conjecturis exaratum opinamur circiter annum Christi 488. In multis conveniunt, in aliis discrepant. Nonnulla festa in illo referuntur, quæ in isto non reperis. Rursus alia in Leoniano exhibentur, quorum nulla est mentio in Bucheriano. Quod nostra refert, nihil in Leoniano occurrit quod opinioni de illius ætate adversetur. « Pridie Kalendas Octobris » adnotatur « natale Basilicæ Angeli in Salaria. » Minoris vetustatis suspicionem ingerere tibi posset hæc solemnitas; nam, ut est apud Anastasium, « Gelasii I papæ temporibus inventa est ecclesia sancti Angeli in monte Gargano, » hoc est circiter annum Christi 495, et ex eo tempore excitatæ videntur aliæ basilicæ in honorem sancti Michaelis. Sed præterquam quod verba illa in tribus Anastasii Mss. non leguntur, ex iis certe argumentari non licet quin basilica aliqua Romæ fuerit longe antea constructa in sancti Angeli honorem. Anastasio ipso teste, Symmachus Romanus pontifex circiter annum Christi 499 « ad archangelum Michaelem basilicam ampliavit, et gradus fecit, et introduxit aquam. » Viden hanc basilicam antea fuisse ædificatam, et a Symmacho duntaxat fuisse amplificatam? Ergo cave ne interpreteris Adonem in Martyrologio tradentem, peracta apparitione archangeli in Gargano, « non multo post » a Bonifacio papa (qui alius esse nequit nisi Secundus) constructam fuisse Romæ « ecclesiam sancti Michaelis in summitate Circi, » quasi prima sacra ædes ea fuerit in Urbe titulo sancti Michaelis insignita. Ante Bonifacium II, uti ostendimus, una saltem basilica ejusdem angeli a Romanis colebatur. Quæ in Leoniano Sacramentario memoratur, sita fuit in « via Salaria, » ejusque « natalis » dies, hoc est, annuus dedicationis dies, in honore erat. Morem invectum quotannis renovandæ templorum dedicationis habemus etiam a sancto Leone Magno. Insuper animadverte festum dedicationis illius referri « Pridie Kalendas Octobris » cum a plurimis sæculis sancti Michaelis solemnitas celebretur tertio Kalendas Octobris; eamque dedicationem non spectasse ad basilicam Gargani, sed quidem ad basilicam Romanam in via Salaria ædificatam. Considerandus quoque in Leoniano Sacramentario sancti Stephani dies festus. Ibi tantummodo ad diem « III Nonas Augusti » commemoratur « natale sancti Stephani in cœmeterio Callisti, via Appia. » In missa 4 is appellatur « dies natalis ejus. » Verum ad missam 9 signata videtur annua dedicatio basilicæ alicujus, in honorem sancti protomartyris constructæ; legitur enim in præfatione : *Hac festivitate lætantes, qua dicatam nomini tuo basilicam beatus Stephanus martyr suo honore signavit.* Sæculo autem Christi quinto non una in Urbe et extra Urbem basilica sancti Stephani fuit, uti memoriæ proditum est in sancti Leonis I et Simplicii Romanorum pontificum Vitis apud Anastasium.

[a] In postremis verbis fortasse excidit nomen *Cornelii* papæ.

[b] Si *Bassillæ* pro cœmeterio hic sumitur, nomen martyris desideratur. At in Martyrologio Hieronymiano sancta Bassilla ad hunc diem ponitur.

Primo aspectu persuaseram mihi quo tempore Sacramentarium hoc litteris consignatum fuit, nondum festivitatem protomartyris Stephani celebratam fuisse post Nativitatem Domini, scilicet « VII Kalendas Januarias, » cum ad eum diem nulla sit illius mentio. Sed oculos conjiciens in missam 7, hæc in præfatione verba deprehendi : *Et ideo Nativitatem Filii tui, merito præ cæteris, passionis suæ festivitate subsequitur, cujus gloriæ sempiternæ primus martyr occurrit.* Ergo etiam die 26 Decembris tunc sancti protomartyris festum in usu erat, quanquam ad eum diem ex oscitantia collectoris nulla sit ejus mentio. Contra tam in Gelasiano, quam in Gregoriano antiquissimo Sacramentario infra edendo, nullum sancti Stephani festum invenies ad diem tertium Augusti. Neque ullum ejus vestigium in Vindobonensi et Mutinensi Codicibus. Quare intelligas non ejus esse antiquitatis festum Inventionis sancti Stephani, quæ a nonnullis creditur. Antiquissimis temporibus, uti ex Leoniano constat, die tertia Augusti dedicatio alicujus basilicæ celebrabatur. Antiquatum postea hoc festum cum subsequentium pontificum devotio erga sanctum protomartyrem renovare vellet, Inventionis reliquiarum illius titulum festo imposuit.

In Kalendario Bucheriano ad diem « V Idus Novembris » habetur natalis martyrum « Clementis, Semproniani, Claudii, Nicostrati in Comitatum. » In Leoniano tantummodo habetur « natale sanctorum Quatuor Coronatorum. » Suspicor ego, pro in *Comitatum*, quod in Bucheriano nullum tolerabilem sensum admittit, scriptum fuisse *Quatuor Coronatorum*, et Bucherium, quod corrupti characteres forent, legisse *in Comitatum*. Fortassis etiam ibi fuit VI *Id. Nov.*, cum eo die in vetustissimis martyrologiis recurrat Quatuor Coronatorum dies festus. Istorum Martyrum nomina habes ex Bucheriano, id est, « Clementis, Semproniani, Claudii, Nicostrati. » Est hic inter Martyrologos non levis pugna, imo confusio. Tradidere veteres Melchiadis papæ ævo excidisse horum nomina, ac propterea invaluisse nomen *Quatuor Coronatorum*. Fabulam prodit Kalendarium Bucherianum, in quo expressa habes eorum nomina, uti conjecturæ fuerunt, sub sancto Liberio pontifice. In Martyrologio Romano cardinalis Baronii revelata deinde dicuntur hæc nomina, eaque fuisse « Severi, Severiani, Carpophori, et Victorini. » In ea quoque sententia Usuardus et alii præcesserant. At hic emendationem poscit Romanum idem Martyrologium, cum veris Quatuor Coronatorum nominibus derelictis aliena fuerint supposita. Jam ex Bucheriano Kalendario didicisti quæ nomina gererent Quatuor Coronati. Ibi fortasse pro *Clementis* reponendum est *Castoris* nomen, ita quippe in antiquissimis Martyrologiis scribitur. In Gelasiano Sacramentario ad sextum Idus Novembris memoratur natalis dies « Quatuor Coronatorum, Costiani, Claudii, Castori, Simproniani. » Recte se habent *Claudii* et *Semproniani* nomina. *Costianus* pro *Nicostratus* fortasse positus. Vetusti Codices Gregoriani ad hunc diem Coronatos exhibent « Claudium, Nicostratum, Simphronianum, Castorium, » atque « Simplicium. » At « Simplicius » iste invitus in Quatuor Coronatorum aciem invectus fuit. Martyrologium sub Hieronymi nomine editum habet tantummodo « Claudi, Castori, Nicostrati. » Excidit *Sempronianus*, sive *Symphorianus*. In antiquissimo Gregoriano Mutinensi eadem nomina repetuntur. At in marginem diversa manu sciolus aliquis aliam missam intrusit, sub falso nomine Quatuor Coronatorum, scilicet, « Severi, Severiani, Carpophori, » et « Victorini. » Neque reticendum est Patrem Sollerium e societate Jesu, in commentariis ad Usuardi Martyrologium (*Acta sanct. Bolland., tom. VII Jul.*), quæsisse nomina Quatuor Coronatorum in Kalendario Bucheriano, ad diem « VII Id. Aug., » ubi natalis « Secundi, Carpophori, Victorini, » et « Severiani, Albano » et « Ostiense. » Sed ea conquirenda fuere ad diem V seu « VI Id. Nov. » Subdit ille : « sed quid sibi volunt Albano et Ostiense? » Hisce verbis indicatur, ex sacris iis corporibus quædam asservari in oppido « Albano, » nisi velis, in via quæ Albanum ducit, reliqua vero in via « Ostiense. »

Quod etiam animadvertas velim, uti neque post restauratum seu ordinatum a sancto Gregorio I pontifice Sacramentarium stabilis fuit festorum catalogus in Romana Ecclesia, atque aliis ipsam imitantibus, ita et ante sanctum Gregorium varii hac in re fuere mores. In Gregoriano ad diem 18 Januarii habetur « natale sanctæ Priscæ; » ad diem 22 ejusdem mensis, « natale sancti Vincentii; » ad diem 23 Aprilis, « natale sancti Gregorii, » ut alia festa omittam. De his tamen in Gelasiano nihil occurrit. Rursus in Gelasiano Codice festa exhibentur, quibus in Gregoriano nullus erat locus. Bucherianum Kalendarium, omnium antiquissimum, ad diem « IV Non. Aug. » habet Festum « sancti Stephani (papæ) in Callisti, » quod etiam reperias in antiquissimis Missalibus Gregorianis. Verum in Leoniano et Gelasiano nulla est hujus festi ratio. Apostolorum dies festos Ecclesia catholica nunc celebrat, aut singulos aut binos recolens. At sæculo nono, quo exarati fuere antiquiores Codices Gregoriani, quinque duntaxat erant apostolorum festa. Nam celebrabatur Kalendis Maii « natale apostolorum Philippi et Jacobi; » et III Kalendas Julias, « natale sancti Petri; » et subsequenti die, « natale sancti Pauli; » et prid. Kalendas Decembris, « natale sancti Andreæ; » et VI Kalendas Januarias, « natale sancti Joannis Evangelistæ. » Ex Gelasiano autem ediscimus celebratum olim fuisse « natale omnium apostolorum » infra octavam apostolorum, Petri et Pauli. Vide ibi libro secundo, capitulo trigesimo quinto, Missam « in natali omnium apostolorum. » Hujus festivitatis ac missæ antiquitatem confirmatam videas a Sacramentario Leoniano, in quo ad missam 21, currente octava eorumdem principum apostolorum, oratio hæc legitur : *Omnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium apostolorum merita sub una tribuisti celebri-*

tate venerari, quæsumus, ut celerem tuæ propitiationis abundantiam, multiplicatis intercessoribus, largiaris. En unde sumpta olim fuit oratio quam Ecclesia nunc adhibet in festo Omnium Sanctorum. Liceat mihi etiam animadvertere non tantæ antiquitatis esse Kalendarium illud Romanum, quod publici juris fecere celebres Benedictini monachi Martene et Durand. Ibi legitur « natale sancti Jacobi apostoli » ad diem 25 mensis Julii; et ad diem 25 Augusti, « natale sancti Bartholomæi apostoli; » et ad diem 21 Septembris, « natale sancti Matthæi apostoli. » Sed sæculo Christi nono festivitates hujusmodi in Ecclesia Romana nondum habebantur institutæ, ut constat ex antiquissimis Codicibus Sacramentarii Gregoriani Vaticano, Othoboniano, Vindobonensi, et Mutinensi. Propterea Codicibus istis vetustate impares censendi illi quibus usi sunt Pamelius et Menardus; in ipsis enim exstant festa præ- A laudatorum trium apostolorum. Neque in vetustis Gregorianis Codicibus invenias Januario mense solemnem diem « sancti Vincentii martyris, » qui tamen in Kalendario Marteniano visitur. In eo quoque refertur ad diem 23 Julii « natale sancti Apollinaris martyris Ravennæ. » Verum in vetustissimis Sacramentariis Gregorianis ejusmodi festum nequaquam legitur, ita ut jam intelligas, Kalendario illi longe minorem tribuendam esse vetustatem, quam doctissimi ii monachi persuasum habuere. Ex Sacramentariis autem Gelasiano et Gregoriano infra edendis quanquam lector dignoscere per se possit, quot subinde festa in Missale ac Breviarium Romanum invecta fuerint usque ad tempora nostra, ad majus tamen ipsius commodum subjicere placuit B illorum quoque Kalendaria, ut sub uno conspectu singula eorum temporum festa habeantur.

KALENDARIUM GELASIANUM.	KALENDARIUM ANTIQUUM GREGORIANUM.
JANUARIUS.	
Kalend., octava Natalis Domini.	Kalend., octava Domini.
VIII Id., Theophania.	VIII Id., Epiphania.
XIX Kal. Febr., sancti Felicis confessoris.	XIX Kal. Febr., sancti Felicis in Pincis.
XVII Kal. Febr., sancti Marcelli confessoris.	XVII Kal. Febr., S. Marcelli papæ.
XIII Kal. Febr., sanctorum martyrum Sebastiani, Mariæ, Marthi, Audifax, et Abacuc. Item sancti Fabiani martyris.	XV Kal. Febr., sanctæ Priscæ.
	XIII Kal. Febr., sanctorum Fabiani et Sebastiani.
XII Kal. Febr., sanctæ Agnetis.	XII Kal. Febr., sanctæ Agnetis.
	XI Kal. Febr., sancti Vincentii.
V Kal. Febr., nativitas sanctæ Agnetis.	V Kal. Febr., sanctæ Agnetis secundo.
FEBRUARIUS	
IV Non., Purificatio sanctæ Mariæ.	C IV Non., Ypapante, sive Purificatio sanctæ Mariæ.
Non., sanctæ Agathæ.	Nonis, sanctæ Agathæ.
IV Id., sanctæ Soteris.	
Septuagesima.	Septuagesima.
Sexagesima.	Sexagesima.
Quinquagesima.	Quinquagesima.
Quadragesima.	Quadragesima.
XVI Kal. Mart., sanctorum Valentini, Vitalis, et Filiculæ.	XVI Kal. Mart., sancti Valentini.
XIII Kal. Mart., sanctæ Julianæ.	
MARTIUS.	
	IV Id., sancti Gregorii Papæ.
Nonis, sanctarum Perpetuæ et Felicitatis.	
VIII Kal. April., Annuntiatio sanctæ Mariæ.	VIII Kal. Apr., Annuntiatio sanctæ Mariæ.
Pascha.	Pascha.
APRILIS.	
Idib., sanctæ Euphemiæ.	XVIII Kal. Maii, sanctorum Tiburtii et Valeriani.
	IX Kal. Maii, sancti Georgii.
	IV Kal. Maii, sancti Vitalis.
MAIUS.	
Kalendis, Philippi et Jacobi apostolorum.	Kalend., apostolorum Philippi et Jacobi.
Ascensio Domini.	
V Non., sancti Juvenalis. Et Inventio sanctæ Crucis.	V Non., sanctorum Alexandri, Eventii, et Theoduli.
	Prid. Non., natale sancti Joannis ante portam Latinam.
Pentecoste.	
IV Id., sanctorum Nerei et Achillei fratrum, et sancti Pancratii.	VI Id., sanctorum Gordiani et Epimachi.
	Ascensio Domini.
	IV Id., sancti Pancratii.
	Pentecoste.
	III Id., natale sanctæ Mariæ ad Martyres.
	VIII Kal. Jun., sancti Urbani papæ.

Kalendarium Gelasianum.	*Kalendarium antiquum Gregorianum.*
JUNIUS.	
IV Non., sanctorum Petri et Marcellini. Prid. Id., sanctorum Cyrini, Naboris et Nazarii. XVII Kal. Jul., sancti Viti. XIV Kal. Jul., sanctorum Marci et Marcelliani. XIII Kal. Jul., sanctorum Gervasi et Protasi. VIII Kal. Jul., natale sancti Joannis Baptistæ. VI Kal. Jul., sanctorum Joannis et Pauli. III Kal. Jul., natale apostolorum Petri et Pauli.	A Kalend., dedicatio basilicæ sancti Nicomedis. IV Non., sanctorum Marcellini et Petri. XIV Kal. Jul., sanctorum Marci et Marcelliani. XIII Kal. Jul., sanctorum Protasii et Gervasii. VIII Kal. Jul., natale sancti Joannis Baptistæ. VI Kal. Jul., sanctorum Joannis et Pauli. IV. Kal. Jul., sancti Leonis papæ. III Kal. Jul., natale sanctorum Petri et Pauli apostolorum. Prid. Kal. Jul., natale sancti Pauli.
JULIUS.	
Prid. Non., octava apostolorum. V (seu potius IV) Kal. Aug., sanctorum Simplicii, Faustini, et Viatricis. III Kal. Aug., Abdo et Senis martyrum.	VI Non., sanctorum Processi et Martiniani. VI Id., natale Septem Fratrum. IV Kal. Aug., sanctorum Felicis, Simplicii, Faustini, et Beatricis. III Kal. Aug., sanctorum Abdon et Sennen.
AUGUSTUS.	
Kalend., natale Machabæorum. VIII Id., sancti Sixti. VII Id., sancti Donati. IV Id., sancti Laurentii. III Id., sancti Tiburtii. Idib., sancti Hippolythi. XVIII Kal. Sept., Assumptio sanctæ Mariæ. XVII Kal. Sept., oct. sancti Laurentii. XV Kal. Sept., sancti Agapiti. XIV Kal. Sept., sancti Magni. VI Kal. Sept., sancti Ruffi. V Kal. Sept., sancti Hermis. IV Kal. Sept., passio sancti Joannis Baptistæ.	B Kalend. sancti Petri in Vincula. IV Non., sancti Stephani episcopi. Nonis, sanctorum Xysti episcopi, Felicissimi, et Agapyti. VI Id., sancti Cyriaci. IV Id., natale sancti Laurentii. III Id., sancti Tiburtii. Idib., sancti Hippolythi. XIX Kal. Sept., sancti Eusebii presbyteri. XVIII Kal. Sept., Assumptio sanctæ Mariæ. XV Kal. Sept., sancti Agapiti. XI Kal. Sept., sancti Timothei. V Kal. Sept., sancti Hermetis. IV Kal. Sept., sanctæ Sabinæ. III Kal. Sept., sanctorum Felicis et Adaucti.
SEPTEMBER	
Kal., sancti Prisci. VI Id., Nativitas sanctæ Mariæ. V Id., sancti Gurgoni. XVIII Kal. Octob., Exaltatio sanctæ Crucis. Item, sanctorum Cornelii et Cypriani. V Kal. Octob., sanctorum Cosmæ et Damiani. III Kal. Octob., sancti Michaelis archangeli. VI Id., Nativitas sanctæ Mariæ. III Id., sanctorum Proti et Hyacinthi.	C XVIII Kal. Oct., sanctorum Cornelii et Cypriani. Item, Exaltatio sanctæ Crucis. XVII Kal. Oct., natale sancti Nicomedis. XVI Kal. Oct., natale sanctorum Euphemiæ, Luciæ et Geminiani. V Kal. Oct., sanctorum Cosmæ et Damiani. III Kal. Oct., dedicatio basilicæ sancti angeli Michaelis.
OCTOBER.	
Nonis, sanctorum Marcelli et Apulei.	Nonis, natale sancti Marci papæ. Prid. Id., natale sancti Callisti papæ.
NOVEMBER.	
VI Id., sanctorum Quatuor Coronatorum Costiani, Claudi, Castori, Simproniani. X Kal. Dec., sanctæ Cæciliæ. IX Kal. Dec., sancti Clementis. Item, sanctæ Felicitatis. III Kal. Dec., sanctorum martyrum Saturnini, Crisanti, Mauri, Dariæ, et aliorum. Prid. Kal. Dec., sancti Andreæ apostoli.	D Kal. sancti Cæsarii. VI Id., sanctorum Quatuor Coronatorum. V Id., natale sancti Theodori. III Id., natale sancti Mennæ. Item, sancti Martini episcopi. X Kal. Dec., sanctæ Cæciliæ. IX Kal. Dec., sancti Clementis. Item, sanctæ Felicitatis. VIII Kal. Dec., sancti Chrysogoni. III Kal. Dec., sancti Saturnini. Prid. Kal. Dec., sancti Andreæ apostoli.

Kalendarium Gelasianum.

DECEMBER.

VII Id., octava sancti Andreæ apostoli.
XII Kal. Jan., sancti Thomæ apostoli.
VIII Kal. Jan., Natale Domini.
VII Kal. Jan., sancti Stephani.
VI Kal. Jan., sancti Joannis evangelistæ.
V Kal. Jan., sanctorum Innocentum.

Kalendarium antiquum Gregorianum.

DECEMBER.

A Idib., sanctæ Luciæ.
VIII Kal. Jan., Nativitas Domini.
VII Kal. Jan., natale sancti Stephani.
VI Kal. Jan., sancti Joannis evangelistæ
V Kal. Jan., sanctorum Innocentum.
Prid. Kal. Jan., sancti Silvestri papæ.

CAPUT V.

De Sacramentario Gelasiano.

Ad Romanæ Ecclesiæ Sacramentaria quod attinet, nihil aliud antiqua monumenta habent, nisi Gelasium I pontificem circiter annum Christi 495 confecisse « sacramentorum præfationes et orationes cauto sermone, » uti ex ejus Vita apud Anastasium Bibliothecarium constat. In antiquiore tamen catalogo Romanorum Pontificum, quem cl. Pater Joseph Blanchinius, Oratorii Romani presbyter, publici juris fecit de Gelasio hæc referuntur: « Fecit et hymnos in modum beati Ambrosii. Fecit et sacramentorum præfationes cauto sermone (*Blanchin., in proleg. ad tom. IV Anast.*), » ubi nihil de orationibus. Erat procul dubio ante sancti Gelasii tempora suum Romanæ Ecclesiæ Sacramentarium; ac proinde illud Gelasius tantummodo instaurasse, meliorique ordine donasse, aliis etiam præfationibus auxisse, credendus est. Sanctus deinde Gregorius Magnus pontifex, testante Joanne Diacono, circiter annum Christi 591, « Gelasianum Codicem de missarum solemniis, multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla vero superadjiciens pro exponendis evangelicis lectionibus, in unius libri volumine coarctavit (*Joan. Diac., in Vit. Greg. M.*). » Obscura sunt verba illa: *pro exponendis evangelicis lectionibus*, nisi velimus Evangelistarium quoque fuisse a sancto pontifice instauratum, de quo nihil apud veteres occurrit. Sæculo Christi nono superstites adhuc fuisse Gelasianos Codices de Sacramentis, eardinalis Bona et Mabillonius animadverterunt. Et certe anno Christi 831, in Centulensi monasterio, uti constat ex ejus Chronico apud Dacherium, asservabantur « Missales Gelasiani quatuordecim, Gregoriani tres (*Dacher., in Chron. Centul. monast., Spicileg.*). » Anno autem 1680, libros tres *Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ* ex insigni Codice Christinæ Suecorum reginæ, in Italiam e Gallia asportato, evulgavit Joseph Maria Thomasius, clericus regularis, postea eminentissimus et venerabilis sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis, vir pietate non minus quam doctrina conspicuus, et de sacris litteris optime meritus. Ut is vir modestissimus fuit, conjecturas tantummodo exeruit, quæ suadere viderentur Gelasianum Sacramentarium illud esse, quanquam et ipse agnosceret ac fateretur nonnullos festos dies subsequentibus sæculis ad illud accessisse. Ante Thomasium in eamdem sententiam concesserant celeberrimi viri Joannes Morinus et cardinalis Bona, quibus Codex idem ms. reginæ Suecorum non ignotus fuit, opinati, videlicet, ipsum Gelasio tanquam auctori esse tribuendum. Et eorum quidem sententiæ adhærendum omnino videtur. Certum quippe est exhiberi in eo Sacramentarium pro Ecclesia Romana constructum, ibique olim usurpatum, cum in titulo inscribatur: *Liber Sacramentorum Ecclesiæ Romanæ;* atque ibi referantur missæ de sanctis, quorum festa in eadem Ecclesia B celebrabantur. Aut ergo sit Sacramentarium Gelasianum, aut Gregorianum, neque enim ulla alia nisi hæc in usu fuere Romanæ Ecclesiæ post finem sæculi quinti. Gregorianum non est: ergo Gelasianum sit oportet. Ad eamdem veritatem conspirant, quæ ibi traduntur libro tertio, Missa 58 et sequentibus tempore belli, ubi Deus rogatur ut *Romanorum regum sibi subditum protegat principatum. Ut Romani nominis inimicos virtute suæ comprimat majestatis. Ut Romani regni adsit principibus. Ut Romani imperii defendat rectores. Ut barbararum gentium comprimat feritatem. Deus regnorum omnium, et Romani maxime protector imperii, da servis tuis regibus nostris* (illis) *triumphum*, etc. *Deus, in cujus manu corda sunt regum, principi*-C-*bus nostris famulis tuis regimen tuæ impone sapientiæ*, etc. Sancti Gelasii tempore pro Græcis imperatoribus preces Deo offerebantur, quia supremum dominium in Urbe retinebant; sed simul pro *regibus* Gothicis, eidem Urbi dominantibus. Ibi Kalendis Januariis habetur missa *Prohibendum ab idolis.* Lege eruditas cardinalis Baronii notas in Martyrologium Romanum ad hanc diem, et intelliges quantum Romani Pontifices, cæterique episcopi sæculo Christi quarto et quinto laborarint, ut ethnicorum superstitiones ab illo die eliminarent. Hæc ad sancti Gelasii tempora spectant.

Itidem libro primo, missa 85, legitur hic « Benedictio super eos qui de Ariana ad catholicam redeunt unitatem. » Cum Gelasii ætate ista, ut vides, conve-D-niunt. Nondum enim Ariana hæresis exstincta jacebat, eamque, vivente ipso Gelasio, Gothi profitebantur, Italiæ dominantes. Jam diu vero animadvertit cardinalis Thomasius Codicem unde sumptum fuit Sacramentarium hoc in Gallia exaratum, ibique ad usum alicujus Ecclesiæ fuisse. In Gallia vero et Hispania ante annum Christi octingentesimum Symbolo Constantinopolitano additum fuerat ad processionem Spiritus sancti *Filioque*, atque ita Symbolum cantabatur in sacris, quod tamen minime probavit Leo III papa anno Christi 809, ut Acta ostendunt a cardinali Baronio ad eum annum evulgata. Cum vero in Symbolo hujus Sacramentarii additio illa non legatur, recte inde infertur Codicem ante ea tempora fuisse scriptum. Præterea, Anastasio teste, Gregorius II papa, circiter

annum Christi 720, « Quadragesimali tempore, ut in quinta feria jejunium atque missarum celebritas fieret in Ecclesiis, quod non agebatur, instituit. » Cum autem in hoc Sacramentario nulla missa assignetur feriis quintis Quadragesimæ, ejus antiquitatem inde etiam æstimare licet. Accedit quod nulli hic dies festi tribuantur sanctis pontificibus Sylvestro, Leoni Magno, et Gregorio pariter Magno. Reliqua argumenta ad ipsius vetustatem asserendam ab ipso ven. cardinali Thomasio adhibita in ejus præfatione habebis. Verum Sacramentario ipsi post Gelasium additamenta facta fuere. Id minime inficias imus. At nihil hoc obstat quominus auctor illius dicendus sit sanctus Gelasius, quando et ipsa liturgia Gregoriana a nemine suo auctori eripitur, quod in eam post sanctum Gregorium invectæ fuerint aliæ orationes, festa, et ritus. Certe hic occurrit ad diem XIII Kalendas Martii missa in natali sanctæ Julianæ; ad XIV Kalendas Septembres, missa in natali sancti Magni; VI Kalendas Septembris, missa in natali sancti Ruffi; et Kalendis Septembribus, missa in natali sancti Prisci; quæ festa non ad Romanam, sed ad Gallicanas Ecclesias spectabant. Missa quoque habetur ibi in Exaltatione sanctæ Crucis, qui dies festus, ut eruditi norunt, post sancti Gelasii tempora institutus fuit. Caput etiam Quadragesimalis jejunii ad feriam 4 Quinquagesimæ statuitur : quod Gelasii ævo aptari nequit. Hæc, inquam, produnt quidem Codicem scriptum fuisse longe post Gelasii ætatem; sed minime impediunt quin Sacramentarium ipsum appellandum sit Gelasianum, et merito sit eidem pontifici tribuendum. Cum vero sub Carolo Magno Francorum rege ante annum Christi octingentesimum, sublata liturgia Gallicana, invaluerit Gregoriana, et Gelasiana cessarit iis in locis ubi antea usurpabatur, ad agnoscendum ducimur Codicem ipsum Gelasianum ante ea tempora scriptum fuisse.

Verum sub finem præcedentis sæculi contra liturgiam Gelasianam, seu potius contra Codicem, a venerabili Thomasio editum, insurrexit Jacobus Basnagius, Samuelis consobrinus, ex Calvinianorum grege; et de antiquis liturgiis loquens (*J. Basn.*, *Hist. eccles. t. II*, *l.* XVI, *c.* 10), contendit Missalem eum librum sæculo Christi tantum decimo fuisse conscriptum. Quisquis ejus verba legit, miram in homine illo confidentiam offendit. Sed antequam ipsius sententiam excutiamus, juvat referre quæ Christophorus Matthæus Pfaffius Tubingensis professor, anno 1718, in opusculo de liturgiis de Gelasiana liturgia scribebat. En ejus verba : « Ostendit Jacobus Basnage eam Gelasio longe posteriorem esse, atque ad sæculum decimum spectare. Hujus ergo argumenta cum nemo hactenus ex Romanensibus jugulaverit, cum et Basnagius ad eas rationes quas pro sua sententia Thomasius attulit nil responderit; nos rem indecisam hic relinqueremus, nisi causa nobis præcipua, sed a Basnagio, haud memorata, esset, ob quam hanc liturgiam Gelasio adjudicandam censeremus. » Quænam hæc causa? « En vero istam, pergit dicere Pfaffius, Gregorius Magnus ait, se canoni missatico adjecisse orationem Dominicam, quæ in eodem hactenus non exstiterit. Itaque in Gelasiano Codice ea inveniri haud debet, quæ tamen in illo quem Thomasius edidit exstat (*Greg. M.*, *l.* VII, *epist.* 64). » Sed ubi Pfaffius diligentius sancti Gregorii verba expendisset (*Greg. M. epist.* 12, *l.* IX, *Ed. Bened.*, *olim* 64), et cardinalem Bonam (*Card. Bona*, *l.* II, *c.* 5), aut notas Benedictinorum consuluisset, non ei excidisset, ut reor, tam inconsulta hujusmodi sententia. Canonem missæ, ubi sanctus Augustinus aiebat, « fere omnis Ecclesia Dominica oratione concludit (*Aug. epist.* 149, *olim* 59, *ad Paulin.*). » Hoc idem sancti Cyprianus, Hieronymus, Optatus Milevitanus, Cyrillus Jerosolymitanus, Ambrosius, seu quisquis auctor de sacramentis, aliique confirmant. Fierine potuit ut orationem tanti momenti una Romana Ecclesia olim in sacris omitteret? Apage! Non omisit profecto; neque eam primus in liturgiam invexit Gregorius Magnus, sed tantummodo statuit eam recitandam esse post consecrationem, aliquos propterea damnans, qui aut ante ipsam consecrationem, aut post communionem ipsam recitabant, aut aliam pro ea orationem substituerant. De ipso pontifice murmur erat in Sicilia, « quia orationem Dominicam mox post canonem dici statuisset. » Quibus ille respondet, ad Joannem episcopum Syracusanum ita scribens : « Orationem vero Dominicam mox post precem dicimus, quia mos apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent. » Et infra : « Dominica oratio apud Græcos ab omni populo dicitur, apud nos vero a solo sacerdote. » Mos ergo antea quoque Romæ erat recitandæ orationis Dominicæ « mox post canonem; » hunc servandum jussit sanctus pontifex, ac tantummodo eos improbavit qui loco non suo eamdem recitabant, aut pro illa novam in sacra intruserant. Ad Pfaffii censuram hæc arbitror satis.

Audiendus nunc Jacobus Basnagius. Ut is ostendat ad sæculum decimum pertinere Missalem a cardinale Thomasio editum, sequentibus utitur argumentis. « Cereus, inquit ille, in hoc Missali multis cum cæremoniis benedicitur. Hunc morem quidam mutuati sunt a paganis, qui faces in suis festis accendebant. Sed Tertullianus et Patres concilii Eliberitani damnarunt. Sanctus vero Hieronymus in Oriente usitatum tolerandum censuit. Gregorius I Magnus, cæremoniarum amator, in Occidentem, sæculo VII invexit. At hunc ritum minime amplexus est populus; nam paucos post mortem Gregorii annos eidem est formali oppositione adversatus. Dubitatur Galline an Gallæci obstiterint. Quare magno annorum numero opus fuit ad eum introducendum cum omnibus cæremoniis, quæ una post alteram succedere solet. » Oblitus est Basnagius, monere lectorem ut hinc ediscat referendum esse ad sæculum decimum Missalem a Thomasio typis editum; sed sine monitore id successurum ille sibi persuasit. Ad cereorum in sacris originem quod attinet, vide infra, cap. 20.

Cerei autem paschalis ritum dum is ad posteriora sæcula trahit, illudere plane voluisse lectoribus suis videtur. Uti ipse noverat, apud Catholicos accenditur cereus, et de eo canitur præfatio ad ostendenda ipsius mysteria. In hoc sitæ sunt omnes cæremoniæ, ad quas stabiliendas tanto annorum numero opus fuit, si ipsum audimus. Noverat itidem ipse in liturgia Gothica a Thomasio edita, et in Sacramentario Gallico, quod Mabillonius publici juris fecit, benedictionem cerei occurrere, atque has liturgias præcedere annum Christi octingentesimum, et nihilo secius morem hunc ad longe posteriora tempora pertrahere audet. Multo evidentius lectori illudit, cum ipsum ab Oriente in Occidentem per sanctum Gregorium fuisse invectum ait, nullo teste adducto, ratus sibi affirmanti unumquemque esse assensurum. Locum ergo afferam, quo fretus hoc ille pronuntiavit. Gregorius magnus ad Marinianum episcopum Ravennatem, adversa valetudine laborantem, scribit: « A vigiliis quoque temperandum est, et preces quæ super cereum in Ravennati civitate DICI SOLENT (ab episcopo) vel expositiones Evangelii, quæ circa Paschalem solemnitatem a sacerdotibus (id est, episcopis) fiunt, per alium dicantur. Et tua dilectio contra virtutem laborem sibi minime imponat (*Greg. M.*, *l.* XI, *epist.* 33, *olim* 28, *ind.* 4). » Estne hoc invehere cerei ritum in Occidentem? Jam ibi tempore sancti Gregorii is vigebat. Atque hinc jam intelligis potuisse ipsum exhiberi in præcedenti liturgia sancti Gelasii. At subdit Basnagius: Eidem ritui paucos post annos se adversarium præbuit populus. Neque testem affert. Adducam ego, nempe canonem nonum concilii quarti Toletani anno Christi 633 celebrati, ubi hæc verba: « Lucerna et cereus in privilegiis Paschæ apud quasdam Ecclesias non celebrantur, et cur a nobis benedicantur inquirunt. Propter gloriosum enim noctis ipsius sacramentum solemniter hæc benedicimus. Et quia hæc observatio PER MULTARUM LOCA TERRARUM, regionesque Hispaniæ in Ecclesiis commendatur, dignum est ut propter unitatem pacis in Gallicanis Ecclesiis conservetur. » In quibusdam Codicibus pro *Gallicanis Ecclesiis* legitur *Gallicianis*, quod factum opinor ab imperitis, ignorantibus subjectam olim Gothis fuisse Galliæ partem, nempe Septimaniam, sive provinciam Narbonensem, nunc *la Linguadoca*. Quid ergo de Basnagio dicendum, qui vidit observatum cerei paschalis ritum paucis post obitum Gregorii Magni annis, « per multarum loca terrarum, et per regiones Hispaniæ, » et nihilominus populos ab eo abhorruisse, atque ipsi restitisse audacter scribit, cum tantummodo a Patribus synodi Toletanæ dicatur, « apud quasdam Ecclesias (regni Gothici) non celebratus? » Ad hæc rem istam conficiunt, non quidem epistola ad Præsidium, quæ sub nomine sancti Hieronymi circumfertur, sed geminæ benedictiones cerei paschalis a Sirmondo editæ, quorum auctor Ennodius Ticinensis, qui ipsius sancti Gelasii temporibus floruit. In Missali Gothico, et in Sacramentario Gallicano, tribuitur sancto Augustino cerei paschalis benedictio, hoc est: *Exsultet jam angelica turba cœlorum.* Id non facile credendum, quanquam similitudine veri prorsus non careat, cum idem sanctus doctor geminos versus asserat a se compositos « *in laudem cerei* (*Aug.*, *de Civit. Dei*, *l.* XV, *c.* 22). » Attamen plurane quæris, ut manu tangas quam inani argumento antiquitatem Gelasiani Codicis Basnagius ex cereo paschali minuendam susceperit?

At rursus ille instat, inquiens: « In hac liturgia (feria sexta majoris hebdomadæ) legitur: *Respice propitius ad Romanum, sive Francorum, benignus, imperium.* Omnes norunt imperium hoc anno 800 per Carolum magnum exordium cepisse, et propterea ad tempora coronationem illius subsecuta necessarius referendus est Codex. » Etiamsi daremus, inferri hinc posse Codicem exaratum fuisse post annum Christi octingentesimum, num propterea sequeretur, uti Basnagius somniavit, ipsum pertinere ad sæculum decimum? Sed quid moror? Bonam fidem in censore hoc desiderare cogimur, qui præcedentem orationem vidit, ac dissimulavit, cum tamen ipsa subsequentem explicet. Ibi enim dicitur: *Oremus et pro Christianissimo imperatore, vel rege, nostro* (*illo*), *ut Deus subditas illi faciat omnes barbaras nationes.* Nempe Romæ *pro imperatore* preces Deo ab antiquis temporibus offerebantur; et certe Romanum perduravit imperium apud Græcos usque ad annum Christi 800. At in Gallia, quo tempore scriptus fuit Codex, adhuc orabatur pro *rege nostro.* Imo si post imperium ad Francos reges translatum exaratus Codex fuisset, tantummodo dictum fuisset: *Respice propitius ad Romanum benignus imperium;* tunc enim imperii nomen Franciam quoque complectebatur. Quamobrem adnotatio hæc non solum nihil lædit, sed aperte confirmat Gelasianæ liturgiæ antiquitatem, ante annum Christi 800. Pergit Basnagius, monens in Sacramentario hoc memorari: « festa Assumptionis et Nativitatis beatæ Mariæ virginis, » quæ sæculo tantum decimo instituta fuere. Ad Assumptionis Deiparæ festum quod attinet, frustra hic censor tricatur, quod sæculo Christi nono quidam in dubium revocarent Assumptionem virginei corporis in cœlum. Hoc enim non tollit quin antea festum Depositionis, sive Dormitionis sanctæ Mariæ celebratum fuerit. Neque hic quæritur, an Gelasii tempore institutum fuerit hujusmodi festum (quod profecto nemo ait) sed quidem an ante annum Christi octingentesimum institutio ejus festi facta fuerit, atque addita Sacramentario Gelasiano, uti de aliis festis ei adjectis accidisse diximus, atque ipsi Gregoriano vicissim accidit; nam neque sanctus Gregorius in suum Sacramentarium intulisse videtur festa Nativitatis et Assumptionis Deiparæ. Cæterum quin assumptionis solemnitas antiquissima sit, præcesseritque annum 800, dubitare non licet. Sergius I papa, ut est apud Anastasium Bibliothecarium, circiter annum Christi 690, litaniam faciendam jussit « diebus Annuntiationis Domini, Nativitatis et Dormitionis sanctæ Dei genitricis. » In Galliis celebratum fuisse

festum Dormitionis hujus anno 590, hoc est, sedente Romæ Gregorio Magno pontifice, testatur Gregorius Turonensis: « Hujus, inquit, festivitas sacra mediante mense undecimo celebratur (*Greg. Turon.*, *l.* I *de Glor. mart.*, *c.* 9), » hoc est die 18 Januarii, quo etiam die occurrit in Missali Gothico, edito a venerabili Tomasio; in liturgia Gallicana apud Mabillonium, et in Martyrologio Hieronymiano Florentinii, ut alios testes omittam. Verum in Romana Ecclesia celebrabatur idem festum die 15 Augusti, quo, si fides Nicephoro, Mauricius Augustus Gregorii Magni temporibus « sacrosanctæ Dei Genitricis Dormitionem quintadecima Augusti mensis die celebrari præcepit toto orbe terrarum (*Niceph.*, *l.* XVII, *c.* 18). » Propterea in vetustissimo Bedæ Martyrologio, quod protulerunt Bollandistæ, ad diem XVIII Kalendas Septembris legitur: « Sanctæ Mariæ Dormitio (*Bolland.*, *Act. sanct.*, *t. II Mart.*). » Pervetustum itidem Romanæ Ecclesiæ Kalendarium apud Frontonem ad eum diem habet: « Solemnia de Pausatione Mariæ, » uti et in prælaudato Martyrologio Hieronymiano, et in Kalendario Romano, quod veluti insigne antiquitatis monumentum edidit Pater Martene, occurrit ad eum, diem « Assumptio sanctæ Mariæ (*Marten. Thes. nov. anecdot.*, *t. V*). » Post receptam Gregorianam liturgiam in Galliis sub Carolo Magno, in iis quoque Ecclesiis, uti Mabillonius animadvertit, invaluit celebratio hujus festi ad diem 15 Augusti. Quamobrem intelligas quam immerito Basnagius antiquitati Codicis Gelasiani opposuerit festum Assumptionis Marianæ. Imo ipsius antiquitatem ex responsis Nicolai I pontificis ad Bulgarorum consulta deducere etiam possumus. Nam is pontifex, anno Christi 866, inter jejunia, « quæ sancta Romana suscepit antiquitas, et tenet Ecclesia, » refert « jejunium ante solemnitatem Assumptionis sanctæ Dei Genitricis. » Erat igitur iis temporibus ab antiquitate commendatum Assumptionis festum. Cum vero in Gelasiano Sacramentario nulla habeatur vigilia, id est, jejunium ante idem festum, id etiam prodit Sacramentarium hoc fuisse compositum non uno sæculo ante tempora ejusdem Nicolai I pontificis. De Nativitate sanctæ Mariæ superfluum est quidquam addere, postquam supra vidimus, jam sub Sergio I papa, anno Christi 690, Romæ ejus festum in usu fuisse; et martyrologia vetusta fere omnia ejusdem mentionem faciunt mense Septembri. Duo autem diversa sunt, celebratio ejusmodi festorum in Ecclesiis, et eorum observatio de præcepto in populo, quod Basnagius minime distinxit, et de quo duntaxat disputatum aliquando fuit.

Denique is postremum jaculum intorquet, inquiens: « Istius Sacramentarii stylus ab eo differt, quo in suis epistolis superstitibus usus est Gelasius. Neque veri videtur simile ipsum sibi vim fecisse, ut Leonis I stylum imitaretur, a suo perquam diversum. » Sed vix indiget me monitore eruditus lector ad dignoscendum quam futile sit hoc argumentum. Non de novo, non ex integro Gelasius Sacramentarium construxit, sed jam a præcedentibus sæculis in Romana A Ecclesia usitatum ordinavit, et quibusdam præfationibus, ut supra vidimus, auxit. Fortassis etiam aliquot de suo orationes adjecit, certumque est in Gelasiano tot orationes et præfationes legi, quæ non eum, sed sanctum Leonem auctorem habent. Ibi quoque asservatas opinari possumus preces non paucas a primis Ecclesiæ sæculis institutas. Quare ridendus sit, qui ex Gelasii stylo Sacramentarii hujus originem metiri velit. Et nihilominus post tot inania argumenta, quibus Basnagius est usus ad illud eripiendum Gelasio, et trahendum Codicem ad sæculum decimum, triumphum sibi decernit. Fatetur quidem in liturgiis Paschasii Ratberti tempora præcedentibus « transsubstantiationem » Eucharistiæ reperiri; sed simul contendit post libros ab eodem Paschasio circiter annum Christi 831 evulgatos additamenta illa B ad ipsas liturgias facta fuisse, « per mutationes quæ in dubium revocari non possunt, postquam nos ostendimus easdem non potuisse contingere nisi sæculo decimo. » An gloriosus hic miles ostenderit quæ ipse jactitat, nos quidem hactenus ostendimus. Sed maxime dolendum est viros doctos præoccupari adeo et præripi a contentionis et schismatis amore, ut neque veritatem sinceritate, quæ par est, conquirant, seque et populum imaginationibus meris in re tanti momenti pascant, atque in iis tam placide conquiescant. Ut enim viri inter catholicos eruditissimi jam diu demonstrarunt, absurda plane imaginatio est, in Calvinistæ Claudii cerebro nata, Paschasium C corrupisse Ecclesiæ de Eucharistia doctrinam, primumque invexisse realem oblatorum conversionem in corpus et sanguinem Domini, uti infra ostendemus. Et quale foret Gallicarum et Britannicarum Ecclesiarum dogma de Eucharistia paucos ante Paschasium Ratbertum annos, unus Alcuinus Albinus, vir omnium theologorum sui temporis spectatissimus, edocere eos potest, quippe qui ad Paulinum Aquileiensem patriarcham hæc scribit: « Ne, quæso, oblivi-scaris in tuis sanctis orationibus nomen amici tui Albini; sed in aliquo memoriæ tuæ gazophilacio reconde illud, et profer eo tempore opportuno, quo panem et vinum IN SUBSTANTIAM CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI consecraveris (*Alcuin. Alb.*, *c.* 113, *ad. Paulin.*) » Stultissima autem omnium est altera ima-D ginatio, nempe tantam fuisse vim Paschasii libris, ut universæ Occidentis Ecclesiæ, nemine hiscente, aut reclamante, ac nemine præcipiente, transsubstantiationem contra fidem præcedentem fuerint amplexæ, eamque doctrinam in liturgias atque in alios libros pacifice intulerint. Hæc, ut dixi, imaginatio mera est, atque omnino ridenda: neque enim ullum testem producunt, qui excogitatam hanc tantæ rei mutationem animadverterit, et fassus fuerit. Sed quod maxime interest, jam diu palam fecere Catholici, omnes tam Occidentis quam Orientis Ecclesias, tam ante quam post Paschasii tempora, unanimes processisse semper in asserenda doctrina quam etiamnum Ecclesia catholica profitetur. Plura hic non addo, quippe mihi statutum est infra in ejusmodi he-

terodoxorum imaginationes invadere, quando easdem adhuc cernimus pertinaciter venditari, ac tanta confidentia lectoribus incautis propinari.

Interea statuimus nihil hactenus productum fuisse quod sancto Gelasio abjudicandum suadeat Sacramentarium sub ejus nomine editum, simulque Codicem unde illud expressum fuit ostendimus ante annum Christi octingentesimum fuisse exaratum. Hic autem obiter animadvertendum reor, uti veri fert similitudo, per incuriam librarii excidisse ex hoc Sacramentario commemorationem defunctorum, quæ post consecrationem adhibetur a Romana Ecclesia, nempe: *Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui nos præcesserunt*, etc. Quippe nullam ferme liturgiam sive Occidentalium sive Orientalium Ecclesiarum mihi ostendas, in qua pius iste ritus desideretur. Neque tibi in mentem subeat dubitatio an sancti Gelasii ævo vigeret mortuorum fidelium commemoratio in sacris, et preces pro iis Deo offerrentur. Sæculo ipso Christi tertio, et quarto, nedum quinto, habemus Patres hujusmodi dogmatis et ritus testes. Nullum ex iis ego memorabo in re nimium nota atque protrita. Sed et in hoc ipso Sacramentario complures leguntur missæ pro defunctis, quæ fidem faciunt antiquissimæ hujus in Ecclesia doctrinæ. Rursus nullam tibi suspicionem minoris antiquitatis ingerant missæ, aut orationes pro quibusdam privatis necessitatibus, et benedictiones nonnullæ, nam et istas novit et adhibuit priorum Christianæ fidei sæculorum devotio. Exemplum dabo. Est hic, lib. III, cap. 83, oratio pro eo, qui prius barbam tondit, ubi hæc verba: *Propitius super hunc famulum tuum juvenilia* (scribe *juvenilis*) *ætatis decorem lætantem, et florem primis auspiciis attondentem, adesto.* Festivus apud ethnicos mos iste olim fuit. Illum ipsum Christiani retinentes sacrarunt. Sanctus Paulinus episcopus Nolanus, cum adolescens circiter annum Christi 373 primam poneret barbam, ante sepulcrum sancti Felicis ipsam totondisse videtur. Inquit enim, sanctum Felicem alloquens (*In natal.* 13, *v.* 324, *Anecdot.*, *Ed. Murat.*):

> Tunc etiam primæ... [*Forte* ponens] libamina barbæ
> Ante tuum solium, quasi te carpente, totondi.

Antiquitatem vero Gelasiani Codicis luculentius confirmabit species characterum, quam P. Blanchinio acceptam refero.

CAPUT VI.

De Sacramentario Gregoriano.

Exploratum habemus Gelasianum Sacramentarium a sancto Gregorio Magno coarctatum fuisse, atque ad eum ordinem redactum, qui deinceps in Romana Ecclesia, cæterisque ipsam imitantibus, ad nostros usque dies observatus est, additamentis tamen non paucis, sed levibus, identidem factis, quibus nihil subtractum fuit substantiæ. Gregoriani fetus. Joannem Diaconum (*In Vit. S. Greg. M.*), Adrianum I

A papam (*In epist. ad Carol. M.*), et antiquissimos alios scriptores, atque Missales, testes habemus hujusmodi laboris. Illud tantummodo quærendum venit, an Codex aliquis supersit, purum ac germanum Gregoriani Sacramentarii textum exhibens. Et quidem sine dubitatione respondendum aio, nullum hactenus repertum, imo reperiendi spem omnem ereptam videri. Cum enim non Romana tantum Ecclesia, sed et reliquæ, novos dies festos in antiquam liturgiam inveherent, vix fieri potuit ut Codex aliquis tantæ antiquitatis ad nos venerit, in quo nihil additamenti occurrat. Itaque illud duntaxat in votis mihi fuit, ut quem possem reperire textum Gregorianum, cæteris antiquitate præstantem, lectori exhiberem. Sacramentarium Gregorianum anno Christi

B 1571 primus ex antiquissimo Codice evulgavit Jacobus Pamelius (*Tom. II Liturg.*): quod tamen quicunque conferat cum textu quem ego prolaturus sum, statim animadvertet eidem antiquitate cedere; multa quippe in eo addita occurrunt, quæ in infra mihi edendo minime spectantur. Alterum postea evulgavit Angelus Rocca, apostolici palatii sacrista [a]. In eo etiam minor vetustas, quam in Pameliano. Tertium denique Hugo Menardus (*Sacrament. Greg. M.*) ex sancti Eligii Codice ms. expressum et notis illustratum typis tradidit; illudque clarissimi Patres Benedictini e congregatione sancti Mauri nobis iterum dedere [b]. Duo autem ibi consideranda sunt, textus videlicet Gregoriani Sacramentarii, ipsiusque Menardi notæ. Ad hasce quod attinet, eæ ex multiplici

C eruditione, qua in liturgicis rebus eminebat vir doctissimus, summopere sunt commendandæ, et dignæ quæ omnium manibus terantur. Quod vero pertinet ad Gregorianum textum ab eo editum, en quid de eo senserint prælaudati Benedictini in præfatione ad idem Sacramentarium: « Et sane, inquiunt, perpensis omnibus æquiori lance, nullum ipsi vel ob antiquitatem, vel ob integritatem præferendum duximus, lecta, quam Editioni suæ vir doctissimus præfixit, præfatione. » Verum Venerabili cardinali Thomasio, uti in ejus Vita memoriæ proditum lego, aliter visum fuit. Scilicet optasset ille, ut Benedictini Gregorianum a Pamelio editum Sacramentarium in Editione Operum sancti Gregorii Magni prætulissent, cum illud magis conforme ac simile censeret primi-

D genio textui sancti pontificis, quam alterum a Menardo evulgatum: quod tamen facere ii vetabantur, quando statuerant utilissimas Menardi notas in suam Editionem inferre, quæ textui diverso a Menardino minime respondissent.

Cæterum quin Pamelii textus Menardino sit præferendus, uti arbitratus est Thomasius, ac deinde confirmavit eximius Pater Mabillionius, nemo dubitare poterit, qui diligentiori lance utrumque expendat. Nimis enim multa sunt in Gregoriano Sacramentario Menardi, quæ sanctum Gregorium auctorem nequaquam agnoscunt, et a vetustis Romanæ Eccle-

[a] *Angelus Rocca, in Editione operum sancti Gregorii sub Clemente VIII Romæ peracta.*

[b] *Nova Editio operum sancti Gregorii I, a Benedictinis sancti Mauri instructa.*

siæ moribus recedunt, ita ut sancti Eligii codex (quo tamen non ipse sanctus Eligius, sed monachi sancti Eligii olim utebantur, et usus postea est Menardus ad suam Editionem) non sit ejus antiquitatis et integritatis quam sibi persuaserunt monachi Benedictini. In oculos primo statim incurrunt innumeræ, ut ita dicam, præfationes illæ quæ ad singulos ferme festos dies, et ad omnes totius anni Dominicas, vel ad ipsas vigilias, et ad privatarum necessitatum missas, adjunguntur. Atqui tantam præfationum copiam a sancto Gregorio profectam atque probatam, a credendo nos vetera monumenta deterrent. Concorditer quidem procedebant universæ orbis Christiani Ecclesiæ in quadam præfatione sive præparatione ad canonem, quam hymno seraphico concludebant, atque istius communis prælationis mentio est apud sanctos Cyprianum, Cyrillum Jerosolymitanum, Chrysostomum, Augustinum, aliosque Patres. Sed mos sensim in Occidente invaluit, ut huic præfationi aliquid singulare adderetur, pertinens ad singulas quasvis festivitates. Antiquitatem hujusce consuetudinis habemus a concilio Milevitano II, quod anno Christi 416, præsente sancto Augustino, celebratum fuit. Ibi hæc leguntur : « Placuit etiam et illud, ut preces, vel orationes, seu missæ, quæ probatæ fuerint in concilio, sive præfationes, etc., ab omnibus celebrentur. Nec aliæ omnino dicantur in Ecclesia, nisi quæ a prudentioribus tractatæ vel comprobatæ in synodo fuerint, ne forte aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus studium sit compositum (*Conc. Milev.* II, *c.* 12). » En qualis æmulatio olim foret piis hominibus Latinis, vel ipso quinto Ecclesiæ sæculo, concinnandi novas orationes, præfationes et missas. Par quoque in ipsa Romana Ecclesia studium fuit. Vide Sacramentarium Leonianum, in quod confluxisse videtur quidquid præfationum Romæ habebatur, quo tempore illud confectum fuit. Vide et Gelasianum, ubi non levis præfationum copia; et profecto, ut jam didicimus, ex Anastasio, sanctus Gelasius fecit « Sacramentorum præfationes. »

Cum autem usque ad Gregorium Magnum eodem Sacramentario Gelasiano usa fuerit Ecclesia Romana, justæ propterea dubitationi aditus relinquitur an tribuenda sit Pelagio II papæ epistola ad episcopos Germaniæ et Galliæ, quam in conciliorum collectionibus, et in Annalibus ecclesiasticis cardinalis Baronii, habes ad annum Christi 590, hoc est centum post Gelasii mortem annis. Petebant episcopi illi « ordinem præfationum, quem sancta Romana Ecclesia hactenus haberet. » Rescribit pontifex : « Sacrum Ordinem Romanum, sacraque constituta nostrorum antecessorum relegentes, invenimus has novem præfationes in sacro catalogo recipiendas, quas longa retro veritas in Romana Ecclesia hactenus servavit : Unam in Albis paschalibus, aliam de Ascensione Domini, tertiam de Pentecoste, quartam de Natali Domini, quintam de Apparitione (id est de Epiphania), sextam de Apostolis, septimam de sancta Trinitate, octavam de Cruce, nonam de Jejunio et Quadragesima tantummodo dicendam. Has præfationes tenet et custodit sancta Romana Ecclesia. Has tenendas vobis mandamus. » Isidori Mercatoris fetum adulterinum hanc Epistolam suspicatus est Labbeus. Cardinalis vero Bona suspicionem concepit « ne alterius forte pontificis recentioris sit, et Pelagio per errorem tributa. » Suspicionis suæ causam deinde is affert, inquiens : « Si enim ætate Pelagii illis tantum præfationibus Romana Ecclesia, tanquam dudum in ea receptis et approbatis utebatur, quomodo Gregorius, ejus immediatus successor, sacrorumque rituum tenacissimus custos, alias novas instruxit? Evidens enim est in libris antiquis Sacramentorum, qui Romanæ Ecclesiæ titulum præ se ferunt, plures reperiri præfationes, vixque ulla missa est cui propria et peculiaris non assignetur præfatio. » Cardinali Bonæ majori fragore subscripsit Pagius (*Critic. Baron.*, *ad an.* 590), iisdem ac ille rationibus usus. Suppositiam, aut alteri Romano pontifici recentiori potius tribuendam, et ego arbitror epistolam illam Pelagii II papæ, sed non ob adducta argumenta. Decepti namque ab Editione Menardi tam Bona quam Pagius, sibi persuasere tot in Gregoriani Sacramentarii Editione Menardina præfationes ab ipso Gregorio Magno pontifice esse profectas, quod tamen cum veritate pugnat; quippe brevi palam fiet duntaxat paucas illas, quibus nunc utimur præfationes, a sancto Gregorio esse receptas atque probatas. Ratio ergo cur suppositionis arguenda sit epistola nuper memorata, ea est, quod revera ante Pelagium II atque ante annum 590 Ecclesia Romana compluribus usa fuit præfationibus, uti constat e Sacramentariis Leoniano et Gelasiano, atque ex Anastasio scribente « Sacramentorum præfationes » a sancto Gelasio elaboratas fuisse; quæ verba non novem tantum, easque brevissimas, præfationes indicant, sed quidem multas, quales in Gelasiana liturgia reperimus. Itaque falso ea scripsisset Pelagius Secundus. Contra auctor illius epistolæ, fortassis Isidorus Mercator, cum ineunte sæculo Christi nono, sive sub Carolo Magno spurias epistolas scriberet, merito affirmare potuit nonnisi novem præfationibus a longo tempore uti Romanam Ecclesiam; nam revera nonnisi octo, aut novem, aut decem, a Gregorii Magni temporibus eadem usurpavit in sacris, idque antiquissimi Codices testantur.

Verum unde in editum a Menardo Sacramentarium tanta præfationum copia irrepsit? Micrologus sæculi undecimi scriptor auctor est Alcuinum Albinum sub finem sæculi octavi confecisse, aut collegisse, varias præfationes, quæ tamen sanctum Gregorium minime auctorem habebant : « Fecit (sunt ejus verba) idem Albinus in sancta Ecclesia non contemnendum opus ; nam Gregorianas orationes in libris Sacramentorum collegisse asseritur, paucis aliis adjectis, quas tamen sub obelo notandas esse indicavit (ut eas a Gregorianis distingueret). Deinde alias orationes, sive præfationes, etsi non Gregorianas, ecclesiasticæ tamen celebritati idoneas, collegit, sicut prologus testatur, quem post Gregoria-

nas orationes in medio ejusdem libri collocavit (*Micrulog.*, *de eccles. Observ.*, *c.* 9). » Qui vero in Gallicanis et Germanicis Ecclesiis pietate præstabant, ejusmodi proprias præfationes ad majorem quibusdam diebus venerationem conciliandam in liturgiam Gregorianam intulere. In Chronico Centulensi apud Dacherium memoratur « Missalis Gregorianus, et Gelasianus modernis temporibus ab Albino ordinatus (*Dacher.*, *in Spicileg.*, *l.* III, *c.* 3). » Confer cum Sacramentario per Menardum edito Gelasianum; reperies non paucas e Gelasianis præfationibus in Gregorianam liturgiam immigrasse, uti in vigilia Natalis Domini in nocte, feria 6 in Albis, Dominica 2 et Dominica 4 post octavas Paschæ, ut alias prætercam. Reliquæ vero, non Gelasianæ, ab Alcuino Albino aliunde collectæ fuerunt. Mos autem fuit in describendo Sacramentario Gregoriano ejusmodi præfationes non Gregorianas seorsim apponere, uti fetus minime sancto illi pontifici tribuendos, adhibendas tamen devotionis causa pro opportunitate festorum. Incertum est an Codex sancti Eligii, quo usus est Hugo Menardus, easdem ad quamlibet missam insertas haberet, an ad calcem Codicis rejectas. In Cæsarea Vindobonensi Bibliotheca insigne antiquitatis monumentum visitur, celeberrimum, videlicet, Sacramentarium Gregorianum, quod Petrus Lambecius (*Tom. II Biblioth. Cæs.*, *c.* 5), idem ipsum esse censuit ac missum ab Adriano I summo pontifice ad Carolum Magnum Francorum et Longobardorum regem, ut patet ex epistola 82 Codicis Carolini.

An tantæ antiquitatis censendus foret ejusmodi Codex dubitans ego, hac de re litteras dedi ad Dominicum Bricherium Columbum, amicum meum doctissimum, ut ipsum scrutaretur, sive judicium exponeret domini Forlasiæ primi bibliothecæ custodis. Rescripsit ille, in oratione feria 6 in Parasceve legi: *Oremus et pro Christianissimo imperatore nostro;* alia vero manu supra scriptum fuisse REGE. Non aliud habere potuit, atque habuit Sacramentarium Gregorianum, quam *pro imperatore nostro*, ita enim suo tempore scripsit sanctus Gregorius. Quonam vero tempore scriptum in eo Codice fuerit *rege*, incertum est. Ibi quoque habetur, die Dominica missa de sancta Trinitate. Feria 2, de Sapientia; Feria 3, de Spiritus sancti dono postulando, etc. At hujusmodi missæ, uti nos veteres liturgici scriptores moquerunt, auctorem agnoscunt prælaudatum Alcuinum Albinum, ita ut hinc discamus exaratum fortasse fuisse Codicem illum ante finem sæculi octavi; at non eum esse potuisse qui ab Adriano I pontifice ad Carolum Magnum missus fuit. Præterea ante idem Vindobonense Sacramentarium primigenia manu scriptæ occurrunt præfationes missarum a prima Dominica Quadragesimæ usque ad feriam sextam in Parasceve. Deinde missa de patronis Ecclesiæ, benedictio candelarum in die purificationis sanctæ Mariæ virginis, missa sancti Christophori, et Kalendarium. Tandem sequitur hic titulus, litteris alternis ex auro, argento, minio, atque atramento efformatis: *In nomine Domini. Incipit Liber Sacramentorum in circulo anni, expositum a sancto Gregorio papa Romano, editum ex authentico libro bibliothecæ capituli scriptum.* Viden ut præfationes distinctæ sint a Gregoriano Sacramentario? Eam sane ob causam, quod auctorem non habent præclarissimum illum pontificem. Spectasse Codicem hunc ad celeberrimum Augiæ Majoris Monasterium in Constantiensi diœcesi situm, ex Kalendario eruitur, ubi anniversarius dies obitus et interdum ordinationis illorum abbatum annotatur, atque insuper regum aliorumque hominum bene de eodem cœnobio meritorum dies emortualis vario charactere signitur. Postremus regum est Henricus rex, primus videlicet ejus nominis in Germania; abbatum vero Folewinus, qui anno Christi 809 electus fuit. In eo Codice nonnullæ missæ, orationes et benedictiones, nobis sese offerunt quæ in Codice Menardi desiderantur; et aliæ contra exstant apud eumdem Menardum, quibus caret Vindobonensis Codex.

Sunt et alii in Italia vetustissimi Codices ejusdem Gregorianæ liturgiæ. An ex iis aliquem asservaret insignis Aquileiensis patriarchalis Ecclesia, a cl. v. Joanne Dominico Berroli, ejusdem Ecclesiæ canonico, sum percontatus. Retulit ille haberi illic elegantissimum Codicem, cujus ætas spectare videtur ad sæculum Christi nonum, aut decimum. En ejus titulum: *In Christi nomine incipit Liber Sacramentorum de circulo anni, a sancto Gregorio papa Romano editum, qualiter missa Romana celebratur. Hoc est in primis introitus*, etc. In Bibliotheca quoque insignis capituli Canonicorum Veronensium exsistit idem Sacramentarium cum usitato titulo, scilicet: *Incipit Liber Sacramentorum de circulo anni, expositus a sancto Gregorio papa Romano, editus ex authentico libro bibliothecæ Cubiculi scriptus, qualiter missa Romana celebratur.* Consultus a me Bartholomæus Campagnola, sanctæ Cæciliæ archipresbyter, et Veronensium rerum peritissimus, ad me rescripsit in benedictione cerei Sabbato sancto hæc legi: *Ut nos famulos tuos*, etc., *una cum papa nostro* (*illo*) *et gloriosissimo rege nostro Ottone, nec non et venerabili antistite nostro* VUOLFKANGO, *quieta temporum continua*, etc. Auctoritate Missalis hujus cl. v. Scipio Maffeius Marchio, in catalogo episcoporum Veronensium intulit Vuolfkangum, ut ex postrema Veneta Editione Italiæ sacræ constat. Verum prælaudato Campagnolæ visum est Sacramentarium illud spectasse olim ad Ratisbonensem Ecclesiam sub Ottone III Germanico rege, nondum imperatore, quo tempore floruit Vuolfkangus Ratisbonensis episcopus ab anno Christi 974, usque ad 994. Codicem vero ab Oberto episcopo, qui cathedram Veronensem tenuit ab anno 992 ad 1008, atque Ottoni III perquam charus et familiaris fuit, ob devotionem erga sanctum illum præsulem fuisse Veronam deportatum. Quæ si vera sunt, expungendus est ex catalogo Veronensium antistitum ille Vuolfkangus.

In eodem autem Sacramentario, præter consuetas Romanæ Ecclesiæ præfationes, nulla alia occurrit. Sed et apud canonicos Mutinenses Gregoriani Sacramentarii vetustissimum exemplum superest, mutilum tamen, cum a Natali sancti Fabiani, die XIII Kalendas Februarii, exciderint non pauca folia usque ad feriam quartam infra octavam Pentecostes. En Codicis titulum: *In nomine Domini incipit Liber Sacramentorum de anni circulo, expositum a sancto Gregorio papa Romano, editum ex authentico libro bibliothecæ Romanæ Ecclesiæ. Incipit missa Ecclesiæ Romanæ. Per omnia sæcula sæculorum.* Sæculo Christi nono exaratus Codex videtur; saltem decimo statuenda illius ætas: quod et characterum forma, et quædam in margine alia manu adnotata evincunt. Ibi inter alia legitur: « III Kalendas Julii, quod fuit festivitas apostolorum Petri et Pauli, obiit Gotefredus de Bolonia; sed et Emerada uxor ejus obiit ipsa Kal. Julii de hoc sæculo; quod fuit genitor et genitrice domni Warini episcopi Mutinensis, indictione prima (id est, anno Christi 1003, aut 1018, quo floruit idem Warinus episcopus). » Alteram accipe adnotationem in margine: « Ab hac hora in antea promitto ego Joannes archipresbyter tibi Warino episcopo, quod diebus vitæ meæ cum muliere alterius adulterium non faciam, neque cum illicita meretrice fornicationem. Et si fecero, me ipsum confirmo in periculum. » Tertiam denique adnotationem accipe: « Ego Naira presbyter promitto coram Deo et omnibus sanctis, et tibi Guarino episcopo, quod carnis commistionem non faciam. Et si fecero, et honoris mei et beneficio Ecclesiæ perdam. » Ibi quoque præfationes illæ duntaxat in textu leguntur, quæ adhuc in usu sacrorum sunt. Si quæ vero additæ sunt, in margine alia manu adnotatæ fuerunt.

Longe tamen antiquiora Sacramentarii Gregoriani exempla mihi suppeditavit diligentia, et antiquus erga me amor cl. viri Patris Josephi Blanchinii, quem editi libri celebrem reddidere, et cui in Oratorio Romano commendata est ecclesiasticorum Annalium continuatio. Geminos ille, inquam, Codices ad me misit ex veneranda profecto vetustate præ cæteris Gregorianis commendandos. Alter ex iis olim in Gallia spectavit ad Paulum Petavium Parisiensem senatorem; tum ad Christinam inclytam Suecorum reginam pervenit, denique Romæ in Othobonianam bibliothecam illatus ibi quiescit. Confirmatur rara ejus antiquitas ex characterum forma, quorum specimen idem Pater Blanchinius æreæ laminæ commendatum voluit, atque hic ego omnium oculis expositum volo.

Rursus Codicis hujus antiquitas ex necrologio, quod identidem varia manu, diversisque temporibus, eidem Sacramentario adjectum fuit, deduci posse videtur. Certum quippe est antea exaratum fuisse Codicem; tum addita prout sors ferebat, et confuse in margine, sive in paginis vacuis, nomina defunctorum, aut infirmorum, aliorumque etiam viventium, pro quibus preces in tremendo sacrificio fundebantur. Singula referre, in nullius usum concederet. Præcipua tantum memorabo.

Nomina canonicorum Parisiensium.

Ercanradus episc.,	Amalingus,	Ambrico,	Bernardus,
Ercanfredus,	Amalgarius,	Atroldus,	Magenardus,
Ragoboldus,	Vuacco,	Everladus,	Gillardus,
Falcaldus,	Aganus,	Jonas,	Vulfuinus,
Hadericus,	Item Aganus,	Melismus,	Drogo,
Gabilo,	Ercanfredus,	Berthaus,	Vuinebaldus,
Remigius,	Item Ercanfredus,	Ainricus,	Rotgaimus, etc.
Fulcricus	Eltbertus,	Gislefredus,	
Alo	Martinus,	Johannes,	

Quod de Italia animadverti ego alibi (*Murator., Antiq. Ital, dissert.* 41), de Gallis nunc animadvertere potes. Scilicet homines unico nomine descriptos, cum nullus tunc esset cognominum usus. Qui mos fieri non potuit, quin confusionem aliquando pareret. Hic habes tres Ercanfredos, duos Aganos. Quid quæso, unum ab altero distinguit?

Nomina infirmorum.

Gerulfus sacerdos,	Adalaldus,	Hildulfus,	Melismus,
Hildeardus,	Adalardus,	Zangrulfus,	Sidhardus,
Teibaldus,	Waltharius,	Aldecrudis,	Godelindis,
Fulcoldus,	Ivo,	Sichardus,	Agino,
Adhalarius sacerdos,	Durandus,	Eufania,	Morandus,
Gerbertus,	Hulculfus,	Hairamnus,	Agenildis,
Lingradus.	Amalhardus,	Anthelmus,	Rotfridus,
Walaradus,	Durandus,	Sigebertus,	Ingelbaldus, etc.
Hildegardis,	Leduis,		

Nomina defunctorum.

Domnus Inchadus episcopus,	Adalricus,	Amaltrudis,	Rodulfus comes,
Ercanradus episcopus,	Hilduinus abba,	Deutfredus,	Metarius laicus,
Erembertus episcopus,	Arigarius sacerdos,	Geringarius,	Otfredus episcopus,
Dontbaldus episcopus,	Lotharius imperator,	Beniamin,	Madelgarius,
Aldricus episcopus,	Meinardus monachus,	Elongus,	Item Madelgarius,
Adalbertus episcopus,	Teowinus monachus,	Wlfgrimmus sacerdos,	Emeltrudis,
	Vumelinda,	Baltadus sacerdos,	Wlfaldus,

Item Wifaldus,
Constantius,
Item Constantius,
Beringarius,
Jacobus episcopus,
Ratfredus,
Plectrudis,
Gunardus,
Stephanus,
Almedus,
Stephanus, etc.

In aliis paginis hæc habentur.

Karolus imperator,
Hludovicus imperator,
Pippinus rex,
Constantius episcopus,
Hewardus levita,
Sirmundus sacerdos,
Alfredus levita,
Drogo,
Elisard episcopus,
Hodolricus decanus,
Fulcherius decanus,
Frotmundus decanus,
Otramnus levita,
Joannes subdiaconus.
Giroldus,
Fulbertus,
Waldrit levita,
Otulfo levita,
Adelenda femina,
Flaremburgis femina,
Godevertus laicus,
Ingelrannus,
Anstasius,
Heribertus,
Anstasius, etc.

Reliquorum hominum hic descriptorum colluviem prætereo. Eorum nomina diversa characterum forma plerumque scripta apparent, ideoque addita, postquam Sacramentarium exaratum fuerat. Gemini autem Ercanradi, sive Erchenradi, Parisienses episcopi hic numerari videntur. Catalogum pervetustum Parisiensium episcoporum edidit Mabillonius (*Lib.* IV *de Re diplom.*, *p.* 625), in quo recensentur duo Erchanradi. Senior, a Sammarthanis in priore Editione Galliæ Christianæ omissus, florebat anno Christi 775. Junior vero interfuit synodo Theodonis Villæ circiter annum 835, et decessisse creditur circiter annum 853. Quare saltem ante hunc annum Othobonianus Codex scriptus videtur. In eodem autem Codice legitur Litania Romana, non adeo antiquo charactere scripta, atque ad Parisiensis Ecclesiæ usum accommodata, quam a me accipere lectorem non pigebit. Ibi oratur pro domno imperatore, et exercitu Francorum. Ergo hæc Litania ante annum Christi 887, in usu fuit.

Litania Romana.

Kyrie, eleison. (*Ter.*)
Christe, audi nos. (*Ter.*)
Sancta Maria, ora.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphael, ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bertholomee, ora.
Sancte Matthee, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Taddee, ora.
Sancte Mathia, ora.
Sancte Marce, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Line, ora.
Sancte Clete, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Xiste, ora.
Sancte Corneli, ora.
Sancte Cypriane, ora.
Sancte Chrysogone, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancte Anastasi, ora.
Sancte Fabiane, ora.
Sancte Sebastiane, ora.
Sancte Tiburti, ora.
Sancte Valeriane, ora.
Sancte Gergi, ora.
Sancte Ignati, ora.
Sancte Alexander, ora.
Sancte Cucufas, ora.
Sancte Gervasi, ora.
Sancte Protasi, ora.
Sancte Celse, ora.
Sancte Hippolythe, ora.
Sancte Dionysi, ora.
Sancte Rustice, ora.
Sancte Eleutheri, ora.
Sancte Saturnine, ora.
Sancte Polycarpe, ora.
Sancte Timothee, ora.
Sancte Cosma, ora.
Sancte Damiane, ora.
Sancte Maurici, ora.
Sancte Gereon, cum sociis tuis, ora.
Sancte Crispine, ora.
Sancte Chrispiniane, ora.
Sancte Christophore, ora.
Sancte Hilari, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Silvester, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Apollinaris, ora.
Sancte Maximine, ora.
Sancte Remigi, ora.
Sancte Vedaste, ora.
Sancte Marcelle, ora.
Sancte Germane, ora.
Sancte Medarde, ora.
Sancte Sulpici, ora.
Sancte Lupe, ora.
Sancte Eligi, ora.
Sancte Albine, ora.
Sancte Audoene, ora.
Sancta Felicitas, ora.
Sancta Perpetua, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Anastasia, ora.
Sancta Petronilla, ora.
Sancta Scholastica, ora.
Sancta Susanna, ora.
Sancta Prisca, ora.
Sancta Praxedis, ora.
Sancta Brigida, ora.
Sancta Afra, ora.
Sancta Juliana, ora.
Sancta Eulalia, ora.
Sancta Leochadia, ora.
Sancta Eugenia, ora.
Sancta Euphemia, ora.
Sancta Genovefa, ora.
Sancta Tecla, ora.
Sancta Columba, ora.
Sancta Helena, ora.
Sancta Adelgundis, ora.
Sancta Antonina, ora.
Sancta Christina, ora.
Omnes sancti, orate pro nobis.
Propitius esto. Parce nobis, Domine.
Propitius esto. Libera nos, Domine.
Ab omni malo, libera.
Ab hoste malo, libera.
A periculo mortis, libera.
Per Crucem tuam, libera.
Peccatores. Te rogamus, audi nos.
Ut pacem nobis dones, te rogamus.
Ut sanitatem nobis dones, te rogamus.
Ut fructum terræ nobis dones, te rogamus.
Ut aeris temperiem nobis dones, te rogamus.
Ut domnum apostolicum (illum) in sancta religione conservare digneris, te rogamus.
Ut domnum imperatorem, et exercitum Francorum conservare digneris, te rogamus.
Ut cunctum populum Christianum, pretioso sanguine tuo redemptum, conservare digneris, te rogamus.
Fili Dei, te rogamus.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere.
Christe, audi nos.
Kyrie eleison.

Alterum Sacramentarii Gregoriani Codicem, saltem ineunte sæculo Christi nono exaratum, asservat supra cæteras ditissima, hoc est, Codicibus mss. refertis, Vaticana bibliotheca. Illius exemplum sibi procurarat indefessus eruditionis ecclesiasticæ venator Pater Blanchinius nuper memoratus, illudque tamdem in usum meum concessit, adjuncto etiam specimine characterum ejusdem Codicis in ærea lamina inscripto. Idem cum aliis ibi titulus : *Incipit Liber Sacramentorum de circulo anni expositum a sancto Gregorio papa Romano, editum ex authentico libro bibliothecæ Cubiculi scriptum*. In aliis Codicibus, ut supra vidisti, habetur, indignante Prisciano, *liber expositum*, *editum*, *scriptum*. Si quis Codex editus aliter effert, de correctione longe serius adhibita dubitandum est. Hæc autem animadversio me ad opinandum adducit, non ex ipso authentico libro bibliothecæ Cubiculi pontificii singula exempla Sacramentarii Gregoriani fuisse olim petita. Unum exemplum inde expressum, et ad Ecclesiam quampiam Galliarum, aut Germaniæ, aut Italiæ translatum, satis fuit, ut complures aliæ Ecclesiæ nova inde exempla desumerent : quod præci-

pue factum sæculo Christi nono et decimo, quo nempe A tempore per singulas ferme civitates canonicorum collegia constituta certarunt, ut ritus suos componerent ad exemplar omnium matris Ecclesiæ, hoc est, apostolicæ Romanæ. Si unusquisque e Romano Codice suum derivasset, vix fieri potuisset ut in tot exempla incurrisset idem grammaticalis error. Attamen in Codice Othoboniano, de quo nuper egimus, ita conceptus est titulus, litteris majusculis et minio exaratus : *In nomine Domini. Incipit liber Sacramentorum de circulo anni, a sancto Gregorio papa Romano editus. Qualiter missa Romana*, etc. Repetendum autem hic est, in neutro Codice, Vaticano, scilicet, atque Othoboniano, exhiberi nobis purum putum Sacramentarium, quale e sancti Gregorii manibus prodiit. Aliquot etiam additamenta festorum subinde ad illud utro- B bique sunt facta : cujus rei exemplum satis est memorare, diem festum ipsius sancti Gregorii ad IV Idus Martias, et missam sanctæ Mariæ ad martyres, III Idus Maias; quæ instituta fertur a Bonifacio IV papa circiter annum Christi 610. Attamen suum stat remotissimæ antiquitatis pretium geminis memoratis Codicibus, Vaticano videlicet atque Othoboniano, ita ut ambo referre Natale suum censendi sint, aut ad finem sæculi octavi, hoc est ante annum Christi octingentesimum, aut ad priores sæculi noni annos. Leo III papa anno 795 pontificatum iniit; anno 816 vivere desiit. De hoc autem pontifice quid habeat Anastasius Bibliothecarius in ejus Vita accipe : « Ipse vero a Deo protectus et præclarus pontifex constituit, ut ante tres dies Ascensionis dominicæ litaniæ C celebrarentur. Scilicet feria secunda, egrediente pontifice cum omni clero et cuncto populo cum hymnis et canticis spiritualibus ab Ecclesia Dei genitricis ad Præsepe, etc. Feria tertia vero, exeuntes ab ecclesia sanctæ Sabinæ martyris, etc. Feria quarta exeuntes ab Ecclesia Jerusalem, » etc. Habes hic, quo tempore litaniæ minores, sive rogationes, ante aliquot sæcula in Galliis institutæ, in Romanam Ecclesiam invectæ fuerint. Earum quidem mentio occurrit in Sacramentario Menardino; nulla vero in Vaticano atque Othoboniano Codicibus. Itaque firmo decreto statui jam potest geminos hosce Codices sub finem sæculi octavi, aut exordium noni, fuisse exaratos. Ad hæc in Sacramentariis Pamelii et Menardi ha- D bentur missæ in Natali sancti Marci evangelistæ, ad diem VII Kalendas Maias; et in natali sancti Jacobi apostoli, ad diem VIII Kalendis Augusti, quæ in Vaticano atque Othoboniano minime leguntur. Rursus apud Menardum habes Missas in natali sancti Bartholomæi apostoli, et sancti Augustini episcopi, et in vigilia sancti Lucæ evangelistæ; et in natali sanctorum Simonis et Judæ, et sancti Thomæ apostoli. Nulla ex his missis visitur in utroque Codice nostro; quæ satis evincunt Pamelii et Menardi Sacramentaria utrique illi Codici antiquitate concedere. Atque hoc manifestius postea elucet ex die festo Omnium Sanctorum, quem Adone, et Usuardo testibus Gregorius IV, summus pontifex, Ludovico Pio imperante, circiter annum Christi 830, instituit. Cum illius diei missa tam in Codice Pameliano quam in Menardino legatur, nulla vero in Vaticano atque Othoboniano, legitima inde conjectura, imo et peremptoria sententia exsurgit, majorem istis vetustatem esse tribuendam. Vindobonensis Cæsareus Codex missas concordes cum ambobus Codicibus nostris exhibet, et cum nullum ibi sit de rogationibus verbum, inde illius quoque ætatem metiri potes. Redeo nunc ad tot præfationes, quibus oneratam vides liturgiam Gregorianam a Menardo editam; ac repeto easdem in textum missarum illatas, causam errori dedisse, quasi ipsarum auctor fuerit sanctus ipse Gregorius, uti nimium fidentes eidem Menardo credidere cardinalis Bona, et Antonius Pagius. Atqui certum est non alias præfationes in textu Gregoriano haberi quam quæ adhuc in usu Romanæ Ecclesiæ sunt, uti fidem faciunt antiquissimi Codices Vindobonensis, Vaticanus, Othobonianus, et Mutinensis; excepta missa sanctæ Anastasiæ in Natali Domini, cui propria olim attributa fuit præfatio. In vigilia quoque, et natali sancti Andreæ peculiares olim fuere præfationes, quæ tamen aliæ sunt a Menardinis. Plerique autem Codices in fine collectas habent præfationes et benedictiones, quæ pro arbitrio sacerdotum et episcoporum adhibebantur. Antiquissimus tandem collector, quem Pamelius Grimoldum abbatem, Menardus vero Rodradum presbyterum est opinatus, nos vero, auctoritate Micrologi, æquius arbitrabimur Alcuinum Albinum, monet in prologo (quem proferam et ego ante benedictionem cerei ex Othoboniano) se hæc « in aliis sacramentorum libellis invenisse inserta; » sed a Gregoriano textu sejuncta exhiberi, ut unusquisque noscat « quæ a beato Gregorio, quæve sint ab aliis edita Patribus. » Tum de præfationibus ipsis hæc infra subdit : « Præfationes vero, quas in fine posuimus Codicis, flagitamus, ut ab iis, quibus placent, cum charitate suscipiantur et canantur. Ab his vero qui eas intelligunt, nec tamen delectant, necnon et ab his qui eas volunt, nec intelligunt, poscimus ut nec assumantur nec canantur. »

Ista satis produnt pecularium ejusmodi præfationum auctorem minime fuisse sanctum Gregorium, et neminem liturgiæ Gregorianæ addictum ad eas adhibendas adactum, liberumque omnibus eo tempore fuisse illis uti, aut non uti. Pleræque etiam concordes pergunt cum evulgatis a Menardo. Ad hæc animadvertas velim aliquot Othoboniani Codicis præfationes a Menardinis differre, ut in festo sanctæ Agnæ, sive Agnetis, in Sabbato sancto, in Paschate, in Annuntiatione sanctæ Mariæ, in Ascensione Domini, in Dominica quarta post Pentecosten, ut alias prætermittam. Rursus in Othoboniano Codice plures habentur præfationes, paucæ in Vaticano : quæ tandem nos ad perspiciendum impellunt ejusmodi præfationes, et præsertim ob earum varietatem, non e Gregoriano Sacramentario, sed ex aliis fontibus haustas fuisse. Rejectas quoque intueberis ad calcem liturgiæ Gregorianæ benedictiones epi-

scopales, quas tamen apud Menardum perperam insertas habemus in textu Gregoriano. Iis in pontificali missâ episcopi olim benedicebant populo ante illa verba : *Pax Domini sit semper vobiscum ;* fateri enim cogimur ejusmodi consuetudinem antiquissimam fuisse. Aderat propterea peculiaris liber, quem Benedictionalem appellabant. Ne has quidem benedictiones fetum esse Gregorii Magni, statuendum est, cum in vetustis Ordinibus Romanis a Mabillonio editis nullum de iis verbum sit, et nullæ in Mutinensis Sacramentarii Gregoriani Codice, nono aut decimo sæculo scripti, reperiantur. In calce quidem Vaticani et Othoboniani exstant, sed plures in uno quam in altero, atque interdum diversæ a Menardi Codice. Si easdem complexum fuisset Romani cubiculi Sacramentarium, unde exempla olim fuere desumpta, nulla inter Codices antiquos esset diversitas. Propterea Mabillonius merito censuit easdem benedictiones non fuisse inferendas in Sacramentarium Gregorianum ; imo opinatus est, easdem a Zacharia pontifice improbatas fuisse in officio Gallicanæ Ecclesiæ (*Mabill. comment. in Ord. Rom.*, *c.* 8, *p.* 52). Et nunquam iis usos fuisse Romanos pontifices, conjicere etiam possumus e Sacramentariis Gelasiano et Leoniano, in quibus nullum est earum vestigium. Quod mirari cogor, missæ fere omnes Dominicarum recurrentium per annum, tam in Vaticano, quam in Othoboniano Codice, atque in Editis a Pamelio, rejiciuntur in alterum librum, veluti non procedentes a sancto Gregorio Magno. Imo in vetustissimo Mutinensi Sacramentario post missam ad pontificem ordinandum hæc adnotantur : EXPLICIT SACRAMENTORUM A SANCTO GREGORIO PAPA EDITUM. Tum sequitur : *Incipiunt missæ in diebus Dominicis.* In Othoboniano autem ac Pameliano inseritur prologus, sive adnotatio, Alcuini, veluti indicantis missas de Dominicis non pertinere ad sanctum Gregorium. Atqui fierine potest ut sanctus ille pontifex missas prætermiserit, quæ omnium maxime ad divinum cultum atque ad Sacramentum spectabant? Quid hic dicendum? Si Vaticanum vetustissimum Codicem consulimus, quo ad hanc Editionem usurus sum, nulla ibi interponitur adnotatio, sive prologus, distinguens a Gregoriano textu orationes dominicales. Contra in prologo, sive in præfatione Alcuini, præposita eisdem missis, hæc leguntur : « Sed quia sunt et alia quædam, quibus necessario sancta utitur Ecclesia, quæ idem Pater (scilicet sanctus Gregorius) ab aliis jam edita esse inspiciens prætermisit, idcirco operæ pretium duximus ea velut flores pratorum vernantes carpere, » etc. Et profecto orationes de Dominicis, omnium elegantissimæ ac devotissimæ, auctorem minime agnoscunt sanctum Gregorium. Vide Sacramentaria præcedentia, Leonianum, videlicet, ac Gelasianum, in quibus pleræque leguntur. Si Gregorius eas in suo prætermisit (quod tamen facile concedendum non est), alia de causa factum non fuit, nisi quia ipsæ in manibus jam erant omnium earum Ecclesiarum, quæ Romana liturgia utebantur.

Quod nunc expostulare cogor, est quidem Sacramentarium Gregorianum ; sed integrum conspectum quotidianæ missæ minime habemus, qualis fuit ejusdem sancti pontificis ævo. Hoc autem inquiens, non moror lectionum, Evangeliorum, et antiphonarum textum, quorum nulla ibi est mentio. Fuerunt enim olim varii Codices ad usum missæ solemnis, sive missæ cantu peractæ. Nempe Antiphonarium, psalmos, et antiphonas pro diversis diebus ad missam decantandas continens, aderat clericis in choro canentibus. Lectionarium, lectiones complectens, ex Veteri Testamento, aut ex Epistolis canonicis decerptas, præsto erat subdiacono. Evangelistarium quoque, exhibens diversas Evangeliorum portiones singulis diebus canendas, diacono ministrabatur. Unus interdum Codex tam Epistolarum quam Evangeliorum lectiones amplectebatur. Erat etiam clero liber Comitis, sive Comes, antiquus sane, ita ut eum nonnulli sancto Hieronymo, perperam tamen, tribuerint ; qui lectiones indicabat singulis diebus adhibendas in sacris. Indicabat, inquam, nam nihilominus erat opus habere Codicem unde ipsæ lectiones extensæ desumendæ erant. Nos hæc omnia in Missalibus nostris conjuncta nunc habemus. At nullum, quem noscam, Missalem librum, conscriptum ante annum Christi millesimum, quisquam adhuc exeruit, in quo universus iste sacrorum apparatus, coagmentatus et per ordinem distributus, legatur. Quare vix intelligas qui sine incommodo tunc privatæ missæ sine diacono, subdiacono et choro, celebrarentur, cum e diversis Codicibus petenda esset integra missa, scilicet orationes ex Sacramentario, antiphonæ, lectiones et Evangelia, ex aliis libris. Ingens profecto incommodum fuerit quatuor aut saltem tres Codices deferre ad altare, et ex uno ad alium procedere, ut quæ spectabant ad peculiarem missæ recurrentis ordinem, conjungerentur. An aliter fieri et ejusmodi incommodum evitari potuerit, judicabunt alii. At ista minime, ut aiebam, moror. Id unum contendo, non omnia quæ in unaquaque missa inconcusso ritu recitanda erant, exhiberi in vetustis Sacramentariis a sancto Gregorio concinnatis. Nullæ enim in iis plerumque rubricæ, nihil ibi de salutationibus ad populum, hoc est *Dominus vobiscum*, aut *Pax vobis*, populo respondente *Et cum spiritu tuo :* quæ salutatio ad attentionem renovandam non semel in sacra liturgia recurrit, et a sera antiquitate commendatur. Integer vero canon missæ decurrit usque ad *Libera nos, quæsumus, Domine*, etc., quo recitato nihil aliud subjungitur in Gregoriana, nisi *Pax Domini sit semper vobiscum*. Respondetur : *Et cum spiritu tuo*. Neque plura habes in Sacramentario Gelasiano ; imo nulla ibi mentio *Agnus Dei*. Præterea in Gregoriano nulla sunt verba de fractione consecrati panis, et in corpus Christi immutati, neque de immissione particulæ in calicem, neque referuntur illa magni momenti verba, a sacerdote recitanda, id est : *Hæc commistio et consecratio corporis*, etc. Fractio hæc ex apostolica traditione manasse creditur, eamque etiam Orientales Christi fideles ab antiquis sæculis usur-

pant ad designandam Domini passionem. Dubitare autem non possumus quin Ecclesia Romana supra laudatis verbis ad fractionem fuerit usa, cum in ordine primo Romano, cujus frequens mentio est apud Amalarium, et quem Mabillonius sæculo Christi nono longe superiorem censet, eadem formula præscribatur, videlicet : *Fiat commistio*, seu : *Hæc commistio*, etc. Neque hæc tantum desiderantur in Sacramentario Gregoriano, sed et cætera de pace danda, quam olim osculum sanctum confirmabat. Omissa quoque videas quæ præcedunt et subsequuntur communionem sacerdotis et populi fidelis, cum tamen compertum sit sacerdotem porrigentem populo cœlestem panem usum fuisse verbis illis : *Corpus Domini*, etc., et communicantes respondisse : *Amen*. Antiquissima quoque est formula : *Ite, missa est*, uti et aliqua benedictionis species in fine missæ non solum in vetustis Romanæ Ecclesiæ Ordinibus, sed etiam a Rhabano Mauro (*Lib.* I *de Instit. cler.*, *c.* 33) et ab Amalario (*Eclog. et lib.* III *de Offic. divin.*, *c.* 36) memorata, quorum tamen mentionem frustra ab eodem Sacramentario exspectes. Ut opinari fas est, quod nunc et orationum et rituum in vetustis libris desideratur, supplebant olim episcopi et presbyteri, sive memoria complexi quidquid scripto traditum non fuerat ad complementum sacrificii et communionis, sive potius quia, ut nunc etiam fieri videmus, scripta ea haberent in tabella altari superposita, quam pro opportunitate consulebant ; nam fidere memoriæ non omnes possunt, neque tutum in rebus tanti momenti est. Atque hæc satis sint de Sacramentario Gregoriano. Qualis autem sit characterum forma in Vaticano Codice, unde ista expressa fuerunt, in specimine sequenti intueberis, quod ad me misit P. Blanchinius.

Codex Reg. Vat. N° 335. Pag. 158. + P. 59.

ihu xpi qui uenturus est iudicare uiuos &
mortuos & sclm per ignem Amen
INDE UERO TANGAT EI NARES ET AU
RES DE SPUTO ET DICAT AD AUREM
EFFETA QUOD EST ADAPERIRE IN ODORE
SUAUITATIS · TU AUTEM EFFUGARE DIA
BOLE ADPROPINQUABIT ENIM IUDICIU DI
POSTEA UERO TANGIT EI PECTUS ET IN
TER SCAPULAS DE OLEO EXORCIZATO
CRUCEM FACIENDO CUM POLICE ET UOCA
TO NOMINE EIUS DICAT ABRENUNTIAS
SATANE · R · ABRENUNTIO · ET OMNIBUS
OPERIBUS EIUS · R · ABRENUNTIO · ET
OMNIBUS POMPIS EIUS · R · ABRENUNTIO
HIS EXPLETIS PROCEDAT SACERDOS
AD FONTES BENEDICENDOS ET DICAT
BENEDICTIONEM FONTIS SICUT SUPE
RIUS IN GREGORIANO CONTINETUR ·

Pagina N° 142.

ut nos famulos tuos omnem clerum
& devotissimum populum una cum patre
nostro papa ill. ^(àcm àno) quiete temporum concer
sa in his paschalibus gaudiis conservare
digneris. p dnm.

CAPUT VII.

In quo olim sita foret varietas utentium liturgia Romana.

Post sacrum Tridentinum concilium, multiplicemque curam Romanorum pontificum, liturgia omnium catholicarum in Occidente Ecclesiarum ad missam pertinens, stabilem consecuta est unionem. Excipienda est Ambrosiana Ecclesia, quæ suis adhuc antiquis ritibus utitur. Diversitas tamen illius a Romana in incruento sacrificio potissimum respicit orationes, sive collectas, et alias Epistolarum sacrarum atque Evangeliorum lectiones, et complurium præfationum usum. Nam quod attinet ad canonem, Ambrosiani quoque ipsi ferme in omnibus concordes procedunt cum Romana Ecclesia. In angulo pariter Toletanæ civitatis locus relinquitur Mozarabicæ vetustæ liturgiæ. Nam quod a nonnullis monachorum cœtibus peculiaris aliquis, sed levis, ritus adhibeatur adhuc in missa, id nullius momenti negotium est. Antiquis autem sæculis etsi a plerisque Italiæ, Galliæ, Germaniæ, Britanniæ, aliarumque provinciarum Ecclesiis missæ Romanæ liturgia observaretur, non mediocris tamen varietas in earum Missalibus deprehendebatur ; sed quæ, uti jam monuimus, nihil officeret substantiæ mysterii, atque essentialibus præcipuisque ritibus missæ. Versabatur hæc in additamentis orationum, sequentiarum, et præsertim festorum, ac propterea missarum, quibus licebat unicuique episcopo suum infercire Missalem. Verum immutare sacrata canonis verba nefas semper fuit. A libro, cui titulus Comes, eo quod præsto semper erat sacris templi ministris, de quo nuper facta fuit mentio, indicabantur lectiones ex prophetis, aut Epistolis canonicis, simulque Evangeliorum segmenta ad quamlibet missam recitanda. Veneranda maxime fuit libri hujus antiquitas, cum ejus mentio ipso sæculo Christi quinto occurrat, uti Mabillonius animadvertit. Is tamen tot novis sanctis ac missis oneratus ad nos per Pamelium et Baluzium pervenit, ut plures fortassis sint in eo additæ merces, quam antiquæ. Librum hunc ex Codice vetustissimo dedit nobis venerabilis cardinalis Thomasius.

Veterum Missalium diversitatem, pro Ecclesiarum varietate auctam, quicunque agnoscere velit, adeat cl. Patrem Martene, qui ordinarium, sive consuetum, missæ cursum ex multis Galliarum Missalibus atque Ritualibus collegit (*Marten. tom. I de antiq. Eccles. Ritib.*). Non dissimilem varietatem ostendere posset in Italicis Ecclesiis, quisquis antiquos earum Missales mss. superstites consuleret. Jamque varios liturgiæ Siculæ ritus illustravit anno 1736 doctissimus vir Joannes de Joanne, Panormitanæ Ecclesiæ canonicus (*De divin. Sicul. Offic.*). Liceat et mihi prodere quibus olim ritibus Mutinensis Ecclesia tremendum sacrificium celebraret. Uti supra monui, erat et adhuc est huic Ecclesiæ sacramentarium Gregorianum, nono vel saltem decimo sæculo exaratum. Verum in antiquis id genus Sacramentariis plerumque rubricæ desiderantur, ritus scilicet omnes ad sacram synaxim adhibendi. Ejusmodi ritus post annum millesimum cœpti sunt adjungi Missalibus libris. Asservantur autem in archivo capituli canonicorum Mutinensium gemini id genus libri membranacei, ante annos sexcentos exarati. Alter ex his ad equites, sive fratres Templarios spectasse mihi creditur, nam ad varios Kalendarii dies recentiori ac vario charactere hæc nomina adscripta fuere : « V Id. Jul. obiit Ugo de Paens, primus magister. II Id. Jul. obiit venerabilis Philippus rex Franciæ (id est, Philippus II, anno 1223). VII Id. Sept. obiit frater G. Carnoc., decimus tertius magister. XV Kal. Octob. obiit frater Bernardus de Tremailea, tertius magister. VI Non. Oct. obiit frater Arnaldus de Terra rubea, octavus magister. » Aliorum nomina prætereo. Agi hic de magnis magistris ordinis Templariorum sum opinatus. Pluris tamen faciendus est alter Codex, quod rubricas missæ tunc usitatæ accuratius descriptas exhibeat. En ergo quid ex illo excerpendum credidi.

« *Ritus quotidianæ missæ, expressi ex Codice Mutinensis Ecclesiæ, ante annos sexcentos scripto.*

Incipit Ordo, qualiter episcopus, vel presbyter ad missam se debeat præparare. In primis cantet per se et per circumstantes psalm. istos cum letaniis, et antiphona : Sanctifica nos, Domine. *Psalm.* Quam dilecta. *Psalm.* Benedixisti. *Psalm.* Inclina. *Psalm.* Credidi, *cum* Pater noster, *et precibus his Cap.* Exsurge, Domine, adjuva. *Resp.* Et libera. Fiat misericordia tua, Domine, super nos. *Resp.* Quemadmodum. Deus, tu conversus vivificabis nos. *Resp.* Et plebs tua lætabitur. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam. *Resp.* Et salutare tuum. Ab occultis meis munda me, Domine. *Resp.* Et ab alienis. Non intres in judicium cum servo

tuo, Domine. *Resp.* Quia non justificabitur. Sacerdotes tui induantur justitiam. *Resp.* Et sancti tui exsultent.

« *Et tunc exsuat se cotidianam tunicam dicens :*

« Exsue me, Domine, veterem hominem cum actibus suis, et indue me novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, et sanctitate veritatis.

« *Ad manus lavandum.*

« Ablue, Domine, manus meas, et cor meum quatenus templum sancti Spiritus effici merear.

« *Ad ephot dicat.*

« Dona, Domine, galeam salutis in capite meo, ad expugnandas et superandas omnes diabolicas fraudes.

« *Ad albam.*

« Indue me, Domine, vestimento sanctis, et tunica lætitiæ et castitatis ac continentiæ circumda me semper.

« *Ad cingulum.*

« Præcinge, Domine, lumbos meos, et circumcide omnia vitia cordis et corporis mei, cum custodia mentis meæ.

« *Ad stolam.*

« Circumda, Domine, cervicem meam stola justitiæ, et ab omni corruptione purifica mentem meam.

« *Ad casulam.*

« Indue me, Domine, lorica fidei et galea salutis, et perfecta caritate reple cor meum.

« *Ad manipulum.*

« Da, Domine, manibus meis manipulum ad extergendas sordes a corde et corpore meo, ut sine pollutione valeam nomen tuum laudare et benedicere in sæcula sæculorum. Amen.

« *Et cum paratus fuerit, dicat :*

« Fac me, quæso, omnipotens Deus, ita justitia indui, ut sanctorum tuorum merear exsultatione lætari quatenus emundatus ab omnibus sordibus peccatorum, consortium adipiscar tibi placentium sacerdotum, meque tua misericordia a vitiis omnibus exsuas, quem reatus propriæ conscientiæ gravat. Per Dominum.

« *Alia oratio.*

« Rogo te, altissime Deus Sabaoth, Pater sancte, ut me tunica castitatis digneris accingere, et meos lumbos balteo tui amoris ambire ac renes cordis mei tuæ caritatis igne urere, ut pro peccatis meis possim intercedere, et adstantis populi veniam promereri, ac pacificas hostias singulorum immolare. Me quoque audacter accedentem non sinas perire, sed dignare lavare, ornare, et leniter suscipere.

« *Hac dicta ingressio fit ad altare, incipiendo* ita :

« *Antiphona.* Introibo. Judica me, Deus.

« *Cum autem pervenerit ante altare humiliter inclinato vultu:*

A « Pone, Domine, custodiam ori meo. *Resp.* Et ostium circumstantiæ.

« *Et agat, ut mos est, confessionem. Peracta vere confessione dicat :*

« Deus, vitam meam annuntiavi tibi. *Resp.* Posuisti lacrymas. Delictum meum cognitum tibi feci. *Resp.* Et in justitiam. Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino. *Resp.* Et tu remisisti.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus. *Resp.* In tempore opportuno.

« Domine exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor.

« Aufer a nobis, quæsumus, Domine, intercedentibus istis, et omnibus sanctis tuis, cunctas iniquitates,

B ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per.

« *Cum autem se erexerit, mittat incensum in thuribulum, dicens :*

« In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti benedicatur incensum istud, et acceptabile fiat in odorem suavitatis.

« *Tunc sumat de eo, et osculetur Evangelium, ut jubet Romanus. Deinde procedens paululum prope altare inclinatus dicat hanc orationem :*

« Domine Jesu Christe, mundi Redemptor, propitius esto mihi peccatori, omnibusque modis in peccato jacenti : quia tu solus, Domine Deus noster, immortalis es, et sine peccato. Indulge mihi misero præsumenti accedere ad sanctum altare tuum et in-

C vocare te : quia peccavi ab infantia mea usque nunc coram te, et coram angelis, et omnibus sanctis tuis. Sed per illorum intercessionem tribue mihi divinam clementiam, et veniam delictorum meorum, et doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ. Qui vivis et regnas.

« *Deinde erigat se, et osculetur altare : et dicat hanc orationem :*

« Domine Deus omnipotens, qui es magnus et admirabilis Dominus, qui donasti nobis introitum in sancta sanctorum, propter Incarnationem Domini nostri Jesu Christi, unigeniti Filii tui obsecramus et petimus benignitatem tuam ; et propterea in timore sumus et tremore, volentes assistere ante san-

D ctum et gloriosum altare tuum. Emitte super nos donum Spiritus sancti tui, et renova animas nostras et corpora, ut mundo corde offeramus tibi sacrificium in remissionem peccatorum nostrorum, et omnium populorum tuorum, qui gratia tua et misericordia Christi tui sunt redempti. Qui tecum vivit.

« *Tunc dicat* Gloria in excelsis Deo, *si adest tempus, et eo plane finito, dicat hanc orationem*

« Ante conspectum divinæ Majestatis tuæ, Deus, reus assisto, qui invocare nomen sanctum tuum præsumo. Miserere, Domine, mihi homini peccatori. Ignosce indigno sacerdoti, per cujus manus hæc oblatio videtur offerri. Parce peccatorum labe, præ ceteris capitalium, polluto, et non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu

tuo omnis vivens. Et licet vitiis et voluptatibus carnis aggravati simus, Deus, tamen recordare, quod caro sumus. In tuo conspectu etiam cœli non sunt mundi : quanto magis nos homines terreni, immundi sicut pannus menstruatus ? Indigni sumus, Domine Jesu Christe, ut simus viventes ; sed tu, qui non vis mortem peccatoris, da nobis veniam in carne constitutis, ut per pœnitentiæ labores vita æterna perfrui mereamur, in cœlis. Per te, Christe Jesu.

« *Alia oratio.*

« Omnipotens sempiterne Deus, qui me peccatorem sacris altaribus adstare voluisti, et sancti nominis tui laudare potentiam, concede, quæsumus, per hujus sacramenti mysterium meorum mihi veniam peccatorum, ut tuæ majestati digne ministrare merear. Per.

« *Deinde cum Evangelium osculatur, dicat :*

« Pax Christi, quam nobis per Evangelium suum tradidit, confirmet, et conservet corda, et corpora nostra in vitam æternam. Amen.

« *Et cum incensum, antequam Evangelium legatur, in thuribulum mittit, dicat :*

« Odore cœlestis inspirationis suæ Dominus accendat et impleat corda nostra, ad audienda et implenda Evangelii sui præcepta. Qui vivit.

« *Deinde inclinato diacono, et benedictionem petenti, signum crucis faciendo, dicat :*

« Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut nunties competenter Evangelium pacis.

« *Item benedictio.*

« Benedictio Dei Patris et Filii et Spiritus sancti descendat super te, et aperiat os tuum, ad digne idoneeque pronuntiandum Evangelium suum.

« *Diaconus dicat :*

« Conforta me, Rex sanctorum principatum tenens et da sermonem rectum, et bene sonantem in os meum.

« *Post, lecto Evangelio, dicat :*

« Per istos sanctos sermones Evangelii Domini nostri Jesu Christi, indulgeat nobis universa delicta nostra.

« *Et calice sibi a diacono cum oblata dato, dicat diaconus :*

« Tibi Domino Creatori meo hostiam offero pro remissione omnium peccatorum meorum, cunctorumque fidelium tuorum.

« *Et sacerdos, oblationem accipiens, dicat :*

« Domine Jesu Christe, qui in cruce passionis tuæ de latere tuo, unde tibi Ecclesiam consecrares, sanguinem manare voluisti, suscipe hoc sacrificium, quod tibi offert famulus tuus, et concede clementissime ut pro redemptione nostra et totius mundi in conspectu divinæ majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat.

« *Tunc diaconus, libamen in calice offerens, dicat :*

« Acceptum sit omnipotenti Deo sacrificium istud.

« *Et cum sacerdos id ipsum offert dicat :*

« Suscipe, clementissime Pater, hostias placationis et laudis, quas tibi offero indignus famulus tuus, ad gloriam et honorem nominis tui, ut vivis prosit ad veniam, et cunctis fidelibus defunctis ad indulgentiam : et me indulgentiam quærentem placatus respice. Qui vivis, etc.

« *Deinde positum sacrificium benedicat his verbis, crucem faciendo :*

« In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, sit signatum, et consecratum, et benedictum hoc sacrificium.

« *Super oblatam.*

« Sanctifica, quæsumus, Domine, hanc oblationem, ut nobis Unigeniti tui corpus fiat.

« *Super calicem.*

« Sanctifica, quæsumus, Domine, et hunc calicem ut nobis Unigeniti tui sanguis fiat.

« *Tunc mittat incensum in thuribulum dicens :*

« Per intercessionem sancti Gabrielis archangeli stantis a dextris altaris incensi, et omnium electorum suorum, Dominus dignetur incensum istud benedicere, et in odorem suavitatis accipere.

« *Et cum vaporem emiserit, dicat :*

« Incensum istud a te benedictum, ascendat ad te, Domine, et descendat super nos misericordia tua.

Item.

« Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.

« *Cum incensum offertur singulis dicatur :*

« Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, et flammam æternæ caritatis.

« *Ad offerenda munera.*

« Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis, et ascensionis Domini nostri Jesu Christi, et in honorem perpetuæ Virginis Mariæ, atque omnium electorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi : ut omnibus proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem ; et illi omnes pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris. Per eumdem.

« *Pro defunctis.*

« Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero pro animabus famulorum famularumque tuarum, ut eis requiem æternam donare digneris in numero electorum tuorum, ut in illorum consortio vita perfruantur æterna. Per Christum.

« *Postea vertat se, deosculetur altare et dicat :*

« Orate pro me peccatore, fratres ac sorores, et meum ac vestrum sacrificium acceptum fiat omnipotenti Deo ante conspectum suum.

« *Et respondetur a circumstantibus :*

« Orent pro te omnes sancti et electi Dei, et exaudiat te Dominus orantem pro nostrum omnium salute ; et memor sit omnis sacrificii tui. Et immolа Deo sacrificium laudis, et misereatur tui omnipotens Deus, et dimittat tibi omnia peccata tua. Dominus Deus sit in corde tuo, et in ore tuo. et suscipiat sa-

crificium sibi acceptum de manibus tuis pro nostra A et omnium salute.

« *Et postea dicant hos psalmos :*

« Exaudiat te. *Psalm.* Ad te levavi. *Psalm.* Miserere mei Deus, secundum. *Psalm.* Deus refugium. *Psalm.* Qui habitat. *Psalm.* Ad Dominum eum tribularer. *Canticum graduum usque* Qui fecit cœlum et terram. Kyrie eleison, *cum* Pater noster, *cum precibus his :* Salvum fac servum tuum. *Resp.* Deus meus. Desiderium cordis ejus tribuisti ei. *Resp.* Et voluntatem. Vitam petiit a te, et tribuisti ei. *Resp.* Longitudinem. Oculi Domini super justos. *Resp.* Et aures ejus. Fiat voluntas tua super nos. *Resp.* Quemadmodum. Exsurge, Domine, adjuva nos. *Resp.* Et, libera. Domine, exaudi orationem meam. *Resp.* Et clamor.

B

« *Collecta pro sacerdote.*

« Gaudeat, Domine, famulus tuus beneficiis impetratis, et cui fiduciam sperandæ pietatis tribuisti, optatæ misericordiæ præsta benignus effectum. Per.

« *Collecta pro omnibus.*

« Precibus nostris, quæsumus, Domine, aures tuæ pietatis accommoda, et orationes supplicum, occultorum cognitor, benignus, exaudi, ut te largiente ad vitam perveniamus sempiternam. Per.

« *Symbolum apostolorum.*

« Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, etc.

« *Sequuntur Præfationes* [a].

« *Sequitur Canon* [b].

C

« Te igitur, etc.

« *Hic se inclina aliquantulum.*

« Hanc igitur oblationem, etc. Corpus † et sanguis † fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.

« *Hic accipit oblatam de altari.*

« Qui pridie quam pateretur, *etc.* Benedixit † fregit, dedit discipulis suis dicens : Accipite, et manducate ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meum.

« *Hic accipit calicem.*

« Simili modo postea quam cœnatum est, etc., *ut in consueto canone.*

« *Antequam misceatur corpus cum sanguine.*

« Hæc sacrosancta commixtio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat omnibus sumentibus salus mentis et corporis, et ad æternam vitam capescendam præparatio salutaris. Per eumdem.

D

« *Hic osculetur aram sacerdos dicens :*

« Domine Jesu Christe, qui dixisti apostolis tuis, *etc.*

« *Deinde pacem dicat :*

« Habete vinculum caritatis et pacis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis.

« *Ceteri invicem dicant*

« Pax Christi et Ecclesiæ abundet in cordibus nostris. Amen.

« *Ante communionem dicat.*

« Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, *etc.*

« *Deinde panem manu tenendo, dicat :*

« Panem cœlestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

« *Alia.*

« Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum ; sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.

« *Cum corpus accipit, dicat :*

« Corpus Domini nostri Jesu Christi sit mihi ad remedium sempiternum in vitam æternam. Amen.

« *Suscipiendo calicem, dicat :*

« Quid retribuam Domino, etc.

« *Sumendo calicem, dicat :*

« Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat me in vitam æternam.

« *Post corpus et sanguinem acceptum, dicat :*

« Corpus Domini mei Jesu Christi, quod accepi, et sanguis ejus, quo potatus sum, adhæreat visceribus meis, et præstet, ut ibi nulla remaneat peccati macula, ubi ejus introierunt sacramenta. Qui cum Patre, etc. [c].

« *Et cum aliis dederit, dicat :*

« Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam in vitam æternam. Amen.

« *Item alia.*

« Perceptio sanguinis Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam in vitam æternam. Amen.

« *Postcommunio.*

« Læti, Domine, sumpsimus sacramenta cœlestia. Intercedente beata Dei Genitrice semper virgine Maria cum omnibus sanctis tuis, ad vitam nobis proficiant sempiternam. Per eumdem.

« *Item dicat :*

« Ite. Missa est.

« *Finita missa osculetur altare et dicat :*

« Meritis et intercessionibus beatissimæ Mariæ semper virginis et omnium sanctorum, misereatur nostri omnipotens Deus. Qui vivit, *etc.*

« *Postea rediens ad sacrarium, dicat :*

« Benedicite omnia opera Domini Domino, *etc.*

[a] Id est præfationes in Nativitate Domini, in Epiphania Domini, per totam Quadragesimam, in Resurrectione Domini, in Ascensione Domini, in Pentecoste, de sancta Cruce, de Apostolis, in assumptione sanctæ Mariæ, in honore sanctæ Trinitatis. Tum una præfatio reliquis diebus usitata, uti in Editis. Ante postremam præfationem occurrit imago Salvatoris, manu librum tenentis. Post illam visitur altera imago ejusdem e cruce pendentis. Utramque, aut unam saltem osculari mos fuit. Aliquantum coloris oscula data deterserunt.

[b] Canon procedit, ut in Editis. Ibi legitur : *Una cum famulo tuo papa nostro* (illo) et *rege nostro, et antistite nostro* (illo), etc. *Cosmæ et Damiani, et omnium sanctorum tuorum, nec non et illorum, quorum hodie solemnitatis in conspectu gloriæ tuæ celebratur triumphus. Quorum meritis precibusque*, etc.

[c] Quantæ antiquitatis sit hujusmodi oratio, quæ adhuc in liturgia Romana quotidie repetitur, habes ex Missali Gothico ante Annum Ch. 800 usurpato. Ibi ab missam dominicalem hæc postcommun. legitur : *Corpus tuum, Domine, quod accepimus, et calicem tuum, quem potavimus, hæreat in visceribus nostris ; præsta, Deus omnipotens, ut non remaneat macula, ubi pura et sancta intraverunt sacramenta. Per.*

« *Sequitur missa. Tertio Kal. Decembris, vigilia sancti Andreæ apostoli. Tum reliquæ missæ. Ex iis hæ duntaxat memorandæ mihi sunt visæ :* A

« VIII Id. Decemb., sancti Nicolai episcopi et confessoris.

VII Id. Decemb., natalis sancti Ambrosii episcopi et confessoris.

Eodem die, sancti Savini episcopi et martyris.

VI Id. Decemb., sancti Zenonis episcopi. Eodem die, sancti Dalmatis martyris.

V Id. Decemb., sancti Syri episcopi et confessoris.

VIII Kal. Febr., Conversio sancti Pauli apostoli.

Eodem die, sancti Prosperi martyris.

II Kal. Febr., natalis sancti Geminiani episcopi et confessoris.

Kal. Febr., natalis sancti Severi confessoris et archiepiscopi. B

VII Id. Febr., sancti Vedasti confessoris.

IV Id. Febr., sanctæ Scholasticæ virginis.

XVI Kal. Mart., natalis sancti Valentini martyris.

Eodem die, sanctorum Vitalis, Feliculæ et Zenonis.

XIV Kal. Mart., sanctæ Julianæ virginis.

Non. April., sancti Ambrosii archiepiscopi.

Id. April. sanctæ Euphemiæ virginis.

II Kal. Maii, *in Kalendario præfixo*, Translatio beati Geminiani; *sed missa desideratur.*

VIII Id. Maii, Apparitio sancti Michaelis archangeli.

Eodem die, sancti Victoris martyris. *In margine:* Sancti Cathaldi archiepiscopi.

VI Id. Maii, sanctorum Gordiani et Epimachi. C

Eodem die, sanctæ Christinæ virginis et martyris.

III Id. Maii, Dedicatio sanctæ Mariæ ad Martyres.

Ad Id. Januarii habetur : sancti Hilarii episcopi et confessoris; *et nihilominus* II Id. Maii *occurrit missa* sancti Hilarii episcopi et confessoris.

XVI Kal. Jun., Translatio sancti Syri episcopi et confessoris. *In Kalendario :* Translatio sancti Geminiani, *sed sine missa.*

XII Kal. Jun., Translatio sanctorum Senesii et Theopompi.

X Kal. Jun., sancti Juliani martyris.

VIII Kal. Jun., sancti Urbani papæ et martyris.

Eodem die, sancti Dionysii Mediolanensis.

Eodem die, sancti Salvatoris.

II Kal. Jul., Festum sancti Pauli apostoli. D

Eodem die, sancti Martialis.

VIII Id. Jul., sanctorum Kiliani, Colonati, Thothanani.

V Id. Jul., Translatio sancti Benedicti in Floriaco.

Kal. Aug., sanctæ Præxedis virginis.

Eodem die, sancti Danielis prophetæ.

VIII Id. Aug., sancti Sixti papæ et martyris.

Benedictio uvæ, antequam dicatur : Hæc omnia, Domine, semper.

Benedic, Domine, hos fructus, etc.

Kal. Septemb., sanctorum Reguli et Prisci.

VI Kal. Octob., sanctæ Justinæ virginis et martyris.

XVII Kal. Novemb., sancti Galli abbatis.

III Kal. Novemb., sancti Germani Capuani.

Kal. Novemb., Festivitas Omnium Sanctorum.

Eodem die, sancti Cæsarii martyris.

Id. Nov., sancti Britii episcopi et confessoris.

IX Kal. Dec., sancti Clementis papæ et martyris.

Eodem die, sancti Columbani abbatis.

VIII Kal. Decemb., sancti Prosperi episcopi et confessoris.

Ad feriam 4, caput jejunii, habetur.

« *Exorcismus cineris :*

« Exorcizo te, cinis, etc.

« *Benedictio cineris :*

« Omnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, etc.

« *Alia.*

« Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam, *etc.*

« *Alia.*

« Omnipotens sempiterne Deus, qui Ninivitis, *etc.*

« *Benedictio cilicii.*

« Omnipotens et misericors Deus, qui peccatoribus, *etc.*

« *Ad processionem.*

« Exaudi nos, Domine, *etc.*

« *Hæ orationes dicendæ sunt super pœnitentem.*

« Deus, qui humiliatione, *etc.*

« *Alia.*

« Exaudi, Domine, preces nostras, et confitentium, *etc.*

« *Sequuntur aliæ orationes, quas omitto.*

« *Sabbato sancto, peracta benedictione fontis, post verba illa :*

« Conjunctio chrismatis sanctificationis, et olei unctionis, et aquæ baptismatis, in nomine Patris, *etc.*, *sequitur : Tunc accipe infantem, quem vis baptizare et interroga cum patrino tenente ipsum infantem in manibus, dicens ita :*

« Johannes, vel Maria : Credis in Deum Patrem omnipotentem, *etc.*?

« *Interroga.*

« Johannes : Vis baptizari?

« *Resp.*

« Volo.

« *Et accepto infante, baptizat eum sub trina mersione, ita dicendo :*

« Et Ego te baptizo in nomine Patris.

« *Mergat semel :*

« Et Filii.

« *Et mergat iterum :*

« Et Spiritus sancti.

« *Et mergat tertio.*

« *Ut autem surrexerit a fonte, faciat crucem sacerdos de chrismate in vertice eius cum invocatione sanctæ Trinitatis, dicens ita :*

« Deus omnipotens, *etc.*

« *Deinde pones linteum in capite ejus dicens :*

« Accipe vestem candidam, *etc.* Deinde pones candelam accensam in manibus ejus, dicens :

« Accipe lampadam, *etc.*

« *Cum communicat infantem, dicat :*

« Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam. »

Atque hæc pauca ex eo Missali excerpta sint satis, nam qui ritus quoslibet Ecclesiarum sive legitimos, sive illegitimos, barbaricis temporibus usitatos in sacris, sine delectu exhibere lectoribus vellet, aut parum utilem, aut minus jucundam operam luderet. Neque putes, hic tantum stetisse olim variationes atque additamenta in celebratione missarum. Cum enim nullo tunc freno pii homines comprimerentur, et augere se posse fidelium devotionem novis inventis arbitrarentur, non dubitabant in ipsam missam inferre novas sequentias (ita enim appellabantur) ex quibus complures sane elegantes et piæ, sed nonnullæ etiam ineptiis constabant, utpote simplicitatis fetus. Neque solum hisce sequentiis, post lectionem Epistolarum decantatis, missaticum penus crescebat, sed etiam ad *Kyrie eleison* pias apponebant lacinias. Cujus moris testem habeo vetustissimum Antiphonarium membranaceum Mutinensis Ecclesiæ : Codex injuria temporum male habitus, corruptis, videlicet, atque oblitteratis non uno in loco characteribus, sæculo decimo scriptus reputari potest, tum ex litterarum forma, tum ex festorum numero, inter quæ recentius festum Omnium Sanctorum. Exhibet et antiphonas in missis adhibitas cum notis musicalibus perquam minutis superpositis, quarum ductu cantores tunc regebantur in choro. Concors in plerisque procedit cum Antiphonario edito a cardinali Thomasio. Contra nonnulla hic habentur. quæ in eo desiderantur. Specimen exhibeo.

« IN RESURRECTIONE DOMINI.

« *Ant.* Vidi aquam egredientem de templo a latere dextro : Alleluia. Et omnes, ad quos pervenit aqua ista salvi facti sunt, et dicent : Alleluia, alleluia. In die Resurrectionis meæ, dicit Dominus : Alleluia. Congregabo gentes, et colligam regna, et effundam super eos aquam mundam. Alleluia.

« Cum Rex gloriæ portas inferorum debellaturus intraret, sanctorum chorus, qui tenebatur in morte captivus, voce lacrymabili clamabat : Advenisti, desiderabilis, quem exspectabamus in tenebris, ut educeres nos vinculatos de claustris. Te nostra vocabant vota, suspiria te larga requirebant.

« Sedit angelus ad sepulcrum Domini, *etc.*

« *Vers.* Crucifixum Dominum laudate, et sepultum propter nos glorificate, resurgentemque de morte adorate.

« *Resp.* Nolite metuere, dico vobis, quia ille, quem quæritis mortuum, jam vivit, et vita hominum cum eo surrexit.

« *Vers.* Recordamini quomodo prædixit, quia oportet Filium hominis crucifigi, et tertia die a morte suscitari.

« Kyrie eleison. O Theos . . . . athanatos . . . . ymas.

« Kyrie eleison. O Pater alme sedens super alas cherubim et seraphim, esto pius atque clemens famulis pro debitis.

« Kyrie eleison. Te decet solum hymnus, melos, carmen, symphonia, et omnigenarum vox linguarum. Kyrie eleison.

« Christe eleison. Patris unice, tuam in nobis naturam refove.

« Christe, eleison etc.

« Omnes pariter altis vocibus te laudamus, Trine et Une.

« Cujus unitas concors parque in Trinitate, vivit et regnat nunc et in infinita sæcula sæculorum. Amen.

« Exsurrexi, et adhuc tecum sum : Alleluia. »

Interdum quoque ad hujusmodi additamenta subjungebatur hymnus pro ingenio eorum temporum compositus. En alterum exemplum, complectens appendices ad *Kyrie eleison*, simulque hymnum metrice concinnatum.

« DE KYRIE ELEISON.

« Kyrie eleison. Omnipotens Genitor, lumenque et lucis origo ;

« Kyrie eleison. De nihilo jussu Verbi qui cuncta creasti,

« Kyrie eleison. Humano generi, peccati pondere presso,

« Christe eleison. Ad cænum terræ missus Genitoris ab arce,

« Christe eleison. Indueras carnem, casta de Virgine natus,

« Christe eleison. Tu mundi culpam mundasti sanguine fuso.

« Kyrie eleison. Æqualis Patri seu Nato Spiritus almus :

« Kyrie eleison. Trinus personis Deus in deitate sed unus.

« Kyrie eleison, *etc*

« Canamus cuncti
Laudes Hymniferas
Soli Deo placide.
« Qui pius salvet
Semper, et protegat
Se sequentes in ævum, *etc.* »

Id genus additamenta ad *Kyrie eleison* decantata, Joannes quoque de Joanne canonicus supra laudatus apud Panormitanos et Messanenses usurpata fuisse tradit in festis duplicibus sanctorum ; imo et eadem in Missalibus aliorum locorum, impressis etiam, reperiri animadvertit. Cæterum in calce antiquissimi Antiphonarii Mutinensis exhibentur complures hymni, in quibus neque metrum, neque rythmum interdum invenias. Similes, sed majori cura elaboratos, sæculo nono et decimo procuderunt monachi Sangallenses Notkerus, Hartmannus, Rapertus, et alii, quos apud Canisium habemus (*In Lection. antiq.*). Et isti quidem hymni in solemnioribus festis Mutinæ canebantur ad missam. En primos versus illius qui in nocte sancti Natalis Domini cantari consuevit :

« Eia recolamus laudibus piis digna
Hujus diei carmina
In qua nobis oritur gratissima, *etc.*

Alter decantabatur in primo mane :

« Grates nunc omnes
Reddamus Domino Deo;
Qui sua nativitate, *etc.* »

Tertius adhibebatur in die ad missam:

« Natus ante sæcula
Dei Filius invisibilis,
Per quem fit machina, *etc.* »

Leguntur et elegiaci versus in Resurrectione Domini:

« Salve festa Dies, toto venerabilis orbe,
Qua Deus infernum vicit, et astra tenet, *etc.* »

Laudanda est Romanorum pontificum sapientia, quæ sublatis hisce peregrinis mercibus, quibus onerata potius quam ornata fuerat sacra liturgia, in antiquam puritatem ac moderationem pensum Romanæ missæ restituit. Sed severitate etiam non mediocri in posterum opus est. Nimis enim hominum genus ad novitatem proclive se prodit, et nisi obices inveniret, quotidie novaret. Si meliora afferri in medium possunt ad amplificandum pietatis regnum, eadem sane amplecti nefas non erit, imo interdum præstabit. At si quæ nova proponuntur, ad veram pietatem aut alendam, aut augendam, omnino inepta, et secreto forsitan privatæ alicujus ambitionis, sive præeminentiæ, vel utilitatis studio excogitata, istis obsistere æquum est, neque sinere, ut in usum veniant. Sed ultra mihi pergendum non est.

CAPUT VIII.

Quid acatolici moliti sint adversus missam et Eucharistiam; et Binghami Angli, tela toties protrita exerentis, confutatio.

Inter alias prærogativas quæ veteres liturgias easque olim pro varietate Ecclesiarum varias summopere commendant, illa sane plurimi facienda est, quod lauta congeries catholicorum dogmatum in eis interspersa deprehenditur. In tot enim orationibus, ritibus ac cæremoniis, identidem dignoscitur quid a tot sæculis Ecclesia orthodoxa credat de unitate ac trinitate Dei, de divinitate, incarnatione cæterisque ad Dei Filium spectantibus, uti et de divinitate ac potentia Spiritus sancti, et invocatione et intercessione sanctorum, et de aliis Ecclesiæ catholicæ capitulis. Propterea ad hunc ipsum fontem recurrebat sanctus Augustinus, cum de necessitate gratiæ cœlestis dissereret: quod et alii ex Patribus, prout occasio ferebat, præstitere. Nam quæ ibi dogmata occurrunt, non unius privati doctores sententiæ sunt, sed universæ illius Ecclesiæ quæ iisdem liturgiis utebatur. Atque inter eas nemo nescit primum Romanæ semper locum fuisse, quæ cæterarum magistra uti ab ejus incunabulis incorruptam fidem perpetuo servavit, ita tot alias Ecclesias suorum rituum sectatrices habuit. Ipso enim Augustino monente, ad cognoscendam Ecclesiæ fidem præcipue facit publicarum precum auctoritas. Sacramentaria autem quæ appellamus vel ipso nomine satis produnt, ibi potissimum contineri catholicam doctrinam de sacramentis, signis nempe visibilibus invisibilis gratiæ Dei, quibus nempe ex institutione divina aut confertur A aut augetur gratia et sanctificatio in homine Christi fidem profitente. Et notissima quidem sunt, quæcunque ad Ecclesiæ sacramenta pertinent, ex tot theologorum lucubrationibus ac libris argumentum istum versantibus, ita ut nihil novi ad hanc provinciam afferri possit, et qui de iis loqui velit, ea tantum repetere cogatur, quæ jam diu ab aliis diligentissime disputata fuerunt. Attamen veniam me impetraturum spero ab honesto lectore, si quod in Romanæ Ecclesiæ liturgia ad Eucharistiam spectat expendendum et ego suscepero, tum ad consolationem majoremque firmitatem fidelium orthodoxorum, tum etiam, si fieri potest, ad aliquorum, si hæc legere velint, medelam, quorum mens infirma atque oculi cæcutientes veram doctrinam de corpore et sanguine B Christi in missa non vident, cum tamen evidens luculentaque sit.

Consilium hoc mihi de refricanda hujusmodi materia ingessit Josephus Binghamus Britannus (*Lib.* XI *Orig. sive Antiq. eccles.*), qui ritus missæ fidelium multa eruditione persequitur, sed simul potiora catholicorum dogmata aut dissimulans aut damnans, quæ in tremendo sacrificio et sacramento Eucharistiæ comprehenduntur, constituuntque istud sacramentum, si substantiam species, supra cætera eminentissimum. Neque enim quidquam habet de incruento missæ sacrificio; præsentiam realem corporis et sanguinis Domini in Eucharistia et donorum transubstantiationem negat; adorationem vero debitam Christo præsenti improbat. Tolle hæc e missa C fidelium, immensa ejus dignitas mirum in modum decrescit, imo perit. Ad hæc alii ex hæreticis sacrificium hoc propitiatorium esse negarunt, ita ut quæ omnium augustissima actio est in Ecclesia Dei, in nihilum pene abeat. Denique etiam abiit apud Lutheri sectatores, qui missam ipsam, scilicet, sacrificium prorsus abrogarunt, communione tantummodo retenta. Horrorem incutiunt, quæ idem Lutherus in missam Romanam evomuit, minime veritus fateri se doctrinam hanc a diabolo accepisse, et quidem dum vigilaret. Nemo nostrum ei atque illius asseclis tantum doctorem invideat. Quid Zwinglius postea et Calvinus, tum Anglicani, Sociniani, aliique, a Romanæ catholicæ Ecclesiæ sinu divulsi, de D eadem missa et Eucharistia statuerint, satis norunt eruditi. Notissimum quoque est, hoc hominum genus rationem excogitasse, qua eluderent aperte documenta non minus sacræ antiquissimæ liturgiæ, quam sanctorum Patrum, ubi panem et vinum per consecrationem fieri vere corpus et sanguinem Domini, diserte tradunt; nihil aliud in Eucharistia agnoscentes, sive imaginantes, nisi figuram Christi ad dexteram Patris in cœlo sedentis, et virtutem cœlitus infusam pani et vino, quorum conversionem in corpus et sanguinem, uti et realem præsentiam Christi in eodem sacramento inficiantur. Tum de nomine transsubstantiationis, uti recentiorum sæculorum invento, litem nobis movent, quasi non aliis nominibus et liturgia et Patres eamdem rem a primis usque sæ-

culis designarint. Binghamus ipse sibi ostendendum sumpsit « præcipuos de antiquis Patribus tam perspicue quam verbis fieri potest declarasse quod mutatio per consecrationem in elementis panis ac vini facta non sit ejusmodi mutatio quæ naturam et substantiam destruat, sed tantum eorum qualitates mutet, atque ad usum elevet spiritualem, quemadmodum fit in multis aliis consecrationibus, ubi qualitates rerum immutantur, sine ulla reali substantiæ immutatione (*Bingham.*, *l.* xv, *c.* 5, § 4). » Ejusmodi opinione statuta, is continuo præsentiam realem atque adorationem Eucharistiæ excidisse arbitratur.

Contra, Catholici clamant perspicuam certissimamque esse universæ veteris Ecclesiæ sententiam de reali sacrorum donorum immutatione in Eucharistia, de reali præsentia Domini in sacramento, atque ex ipsa illius præsentia effluere efficaciam et virtutem tam augusti sacramenti, non vero e figura aut promissione aliqua, cujus nullum est vestigium in sacris litteris, neque apud sanctos Patres. Aut ergo nos, aut illi, supine falluntur; et quando Ecclesiam, quam tamen uti judicem legitimum in controversiis de religione Christus instituit, et columnam veritatis, et nunquam defecturam denuntiavit, hoc hominum genus repudiat atque contemnit, quis unquam litigandi finis erit? Deplorandum sane infelicitatis humanæ documentum habemus, dum cernimus viros, sacris litteris impensam operam dantes, in magni momenti rebus, et e quibus æterna salus aut damnatio pendet, quam quisque opinionem falsam atque absurdam a pueritia et schola imbuit, mordicus deinde et pervicacissime tueri, atque omnia tentare, ne victus det unquam manus, vel in rebus luce patenti circumfusis. Exorandus est in primis Deus, ut sincerum pacatumque animum, et mentem unius veritatis et pacis avidam, fratribus nostris, ab unitate Ecclesiæ sejunctis, impertiatur. Tunc enim facile et ii perspicient, hinc inexcusabili temeritate missam fuisse explosam ab hominibus, non Dei, sed superbiæ spiritu inflatis; inde vero a nobis eamdem justissima religiositate retineri et observari; catholicæque Ecclesiæ de Eucharistia doctrinam non sine ingenti flagitio posse repudiari. Nunc quo amore, et cura veritatis Binghamus in ejusmodi argumento processerit aperiendum est. Quædam is congerit loca jam protrita ex Gregorio Nysseno, Cyrillo Jerosolymitano, Chrysostomo in epistola ad Cæsarium, Theodoreto, Ephraimo episcopo Antiocheno, Tertulliano, Augustino, Gelasio I Romano pontifice, Facundo Hermianensi, Isidoro Hispalensi. Tum lectorem plura cupientem remittit ad Cosini Calvinistæ Historiam transubstantiationis, et ad Albertini Calvino addicti librum de sacramento Eucharistiæ. Quo facto, finita est causa, et, ut reor, sibi ac Protestantibus suis Anglicanus scriptor triumphum cecinit.

Verum si hæc homini illi persuasio fuit, qui fieri potest ut is putarit se propriæ conscientiæ satisfecisse, dum ea tantum profert quæ pro sua sententia afferre solent Sacramentarii, quasi aut nulla, aut nullius ponderis sint, neque consulere opus sit quæ catholici viri ad veritatem sui dogmatis confirmandam contulere? Utique fallere velle lectorem, ille dicendus est, qui, controversiam tanti ponderis explicandam suscipiens, dissimulatis contrariæ partis viribus, suæ tantum partis arma veluti victricia profert. Anno 1719, Binghamus sextum hoc suum volumen Londini publici juris fecit. Atqui post medium sæculum præcedens agitata jam fuerat summo studio atque labore, imo exhausta insignis controversia de Eucharistia inter Gallicum scriptorem Arnaldum, aliosque auctores librorum de perpetuo consensu Ecclesiæ catholicæ, et Claudium Calviniani gregis hominem. Ea autem argumentorum copia et robore Catholicorum sententia firmata fuit, repulsæque cavillationes et sophismata non Claudii tantum, sed et Albertini, ut quicunque libero judicio et sinceritate utitur, fateri cogatur evidentissimi criminis reos esse qui veritatem carnis et sanguinis dominici in Eucharistia negantes, a catholica Ecclesia dissentiunt. Si hæc Binghamo ignota fuere, supinæ ignorantiæ arcessendus est; sin ipse novit, qui apud Deum sese excusarit, quando plebi et lectoribus suis controversiam hanc unis Calvinianæ sectæ argumentis diremptam proposuit? Sed quam infirma, quam nulla sint hæc eorum argumenta, composita cum Catholicorum rationibus, etsi clarorum virorum studio patefactum jam diu fuerit, quanta tamen potero brevitate, ego quoque ostendam. Quod antequam præstem, meminerit lector velim quantalibet vi ingenii polleat homo, non ita semper accurate loqui posse aut scribere, neque terminis adeo perspicuis atque præcisis sua sensa semper exponere, et potissimum ubi metaphysicas difficilesque ideas materia exposcit, ut omni in omnibus locis obscuritate careat, certusque sit quin aliquando cavillatores et sophistica ingenia detorquere possint voces et sententias ad opiniones, menti ejusdem auctoris contrarias. Recta autem ratio jubet nos ex iis quæ alibi clara apertaque sunt interpretari et exponere debere quæ obscura sunt. Quis enim nisi desipiens pro adhibenda luce ad tenebras expellendas, ipsis tenebris utatur ad caliginem luci offundendam? Utinam tamen abominanda hac ratione quotidie non abuterentur Sacramentarii, quando nihil aliud agunt, quam decerpere et urgere in quæstione de Eucharistia pauca quædam sanctorum Patrum loca dubia, tenebrosa, et variis interpretationibus obnoxia, eodemque tempore aspernari, quæ disertis perspicuisque verbis iidem Patres de ipso argumento pronuntiant, et quibus catholicæ Ecclesiæ doctrina manifestissime proditur.

A Facundo Hermianensi exordium sumere juvat. Mirum enim est, quam opportune atque importune Protestantes afferre et inculcare illius verba consueverint, quasi ab iis pendeat controversiæ istius inconcussa definitio. Guilielmus Cave Britannus (*De Scriptor. eccles.*), cum de Facundo agit, veluti palmare Calvinianæ opinionis monumentum eadem verba

præter morem et extra chorum attulit. Ita Joannes Fellus Anglicanus Oxoniensis episcopus (*In not. ad S. Cypriani lib. de Lapsis, c.* 10) inducto in scenam ejusdem Facundi loco, avertendos lectorum oculos curat a prægnantibus manifestisque sancti Cypriani verbis de veritate corporis et sanguinis dominici, quæ infra afferemus. Alios omitto, in uno Binghamo consistens, cui manifestum videtur excludi a Facundo præsentiam realem Domini in altaris sacramento ineffabili. En Facundi ipsius verba (*Facundus, lib.* IX, *c.* 5) : « Sacramentum adoptionis suscipere dignatus est Christus, et quando circumcisus est, et quando baptizatus est. Et potest sacramentum adoptionis adoptio nuncupari, sicut sacramentum corporis et sanguinis ejus, quod est in pane et poculo consecrato, corpus ejus et sanguinem sumimus, non quod proprie corpus ejus sit panis, et poculum sanguis; sed quod IN SE MYSTERIUM CORPORIS, SANGUINISQUE CONTINEAT. Hinc et ipse Dominus benedictum panem et calicem, quem discipulis tradidit, corpus et sanguinem suum vocavit. Quocirca sicut Christi fideles sacramentum corporis et sanguinis Domini recte dicuntur accipere, sic et ipse Christus sacramentum adoptionis filiorum cum suscepisset, potuit recte dici adoptionem filiorum suscepisse. » Qui nullo partium studio teneatur, nihil manifesti in obscuris hisce verbis deprehendet quod Catholicorum doctrinæ adversetur. Dum lector meminerit, sacramenti voce nihil aliud designari, quam signum visibile, invisibile aliquod divinæ potentiæ et gratiæ donum continens, Facundi mentem non difficile intelligat. Panis et vinum in Eucharistia symbola sunt et signa, quæ, per verba consecrationis divinitus sanctificata, veram carnem et sanguinem Christi continent. Neque per consecrationem desinunt esse symbola ac signa, quanquam panis et vini substantia convertatur in corpus et sanguinem Domini.

Pete nunc, an proprie panis sacratus (hoc est species panis) sit corpus Domini, et poculum sit sanguis ejus. Negat hoc Facundus, neque immerito. Quanquam enim symbola vere contineant corpus et sanguinem, non ipsa tamen sunt ipsum corpus et sanguis; et quanquam Christi fideles, dum sacramentum, hoc est, symbola et signa, corporis et sanguinis accipiunt, corpus et sanguinem Christi recte dicuntur accipere, attamen eadem symbola proprie non sunt Christi corpus et sanguis. Negatne propterea Facundus accipi revera a Fidelibus carnem et sanguinem Domini, quæ sub sacramento, sive sub symbolis latent? Nequaquam. Imo, si rite perpendas, id ipsum illius verba fatentur. Quid enim aliud vult ille, cum ait : panem et poculum in se mysterium corporis sanguinisque continere? Mysterii voce veteres significarunt aliquid arcanum, latens, aut ineffabile, et Chrysostomus (*Homil.* 19 *in Epist. ad Rom.*) mysterium appellat, quod ignoratur, et arcanum est, quodque summopore mirandum et insuetum est atque inopinatum. Propterea Eucharistiam ipsam sancti Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus, aliique Patres aut mysterium, aut mysteria, eaque vivifica, cœlestia, tremenda, sancta, divina, appellarunt. In collectis post communionem Ecclesia præsertim Romana hujusmodi voce significabat perceptum corpus et sanguinem Domini. Vide infra Leonianum Sacramentarium, Gelasianum, ac Gregorianum. Ibi legitur : *Sacris reparati mysteriis. Refecti cœlesti mysterio. Quæsumus, ut divina mysteria. Deus, cujus mysteriis mundamur et pascimur. Adesto, Domine, populo tuo, quem mysteriis cœlestibus imbuisti. Sanctificati salutari mysterio. Salutaribus repleti mysteriis. Sit nobis reparatio mentis et corporis cœleste mysterium.* Reliqua prætereo. Tam certum autem est, quam quod certissimum, uti nunc, ita et antiquis sæculis, designatam fuisse realem, et non figuratam, perceptionem corporis et sanguinis Domini, ut infra ostendemus. Quare jam intelligis, tantum abesse, ut Facundi oratio pugnet contra Catholicorum sententiam, ut eam diserte confirmet. Resultat hæc eadem veritas e comparatione baptismi, qua utitur idem Facundus. Quamvis baptismus tantummodo sit sacramentum, hoc est visibile Signum adoptionis, et non sit ipsa adoptio, attamen baptismus potest adoptio nuncupari. Porro nulla dubitatio est quin homines baptismum recipientes veram et non figuratam adoptionem filiorum Dei accipiant. Ergo etiamsi sacramentum, id est, signum visibile, corporis et sanguinis Domini proprie non sit ipsum corpus et sanguis Domini, qui tamen ipsum sacramentum sumit, veram et non figuratam carnem et sanguinem Christi recipit, quia species panis et vini revera in se mysterium, hoc est, arcanam tremendamque præsentiam corporis sanguinisque Domini continent; et nos in pane et poculo consecrato carnem ejus et sanguinem sumimus, uti diserte Facundus testatur. Fatendum nihilominus est quemquam ex hoc Facundi loco posse inferre Lutheranæ sectæ, ut aiunt, impanationem, quasi in Eucharistia panis ac vinum, servata sua substantia, cum veritate corporis et sanguinis Dominici conjungantur. Verum corruit hæc illatio, ubi frequentatum ab omnibus sæculis morem animadvertas, quem adhuc Catholici interdum retinent, scilicet, appellandi panem hostiam consecratam, et calicem vinum consecratum, quanquam perpetuo statuerint et statuant panem et vinum, quorum species permanent, per consecrationem conversa fuisse in verum ac reale corpus et sanguinem Domini.

Ad sanctum Augustinum procedo. Negari non potest quin Sacramentariæ sectæ primi parentes Berengarius, eumque secuti Zwinglius, et Calvinus, quibusdam librorum Augustini locis dubiis, obscuris, et perperam intellectis, abusi fuerint, ut realem Christi Domini præsentiam ex Eucharistia auferrent, contempto per ingens facinus perpetuo hac de re Ecclesiæ consensu. At nunquam Augustinus somniavit aliter hic se sentire quam senserint reliqui Ecclesiæ Patres; et si quæ occurrunt in ejus libris ambigua, ex aliis ejusdem minime dubiis sententiis et

verbis mens illius est petenda. Apposito in hanc rem Facundus, quem nuper audivimus, audiendus hic quoque est, dum scribit: « Quemadmodum calumniantium hæreticorum est ex dubiis et obscuris, quæ certa et manifesta sunt male interpretari, ita solitum prudentiæ ac veritatis catholicæ et indubitatis atque evidentibus ambigua et latentia declarare. » Optandum est, ut prudenti imo et necessaria hac regula utantur, quicunque veritatem potius quam sectam suam amant. Ex Albertino selegit Binghamus veluti formidandum arietem ad evertendam Catholicorum de Eucharistia doctrinam fragmentum sermonis sancti Augustini nobis a sancto Fulgentio servatum. Inquit Augustinus ad infantes, hoc est, ad neophytos: « Hoc, quod videtis in altari Dei, etiam transacta nocte vidistis. Sed quid esset, quid sibi vellet, cum magnæ rei sacramentum contineat, nondum audistis. Quod ergo videtis, panis est et calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant. Quod autem fides vestra postulat instruenda, PANIS EST CORPUS CHRISTI, CALIX SANGUIS CHRISTI (*August. serm.* 272, *nov. Edit. Bened.*). » Tum infantes inducit interrogantes « quomodo » cum Christus in cœlum ascenderit, sedeatque ad dexteram Patris, « est panis corpus ejus, et calix, vel quod habet calix, est sanguis ejus? » Ad hæc Augustinus: « Ista, fratres, ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem. Quod intelligitur, fructum habet spiritualem. Corpus autem Christi si vis intelligere, Apostolum audi dicentem fidelibus: *Vos autem estis corpus Christi, et membra.* Si ergo vos estis corpus Christi et membra, mysterium vestrum in mensa Dominica positum est; mysterium vestrum accipitis. Ad id, quod estis, Amen respondetis, et respondendo subscribitis. Audis enim: CORPUS CHRISTI; et respondes, Amen. Esto membrum corporis, ut verum sit amen. » Tum pergit ostendere cur in pane et vino conficiendum Christus voluerit sacramentum hoc; nempe ut charitatem et unitatem fidelibus suis commendaret; nam de multis granis tam panis quam vinum constituuntur. Ex isto sermone Binghamus et alii ejus gregis inferunt nihil aliud esse in altari, nisi panem et vinum; corpus naturale Christi non illic haberi, sed tantum repræsentationem illius, et corporis etiam mystici, hoc est, Ecclesiæ.

Quam facile nobis blandimur in his quæ volumus, quæ sentimus, quæ amamus! Quisquis attente sermonem hunc scrutatur atque perpendit, fateatur necesse est se multas tenebras, se concatenationem sermonis nullam ibi reperire; usque adeo ut cardinalis Perronius excidisse hic aliquid, neque immerito, fuerit suspicatus. Nam « panis est corpus Christi, calix sanguis Christi » diserte dicitur. Tum petitur quomodo naturale corpus et sanguis Christi sint in Eucharistia, cum in cœlo Christus sedeat. Augustinus respondet eum Apostolo: *Vos estis corpus Christi et membra.* Absurda plane videatur responsio; hinc enim sequitur panem esse non corpus

A Christi, sed corpus fidelium, et sanguinem fidelium. Nonne etiam extra sacramentum Ecclesia est mysticum corpus Christi? Quî ergo hæc intelligenda? Illud certe evidens est, non posse Calvinianos hinc aliquid derivare ad suæ opinionis subsidium. Quamvis enim naturale corpus Christi in Eucharistia ii non admittant, figuram tamen ejusdem naturalis corporis in ea agnoscunt. At hic nullum de figura verbum. Aut ergo Augustinus nihil hoc in loco decernit veritasne an figura carnis et sanguinis naturalis Domini sit in sacramento; aut sententiam catholicam tantummodo exprimit, dum ait: « Panis est corpus Christi, et calix est sanguis ejus. » Neque enim quisquam nisi temere negare audebit Augustini quoque tempore Ecclesiam in liturgia rogasse Deum ut panis

B « fieret corpus Christi, » et per verba Domini ac per illapsum Spiritus sancti mutaretur panis in carnem Domini ipsius. Unum itaque exculpere hinc possis, scilicet, Augustinum in isto sermone explicandum minime sumpsisse sitne revera in sacramento caro et sanguis Christi, sed hoc sibi duntaxat proposuisse, scilicet, explicandum, cur sacramentum ipsum in pane et vino institutum fuerit. Hoc mystice factum ait ad deprædicandam fidelibus necessitatem charitatis et unionis inter se, et cum Christo: quod ille in tot aliis locis inculcat, ut populum suum a ferventi Donatistarum schismate avertat. Attamen hoc etiam in loco is evidenter veritatem ac realitatem corporis Christi in Eucharistia tradit, cum ait a sacerdote exhibente neophytis sanctificatum pa-

C nem dici: CORPUS CHRISTI, hoc est: Ecce corpus Domini, et ipsos respondere AMEN, id est: Ita credo, Ita est; credo, inquam, hoc esse verum Christi corpus. Tum subdit Augustinus: « Esto membrum corporis, ut verum sit amen. » Hoc est: Si credis, hoc esse verum corpus Christi, tu quoque fac per veram charitatem ut sis membrum veri corporis hujus. Nam si aliter agis, et charitate cares, non ex corde dicis amen, hoc est, non tibi cordi est ut sis membrum corporis Domini, qui charitatem ab hominibus Evangelio addictis præcipue exigit. Huc autem advocandus est alter ejusdem sancti doctoris sermo ad infantes ipsos, sive ad neophytos: « Memor sum, ait, promissionis meæ. Promiseram enim vobis, qui baptizati estis, sermonem, quo exponerem mensæ

D dominicæ sacramentum, quod modo etiam videtis, et cujus nocte præterita participes facti estis. Debetis scire quid accepistis, quid accepturi estis, quid quotidie accipere debeatis. Panis ille, quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Dei, CORPUS EST CHRISTI. Calix ille, imo quod habet calix, sanctificatum per verbum Dei, SANGUIS EST CHRISTI. Per ista voluit Dominus Christus commendare CORPUS et SANGUINEM suum, quem pro nobis fudit in remissionem peccatorum (*August. serm.* 227, *nov. Edit.*, *olim* 83). » Ut quisque intelligit, aliter sane locutus fuisset, qui Calvinianam opinionem expositurus fuisset neophytis, tum primum percepturis, quid Eucharistia sit, ne quisquam falleretur. Ejusmodi expositio illi tan-

tum convenit cui catholicæ Ecclesiæ sententiam tradere animus est. Quid autem sit hoc corpus, hic sanguis, Augustinus explicat, nempe corpus naturale, et sanguis naturalis Christi, quem ipse pro nobis fudit. Panis igitur, per verbum Dei sanctificatus, hoc est per verba consecrationis (quod contra nonnullorum Græcorum opinionem semper meminisse juvat) corpus est Christi naturale, non vero imaginarium per fidem percipientium. Nam si hoc postremum fuisset, dixisset Augustinus : Panis ille, quem videtis, figura est corporis Christi, neque dixisset : Corpus est Christi. Pari ratione is ait : Vinum, per verbum Dei sanctificatum, sanguis est Christi naturalis, et minime figura illius. Pergit deinde in hoc sermone Augustinus docere neophytos quid exigat Christus ad bene recteque accipiendum corpus et sanguinem suum. Scilicet, charitatem et unionem membrorum inter se, et cum capite ipso Domino Jesu. « Commendatur vobis (sunt ejus verba) in isto pane, quomodo unitatem amare debeatis. Unus panis, unum corpus, multi sumus, » Apostolus ait (*I Cor.* x, 17). Imitatus hic Augustinus Chrysostomum (*Homil.* 24 *in I Cor.*). Ex isto ergo sermone alter explicandus.

Quod saltem fateatur sincerus quisque ex Calvini asseclis, prior ille sermo aliqua caligine circumfusus est, et nimia confidentia laborat, quicunque ibi Calvini documenta manifeste contineri, et ex hoc aliisque locis Augustini tenebrosis exponenda esse tot alia ejusdem, quæ apertissime statuunt catholicæ Ecclesiæ sententiam, contendit. Pauca hæc seligo : « Diximus, fratres (inquit), hoc Dominum commendasse in manducatione carnis suæ, et potatione sanguinis sui, ut in illo maneamus, et ipse in nobis, etc. Quid nos credimus, et cognovimus ? Quia tu es Christus Filius Dei vivi, id est ipsa vita æterna tu es ; et non das in carne et sanguine tuo, nisi quod es, etc. Carnem Christi et sanguinem Christi non edamus tantum in sacramento, quod et multi mali, sed usque ad spiritus participationem manducemus et bibamus, ut in Domini corpore tanquam membra maneamus (*Aug. tract.* 27, *in Joan.* vi). » Si Christus dat nobis quod ipse est, ergo se ipsum dat, id est veram carnem et sanguinem suum cum divinitate conjunctum ; et vitam spiritus nobis dat, ita ut maneat ipse in nobis, et nos in ipso maneamus, quia ipsa vita æterna est Christus. Ad hæc de Monica matre sua ait Augustinus : « Memoriam sui ad altare tuum fieri desideravit, cui nullius diei intermissione servierat, unde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum quod erat contrarium nobis (*Aug.*, *lib.* ix *Conf.*, *c.* 13). » Unquamne fuit panis, qualem Sacramentarii Eucharistiam censent, victima sancta, quæ chirographum damnationis nostræ delevit ? Minime gentium. Victima hæc fuit, ac est, verum corpus Christi. Neque ait Augustinus dispensari figuram victimæ illius, sed victimam ipsam. Rursus scribit idem sanctus episcopus : « Ecclesiastes ait : *Non est bonum homini, nisi quod manducabit et bibet.* Quid credibilius dicere intelligitur, quam quod ad parti-

A cipationem mensæ hujus pertinet, quam sacerdos ipse mediator testamenti novi exhibet secundum ordinem Melchisedech de corpore et sanguine suo ? Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri (*Aug.*, *lib.* xvii *de Civit. Dei*, *c.* 20). » Si Christus incruentum sacrificium corpore et sanguine suo peragere dicitur : ergo Augustinus non figuram, non umbram novit corporis et sanguinis Domini in eodem sacrificio. Et potissimum quod hic et in tot aliis locis scripserit, vetera sacrificia figuras, umbras et signa, fuisse unius Christiani sacrificii, et Christi quotidie immolati in sacro altari ; quia (subdit Augustinus) « pro illis omnibus sacrificiis et oblationibus corpus ejus offertur, et participantibus ministra-

B tur. » Ergo non panis tantum, non figura corporis et sanguinis Christi, sed verum corpus et sanguis Christi in missa offertur et immolatur.

Præterea scribit idem sanctus episcopus : « Mediatorem Dei atque hominum, hominem Christum Jesum, carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem dantem, fideli corde atque ore suscipimus ; quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare, quam perimere, et humanum sanguinem potare, quam fundere (*Aug. Contra advers. leg.*, *l.* ii, *c.* 9). » Hoc est, quanquam Dominus dixerit, se daturum et revera det carnem suam nobis manducandam, bibendumque sanguinem, quod sane horribile est, attamen verbis ejus fidentes, firmissimo corde credimus nos eamdem carnem ore accipere et

C manducare, ipsumque sanguinem potare. Ineptissime hæc dicerentur in Calvini sententia ; quæ enim difficultas ad credendum, quis horror, si figura tantum carnis et sanguinis Christi in sacramento accipitur ? Denique, ut alia omittam, petenda ex Bellarmino, aliisque polemicis scriptoribus, et præcipue ex auctore Perpetuitatis fidei, en quid Augustinus in celeberrimo loco ait : « Et ferebatur in manibus suis. Hoc vero (fratres) quomodo posset fieri in homine, quis intelligit ? Quis enim portatur in manibus suis ? Manibus aliorum posset portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram, non invenimus : in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans CORPUS SUUM, ait : HOC EST

D CORPUS MEUM ; ferebatur enim illud corpus in manibus suis (*Aug. enarr. in psal.* xxxiii). » Possunt quidem Sacramentarii in sacris litteris, atque innumeris in locis sanctorum Patrum, ubi de Eucharistia sermo est, expiscari opinionem suam, et ubivis obtrudere figuram, interpretari verbum *est* pro *significat*, et quod litterale prorsus est, metaphoricum sibi fingere, sese decipiendo et alios ; fieri enim non potuit quin Patres, si cum Calvino sensissent, aliquando, imo sæpe exponerent, quid significaret in Eucharistia corpus et sanguis Domini secundum Calvinianam interpretationem : a quo tamen ii abstinuerunt, imo contrarium tradiderunt. Ast adeo luculenta sunt Augustini nuper adducta verba, ut nullus effugiendo sit locus. Inquit ille Jesum in insti-

tuenda Eucharistia, et dicendo de pane : *Hoc est corpus meum*, portasse se ipsum in manibus suis, atque id verificatum fuisse secundum litteram, id est non metaphorice, non figurate, non ex imaginatione percipientium Eucharistiam. Agnoscit Augustinus secundum naturalem ordinem impossibile quemquam hominum portare se ipsum in manibus suis. At non id Deo impossibile; prodigium hoc revera factum a Domino fatetur in hujus ineffabilis sacramenti institutione. Nihil autem mirandi occurreret in homine portante imaginem et figuram suam in manibus suis. Ergo nisi pervicaces et obcæcati homines contendere possint, ignoratam aut negatam a sancto Augustino realem corporis et sanguinis Domini præsentiam in Eucharistia. Atque ex his manifestis locis, quæ ambigua et obscura interdum in Augustini libris offenduntur, explicanda sunt, non vero perspicua e tenebrosis. Neque tanto viro contradictiones tribuendas quisque sapiens intelligit. Videas etiam velim illius serm. 225, olim 140, de tempore, et serm. 372, olim 54, de diversis, ut alia loca prætercam.

Nescio quid exculpere velit Binghamus ex Gregorio Nysseno, qui scribit : « Panis item panis est initio communis, sed ubi cum mysterium sanctificaverit, Χριστοῦ λέγεται καὶ γίνεται, CORPUS CHRISTI dicitur ET FIT. Sic altare, sic oleum, sic sacerdos per benedictionem sanctificantur, et sacerdoti contingit, cum nihil vel corpore vel forma mutatus, sed quod ad speciem externam attinet, ille est, qui erat, invisibili quadam vi et gratia invisibilem animam in melius transformatam gerens (*Greg. Nyss., lib. de Bapt. Christ.*). » Velit fortasse Binghamus comparationem instruere inter altare, oleum sacrum, et sacerdotes, quorum substantia non mutatur, et Eucharistiam, in qua Catholici mutationem substantiæ panis et vini statuunt. Sed mirum est, qui non videat nihil orationem Nysseni favere Calvinianis, et contra ex his evidenter confirmari catholicam sententiam. Quid in altari, oleo et sacerdotibus operatur benedictio, sive sanctificatio? Ut quod profanum et res communis antea erat, per invisibilem effectum gratiæ sanctum et res sacra incipiat esse, et veneratione digna efficiatur. Hoc vere ac verissime operatur vis benedictionis, quanquam quod ad speciem externam attinet, nulla mutatio accidat. Rursus quem in finem benedictio et sanctificatio ad panem et vinum in sacra mensa adhibetur? Ut *panis fiat corpus*, vinum *sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi*. Hoc Romana, hoc cæteræ Occidentis et Orientis liturgiæ sonant. Atque hoc ipsum itidem per benedictionem et verba Christi quotidie Ecclesia vere ac verissime impetrat, et quod antea panis communis, Nysseno testante, corpus Christi fit, et dicitur, non solum λέγεται, dicitur, sed γίνεται, fit, quamquam species externa nihil immutetur. Hæc qui non videt, captus oculis sit necesse est. Sed et hic libenter a Binghamo petiissem, num sincere ad veritatem inquirendam compositum animum gereret, quando is in Gregorio Nysseno, quæ optabat, exquisivit, neque tamen invenit; tum neglexit alia loca, in quibus evidentissime idem sanctus doctor et realem præsentiam Domini in Eucharistia, et mutationem panis et vini in corpus et sanguinem Christi testatur? Florebat ille anno Christi 380. Nimius essem, si integram orationem de Eucharistia afferrem ex magna catechesi illius. Paucis contentus ero : « Jesu Christi corpus, inquit, eo quod inhabitatum fuit a Verbo Dei, in divinam dignitatem immutatum fuit. Recte igitur sanctificatum panem in verbo Dei CORPUS IMMACULATUM credimus (*Greg. Nyss. Catech.*, c. 37). » Tum ait, sicuti panis et vinum alimenta naturalia in substantiam nostram convertuntur, ita Dominus nobis exhibuit hæc dona, « cum immutat et transformat visibilium naturam, » id est, panem et vinum, « in suum corpus ex vi sacræ benedictionis. » Diserte etiam tradit, ad fermenti similitudinem corpus Christi in fidelium corpus ingredi, ut totum in se transferat atque immortalitate donet. In his quære, si potes, Calvini somnia : nihil invenies, nisi veram catholicæ Ecclesiæ doctrinam.

Ex catechesi sancti Cyrilli, qui anno Christi 360 Jerosolymitanam Ecclesiam regebat, hæc Binghamus excerpsit, ubi de sacrato chrismate sanctus episcopus sermonem habet : « Vide ne illud esse putes unguentum tantum. Quemadmodum enim panis Eucharisticus post sancti Spiritus invocationem non amplius est panis communis, SED EST CORPUS CHRISTI, sic et sanctum hoc unguentum non amplius est unguentum, neque, ut ita dicam, commune, postquam jam consecratum est; sed est charisma (sive donarium) Christi et Spiritus sancti, præsentia divinitatis ejus efficax redditum (*Cyrill. Jeros., Catech.* 21, *seu Mystag.* 3). « Sed adhuc cum aere digladiatur Binghamus. Aperte Eucharistiam a chrismate sacro distinguit Cyrillus. Tam panis, quam unguentum per invocationem Dei sanctificantur; sed unguentum remanet quale erat, efficacia duntaxat præditum ad contribuendam fidelibus fortitudinem. At quid panis Eucharisticus per invocationem consequitur? Non amplius est panis communis, sed fit panis vivus, qui de cœlo descendit. Est corpus Christi. Quare hic etiam locus contra Sacramentarios pugnat. Qui vero hoc hominum genus consulere conscientiæ suæ apud Deum possit, non video, quando hæc aliaque corradunt aut dubia, aut omnino suæ opinioni contraria, ut sibi suisque auditoribus persuadeant inventa Berengarii atque Calvini, quando loca perspicua ante pedes habent, ex quibus veteris Ecclesiæ dogma de Eucharistia apertissime resultat. Ipsum Cyrillum Jerosolymitanum millies opposuere Catholici Calvinianis. Cur faciem ab ejus luce avertunt, et a caliginosis tantum locis præsidium sibi conquirunt? Norunt ii, Cyrillum hæc quoque habere : « Cum igitur ipse Christus pronuntiaverit ac dixerit de pane : Hoc est Corpus meum, quis audebit deinceps ambigere? Et cum ipse asseveraverit et dixerit : Hic meus est sanguis, quis unquam dubitaverit, aiens non ejus esse sanguinem (*Cyrill., Catech.* 22, *seu Mystag.* 4)? » Tum

illos præoccupat Cyrillus, qui de tanto miraculo, scilicet, de conversione panis in corpus, et vini in sanguinem dubitare forsitan pergunt, inquiens : « Aquam olim in vinum, quod sanguini affine est, in Cana Galileæ transmutavit; et eum parum dignum existimabimus, cum vinum in sanguinem transmutavit? Ad nuptias corporales vocatus, stupendum hoc miraculum effecit; et non eum multo magis filiis thalami nuptialis corpus suum et sanguinem fruenda donare confitebimur? » Habes hic in meridie positam Catholicorum transubstantiationem, simulque prorsus dejecta Calvini somnia. Quale enim miraculum mihi in Eucharistia, Calviniano more intellecta, ostendas, ut opus sit altero miraculo mutationem ibi factam confirmare? Majori etiam luce donata catholicæ Ecclesiæ sententia se tibi infra offert, dum hæc ait Jerosolymitanus episcopus : « Quamobrem ne tanquam nudis et communibus elementis pani et vino attende : SUNT ENIM CORPUS ET SANGUIS CHRISTI, secundum Domini asseverationem. Nam etiamsi illud tibi suggerat sensus, fides tamen et certum et firmum efficiat. Ne judices rem ex gustu, sed ex fide citra ullam dubitationem certus esto te corporis et sanguinis Christi dono dignatum fuisse. » Hæc prostant, hæc legunt Protestantes, in quibus quid revera senserit de Eucharistia vetus Ecclesia, unusquisque videre cogitur; et nihilominus non vident, aut nihili faciunt; imo velut novum commentum transubstantiationem inflatis buccis venditant, quasi nova voce Catholici utentes rem antiquissimam non designent, cum certum sit sanctos quoque Patres aliis vocibus idem significantibus dogma ipsum tradidisse, ut infra uberius ostendemus.

CAPUT IX.

Quid veteres Romanæ Ecclesiæ liturgiæ tradant de Eucharistia.

Etsi nulla supersit cum Occidentalium, tum Orientalium Ecclesiarum liturgia, quæ eamdem omnino faciem retineat, quam primis sæculis Christianæ religionis sortita fuit, certum tamen est vel ipsis iis sæculis incruentum sacrificium celebratum semper fuisse, et preces et ritus, hoc est, liturgiam adhibitam in actione, quæ omnium præstantissimum mysterium complectitur. Accesserunt sensim aliæ preces, orationes et ritus, pro varietate festorum, pro diversa episcoporum pietate et ingenio : at id quod præcipuum est in missa, et quod ad sacrificii substantiam pertinet, religiose semper fuisse servatum, et nunquam immutatum, constat ex iis ipsis Patribus, qui priora Ecclesiæ sæcula suis scriptis illustrarunt. Id cardinalis Bona, id egregii alii tum antiqui, tum recentes scriptores copiose ostenderunt. Propterea quid sentiendum, quid credendum sit de Eucharistia, ex hoc potissimum fonte petendum est. Sunt nobis vetustissima Ecclesiæ Romanæ Sacramentaria, Leonianum, Gelasianum, et Gregorianum, et Codices ante mille ferme annos scripti. Quæ pauca in eis additamenta occurrunt, post sanctos Gelasium et Gregorium facta, nihil obstant quo minus ejusmodi liturgiæ ab iis processerint. Canoni certe, in quo tremendi mysterii summa consistit, nihil unquam additum fuit, quod vel minimum substantiam rei mutet; atque is in utroque Gelasii et Gregorii Sacramentario legitur. Quod nunc igitur in missa Romana de consecratione oblationis, sive oblatorum, id est, panis et vini, habetur, idem quoque præcedentibus quibusque sæculis Ecclesia Romana usurpavit. Nempe sacerdos ait : *Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quæsumus, benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris; ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.* Tum Christi verba subdit, per quæ ipse in cœna panem et vinum in proprium corpus et sanguinem convertit, et re ipsa fit consecratio. Aliquod inter Romanam et Orientales Ecclesias discrimen occurrit; nam Græci ac variæ Christianorum sectæ in Oriente, post Christi verba Spiritum quoque sanctum invocant, ut in sacra dona illapsus, eadem transmutet, et faciat corpus et sanguinem Domini, videlicet ut compleatur ac perficiatur jam per verba Christi donorum transmutatio peracta. Idem quoque in liturgia Mozarabica, Gothica et vetere Gallicana factum constat. Hac de re nulla disputatio apud veteres fuit; postremis tantum sæculis oborta est aliqua inter Latinos et Græcos controversia, num per verba Christi, an simul, aut postea, per invocationem sancti Spiritus.

Complures autem ex catholicis, id est, Goarius, Chefontaine, Renaudotius, Brunius, et nuper P. Cardon Benedictinus, tradiderunt non esse Græcis et Syris inferendam molestiam, quod ex eorum liturgiis nondum satis peracta consummataque videatur per verba Domini consecratio donorum, quando post illa invocatur Spiritus sanctus, ut eadem dona efficiat corpus et sanguinem Christi. Verum tantam, erga Græcos et Syros indulgentiam proxime præteritis annis non tulere aliquot inter Catholicos, gravissimisque rationibus ostenderunt nequaquam tolerandos esse Græcos, nisi palam fateantur ex unis Domini verbis sequi integram transubstantiationem, quod etiam ii fassi videntur in concilio Florentino. Nam si præter eadem verba ad consecrationem exigitur posterior invocatio Spiritus sancti, *artolatrei*, sive adoratores panis, dicendi erunt Latini. Propterea, si hosce audimus, censendi sunt tam Græci quam Syri in antiquas liturgias perperam intulisse preces illas, sive invocationem, a qua infirmari videtur virtus dominicorum verborum. Paucis dicam rectissime a Catholicis constitutum fuisse consecrationem pendere duntaxat ex Christi verbis, dogma namque hoc ex antiquis Patribus elicitur, et præsertim ex Joanne Chrysostomo, Ambrosio, et Augustino. Ante paucos etiam annos P. Petrus de Benedictis in insigne editione operum sancti Ephræm ostendit Syros ipsos agnovisse peragi consecrationem per eadem Christi verba, atque ad eamdem nihil conferre invocationem posteriorem sancti Spiritus, quæ etiam in non paucis liturgiis desideratur. Verum ad Ecclesias Latinas quod attinet, nullus

superest locus suspicioni adorati panis. Nam etsi preces ad essentiam consecrationis exigerentur (quod falsum est), in Latinis tamen liturgiis istæ præcedunt verba Christi, ita ut post eorum pronuntiationem certissime et absolutissime consummata sit transsubstantiatio, et nihil deinde adoretur, nisi verum corpus et verus sanguis Domini. Quod vero Græci et Syri antiquas adulterarint liturgias, quam facile dicitur, tam difficile foret legitimis confirmare documentis. Ex quo Nestoriani et Eutychiani a Græcis et Latinis discessionem fecere, nunquam existimandi sunt conspirasse cum Græcis ad vitiandam veterem liturgiam, quæ utrique genti sæculo Christi quinto communis erat. Ast illi, inquies, invocationem adhibent posteriorem, quæ cum efficacia verborum Domini pugnare videtur. Ita sane; sed minime irascendum iis qui Orientalium ritus emolliunt, modo ii nequaquam dubitent quia consecratio sita sit in ejusmodi verborum virtute. Cæterum nulla unquam fuit inter Occidentis et Orientis Ecclesias discordia et concertatio de præsentia reali Domini in Eucharistia, neque de mutatione, sive transsubstantiatione; hisce enim dogmatis concorditer omnes adhæsere semper, atque adhærent; nobisque præsto sunt certissima Acta, quibus præcipue Græci novas hac de re Lutheri et Calvini opiniones exsecrantur.

Quid autem sacerdotes petant a Deo, dum petunt, ut sacra dona fiant corpus et sanguis Domini, verborum vis satis prodit, nimirum panem et vinum non ficte, non metaphorice, sed realiter converti in corpus et sanguinem Christi. Petitio enim innititur omnipotentia Dei, cui id possibile est; et exemplo Christi, qui idem in cœna præstitit, inquiens: *Hoc est corpus meum;* et mandato ipsius Domini præcipientis ut sacerdotes in suam commemorationem idem faciant. Si quis sanctorum a Deo peteret ut virga hæc fiat serpens, aqua hæc fiat vinum, quis unquam somniaret aliud peti quam quod verbum *fio* significat apud Latinos, et in Italica lingua sonat *aiventi?* Attamen ausi sunt Sacramentarii nullam hic agnoscere realem mutationem. Pergit, secundum illos, vel post consecrationem panis esse panis. Sola fides imaginatur in sacramento Dominum. At nihil horum Ecclesia habet; nihil eorum quæ pro lubito ii somniant, liturgia tradit, nihil refert. Imo verba ipsa consecrationis, scilicet, *Hoc est corpus meum*, in novum sensum contorserunt, ita ut nihil aliud eis sonet nisi: Hoc significat corpus meum. Sed qui ita sentiunt rogandi sunt ut libere edicant liceatne homini, Christianam fidem profitenti, ad cerebri ingeniique sui arbitrium sanctissimam hanc Religionem componere, interpretari ac veluti de novo instituere; an potius deceat, atque opus sit, eamdem accipere ac venerari, qualis ab apostolis primis Ecclesiæ sæculis tradita est successoribus suis. Si primum eligunt, jam Socinianæ pestis temeritatem probant, et somnia Lockii Britanni, aliorumque in religione indifferentium, non contemnenda esse fateantur oportet. Et tunc quot capita, tot sententiæ erunt, et adversus apertam Christi doctrinam non amplius una erit Ecclesia, sed multæ; et qualis vera ac legitima sit Ecclesia Dei, in posterum agnoscere nemini dabitur. Sin alterum eligant, uti sperandum est, neque enim ii contemnere videntur priorum saltem Ecclesiæ sæculorum Patres, rursus ii rogandi sunt ut, deposito in Catholicos odio, depositisque præjudicatis opinionibus, uno veritatis studio incensi, quæ veteris Ecclesiæ doctrina fuerit de Eucharistia, sincere, neque in suis tantum, sed et in Catholicorum libris, investigent. Tunc enim, manum præbente Deo, nullo negotio intelligent quam Catholici de Eucharistia profitentur sententiam, eamdem ab antiqua etiam et universali Ecclesia deprædicatam semper fuisse.

Albertinus et Claudius, præcipui Calvinistarum pugiles, fabulam sane lepidam in cerebro suo struxere, eamque suis tribulibus facile persuasere, scilicet, Paschasium Ratbertum Corbeiensem abbatem, anno Christi 818, primum fuisse qui realitatem corporis et sanguinis Domini in Eucharistiam invexerit, cum antea universam Ecclesiam occuparet Calvinistica opinio; ac proinde in Paschasium insurrexisse Rhabanum, Amalarium, Walafridum, Florum, Heribaldum, Lupum, aliosque illius sæculi scriptores. Hanc eamdem fabulam imperterrite postremis hisce temporibus etiam Binghamus in scenam produxit. Indignationem hæc pugnandi ratio movet, cum plane dissimulentur quæcumque Catholici, et præsertim auctor librorum de Perpetuitate fidei, attulere ad dejiciendum dissipandumque male consultum istud commentum. Tantum abest ut in contraria sententia Ecclesiam sui temporis Paschasius invenerit, ut is pro sua consensum omnium Ecclesiarum præsertim adduxerit, neque sit inventus qui huic assensioni contradixerit. « Nemo, is ait, tamen est in aperto, qui hoc esse contradicat, quod totus orbis credit et confitetur. Videat, qui contra hoc venire voluerit, quid agat contra ipsum Dominum, et contra omnem Christi Ecclesiam. » Demonstratum insuper fuit neminem ex supra memoratis scriptoribus sese Paschasio, quod est ad realem præsentiam Christi in Eucharistia, opposuisse. Nam si Joannem Scotum excipias, cujus dubia mens fuit, reliqui aut minime oppugnarunt, aut contra diserte probarunt ejusdem Paschasi sententiam. Quare ludibria hæc sunt, et grandis flagitii pœnam a Deo non evadet, qui incautis lectoribus protritam jam diu fabulam propinare pergit.

Ad Romanam liturgiam regredior, quæ ante Paschasii Ratberti tempora sine dubitatione fuit in usu. Codices etiam, sive Sacramentaria, quæ hic exhibeo, antequam ille suos componeret libros, exarata fuere. Litteralis autem sensus Romanæ liturgiæ, dum ait *fiat corpus*, sacrorum donorum mutationem et realem corporis et sanguinis Domini in sacramento præsentiam importat. Proinde sacerdos sanctificatam hostiam Deo subinde offerens, eamdem appellat *panem sanctum vitæ æternæ*, quo nomine Christus ipse desi-

gnatur, et *calicem salutaris*, qua voce Patres ipsum Christi sanguinem indicant. Tum rogat *ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti et gratia repleamur.* Non inquit : corporis et sanguinis Filii tui figuram, imaginem sumpserimus, sed ipsum *corpus et sanguinem*. Ita, dum in calicem immittitur particula hostiæ sacratæ, dicit sacerdos : *Hæc commistio et consecratio corporis et sanguinis Domini*, etc. In Ordine Romano, qui ante tempora Caroli Magni conscriptus fuit, apud Mabillonium, dicebatur *Fiat commistio*, etc. Hanc autem Ecclesiæ mentem manifestissime confirmant orationes adhibitæ in antiquissimis Sacramentariis Leoniano, Gelasiano et Gregoriano, ad ipsam Romanam Ecclesiam ante Paschasii Ratberti tempora spectantibus. Itaque in Leoniano et Gregoriano legitur : CORPORIS SACRI ET PRETIOSI SANGUINIS *repleti libamine, quæsumus, Deus noster, quod pia devotione gerimus, certa redemptione capiamus.* Item in Leoniano : *Repleti* SUBSTANTIA (et minime figura) REPARATIONIS ET VITÆ, *quæsumus, Domine Deus noster, ut per ea quæ nobis munera præbere dignaris cœlestia, per hæc eadem tribuas nos inhærere cœlestibus.* Item : *Sumentes pignus cœlestis arcani, et in terris positi, jam* SUPERNO PANE *satiati*, etc. In Leoniano et Gelasiano : *Remotis obumbrationibus carnalium victimarum, spiritualem tibi, summe Pater*, HOSTIAM *supplici servitute deferimus, quæ miro ineffabilique mysterio* ET IMMOLATUR SEMPER, ET EADEM SEMPER OFFERTUR; *pariterque et devotorum munus, et remunerantis est præmium.* In Leoniano, Gelasiano et Gregoriano : *Sacrosancti* CORPORIS ET SANGUINIS *Domini nostri Jesu Christi refectione vegetati, supplices te rogamus, Deus, ut hoc remedio singulari et ab omnium peccatorum nos contagione purifices, et a periculorum munias incursione cunctorum.* In Leoniano et Gelasiano : *Supplices te rogamus, Domine Deus noster, ut qui percipimus* CŒLESTIS MENSÆ SUBSTANTIAM, *ad vitam pertingamus æternam.* In iisdem Sacramentariis : *Majestatem tuam, Domine, supplices deprecamur, ut sicut* CORPORIS ET SANGUINIS SACROSANCTI PASCIS ALIMENTO, *ita divinæ naturæ facias esse consortes.* Demum, ut alia omittam, in Leoniano, ubi invitatio legitur ad jejunium mensis decimi, hæc habentur : *Consequens enim fuit, ut transactis terræ fructibus, cœleste semen oriretur* (ad Natalem Domini respicit) *et alimonia vitæ mortalis expleta germen immortalitatis exsisteret, atque escis carnalibus expeditis, cibus nasceretur mirabiliter animarum; ac, tempore frumenti, vini et olei, peracto, ineffabiliter ederetur, qui filiis Dei, ad similitudinem proficientibus angelorum, hoc totum non solum* SUBSTANTIA *deferret* ET NOMINE, *sed* PANEM *præberet* ÆTERNUM.

In Gelasiano Sacramentario atque, in antiquissimo Missali Francorum, ad ordinationem presbyterorum rogatur Deus, *ut purum et immaculatum ministerii tui donum custodiant, et per obsequium plebis tuæ,* CORPUS ET SANGUINEM FILII TUI IMMACULATA BENEDICTIONE TRANSFORMENT. Item ad feriam 4 post Pascha : *Ut* CORPORE EJUS ET SANGUINE, *quo a peccatis redempti sumus, ad æternam vitam* SACRIFICIIS CŒLESTIBUS PASCAMUR. In Gelasiano, Gregoriano, et Missali Francorum ad consecrandam patenam : *Consecramus et sanctificamus hanc patenam* AD CONFICIENDUM (*ad confringendum* habet alter Codex) IN EA CORPUS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, *patientis crucem pro salute nostra omnium.* In Gelasiano et Missali Francorum ad consecrationem vasculi, in quo servabatur corpus Domini pro infirmis : *Oremus, ut Deus omnipotens hoc ministerium,* CORPORIS FILII SUI DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI GERULUM, *benedictione implere dignetur.* Item : *Omnipotens Trinitas inseparabilis, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde, ut per nostram benedictionem hoc vasculum sanctificetur, et* CORPORIS CHRISTI NOVUM SEPULCRUM, *Spiritus sancti gratia perficiatur.* In Gregoriano, Dominica post Pentecosten : *Munera, Domine, oblata sanctifica, ut* TUI *nobis* UNIGENITI CORPUS ET SANGUIS FIANT. In Romana missa sequens oratio nunc dicitur ante communionem : *Perceptio* CORPORIS ET SANGUINIS DOMINI JESU CHRISTI, *quam ego indignus sumere præsumo*, etc. Hæc antiquis etiam temporibus recitabatur, ut constat ex vetustissima missa a Matthia Flacco Illyrico edita. In Othoboniano Codice noni sæculi ad Dominicam quintam post Theophaniam hæc præfatio legitur : *Æterne Deus, et tibi immolationis hostiam offerre, quæ est salutifera, et ineffabile divinæ gratiæ sacramentum. Quæ offertur a plurimis, et* UNUM CORPUS CHRISTI, SANCTI SPIRITUS INFUSIONE PERFICITUR. *Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est; nec per singulos minuitur; sed integrum se præbet in singulis. Propterea ipsi, qui sumimus communionem hujus sancti panis et calicis, unum corpus Christi efficimur*, etc. Legitur hæc ipsa præfatio in Sacramentario Ambrosiano; eamdemque contra Berengarium sæculo Christi undecimo produxit Algerus (*lib. I de Sacram.*) veluti fetum sancti Ambrosii. Guitmundus quoque episcopus Aversanus ejusdem sæculi protulit « præfationem istam, inquiens, quæ per totum pene orbem Latinum habetur (*Guitm., lib. I de Verit. Euchar.*). »

Alteram præfationem accipe ex prælaudato Codice Othoboniano desumptam, ad feriam 3 post Dominicam primam Quadragesimæ. Hæc in Sacramentario quoque Ambrosiano apud Pamelium exhibetur : *Per Christum Dominum nostrum. In quo jejunantium fides additur, spes provehitur, charitas roboratur. Ipse est enim panis vivus et verus, qui substantia æternitatis et esca virtutis est. Verbum enim tuum, per quod facta sunt omnia, non solum humanarum mentium, sed ipse panis est angelorum. Hunc panem ministrare nobis non desinis, et ut eum indesinenter esuriamus, hortaris:* CUJUS CARNE DUM PASCIMUR, *roboramur, et* SANGUINE DUM POTAMUR, *abluimur.* Hisce addere juvat pauca ex missa antiquissima, a Matthia Flacco Illyrico olim edita. Ab ista, quod ex hæretici hominis penu prodiisset, sibi timuere Catholici sæculo sexto decimo; sed sensim dignovere nihil aliud eam esse nisi ipsam Romanam

missam, multis variisque orationibus oneratam, quarum usus arbitrio sacerdotum tunc liber fuit. Vide Martene (*Tom. I de Rit. Eccles.*). Ibi post oblationem panis sacerdos ait: *Sanctifica, Domine, hanc oblationem, ut nobis Unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi* CORPUS FIAT. Et infra: *Oblatum tibi, Domine, calicem sanctifica, ut nobis Unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi* SANGUIS FIAT. Ibi cum sumitur corpus et sanguis, hæc pronuntiantur: *Domine sancte, omnipotens æterne Deus, da mihi* HOC CORPUS ET SANGUINEM FILII TUI *ita sumere, ut per hoc merear remissionem omnium peccatorum accipere*. In eadem missa habentur geminæ illæ orationes, quæ post communionem a Romanis sacerdotibus nunc proferuntur, et in Missali Dionysiano ad tempora Caroli Magni spectante, apud eumdem Martene reperiuntur: Nempe: *Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris*, etc., *et corpus tuum, Domine, quod accepi, et calix, quem potavi*, etc. Alteram hanc orationem missa Illyrici subdit: *Præsta, Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, ut qui* CORPUS ET SANGUINEM PROPRIUM, PRO NOBIS INDIGNIS DATUM, EDIMUS ET BIBIMUS, *fiat nobis ad salutem et ad redemptionis remedium sempiternum omnium criminum nostrorum*.

Quæ hactenus attulimus, e Romanæ Ecclesiæ liturgiis antiquissimis excerpta, nihil aliud exposcunt, nisi sincerum lectorem, et veritatis unius avidum, ut intelligat quid ipsis vetustis sæculis eadem Ecclesia de Eucharistia tradiderit et crediderit. Scilicet veram fieri in sacrificio oblatorum conversionem in corpus et sanguinem Domini; persuasumque omnino fuisse fidelibus, se in sacramento accipere veram Christi carnem, verum ac realem ejus sanguinem, et cohærere minime posse cum tot diversis dicendi formulis commentum figuræ a Berengario ejusque sectatoribus excogitatum. Si nihil aliud, nisi umbram et figuram corporis et sanguinis Domini in Eucharistia veteres agnovere, qui fieri potuit ut sententiam hanc nusquam, et contra tot in locis veritatem et realitatem ejusdem corporis et sanguinis expresserint? Non alia certe de causa, nisi quia hæc veritas fidelibus perspectissima erat, neque aliud olim quam quod nunc in Romana Ecclesia credebatur. Ut autem dubitationi et cavillationibus aditus omnis præcludatur, audi Leonem Magnum, ejusdem Ecclesiæ sanctissimum pontificem, qui quod liturgia docet, suo pariter sermone, hoc est, circiter annum Christi 450, affirmabat: « Dicente Domino (inquit): *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, sic sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de VERITATE CORPORIS ET SANGUINIS ambigatis. Hoc enim ORE SUMITUR, quod fide creditur, et frustra ab illis AMEN respondetur, a quibus contra id, quod accipitur disputatur (*Leo M., serm.* 90, *sive* 6 *sept. mensis*). » Notissimum est, ex Augustini verbis antea, hoc est, præcedenti capite, memoratis, et ex Cyrillo Jerosolymitano, Ambrosio, sive auctore librorum de Mysteriis et Sacramentis, aliisque Patribus, dixisse sacerdotem, dum porrigeret sacratam Hostiam communicantibus: *Corpus Christi*; communicantem vero respondisse Amen, qua particula significabatur: Hoc credo, hoc verum est. En quæ fides esset de Eucharistia Leonis quoque Magni ætate. Relege, perpende iterum hæc verba. Vel tum aliquis dubitasse videtur de tanto miraculo, scilicet, an verum Christi corpus in Eucharistia concluderetur atque lateret. Quid Leo? Tu, aiebat, corpus Christi dum accipis, dicis Amen, quod idem est atque: Credo me suscipere verum ac reale corpus Domini. Ne ergo ambige de veritate corporis et sanguinis; nam si hoc in disputationem trahis, frustra et non sincere Amen pronuntiasse videris. Idem repetitum videas ab ipso pontifice, dum contra hæreticos negantes veritatem carnis a Domino susceptæ in hæc verba loquitur: « *In quibus sunt ignorantiæ tenebris? In quo hactenus desidiæ torpore jacuere? ut nec auditu discerent, vel lectione cognoscerent, quod in Ecclesia Dei in omnium ore tam consonum est, ut nec ab infantium linguis* VERITAS CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI INTER COMMUNIONIS SACRAMENTA *taceatur* (*Id., Epist.* 46, *olim* 23, *ad cler. Const. urbis*). » Infantibus enim (ut notum est, et Sacramentaria Romana ostendunt) post baptismum sacramentum corporis Domini conferebatur.

Non ergo Figura, non imaginaria caro Christi in Eucharistia tunc credebatur, tunc sumebatur, sed veritas et substantia ipsius sacratissimi corporis. Quod sanctus Leo efficacius deinde confirmat, dum subdit: « Quia in illa mystica distributione spiritalis alimoniæ HOC IMPARTITUR, HOC SUMITUR (id est verum corpus et sanguis Christi) ut accipientes virtutem CŒLESTIS CIBI, in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus. » Ad hæc idem pontifex ad Anatolium episcopum scribit: « Qui Christus, licet in Patris sit dextera constitutus, in EADEM tamen CARNE, quam sumpsit ex Virgine, sacramentum propitiationis exsequitur (*Leo M., epist.* 60, *olim* 40, *ad Anatol.*). » Hæc iterum relege atque perpende. Alterum, eumque celeberrimum ejusdem Romanæ Ecclesiæ pontificem, audiamus, scilicet, Gregorium Magnum, qui, interpretans Domini verba: *Ego sum Pastor bonus*, hæc habet: « Fecit, quod monuit; ostendit, quod jussit. Bonus pastor animam suam posuit ut in SACRAMENTO NOSTRO CORPUS SUUM ET SANGUINEM VERTERET, et oves, quas redemerat, CARNIS SUÆ ALIMENTO SATIARET (*Greg. M., homil.* 14, *in Evang.*). » Alibi sanctus idem pontifex hæc alia scribit: *Debemus quotidianas* CARNIS *et* SANGUINIS (Christi) HOSTIAS *immolare. Hæc namque singulariter victima ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur.* Ejus *quippe ibi* CORPUS SUMITUR; EJUS CARO *in populi salutem partitur;* EJUS SANGUIS, *non jam in manus infidelium, sed* IN ORA FIDELIUM FUNDITUR (*Idem, lib.* IV *Dial.*, *c.* 58). Tum hæc adjicit: « Quis enim fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri; in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari; ter-

rena cœlestibus jungi; unum quoque ex visibilibus atque invisibilibus fieri? » Mitto alia ejusdem Gregorii loca; nam ex hactenus adductis manifestissime elucet quid in antiquissimis Sacramentariis suis Ecclesia Romana senserit de Eucharistia, nempe illud, quod etiamnum sentit; neque ullam unquam in dogmate tanti momenti factam fuisse mutationem, ut perperam somniarunt postremi temporis Sacramentarii.

CAPUT X.

Consensus Ambrosianæ Ecclesiæ cum Romana in doctrina de Eucharistia.

Nihil est, quod lectores moneam Mediolanensem, sive Ambrosianam Ecclesiam, non nunc tantummodo, sed et antiquis etiam sæculis, sacra peregisse ritibus ac precibus a Romanæ Ecclesiæ consuetudine diversis. Verum quod attinet ad canonem et ad præcipuas incruenti sacrificii partes, vetustis etiam temporibus concors utraque Ecclesia procedebat. Clarissimum virum Joseph Antonium Saxium, bibliothecæ Ambrosianæ præfectum, rogavi, ut ex omnium antiquissimo missali Ambrosiano canonem missæ depromptum ad me, pro antiqua sua erga me benevolentia, mitteret. Codicem ille sui juris membranaceum consuluit, cujus antiquitatem pertinere arbitratur ad sæculum Christi nonum aut decimum, simulque alterum paris vetustatis in Ambrosiana bibliotheca asservatum. Inde vero canonem qualis in missa Cœnæ Domini legitur expressit, ab ordinario minime dissimilem, præterquam in nonnullis ad sacrum diem illum feriæ quintæ majoris hebdomadæ peculiariter spectantibus. En quæ ibi occurrunt.

Canon antiquus missæ Ambrosianæ in Cœna Domini.

« Te igitur, clementissime Pater, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, supplices exoramus et petimus, uti accepta habeas, et benedicas ✠ hæc dona ✠ hæc munera ✠ hæc sancta sacrificia illibata. In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare, et regere digneris, toto orbe terrarum, una cum famulo et sacerdote tuo pontifice (*illo*), et famulo tuo (*illo*) imperatore, sed et omnibus orthodoxis atque apostolicæ fidei cultoribus. Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum (*illorum*) et omnium circumastantium, quorum tibi fides cognita est, et nota devotio; pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, et incolumitatis suæ reddunt tibi vota sua æterno Deo vivo et vero.

« Communicantes et diem sacratissimum celebrantes, quo traditus est Dominus noster Jesus Christus. Tu nos, Domine, participes Filii tui, tu consortes regni tui, tu incolas paradisi, tu angelorum comites esse jussisti, si tamen illæsa et intemerata fide cœlestis militiæ sacramenta servemus. At quid desperare de tua misericordia possumus, qui tantum munus accepimus, ut talem tibi hostiam offerre mereremur, corpus scilicet et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, qui se pro mundi redemptione piæ illi ac venerandæ tradidit passioni? Qui formam sacrificii salutis perennis instituens, hostiam se primus obtulit, et primus docuit offerri. Sed et memoriam venerantes in primis gloriosæ semper virginis Genitricis Dei ac Domini nostri Jesu Christi, sed et beatorum apostolorum et martyrum tuorum Petri, et Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, et Thadæi, Xisti, Laurentii, Hippolythi, Vincentii, Cornelii, Cypriani, Clementis, Grisogoni, Joannis et Pauli, Cosmæ et Damiani, Apollinaris, Vitalis, Nazarii, Celsi, Protasii, Gervasii, Victoris, Naboris, Felicis, Kalimeri, Eustorgii, Dionysii[a], Ambrosii, Simpliciani, Martini, Eusebii, Hilarii et Julii, et omnium sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Per Christum Dominum.

« Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus ob diem jejunii Cœnæ dominicæ, in qua Dominus noster Jesus Christus Filius tuus in novo testamento sacrificandi ritum instituit, dum PANEM ET VINUM, quod Melchisedech in præfiguratione futuri mysterii sacerdos obtulerat, IN SACRAMENTUM SUI CORPORIS ET SANGUINIS TRANSFORMAVIT, celebrandam, quæsumus, Domine, placatus intende, ut per multa curricula annorum salvi et incolumes munera nostra, Domine, mereamur offerre; diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna nos damnatione eripias, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum.

« Quam oblationem, quam pietati tuæ offerimus, tu, Deus, in omnibus, quæsumus ✠ benedictam ✠ ascriptam ✠ ratam rationabilemque facere digneris, ut nobis CORPUS ET SANGUIS FIAT dilectissimi Filii tui, Domini autem Dei nostri Jesu Christi. Qui pridie quam pro nostra et omnium salute pateretur, hoc est, hodierna die, discumbens in medio discipulorum suorum, accipiens panem, elevavit oculos ad cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens ✠ benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens ad eos: Accipite et manducate ex hoc omnes. *Hoc est enim corpus meum.* Simili modo postquam cœnatum est, accipiens calicem, elevavit oculos ad cœlos ad te Deum Patrem suum omnipotentem, item tibi gratias agens, benedixit, tradidit discipulis suis, dicens ad eos: Accipite et bibite ex eo omnes. *Hic est enim calix sanguinis mei, novi et æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

« Mandans quoque et dicens ad eos: Hæc quotiescunque feceritis, mortem meam prædicabitis, resurrectionem meam annuntiabitis, adventum

[a] *In missa Ambrosiana, quam tomo primo liturgico Pamelius dedit, in nomine* Dionysii *consistit enumeratio sanctorum. Et sane rectius. Nam hic martyrum tantummodo fit mentio, non vero confessorum. Quare hæc inconsulta vietate ac ritu superaddita fuerint?*

meum sperabitis, donec iterum de cœlis veniam ad vos [a].

« Hæc facimus, hæc celebramus, tua, Domine, præcepta servantes, et ad communionem inviolabilem, hoc ipsum, quod CORPUS DOMINI SUMIMUS, mortem dominicam nuntiamus. Tuum vero est, omnipotens Pater, mittere nunc nobis Unigenitum Filium tuum, quem inquærentibus sponte misisti. Qui cum sis ipse immensus et inæstimabilis, Deum quoque ex te immensum et inæstimabilem genuisti, ut cujus passione redemptionem humani generis tribuisti, EJUS NUNC CORPUS TRIBUAS ad salutem. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

« Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas ✠ sanctificas ✠ vivificas ✠ benedicis, et nobis famulis tuis largiter præstas ad augmentum fidei, et remissionem omnium peccatorum nostrorum.

« Et est tibi Deo Patri omnipotenti ex ipso, et per ipsum, et in ipso omnis honor, virtus, laus, gloria, imperium, perpetuitas, et potestas per infinita sæcula sæculorum.

« *Sequitur deinde oratio.*

« Ipsius præceptum est, Domine, quod agimus, CUJUS NUNC TE PRÆSENTIA postulamus; da sacrificio auctorem suum, ut compleatur fides rei in sublimitate mysterii, ut sicut veritatem cœlestis sacrificii exsequimur, sic VERITATEM DOMINICI CORPORIS ET SANGUINIS HAURIAMUS. Per eumdem Christum Dominum nostrum, dicentes : *Pater noster, qui es*, etc. »

Interim alicui fortasse videantur potiora canonis Ambrosiani ex Romano desumpta ; et cum (Carolo Magno, nuper regno Langobardorum potito) Adrianus I pontifex studuerit ut, abolita liturgia Ambrosiana, ritus Romanæ Ecclesiæ Mediolanensi clero et populo susciperentur, tunc fieri potuisse ut Romanus canon Mediolanensi fuerit substitutus. Verum gratis hæc dicantur; non levis enim inter propositum nuper canonem et Romanum diversitas occurrit. Ad consecrationem panis tantummodo, ut vides, dicebatur : *Hoc est corpus meum*, neque tunc addebatur, ut Pamelius et alii censent, *quod pro vobis confringetur*. Præterea si librorum de Sacramentis certus auctor fuisset sanctus Ambrosius, aut saltem quisquam post eum Mediolanensis antistes, ex libri quarti capitulis quinto et sexto constaret in multis concordem processisse Ambrosianum canonem cum Romano, vel ante tempora Caroli Magni. Certe nono sæculo vulgatissimi ii libri fuerunt, et ab Amalario, Paschasio Ratberto, Hincmaro, Floro, aliisque illius ævi scriptoribus memorantur, et quidem sub nomine Ambrosii. Præterea quisquis stylum dictionemque illorum rite perpendat, et diversam a Vulgata versionem Scripturæ, aliaque argumenta a Benedictinis in præfatione adducta, fateri cogitur, etsi minime ab Ambrosio, ab aliquo saltem episcopo ante effusam a barbaris in Italicas plagas ignorantiam libros illos fuisse compositos. Sæculo Christi quarto et quinto novimus in more fuisse episcopis neophytos erudire sacris mysteriis, ut constat ex ipso Ambrosio, ex Cyrillo Jerosolymitano, Gregorio Nysseno, Gaudentio Brixiano et Augustino. Indica mihi, si potes, subsequentibus sæculis hunc morem fuisse observatum, qui tamen in libris de Sacramentis observatur.

Vidimus ab Ambrosiano canone expressam realem præsentiam et veritatem carnis et sanguinis Domini in Eucharistia. Tot sunt, ac tam aperta adeoque pervulgata in eisdem libris de Sacramentis, sub sancti Ambrosii nomine editis, documenta, quibus conversio et immutatio, sive, ut nunc loquimur, transsubstantiatio panis et vini in idem corpus et sanguinem Christi, confirmatur, ut qui negare audeat, cæcum se penitus ac opiniosum prodat. Paria colliguntur ex libro de Mysteriis, quem sancti Ambrosii fetum vix ullus eruditorum negare audet. Inde accipe hæc pauca. Postquam ostendit sanctus doctor quanto præstantior sit caro Christi, nobis in sacramento præbita, quam manna Judæorum : « potior est enim Lux quam umbra, Veritas quam figura, corpus auctoris quam manna de cœlo, » hæc attexit : « Forte dicas : Aliud video. Quomodo tu mihi asseris quod corpus Christi accipiam ? Probemus, non hoc esse quod natura formavit (scilicet, panem), sed quod benedictio consecravit; majoremque vim esse benedictionis quam naturæ, quia BENEDICTIONE etiam NATURA ipsa MUTATUR (*Ambros. de Myst.*, *c.* 9). » Tum post congesta e Veteri Testamento quædam divinæ potentiæ miracula, subdit : « Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa Domini Salvatoris operantur ? Sermo Christi, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt MUTARE quod non erant ? » Reliqua prætereo, ex quibus meridiano sole clarius elucet, non figuram Calvinianam sed veritatem corporis et sanguinis Domini per realem donorum sacrorum mutationem statuendam esse in Eucharistia ; atque ex his explicari quæ idem Ambrosius alibi, atque in indubitatis suis libris, scribit : « Nos autem, quotiescunque sacramenta sumimus, quæ per sacræ orationis mysterium in carnem TRANSFIGURANTUR et sanguinem, mortem Domini annuntiamus (*Idem*, *l.* IV *de Fide*, *c.* 10, *n.* 124). » Paria is

[a] In ordinario missæ Ambrosianæ post ea verba : *Donec veniam*, etc., sequitur : *Unde et memores sumus, Domine, tui servi, sed et plebs tua*, etc. *Memento etiam Domine*, etc. *Nobis quoque peccatoribus*, etc., quæ oratio desinit in *Justina et Sabina*. A multis sæculis in missa Ambrosiana confractio hostiæ, et commistio in calice, hisce verbis conceptæ fuere : CORPUS TUUM *frangitur*, CHRISTE; *calix benedicitur* ; SANGUIS TUUS *sit nobis semper ad vitam*, *et ad salvandas animas*, *Deus noster*. At in vetustissimis Missalibus ejusdem Ecclesiæ hæc minime leguntur, sed duntaxat : *commistio consecrati* CORPORIS ET SANGUINIS, etc. De hujusmodi confractorio, addito olim missæ Ambrosianæ, ejusque origine, epistolam eruditione multa refertam edidit supra laudatus Saxius.

quoque habet, ubi ait : « Habeo cœlestium sacramentorum veneranda consortia. Jam mensæ cœlestis honore suscipior. Christus mihi cibus, Christus mihi potus, caro Dei cibus mihi, et Dei sanguis potus est mihi. Non jam ad satietatem mei annuos exspecto proventus. Christus quotidie mihi ministratur. Fuerat mihi ante mirandus panis de cœlo; scriptum est enim : Panem de cœlo dedit eis manducare. Sed non erat verus ille Panis, sed futuri umbra. Panem de cœlo verum mihi servavit Pater (*Id.*, *Serm.* 18, *n.* 26, *in Psal.* CXVIII), etc. » Rursus sanctus doctor hæc inquit : « Nam etsi credas, a Christo veram carnem esse susceptam, et OFFERAS TRANSFIGURANDUM CORPUS ALTARIBUS (*Id. l. de Incarn. Dom.*, *c.* 4) », etc. Sed quid transfiguratio et transfigurari Ambrosio? Utique substantialis conversio et mutatio alicujus rei in alteram. Audi Suetonium hæc scribentem : « Puerum Sporum, exsectis testibus, etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus est (*Sueton. de Claud. Ner.*, *c.* 28). » Audi Plinium inquientem : Sole cancri signum transeunte, cancrorum, cum examinati sunt, corpus transfigurari in scorpiones narratur (*Plin. l.* IX, *c.* 3). » Fabulam idem Plinius censet homines verti in lupos, homines transfigurari in lupos (*Id.*, *l.* VIII, *c.* 22). Sed omnium luculentissime vim verbi ac vocis hujus explicat Tertullianus, cum ait : « Transfiguratio autem interemptio est pristini. Omne enim, quodcunque transfiguratur in aliud, desinit esse quod fuerat, et incipit esse quod non erat (*Tertul.*, *advers. Prax.*, *c.* 27). » Viden? Transfiguratio idem est, ac transsubstantiatio. Duplex nomen, at eadem res. Hæc, quæso, legant et relegant pacato animo heterodoxi, ac tandem intelligant quam bene eis sedeat tam præfracte impanationem venditare, et transsubstantiationi ob novitatem vocis insultare. Sententiæ suæ testes ex omni antiquitate Ecclesia catholica proferre potest. At satis est unus insignis Mediolanensium pastor Ambrosius ad dejicienda hac in re cuncta Protestantium commenta.

Pergant, ut velint, Sacramentarii in hæc similia sanctorum Patrum verba obtrudere excogitatam ab ipsis figuram et figuratas locutiones, et virtutem ex eorum fide manantem, cum tamen Patres nihil horum in sermonibus suis, dum de Eucharistia agerent, habuerint, neque auditores unquam monuerint documenta sua figurate esse accipienda, fortassis ii non sentient se in ejusmodi opinione deceptos, seque affingere Patribus quod eisdem nunquam in mentem venit. At duo semper restabunt, ut alia omittam, quæ inexcusabiiis temeritatis arguent aliter quam Ecclesia catholica sentientes. Quod aqua baptismalis signum sit gratiæ cœlestis, peccata hominum abluentis, tantaque virtus in eam a Spiritu sancto infundatur, Christiani omnes norunt, et nemo dubitationes de ea movet, neque id stupendum et vix credibile arbitratur. Idem eveniat oportet, si nihil aliud in Eucharistia est quam figura et signum corporis et sanguinis Domini, et virtus in panem et vinum cœlitus infusa. Atqui Patres Eucharistiam uti mysterium multis gravissimisque dubitationibus obnoxium nobis exhibent; et cur? Non alia de causa, nisi quia mens refugit credere conversionem panis et vini in realem carnem et sanguinem verum Christi; et cum nihil aliud videat, tangat et gustet, in Eucharistia, quam quod speciem refert panis et vini, cogitur tamen credere in ea realiter exsistere Christi corpus et sanguinem, ipsaque indivisa semperque integra quotidie dividi in tot hominum millia. Ergo sancti Patres, fideles populum contra ejusmodi dubitationes armaturi, omnipotentiam Dei hic adducebant, ineffabilem Spiritus sancti vim proferebant, Dei veracitatem urgebant, quam nemo nisi impius neget. Eucharistiam enim instituens, corpus et sanguinem suum disertis verbis ibi exhiberi affirmavit. Tum alia ingentia miracula a Deo facta Patres exerebant, quæ credere jubemur, ut grande etiam Eucharistiæ miraculum credendum agnoscamus. Quid Cyrillus Jerosolymitanus, quid Ambrosius hac de re scripserint, jam vidimus. Eis jungendi sunt Gaudentius Brixianus (*Tract.* 2 *ad Neoph.*), Gregorius Nyssenus (*In Orat. Catech.*), Ephræm Edessenus diaconus (*Homil. de Nat. Dei*), auctor librorum de Sacramentis, Eutychius Constantinopolitanus (*Lib.* II *in Levitic.*), Cyrillus Alexandrinus (*Lib.* IV *in Joan.*), Epiphanius (*In Anchorato*). Reliquos Patres, in idem intentos, prætereo, uniusque sancti Hilarii celebrem locum tantummodo adjungo. « Non est humano (sunt ejus verba) aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum, neque per violentam atque imprudentem prædicationem cœlestium dictorum sanitati alienæ atque impiæ intelligentiæ extorquenda perversitas est. Quæ scripta sunt legamus, et quæ legerimus intelligamus, et tum perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo didicimus, stulte atque impie didicimus. Ipse enim ait : Caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo. DE VERITATE CARNIS ET SANGUINIS NON RELICTUS EST AMBIGENDI LOCUS. Nunc enim et ipsius Domini professione, et fide nostra, VERE CARO EST, et VERE SANGUIS EST. Et hæc accepta atque hausta id efficiunt, ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? contingat plane his verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum denegant (*Hilar. l.* VIII *de Trin.*, *n.* 14), » etc. Si hæc sincere quærerent atque perpenderent catholicæ Ecclesiæ hostes, quod nos videmus, et ipsi viderent. Inquit Hilarius : « Vere (et non imaginarie) caro est. Vere (et non ex opinione tantum, seu fide duntaxat sumentis) sanguis est. » Sed etiamsi quærant, dubitandum est an revera invenire cupiant.

Alterum restat ineluctabile argumentum apud Patres de veritate corporis Domini in Eucharistia. Supra vidimus, in vetustis Romanis liturgiis dici, successisse obumbrationibus carnalium victimarum ve-

toris legis veram novæ hostiam, scilicet, corpus et sanguinem Domini. Ex Apostolo autem didicerunt Patres, quæ in lege vetere exhibentur, *umbram* fuisse *futurorum bonorum* (*Hebr.* x, 1) legis novæ. Propterea manna de cœlo cadens, agnus paschalis in mensa edendus, panis et vinum, quæ Melchisedech obtulit, umbræ, figuræ atque imagines fuere veritatis complendæ in novo testamento, hoc est, in ineffabili Eucharistiæ sacramento. Hinc Patres, de incruento sacrificio altaris loquentes, præfiguratum hoc aiunt in oblatis a Melchisedech (uti antea Apostolus quoque monuerat) in Agno Paschatis aliisque Judaici fœderis monumentis. Sicuti nuper audivimus, Ambrosius scribebat manna fuisse futuri umbram; at verum panem de cœlo, videlicet, Christi corpus et sanguinem nunc manducari et potari. Audi et Chrysostomum loquentem de Melchisedech : « Et vide propter honorem in patriarcham collatum, quomodo sacramentum insinuatur. Extulit enim ibi panem et vinum. Videns typum, cogita, oro, VERITATEM; et admirare divinarum Scripturarum accuratam diligentiam, quomodo superioribus sæculis et ab initio præsignata sint (*Chrysost.*, *hom.* 35 *in Gen.*). » Ita et alii Patres locuti sunt. In re notissima ab iis recensendis abstineo. Qui ergo stare unquam poterit Sacramentariorum commentum, qui nihil aliud nisi figuram, umbram et imaginem in Eucharistia agnoscunt, et veritatem aversantur in ea corporis et sanguinis dominici? Ex sanctorum Patrum concordi calculo intelligimus agnum ante paschalem figuram fuisse veritatis adimplendæ in mensa Domini; scilicet, carnis et sanguinis veri ipsius Agni, qui tollit peccata mundi, uti Ecclesiæ omnes in missa profitentur. Ubinam hæc veritas in altari et mensa Christianorum, si ne ibi quidem aliud sumitur, quam typus seu figura, et panis materialis, præfigurans verum panem qui de cœlo descendit? Plura non addo; hæc enim passim a theologicis polemicis illustrata habes, qui Protestantium cavillationes in re adeo manifesta jam diu protriverunt, et præsens caput concludo verbis sancti Dionysii Alexandrini episcopi, qui sæculo Christi tertio hæc scribebat : « Mysterium illud inenarrabile sic ab ipso (Christo) vocatur novum testamentum, DARE SE IPSUM NOBIS IN MYSTICA COENA. Non sicuti illi olim carnes animantium ratione carentium super altare imponebant, etc. Nunc autem non sic. Sed ipse Dominus et Deus Israel Salvator noster ait : *Qui manducat me, vivet propter me.* Deus igitur, qui HABITAT IN NOBIS secundum testamentum, quod disposuit nobiscum, dicens : *Accipite et dividite*, etc. Hæc est exinanitio Dei facta ad usum nostrum, UT POSSIMUS CAPERE EUM. Hoc enim mysterium pertimescendum Apostolus dicit, quia semetipsum exinanivit. Neque IN NOBIS HABITAT, relicto Patre : apage, etc. Exinaniri Apostolus vocat, capi a nobis mysterium vitæ (id est corpus et sanguinem in Eucharistia) per manus ejus incontaminatas et incorruptibiles et divinas, UT POSSIMUS, qui fideles ejus sumus, IPSUM CAPERE, et FIERI MANSIO EJUS, ACCIPIENTES EUM TOTUM (*Dionys. Alex. ad Paul. Samosat.*). »

CAPUT XI.

Aliarum Ecclesiarum Occidentalium consensus cum Romana in dogmate de Eucharistia.

Venerabili cardinali Thomasio Editionem debemus Missalis Gothici, cujus nempe usus olim fuit in Gallia Narbonensi, Gothis in Hispania dominantibus subjecta. Missæ hujus Gothicæ antiquitas ad sæcula pertinet quæ regnum et imperium Caroli Magni præcesserunt, eo autem regnante desiisse videtur. Missale itidem Francorum, et Missale Gallicanum vetus clarissimus idem cardinalis nobis dedit, quibus usæ sunt earum regionum Ecclesiæ, antequam sub Adriano I pontifice et Carolo Magno rege illuc inveheretur Romanæ Ecclesiæ liturgia, cui præcedentes locum dedere. Ejusdem Missalium vetustatem confirmabit characterum forma, quam mihi P. Blanchinius suppeditavit.

Juvat nunc et in istis antiquatis atque obsoletis liturgiis rimari, quid ante tot sæcula Ecclesiæ illæ crederent ac traderent de Eucharistia. Et quidem id ipsum, quod Romana profitebatur; diversitas enim rituum nihil obstabat quominus in dogmate unanimes procederent totius Occidentis Ecclesiæ. Itaque in Sacramentario Gothico ad Circumcisionem Domini hæc leguntur : *Suppliciter exoramus, uti hoc sacrificium suscipere, et benedicere, et sanctificare digneris, ut fiat nobis Eucharistia legitima in tuo, Filiique tui nomine, et Spiritus sancti,* IN TRANSFORMATIONEM CORPORIS AC SANGUINIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI *Unigeniti tui, per quem omnia creas, creata benedicis, benedicta sanctificas, et sanctificata largiris, Deus.* In Cathedra sancti Petri hæc eadem oratio repetitur, et post *Unigeniti tui* additur : *Edentibus nobis Vitam æternam, regnumque perpetuum collatura bibituris.* Ad diem Epiphaniæ : *Epiphaniæ diem, fratres charissimi, celebri solemnitate veneremur, pia obsecratione poscentes, ut qui tunc aquas in vina mutavit,* NUNC IN SANGUINEM SUUM *oblationum nostrarum* VINA CONVERTAT. *et qui aliis saturitatem meri potatione concessit, nos potationis suæ libamine, et Paracleti Spiritus infusione sanctificet.* Ad diem Assumptionis sanctæ Mariæ : *Descendat, Domine, in his sacrificiis tuæ benedictionis coæternus et cooperator Paracletus, ut oblationem, quam tibi de tua terra fructificare porrigimus, cœlesti permuneratione, te sanctificante, sumamus.* UT TRANSLATA FRUGE IN CORPORE, CALICE IN CRUORE, *proficiat meritis, quod obtulimus pro delictis.* Ad initium Quadragesimæ : *Ipse est enim panis* (scilicet, Christus antea memoratus) *vivus et verus, qui de cœlo descendit*, etc. *Hunc panem, Domine, nobis per hos quadraginta dies ministrare digneris, quem, ut sitiamus, indesinenter, hortaris.* CUJUS CARNE, *a te ipso sanctificata, dum* PASCIMUR, *roboramur, et* SANGUINE *dum hausto sitientes* POTAMUS, *abluemur. Hic panis vivus et verus, qui de cœlo descendit, ut duret escam esurientium, imo ut* ET IPSE ESSET ESCA *viventium fiat.*

nobis in pane, quo corda firmantur. Hanc ipsam orationem habes in veteri Sacramentario Gallicano, quod Mabillonius publici juris fecit. Ibi enim post *Sanctus* legitur : *Hic panis vivus et verus, qui de cœlo descendit, ut daret escas esurientium*, imo ET IPSE ESSET ESCA *esurientium*, fiat *nobis in pane, quo corda firmantur*. In cœna Domini Gothica liturgia hæc habet : *Vivi panis alimenta et sacri sanguinis dona sumpturi, Dominica prece mentes et corda firmemus*. In missa sancti Leudegaris martyris : *Ut descendat hic benedictio tua super hunc panem et calicem* IN TRANSFORMATIONE *Spiritus tui sancti, uti hæc benedicendo benedicas*, etc. In missa dominicali, pag. 395, post *Secreta*, hæc leguntur : *Explente sacrosancta cæremoniarum solemnia, ritu Melchisedech summi sacerdotis, oblata, precamur mente devota te, Majestas æterna, ut operante virtute* PANEM MUTATUM IN CARNE, POCULUM VERSUM IN SANGUINE, ILLUM SUMAMUS IN CALICEM, QUI DE TE FLUXIT IN CRUCE EX LATERE. Post orationem Dominicam : *Libera nos a malo, Domine Christe Jesu*. CORPUS TUUM *pro nobis* CRUCIFIXUM EDIMUS, ET SANGUINEM TUUM *pro nobis* EFFUSUM BIBIMUS. *Fiat nobis* CORPUS *sanctum ad salutem, et* SANGUIS *sanctus in remissione peccatorum*.

Quæ postrema et similia cum producimus, consuevere quidem Novatores contorquere in sententiam suam, et ingenio suo supplentes, quasi per fidem, et non realiter, manducari corpus Christi dicatur, ejusque sanguis potari. At quis non videt, hoc hominum genus sibi suisque auditoribus patentem creare fraudem, dum ita Patrum sententias interpretantur, non in eis quærentes quæ revera fuerit eorum mens, sed qualis esse debuerit secundum placita et desideria Berengarii atque Calvini? Nihil est in aliorum verbis, quod detorqueri non possit in ridendos, falsos, absonosque sensus, si eis unum verbum et nos addamus. Quæ nunc Sacramentarii sentiunt, si veteres etiam Patres sensissent, an non centies ac millies populum monuissent, ne, cum dicitur manducari corpus Christi, ejusque sanguinem bibi, hæc figurate et metaphorice, neque secundum litteram, esse accipienda, cum vere ac realiter manducatio ista et potatio non fiat, sed fides tantummodo eamdem imaginetur? Ast unum, quæso, locum ex antiquorum libris producant Novatores, quo diserte aperteque eorum opinio tradatur. Non proferent, puto; nam quod veteres sæpe docuerunt, nos secundum intelligentiam Capharnaitarum minime edere crudam Christi carnem, certum quidem est; sed nihil eorum causam juvat, uti omnes norunt. Contra tantum abest, ut vetus Ecclesia populum docuerit Calvinianæ scholæ commenta, ut Catholicorum sententiam perspicuis formulis tradiderit. Nuper vidisti *panem mutatum in carne, poculum versum in sanguine*. Eadem repetita sæpe videas in antiquorum libris. Aut ergo ex nimia simplicitate erraruntPatres, dum hæc traderent, nulla alia interpretatione et correctione adhibita; aut nimis decipiuntur et decipiunt posteriorum sæculorum novatores, affingendo antiquis Ecclesiæ liturgiis et scriptoribus quod ipsi nunquam somniarunt. Sinceræ doctæque gentis judicium hic appello.

Paucula interea delibemus ex vetustissimo Missali Francorum. Ibi in præfatione linteaminum hæc leguntur : *Sanctificare, benedicere, consecrareque digneris hæc* LINTEAMINA *in usum altaris tui, ad tenendum involvendumque corpus et sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi*. In altera præfatione : *Et Filius tuus Jesus Christus, qui se usque in finem sæculi suis fidelibus promisit adfuturum, et* PRÆSENTIA CORPORALIS MYSTERII *non deserat, quos redemit*. Ita in antiquissimo Missali Gallicano per cardinalem Thomasium edito legitur collecta hæc post Eucharistiam perceptam : *Sumentes ex sacris altaribus Christi Domini ac Dei nostri corpus ac sanguinem... credentes unitatem beatæ Trinitatis, oremus*, etc. *Aspice, Domine, qui tuo vesci corpore, et tuum corpus effici vis fideles; fac nobis in remissionem peccatorum esse, quod sumpsimus. Acceptis, fratres charissimi, spiritalibus cibis, et Christi cruore gustato, petamus, ut possideat pectora nostra, qui ora nostra dignatus est sanctificare per munera*. In Cœna Domini eadem missa Gallicana præfert orationem in canone, quam supra dedimus in canone missæ Ambrosianæ, id est : *Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus*, etc., *dum panem ac vinum* (*quod Melchisedech in præfiguratione futuri mysterii sacerdos obtulerat*) IN SACRAMENTO SUI CORPORIS ET SANGUINIS TRANSFORMAVIT. Ita in expositione vetustissima liturgiæ Gallicanæ, edita a Patre Martene hæc pauca leguntur : « Corpus vero Domini ideo defertur in turribus (de qua voce infra sermo redibit) quia monumentum Domini in similitudinem turris fuit scissum in petra. Sanguis vero Christi ideo specialiter offertur in calice, quia in tale vasum consecramus (*sic*) fuit mysterium Eucharistiæ, etc. PANIS vero IN CORPORE et VINUM TRANSFORMATUR IN SANGUINE (*Marten., Thes. Anecdot. et tom. I de antiq. Eccles. Ritib.*). »

Et fidem Christi, et sacram liturgiam a Romana Ecclesia se accepisse, sedente sancto Gregorio Magno pontifice, per sanctum Augustinum primum Cantuariensem episcopum Britanni gloriantur. Utinam quæ dogmata et ritus tunc accepere postremis hisce sæculis per lacrymabile schisma non abjecissent! Laudant ii geminos illos gentis suæ doctores atque Ecclesiarum fundatores; tum tacite ac per latus eosdem veluti deceptores ac falsarios traducunt; nam ex dogmatis tunc sibi traditis nonnulla, et præcipue quæ ad sacrificium incruentum, et realem Domini præsentiam in Eucharistia pertinent, veluti impias merces repudiant. Atqui evidens certissimumque est sanctum Gregorium cum universa tum sæculi sui, tum præcedentium sæculorum Ecclesia, credidisse, et Anglis tradidisse, quæ nunc in Romana Ecclesia creduntur atque docentur. Attamen ii gratiam hanc referunt sanctissimis pontificibus, ut non solum sustulerint, sed etiam damnent eorum de missa doctrinam. An ullum ex vetustissi-

mis Missalibus suæ gentis luce donarint Angli, me latet. Fortassis illorum Editionem suis opinionibus minime conducere senserunt. Certe in iis nihil aliud invenient de sacrificio incruento, quam quod cæteræ Occidentis liturgiæ præferunt, et quod sæculo Christi octavo clarissimi eorum scriptores Beda et Alcuinus deprædicarunt. Edidi jam ego vetustissimum Antiphonarium celebris monasterii Benchorensis in Hibernia, sæculo Christi septimo aut saltem octavo exaratum, quod temporibus Caroli Magni Dungalus monachus Scotus Ticinum depoitavit, et Bobiensi deinde monasterio dono dedit (*Murator., anecdot. tom.* IV). Inde quæ sequuntur, excerpsi: *Hymnum, quando communicarent sacerdotes. Sancti, venite, Christi* CORPUS *sumite, sanctum bibentes, quo redempti,* SANGUINEM. Sequitur ibi *ad communicare : Corpus Domini accepimus, et sanguine ejus potati sumus. Ab omni malo non timebimus, quia Dominus nobiscum est.* Infra habetur : HOC SACRUM CORPUS DOMINI ET SALVATORIS *sumite vobis in vitam perennem. Hic est Panis vivus, qui de cœlo descendit. Alleluia.* Ita loquebantur piissimi ejus temporis monachi, non reputantes se per fidem in Eucharistia sumere imaginarium tantummodo corpus et sanguinem Domini, sive figuram ac virtutem Christi absentis ; sed quidem certissime credentes se reale corpus, verumque sanguinem, quo redempti sumus, tunc accipere, quod et reliquæ Ecclesiæ ante Paschasium Ratbertum credebant.

Neque alia fuit doctrina Mozarabicæ liturgiæ, qua per tot sæcula usæ sunt Hispaniarum Ecclesiæ. De illa videndi Bona et de Aguirre sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, Martene, le Brun, Pater Pinius e societate Jesu, et alii. Ibi legitur post orationem Dominicam more Græcorum : *Sancta sanctis. Et conjunctio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi sit sumentibus et potantibus nobis ad veniam,* etc. Concilium Toletanum quartum, anno Christi 633 celebratum, hæc habet : « Post orationem Dominicam, et conjunctionem panis et calicis, benedictio in populum sequatur (*Conc. Tolet.* IV, *c.* 18). » Hoc adnotatum volui, ut discant Protestantes non abuti nominibus panis et vini, quibus usi sunt olim complures, et adhuc multi ex Catholicis utuntur post eorum consecrationem, quasi dona consecrata pergant esse quod erant. Quod a Toletanis Patribus panis et calix ob species appellatur, in eorum liturgia, imo et in reliquis, ad confractionem dicitur *Corpus et sanguis Domini* ob internam Eucharistiæ substantiam. Sequitur in Mozarabica : *Panem cœlestem de mensa Domini accipiam,* uti et in liturgia Romana. Nomine autem panis cœlestis unum Christum Dominum Ecclesia semper designavit, præeunte Domino ipso, qui dixit : *Ego sum Panis vivus, qui de cœlo descendi.* Subnectitur : *Domine Deus meus, da mihi corpus et sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi sumere, ut per illud remissionem omnium peccatorum merear accipere.* Tum sacerdos præsentem Christi carnem et sanguinem fideliter credens, eadem alloquitur, inquiens : *Ave in ævum, sanctissima Christi caro, in perpetuum summa dulcedo. Ave in ævum cœlestis potus, qui mihi ante omnia et super omnia dulcis es.* Additur oratio : *Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat corpus et animam meam in vitam æternam. Refecti Christi corpore et sanguine, pariterque sanctificati,* etc. In missa Natalis Domini oratio hæc *post nomina* legitur : *Famuli tui indigni et exigui sacerdotes tremendæ Majestati tuæ spiritales victimas immolantes, offerimus tibi, Deus, hostiam immaculatam, quam maternus uterus impolluta virginitate produxit, pudor edidit, sanctificatio genuit, hostiaque immaculata vivit, et vivens jugiter immolatur, hostia quæ sola Deo placere prævalet, quia Dominus est.* In his habes Hispanicarum Ecclesiarum doctrinam de Eucharistia. Eadem autem est cum illa, quam sanctus Isidorus Hispalensis episcopus et doctor tradidit, scribens : « Primum discipuli corpus et sanguinem Domini non acceperunt jejuni. Ab universa autem Ecclesia nunc a jejunis semper accipitur. Sic enim placuit Spiritui sancto per apostolos, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius dominicum corpus intraret, quam cæteri cibi. Panis enim, quem frangimus, CORPUS CHRISTI EST ; qui dicit : *Ego sum Panis vivus,* etc. Vinum autem SANGUIS EJUS EST. Hæc autem duo sunt visibilia ; sanctificata tamen per Spiritum sanctum in sacramentum DIVINI CORPORIS TRANSEUNT, » (*Isid. l. de Offic. Eccles., c.* 18) etc. Mirum est qui Binghamus quædam ex his Isidori verbis afferat, quasi panis et vinum consecrata aliud non sint quam signa Christi absentis. Sacramentum utique sunt, et signum visibile Christi, sed Christi in eodem sacramento realiter præsentis. Alioquin non diceret Isidorus in os Christiani dominicum corpus intrare, et apostolos accepisse corpus et sanguinem Domini, et panem esse corpus Christi, et vinum sanguinem Christi. Ait etiam infra : « Quantum interest inter propositionis panes et corpus Christi ? Quæ differentia inter corpus et umbram, inter imaginem et veritatem, inter exemplaria futurorum et ea ipsa quæ per exemplaria figurabantur. »

CAPUT XII.

De Orientalium Ecclesiarum liturgiis cum Romana consonis. Contra doctrinam de Eucharistia alia Binghami Angli sive Novatorum elumbia tela.

Jam a sæculis multis non satis deplorabili schismate pleræque Orientales Ecclesiæ a Romana divulsæ sunt ; nihilo tamen secius fatendum est Græcæ a nobis dissidium levibus potius de causis conflatum fuisse ; reliquas vero sectas Orientalium Christianorum uno aut altero dogmate a Latinis catholicis dissentire. Exploratum quoque habemus nullam ex iis sectis esse quæ non horreat Lutheri, Calvini, Socini, aliorumque in Occidente novatorum doctrinam. Sunt autem singulis Orientalium sectis suæ peculiares liturgiæ ; Græcis videlicet sub Constantinopolitano patriarcha degentibus, quæ nomina præferunt sanctorum Basilii Magni et Joannis Chrysostomi. Ecclesiæ Alexandrinæ propria fuit, qua

nomine sancti Marci insignitur; Antiochenæ et Jerosolymitanæ, quæ sancti Jacobi nomen retinet. Sunt et aliæ liturgiæ Nestorianis et Eutychianis, hoc est, Syris, Alexandrinis, sive Coptis, atque Æthiopibus. Præcipuas Basilii et Chrysostomi edidit atque illustravit Jacobus Goar volumine singulari; cæteras alii, quas potissimum collegit, publicique juris fecit duobus libris Eusebius Renaudotius Parisiensis. Armeniorum quoque liturgiam evulgavit le Brun (*Tom. III Explic. Miss.*). Certum est parem Orientalibus liturgiis, atque Occidentalibus contigisse fortunam. Nam uti nunc nullus Codex superest qui eam ipsam liturgiam Latinam, quam aut Gregorius primus, aut Ambrosius, aut sancti Leander et Isidorus, in Hispania ab antiquioribus acceptam nova forma donarunt, in primævo suo statu servatum habeat, cum in omnes additamentum aliquod subsequentia sæcula intulerint, ita ad liturgias Orientales sensim accessiones factæ fuerunt, et pro varietate Ecclesiarum in Codicibus varietas orationum invaluit. Orationum, inquam; quod enim est ad incruenti sacrificii substantiam et canonem, Orientales, quanquam scissi a tot sæculis in varias sectas, et plerique a Romanæ Ecclesiæ unitate sejuncti, in hoc tamen concordes perrexere semper, et pergere deprehenduntur. Si igitur tantam omnium Ecclesiarum concordiam in dogmate de Eucharistia ostendere possumus, et simplici quidem ac litterali stylo (quo ad captum populi conscriptæ antiquitus liturgiæ omnes variis linguis fuerunt) expressam reperimus eamdem doctrinam, quid aliud dicendum restabit, nisi ab uno fonte, scilicet, Christo per ejus apostolos, profluxisse in universam Ecclesiam dogma de veritate corporis et sanguinis Domini in sacrificio altaris? Neque enim excogitari potest nisi a læso cerebro, aut impudenti homine, in corruptionem apostolicæ doctrinæ de re tanti momenti conspirare potuisse tot Ecclesias per orbem diffusas, e quibus nonnullæ vel ante mille et trecentos annos ab orthodoxis discessionem fecere.

Jam tot loca adduximus ex Ecclesiarum Latinarum liturgiis, quibus realis præsentia et veritas corporis et sanguinis Domini in Eucharistia aperte traditur, ut cuicunque sincere agenti constare possit non aliam fuisse Ecclesiæ veteris mentem, quam quæ contra Berengarium, illiusque recentiores sectatores catholica Ecclesia constituit. Si in Eucharistia realiter adest et sumitur corpus Christi, inde necessario sequitur panem et vinum conversa fuisse, uti Ecclesia poscere consuevit, in idem Domini corpus et sanguinem. Conversio hæc apud Latinos post Berengarium appellari ex quadam necessitate cœpta est transsubstantiatio, ad excludendas cavillationes et fraudes quibus Sacramentarii eludere nituntur terminos et verba Ecclesiæ et Patrum, eamdem mutationem designantia sæculis omnibus Berengarii novatoris conatum præcedentibus. Frustra enim novitatem vocis carpunt hæretici, quando minime novum est quod per illam significatur. Posita autem conversione panis et vini in corpus et sanguinem Domini, necesse est ut panis et vinum in substantia sua desinant esse quod erant, quanquam nihil ex eorum speciebus immutetur; nam si pergunt esse quod erant, in corpus et sanguinem Domini conversa ac mutata dici non possunt. Qua ratione autem ejusmodi conversio fiat, et qui corpus Christi in Eucharistia, atque in minima illius particula, et uno tempore in tot locis, exsistat, aliaque, quæ aut philosophiæ, aut sensibus, atque intellectui nostro repugnare videntur, antiqui Patres ex omnipotentia Dei credibilia ostenderunt. Quis enim neget quin Deus innumerabilia possit facere quæ intelligentiam nostram superent? In sacris propterea liturgiis rogatur Deus, ut oblatio, hoc est, panis et vinum, *fiat corpus et sanguis Christi*. In Græcis vero et Syriacis, uti infra videbimus, invocatur etiam Spiritus sanctus, ut in sacra dona illabens, eadem transmutet in corpus et sanguinem Domini. Sed antequam istarum quoque verba proferam, præoccupare juvat quæ Binghamus Anglus attulit, contra omnium veterum Ecclesiarum de transsubstantiatione sententiam, non exotica sane, sed vulgatissima atque protrita.

Scilicet is Chrysostomi epistolam ad Cæsarium adducit, ubi legitur: « Sicut antequam sanctificetur panis, panem nominamus; divina autem illum sanctificante gratia, mediante sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus est dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in ipso permaneat, et non duo corpora, sed unum Filii corpus prædicatur; sic et hic divina insidente, (vel inundante) corporis natura, unum Filium, unam personam, utraque hæc fecerunt. » Famosum deinde Theodoreti locum in dialogo secundo exerit, ubi Eranistes Eutychianus hæc habet: « Sicut symbola dominici corporis et sanguinis alia sunt ante sacerdotis invocationem, post invocationem vero MUTANTUR, et alia FIUNT (μεταβάλλεται, καὶ ἕτερα γίνεται), ita dominicum corpus post ascensionem in divinam substantiam mutatum est. » Ad hæc respondebat Theodoretus: « Retibus, quæ ipse texuisti, captus es. Neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt a sua natura; manent enim in priore substantia et figura, et forma, et videri tangique possunt, sicut et prius. Intelliguntur autem ea esse quæ facta sunt, et creduntur, et adorantur, ut pote quæ illa sunt quæ creduntur. Confer igitur imaginem cum archetypo, et videbis similitudinem. Oportet enim figuram esse similem veritati. Illud enim corpus priorem habet formam et circumscriptionem, et ut semel dicam, corporis substantiam; immortale autem post resurrectionem, et immune a corruptione factum est, sedensque a dexteris adeptum, et ab omni creatura adoratur, quia Domini naturæ corpus appellatur. » Præterea Ephræmius episcopus Antiochenus, apud Photium, ubi duas in Christo naturas deprædicat, ait: « Sic quod a fidelibus percipitur Christi corpus, et a sensibili substantia non discedit, et indivisum a gratia intelligibili manet. Et baptismus, spiritualis totus factus et unus existens, proprium sensibilis sub-

stantiæ, aquæ, inquam, conservat, et quod fuit non amittit. » Denique Gelasius I Romanus pontifex, in libro de duabus Naturis, hæc scribit: « Certe sacramenta quæ sumimus corporis et sanguinis Domini, divina res est; quod et per eadem divinæ efficimur consortes naturæ, et tamen esse non desinet substantia panis et vini. Et certe imago et similitudo corporis et sanguinis Domini in actione celebrantur. Satis ergo evidenter hoc nobis in ipso Christo Domino sentiendum, quod in ejus imagine profitemur, celebramus et sumimus, ut sicut in hanc, scilicet, in DIVINAM TRANSEUNT Spiritu sancto perficiente SUBSTANTIAM, permanente tamen in sua proprietate natura, sic illud ipsum mysterium principale (id est unio in Christo divinæ et humanæ naturæ) cujus vobis efficientiam virtutemque repræsentat, ex quibus constat proprie permanentibus, unum Christum, quia integrum utrumque, permanere. »

De istis locis acriter disputatum fuit inter Catholicos et Protestantes; neque mihi animus est exscribere quæ longo sermone commentati sunt Bellarminus et Perronius cardinales, auctor librorum de Perpetuitate fidei, Natalis Alexander, aliique catholici scriptores. Attamen quid attente lectori hic animadvertendum sit, pro mea virili exponam. Ex his Lutherani deducunt consubstantiationem, sive impanationem, in sacramento, credentes alioqui cum Catholicis realem præsentiam, hoc est, præcipuum, imo maximum Eucharistiæ constitutivum, a quo pendet illius tremenda majestas, ineffabilis efficacia, virtus et præstantia, supra reliqua sacramenta. Verum quam juste, quam solide, excogitatam quoque a Luthero impanationem, seu consubstantiationem, Ecclesia catholica damnavit, facile perspicies. Animadvertendum quippe est manifestam adeo esse vim vocum, quibus tum omnium Ecclesiarum liturgiæ, tum sancti Patres utuntur ad designandam mutationem quæ per consecrationis verba fit in pane et vino, et per vocabulum transsubstantiationis designari solet, ut absurdum plane sit excogitare superstitem eorum elementorum substantiam in sacramento, et agnoscere cogamus converti illorum substantiam in corpus et sanguinem Domini. Precatur nempe omnis Ecclesia, ut panis fiat corpus Domini, vinum sanguis: ut Spiritus sanctus illapsus in sacra dona, efficiat panem corpus, ut immutet, ut vertat eadem. Ergo non alia mens Ecclesiæ esse potest, nisi panem desinere esse panem, ejusque substantiam converti in Christi corpus. Nunquam orarunt Ecclesiæ, ut Domini corpus in panem descendat, et cum illo uniatur, quod in hypothesi Lutherana dicendum fuisset. Mutationem, transelementationem, transfigurationem (cujus vocis vim supra ostendimus) et similia verba adhibuerunt Patres, e quibus apertissime deducitur catholicæ Ecclesiæ dogma. Ac notissimum est eosdem Patres ad idem miraculum confirmandum similia adhibere substantialis mutationis exempla, uti in hac ipsa lucubratione non semel monuimus. Quare si ad pacem cum Ecclesia catholica ineundam Lutheranæ gentis corda misericors Deus aliquando, uti sperandum est, inclinet, e cujus materno sinu infeliciter divulsi fuerunt, facile ii perspicient quam temere in Eucharistiæ argumento ab ejusdem Ecclesiæ sententia illorum majores discesserint.

Calvinistæ igitur, locis supra recensitis utentes, imo abutentes, æque Catholicis ac Lutheranis bellum movent, non solum transsubstantiationem, sed et ipsam realem præsentiam negantes. At quoniam negare non audent mutationem per consecrationis verba in panem et vinum inferri, hanc tamen non aliam esse contendunt quam quæ baptismo et oleo sacro contingit, virtutis nempe cœlestis additæ symbolis, quæ symbola non veritatem et realitatem corporis et sanguinis Domini, sed figuram tantummodo ac typum exhibent. Sitne lubrica et solida eorum argumentatio, ex nuper allatis locis videamus, et primo de reali præsentia. Ad Chrysostomi verba quod attinet, Pater Montfauconius (*In Edit. Oper. Chrysost.*) et Pater Lequien (*In Edit. Oper. Damascen.*) multa adduxere, ut epistolam ad Cæsarium minime Chrysostomo ascribendam esse evincant. De hac etiam epistola novi clarissimos viros Patrem Harduinum e societate Jesu, et Scipionem Maffeium marchionem disputasse, sed eorum lucubrationes nondum vidi. Neque reticendus Jacobus Basnagius, qui eamdem epistolam rursus typis tradidit (*Tom. I Lect. Canisii, p.* 226), nihil tamen inde haurire ausus adversus Catholicorum sententiam. Prudenter sane; nam etsi tot aliis ex locis non pateret quantum turbidi affectus in transversum agant Calvinianorum animos et calamos, solus iste evincere posset eosdem clausis sane oculis in nos pugnare, neque respicere an dum hosti vulnus inferre tentant, se ipsos simul gravissime confodiant. Quicunque enim sit illius epistolæ auctor, certe antiquus, ita de Eucharistia loquitur, ut videri possit Catholicorum dogmati de transsubstantiatione contrarius; sed et eodem tempore errorem Calvinistarum negantium in Eucharistia præsentiam realem corporis Domini evidenter damnat. Duo nihilominus sæcula jam currunt, ex quo Calvini asseclæ ejusmodi epistolam in nos intorquent, cum tamen hoc telum eorum pectus recte petat atque confodiat. Duas in Christo naturas unitas, neque confusas, auctor ille contra Eutychianum exemplo Eucharistiæ ostendit. Ambæ autem naturæ non figurate, non imaginarie, sed vere in Christum per unionem hypostaticam confluunt. Idem quoque auctor ille de Eucharistia crediderit oportet. At evidenter inde consequitur, ab ipso scriptore statui in Eucharistia realiter existere corpus Domini; ridicule enim argumentaretur, imo cum Eutychianis somniis omnino consentiret, si nihil aliud in Eucharistia crederet, nisi figuram et imaginem corporis Domini; imo neque hanc in ipso sacramento poneret, sed in una mente et imaginatione fidelium, uti Calvinistæ fingunt. Necessario igitur et hic auctor, cum universa Ecclesia concors, corpus Domini realiter in Eucharistia post consecrationem existens credidit et docuit.

Atqui hic insurgit Calvinista prostratus, et Lutheranorum impanationi, ut aiunt, hunc saltem locum favere, et transsubstantiationi adversari inquit. Quid hoc, quæso, Calvinistarum causæ prodest? Sed ne transsubstantiationi quidem scriptoris hujus mens officere potest. Cedo rursus illius verba: « Sicut antequam sanctificetur panis, panem nominamus, » quia revera panis est, « divina autem sanctificante gratia liberatus est quidem ab appellatione panis, » quia panis non amplius est, et factus est corpus Christi, uti poscebat precatio Ecclesiæ et sacerdotis. Cum tamen color, odor, friabilitas, palpabilitas, aliæque panis qualitates, sive species, post consecrationem permaneant, propterea natura panis remanere in sacramento dicitur; nam hæc revera ad naturam panis spectant, neque imaginaria, sed vera sunt accidentia panis. Quod si sophisticando exigis, sicuti corpus Christi in Eucharistia realiter existit, ita illic remanere debere corpus panis, nos cum eodem auctore respondemus, non duo corpora, sed UNUM FILII CORPUS prædicari de Eucharistia, quia panis substantia in corpus Domini per divinam virtutem conversa est, ac propterea Christi corpus ibi est, cum visibilibus speciebus, hoc est, sub natura panis superstite invisibiliter et realiter latens. Quod tamen perversam agendi rationem (liceat dicere) et pertinaciam Calvinianæ gentis manifeste prodit, ii apud dubium scriptorem, atque in obscuris et confusis unius versionis Latinæ verbis, quærunt, unde realem præsentiam Domini ab Eucharistia excludant, cum contra habeant in tot certissimis Chrysostomi libris quæ sit illius manifesta sententia de sacramento altaris. Nullum mihi ex sanctis Patribus ostendas qui Chrysostomo luculentius, magnificentius, apertius, de ineffabili hoc sacramento fuerit locutus. Possumus obruere hæreticos compluribus locis (idque jam alii præstitere) quibus incomparabilis ille episcopus, appellandus propterea doctor Eucharistiæ, realem in sacramento carnem et sanguinem agnoscit ac deprædicat. Neque is unquam somniavit, uti novatores faciunt, figurate et metaphorice accipienda esse Domini verba dicentis: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*: sed imo eosdem mature damnans, scripsit, ideo *vere* a Christo additum fuisse, « ne obscure, aut per ænigma et parabolam se locutum arbitrarentur, sed scirent omnino necessarium esse ut corpus comederent; Ὥστε μὴ νομίζειν αἴνιγμα εἶναι τὸ εἰρημένον, καὶ παραβολήν, ἀλλ' εἰδέναι, ὅτι πάντως δεῖ φαγεῖν τὸ σῶμα (*Chrysost. hom.* 46 *in Joan.* VI). » Plura si quisquam cupit ex Chrysostomo, ejus homilias, aut theologos polemicos, et præcipue libros de Perpetuitate fidei consulat. Nonnulla ego quoque brevi ex eo infra proferam.

Ad Theodoreti verba quod attinet, cæcus sit qui non videat ex eodem ipso loco manifestissime elucere realem præsentiam Domini in Eucharistia. Primo Eutychianus statuit, post consecrationem symbola appellari corpus et sanguinem Jesu Christi, et nos participes fieri ejusdem corporis et sanguinis; A Theodoretus idem affirmat. Pergit Eutychianus dicere symbola per invocationem mutari, et alia fieri, hoc est converti in carnem et sanguinem Domini, ex quo postea infert corpus Christi post ascensionem conversum fuisse in divinam naturam, qui error Eutychianorum fuit. Quid Theodoretus? Is reponit adhuc restare in symbolis eorum formam externam, ita ut revera possint videri et tangi. Nos autem intelligere sub symbolorum forma latere et existere id propter quod appellantur corpus et sanguis Domini, cum re ipsa facta sint corpus et sanguis Christi, et propterea nos credere et adorare ibi idem corpus et sanguinem. Quod ego propriis vocibus dico, cautius exprimit Theodoretus secundum disciplinam eorum temporum; præmiserat enim de his B aperte loquendum non esse, ne forte quisquam audiret nondum Christianis mysteriis initiatus. Nihilo tamen secius ejus mens cuicunque satis patet, cum ait: « Intelliguntur autem (symbola) ea ESSE, quæ FACTA SUNT, et CREDUNTUR, et ADORANTUR, ut pote quæ illa SUNT quæ CREDUNTUR. » Quid facta sunt panis et vinum per invocationem? quid sunt? quid creduntur esse? Utique corpus et sanguis Domini, ac propterea ADORANTUR. Si nihil ibi esset nisi panis et vinum, et verum ibi non esset corpus et sanguis Domini, procul dubio non adorarentur. Infra idem Theodoretus addit Eucharistiam non solum appellari corpus Jesu Christi, sed et panem vitæ. « Et quod est ad corpus, nos illud appellamus CORPUS DIVINUM, C corpus vivificans, CORPUS DOMINI, per hæc significantes non esse illud corpus hominis alicujus vulgaris, sed CORPUS JESU CHRISTI, qui Deus est et homo. » Palmare igitur et hic habes argumentum contra Sacramentariorum commenta. Agnoscit Theodoretus panem factum esse per consecrationem corpus, et quidem ipsius Christi, cui in sacramento præsenti propterea debita sit adoratio. Sed quia illius præcedentia verba favere videntur impugnatoribus transsubstantiationis catholicæ, iterum de hoc infra agemus.

Ephræm quoque Antiochenus, uti supra vidimus, testatur a fidelibus percipi corpus Christi in Eucharistia. Neque alia mens fuit Gelasio I Romano pontifici, si tamen ad eum pertinent libri de duabus in D Christo Naturis; de hoc enim etiamnum disputatur. Ait enim sacramenta, quæ sumimus corporis et sanguinis Christi esse rem divinam. Deinde addit hæc IN DIVINAM TRANSIRE, Spiritu sancto perficiente sacramentum, SUBSTANTIAM. En quod in omnibus liturgiis petebatur a Deo, et adhuc petitur, ut panis et vinum fiat corpus et sanguis Christi, ut Deus sacra dona convertat ac transmutet in carnem et sanguinem Domini. At non minus hic auctor, inquies, quam scriptor epistolæ ad Cæsarium, ac Theodoretus et Ephræm Antiochenus, scribunt post ipsam consecrationem remanere substantiam vel naturam panis et vini. Petas ergo ubinam transsubstantiatio? Jamdudum Catholici Bellarminus, Perronius, Natalis Alexander, Arnaldus, et alii, animad-

verterunt æquivoca esse nomina substantiæ et naturæ, neque semper accipi secundum rigorem Peripateticæ scholæ. Proprietates nempe corporum iis etiam vocibus designantur, uti multis exemplis iidem evincunt. Certum est eucharistica symbola vel post consecrationem remanere, quod est ad externam eorum faciem et figuram, qualia antea erant, tangique ac videri posse, neque in hoc errare sensus nostros. Aliquid igitur ex natura panis et vini permanet, hoc est, id quod sensibus nostris expositum est, ita ut revera dici possit omnia quæ ad panem et vinum eorumque naturam pertinent non transire in substantiam et naturam corporis Christi, quod satis fuit ad retundendos Eutychianos, contendentes corpus et naturam humanam Christi conversa immutataque prorsus fuisse in naturam et essentiam divinitatis. Verum quod est ad internam substantiam et naturam symbolorum post consecrationem, satis veteres illi ipsi prodiderunt a se credi eam converti in substantiam corporis et sanguinis Domini. Nam Theodoretus ipse non diffitetur mutationem in symbolis fieri per consecrationem, ut vidimus. Testatur itidem panem et vinum symbola esse veri corporis Christi; et interrogante Euthychiano : « Et credis, te corpus Christi et sanguinem percipere? » orthodoxus respondet : « Ita credo. » Tum fatetur symbola facta fuisse corpus et sanguinem Christi, dum inquit : « Intelliguntur autem ESSE QUÆ FACTA SUNT, et CREDUNTUR, et ADORANTUR, utpote quæ ILLA SUNT QUÆ CREDUNTUR. » Id est creduntur esse verum corpus et sanguis Domini; neque alius sensus, quam iste, deduci legitime ex ejus verbis potest.

Paria tradit Gelasius, dum scribit sacramenta Eucharistiæ esse rem divinam, et per eadem nos divinæ effici consortes naturæ : quod sanctus Hilarius, et tot alii Patres concorditer antea tradiderant. Eaque IN DIVINAM TRANSIRE, Spiritu sancto perficiente sacramentum, SUBSTANTIAM. Ex his dejiciuntur Calvinistarum imaginationes, et locus non relinquitur Lutheranorum opinioni, quando secundum eos non fit mutatio donorum in corpus Christi, sed tantummodo adjectio unius substantiæ ad alteram; cum contra Ecclesia semper agnoverit panem et vinum transmutari, converti ac transire in carnem et sanguinem Domini. Neque baptismalis aquæ et olei sacri exempla, uti diximus, contorqueri possunt ad eludendam realem in Eucharistia symbolorum mutationem; neque enim ullus unquam scripsit aquam illam et oleum transire in Christi aut Spiritus sancti substantiam. Quod denique tenebras ex allatis Patrum locis excitatas penitus dissipare potest ac debet, illud est, quod per decem priora sæcula concordes semper processerint Ecclesiæ et Patres in dogmate de Eucharistiæ sacramento, et nullæ tunc nisi leves nebulæ obortæ fuerint contra ineffabile hoc mysterium. Ergo credendi sunt Theodoretus, Gelasius, et Ephræm Antiochenus, non aliud sensisse quam cæteri Patres. Nam ad Chrysostomum quod attinet, solus is omnem de Eucharistia controversiam A dirimere potest; et quin apertissime ab eo in hanc rem tradantur dogmata quæque catholicæ Ecclesiæ, cæcus aut impudens sit qui neget. Quid Orientales quoque Ecclesiæ de reali præsentia Christi in Eucharistia, et de sacrorum donorum transmutatione, sive ut nunc dicimus, transsubstantiatione, senserint, investigabimus : semper meminerit, quæso, lector, quidquid antea ex Leone Magno contra Eutychianos, a sanctis Ambrosio, Hilario, Augustino, aliisque Patribus, attulimus. Ex iis enim evidentissime colligitur mirabilem mutationem fieri per consecrationem in sacris donis, et non per fidem Christiani hominis, sed realiter et per omnipotentiam Dei, illiusque verba fieri et haberi in sacramento verum corpus et sanguinem Christi. Caput hoc concludamus verbis Anastasii Sinaitæ, B qui æque ac Theodoretus in Eutychianos, Gaianitas appellatos, circiter annum Christi 620, aut serius etiam, si mavis, scribebat, disputantem Gaianitam cum orthodoxo inducens. Orthodoxus interrogat : « Dic mihi, obsecro, num communio sacratissima corporis et sanguinis Christi, quam offers et participas, vere est verum corpus et sanguis Christi Filii Dei, vel nudus panis, qualis ostiatim venditur, vel vicem duntaxat et figuram gerit corporis Christi, ut sacrificium hirci, quod Judæi offerunt (*Anast. Sin. in Odego, sive in lib. cui titul. Dux viæ*)? » Respondit Gaianita : « Absit ut dicamus sacram communionem esse tantum figuram corporis Christi, aut nudum panem; sed IPSUM CORPUS ET SANGUINEM CHRISTI FILII DEI INCARNATI, ET EX SANCTISSIMA VIRGINE MARIA NATI C accipimus. » Orthodoxus : « Sic credimus et confitemur, etc. Non dixit Christus : Hoc est figura, seu quid vices gerens, corporis et sanguinis mei, » etc. En quid sæculo Christi septimo crederent de Eucharistia tam hæretici quam orthodoxi

CAPUT XIII.

Quid liturgiæ Orientalium Christianorum, sive Græcorum, sive Syrorum habeant de reali præsentia Christi in Eucharistia, et de transsubstantiatione.

Adeamus nunc liturgias quibus ab antiquis sæculis usi sunt Christi fideles Orientales, ut quæ illorum fides fuerit et sit de Eucharistia, percipiamus. Si constabit non aliam fuisse, atque adhuc esse, eorum sententiam de veritate corporis et sanguinis Domini D in Eucharistia, et de transsubstantiatione, quam quæ a Romana Ecclesia semper observata est, jam tandem intelligent, aut intelligere poterunt, Protestantes, dum oculos et aures præbeant veritati, contra eos militare universæ tum antiquæ, tum præsentis Ecclesiæ, consensum, nullamque ullo sæculo accidisse mutationem in his fidei articulis, quando et Orientales a Romana Ecclesia, nonnulli ante septingentos, et alii ante mille et trecentos annos divulsi, in hoc dogmate processere semper concordes. Nam quæ inter nos et illos discordia intercedit de azymis, et de communione populi sub utraque specie, et utrum e verbis Domini, an ex invocatione consecratio peragatur, argumentum quod præ manibus habemus minime respicit. Quid habeat liturgia quæ sanct i

Joannis Chrysostomi nomen a tot sæculis præfert, et qua utuntur plerique Græcorum, ii potissimum, qui Constantinopolitano patriarchæ subsunt, et Russi, seu Rutheni, Valachi, et Moldavi, videamus. Hanc Jacobus Goar nobili commentario illustravit. Ibi sacerdos ita Christum rogat, dum hymnus Cherubicus canitur, inquiens: *Fac idoneum me virtute sancti tui Spiritus*, etc., *assistere sanctæ huic mensæ et consecrare sanctum et immaculatum* CORPUS TUUM, *et pretiosum* SANGUINEM. Rursus Deum hisce verbis orat: *Emitte Spiritum sanctum tuum in nos, et in hæc dona proposita. Fac quidem panem hunc pretiosum* CORPUS *Christi tui.* Diaconus dicit: *Amen.* Addit sacerdos: *Quod autem est in hoc calice, fac pretiosum* SANGUINEM *Christi tui.* Diaconus: *Amen.* Rursus sacerdos: TRANSMUTANS *Spiritu tuo sancto.* Diaconus: *Amen, amen, amen.* Sacerdos: *Ut fiat accipientibus in sobrietatem animæ, in remissionem peccatorum, in communicationem sancti Spiritus*, etc. Post alias preces sacerdos orans secreto dicit: *Attende, Domine Jesu Christe Deus noster, de sancto habitaculo tuo, et de throno gloriæ regni tui; et veni ad sanctificandum nos, qui in excelsis cum Patre simul resides, et hic una nobiscum invisibiliter versaris, et dignare potenti manu tua nobis impertiri immaculatum corpus tuum et pretiosum sanguinem, et per nos toti populo.* Ad fractionem: *Frangitur et dividitur Agnus Dei, Filius Patris, qui frangitur, at non comminuitur; qui semper comeditur, et non consumitur; sed eos qui sunt participes sanctificat.* Diaconus ad communionem ait: *Impertire mihi, Domine, pretiosum et sanctum corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.* Sacerdos autem accipit sanctum panem, inclinans caput ante sanctam mensam, et precatur hoc pacto: *Credo, Domine, et confiteor, quod tu es Christus Filius Dei viventis, qui venisti in mundum ad salvandos peccatores, quorum primus ego sum.* Deinde dicit: *Domine, non sum dignus*, etc. Sed quemadmodum Dominus non dedignatus est recumbere in stabulo, et ingredi domum Simonis Leprosi, rogat ut dignetur *intrare in præsepe animæ suæ, et in coinquinatum corpus suum*, etc. Reliqua bene multa dimitto. Apud eosdem Græcos in usu est missa sancti Basilii, atque altera liturgia, quæ inscribitur τῶν προηγιασμένων. Sed quod ibi similes preces occurrunt, nihil ex eis decerpendum censui. Neque dissimilia sunt quæ leguntur in libro octavo Constitutionum apostolicarum de Græcorum missa.

Fieri posset, ut aliquis e Calvinistis hæc legens, pro more suæ Sectæ, non hic veram Ecclesiæ Græcæ mentem, sed suam sententiam reperiret, addendo, scilicet ac supplendo quæ neque antiqui, neque recentes Græci unquam somniarunt. At qui apud eos sincere agunt, fieri non potest quin intelligant credere Græcos revera et confiteri conversionem et mutationem donorum in reale corpus et sanguinem Domini, quæ ipsi quanquam invisibilia per fidem cernunt, vere tamen ac realiter esse in sacramento, et vere, neque per solam imaginationem, manducari A et potari a fidelibus credunt. Quod vero iidem credunt, aperta etiam confessione testantur, cum ante propositum Christi corpus aiunt: *Credo, Domine, et confiteor*, ut supra. Latini quoque, ut antea animadvertimus, idem olim profitebantur ad communionem; nam dicente sacerdote: *Corpus Domini*, respondebat fidelis: *Amen*; id est, *ita credo*: id quod etiam habetur in Constitutionibus apostolicis. Erunt etiam ex Sacramentariis, qui prælaudatas missas tribuendas Basilio et Chrysostomo negabunt, quasi notum non esset sancti Basilii ætate sacram liturgiam in usu fuisse, ipsumque de ea mentionem fecisse (*Lib. de Spirit. S.*, c. 27), et quasi Proclus episcopus Constantinopoleos sæculo subsequenti, ac synodus Trullana (*Can.* 32), et Petrus Diaconus B circiter annum Christi 520, et Leontius Scholasticus (*Contra Nestor. l.* II), certos nosmet non fecissent de liturgiis a Basilio et Chrysostomo restauratis. Sed quod omnem cavillationibus locum præripit, quid aliud in Chrysostomi liturgia habetur quam quod ille tam sæpe, tam aperte in sacris inculcavit homiliis? Paucula ex grandi acervo afferre liceat. Homilia in Matthæum inquit: « Non sunt humanæ virtutis hæc opera. Quæ tunc in illa cœna fecit Christus, nunc operatur ac perficit. Ministrorum nos ordinem tenemus; qui vero ipsa (dona) sanctificat et TRANSMUTAT, ipse est. Bono animo accede. *Cum discipulis meis*, inquit, *facio Pascha.* Hæc enim non alia mensa est, hæc nulla re minor quam illa est. C Non enim illam Christus, hanc quispiam homo facit. Sed utramque ipse (*Chrysost. hom.* 83 *in Matth.*). » Quid vero ex hujusmodi transmutatione sequatur, passim ille prodit, in sacramento agnoscens realitatem ac veritatem corporis et sanguinis Domini, quanquam superba nostra mens (qualis Calvinistarum est) ac sensus nostri tantæ rei repugnare videantur. Ibidem ergo, simulque homilia 60, ad populum ait: « Credamus ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui nostro et cogitationi absurdum esse videatur, quod dicit. Et præcipue in mysteriis ita faciamus, non illa quæ ante nos jaceat tantummodo aspiciens, sed verba quoque ejus teneamus. Nam verbis ejus defraudari non possumus; sensus vero noster deceptu facilis est, illa falsa esse D non possunt. Quoniam ergo ille dixit: *Hoc est corpus meum*, nulla teneamur ambiguitate, (sed) credamus, et oculis intellectus (id) percipiamus. »

In alia quoque homilia in Matthæum sanctus doctor hæc habet: « Qui dixit: *Hoc est corpus meum*, et rem simul cum verbo confecit. Non vestis solum, sed corpus Christi nobis propositum est, non ut tangamus tantummodo, sed ut comedamus ac saturemur (*Hom.* 5, *in Matth.*). » Homilia de proditione Judæ: Non enim homo est, qui de proposita consecratione mensæ Domini CORPUS CHRISTI FACIT ET SANGUINEM, sed ille qui pro nobis crucifixus est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, et Dei virtute consecrantur et gratia. *Hoc est*, ait, *corpus meum.* Hoc verbo proposita consecrantur. » En Romana

Ecclesiæ sententiam de verbis consecrationis, quam Græculi quidam carpere sunt ausi. Homilia de sancto Philogonio: « Hæc mensa vicem explet præsepis, in quo natus est Christus. Nam et hic PONITUR CORPUS DOMINICUM, non quidem fasciis involutum, ut tunc, SED UNDIQUE SPIRITU SANCTO CONVESTITUM. » Ubi agit de sacerdotio, hæc habentur: « O miraculum, o Dei benignitatem! Qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se tradit volentibus ipsum accipere et complecti (*Chrysost., l. III de Sacerd.*). » In alia homilia: « Recolite, quia illius CORPUS EST ET SANGUIS, QUI SUPRA COELOS RESIDET, QUI AB ANGELIS SUPPLICITER ADORATUR. Illius, inquam, qui proxime assistit immortali Dei potentiæ. Hujus nos delibamus SANGUINEM et PROPRIUM CORPUS nobis sumendum tradidit (*Idem hom. 3 in Epist. ad Ephes.*). » Plura non addo. O utinam qui ineffabili huic sacramento ac mysterio primum ac præcipuum pondus dignitatis ac virtutis per summum scelus eripuere, hoc est realem præsentiam Domini negare sunt ausi, Chrysostomi scriptis, deposita omni simultate, diligenter animoque sincero studeant! Ibi in meridie positam intuebuntur Romanæ Ecclesiæ de Eucharistia sententiam, et invenient complures missæ Græcæ cæremonias, et fractionem corporis Christi, ut alia omittam. Dixi Græcos ad communionem profiteri suam fidem de veritate corporis Domini. Id confirmandum censeo auctoritate Theodori Studitæ in dialogo inter hæreticum et orthodoxum scribentis: « Quomodo, ait orthodoxus, appellas quæ a sacerdote in hierologia sacrisque hymnis tractantur? imaginem, an veritatem? Quod si imaginem, o rem absurdam! A blasphemia in blasphemiam ruis. Sin autem veritatem, ut revera est; ipsum enim CORPUS ET SANGUINEM DOMINI fideles, dum sumunt, divinæ vocis auctoritate CONFITENTUR; quorsum nugaris, VERITATIS MYSTERIA ad figuras traducens (*Theodor. Studit., in Antirrh. 1 adv. Iconomac.*). » Ita ille circiter annum Christi 7.6. Neque aliter senserunt et locuti sunt Græci Patres in concilio secundo Nicæno, anno Christi 787, dum contra eosdem Iconoclastas aiunt: « Nullus aliquando tubarum Spiritus, sanctorum videlicet apostolorum, aut illustrium Patrum nostrorum, incruentum sacrificium nostrum dixit imaginem corporis Christi (*Conc. Nic. II, Act. 6*). » Post Salvatoris verba subdunt: « Et non dixit: Accipite et comedite imaginem corporis mei, » etc. Ergo liquido demonstratum est quod nunquam Dominus, vel apostoli, aut Patres, imaginem dixerunt sacrificium incruentum, quod per sacerdotem offertur; sed IPSUM CORPUS ET IPSUM SANGUINEM. » Denique de pane et vino Eucharistico aiunt: « Antequam sanctificentur, vocata sunt typi, post sanctificationem autem PROPRIE CORPUS AC SANGUIS CHRISTI dicuntur, SUNT, et CREDUNTUR. » Hisce adde quæ Joannes Damascenus, alter apud Græcos Thomas Aquinas, longe ante idem concilium Nicænum II scripserat de Eucharistia (*Lib. IV de Fide, c. 13*), omnino contraria Calvinistarum commentis: quæ uti notissima ego prætereo. Adde tot alios Græcos scriptores sacros, per subsequentia sæcula concordes in hujusmodi dogmate, quorum testimonia congesta habes in libris de Perpetuitate fidei. Uno verbo, nulla dubitatio superest quin Ecclesiarum Græcarum sententia de Eucharistia, tam antiquarum quam recentium, eadem semper fuerit, et adhuc sit, quam quæ a Romana Ecclesia creditur et prædicatur.

Jerosolymis antiquitus in usu fuit liturgia sub nomine Jacobi fratris Domini, quæ Græca primum, tum Syriaca lingua fuit conscripta, quod Syri potissimum in ea civitate versarentur. Certum quippe est omnium vetustissimas liturgias in Oriente Græcis litteris fuisse consignatas. Hæc autem liturgia tum a Christianis Jacobitis, Monophysitarum errorem profitentibus, tum a Melchitis orthodoxis est usurpata. Sunt tamen iis populis et aliæ liturgiæ, quas Renaudotius publici juris fecit. Quod præcipue in tam multiplici liturgiarum copia animadvertere possumus, quæ ad substantiam Eucharistiæ atque incruenti sacrificii pertinent cum Romanæ, et reliquarum Ecclesiarum liturgiis et doctrina consentiunt. Syrorum Jacobitarum liturgiam audire nunc juvat. Varietas enim precum superficiale tantummodo discrimen importat. Ibi canticum hoc habetur: *Populus tuus, Christe, benedictus Christus, qui ædificavit Ecclesiam suam super Simonem, et elegit sacerdotes ad dividendum in ea corpus et sanguinem suum. In timore magno stant sacerdotes cum diaconis, et distribuunt corpus et sanguinem Filii Dei. Oves tuæ, Christe, stant ad ostium tuum; comedunt corpus, et bibunt sanguinem tuum, canuntque gloriam divinitati tuæ.* Infra Sacerdos ait: *Ego sum Panis vitæ, dicit Dominus noster, qui ex alto in infima descendi, ut per me mundus vivat*, etc., *et ecce ferunt me manibus suis sacerdotes super altaria: alleluia.* Tum hæc alia dicit de vita jam defunctis: *Illi, qui comederunt corpus tuum sanctum, et libaverunt sanguinem tuum calicem salutis, cum Abraham recumbunt ad mensam tuam, Domine.* Sacerdos: *dum frangit hostiam, et dum corpus est super manus ejus*, dicit hanc orationem, sive fidei professionem: *Tu es Christus Deus noster, qui in vertice Golgotha in Jerusalem transfixus es in latere tuo propter nos. Tu es Agnus Dei, qui tollis peccatum mundi. Tu parce delictis nostris, et dimitte peccata nostra, nosque constitue ad dexteram tuam.* Dum particulam mittit in calicem, ait: *Pater veritatis, ecce Filius tuus, hostia tibi placita: illum suscipe, qui pro me mortuus est, et per eum esto propitius.* Ante communionem dicit: *Præsta mihi, Domine, ut comedunt te sancte, et per comestionem tui pellantur omnia prava mea desideria*, etc. Dum accipit particulam ex cochleari, dicit: *Teneo ego te, qui contines fines terræ; te in manibus habeo, qui regis profunda; te, Deus, pono in os meum*, etc. Communicans inquit: *Particula propitiatoria corporis et sanguinis Christi datur servo infirmo*, etc. Qui communionem accipit, dicit *Amen.* Sacerdos autem reversus ad Altare, dicit: *Domine Jesus Christe, corpus tuum sanctum, quod comedimus, et sanguis tuus propitiatorius, quem bibimus,*

non in judicium aut in vindictam fiat nobis, sed in vitam et in salutem. In antiquiore liturgia sancti Jacobi, ubi canon missæ habetur, secundum morem Orientalium post Christi Domini verba consecratoria, hæc dicit sacerdos : *Miserere nobis, Deus Pater omnipotens, et mitte Spiritum tuum sanctum*, etc., *ut adveniens efficiat panem istum corpus vivificum, corpus salutare, corpus cœleste, corpus animabus et corporibus salutem præstans, corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, in remissionem peccatorum et vitam æternam accipientibus illud*. Populus dicit, *Amen*. Pergit sacerdos dicere : *Et mistum, quod est in hoc calice, efficiat sanguinem novi testamenti*, etc. *Sanguinem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi*, etc. Infra dicit : *Credimus, accedimus, obsignamus, et frangimus Eucharistiam hanc, panem cœlestem, corpus Verbi Dei vivi in calice salutis*, etc. *Corpus tuum sanctum et sanguis via sint quæ deducat ad regnum tuum*. Infra diaconus : *Inclinate capita vestra coram Deo misericordi, coram altari propitiatorio, et coram corpore et sanguine Salvatoris nostri*, etc. Ut alia prætercam, ibi hæc oratio legitur : *Ora assueta alimento et frugibus confitentur gratiam tuam, per quam meruerunt donum hoc cœleste, quod est corpus et sanguis Unigeniti Filii tui*.

Apud Renaudotium succedit liturgia sancti Xisti papæ Romani, ab eisdem Jacobitis usurpata, ex qua hæc pauca tantum decerpo. Sacerdos, dum frangit oblatam, dicit : *Præsta, Domine, manibus meis infirmis ut accedant et frangant corpus tuum sanctum, et filiis Ecclesiæ sanctæ dividam illud*, etc. Dum signat particulas fracti corporis et calicem, dicit : *Inspergitur sanguis Domini nostri super corpus ejus sanctum*, etc. Et cum communicaturus est, hanc orationem inclinatus recitat : *Te gesto, Domine, manibus meis, et complector pugillo, Domine sæculorum, quem creaturæ non continent, teque, Omnipotens, in os meum pono. Presta mihi, Domine, ut comedam te sancte*, etc. In geminis liturgiis Jacobitarum, quæ nomen præferunt sancti Petri principis apostolorum, paria leguntur de invocatione Spiritus sancti ad consecranda oblata, ut efficiat panem corpus Christi, et vinum sanguinem ejus. Similia deprehendas in liturgia duodecim apostolorum, et in altera sancti Joannis evangelistæ; et in ea quæ tribuitur sancto Marco evangelistæ; et in aliis insignitis nomine sancti Clementis Romani, sancti Dionysii Athenarum episcopi, sancti Ignatii, sancti Julii papæ Romani, sancti Joannis Chrysostomi Syriaca. In liturgia sancti Marutæ itidem Syriaca invocatur Spiritus sanctus, *ut* PANEM HUNC SIMPLICEM TRANSMUTET, et EFFICIAT CORPUS IPSUM, QUOD PRO NOBIS IMMOLATUM EST IN CRUCE, etc., *et* VINUM *mistum, quod est in hoc calice*, TRANSMUTET *et* PERFICIAT SANGUINEM IPSUM QUI EFFUSUS EST PRO NOBIS IN VERTICE GOLGOTHÆ, etc. Sunt et ibi liturgiæ, præferentes nomen Dioscori patriarchæ Alexandrini, et Philoxeni episcopi. In ista de Christo dicitur : *Qui commiscuit corpus suum cum corporibus nostris, et sanguinem suum miscuit membris nostris*. Et in liturgia Syriaca Matthæi Pastoris hæc oratio habetur : *Christe, qui dedisti corpus tuum, ut comederemus, essetque fermentum vitæ*, etc. In liturgia Syriaca beati Jacobi Edesseni post invocationem sancti Spiritus, de corpore et sanguine Domini dicitur : *ut commista animabus et corporibus nostris, sint nobis ad veniam, et non ad accusationem*, etc. In liturgia Syriaca Dionysii Barsalibi Spiritus sanctus invocatur, *ut panem istum perficiat corpus Dei nostri, et mistum, quod est in calice, transmutet in sanguinem Christi Dei nostri*. Similis formula occurrit in liturgia Dioscori episcopi. Mitto Syriacas Nestorianorum liturgias. In omnibus hisce Orientalium liturgiis eædem sunt canonis præcipuæ partes, incipientes a *Sursum corda*, hymno Seraphico, verbis Domini consecratoriis, et invocatione Spiritus sancti, ut eamdem consecrationem perficiat. Sequitur *Pater noster*, deinde communio.

Et hic quicumque oculis minime captus est ex hominibus doctis, non videre nequit confirmatam ab Orientalibus Romanæ et reliquarum Occidentalium Ecclesiarum de Eucharistia doctrinam. Hic etiam præsentia realis, hic vera conversio donorum in corpus et sanguinem Domini, et vera illorum manducatio et potatio statuitur ; neque populis iis, a tot sæculis a Romana Ecclesia divisis, in mentem venit imaginaria Calvinianorum præsentia Christi, quæ ex fide accipientium, et non ex verbis Domini et stupenda vi Spiritus sancti, pendet. Neque ii unquam somniarunt mutationem, quam in Eucharistia et ipsi Calvinistæ negare non possunt, nihil aliud esse quam additamentum virtutis et qualitatis cœlestis pani et vino. Concordes enim Orientales omnes cum Ecclesia Romana agnoscunt, credunt, fatentur, mutationem oblatorum fieri in ipsum corpus et sanguinem Domini. Atque in omnibus ferme liturgiis istis animadvertendum est populum post verba invocationis sancti Spiritus respondere *Amen*, id est, ita credimus. Quod autem a tot sæculis credunt ii populi, idem est ac quod sæculo Christi quarto, nempe circiter annum Christi 350, in iis ipsis regionibus credebant, et deprædicabant sancti viri, scilicet, Cyrillus Jerosolymitanus episcopus, et Ephræm diaconus Edessenus. Celeberrima Cyrilli ejusdem catholicæ Ecclesiæ doctrinam exponentis verba, quæ supra jam attulimus, sine pudore sit, qui alio detorquere se posse putet. Hæc etiam addere liceat : « In typo (sive figura) Panis datur tibi corpus, et in typo vini datur tibi sanguis, ut cum SUMPSERIS CORPUS ET SANGUINEM CHRISTI, CONCORPOREUS ET CONSANGUIS IPSI EFFICIARIS (*Cyrill. Jerosol.*, *Catech.* 22 *sive Mystagog.* 4). » Qua loquendi ratione usi sunt et alii ex Patribus. Liturgiam postmodum Cyrillus explicat, non dissimilem in substantia a reliquis nuper laudatis ; et de invocatione ad consecrationem in hæc verba loquitur : « Deum benignum exoramus, ut emittat Spiritum sanctum super dona proposita, ut FACIAT PANEM quidem CORPUS CHRISTI, VINUM vero SANGUINEM CHRISTI ; omnino enim quodcunque attigerit Spiritus sanctus, τοῦτο ἡγίασται καὶ ΜΕΤΑΒΕΒΛΗΤΑΙ, ID sanctificatum

et TRANSMUTATUM EST (*Catech.* 23, *sive Mystagog.* 5). » Et hic habes transsubstantiationem. Ephræm vero, ac si Sacramentarios docendos suscepisset, tot cavillationibus insectantes catholicæ Ecclesiæ fidem, ita scribit : « Qui per oculos fidei intuetur, manifeste ac perspicue Dominum contemplatur, et plena ac firma fide manducat sanctissimum corpus et bibit sacratissimum sanguinem Agni immaculati, qui est unigenitus Filius cœlestis Patris; neque inani curiositate scrutatur mysteria fidei sanctissimæ ac prorsus divinæ, etc. Quod unigenitus Filius Dei Jesus Christus Salvator noster pro nobis operatus est, omnem admirationem, omnes cogitationes, omnia verba superat, quando nos, quanquam carne indutos, igne et Spiritu nutrit, dum COMEDENDUM NOBIS PRÆBET SUUM CORPUS ET SANGUINEM POTANDUM (*Ephræm. Edess. serm. de Nat. Dei curiose non scrut.*). » Qui adeo ineffabile et supra humanum captum semper censuere Eucharistiam, uti adhuc a Catholicis creditur, quam longe abessent a Berengarii et Calvini commentis unusquisque intelligit. Vera fide, non curiositate, utendum ait sanctus Ephræm, cum grande illud omnipotentiæ et amoris divini miraculum contemplamur. En interea ut liturgiæ sanctis Patribus lucem præbent, et a Patribus rursus ipsæ accipiunt. Potuissem huc adducere Armeniorum liturgiam a Patre Le Brun in suos libros liturgicos integre illatam, ubi nisi qui dedita opera cæcutire velit, non intueri nequit populorum quoque illorum fidem de Christo realiter præsente in Eucharistia. Sed quia prostant et apud Italos illius libri, ab ipsa liturgia defloranda abstineo.

CAPUT XIV.

Consensus dogmatis de Eucharistia ex Ægyptiis liturgiis, sive Græcis, sive Copticis, confirmatus.

In Ægyptum transeamus, ubi Alexandrina Ecclesia primum olim post Romanam locum tenuit, et a sancto Marco evangelista originem suam arcessit. Plures ibi quoque liturgiæ in usu fuere, et adhuc sunt, sive Græcis, sive Copticis litteris consignatæ, quarum Editionem debemus diligentiæ clarissimi viri Eusebii Renaudotii. Iis potissimum utuntur Copti Jacobitæ, in Monophysitarum errorem a tot sæculis prolapsi. Et quandoquidem Æthiopes Christiani, ingens populus, Alexandrino patriarchæ subsunt, atque ab eo consueverunt accipere metropolitam, sive *abuna* suum, nil mirum, si earum quoque Ecclesiarum vetustæ liturgiæ cum Copticis consentiant, eumdemque errorem foveant. Ad nostrum vero argumentum quod attinet, ex divina Providentia factum est ut iidem populi non aliam unquam professi fuerint ac profiteantur de incruento sacrificio et Eucharistia sententiam, quam quæ servata semper fuit in Ecclesia Romana. Id primo constabit ex liturgia Græca, cui præfixum nomen sancti Marci. Ibi ante verba Domini consecratoria legitur : *Fac, o Deus, ut plenum quoque sit hoc sacrificium benedictione tua, per adventum sanctissimi Spiritus tui.* Christi verba succedunt, elata voce pronuntiata, ad quæ populus respondet : *Amen* ; et nihilominus pro more Orientalium post ea additur : *Emitte præterea super nos, et super panes et calices istos Spiritum sanctum tuum, ut eos sanctificet et consecret, tanquam Deus omnipotens, et faciat panem quidem corpus* (populus respondet *Amen*), *calicem autem sanguinem novi testamenti, ipsius Domini Dei et Salvatoris et summi Regis nostri Jesu Christi.* Sacerdos dans communionem clero, dicit : *Corpus sanctum. Sanguis pretiosus Domini et Dei et Salvatoris nostri.* In liturgia Coptica sancti Basilii oratio oblationis, sive propositionis, panis et calicis hisce verbis concepta est : *Domine Jesu Christe, Fili unigenite, Verbum Dei Patris*, etc., *rogamus obsecramusque bonitatem tuam, o amator hominum. Ostende faciem tuam super hunc panem, et super hunc calicem, quos super mensam hanc tuam sacerdotalem posuimus. Benedic eos † sanctifica eos † et consecra eos.* TRANSFER EOS, *ita ut panis quidem hic* FIAT CORPUS TUUM SANCTUM, *et hoc mistum in hoc calice* SANGUIS TUUS PRETIOSUS, *ut sint nobis omnibus præsidium*, etc. Procedit deinde liturgia, et sequitur anaphora, sive canon, in quo ad verba consecratoria panis, populus respondet *Amen*, et ad consecratoria calicis, *Amen*, nempe, ita est. Subsequitur invocatio Spiritus sancti, *ut panem quidem hunc faciat corpus sanctum ipsius Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, quod datur in remissionem peccatorum et vitam æternam ei qui illud percipiet* (populus respondet *Amen*), *et hunc calicem sanguinem pretiosum novi testamenti tui, ipsius Domini Dei et Salvatoris nostri*, etc. (populus repetit *Amen*). Ad fractionem, ut Rubrica habet, sacerdos sumit corpus sanctum manu dextera, imponitque sinistræ, ponitque digitum super corpus in latere Despotici (sive majoris particulæ) eo loco, ubi fractum est, et dicit : *Corpus sanctum.* Tollitque digitum suum desuper corpore, immittitque in calicem, et intingit extremum pollicis sui sanguine pretioso. Tum educit digitum e sanguine, et iterum signat sanguinem in modum crucis gloriosæ, et ait : *Et sanguis pretiosus Christi ipsius omnipotentis Domini Dei nostri.* Post *Sancta sanctis*, accipit sacerdos tertiam partem in qua erat despoticon, dividitque in tres partes. Quod si fuerint magnæ, frangit eas disco, et tres partes manui dextræ imponit, quam retinet elevatam, lævam vero intra discum, inquiens : CORPUS *sanctum, et* SANGUIS *pretiosus, purus,* VERUS *Jesu Christi Filii Dei nostri. Amen.* CORPUS et SANGUIS *Emmanuelis Dei nostri* IN REI VERITATE. AMEN. *Credo, credo, credo, et confiteor usque ad extremum vitæ spiritum,* HOC ESSE CORPUS *vivificum Filii tui unigeniti Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ accepit ex omnium nostrum domina, Deipara*, etc. Ante communionem dicit sacerdos secreto : *Dignos fac, Domine, nos omnes, ut corpus tuum sanctum percipiamus, et sanguinem tuum pretiosum ad mundationem corporum, animarum*, etc. An hic locus sit sensibus metaphoricis, typis, figuris aliisque Calvinistarum imaginationibus, qui inter

eos pacate et sincere ista perpendent, judicare facile poterunt.

In Coptica liturgia, quæ sancto Basilio tribuitur, oratio fractionis ad Filium hisce verbis concepta est : *Benedictus es, Christe Deus, qui per incarnationem tuam incomprehensibilem præparasti nobis panem cœlestem*, CORPUS HOC TUUM SANCTUM *in mysterio, omnibus modis sanctum. Miscuisti nobis calicem ex fructu vitis veræ, quæ est latus divinum tuum et immaculatum, ex quo manavit nobis, postquam tradidisti spiritum, sanguis et aqua, quæ mundum universum purificaverunt.* Sequitur *Corpus sanctum*, etc., et professio fidei : *Credo, credo*, etc. In liturgia sancti Cyrilli invocatur Spiritus sanctus *super hunc panem, et super hunc calicem, ut purificentur et transferantur, et hunc panem quidem faciat corpus Christi*, etc. Ibi est oratio *pro cochleari, in quo suscipienda sunt membra corporis sancti, quod est corpus Filii tui*, etc. Similia leguntur in liturgia Græca Alexandrina sancti Basilii, et in altera sancti Gregorii (quis ille fuerit, nescio) in qua oratio inclinationis capitis hæc verba exhibet : *Attende, Domine Jesu*, etc., *qui sursum sedes cum Patre, et hic nobiscum invisibiliter ades*, etc., *et dignare potenti manu tua participes nos facere immaculati corporis tui, et pretiosi sanguinis, et per nos omnem populum. Tu enim es qui frangeris, et frangis, quamvis infractus*, etc. Ibi quoque occurrit professio fidei ad propositum corpus et sanguinem Domini : *Credo, credo*, etc. Neque prætermittendum tam Græcis, quam Copticis et Arabicis, literis antiquitus scriptam reperiri hanc sancti Gregorii liturgiam. Ibi præ cæteris precibus consideranda venit oratio, quæ verba consecrationis subsequitur. Diaconus ait : *Adorate Deum cum timore et tremore*; quæ referenda esse ad Christum Dominum ex contextu apparet. Prosequitur sacerdos inquiens : TU, DOMINE, VOCE TUA COMMUTA HÆC, *quæ sunt proposita* (scilicet, panem et vinum). TU CORAM NOBIS POSITUS, *perfice nobis hoc ministerium plenum mysteriis, mitte super nos gratiam Spiritus sancti, qui sanctificet et* TRANSFERAT HÆC DONA *proposita* IN CORPUS ET SANGUINEM *salutis nostræ, et hunc quidem* PANEM FACIAS CORPUS TUUM SANCTUM, etc. *Et rursus hunc* CALICEM SANGUINEM PRETIOSUM *testamenti tui novi, Domine Deus et Salvator noster Jesu Christe*, etc. Rogatur Dominus, ut *voce sua*, hoc est, voce quæ omnia potest, *commutet* sacra dona; qui ea *transferat* in corpus et sanguinem suum, illabente in ipsa Spiritu sancto. Qui in ejusmodi verbis ac petitione transmutationem donorum ab antiquis deprædicatam non agnoscit; libero animo hæc minime contemplatur. Renaudotius antea ostendit quam futili ac violenta interpretatione Claudius Salmasius eludere ac depravare conatus fuerit in ejusdem liturgiæ verbis perspicuam mentem ac fidem Ægyptiacæ Ecclesiæ.

Quot eximiis doctoribus floruerit olim Alexandrina Ecclesia, nemo eruditorum ignorat. In eorum quoque libris Protestantes, si positis præjudiciis quærerent, nullo negotio invenirent, quidquid nuper laudatæ liturgiæ exhibent de veritate corporis Christi in Eucharistia. Nam quid aliud nos docet Origenes tertio Christi sæculo, dum de puero centurionis loquens hæc scribit : « Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando PANE VITÆ et POCULO frueris, MANDUCAS ET BIBIS CORPUS ET SANGUINEM DOMINI, tunc DOMINUS sub tectum tuum INGREDITUR. Et tu ergo humilians temetipsum, imitare hunc centurionem, et dicito : *Domine, non sum dignus* (*Origen., hom. 4 de divers. Evang. loc.*), etc. » Adeo autem perspicua sunt hac de re verba Cyrilli episcopi Alexandrini, qui sæculo Christi quinto floruit, ut inanem semper lusum luserit, quicunque aperte ejus menti tenebras effundere nisus fuit. Ex compluribus locis pauca hæc accipe. « Quare (ait) instituta fuit eulogia mystica (id est, Eucharistia)? qualis ejus virtus, nisi UT SE INSINUET IN NOS, AC IN NOBIS HABITARE FACIAT JESUM CHRISTUM ETIAM CORPORALITER PER MENSURAM SUÆ CARNIS PARTICIPATIONEM ET COMMUNIONEM? Non tantum dicit Jesus Christus, intra nos se futurum unione benevolentiæ et amoris, sed etiam PER COMMUNICATIONEM NATURALEM (*Cyrill. Alex., l.* X *in Joan.* II, *c.* 15). » Quam in rem exemplum adhibet geminarum portionum ceræ, quæ per ignem fusæ commiscentur. Alibi contra Nestorium inducit Christum dicentem : « se ipsum intrare atque introduci in nostra corpora PER PROPRIAM SUAM CARNEM. Non enim Divinitas est, sed PROPRIUM CORPUS VERBI, quod propositum est super sacras ecclesiarum mensas. Nos in ecclesiis celebramus sanctum, vivificum, et incruentum sacrificium, credentes, corpus, quod nobis proponitur (in altari) non esse corpus simplicis hominis, et nostri similis; ILLUD enim SUMIMUS FACTUM PROPRIUM CORPUS ET PROPRIUM SANGUINEM VERBI omnia vivificantis (*Idem. l.* IV *Contra Nestor., c.* 5). » Alibi (*Lib.* XI *in Joan., c.* 12) rursus ait, nos « corporaliter et spiritualiter » sumere illum qui verus et naturalis Filius Dei est. Itidem multis eos arguit (*Lib.* IV *in Joan.*), ut blasphemos, qui peterent qui fieri possit ut Christi corpus et sanguis realiter sint in Eucharistia, quasi omnipotentiæ Dei limites statuant. Eodem tempore, quo Cyrillus Alexandrinus, scilicet, medio sæculo Christi quinto, floruit Isidorus Pelusiota, illius amicus. Is quoque Marathonio monacho scribit : « Is est idem Spiritus sanctus, qui in mystica mensa facit ut PANIS COMMUNIS et familiaris oblatus PROPRIUM CORPUS FIAT, QUOD DEI FILIUS IN INCARNATIONE SUSCEPIT (*Isidor. Pelus., l.* I, *epist.* 109). » In altera epistola inquit : « Uti Joseph ab Arimathea involvit in linteo, et in sepulcro tumulavit corpus Domini, etc., ita cum nos super linteum sanctificamus panem oblatum, sine dubitatione invenimus CORPUS JESU CHRISTI (*Idem, l.* I, *epist.* 123). » En quam concordes cum liturgiis suæ gentis olim quoque pergerent sancti Patres. Si illorum sermonem nondum pro sua calamitate aut pertinacia Sacramentarii intelligunt, solatio tamen Catholicis erit repetita hic legere in confirmationem fidei et doctrinæ quam profitentur.

Superest ut aliquid etiam afferamus ex Abyssinorum, sive Æthiopum, sacris liturgiis. Ad hæc usque tempora in Africæ intimis regionibus dominatur multis provinciis Abyssinorum rex, qui cum gente sua Christi religionem observat, illuc invectam usque a sancti Athanasii magni episcopi Alexandrini temporibus. Quod populi ii dogmata fidei primum acceperint ab Ecclesia Alexandrina, catholicum quoque, id est, metropolitanum usque adhuc accipere consueverunt ab Alexandrino patriarcha. Atque hinc etiam factum ut Dioscori Alexandrini errorem de una in Christo natura, sive tunc, sive postea, adoptarint. Ex quo Arabes sæculo Christi septimo potiti sunt Ægypto, inter populos Occidentis, imo et Orientis, omne commercium abruptum fuit cum Abyssinis. At postquam Lusitani, labente sæculo quinto decimo, in Indias Orientales penetrarunt, res illius regionis innotescere rursus cœperunt, eorumque mores anno Christi 1530 peculiari libro descripsit Franciscus Alvarez presbyter Lusitanus, inter eos per sexennium versatus. Tunc igitur innotuit, ex misericordia Dei, gentem, a tot sæculis vix Occidenti notam, atque a Romana et Græca Ecclesia scissam, constantissime servasse eamdem de Eucharistia doctrinam, quam et Romani et Græci intactam semper retinuerunt. Realem nempe Christi præsentiam in Eucharistia, ac transmutationem donorum in corpus et sanguinem illius universus ille populus credit, fatetur, ac prædicat. Dolendum est tentatam non semel Ecclesiarum illarum unionem cum Romana infeliciter cessisse, quod tamen bene cœptum fuerat. Sed quia nimis multa ab iis populis exegimus, neque tolerandos quosdam ritus censuimus, qui tamen tolerari cum levi mutatione possunt, omnia in pessum ruerunt, ita ut nunc, non dicam Romanis, sed Europæis quibusque in Abyssiniam præclusus sit aditus. Uti viri docti animadverterunt, Jobus Ludolphus, inter Protestantes bene de lingua et rebus Æthiopicis meritus, lepidum ludum lusit, cum Gregorium presbyterum Æthiopem interrogavit, an Abyssini Catholicorum transsubstantiationem amplecterentur. Respondit Gregorius, talem transsubstantiationem Abyssinis esse ignotam; cives suos tam scrupulosos non esse, neque tam spinosas quæstiones movere. Si bona fide Ludulphus egisset, rectoque animo veritatem assequi excupisset, nulla ei facienda erat de transsubstantiatione interrogatio, cum hanc vocem nullus ex antiquis Patribus usurparit; sed quidem an Abyssini crederent quod per eam vocem Catholici significant. Scilicet, num panis et vinum per consecrationem revera convertantur atque transmutentur in reale corpus et sanguinem Domini. Hoc sine dubitatione Abyssinus ille sacerdos asseruisset; constat enim hanc esse fidem gentis illius, quod et illorum liturgiæ manifeste testantur. Sunt autem populis iis, Christi religionem profitentibus, plures liturgiæ, inter quas omnium vetustissimæ censentur duæ. Prior Apostolorum nomen præfert, atque apud eos potissimum in usu est. Hanc Renaudotius protulit (*Tom. I, Liturg.*). Dioscoro Alexandrino, famoso Monophysitarum pugili, altera tribuitur; atque hanc publici juris fecit Wansleb Erfurtensis. Easdem nunc consulamus oportet, visuri quænam sit de Eucharistia illorum sententia.

In liturgia a Renaudotio edita, quæ apud Æthiopes Christi fideles communis est, et canon universalis appellatur, præmittitur oratio super patenam, in qua hæc leguntur: *Domine Deus noster Jesu Christe, etc., extende nunc manum tuam super hanc patenam; benedic, sanctifica, et purifica illam, ut in ea* PERFICIATUR CORPUS TUUM SANCTUM, etc. Paria in oratione super calicem habentur. Et in oratione super cochlear, quo sanguis Domini ministrabatur, sanctificatio illius petitur *ad administrandum corpus et sanguinem unigeniti Filii tui*, etc. Hisce autem verbis oratio oblationis mysticæ concepta est: *Princeps Jesu Christe, etc., ostende faciem tuam super hunc panem, et super hunc calicem, quos proposuimus super hoc altare spirituale tuum. Benedic, sanctifica, et purifica illos,* ET TRANSMUTA HUNC PANEM, UT FIAT CORPUS TUUM PURUM, *et quod mistum est in* HOC CALICE, SANGUIS TUUS PRETIOSUS, etc. Postquam sacerdos ad consecrationem panis adhibuit Christi Domini verba, *Hic panis est corpus meum*, etc. (pro quo in Evangelio et apud Apostolum legitur *Hoc est corpus meum*), populus respondet: *Amen, amen, amen. Credimus, et certi sumus. Laudamus te, Domine Deus noster:* HOC EST VERE, *et ita credimus* CORPUS TUUM. Pariter ubi sacerdos ad calicem pronuntiavit: *Hic est calix, etc.* Populus respondet: *Amen.* VERE EST SANGUIS TUUS. *Credimus.* Fidem Protestantium nunc appello; nonne hic perspicua est Abyssinorum fides de realitate corporis et sanguinis Domini in sacramento? Neque enim ii tunc testantur se credere susceptam a Verbo Dei humanam carnem, neque imaginarium et figuratum corpus et sanguinem in mysterio sibi fingunt; sed conceptis verbis et ineluctabili professione conversionem et transmutationem factam agnoscunt dicendo: *Hoc est vere corpus tuum. Ita credimus. Vere est sanguis tuus. Credimus.* Tum ad complendum perficiendumque mirabile hoc mysterium, subjungunt pro more Orientalium præcipue Ecclesiarum: *Rogamus te, Domine, et deprecamur, ut mittas sanctum Spiritum et virtutem super hunc panem, et super hunc calicem,* FACIATQUE UTRUMQUE, CORPUS ET SANGUINEM DOMINI ET SALVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI. Quin ipsius Christi verbis consecratio peragatur, dubitare nos non sinunt sancti Patres Cyprianus, Gregorius Nyssenus, auctor librorum de Sacramentis, Chrysostomus, Augustinus, et alii. Neque id Orientales Ecclesiæ negant. Attamen quod ipsi invocationem Spiritus sancti addunt, hoc est, preces quas Romana liturgia verbis consecrationis præmittit, viri docti, uti supra innuimus, jam diu ostenderunt, nihil hoc officere virtuti verborum Domini, et Orientalibus nullam propter hoc litem esse movendam. Ad fractionem in eadem liturgia subdiaconus simul cum populo dicit: *Exercitus angelorum Salvatoris*

mundi sunt coram te (ita quoque Chrysostomus, aliique Patres, et Græcorum liturgia, in incruento sacrificio fieri testantur) *et cingunt corpus et sanguinem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi* (quæ sine dubitatione adesse intelliguntur et creduntur super sacra mensa). *Accedamus ante faciem ejus, et cum fide Christum veneremur.* Cavillationes quidem exercere hic possunt, qui a Romana Ecclesia aversi sunt; sed perspicua adeo est in his verbis Abyssinorum fides, ut ingenio suo abutatur quisquis aliter interpretari audeat. Luculentius etiam elucet eadem fides ex iis quæ post formulam consuetam *Sancta sanctis*, atque ante communionem, sacerdos suo ac populi nomine profitetur; nam in manu tenens dona consecrata, eaque populo ostendens, confessionem hanc emittit : *Corpus sanctum, pretiosum, vivum, et verum Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, quod datur ad remissionem peccatorum et vitam æternam, suscipientibus illud cum fide. Amen. Sanguis sanctus, pretiosus, vivificans et verus Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui datur*, etc. *Amen. Hoc est corpus et sanguis Emmanuelis, in rei veritate. Amen, amen, amen. Credo, credo, ex nunc et usque in sæculum. Amen. Hoc est corpus et sanguis Domini*, etc., ut supra in missa Ægyptia. Dum sacerdos communionem populo distribuit, dicit : *Hic est panis vitæ, qui de cœlo descendit, vere pretiosum corpus Emmanuel Dei nostri. Amen.* Et qui recipit, dicit *Amen*, id est, Ita credo. Addit sacerdos : *Hic est calix vitæ, qui descendit de cœlo, qui est pretiosus sanguis Christi.* Et qui accipit, dicit *Amen*. Hæc ex liturgia communi Abyssinorum.

In altera, quam Wansleb edidit, post verba consecrationis, antiqua hæc adnotatio legitur : *Ne autem videatur cuidam ex nobis, quasi corpus hoc, quod comedit, sit corpus absque sanguine et anima; et dum bibit calicem hunc, sit sanguis tantum absque corpore et anima; sed corpus, et sanguis, et anima est.* Infra hæc oratio legitur : *Quemadmodum, Domine, inseruisti corpus Filii tui in corpora nostra, et quemadmodum miscuisti sanguinem Messiæ tui in sanguinem nostrum, sic quoque insere in corda nostra timorem tuum*, etc. En ut Deus in remotissimis iis orbis partibus incorruptam a tot sæculis servavit veram Ecclesiæ Romano-catholicæ doctrinam de Eucharistia. Missam Romanam Franciscus Alvarez sacerdos supra memoratus, coram Abyssino rege, ejusque magnatibus, antequam Lutheri hæresis erumperet, celebravit. Hanc ii summopere laudarunt, et consequenter adorationem hostiæ et calicis probarunt, ut pote cum fide Ecclesiæ suæ conformem. Ex tot autem diversarum antiquarumque Ecclesiarum liturgiis, hactenus commemoratis, qui nondum intelligit ab apostolis in omnem circumquaque Christi Ecclesiam diffusum fuisse dogma de reali præsentia Domini in Eucharistia, et de sacrorum donorum transmutatione in verum corpus et sanguinem Jesu Christi, vim faciat intellectui suo, necesse est; districteque a Deo judicabitur, quod patenti veritati resistat. Ubi vero posueris panem et

A vinum per consecrationem fieri corpus et sanguinem Domini, eaque transmutari, de transsubstantiationis voce et significatione non amplius disputandum est. Continuo enim agnoscere cogimur oblata desiisse intime esse quod erant, et retinere tantummodo speciem et figuram externam sensibus nostris obnoxiam. Tantæ rei modum si mens humana non capit, si difficultates in mentem nostram incurrunt ob tot alia mirabilia, quæ e Catholicorum sententia consequuntur, fides quam de omnipotentia divina profitemur dubitationem omnem abstergere debet, uti jam nos monuere tot sancti Patres. Quia et ipsi ut nos sentiebant atque credebant, pariterque uti nos admirandum sacratissimi hujus mysterii apparatum supra captum nostrum esse agnoscebant; propterea eamB dem virtutem fidei ad Eucharistiam exigebant quam ad reliqua religionis Christianæ ardua mysteria adhibere necesse est. Atque hoc dum exigebant, quis non videt damnatam ab iis ante tot sæcula fuisse sacramentarii gregis temeritatem, qui in Eucharistia, atque in altaris sacrificio, nihil ardui, nihil admirandi, reliquit, contra totius antiquitatis consensum? Ex tot etiam diversisque totius Christiani orbis liturgiis, ad antiqua sæcula pertinentibus, num aliquod amplius deest ad dejiciendam conterendamque ridiculam omnino fabulam a Calvinistis excogitatam de reali præsentia Christi invecta in Eucharistiam sæculo Christi nono a Paschasio Ratberto? Ex tanta luce optandum nunc est, ut proficiant, qui cum evidenti animæ suæ periculo in tenebris jacent, neque C veritatem sincere de tanti momenti dogmate exquirunt.

CAPUT XV.

Quæ Samuel Basnagius adversus dogma de transsubstantiatione protulit, refutata.

Antequam ad alia descendam, lectorem non pigebit accipere, quibus armis ineunte hoc sæculo Samuel Basnagius Calvinista contra transsubstantiationem decertarit (*Annal. politico-eccles., an. Christ.* 33). Is quoque, ut suos contribules in fide contineat, paucis verbis sanctorum Patrum, qui primis Ecclesiæ sæculis floruerunt, productis, quibus et præsentia realis, et transmutatio substantialis sacrorum donorum, negari videtur, tanti momenti quæstionem se satis D diremisse fortasse putavit. Ast Catholici, innumeris adductis documentis, luculentissime, postremo præsertim sæculo, perpetuum consensum Ecclesiæ ab ejus exordio in doctrina de Eucharistia, eademque verba Patrum, quæ Basnagius protulit, aut huic dogmati favere, aut minime adversari, ostenderunt. Verum Basnagius hæc se legisse dissimulans, aut contemnens, paucis iis pugilibus a se adductis, Catholicorum acies integras disjectum iri est arbitratus. Objicit ille nobis sanctum Justinum martyrem, de sacratissima synaxi loquentem, scriptorem, videlicet, sæculi secundi a Christo nato. Priusquam illius verba proferamus, liceat nobis antiquiorem scriptorem, ipsorumque apostolorum discipulum, Basnagio opponere, sanctum, scilicet, Ignatium Antiochenum

episcopum et martyrem, de quibusdam sui temporis hæreticis, hoc est, Gnosticis et Ophitis, hæc scribentem : « Ab Eucharistia et oratione abstinent; eo quod non confitentur Eucharistiam σάρκα εἶναι τοῦ Σωτῆρος, CARNEM ESSE SALVATORIS nostri, quæ passa est pro peccatis nostris, quam Pater sua benignitate suscitavit (*Ignatius martyr., epist. ad Smyrnæos*). » Non ait sanctus martyr Eucharistiam significare, ut Sacramentarii volunt, sed quidem ESSE CARNEM Jesu Domini nostri. Vim hujus vocis intelliguntne heterodoxi? Sanctum Justinum nunc audiamus, qui circiter annum Christi 168 vitam martyrio coronavit. Is sacram synaxim describens, « Sacerdoti, inquit, panis offertur et poculum aqua et vino temperatum; quibus acceptis, laudem et gloriam omnium Parenti, Filii, Spiritusque sancti nomine tribuit, gratiasque diu agit. Eisque peractis, precibus et gratiarum actioni populus omnis, qui adest, acclamat Amen, id est fiat (*Justin. martyr, Apologia ad Antonin. Pium Aug.*). » Tum « qui apud nos vocantur diaconi, distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum, et aquam, et ad absentes perferunt. » Ad hæc Basnagius addit : « Quibus perspicue indicatur, quid pani mutationis obtigerit, nempe quod remanente ejus substantia, consecratus sit. » Ita ille, sed præcipiti nimium sententia, panis vix audito nomine abutens, et ejus temporis disciplinam oblitus.

Quid sit iste panis, accipiendum prius est a Justino, qui docere pergit : « Porro alimentum hoc apud nos appellatur Eucharistia, de quo nulli alii participare licitum est quam veram esse doctrinam nostram credenti, etc. Non enim ut communem panem, neque communem potum, ista sumimus; sed quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus Salvator noster et carnem et sanguinem, salutis nostræ causa, habuit; AD EUMDEM MODUM etiam, in qua per preces verbi ejus ab ipso profecti gratiæ sunt actæ, alimoniam, unde sanguis et caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι, JESU CARNEM ET SANGUINEM ESSE edocti sumus. » Hic etiam animadverte illud εἶναι, scilicet, ESSE, unde figura, typus, aliæque Calvinianæ imaginationes exploduntur. Tum affert sanctus vir consecrationis verba ex Evangelio atque ex Apostolo. Ad ista tricas instruit Basnagius, inquiens : « De re quæ panis non est omnino, quod communis panis sit, apposite dici nequit. » Imo Justinus a communi pane Eucharistiam distinguit. Addit ille : « Sermo hic indicat panem adhuc esse, sed digniorem atque sanctiorem eo qui cedit in alimentum. » Hæc contra perspicuam mentem atque attestationem sancti Justini, qui diserte scribit alimoniam illam Christi carnem et sanguinem ESSE; hoc est non amplius ibi esse panis substantiam : quod ille confirmat ipsius Domini verbis : *Hoc est corpus meum*. Imo etiam probat altero ineffabili religionis Christianæ mysterio, scilicet, carnis assumptæ a Verbo Dei. Uti vero Verbum Dei veram carnem assumpsit, ita in sacramento veram ejus carnem esse edocti sumus et credimus. « Denique, subdit Basnagius, panis, vinum, aqua diaconorum ministerio ad absentes deferri non potuisset, si ex rerum natura exterminata fuissent vi consecrationis. » Hæc ad fallendos lectores; ipse enim novit non vinum et aquam, sed solum panem consecratum consuevisse ad absentes deferri. Atqui, vult dicere Basnagius, si panis substantia conversa fuit in corpus Domini, panis amplius appellari non potuit; Justinus tamen panem appellat. Verum ad Catholicos quod attinet, falsum est panem et vinum ex eorum natura exterminata fuisse; illorum enim supersunt species et proprietates. Alii Patres, et nos adhuc panis consecrati nomine utimur, cum tamen transsubstantiationem firmissime credamus. Ita ex quo adeo perspicue agnoscit sanctus Justinus panem et vinum per verba Christi consecrata esse corpus et sanguinem illius, legitime inde Catholici deducunt, intimam eorum naturam sive substantiam desiisse esse, transmutatam nempe in Domini corpus verum et sanguinem. Frequentia nimis sunt, cum apud veteres, tum apud recentiores, exempla pergentium appellare panem Eucharistiam, quamvis transsubstantiationis dogma credant et alios doceant; non quod panis amplius sit, sed quod panis figuram et visibiles proprietates retineat, et quod panis cœlestis panis vitæ æternæ evaserit.

Ad hæc ait Basnagius : « Alimentum corporeum, vere proprieque sanguis et caro Christi esse non potest (quod tamen Justinus asserit) obstante prorsus substantiarum sive numeri sive speciei diversitate. » Non nobis Basnagius litem movet, sed ipsi Justino, et sanctis Irenæo, Cyrillo Jerosolymitano, Hilario, Gregorio Nysseno, Cyrillo Alexandrino, et aliis, qui evidentissime tradiderunt præsentiam realem Domini in Eucharistia, atque idem ac Justinus asseruerunt de corpore et sanguine realiter per modum cibi ac potus in corpora nostra intrantibus. Veteri objectioni huic nostri non semel responderunt, antiquos illos Patres credidisse et docuisse, ex corpore Domini non quidem augeri aut restaurari more cibi terreni corpus nostrum, sed per illius contractum ex corruptibili fieri incorruptum, ita ut beatam resurrectionem et vitam æternam sit suo tempore consecuturum, uti dixit Dominus : *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die* (*Joan.* VI), scilicet, ejus corpus ad beatam immortalitatem. Sanctum quoque Irenæum adversus Catholicos in aciem Basnagius eduxit, scribentem : « Quomodo autem constabit eis (scilicet Marcionitis et Valentinianis negantibus veram esse carnem Christi, aut ex eadem materia, ex qua nostra efformata fuit) eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, CORPUS ESSE DOMINI SUI, et calicem SANGUINIS EJUS, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicunt (*Irenæus, l.* IV, *c.* 34)? » Non attigit hæc verba Basnagius, ex quibus constat agnovisse sanctum Irenæum Eucharistiam ESSE CORPUS Domini, non vero illius figuram. Subdit sanctus ille episcopus hæc alia a Basnagio quidem indicata:

« Quomodo autem rursus dicunt, carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quæ CORPORE DOMINI ET SANGUINE alitur? Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo quæ prædicta sunt. Nostra autem consonans est sententiæ Eucharistiæ, et Eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Offerimus enim Ei quæ sunt ejus, congruenter communicationem et unitatem prædicantes carnis et spiritus. Quemadmodum enim qui est e terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans terrena et cœlesti, sic et corpora nostra percipientia Eucharistiam jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. » Rursus hic Basnagius contendit panem non destrui, sed duntaxat sanctificari. Ludibria hæc esse iterum dicere cogor. In hoc uno Basnagius insistit, scilicet, perdurare in sacramento rem terrenam, id est, panem, ut incauti lectores, vel se tacente, deducant non immutari panem in Christi corpus et realem præsentiam excludi. Atque disertissime Irenæus antea dixerat eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, id est, sanctificatum, corpus ESSE Domini, quod Basnagius se non vidisse simulat; ergo certum est rem cœlestem in Eucharistia nihil aliud esse nisi ipsum corpus et sanguinem Domini. Quid vero res terrena? Species, proprietates, et externa figura panis et vini, quæ non sunt, ut Basnagius putat, « res nudæ vanæque rerum imagines, » cum sine fallacia sensus nostros afficiant. Qui vero hæc sine substantia permaneant, non a nobis petendum est, sed a Deo, cujus infinita potentia est, et veracitas semper adoranda. Propterea Patres, non hic adhibendam esse philosophiæ curiositatem, sed fidem, toties edixerunt.

Hanc autem germanam fuisse sancti Irenæi mentem, pluribus ostendit cl. Pater Massuet Benedictinus (*Dissert. prævia ad Op. Iren. noviss. Edit.*). Refellebat gloriosus ille episcopus et martyr, Marcionis et Valentini commenta, qui negabant non solum terrena a Deo Patre condita, sed etiam Christum veram carnem a Virgine sanctissima suscepisse. Ubi imaginaria tantum in sacramento altaris foret Domini caro et præsentia, sicuti visum est Calvinistis, quanam, quæso, ingenii soliditate Irenæus non semel inculcasset Eucharistiæ institutionem, ut veritatem carnis Christi adversus Marcionitas evinceret? Confirmatur eadem sententia ex aliis Irenæi verbis. « Quando ergo, is ait, mistus calix (id est, vinum aqua mistum, quam mistionem qui ex recentioribus hæreticis sustulere, primitivæ sane Ecclesiæ adversantur) et factus panis percipit verbum Dei, et fit Eucharistia sanguinis et corporis Christi (in Græco est : sanguis et corpus Christi) ex quibus augetur et consistit carnis nostræ substantia, quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, quæ est vita æterna, quæ SANGUINE ET CORPORE CHRISTI NUTRITUR, et membrum ejus est, etc.? Et quemadmodum lignum vitis depositum in terram suo fructificat tempore; et granum tritici, etc., A percipientia verbum Dei, Eucharistia FIUNT, QUOD EST CORPUS ET SANGUIS CHRISTI; sic et nostra corpora ex ea nutrita et reposita in terram, et resoluta in ea, resurgent in suo tempore, Verbo Dei resurrectionem eis donante (*Iren., l.* V, *c.* 2). » Difficile fortassis intelliges qui corpore et sanguine Domini caro nostra nutriatur; inconcussum tamen remanet Patres apostolicos docuisse realiter in corpus nostrum per Eucharistiam ingredi sacratissimum ejus corpus et sanguinem, non vero illius figuram; atque ex eo non tantum animam, sed et corpus, donationem Dei accipere, quæ est vita æterna. Hoc nos quærimus, idque perspicue ab apostolicis iis viris traditum videmus. Accedit alius ejusdem Irenæi locus, ubi de magicis præstigiis Marci cujusdam hæretici agit. « Calicem enim, inquit, B vino mistum fingens se consecrare, atque invocationis verba in longius pertendens, purpureum et rubicundum facit, ut existimetur gratia illa, quæ supra omnia est (mulier nempe inexcogitabilis ab ipso appellata), sanguinem suum per invocationem ipsius in calicem illum stillari (*Iren. l.* I, *c.* 13). » Uti prælaudatus Pater Massuet animadvertit, ex hoc facto consequitur, secundo Christi sæculo, quo Irenæus floruit, certam fuisse conversionem vini in verum sanguinem Christi (quam transsubstantiationem appellamus); cur enim tam operose hæreticus ille mutari in calice vinum finxisset, nisi Christianorum omnium ea tunc fuisset sententia, vinum consecratione facta non manere, sed in verum sanguinem converti? Et sunt C nihilominus qui sanctum Irenæum Catholicis opponere audent, apostolicum nempe virum, a quo dilucide nihil aliud traditur quam quod catholica Ecclesia de sacramento altaris docet!

Neque lectorem diu morabor in excutiendo Tertulliani effato satis controverso, quod Basnagius affert, quasi plures e Catholicis non antea ostenderint nihil ab eo officii dogmati suo. « Acceptum panem, inquit Tertullianus, et distributum discipulis, CORPUS SUUM ILLUM FECIT, *Hoc est corpus meum* dicendo, id est, figura corporis mei. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus (*Tertul. l.* IV *contra Marcion., c.* 40). » Unum hic certum habemus, scilicet, panem ex verbis Domini fieri corpus ipsius; reliqua tene- D brosa sunt, et nihilominus a Catholicis explicantur. Scilicet, Tertulliani mens fuit panem fuisse in veteris testamenti libris figuram corporis Christi. In eodem enim loco scribit : « Cur autem panem corpus suum appellat, etc., non intelligens veterem fuisse istam figuram corporis Christi, dicentis per Jeremiam : *Venite, mittamus lignum in panem ejus*, scilicet, crucem in corpus ejus. » Itaque Tertulliani sensus hic est : Acceptum panem corpus suum illum fecit, dicendo : *Hoc*, id est vetus figura corporis mei, factum *est corpus meum*. Neque aliter explicari illius verba possunt. Nam panis antea erat figura corporis Christi, Tertulliano ipso fatente. Non ergo Christus panem consecrans fecit ut figura illa fieret figura corporis, sed fecit illum panem corpus suum; id est,

illud, quod in priori testamento fuit figura, factum a Christo fuit in novo verum corpus suum. Quibus verbis indicat jam figuram veterem fuisse adimpletam, et sub typo et qualitatibus panis apostolos accepisse verum Christi corpus. Audiendus hic itidem est sanctus Gaudentius Brixianus episcopus, sæculi IV scriptor, qui, tract. 2 ad neoph., ait : « Rationabiliter in pane figura accipitur corporis Christi, quia novimus ex multitudine totius humani generis unum esse corpus effectum. » Atqui in eodem serm. 2, uti infra ostendam, cap. 19, idem sanctus episcopus apertissimis verbis tradit hanc ipsam figuram, sive panem, per consecrationis verba revera fieri corpus Domini. Idem pariter dogma ex aliis ipsius Tertulliani locis deducitur, puta cum scribit : « Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro inungitur, ut anima consecretur. Caro CORPORE ET SANGUINE CHRISTI VESCITUR, ut anima DE DEO saginetur (*Lib. de Resurrect. carn.*, c. 8). » Nunquam Patres dixere carnem nostram vesci figura corporis Christi, sed quidem ipsius corpore et sanguine. Tum contra Marcionem ait : « Panis et calicis sacramento jam probavimus CORPORIS ET SANGUINIS DOMINICI VERITATEM (*Lib. V contr. Marcion.*, c. 8). » Alibi hæc habet : « Annulum quoque accipit tunc primum, quo fidei pactionem (in baptismo) interrogatus obsignat, atque ita exinde OPIMITATE DOMINICI CORPORIS VESCITUR (*Lib. de Pudicitia*, c. 9); » Eucharistia, scilicet, nam recens baptizatis tunc Eucharistia conferebatur; quod is repetit inquiens : « Quatenus qui in sanguinem ejus crederent, aqua lavarentur; qui aqua laviessent, etiam SANGUINEM POTARENT (*Lib. de Bapt.*, c. 16). » Tum in eos, qui lapsi erant in idololatriam, scribendo ingemit, « eas manus admovere CORPORI DOMINI, quæ dæmoniis corpora conferunt. Allegantur in ordinem ecclesiasticum artifices idolorum. Proh scelus! Semel Judæi Christo manus intulerunt. Isti quotidie CORPUS EJUS lacessunt (*Lib. de Idolol.*, c. 7). » Hæc satis perspicua pro nobis. At ista Novatores transiliunt, atque in obscuris insistunt.

Præterea sanctum Cyprianum pro se testantem Basnagius laudat, quod is, dum hæreticos quosdam refellit, aqua sola ad sacrificium utentes, dixit : « Invenimus vinum fuisse quod sanguinem suum dixit. Calix Domini non est aqua sola aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur, quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola aut aqua, nisi utrumque adunatum fuerit (*Cyprian.*, *epist.* 63). » Somniet necesse est, qui ex hisce verbis Calvinianam sententiam exsculpere se posse putat. Certe vinum antea fuit, quod Christus consecrans sanguinem suum factum esse dixit. Neque corpus Domini ex farina sola conficitur, neque sanguis ex aqua sola, aut vino solo. Ex hisce tamen mistis per consecrationem conficitur corpus et sanguis Christi. Sed quam Calvinistarum causa ruinosa sit, hinc intelligere possumus, quando ex his Cypriani verbis fulcrum aliquod emendicant, cum ad evertenda eorum commenta idem sanctus episcopus et martyr hæc alia subdit : Nec potest videri SANGUIS EJUS, quo redempti et vivificati sumus, ESSE IN CALICE, quando vinum desit calici. Infra ait : Quis magis sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Jesus Christus? qui sacrificium Deo Patri obtulit, hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est panem et vinum; SUUM, scilicet, CORPUS ET SANGUINEM. » Tum subjungit : « Vini utique mentio (apud Isaiam) ideo ponitur, ut DOMINI SANGUIS intelligatur, ET QUOD IN CALICE DOMINI POSTEA MANIFESTATUM EST. » Rursus inquit : NEC NOS SANGUINEM CHRISTI POSSEMUS BIBERE, nisi Christus calcatus prius fuisset et pressus (in passione) et calicem prior biberet, quem (vel quo) credentibus propinaret. » Subinde addit : « Unde apparet SANGUINEM CHRISTI non offerri, si desit vinum calici. » Hæc quoque subnectit : « Quemadmodum vino isto communi mens solvitur et anima relaxatur, et tristitia omnis exponitur, ita EPOTO SANGUINE DOMINI, et poculo (sive calice) salutari, exponitur (id est deponitur) memoria veteris hominis, et mœstum pectus quod prius peccatis ingentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia resolvitur. » Reliqua præterea illius epistolæ loca, ut unum tantummodo memorem, ubi confessores laudat, quorum sanctificata ora COELESTIBUS CIBIS, post CORPUS ET SANGUINEM Domini (nam ut resisterent tormentis, tunc Christi fideles fortitudinem ab Eucharistia petebant) profana contagia et idolorum reliquias respuerunt (*Cyprian.*, *lib. de Lapsis*). » Contra in alios invehitur, « qui a diaboli aris revertentes, AD SANCTUM DOMINI (ita appellabatur Eucharistia) sordidis et infectis nidore manibus accedunt; mortiferos idolorum cibos adhuc ructantes, DOMINI CORPUS (id est, Eucharistiam) invadunt, quando occurrat Scriptura divina et clamet, etc. Spretis his omnibus atque contemptis, vis infertur CORPORI EJUS ET SANGUINI; et plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt, » etc. Ex his intelligere Basnagius poterat quæ mens ex sententia sancti Cypriani fuerit de Eucharistia. Nam quod ille cavillari pergit, et fortassis deridere miracula quædam per Eucharistiam facta, atque ab eodem sancto episcopo narrata, nihil est quod refellamus. Sive vera, sive falsa statuas ejusmodi prodigia, satis inde patet a sancto Cypriano creditam ac deprædicatam fuisse præsentiam realem Domini in altaris sacramento, et potissimum, cum quemdam describit, qui idolis sacrificarat. Is, « sacrificio a sacerdote celebrato, partem (Dominici corporis) ausus est latenter accipere, » ut domum deferret, uti tunc in more fuit. « Sed SANCTUM DOMINI (id est, corpus) edere et contrectare non potuit; cinerem ferre se apertis manibus invenit. Documento unius ostensum est, DOMINUM RECEDERE, cum negatur. » Si recessit Dominus, ergo is vere in sacramento existebat.

Quod tamen excessum omnem superat, sanctum quoque Cyrillum Jerosolymitanum Basnagius, uti sibi militantem, producit, locum ejus memorans, verbis hisce exorsum : « Quemadmodum enim pa-

nis eucharisticus (*Cyrill. Jerosol.*, *Catech. Mystag*, 5). » etc. Locum hunc supra, cap. 8 ostendimus, manifeste favere Catholicorum sententiæ. Quod plus est, pudorem omnem exuerit oportet, quicunque, dimissis aliis ejusdem sancti Cyrilli locis, quibus apertissime statuitur præsentia realis et transsubstantiatio in Eucharistia, lectorem suum hisce detinet, quæ ne ipsa quidem ejus causam juvant, imo jugulant. Ejusmodi nugatoriis armis pugnam nihilo secius Basnagius continuat, inter alia referens sanitatem a sancta Gorgonia Eucharistiæ ope receptam. Rem narrat sanctus Gregorius Nazianzenus ejus frater : « Ægra, desperatis omnibus aliis auxiliis, intempesta nocte ad altare cum fide procumbit, Eumque qui super ipso honoratur cum clamore invocans, etc., cum si quid antityporum pretiosi CORPORIS aut SANGUINIS manus recondiderat, id lacrymis admiscuisset, (o rem admirandam !) statim liberatam se morbo sentit (*Greg. Nazianz.*, *orat.* 11). » Quilibet hinc deducere cogitur realem præsentiam Domini in Eucharistia; nam quod antitypi nomine eam Nazianzenus donet, Elias Cretensis, aliique Græci docuerunt nihil obstare veritati corporis et sanguinis in sacramento. Quid vero Basnagius? « Gorgoniæ factum scelus merito existimandum, si Eucharistia ipsissimum corpus Christi esset; » hoc tamen « non modo non vituperat Gregorius, verum etiam laudibus effert. » At hæc dicta ad fallendam plebem Protestantium, et si fieri posset, indoctos etiam quosdam Catholicos. Certissima tunc erat fides de veritate corporis Domini in Eucharistia; novit autem Basnagius, uti vir eruditus, laicis quoque tunc licuisse contingere Eucharistiam, nam communicantibus in manus dabatur, ac domum interdum deferebatur. Ubinam ergo scelus ab eo excogitatum? neque enim aliud Gorgonia egit, nisi aut communionem accipere, aut sanctum corpus lacrymis perfusum suo corpori admovere. Contra ex isto etiam facto attentus lector percipiet quæ tunc foret Nazianzeni ejusque sororis de Eucharistia fides. Inquit idem sanctus vir, Gorgoniam imitatam fuisse mulierem evangelicam, quæ, tangendo Christi fimbriam, profluvio sanguinis liberata est; uti et alteram, quæ olim lacrymis Christi pedes rigavit. Contigerunt illæ mediate aut immediate verum corpus Domini; si illas imitata est Gorgonia ; ergo et ipsa in sacramento idem sacratissimum ac verum corpus contigisse dicenda est. Alterum exemplum profert Basnagius ex sancto Augustino adversus Julianum (*Lib.* III, *c.* 162, *olim* 146). Clausis oculis puer natus, cohærentes adhuc palpebras quinquennis gerebat. At eas aperiendas medicus se promptum exhibuit. « Non hoc religiosa mater permisit; sed id effecit, imposito ex Eucharistia cataplasmate. » Ex hoc Basnagius deducit, non credidisse mulierem corpus Domini in Eucharistia conclusum. Imo, dicimus nos quia credidit Eum ibi concludi, qui cœco nato oculorum usum donavit, ideo ad filium suum sanandum illius contactu est usa. Cyrillo Jerosolymi-

A tano teste, ad communionem fideles manibus sacrum corpus accipiebant, et « sancti corporis contactu oculos sanctificabant. » Hoc fuerit metaphoricum cataplasma ab Augustino memoratum. Et quando etiam fuerit cataplasma verum, habes in muliere fidei excessum, quem tamen Ecclesia minime probavit. Quod si alios id genus hominum piorum excessus refert Basnagius, nullum ex iis veritati corporis Dominici in Eucharistia officit, cum contra appareat, in eos excessus interdum Christianos declinasse, quod ipsam Veritatem inconcusse crederent. Interea non ego, sed Christus a Basnagio ejusque similibus in judicio suo petierit : Cur hisce artibus adversus tremendum Eucharistiæ a me institutæ mysterium pugnasti? Nonne immanis sceleris reus es, qui ex B paucis quorumdam Patrum locis obscuris et dubiis, et ex popularibus nonnullis factis, Berengarii et Calvini commenta extorquere conatus es, neglectis interim innumeris Ecclesiæ meæ documentis, ex quibus meridiano sole clarius elucet quid de Eucharistia credendum sit? Satis perspicua verba de hoc mysterio contempsisti. Erant tibi ad manus apostolici viri, qui primis Ecclesiæ meæ sæculis floruerunt. Ambigua tantummodo quædam eorum verba pro tua opinione arripuisse, eaque duntaxat plebi et lectoribus tuis incautis inculcasse contentus, reliqua, e quibus apertissime deducitur vera sententia, aut non quæsisti, aut contempsisti. Tot priorum sæculorum, et præsertim quarti et quinti sæculi Patres, in asserenda reali præsentia in sacramento C altaris concordes, omniumque Ecclesiarum liturgias, ejusdem veritatis testes, et perpetuum hac de re totius Ecclesiæ consensum ad tempora usque Berengarii, Zwinglii, et Calvini, a Catholicis produci et inculcari vidisti; nonne tuum erat diligenter consulere, sincere expendere, et humili judicii tui submissione amplecti, dimissis tot cavillationibus, quibus hactenus usa est novatorum secta? Quam justam excusationem adhibere possint ejusmodi novatores, ipsi viderint.

CAPUT XVI.

Sacrificium verum in sacra missa ex vetustissimis Ecclesiarum Occidentalium liturgiis confirmatum.

Primus post tot sæcula Lutherus internecino odio D in Ecclesiam Romanam fervens, et a diabolo edoctus, ut ipse fatetur, imperterrite sacrificium e sacra missa abrogavit, atque uno vino sine aqua consecrationem calicis peragendam statuit. Ecclesiæ primitivæ, et Patrum consensus, et potissimum Justini, Irenæi, Cypriani, etc., eidem objiciebatur. At ille, ut est apud cardinalem Bellarminum, regerebat in libro de abroganda missa : « Profiteor in primis adversus eos qui clamaturi sunt, quod contra ritum Ecclesiæ, contra statuta Patrum docuerim, nihil horum me auditurum. » Similia habet in libro contra Regem Angliæ. « Ultimo, inquit, dicta Patrum inducit rex pro missatico sacrificio, et ridet meam stultitiam, quod Solus velim sapere præ omnibus. Hoc est quod dixi, Thomisticos asinos habere nihil, quod producant,

nisi multitudinem hominum, et usum antiquum. › Ita ille, hisce dicteriis, et cæterorum contemptu, solitus dimicare. Tum in libro de missa privata : ‹ Hic non moramur (inquit) si clamitent papistæ : Ecclesia, Ecclesia ; Patres, Patres. Quia, ut dixi, hominum dicta aut facta nihil in tam magnis causis curamus. Scimus enim ipsos prophetas lapsos esse, adeoque apostolos. Verbo Christi judicamus Ecclesiam, apostolos, ideoque ipsos angelos. › Denique in libro de Captivitate Babylonis : ‹ Si nihil, ait, habetur, quod dicatur, tutius est omnia negare, quam missæ sacrificium esse concedere. › Hæc referre placuit, ut quale fuerit, quantaque superbia inflatum Lutheri ingenium, ex ipso intelligas. Sed, quod in primis horrorem incutit, eumdem audiamus (uti Bellarminus tradit) in formula missæ pro Ecclesia Wittembergensi hæc scribentem : ‹ Sequitur tota illa abominatio, cui servire coactum est quidquid in missa præcessit, unde et offertorium vocatur, et ab hinc omnia fere sonant ac olent oblationes. › Et infra : ‹ Proinde omnibus illis repudiatis, quæ oblationem sonant cum universo canone, retineamus quæ pura et sancta sunt. › Ita ille. Ad abolendum postea sacrificium lubentius convolarunt Calvinus, ejusque grex, ad quos sese adjunxere Anglicani, ut pote qui realem Christi præsentiam ex Eucharistia excluserunt. Eo usque progressus est Calvinus, ut incruentum missæ sacrificium appellare non erubuerit pestilentissimum errorem. Ita impudentissimi hominum non nostri tantum temporis Ecclesiam catholicam, sed et priorum sæculorum proscindunt, ac nequiter conculcant, cum tamen certo certius sit vel ipsos apostolicos viros, eorumque successores, per quinque continuata sæcula agnovisse, non secus ac nos, testamenti novi sacrificium in missa. Mitiores ergo Lutheri et Calvini asseclæ hujusmodi quidem sacrificium negare non audent, at unum contendunt non esse hoc verum propriumque sacrificium, cum, ut ii arbitrantur, primitiva Ecclesia minime corpus et sanguinem Deo obtulerit in sacris mysteriis : quod tamen Catholici et olim semper factum, et adhuc fieri docent. Quæstionem hanc Samuel Basnagius Calvinista, supra nobis memoratus, agitavit in Annalibus politico-ecclesiasticis ad annum Christi 33, cap. 67.

Eodem fere tempore, hoc est sub initium præsentis sæculi, Joannes Ernestus Grabe, Anglicanæ sectæ acerrimus pugil, sancti Irenæi opera edidit, ejusque sanctissimi viri sententias, quantis potuit viribus, ad suæ gentis palatum accommodavit. Attamen, nimia veritatis luce victus, ingenue confessus est Eucharistiam verum novæ legis sacrificium esse (*Grab., adnot. ad l.* IV, *c.* 32, *S. Iren.*). Imo se optare palam professus fuit, ut, ‹ postquam multi ex Protestantium numero hunc Lutheri et Calvini errorem ac nævum agnovere, › atque ab apostolica doctrina descendere sententiam de sacrificio missæ animadverterunt, missa quoque in usum revocaretur. Malo quippe ingenio sanctissimæ incruenti sacrificii formulæ liturgicæ, quibus idem sacrificium tum in Latina cum in Græca Ecclesia a tot sæculis Deo offertur, e Protestantium cœtibus proscriptæ fuere, ingenti cum detrimento honoris Deo debiti. Grabii verba accipere catholicis lectoribus volupe proeul dubio erit. Hæc ille habet in adnotationibus ad lib. IV, cap. 32, sancti Irenæi : ‹ Certum est Irenæum, ac omnes, quorum scripta habemus, Patres apostolis sive coævos, sive proxime succedentes, sanctam Eucharistiam pro novæ legis sacrificio habuisse. Atque hanc non privatam particularis Ecclesiæ, vel doctoris, sed publicam universalis Ecclesiæ doctrinam atque praxin fuisse, quam illi ab apostolis, apostoli ab ipso Christo edocti acceperunt. › Tum refert sancti Clementis Romani verba, aliosque antiquissimos Patres innuit ejusdem doctrinæ et veritatis testes. Denique pro *sacrificio Eucharistiæ* non deesse ait ‹ Anglicanæ Ecclesiæ doctores, ex quibus unum nomino, tam doctrinæ, quam pietatis eximiæ virum, Josephum Medum, ut pote qui peculiari tractatu de sacrificio Christiano, Anglice scripto, hanc rem egregie probavit et illustravit ; ab omnibus proinde theologiæ studiosis præsertim sacri presbyterii candidatis diligenter legendo. Atque hujus non solum sententiæ, sed et voto in fine cap. 8 expresso, toto corde subscribo ; atque opto, ut postquam multi pii doctique e parte Protestantium viri, hunc Lutheri et Calvini errorem, ac veram apostolicæ Ecclesiæ doctrinam, bene agnoverunt, hujus quoque sanctissimas formulas liturgicas, quibus dictum sacrificium Deo offertur, ab illis male e suis cœtibus proscriptas in usum revocent, et hunc summum divinæ Majestati honorem debite reddant. › Ita Grabius ; cujus verba uti consolationi futura sunt Catholicis Romanis, ita efficere possunt atque deberent ut non leviter Protestantium animos in posterum conscientia remorderet. Et sane quantum ejusmodi confessio et votum, ab homine doctissimo profectum, qui in Catholicorum castris minime militabat, obesse in posterum posset Luthero et Lutheranæ communionis decori ac placitis probe perspiciens Joannes Franciscus Buddeus, publicus apud Lipsienses theologiæ Professor, adversus Grabium in arenam descendere statuit. Itaque edita, uti ex Actis eruditorum didici (*Act. Erudit. Lipsiæ, an.* 1713) dissertatione, id fortasse consecutus est, ut conterraneos suos, ac præcipue gregalium suorum vulgus, in officio continuerit ; satis enim in desperatis causis est in arenam descendere, ut populo imperito persuadeatur, dubiam saltem restasse victoriam. Si Basnagio, si Buddeo credimus, nulla tempore Christi atque apostolorum mentio sacrificii occurrit, et ne ipsa quidem vox missæ cognita fuit ; apud sanctum Justinum sæculi secundi a Christo nato scriptorem, qui tam accurate de Christianorum mysteriis scripsit, et ad minutias usque descendit, nullum sacrificii, eoque minus propitiatorii, vestigium comparere, nec oblationes, quarum meminit, huc quidquam conferre, cum et oblationes fierent de inanimatis, quæ tamen sacrificii veri materia non erant ; neque e Justini dialogo cum Tryphone Judæo

argumentum peti posse. Idem ii asserunt de sæculo Ecclesiæ tertio; et quamvis oblatio pro mortuis præcipuum sacrificii missatici præludium exstiterit, ac rituum, cæremoniarum, symbolorumque nimia veneratio, ab apostolica simplicitate et puritate abludens accesserit, nullum tamen ex prioribus sæculis « ad septimi initium » usque produci testimonium posse, quo evincatur veteres Christianos « sacrificium propitiatorium » in missa agnovisse. Sed et iisdem fere temporibus alteram dissertationem, mihi minime visam, evulgavit Christophorus Matthæus Pfaffius, Tubingæ inter Protestantes theologus, in qua de oblatione et consecratione veteri eucharistica disseruit, ubi monstratum a se ait « exstitisse in liturgiis, quæ ante Gregorium celebratæ fuere, varia egregia, maxime quæ contra sacrificium corporis Christi in Eucharistia repetendum urgeri possint, ex liturgiis Græcis desumpta, postea ex parte abrogata. »

Equidem non mihi sumo in densam illam interpretationum, cavillationum, omissionum silvam ingredi, quibus Protestantes hactenus usi sunt ad evertendum, si fieri posset, verum ac proprium missæ sacrificium. Insignem virum cardinalem Bellarminum, aliosque nostros scriptores polemicos adeat, quisquis hac de re edoceri plenius cupiat. Duo tantum hic mihi propono : scilicet, ex antiquissimis omnium Ecclesiarum liturgiis ostendere perpetuum fuisse universæ Ecclesiæ consensum de vero et non imaginario sacrificio altaris. Tum majori, qua potero, brevitate palam faciam, quam concordes cum sacris liturgiis pergant Patres, qui primis Ecclesiæ sæculis floruerunt. Uno etiam itinere deducetur lector ad intelligendum quanti flagitii apud Deum sit reus, qui non ante sæculum Christi septimum suis tribulibus venditavit natum sacrificii propitiatorii dogma, quo nempe Deus propitius redditur erga vivos atque defunctos fideles, eorumque peccata dimittit ex ipsius sacrificii virtute. Heu! quantam stragem (exclamare liceat) cœlesti Christianorum religioni intulere novatores, dum præsentiam realem Christi, hoc est, ineffabile illud divini erga nos amoris prodigium, abrogarunt; prætereaque verum sacrificium, quo non ipsi caruere Judæi, ab Ecclesia abjecere, hoc est, quotidianum illud divinæ gratiæ ærarium everterunt, per quod redimere posse peccata nostra nobis dedit clementissimus omnium Pater! Verum ubi ostendamus ejusmodi dogmata, non ex novatione facta ab Ecclesia, uti inexcusabili temeritate sæculo Christi quarto factum contendere videntur Protestantes, grandi ejus temporis Patres infamia onerando, sed ex perenni Ecclesiæ catholicæ consensu ab apostolis descendere, recogitent ii se ad tribunal Christi esse sistendos, qui ab ipsis rationem exiget de novatione, non ab Ecclesia, sed ab ipsis facta cum tanta nominis et unitatis Christianæ perturbatione, et innumerabilium animarum deceptione. Age ergo videamus, jurene vetustissimas liturgias in suæ opinionis pa-

A trocinium adduxerit Pfaffius, atque initium ducamus e Leoniana et Gelasiana, quæ Gregorianam præcedunt.

In prima, scilicet, Leoniana, occurrit divinum sacrificium; *Sacrificium placationis et laudis. Sacrificium tibi, Domine, pro sanctorum martyrum natalitiis immolamus.* Certe sacrificii nomine plura designantur in litteris sacris, translato proprio nomine ad varia pietatis officia. Cum in missa Romana *hoc sacrificium laudis* inveniunt Protestantes, non ultra pergunt. Sed ibi etiam requirant ac invenient *sacrificium placationis*, quod etiam in Sacramentario Gelasiano legitur ad diem XI Kalendas Decembres in festo sanctæ Cæciliæ, uti et in Gregoriano, et Gothico : *Hæc hostia, Domine, placationis et laudis.*
B Iidem in Leoniano reperient *immolari sacrificium* in missa. *Immolationis* autem voce vel ipsi ethnici scriptores verum sacrificium designarunt, uti ex eorum verbis, quæ referre superfluum foret, evincitur. *Immolare* enim supponit victimam et hostiam animatam. Rursus in Leoniano hæc præfatio habetur : *Vere dignum; quis enim aut possit, aut audeat a tua laude cessare, perpendens mirandæ dispositionis effectus, quod de substantiæ genere peccatricis immaculata hostia gigneretur, cujus, pro ejusdem naturæ reatu, possis* IMMOLATIONE PLACARI? Habes hic *hostiam*, quæ incruento sacrificio *immolatur*, id est, Christus, et quidem ad Deum *placando* erga nos peccatores; neque enim hæc ad Crucis, sed ad Missæ Sacrificium
C sunt pro Liturgiæ more referenda. Supra ex eodem Leoniano, Gelasiano, et Missali Francorum, dedimus *spiritualem* HOSTIAM, *quæ miro ineffabilique mysterio et* IMMOLATUR *semper, et eadem semper* OFFERTUR. Mense Junio in Leoniano in sanctorum Joannis et Pauli festo; HOSTIAS *altaribus tuis, Domine,* PLACATIONIS *imponimus.* Easdem *hostias placationis* reperimus in Gelasiano et Gregoriano, Julio mense in Leoniano se nobis offert SACRIFICIUM SINGULARE, *quod Majestati tuæ et semper* REDDITUR *et debetur.* In ipso, atque in Gregoriano : HOSTIAS *tibi, Domine, deferimus* IMMOLANDAS, etc. HOSTIAS *tibi, Domine, suppliciter* IMMOLAMUS, hoc est, vivum corpus et sanguinem Domini sub speciebus existentes; quod infra confirmatum videas in Natali Domini his verbis : *Munus*
D *populi tui, Domine, placatus intende, quo non altaribus tuis ignis alienus, nec irrationabilium cruor effunditur animalium; sed sancti Spiritus operante virtute,* SACRIFICIUM *jam nostrum,* CORPUS ET SANGUIS EST IPSIUS SACERDOTIS, *Christi Domini nostri.* En transsubstantiatio, ac verum sacrificium. Ibidem in Natali Domini : *Vere dignum. Tuæ laudis* HOSTIAM *jugiter* IMMOLANTES : *cujus figuram Abel justus instituit, agnus quoque legalis ostendit; celebravit Abraham; Melchisedech sacerdos exhibuit; sed verus Agnus, et æternus Pontifex hodie natus Christus implevit.* Ibidem in Natali Domini : *Tot sensibus hodiernum, Domine,* SACRIFICIUM *celebramus, quod nobis ipsius sacrificii sunt nata primordia.* Ibidem, et in Gelasiano ad jejunium decimi mensis : SUSCIPE, *Domine,* SACRIFI-

cium, *cujus te voluisti dignanter* IMMOLATIONE *placari*. In Leoniano ad missam 3, mense Septembri : *Ut hoc* TUUM SACRAMENTUM *non sit nobis reatus ad pœnam, sed fiat intercessio salutaris ad veniam; sit abolitio peccatorum*, etc. Simili oratione adhuc utitur Ecclesia Romana in Quadragesima.

Ad Sacramentarium Gelasianum procedo. In Vigilia Theophaniæ legitur : *Tribue, quæsumus, Domine, ut* EUM *præsentibus* IMMOLEMUS SACRIFICIIS, ET SUMAMUS, QUEM *venturæ solemnitatis pia munera prœloquuntur*. Feria 2 post Dominicam secundam Quadragesimæ, et in Gregoriano Dominica decima post Pentecosten : *Concede nobis hæc, quæsumus, Domine, frequentare mysteria, quia quoties* HUJUS HOSTIÆ *celebratio commemoratur, opus nostræ* REDEMPTIONIS *exercetur*. Feria 4 post Pascha : *Suscipe, quæsumus, Domine,* HOSTIAS REDEMPTIONIS *humanæ*, etc. Et in præfatione : *Circumdantes altaria tua virtutum, et in* IPSIUS AGNI IMMACULATI *agnitione gloriantes, qui seipsum pro nobis obtulit immolandum, ut* CORPORE EJUS ET SANGUINE, *quo a peccatis redempti sumus, ad æternam vitam* SACRIFICIIS CŒLESTIBUS PASCAMUR. Dominica 3 post clausum Paschæ : *Deus, qui nos per* HUJUS SACRIFICII *veneranda commercia unius summæ Divinitatis participes effecisti*, etc. Ibi, et in Gregoriano ad festum sanctorum Cosmæ et Damiani : *In tuorum, Domine, pretiosa morte justorum,* SACRIFICIUM ISTUD OFFERIMUS, *de quo martyrium sumpsit omne principium*. Nonis Octobris, in festo SS. Marcelli et Apuleii : *Majestatem tuam nobis, Domine, quæsumus,* HÆC HOSTIA *reddat* IMMOLANDA *placatam*, etc. In missa Dominicali : OBLATIO, *Domine, tuis aspectibus* IMMOLANDA, etc. SACRIFICIIS, *Domine, placatus,* OBLATIS, etc. Ibi, ut et in Gregoriano : *Suscipe, Domine, propitiatus* HOSTIAS, *quibus te placari voluisti, et nobis salutem potenti pietate restitui*. Ibidem : *Protegat nos, Domine, quæsumus,* HOSTIA SALUTARIS, *et* QUÆ *ad honorem tui nominis* IMMOLATUR, *nobis prosit ad veniam*. Paria nobis exhibet Sacramentarium Gregorianum, in quo ad Dominicam 3 Quadragesimæ hæc habentur. HÆC HOSTIA, *Domine, quæsumus, mundet nostra delicta, et* SACRIFICIUM CELEBRANDUM *subditorum tibi corpora mentesque sanctificet*. Feria 4 post Pascha : SACRIFICIA, *Domine, paschalibus gaudiis* IMMOLAMUS, *quibus Ecclesia mirabiliter et pascitur et nutritur*. Dominica 8 post Pentecosten : *Deus, qui legalium differentiam hostiarum* UNIUS SACRIFICII PERFECTIONE *sanxisti, accipe* SACRIFICIUM *a devotis tibi famulis*, etc. Dominica 11 post Pentecosten : *Tibi, Domine,* SACRIFICIA DICATA REDDANTUR, *quæ sic ad honorem nominis tui deferenda tribuisti, ut eadem remedia fieri nostra præstares*. Dominica 13 : HOSTIAS, *quæsumus, Domine, propitius intende, quas sacris altaribus exhibemus, ut nobis indulgentiam largiendo, tuo nomini dent honorem*. In missa speciali sacerdotis : SACRIFICII *præsentis, quæso, Domine,* OBLATIO, *mea expurget facinora, per quod totius mundi voluisti relaxari peccata*. Quod liturgiæ de sacrificio propitiatorio habent, sancti quoque Patres sæpe inculcarunt, ita ut mirum sit qui sit inter Protestantes inventus, qui scribere veritus non sit, per sex priora Ecclesiæ sæcula neminem credidisse, per sacrificium altaris Deum fieri propitium fidelibus vivis atque defunctis.

Parem de incruento sacrificio doctrinam exhibet Sacramentarium Gothicum a venerabili cardinale Thomasio editum. Ibi hæc præfatio in traditione symboli : *Adveni ergo* (Christe) *rogamus, et in medium nostri adsiste; et qui nos tunc reparasti per crucem,* PER ISTUM IMMACULATUM PANEM ET SANGUINEM *iterum lapsos repara, ut te advenire in nostris cordibus sentientes, exeamus obviam tui*, etc. In vigilia Paschatis : *Ut in nobis* HOC *recipientibus* HOLOCAUSTUM, *pacem, quam speramus, habeamus*. Et in præfatione : *Dignum et justum est, nos tibi laudes dicere, et* HOSTIAS IMMOLARE, etc. *Te oramus, ut* HOC SACRIFICIUM *tua benedictione benedicas, et Spiritus sancti tui rore perfundas, ut sit omnibus legitima* EUCHARISTIA. In die Paschatis : *Mente famulantes devota per* HUJUS SACRIFICII IMMOLATIONEM *rogamus*, etc. Feria 4 post Pascha : *Hic enim est* AGNUS DEI, *unigenitus Filius tuus, qui tollit peccatum mundi; qui se pro nobis offerendo non desinit, nosque apud te perpetua advocatione defendit, qui nunquam moritur* IMMOLATUS, *sed semper vivit occisus*, etc. In missa dominicali : *Precemur, ut hæc, quæ oblata sunt, benignus assumat; nullum unquam ex his, pro quibus* HOLOCAUSTA *franguntur, muneris sui exterum esse patiatur*. Item : *Magnum hoc munus misericordiæ tuæ est, qui nobis docuit* REDEMPTIONIS NOSTRÆ SACRIFICIA *celebrare, sicut obtulit Dominus noster Jesus Christus in terris*. Et in præfatione : *Dignum et justum est, immense Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui formam* SACRIFICII PERENNIS *instituens, se* TIBI PRIMUM OBTULIT, *et* PRIUS DOCUIT OFFERRI. In Missali quoque antiquissimo Francorum, quod prælaudatus cardinalis evulgavit, hæc leguntur : *Deus, cui omnium sacrificiorum varietate finita,* HOSTIAM *nunc offerimus* SINGULAREM. In vetustissimo etiam Missali Gallicano apud eumdem Thomasium legitur in Cœna Domini : *Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus ob diem jejunii Cœnæ Domini, in quo Dominus noster* JESUS CHRISTUS *Filius tuus in novo testamento* SACRIFICANDI RITUM INSTITUIT, *dum panem et vinum, quæ Melchisedech in præfiguratione futuri mysterii sacerdos obtulerat,* IN SACRAMENTUM SUI CORPORIS ET SANGUINIS TRANSFORMAVIT. Hanc eamdem orationem, uti supra vidimus, adhibet Ambrosiana liturgia. Denique in Gregoriana, Gothica, et Mozarabica, ad sacrum diem Epiphaniæ, oratio ista occurrit : *Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Domine, dona propitius intuere, quibus non jam aurum, thus et myrrha profertur, sed quod eisdem muneribus* DECLARATUR, IMMOLATUR ET SUMITUR. Quid vero hac de re in Hispaniis ante annum Christi 595 crederetur, docebit nos sanctus Leander Hispalensis episcopus, inquiens : « Sacrificia certe idcirco pecudum litabantur, quia VERUM SACRIFICIUM, hoc est, Christi corpus et sanguinem, figurabant. Venit Veritas, umbra discessit. Venit VERUM SACRIFICIUM, et cessavit hostia pecudum (*S. Leand. Hisp., c. 7 Regul. de Instit. virg.*). » Atque hactenus Romanæ, aliarumque Occidentalium Ecclesiarum an-

tiquissima et perspicua documenta de incruento ac propitiatorio sacrificio. Sed antequam perpendatur quid ex hac navigatione emolumenti resultet, juvat et Orientem petere, ac sciscitari quænam in iis regionibus de eodem sacrificio sit tot Ecclesiarum etiam inter se dissidentium sententia.

CAPUT XVII.

Orientalium Ecclesiarum consensus de vero ac proprio sacrificio in missa.

Duplicem oblationem Ecclesia Romana in sacris mysteriis observavit; alteram nempe panis et vini oblati, antequam consecrarentur; et alteram, postquam dona ipsa in corpus et sanguinem Domini sunt immutata. Græci vero, aliique ex Orientalibus triplicem videntur adhibuisse oblationem. Prima cum panem et vinum, oblata olim a populo, sacerdos offert Deo. Secundam peragit post verba consecrationis Domini. Tertiam vero post invocationem sancti Spiritus, quo tempore completam perfectamque consecrationem Græci arbitrantur. Ex iis quæ supra attulimus certum, certissimumque est eos in tertia saltem oblatione firmissime credere se non materialem panem ac vinum offerre Deo Patri, uti Calviniana secta opinatur, sed quidem ipsum verum, quanquam invisibile, corpus et sanguinem, sub visibilibus speciebus existentia, hoc est, victimam illam et hostiam, quæ e cruce pependit, spiritualiter tamen, et sine sanguine in sacramento mactatam. Θυσίαν appellabant ii sacrificium, sive hostiam, et quidem ἀναίμακτον, id est, incruentum, ut idem esse sacrificium altaris cum sacrificio crucis ostenderent, cum nullum aliud discrimen intercederet, nisi visibilis sanguinis, quo crux conspersa fuit, et qui in mystica altaris immolatione minime oculis astantium apparet. In consueta Chrysostomi missa apud Goar (qua late excurrens Græcorum, Russorum, aliarumque gentium religio in sacris utitur) sacerdos ait: *Fac nos esse dignos, qui* OFFERAMUS *tibi preces et supplicationes*, ET INCRUENTA SACRIFICIA, sive hostias et victimas incruentas. Christum Dominum infra alloquens et deprecans, inquit: *Fac me idoneum, virtute sancti tui Spiritus indutum gratia sacerdotii, ut huic sanctæ tuæ mensæ assistam, et tuum sanctum et immaculatum corpus ac pretiosum sanguinem consecrem. Tu enim es* QUI OFFERS ET OFFERRIS (aut si mavis *offereris*) ASSUMIS ET DISTRIBUERIS, *Christe Deus noster*. Ex quibus verbis intelligis quid revera in sacrificio offeratur. Post dominica consecrationis verba sacerdos secreto hæc profert: *Offerimus tibi rationabilem* (sive spiritualem) *hunc et incruentum cultum*, λατρείαν, quo etiam nomine designabatur Eucharistia. Rursus post invocationem sancti Spiritus, qua petitur, ut *Immutet* panem et vinum, *ut fiant accipientibus ad remissionem peccatorum* (quo tempore nulla superest dubitatio, quin Græci credant realiter in sacramento corpus et sanguinem Domini) iterum sacerdos ait: *Offerimus tibi rationabilem hunc cultum pro his qui in Christo requiescunt*. Paria habentur in missa sancti Basilii, quæ itidem celebris est apud Græcos. Ibi in Sabbato ante Pascha post consecrata sacra dona dicit sacerdos: *Rex regnantium, et Dominus dominantium progreditur, ut mactetur, et detur in cibum fidelibus. Eum autem præcedunt chori angelorum*, etc. In Constitutionibus apostolicis, quarum certe auctor ad prima Ecclesiæ sæcula spectare videtur, sacra liturgia refertur (*Lib.* VIII, *c.* 12), in qua tum post verba Domini consecratoria, et iterum post invocationem sancti Spiritus, OBLATIO commemoratur. Idem vero auctor, ut ostendat a Christo perfecta fuisse instituta veteris legis, ait: « Pro sacrificio cruento RATIONALE, INCRUENTUM ET MYSTICUM instituit, quod in mortem ejus propter symbola celebratur, SACRIFICIUM CORPORIS ET SANGUINIS DOMINI (*Lib.* VI, *c.* 23). » Vera ac propria sacrificia fuere Judaica, cum tamen umbræ tantum fuerint sacrificii novæ legis, in quo est veritas; et nihilominus sacrificium nostrum uti imaginarium et improprium appellare Protestantes audent. Sed cedo liturgias Orientalium reliquorum, quibus utuntur Nestoriani et Eutychiani Syri, sectæ videlicet a mille et trecentis annis ab unitate Ecclesiæ catholicæ divulsæ. Eas, ut supra innuimus, typis commendavit Renaudotius. In liturgia Syriaca, sive Coptica sancti Basilii, sacerdos in oratione post lectionem Evangelii ait: *Dum offerimus tibi* TREMENDUM HOC ET INCRUENTUM SACRIFICIUM. In aliis quoque liturgiis et apud Patres appellatum invenimus *tremendum* istud sacrificium; quæ sola vox supereminentem majestatem sacrificii Christiani indicat, et quantum hoc Judaicis præcellat. In oratione ad osculum pacis hæc sunt sacerdotis verba: *Hæc in nos peccatores gratiose contulisti, ut ea administraremus, et per ea sanctificaremur, cum Filii tui dispensationem nobis exhibuisti, et* SACRUM RITUM ISTIUS SACRIFICII INCRUENTI (tradidisti). *Nec enim illud est sanguinis legalis, aut justitiæ corporeæ, sed* AGNUS EST SPIRITUALIS, *gladiusque rationalis et incorporeus in* HOC SACRIFICIO, *quod tibi offerimus*. En iterum quæ sit vera et ineffabilis oblatio in sacrificio novi testamenti.

In Syriaca liturgia, quæ sancto cuidam Gregorio tribuitur, sacerdos dicit: OFFERAM TIBI HOC SACRIFICIUM, RATIONABILE, INCRUENTUM, *in remissionem peccatorum meorum, veniam delictorum populi tui, requiem et refrigerium patrum nostrorum, qui obdormierunt*. Mirabilem hunc effectum sacrificii incruenti deprædicatum videas in aliis liturgiis, et apud sanctos Patres; et sunt nihilo secius qui propitiatorium negare audent cœleste hoc sacrificium. Accipe nunc, quid habeat liturgia Græca Alexandrina, nomen sancti Basilii præferens. Ibi quoque repetitur: OFFERIMUS TIBI TREMENDUM HOC ET INCRUENTUM SACRIFICIUM. Et infra, quæ nuper vidimus: *Dedisti nobis* HUJUS SACRIFICII RITUM, *in quo non legalis sanguis, non carnis justificatio, sed* AGNUS SPIRITUALIS EST, etc. Infra post communionem ait sacerdos: *Digni facti ministrandi altari sancto tuo, qui tibi obtulimus immaculatum* CORPUS *et pretiosum* SANGUINEM *magni Dei et Salvatoris nostri* JESU CHRISTI, etc. In communi Ja-

cobitarum Syrorum liturgia ita precatur sacerdos: *Quem vidit Moses in rubo, et Ezechiel super currum,* IPSE PONITUR SUPER ALTARE, ACCIPIUNTQUE ILLUM *populi, et vivunt. Deus, qui per misericordiam tuam suscepisti sacrificium justorum antiquorum,* SUSCIPE *per misericordiam tuam* SACRIFICIUM NOSTRUM. Infra inquit: *Deus,* TU FACTUS ES SACRIFICIUM ET TIBI SACRIFICIUM OFFERTUR. *Suscipe hoc sacrificium pro anima* N., etc. Dum lavat manus, hisce verbis precatur: *Ut sine macula tractem sacramenta tua adoranda et divina, et cum conscientia pura* OFFERAM TIBI SACRIFICIUM VIVUM, *quod placeat Divinitati tuæ, et* SIMILE SIT SACRIFICIO TUO *glorioso, Domine, et Deus noster.* Post orationem fractionis hæc in primis consideranda pronuntiat sacerdos: *Ita vere passus est Deus Verbum in carne, et immolatus est et fractus in crucifixione,* etc. *Ita credimus et confitemur; et ita prædicamus* HOC ESSE CORPUS ISTIUS SANGUINIS, ET HUNC ESSE SANGUINEM HUJUS CORPORIS. Deinde margaritam, sive particulam, quam fregit, mittit in calicem. Alia oratio sancti Jacobi succedit: *Pater veritatis:* ECCE FILIUS TUUS, HOSTIA TIBI PLACITA: ILLUM *suscipe,* QUI PRO ME MORTUUS EST, *et per eum* ESTO PROPITIUS. *Suscipe* HOC SACRIFICIUM *ex manibus meis, ut mihi placatus sis,* etc. En quæ fides, quæ doctrina populi illius, cui a tot sæculis nulla communio est cum Romana Ecclesia. Nullus hic locus imaginationibus, arbitrariis verborum et sensus supplementis, quibus nostri temporis novatores obscurare tam sæpe conantur apertum, simplicem, et non figuratum neque metaphoricum sensum sermonum, quibus liturgici scriptores et sancti Patres ineffabile nobis Eucharistiæ et sacrificii incruenti apparatum descripsere. Additur infra: *Os tuum, Domine, purum et sanctum pronuntiavit et dixit: Quicunque manducaverit,* etc. *Nobis igitur, Domine, qui* COMEDIMUS CORPUS TUUM SANCTUM, ET BIBIMUS SANGUINEM TUUM PROPITIATORIUM, *non sit ad judicium,* etc.

Quæ habentur in liturgia a Coptis tributa sancto Jacobo apostolo fratri Domini, et Jerosolymis usurpata, videamus. Ibi ante osculum pacis dicitur: *Stemus decenter, et oremus, gratias agamus et laudemus* AGNUM VIVUM DEI, QUI OFFERTUR SUPER ALTARE, etc. Post verba consecrationis ait sacerdos: OFFERIMUS TIBI HOC SACRIFICIUM TREMENDUM ET INCRUENTUM, *ut deleas peccata nostra.* Rursus post invocationem sancti Spiritus eamdem repetit oblationem, inquiens: *Quapropter offerimus tibi, Domine, sacrificium hoc tremendum et incruentum pro locis tuis sanctis,* etc., quæ satis produnt per ipsa consecrationis verba jam fuisse factam transmutationem donorum, et Spiritum sanctum postea invocari, ut quod factum fuit perficiat *in remissionem peccatorum, et vitam æternam accipientibus corpus et sanguinem Domini.* Consonant hæc cum Græca missa Chrysostomi, ubi post invocationem Spiritus sancti rogatur Deus, ut sacrificium *fiat accipientibus in sobrietatem animæ, in remissionem peccatorum,* etc. Rursus in Coptica ad fractionem sacerdos ait: *Frangimus Eucharistiam hanc, Panem cœlestem,* CORPUS VERBI DEI *vivi,* etc. Populus respondet: *Amen.* Tum diaconus alta voce dicit: *Benedic, Domine. Iterum atque iterum per* OBLATIONEM HANC SANCTAM ET SACRIFICIUM PROPITIATORIUM, *quod* DEO PATRI OBLATUM, *sanctificatum, completum et perfectum est per illapsum Spiritus sancti,* etc. Ante communionem dicit diaconus: *Virtutes cœlorum stant nobiscum in medio sanctuarii, et ministerium exhibent* CORPORI FILII DEI, QUI IMMOLATUS EST CORAM NOBIS. Contorqueant hic, si possunt, novatores. In liturgia Coptica, quæ sancto Petro apostolorum principi tribuitur, post invocationem sancti Spiritus hæc habentur: *Per* HOC SACRIFICIUM, *quod manibus nostris peccatricibus tibi* OFFERTUR, *Domine,* etc. Itidem in liturgia appellata duodecim Apostolorum, post invocationem hæc leguntur: OFFERIMUS *tibi, Domine omnipotens,* SACRIFICIUM HOC DIVINUM, etc. In liurgia sancti Baradati sacerdos ait: OFFERIMUS IPSUM (Filium tuum) *tibi deprecatorem pro nobis, ut in eo et per eum liberemur a judicii venturi damnatione,* etc. Et in liturgia Joannis Psasorensis post invocationem sancti Spiritus hanc orationem sacerdos adhibet: *Filium tuum dilectum,* etc. EUMDEM IN SACRIFICIUM ET OBLATIONEM *absque macula et purum* OFFERIMUS TIBI, *quem ipsum deprecatorem nobiscum esse facimus.* Infra idem addit: *Quando quidem his omnibus atque aliis ejusmodi digni facti fuimus, viamque nobis tritam quodammodo ad cœlum fecimus, et* AGNUM OCCISUM SUPER ALTARE VIDEMUS, etc., *deprecamur te, amator hominum, Domine,* UT SIS PROPITIUS *peccatis nostris,* etc. In aliis bene multis liturgiis a Renaudotio evulgatis paria leguntur, uti et in Abyssinorum liturgia. Ab Armenis usitatam publici juris fecit Pater Le Brun, atque in ea legitur ante consecrationem: *Dedisti nobis Filium tuum unigenitum, debitorem et debitum; hostiam et unctum, agnum et panem cœlestem, summum sacerdotem et* SACRIFICIUM, QUIA IPSE SEMPER DISTRIBUITUR *inter nos inconsumptibiliter,* etc. Post consecrationem chorus in hæc verba modulatur: FILI DEI, *qui immolatus Patri pro reconciliatione,* PANIS VITÆ DISTRIBUERIS, *inter nos,* etc. Infra legitur: PROPITIUS ESTO, *Domine, animabus defunctorum, pro quibus* OFFERIMUS HOC SANCTUM SACRIFICIUM. Ibi quoque complura sunt testantia præsentiam realem ac transsubstantiationem in sacramento, et verum ac ineffabile sacrificium altaris, propitiatorium simul et impetratorium.

Tantam segetem testimoniorum, tantum Christiani orbis consensum, hoc est, Ecclesiarum omnium per orbem diffusarum, e quibus etiam nonnullæ a tot sæculis communionem abrupere cum Romana catholica, ubi Protestantes sinceris oculis et animis perpendant manu tangent se nimium a Lutheri et Calvini impia temeritate illusos, qui abominationem et pestilentissimum errorem appellare non sunt veriti missam Romanam, cum tamen hæc alia non sit quam quæ per orbem universum ab exordio Ecclesiæ per Christiani nominis homines observatur. Sacrificium quoque novæ legis non agnoscere nequibunt verum propriumque sacrificium, et sine comparatione Judaicis cunctis sacrificiis perfectius. Nam quæ ii de

qualitatibus et ritibus veterum sacrificiorum, hostiarum et victimarum, disserunt, nonnisi cavillationes sunt, ubi agnoscant et agnoscere ex tot hactenus adductis coguntur realiter in sacramento post consecrationem existere Christum Dominum, neque tantummodo panem et vinum in eucharistico sacrificio offerri. Ille hostia, ille victima animata, quæ super altare ponitur, uti mystice mactata, ac cœlesti ejus Patri offertur pro nobis in remissionem peccatorum nostrorum. Ille etiam in sacratissimo hoc mysterio sacerdos et pontifex, qui offert et offertur, et se Patri exhibet, qualis in cruce pro nobis pependit, ut nobis applicet meritum pretiosi sanguinis, quem pro peccatoribus in passione effudit. Neque sacrificium hoc aliud est a crucis sacrificio, imo ipsummet ex ejusdem Christi jussione a nobis repetitum in memoriam ejus, et ut mortem ejus annuntiemus; ita ut quoties concordi voce Patres appellarunt missam sacrificium, et quidem incruentum, satis significarint unum cum vero crucis sacrificio istud esse, quanquam illud cum visibili sanguine peractum sit, hoc vero sine sanguine visibili peragatur. Neque enim in sacrificio nostro verus Christi sanguis deest, sed mystice, hoc est, secrete, atque oculis nostris impervius, ibi est. Evanescunt denique cavillationes omnes, quoties sacrificii eucharistici admiranda majestas ac præstantia consideratur, componiturque cum victimis Judaici populi, quæ ad hanc comparationem omnino vilescunt. Apud eos vituli et agni terrestria animalia Deo immolabantur; hic Agnus mysticus, quem paschalis agnus veteris testamenti figurabat; hic Agnus Dei, qui tollit peccata mundi: hic ipse Filius Patris, Deus et homo, pro nobis mystice immolatur. Nostri quoque sacrificii efficaciam supereminere cunctis Judæorum sacrificiis ab omni ævo Christi fideles crediderunt et professi sunt, cum non solum remissio peccatorum inde speretur, neque tantum pro viventibus, sed et pro iis, qui in pace Christi et Ecclesiæ defuncti sunt, ut omnes liturgiæ testantur, offeratur, imo spiritualis quæque gratia, et publica privataque rerum temporalium non pauca beneficia in necessitatibus per cœleste hoc Mysterium impetrari possint. Tune improprium et non verum sacrificium hoc appellare audes, tanta excellentia, tanta virtute donatum? Merito propterea in Tridentina synodo statutum fuit, scilicet, non solum sacrificii « illius salutarem virtutem in remissionem eorum quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicari, sed etiam hujus oblatione placatum Dominum, gratiam et donum pœnitentiæ concedendo, crimina et peccata etiam ingentia dimittere. (*Conc. Trid. sess.* 22, *c.* 1, 2). Gregorius Magnus papa, ut in ejus Vita habetur, fidelibus Eucharistiam porrigens, aiebat: *Corpus Domini nostri Jesu Christi prosit tibi in remissionem peccatorum omnium, et vitam æternam.* Paria habes in Orientalium liturgiis. Verum quotiescunque liturgiarum totius orbis Christiani consensum Protestantibus opponimus, ad suspiciones ii se vertunt, imaginando, sensim additamenta facta fuisse ad liturgias, neque constare ex iis posse qualis de sacrificio missæ fuerit veteris ac primitivæ Ecclesiæ sententia. Sed inane prorsus hujusmodi effugium continuo intelligas, ubi animadvertas additamenta quæcunque in liturgiis occurrentia, uti jam supra diximus, in orationibus ac precibus consistere, quæ variæ sunt pro varietate Ecclesiarum. Quoniam vero in omnibus tot Ecclesiarum liturgiis eadem constantissime deprehenditur fides ac doctrina de præsentia reali, et de sacrificio eucharistico, propitiatorio simul atque impetratorio, quanquam diversis sæpe verbis expressa, necessario consequitur, non hanc additamentum fuisse, sed quidem dogma ab ipsa Ecclesiæ nativitate in omnes populos fidem Christi amplexos diffusum, atque ad posteros transmissum, et sine ulla controversia deprædicatum. Neque enim fieri, imo ne excogitari quidem potest, si qua ex Ecclesiis novum dogma de Eucharistia procudisset, hoc tanta facilitate progredi potuisse, ut in cunctas Christiani orbis Ecclesias, nemine hiscente, penetraret, et ab omnibus sine ulla difficultate exciperetur. Omnem doctrinæ novitatem aversabantur sacri pastores, et Romana præsertim Ecclesia, in qua celebre fuit effatum in ea: «Nihil novandum. Quod traditum est tenendum.» Sed ut omnem hic aditum suspicionibus Protestantium præripiamus, ostendendum superest, non aliam doctrinam de sacramento et sacrificio altaris in liturgiis quarti et quinti sæculi habuisse locum, quam quæ subsequentibus sæculis ab ipsis cum Occidentis tum Orientis Patribus tradita est atque observata.

CAPUT XVIII.

Dogma de vero Christianorum sacrificio in liturgiis priorum Ecclesiæ sæculorum sine dubitatione propositum et servatum, a sanctis Patribus confirmatum.

Consideratis iis quæ a doctissimis inter Catholicos viris allata fuere, et ego quoque innui cap. 1, constat, primis etiam Christiani populi sæculis Ecclesias quaslibet aliqua liturgia usas fuisse ad Eucharistiam celebrandam, uti Christus Dominus faciendum præceperat. Nemo Protestantium, ut puto, id inficiari audebit, postquam vel ipse Josephus Binghamus Anglus, ex eorum grege, pluribus idem in suis libris confirmavit. Ad hæc statuamus oportet non aliter sensisse quarti et quinti sæculi Patres de sacrificio eucharistico quam quod in ipsis liturgiis tradebatur, ac potissimum in canone, quæ pars missæ cum stabilis in omnibus Ecclesiis semper deprehendatur, merito ab institutione apostolorum fluxisse credenda est, uti testatus est Vigilius papa in Epistola ad Eutherium, sive Profuturum. Itaque interrogemus eorum temporum Patres, utrum Catholicorum sententia de vero altaris sacrificio, an Protestantium commenta tunc in Ecclesia vigerent. Sanctum Ambrosium audi scribentem: « Vidimus principem sacerdotum ad nos venientem; vidimus et audivimus offerentem pro nobis sanguinem suum. Sequimur, ut possumus, sacerdotes, ut offeramus pro populo sacrificium, etsi infirmi merito, tamen honorabiles sacrificio. Quia etsi

nunc Christus non videtur offerre, tamen IPSE OFFERTUR IN TERRIS, QUANDO CHRISTI CORPUS OFFERTUR. Imo IPSE OFFERRE MANIFESTATUR IN NOBIS, cujus sermo sanctificat sacrificium, quod offertur (*Ambros. enarr. in psal.* 38, *n.* 25). » Quæ postrema verba indicant, per verba Domini fieri transmutationem donorum in sacrificio. In liturgiis invenimus, Christum immolari, quoties tremendum sacrificium celebratur. Accipe quoque quid prælaudatus sanctus Pater alibi tradat. « Atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus, nobis assistat angelus, imo præbeat se videndum (ut Zachariæ sacrificanti apparuit). Non enim dubites, assistere angelum, quando Christus assistit, QUANDO CHRISTUS IMMOLATUR (*Idem, Expos. Evang. sec. Luc.*, *l.* I, *n.* 28). » Hinc habes thurificationem vel ipso sæculo Christi quarto in mysteriis celebrandis adhibitam, ipsumque Christum hostiam in incruento sacrificio immolatum fuisse. Ex hujus cœlestis hostiæ oblatione et perceptione consequi remissionem peccatorum liturgiæ quæcunque testantur. Hoc idem deprædicat sanctus Ambrosius, dicens, a jejunis sumendam esse Eucharistiam. Ubi enim advenit tempus « celebrandæ oblationis, tunc utique (ait) paratus adsiste, ut accipias tibi munimentum; ut CORPUS EDAS DOMINI JESU, IN QUO REMISSIO PECCATORUM EST, postulatio divinæ reconciliationis et protectionis æternæ (*Idem, Expos. in psal.* CXVIII, *n.* 48). » Alia ejusdem sancti episcopi loca transilio. Eodem sæculo sanctus Cyrillus Jerosolymitanus antistes hanc eamdem sententiam in Oriente commemorat, inquiens: « Postquam vero spirituale sacrificium, incruentus cultus, super illam PROPITIATIONIS HOSTIAM (ἐπὶ τῆς θυσίας ἐκείνης τοῦ ἱλασμοῦ) obsecramus Deum pro communi Ecclesiæ pace (*Cyril. Jerosol.*, *orat.* 23, *seu Mystag.* 5, *n.* 8), » etc. Pro defunctis quoque nos deprecari Deum affirmat, « maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum SANCTA ET PERQUAM TREMENDA CORAM JACET VICTIMA. » Et infra: « Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus. » Nonne idem passim sacræ liturgiæ ingeminant? Consonat quoque sanctus Augustinus, dum scribit: « Nonne semel immolatus est Christus in seipso, et tamen IN SACRAMENTO non solum per omnes Paschæ solemnitates, sed OMNI DIE POPULIS IMMOLATUR? nec utique mentitur, qui interrogatus responderit IMMOLARE (*Aug.*, *epist.* 98, *olim* 23, *ad Bonif.*). Propterea idem sanctus doctor (*Lib. de Spir. et litt.*, *c.* 11) VERISSIMUM et SINGULARE appellat sacrificium novæ legis. Audiatur etiam Optatus Milevitanus, qui circiter annum Christi 365 hæc scribebat: « Quid enim est tam sacrilegum, quam altaria Dei, in quibus et vos aliquando obtulistis, frangere, radere, removere? in quibus vota populi et membra Christi portata sunt. Unde a multis pignus salutis æternæ (id est corpus Domini) et tutela fidei, et spes resurrectionis accepta est. QUID EST ENIM ALTARE, NISI SEDES ET CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI (*Optat. Milev. l.* XI *adv. Donatist.*)? » Nomen altaris quid importet infra dicemus.

Sed nemo luculentius, quam sanctus Joannes Chrysostomus, quale sit novæ legis sacrificium expressit celeberrimis hisce verbis: « OFFERIMUS quidem, sed Ejus mortem revocamus in memoriam; et ipsa HOSTIA UNA EST, non multæ. Quomodo una est, non multæ? Quoniam semel fuit oblata, illa illata est in sancta sanctorum. Hoc est figura illius, et ipsa illius. EUMDEM enim SEMPER OFFERIMUS, non nunc quidem alium, sed semper eumdem. Quamobrem UNUM EST SACRIFICIUM propter hanc eamdem rationem. Quoniam multis in locis offertur Christus, multi ne sunt Christi? Nequaquam, sed UNUS UBIQUE CHRISTUS, qui et hic est plenus, et illic plenus, UNUM CORPUS. Quomodo ergo multis in locis oblatum unum est corpus, et non multa corpora, ita etiam unum est sacrificium. Pontifex noster ille est, qui illam obtulit hostiam, quæ nos mundat; ILLAM NUNC quoque OFFERIMUS, quæ TUNC FUIT OBLATA, quæ non potest consumi. Hoc fit in recordationem ejus, quod tunc factum est. *Hoc enim facite*, inquit, *in mei recordationem*. NON ALIAM HOSTIAM sicut pontifex, sed EAMDEM SEMPER FACIMUS, vel potius hostiæ seu sacrificii facimus recordationem (*Chrysost.*, *hom.* 17 *in Heb.* IX). » Propterea idem Chrysostomus sacerdotium Christianorum « multo melius ac sublimius » Judaicis statuit (*Orat.* 5 *adv. Judæos*). In hanc rem advocari quoque possunt testes Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, Cyrillus Alexandrinus, et alii; sed pluribus non est opus, ut manu teneamus ipsissimam de sacrificio eucharistico doctrinam fuisse quæ nunc in vetustis liturgiis legitur, et a Patribus quarti et quinti sæculi populo exponebatur, et perperam confingi novationem hac de re in ipsis liturgiis. Attamen ne sic quidem, ut puto, victos se credent novatores, novumque, sed imaginarium instruent vallum, quo sese recipiunt.

Lutherus impia temeritate professus est se in hocce argumento non auditurum sanctos Patres, exegitque ut auctoritati suæ totus Christianus orbis frontem inclinaret. Ab unis Novi Testamenti libris petendam voluit fidem et praxim Eucharistiæ. Nulla autem in iis sacrificii mentio, sed unius cœnæ. Buddeus autem illius discipulus, Samuel Basnagius, Pfaffius, atque alii ex Protestantibus, contendunt ignotam primitivæ Ecclesiæ Patribus fuisse sacrificii nostri doctrinam; subsequentes vero Patres e simplicitate et puritate dogmatum apostolicorum deflexisse, novumque hoc nobis sacrificium obtrusisse; neque enim illud e sancti Justini aliisque priorum temporum scriptoribus resultat. Ita illi, satis prodentes quid factionis amor possit in hominibus, cum nihil pensi habent, si prævaricationis et imposturæ arguant tot Ecclesiæ pastores et scriptores non doctrina minus quam sanctitate vitæ celebres, qui sæculo quarto et quinto Ecclesiam Dei rexerunt atque illustrarunt, ac toties edixerunt non aliud esse credendum ac tenendum quam quod Christus ejusque apostoli tradidere. Et quibus, quæso, logicæ legibus usi novatores hæc audent? Illegitimis sane ac detestandis. Etiamsi statueremus, nullum de sacrificio eucharistico verbum

factum fuisse ab apostolis, et a tertii sæculi scriptoribus Christianis, dic, quæso, negavitne ex iis quisquam hujusmodi sacrificium? Eratne eis lex imposita ut cum Eucharistiam memorabant, sacrificii quoque mentionem facerent? Accedit quod Apostolus et sanctus Irenæus agnovere dogmata quædam non scripta per traditionem ad posteros manasse, et ex his ipsis quoque Protestantes non pauca amplectuntur. Cum vero doctrina de sacrificio per omnes Christiani nominis provincias quarto ipso sæculo diffusa reperiatur, consequens profecto est non eam tunc fuisse excogitatam, sive procusam, sanctosque viros qualem invenerunt deprædicasse, uti ab apostolorum prædicatione profectam. Sed quod excusationem omnem hac in re Protestantibus præripit, jam diu palam fecere Catholici, ne in ipsis quidem divinis libris, et in primitivæ Ecclesiæ scriptis desiderari eamdem doctrinam de ineffabili sacrificio, quam Patres sæculi quarti concordi voce docebant. Liceat mihi hoc refricare, ut fratres a nobis devii evidentius intelligant quid Britannum Grabe moverit ad restitutionem missæ inter suos desiderandam, et quanta temeritate Lutherus et Calvinus missam non solum abrogarint, sed etiam abominationis ac intolerandi erroris nota impudenter iusserint.

Uti ex psalmo centesimo nono, et ex Epistola Apostoli ad Hebræos (*Hebr.* VII) constat, Christus fuit *Pontifex et sacerdos secundum ordinem Melchisedech.* Quicunque sine humanis affectibus sincere hanc veritatem et dogma expendit, nequit quin intelligat quod quærimus. Sacerdos, sive pontifex nihil aliud est, nisi sacrificator apud Judæos, ipsosque gentiles. Cui sacrificandi jus neges, sacerdotis quoque nomen ab eo auferas oportet. Sacerdos et hostia fuit utique Christus Dominus in cruce; sed ibi sacrificium non peregit uti sacerdos imitatus Melchisedechum. Hoc munere is tantummodo fungitur, cum ad illius imitationem panem et vinum in sacris mysteriis Deo offert. Et cum nullum sacrificium sit sine sacerdote, et nullus sacerdos sine sacrificio, nullumque alium locum assignare possimus, ubi Christus sacerdotium et sacrificium ad instar Melchisedechi exerceat, nisi in consecratione panis et vini et eorum oblatione, necesse est ut in sublimi actione ista alterum hoc Domini nostri sacrificium statuamus. Hæc memoriæ commenda, dum tibi consideranda offero verba quoque Malachiæ prophetæ: *Non est voluntas mea in vobis, dicit Dominus, et sacrificia vestra non accipiam de manibus vestris: propterea quod ab ortu solis ad occasum usque nomen meum glorificatum est in gentibus* (quæ nempe prædicuntur crediture in Christum), *et* IN OMNI LOCO *incensum offertur nomini meo*, καὶ θυσία καθαρὰ *et* VICTIMA PURA (*Malach.* I, 10). Quænam fuerit victima, sive hostia, hæc pura a propheta illo prædicta, sive sacrificium (idem enim per vocem θυσία veteres significarunt), a primitivæ Ecclesiæ scriptore sciscitemur. Is erit Justinus martyr, qui circiter annum Christi 150 in dialogo cum Tryphone Judæo post eadem Malachiæ verba in medium adducta, hæc subdit: « De hostiis (sive victimis) quæ eidem Deo a nobis ex gentilitate conversis UBIQUE OFFERUNTUR, id est DE PANE EUCHARISTICO ET POCULO similiter EUCHARISTIÆ, jam tum locutus prædixit. » Quibus ex verbis intelligis, dogma Christianorum fuisse, nondum elapso sæculo, quo apostoli floruerunt, successisse cruentis Judæorum hostiis Christianorum hostias et sacrificium incruentum Eucharistiæ; atque uti vera ac propria fuere sacrificia Judæorum, quanquam figuræ tantummodo fuerint sacrificii a Christo instituendi, ita verum ac proprium deinde fuisse Christianæ religionis sacrificium, quo uno nunc delectatur Deus. Hoc idem a sancto Justino repetitum infra habes: « Nos, inquit, pontificale et sacerdotale verum genus sumus, ut etiam ipse Deus testis est, qui ait IN OMNI LOCO IN GENTIBUS HOSTIAS ACCEPTAS GRATASQUE SIBI OFFERRI. Neque vero a quoquam hostias Deus accipit, nisi a suis sacerdotibus. Itaque omnia SACRIFICIA, quæ suo nomine facienda Jesus Christus tradidit, id est IN EUCHARISTIA PANIS ET CALICIS, quæ in OMNI LOCO a Christianis fiunt, præoccupatione usus Deus sibi grata esse testatur. Quæ autem a vobis, vestrisque sacerdotibus fiunt, improbat, » etc. De Christo etiam sacerdote secundum ordinem Melchisedech alibi meminit sanctus ille vir, qui doctrinam suam postea glorioso martyrio comprobavit. Iisdem temporibus, hoc est, circiter annum Christi 168, Athenagoras Christianus philosophus apologiam pro Christianis Marco Aurelio et Commodo Augustis obtulit. Vix dubitari potest quin et ille Eucharistiam indicaverit, dum tradit, Deum non indigere cruentis victimis, sed exposcere ἀναίμακτον θυσίαν, καὶ λογικὴν λατρείαν. *sacrificium incruentum et rationalem cultum;* nam hoc nomine tum liturgiæ, tum sancti Patres eucharisticum sacrificium innumeris in locis designare consueverunt. Atque hinc intelligimus quam antiqua sit in ipsis liturgiis ejusmodi doctrina.

Adeo autem perspicua, adeo ineluctabilia sunt sancti Justini verba, ut ab humanis affectibus omnino perturbatus, ne dicam, excæcatus sit, qui nondum videat et adhuc inficiari audeat, ipso apostolorum ævo Eucharistiæ celebrationem reputatam creditamque fuisse sacrificium, illudque Hebræorum sacrificiis præstantius. Omnium oculos mentemque hic appello. Cum Christiani nunc veri pontifices et sacerdotes a Justino dicantur, qui negare audeant Protestantes verum ab iis confici sacrificium? Et quis detestandæ temeritatis eos non damnet, qui et munus et nomen sacerdotum ab Ecclesia Dei sustulere? Neque unum tantummodo Justinum hujus veritatis testem habemus. Circiter annum Christi 190, libros suos contra Hæreses scripsit gloriosissimus Lugdunensium episcopus et martyr Irenæus. Ipse quoque in hæc verba de Christo loquitur: « Sed et suis discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, eum qui ex creatura panis est *accepit, et gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum,* et calicem similiter SUUM SANGUINEM CONFESSUS EST. En novi

Testamenti NOVAM DOCUIT OBLATIONEM (qua voce sacrificium sæpe sæpius liturgiæ et Patres designant), quam ECCLESIA AB APOSTOLIS ACCIPIENS (en qualis tunc esset Ecclesiæ catholicæ fides atque professio) IN UNIVERSO MUNDO OFFERT DEO. De quo Malachias sic præfiguravit : *Non est mihi voluntas*, etc. Manifestissime per hæc, quoniam quidem populus cessabit offerre Deo ; OMNI autem LOCO SACRIFICIUM OFFERTUR EI, et hoc purum (*Iren.*, *l.* IV, *c.* 17, *n.* 5, *Edit. Bened*). » Subinde addit : « Igitur ECCLESIÆ OBLATIO, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, PURUM SACRIFICIUM REPUTATUM EST APUD DEUM (*Idem*, *c.* 18). » Et infra : « Oblatio illic (id est apud populum Judaicum), OBLATIONES autem et HIC (scilicet, in Ecclesia). Sacrificia in populo, SACRIFICIA IN ECCLESIA ; sed species immutata est tantum. » Offerri autem Deo in tremendo hoc sacrificio corpus et sanguinem Christi realiter præsentis, ex ipso Irenæo supra ostendimus. Disertissime tradit sanctus hic martyr, ab apostolorum discipulis eruditus, sacrificium nunc in omni loco offerri a Christi fidelibus, illudque Judaïcis sacrificiis opponit et præfert : et sunt nihilominus qui ad tantam lucem cæcutiunt, atque imperterrite plebi suæ venditant nullam offendi apud primitivos Ecclesiæ Patres mentionem Christiani sacrificii. Accedat et Tertullianus, ejusdem sæculi scriptor. Is Christum appellat « novorum SACRIFICIORUM sacerdotem, qui NOVA SACRIFICIA offerat, et sacrificiorum æternorum antistitem (*Tertul.*, *l. adv. Judæos*, *c.* 6). » Quid vero sacrificiorum nomine Tertullianus significat ? Ipse nobis edisseret : *Similiter*, inquit, *de stationum diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit* ACCEPTO CORPORE DOMINI. *Ergo devotum Deo obsequium Eucharistia resolvit, an magis Deo obligat* (*Idem*, *l. de Orat.*, *c.* 14) ? En incruentum missæ sacrificium, quod orationibus non paucis absolvebatur. Rigaltius Calvinianus, aut certe ad Calvinianorum castra non raro deficiens, hic nobis obtrudit sacrificiorum voce orationes designari, quasi Tertullianus aperte non distinxerit sacrificia ab orationibus. Supra ipse manifestius a sacrificio orationes sejunxerat scribens : « Quæ oratio cum divortio sancti osculi integra ? Quale sacrificium est, a quo sine pace disceditur ? » Itaque et Tertulliano Eucharistia est sacrificium : quod et subsequentibus verbis confirmat addendo : ACCEPTO CORPORE DOMINI et reservato, utrumque salvum est, et participatio SACRIFICII et exsecutio officii. » Horum verborum sensus in omnium oculos incurrit. Neque reticendum quod is adjicit, inquiens : « Nonne solemniter erit statio tua, si et AD ARAM DEI steteris ? » Ara, sive altare, de sacrificio certos et ipsa nos facit. Calvinianis tamen oculis hanc vocem accipiens Rigaltius, contendebat ex Minucii Felicis dialogo (addere poterat et ex Origene contra Celsum) neque aras, neque templa iis temporibus fuisse populo Christiano, ac propterea aram hic esse mensam Christi. Cantilenam hanc a Samuele Basnagio, in Annalibus, atque ab aliis repetitam novimus, scribentibus ipsis, metamophorice mensam Domini appellatam fuisse altare a Tertulliano, Cypriano, Eliberitanis Patribus, in canonibus apostolorum et alibi. Ex Socratis Historia idem Basnagius hæc refert. Fervente perturbatione Arii causa « Alexander episcopus in ecclesia, quæ Irena cognominatur, se solum inclusit, et ingressus ad altare, sub sacra mensa pronum se humi prostravit (*Socrat. l.* I *Hist. Eccles.*, *c.* 37). » Ambrosius quoque Mediolanensis episcopus, furente Justina Augusta, sub altari positus Ruffino dicitur. « Ex his apparet, Basnagius ait, mensam sacram et altare unum idemque fuisse. » Atque ita sane fuit. Atqui, subdit ille, inauditum est in omni memoria germanum altare nomine mensæ fuisse designatum. Evolvantur Annales ethnicorum et Judæorum. »

Miseram plane Calvinianorum plebem quis non appellet, quam inania hujusmodi documenta nutriunt atque erudiunt. Non apud ethnicos, non apud Judæos id conquirendum, quod unius Christianæ religionis proprium ac singulare privilegium est, videlicet eamdem eucharisticam mensam altaris quoque munere fungi. Mensa est, quia ibi renovatur sacra Domini cœna ; altare est, quia ibi sacrificium crucis mystice renovatur. Catholici utrumque agnoscunt, duplicique eo nomine utuntur. Idem in more fuit priorum quoque sæculorum Patribus, cum vix ullus sit ex iis qui sacram mensam altare quoque non appellarit. Hoc idem ex ipso Socratis adducto loco discere debuit et potuit Basnagius ; sed is ingenium præoccupatum Calvinianis commentis gerens, quod obvium erat non vidit. Visurus tamen est quicunque animadvertens omnium sæculorum Patres tam sæpe tantoque consensu modo mensam, modo altare, unam eamdemque rem nominasse, hoc non alia ratione fieri potuisse intelliget, nisi quia in mensa illa simul Domini cœna verumque novæ legis sacrificium a Malachia prædictum peragebatur. Si secus fuisset, culpandi viderentur Patres, quod nomine altaris abusi toties fuissent. Potuit etiam ac debuit discere Basnagius, ideo sanctos episcopos Alexandrum et Ambrosium in Ecclesiæ necessitatibus ad altare accessisse ut sub ipso (nam tum lignea et cava erat sacra mensa) divinum implorarent auxilium, non alia de causa factum, nisi quia super altare, sive supra mensam, asservabatur in ciborio Eucharistia, pro infirmorum viatico reservata. Id ex sanctæ Gorgoniæ Actibus apud Nazianzenum ejus fratrem supra memoratis, et ex Vita sancti Ambrosii a Paulino scripta, non immerito colligitur. Ad nudam Calvinianam mensam extra cœnam quis unquam precaturus Deum accedat ? Frustra vero objiciuntur nobis ethnici, tanquam irridentes olim Minucio Felici et Origeni, quod Christiani nullas aras haberent, templa nulla, nulla nota simulacra. Quid aræ nomine ethnici designarent, nemo nescit : altaria nempe lapidea sacrificiis cruentis et victimis carnalibus destinata. Hisce profecto, uti et magnificis templis carebant priorum sæculorum Christiani ; propterea hujusmodi altarium templorumque defectum eis exprobrabant pagani, quasi solis iis victimis placanda esset Divinitas. Arnobius quoque contra

gentiles hæc habet : « Consuestis, inquit, crimen nobis maximum impietatis affingere, quod neque ædes sacras, non altaria fabricemus, non aras (*Arnob.*, *l.* VI *cont. Gent.*). » Scripsit hæc Arnobius circiter annum Christi 303. Longe etiam serius, ipsaque religione Christiana regnante, Julianus Apostata Christi fideles arguebat, quod Βώμους καὶ θυσιαστήρια, *aras et altaria*, sive *sacrificatoria*, non exstruerent. Vide Cyrillum Alexandrinum (*Lib.* X *cont. Julian.*). Cum tantum discrimen intercederet inter ethnicorum et Christianorum altaria, inde nata calumnia de Christiana religione tanquam altaribus destituta. Vellet Basnagius, respondissent Christiani, ne sibi quidem deesse aram. At Basnagio magistro non indigebant veteres Christiani, ut rebus suis consulerent. Præterquamquod nimium discriminis fuit inter paganorum aras et altaria lignea Christianorum, ad instar mensæ confecta prioribus Ecclesiæ sæculis, exempla passim exstant, sæpe noluisse illos tremenda mysteria sua revelare, atque ethnicorum irrisionibus exponere.

Contra, cum fideles alloquerentur, nunquid ii tacuerunt religionis nostræ altaria ? Nequaquam ; et non dicam Arnobii et Cyrilli Alexandrini temporibus, sed ne ipsis quidem primis tribus Ecclesiæ sæculis. Imo et ab Apostolo ejusmodi dogma accepimus. Is enim meminit mensæ Domini ad Corinthios scribens ; et æque ad Hebræos, altare in Ecclesia agnoscit. *Habemus*, ait, *altare* (θυσιαστήριον), id est, sacrificatorium) *de quo edere potestatem non habent, qui tabernaculo deserviunt* (*Heb.* XIII, 10), hoc est, Judæi legalibus adhuc inhærentes. Neque altari in cœlis posito hæc accommodantur, cum *edere* Paulus diserte dicat, sed quidem mystico altari nostro, in quo Panis vitæ realiter manducatur, id est corpus Domini. Idem accipe a sancto martyre Ignatio, hoc est, ab apostolorum discipulo, qui in epistola germana ad Philadelphienses, ante Minucii et Origenis tempora, hæc scripsit. « Operam igitur date, ut una Eucharistia utamini. Una enim est caro Domini nostri (en quid Eucharistia esset ; quod luculentius ab eo in epistola ad Smyrnæos affirmatum supra vidimus) et unus calix in unitatem sanguinis ipsius. UNUM ALTARE (ἓν θυσιαστήριον) sicut unus episcopus, » etc. Poterat etiam, si voluisset, respondere Origenes Celso Christianis non deesse altare ; hoc enim et ipse confessus est alibi scribens : « Sacerdos, qui DIVINIS ASSISTIT ALTARIBUS, aliis indumentis utitur, cum est IN SACRIFICIORUM MINISTERIO (*Orig. hom.* 4 *in Levitic.*). » En et, Origene teste, in Ecclesia Christi divinum altare et sacrificium. Et quid dixi, respondere ille poterat ? Imo et respondit, cum contra eumdem Celsum hisce verbis est usus : Fundentes universorum Deo omnipotenti orationes per Unigenitum ejus, cui primum eas offerimus, rogantes illum, ut pote qui propitiatio est pro peccatis nostris, ut velut summus Pontifex (ad quem sacrificium spectat) ET PRECES ET SACRIFICIA (καὶ τὰς θυσίας) et colloquia nostra, illi, qui est super omnia, Deo sistat (*Idem*, *l.* VIII *contra Cels.*). » Qui sacrificium statuit altare quoque statuat oportet. Pete etiam ab Origene, sitne propitiatorium hoc sacrificium. Is respondebit : ISTA EST COMMEMORATIO SOLA, QUÆ PROPITIUM FACIT DEUM HOMINIBUS (*Idem*, *homil.* 13 *in Levitic.*). » Ad gloriosum Africæ lumen et martyrem Cyprianum nostra nunc procedat oratio, ut ab eo discamus quænam de sacra missa foret Ecclesiæ sententia sæculo Christi tertio, quo et ipse floruit.

In epistola ad Cæcilium scripta circiter annum Christi 253, totus est sanctus episcopus in refellendis quibusdam sciolis, qui ad tremendum sacrificium aquam, non vero vinum, adhibebant (*Cyprian.*, *epist.* 63 *ad Cæcilium*). Utrumque adhibitum in Ecclesia semper fuisse, primi Patres Justinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, et denique ipse Cyprianus ostendit, « cum Dominus calicem docuerit, exemplo magisterii sui, vini et aquæ conjunctione misceri. » Certe magni illi viri ritum hunc minime invexerunt, sed ab apostolis traditum accepere. Et nihilominus impia auctoritate a novatoribus proscripta fuit aqua e cœna. Quis tantam temeritatem ferat, quæ aut ignorantiæ, aut prævaricationis, damnat primitivæ Ecclesiæ Patres ? Ad missam ergo quod attinet, non disputat Cyprianus an « sacrificium » sit appellanda. Id uti constans dogma, atque in Ecclesia Dei in dubium a nemine revocatum, tradit. « Quis magis sacerdos Dei summi, » ait, « quam Dominus noster Jesus Christus ? qui SACRIFICIUM Deo Patri OBTULIT, et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est panem et vinum, SUUM scilicet CORPUS ET SANGUINEM ? » Quicunque in tam perspicuis verbis verum non agnoscit religionis Christianæ sacrificium, ac realem Domini præsentiam in Eucharistia, inexcusabilis pervicaciæ reum se prodit. Infra addit prælaudatus sanctus antistes : « Nam si Jesus Christus, Dominus et Deus noster, ipse et summus sacerdos Dei Patris, et SACRIFICIUM Patri SE IPSUM primus OBTULIT, et HOC FIERI in sui commemorationem præcepit, utique ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur, et SACRIFICIUM VERUM ET PLENUM tunc OFFERT IN ECCLESIA DEO Patri, si sic incipiat offerre secundum quod ipsum Christum videat obtulisse. » Relege, atque studiose hæc verba considera. Et nihilominus ævo nostro, quo et eruditio et inquirendæ veritatis ratio potissimum excolitur, inventi sunt qui Lutheri et Calvini de sacra missa errores, non paucis Protestantibus jam perspectos, tueri sunt ausi, et ignaro populo suadere adhuc pergunt, ignotum veteri Ecclesiæ fuisse incruentum sacrificium, tantumque errorem, sive abominationem corruptoribus Christianæ religionis, sive papistis, esse tribuendum. Ecquando discemus, præjudicatis opinionibus sepositis, unam veritatem inquirere, inventamque fateri ? Infra ostendit Cyprianus a Spiritu sancto (*Proverb.* IX), DOMINICI SACRIFICII, et IMMACULATÆ HOSTIÆ panis et vini, sed et ALTARIS, et apostolorum, factam fuisse mentionem ; tum hæc subjungit : « Apparet SANGUINEM CHRISTI non OFFERRI,

si desit vinum calici, nec SACRIFICIUM DOMINICUM legitima sanctificatione celebrari, nisi OBLATIO ET SACRIFICIUM NOSTRUM responderit passioni. »

Præterea sanctus ille vir, qui Ecclesiæ doctrinam suo martyrio postea confirmavit, præcessisse testatur in Melchisedech sacerdote « imaginem SACRIFICII CHRISTI, in pane et vino, scilicet, constitutam. » Quam « rem perficiens et adimplens Dominus, panem et calicem mistum vino obtulit; et qui est plenitudo, VERITATEM præfiguratæ imaginis ADIMPLEVIT. » Memorat idem Cyprianus DOMINICA SACRIFICIA (*Cyprian.*, *epist.* 69); et alibi ait : « Quando IN SACRIFICIIS precem cum pluribus facimus (*Idem*, *epist.* 37). » Ridendus hic Rigaltius, qui sacrificia pro orationibus rursus interpretatur, quando apertissime precem a sacrificiis distinctam habes, et quid fuerint sacrificia sancto Cypriano, ex productis locis meridiano sole clarius elucet. Abundant et alia loca, ubi is meminit altaris, qua voce veri sacrificii idea menti nostræ renovatur. Unum memorabo. De schismatico homine inquit : « Hostis ALTARIS, adversus SACRIFICIUM CHRISTI rebellis, etc., audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, DOMINICÆ HOSTIÆ VERITATEM per falsa sacrificia profanare (*Idem*, *lib. de Unit. Eccles.*). » Sed non dimittendus Cyprianus, antequam ab ipso quoque discamus, num vel tunc crederetur Christiani populi sacrificium esse propitiatorium pro fidelibus in Christo quiescentibus. Ad alterum Cyprianum scribens, ab antecessoribus episcopis vetitum ait ne quis clericus ad tutelam adhiberetur : « Si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec SACRIFICIUM PRO DORMITIONE ejus celebraretur (*Idem*, *epist.* 1 *ad alterum Cyprianum*). » Propterea cum Victor quidam decretum istud contempsisset, « non est (subdit) quod PRO DORMITIONE ejus apud vos fiat OBLATIO (id est, sacrificium) aut DEPRECATIO aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur. » Locum hunc de divini sacrificii efficacia in defunctorum quoque subsidium eripere se posse Catholicis existimavit Joannes Fellus, Oxoniensis in Anglia episcopus, ut alios novatores prætermittam, dicendo (*Adnot. ad epist.* 1 *Cypriani*) martyrum quoque in sacris factam fuisse commemorationem, et oblata pro eis sacrificia, qui tamen Cypriano credebantur jam pervenisse ad coronam. Ast ille oculos clausit, ne videret. Relege Cypriani verba : « Pro dormitione ejus apud vos non fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus. » Pro martyribus, fatente ipso Fello, nulla deprecatio fiebat. Si pro reliquis fidelibus fiebat, tunc Ecclesia crediderit oportet, defunctis quoque opem per sacrificia et preces præstari. Dogmatis ejusdem vadem habemus Tertullianum Cypriano antiquiorem (*Tertull.*, *l. de Exhort. ad Cast.*, *c.* 11, *et de Monogam.*, *c.* 10).

Cum itaque toties in Romanæ reliquarumque Ecclesiarum liturgiis nobis occurrunt sacrificii, et altaris, et hostiæ nomina, manu jam tenes, eadem, atque illud, quod per ea significatur, inani conatu a Protestantibus in suspicionem novitatis adduci, quasi, primis Ecclesiæ sæculis ignota, in sacrorum mysteriorum preces sensim irrepserint. Habes etiam cur Anglicano Grabe missa in Anglia restituenda videretur, atque is hac in re Lutheri et Calvini errores fateri veritus non fuerit. Ex tot etiam veterum testimoniis collatis constat evidenter, non imaginarium, non improprium esse catholicæ Ecclesiæ sacrificium, atque in meras phaleras cavillari volentium resolvi quidquid Protestantes commentantur ut ostendant non occurrere in sacrificio nostro conditiones et qualitates omnes quæ in cruentis Judæorum sacrificiis deprehenduntur, ideoque verum ac proprium sacrificium non esse istud dicendum. Catholici contra ostendunt, notas omnes veri sacrificii in eucharisticum confluere. Sed quid terendum tempus in superfluis hisce disputationibus? Qui Judaicas hostias instituit, Eucharistiam quoque novo populo præscripsit. Etiamsi illæ cruentæ, incruenta vero hæc sit, et quamvis daremus aliquid discriminis inter istam et illas, nonne Deo licuit varia, et tamen vera instituere sacrificia? In sacrificio crucis non victima, non altare, non sacerdos, similia fuere Judaicis. Nihil autem aliud eucharisticum est quam renovatio mystica ejusdem sacrificii. Quod tamen omnem cavillationem dissipat, da mihi, realiter in Eucharistia contineri verum corpus et sanguinem Domini, quam veritatem semper ab Ecclesiæ exordio liturgiæ et Patres deprædicarunt, uti supra evidentissime ostendimus. Da insuper mihi, nos in mysteriis divinam hanc hostiam, mystice singulis diebus mactatam, et nunquam deficientem, offerre Deo in remissionem peccatorum; quid ultra funem contentionis extendimus? Nonne animantibus ratione carentibus Filius Dei præstat? Ullane gratior et efficacior victima cœlesti Patri quam ista offerri potest? Novum ergo sacrificium, singulare sacrificium in Eucharistia habemus : « Sacrificium longe præstantius » antiquis, uti scribit Eusebius (*Demonst. evang.*, *l.* II, *c.* 10). Quicunque igitur Christo credens, admirabile hoc beneficium Christianæ religioni ab ipso præstitum, contra tot testium nubem tum priorum tum subsequentium Ecclesiæ sæculorum, pernegare audet, plus Luthero et Calvino quam omnibus orbis Christiani liturgiis, sanctisque Patribus, fidem et obsequium adjungens, perpendat an rite ac sincere examen tantæ quæstionis inierit, ad quod omnium conscientia obligatam se sentit. Venient, ut spero, dies, quibus tot populi, nunc a nobis teterrimo schismate sejuncti, ad unitatem catholicæ religionis redibunt; et tunc mirabuntur se ac majores suos tandiu a sophismatibus et cavillationibus novatorum fuisse deceptos. Neque enim controversia de Eucharistia ex iis est quæ uti obstrusæ hominum ingenia torquent, et ab omnibus tenebris expediri difficile possunt. Dum Christianus eam animi ac mentis demissionem Deo loquenti profiteatur quam unusquisque nostrum profitetur in credenda Trinitate, Incarnatione Verbi, aliisque Christianæ religionis mysteriis, fidentissime aio non posse ipsum non intueri

patentem hic veritatis lucem, hoc est dogma de præsentia reali, et sacrificio missæ, perennem cunctis sæculis Ecclesiæ sententiam fuisse, a qua recedere summum flagitium est. De Socinianis hic non loquor, neque de aliis id genus hominibus, qui aut nihil credunt, aut non religioni sua ingenia, sed suis ingeniis religionem detestanda auctoritate submittunt, et reliquorum Christianorum credulitatem derident; inter quos ætate nostra apud Britannos erupit Jonathas Swift, auctor libelli in Gallicam linguam conversi, ac titulum præferentis : *Le Conte du tonneau*, qui de sacramento altaris comœdiam struere non est veritus. Talia audere nisi impius homo nequit, et qui in Epicuri atque Atheorum castris manifeste militat. Ad pestilentissimum hoc hominum genus quæ hactenus congessi non pertinent.

CAPUT XIX.

Adoratio Eucharistiæ a liturgiis et Patribus confirmata.

Uti omnes inter Catholicos eruditi fatentur, post Berengarii hæresim ritus in catholica Romana Ecclesia invaluit, scilicet, post consecrationem elevare, sive attollere hostiam ac deinde calicem, ut a populo adoretur corpus et sanguis Domini. Hinc nobis heterodoxi novitatem ritus objiciunt, eumque progenitum clamant ex opinione transsubstantiationis, quam ridiculo commento obortam nono Christi sæculo, atque a Paschasio Ratberto primum excogitatam, sibi fingunt. Hujusmodi adorationem sustulere Lutherani, quanquam realitatem corporis Domini in sacramento fatentes; Calviniani vero nos ob hujusmodi consuetudinem idololatriæ (si superis placet) insimulant. Quam absurda sit accusatio hæc et puerilis calumnia, nemo grandi ingenio indiget ut agnoscat. Si apud Catholicos certissimum dogma est, in Eucharistia totum Christum reali sua præsentia existere, quis non videt ac intelligit necessario consequi ipsum ibi esse adorandum, cum ubicunque is præsens adsit, ejusmodi honore et obsequio sit donandus; imo qui secus ageret damnandus foret? Æque etiam, imo plus lepidum se præberet quisquis ex illo adorationis ritu, post annum Christi centesimum et millesimum invecto, inferre vellet circiter ea tempora credi cœptam transsubstantiationem et præsentiam in sacramento altaris, quando hoc dogma cum Ecclesia natum semperque custoditum supra evicimus. Attamen, ut pusillis etiam satisfiat, animadvertendum est mirum esse qui ab hominibus non ineruditis ob adorationem corporis et sanguinis Domini in missa ad eorum elevationem lis nobis moveatur. Nova sit, ut velint, elevatio illa, nova certe non est Eucharistiæ adoratio, imo semper usitata fuit, ut jam polemici catholicæ Ecclesiæ scriptores jamdudum palam fecere. Nos adorationis nomine significamus obsequium internæ humiliationis, quod servus domino præstat; dividiturque in internum et externum. Præstantius procul dubio internum quam alterum; imo hoc nihil fere est sine illo; nam ideo adinventum est externum, ut homo prodat obsequium in corde situm. Genu autem flectere, sive in genua procumbere, signum majoribus nostris semper visum fuit valde accommodatum ad testandam interioris hominis servilem venerationem atque humilitatem. Nulla tamen dubitatio est quin etiam rite perfecteque peragi et ostendi reverentia atque adoratio erga Deum possit solo corde et absque genuum corporisque prostratione. Sola etiam capitis inclinatio id exterius præstare potest. « Orantes, inquit sanctus Augustinus, de membris sui corporis faciunt quod supplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo; et si quid aliud faciunt, quamvis eorum visibilis voluntas et cordis intentio Deo nota sit, nec ille indigeat his indiciis, ut humanus ei pandatur animus (*Aug.*, *l. de Cura pro Mortuis*, *c.* 5). » Quid ethnici præstarent, templa seu idola veneraturi, prodit Apuleius, inquiens : « Si fanum aliquod Æmilianus prætereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admovere (*Apuleius in Apolog.* 1). » Proinde etsi notum sit ex Actibus apostolorum, et ex Epistola ad Ephesios, consuevisse apostolos *positis genibus* orare, attamen, testibus Justino Martyre ac Tertulliano, « die Dominico et a die Paschæ in Pentecostes usque, nefas erat de geniculis adorare. » Idque etiam constitutum videas a Nicænis Patribus (*Conc. Nicæn.* I, *c. ult.*). Num minus propterea adorabatur Deus in oratione atque in mysteriis? Ejusmodi ritum variare ac præscribere ad Ecclesiam pertinet. Exploratum est olim Christi fideles tam in Oriente quam in Occidente stantes accepisse corpus et sanguinem Domini. Nunc genibus flexis accipiunt. Æque profecto ac illi adorant sacerdotes, qui adhuc stantes sacratissimo corpore et sanguine vescuntur.

Cum nullum ex antiquis Sacramentariis habeamus, in quo rubricæ seu ritus omnes legantur adhibiti in missâ, propterea multum lucis deest ad dignoscendam antiquorum temporum adorationem in sacris mysteriis. Nihilo tamen secius hujusce ritus vestigium aliquod satis perspicuum superest. Vide Ordinem Romanum primum missæ pontificalis a Cassandro, Hittorpio, et Mabillonio editum, cujus antiquitas annum Christi octingentesimum præcedit, cum de eo Amalarius mentionem fecerit. Ibi « inclinato capite pontifex, vel diaconus salutat sancta, » id est, Eucharistiam præcedentis diei reservatam, quæ supra altare statuebatur ad majorem reverentiam conciliandam novo solemni sacrificio quod celebrandum erat. Hujusce ritus testem quoque habemus Gregorium Turonensem (*Lib.* I *de Glor. mart.*, *c.* 85). In altero Ordine Romano apud eumdem Mabillonium idem Ritus repetitur hisce verbis : « Et pertransit pontifex in caput scholæ, et in gradu superiore, inclinato capite ad altare, primo adorat sancta. » Præterea Amalarius, cui unus aut alter ex hisce Ordinibus ad manus erat, de sacris ministris ait : « Perseverant retro stantes inclinati, usque dum dicatur : *Sed libera nos a malo* (*Amalar.*, *l.* III *de divin. Offic.*, *c.* 23). » Hoc est, adorationem

per totum canonem continuabant. Et in ejus Eglogis, circiter annum Christi 820, scribebat : « Episcopus veniens ante altare, adorat primo sancta (*Idem, in Eclog. a Baluz. et Mabil. edit.*). » Et infra : « Episcopus postquam adoraverit sancta, pergit ad dexteram altaris. » Hæc ante Paschasii Ratberti libros peracta. In ipso omnium vetustissimo Ordine I, hæc animadverte, cum Amalarii verbis consona : « Expleto hymno Angelico, id est, *Sanctus*, surgit pontifex solus, et intrat in canonem. Episcopi vero, diaconi, subdiaconi et presbyteri in presbyterio PERMANENT INCLINATI. Et cum dixerit : *Nobis quoque peccatoribus*, surgunt subdiaconi, » etc. En adorationem tunc in divinis mysteriis continuatam per totum canonis tempus. Apud Græcos præcipuum adorandi sacratissimi corporis et sanguinis Domini tempus est, cum post *Pater Noster* dicunt *Sancta sanctis*, et fit elevatio hostiæ et calicis. Anastasius Sinaita scribebat : « Sacerdos post sacrificii illius incruenti consecrationem panem vitæ in altum elevat, ipsumque omnibus ostendit, etc. Tum statim adjungit : *Sancta sanctis* (*Anastas. Sinaita, orat. de S. Synaxi, t. I Canisii*). » In usitata apud Græcos Chrysostomi liturgia, a Jacobo Goario edita, hæc habentur : « Dehinc adorat sacerdos et diaconus, in quo sunt loco, ter secreto dicentes : *Deus, propitius esto mihi peccatori*. Et populus similiter cunctus cum devotione adorat. Cum autem viderit diaconus sacerdotem manus extendentem, et sanctum panem tangentem, ut faciat sanctam elevationem, exclamat : *Attendamus*. Et sacerdos : *Sancta sanctis*. Chorus : *Unus Sanctus, unus Dominus Jesus Christus in gloria Dei Patris. Amen.* » Tum diaconus ad communionem accedens « Adorat semel dicens : *Ecce venio ad immortalem Regem. Credo, Domine, et confiteor.* » Communicaturus populum, « diaconus adorans semel sumit sanctum calicem, etc., ostendit ipsum populo, dicens : *Cum timore*, » etc.

Notum est eosdem Græcos tanta devotione ferri in Eucharistiam ut in excessus ruere videantur; nam vel dum sacra dona ad altare magno apparatu deferuntur, quanquam nondum consecrata, populus procumbit in genua, quasi eadem adoraturus. Ferendum, neque vetandum, hunc ritum censuerunt non Græci tantum, sed et Latini docti viri, dummodo gens illa edoceatur quo mentis et cultus discrimine excipienda sint dona nondum consecrata, ac postea consecrata. Attamen non deerunt cavillatores, qui pro more suo novitatem suspicentur adorationis apud Græcos, cum *Sancta sanctis* inclamat sacerdos. Insignem locum habeo ego, quo eis os obstruam, nempe Theodorum Studitam, qui, circiter annum Christi 796, in dialogo inter orthodoxum et hæreticum, hæc scribit (*Theod. Studit., in Antirrhetico* II, *c.* 31) : Orthodoxus : « Quo in numero habes corpus et sanguinem Domini Jesu Christi? » Hæreticus : « Sancta sunt procul dubio. Etenim *Sancta sanctis*, a sacerdote pronuntiatur. » Orthodoxus : « Hæc itaque etiam adoranda judicas? » Hæreticus : « Et quis adeo impie sentiat, qui non sancta simul et adoranda confiteatur? » Orthodoxus : « Non igitur tecum pugnantia loqueris, qui cum ante dixeris, non statim quod sanctum est, idem etiam adorandum esse, nunc rursum affirmas quod negasti? » Hæreticus : « Atqui non de mysteriis (id est de missa) mihi sermo erat, cum de his omnes consentiant, ut dixi. » Sanctus quoque Maximus idem confirmavit, dicens : « Pontifex attollens sacrum panem, ostendebat benedictionem, seu sacramentum, dicens : *Sancta sanctis* (*S. Maxim., in Dionys. Hierarch. eccles*). » En eucharistici corporis et sanguinis elevationem, quam etiam testatur Simeon Thessalonicensis (*Opusc. de templo et missa, apud Canisium*). In Vita quoque beati Lucæ Junioris a Combefisio edita, inter Græcorum opuscula, occurrit eadem sacrorum praxis. Floruit ille inter Græcos Ascetas sæculo Chr. X, et in solitudine versabatur, cum ad eum invisendum accessit archiepiscopus Corinthi. Petiit Lucas qua ratione anachoretæ illi « horrenda mysteria possent percipere. » Respondit præsul præsanctificata esse accipienda. « Tum, inquit, explicans velum minus, propones in eo sacras particulas, accensoque thymiamate, typicorum psalmos, aut hymnum *Ter Sanctus* cantabis cum Symbolo fidei; TRINAQUE GENUUM FLEXIONE ADORANS, manus quidem contrahes (in formam crucis), ore autem sacrum pretiosi Christi ac Dei nostri corpus sumes, dicendo *Amen*. Rursum vero reliquas particulas in vase linteolo colliges, omnem diligentiam adhibens, ut ne margarita decidat ac conculcetur. » En quanta reverentia a Græcis olim adhiberetur ad tremendum Christi corpus, quem præsentem, ut vidisti, adorabant. Atque ex his edocemur quid de debita corpori Domini adoratione in sacris mysteriis vel tunc crederet et præstaret Græcorum Ecclesia.

Neque alia sententia, neque alius usus fuit Syris et Coptis. Nam uti Renaudotius demonstravit, elevationem et ipsi faciebant et faciunt hostiæ et calicis, non quidem statim post consecrationem, sed post orationem Dominicalem : « Totius quippe Orientis, is ait, consuetudo fert, ut non prius elevetur sacramentum, et populo ostendatur, quam dicatur : *Sancta sanctis*. Ex hoc errore factum est ut multi Orientalibus Ecclesiis ignotam esse elevationem temere affirmaverint. » Tunc autem peculiari devotione sancta mysteria populus adorabat, et adhuc adorat. In liturgia Syriaca sancto Gregorio tributa, post consecrationem diaconus clamat : *Adorate Agnum Verbum*, etc. Quid autem refert, si immediate post consecrationem a Romana Ecclesia elevatio et adoratio divinorum mysteriorum peragitur, et ab Orientalibus Ecclesiis nonnisi ante communionem? Satis est habere nos constantem omnium Ecclesiarum doctrinam et usum de adoratione debita in sacris mysteriis Christo Domino realiter præsenti; ac propterea Latinis Ecclesiis licuisse, imo singularem laudem deberi, quod actum hunc humiliationis et obsequii nostri statim post

peractam consecrationem sensim invectum probarint, et persolvere pergant, ut quem honorem Sacramentarii divino ipsi Redemptori in sacris subtraxere, nos visibilius etiam et enixius persolvamus. Sed quid plura quærimus, quando ante tot sæcula sancti Patres *adorationem* agnoverunt in Ecclesia Dei usitatam, cum incruentum sacrificium conficiebatur? Notissima sunt et pervulgata sancti Ambrosii verba: « Caro Christi, QUAM HODIEQUE IN MYSTERIIS ADORAMUS, *et* QUAM APOSTOLI in Domino Jesu ADORAVERUNT (*Ambros.*, *l.* III *de Spir. S.*, *c.* 11). » Hebes plane ingenio sit, aut animum corruptum gerat, qui et hic non videt, quanta fiducia tunc Christi fideles crederent carnem Christi in mysteriis præsentem esse, uti certe apostolis præsens fuit Jesus Dominus. Nec aliter loquitur sanctus Augustinus: « Suscepit, inquit, Dominus de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, ET IPSAM CARNEM (ac propterea non imaginariam, non metaphoricam) NOBIS MANDUCANDAM ad salutem DEDIT; nemo autem illam carnem manducat, NISI PRIUS ADORAVERIT; inventum est quemadmodum adoretur scabellum pedum Domini; et non solum NON PECCAMUS ADORANDO, sed PECCEMUS NON ADORANDO (*Aug. Enarr. in psal.* XCVIII, *n.* 9). » Deinde subdit: « Ideo et ad terram quamlibet (id est ad quamlibet Eucharistiæ, quæ caro Christi est, portionem) TE INCLINAS ATQUE PROSTERNIS, non quasi terram intuearis (hoc est, veluti terrenam rem, nulla veneratione dignam), sed ILLUM SANCTUM, cujus scabellum est, quod ADORAS (id est, caro); propter ipsum enim ADORAS. » Itidem supra vidimus, cap. 12, quid Theodoretus habeat de sacris Eucharistiæ symbolis, cum ait: « Intelliguntur autem ea esse quæ facta sunt et creduntur, ET ADORANTUR, utpote quæ illa sunt quæ creduntur. » Præcedenti quoque sæculo quarto sanctus Cyrillus Hierosolymitanus ritum tradidit quo tunc populus sacrum Domini corpus et sanguinem acciperet, scilicet, stans quidem, sed inclinato aut corpore, aut capite; nam istud vox κύπτων, scilicet, pronus, ab eo adhibita prodit quod signum adorationis tunc erat ex institutione Ecclesiæ. « Accede, inquit, et ad sanguinis poculum non extendens manus, sed PRONUS, et adorationis ac venerationis in modum, dicens: *Amen*. » Et in accipiendo corpore admonet sinistram manum « velut thronum » subjici solitam dexteræ, « utpote Regem suscepturas. » Tanta tunc erat fides, non ficte, sed vere, sumi in sacramento ipsummet Christi Domini corpus.

Uti etiam animadvertit Meldensium episcopus Bossuetus, magnus nempe vir, in explicatione missæ, non solum antiquis sæculis suprema veneratio et latriæ cultus adhibebatur a Christi fidelibus sacratissimæ Eucharistiæ, sed etiam extendebatur ad sacra vasa tremendi sacrificii; qui cultus tamen non in materie sistebat, sed in ipsum adorandum Dominum ferebatur. Id sanctus Hieronymus testatur, inquiens: « Discant qui ignorant, eruditi testimoniis Scripturarum, qua debeant veneratione sancta suscipere, et altaris Christi ministerio deservire, sacrosque calices et sancta velamina, et cætera quæ ad cultum dominicæ pertinent passionis, non quasi inania et sensu carentia sanctimoniam non habere, sed, ex consortio corporis et sanguinis Domini, eadem qua corpus ejus et sanguis majestate veneranda (*Hieron.*, *epist. præfixa epist. Theophil. Alex. t. V Biblioth. PP.*). » Non ait Hieronymus adoranda, sed veneranda, sive veneratione digna. An figuram tantummodo corporis Domini in Eucharistia crederet, qui scribit participes fuisse sacros calices venerationis debitæ Christo Domino, quod ex ejus corporis et sanguinis consortio sive contactu sanctificati forent, cuicunque æquo et perspicaci lectori dijudicandum relinquo. Denique legas velim (ut alia loca prætoream) Chrysostomi de Christo loquentis hæc verba: « Hoc corpus etiam jacens in præsepio reveriti sunt magi, et cum multo metu ac tremore adorarunt. Tu non in præsepi vides, sed in ALTARI. Nos ergo longe MAJOREM quam illi barbari OSTENDAMUS REVERENTIAM (*Chrysost.*, *hom.* 24 *in I Cor.*). » etc. Dubitasne adhuc an antiquitus etiam adorationis tributum persolveretur corpori Christi in sacris mysteriis? Idem Chrysostomus aiebat: « Qui cum Patre (sursum) sedet, omnium manibus continetur (*Idem*, *l.* III *de Sacerd.*), » in sacra videlicet synaxi. Hoc fidelibus denuntiabatur; et adhuc sciscitaris an tantum Dominum præsentem ii adorarent? Interea opusculo huic meo si tanta felicitas obtingeret, ut ad Protestantium manus perveniret, eos per viscera Jesu Christi rogo, si religionem amant, si pacem Ecclesiarum cupiunt, a qua abhorrere nisi impius nemo potest, ut quid ex adoratione Eucharistiæ necessario consequatur accurate et sine partium studio perpendant. Nulla dubitatio superesse potest quin Christi fideles, cum quarto et quinto Christi sæculo sive genua flectendo, sive caput inclinando, adorationem suam ad Eucharistiam præsentem dirigerent. Si Ambrosius, si Augustinus, aliique Patres censuissent, uti nunc Lutheri discipuli opinantur, in sacramento cum corpore et sanguine Christi perdurare adhuc panis et vini substantiam, adorationem improbassent, ne cultus uni Deo debitus simul creaturæ redderetur; ita enim Lutheranis videtur, an jure, non inquiro. Sin, uti Calvinistæ sentiunt, Patres ii in Eucharistia solum panem et vinum contineri putassent, non ab ea tantummodo abstinuissent, sed ipsam idololatriæ damnassent. Atqui pro certo habemus antiquos Patres ejusmodi adorationem probasse, imo censuisse sine peccato omitti non posse. Nonne ergo consequi intelligis non aliam fuisse veteri Ecclesiæ sententiam et fidem de Eucharistia quam quæ in Romana servatur, semperque servata est? Simul etiam fateri cogeris nihil cogitasse Patres de pane et vino post consecrationem, sed in sacramento unum corpus et sanguinem et animam Christi uti adoratione digna considerasse. Propterea veritatem hanc, id est, transmutationem veram symbolorum, iidem aliis in locis diserte testati sunt.

Neque aliam tunc fuisse Ecclesiæ fidem Gaudentius episcopus Brixianus, ipsius Ambrosii et Chrysostomi æqualis, te certum faciet; inquit enim: « Ipse igitur naturarum Creator et Dominus, qui producit de terra panem, de pane rursus (quia et potest et promisit) efficit PROPRIUM CORPUS. Et qui de aqua vinum fecit, et de vino SANGUINEM SUUM, etc. Ne terrenum putes quod cœleste effectum est per eum, QUI TRANSIT in illud, et FECIT ILLUD SUUM CORPUS ET SANGUINEM (*Gaud. Brix., tract. 2 ad Neophyt.*). » Infra idem repetit: « Neque sacramentum illud commune ac terrenum esse existimans; sed ut per ignem divini Spiritus id effectum, quod annuntiatum est, credas. Nam quod accipis, CORPUS EST illius Panis cœlestis (non figura, non imaginatio) et SANGUIS EST illius sacræ vitis, etc. Credamus, quæso, cui credidimus. Nescit mendacium Veritas. » Ergo iisdem temporibus cum habeas Ambrosium Mediolani, Gaudentium Brixiæ, Chrysostomum Constantinopoli, Cyrillum Jerosolymis, Theodoretum in Syria, Augustinum in Africa (ut alios Patres omittam) concordi voce deprædicantes quod Romana Ecclesia deprædicat, intellige tandem, hanc fuisse olim et adhuc esse veræ Ecclesiæ doctrinam, ejusque impios perturbatores fuisse ultimorum sæculorum novatores. Qui tamen ex iis veritatem non fugiunt, sed amant, suæque conscientiæ quietem potius desiderant quam sectæ suæ honorem atque tutelam, adeant, quæso, libros de Perpetuitate fidei Gallice scriptos. Saltem in unius sancti Joannis Chrysostomi libris inquirant quid olim de Eucharistia universalis Ecclesiæ sententia ac fides fuerit. Tot sancti illius episcopi verba accepisti, me tamen continere non possum quin et hic unum ex ejus penu depromam. De sacrificio incruento hæc habet: « Hic terram tibi cœlum facit hoc mysterium. Nam quod ILLIC EST OMNIUM PRETIOSISSIMUM ET HONORANDUM, HOC ostendam tibi SITUM IN TERRA. Sicut enim in regia id quod omnium magnificentissimum est, non parietes, non tectum aureum, sed corpus regis sedens in solio, ita et in cœlis Regis corpus. Sed HOC tibi nunc LICET VIDERE IN TERRA. Non enim angelos, nec archangelos, sed IPSUM eorum ostendam DOMINUM. NEQUE solum VIDES, SED etiam TANGIS, sed etiam COMEDIS, et EO ACCEPTO domum reverteris (*Chrysost., hom. 24 in I Cor.*). » Qui hæc et similia nondum intelligit, et Calvinianis arbitrariis interpretationibus corrumpere nititur, horrendum illud sibi timeat quod Apostolus Judæis intimavit: *Aure audietis, et non intelligetis, et videntes videbitis, et non perspicietis* (*Act. apost.* XXVIII, 26).

CAPUT XX.

De quibusdam ritibus sacræ liturgiæ, quibus novatores litem intentant.

Postquam Lutherus et Calvinus, sive Zwinglius, auctoritate sibi certe a Deo non data, præcipuum Christianæ religionis sacramentum, sive abrogato incruento sacrificio, sive sublata ex Eucharistia dominici corporis reali præsentia, prorsus deformarunt, tum ii, tum eorum discipuli, nunquam cessarunt Romanam liturgiam arrodere, et muscas etiam venari, ut eam in contemptum apud suos adducerent. An merito, nunc est inspiciendum. In Romani ritus missa, antequam sacerdos ad altare ascendat, generalem confessionem peccatorum suorum ac populi astantis præmittit; quamvis enim gravia peccata per pœnitentiæ sacramentum eluere prius jubeatur quisquis ad sacram communionem anhelat, attamen quia ex infirmitate humana in quotidianas culpas incurrimus, tollendæ et istæ sunt, atque in eum finem instituta fuit prævia ista confessio et absolutio ante missæ exordium. Hoc ipsum inculcasse videtur sanctus Augustinus, inquiens: « *Intrate in portas ejus in confessione.* In portis initium est; a confessione incipite. Porta, id est, initium, confessio tibi sit. Unde in alio psalmo dicitur: *Incipite Domino in confessione.* Et quid? Cum jam intraverimus, non confitebimur? Semper confitere; semper habes quod confitearis. Difficile est in hac vita ut sic homo mutetur, ut nihil inveniatur in eo quod reprehendatur. Opus est ut tu te reprehendas, ne ille reprehendat qui damnaturus est (*Aug., Enarr. in psal.* XCIX). » Porro exploratum est, multisque veterum monumentis confirmatum, ejusdem confessionis genere usos fuisse antiquitus sacerdotes, vel antequam e sacrario procederent, vel ad pedes sacri altaris. Quod vetustissima Ecclesiæ Romanæ Sacramentaria rubricis et cæremoniis in missa adhibitis careant, an antiquis sæculis peculiaris ista confessio in usu fuerit, non constat. In missa ab Illyrico edita, quæ grandem absque dubio antiquitatem sapit, par formula invenitur. Altera ferme similis formula confessionis a Micrologo refertur, qui sub finem sæculi undecimi de liturgicis rebus scribebat, uti et in Sacramentario Romano, quod e bibliotheca Chisiana cardinalis Bona produxit. Missalem canonici cathedralis Mutinensis, ante annos sexcentos exaratum, servant, ex quo missam supra exhibui eo tempore Mutinæ usitatam. In illa post *Introibo*, et *Judica me, Deus*, sequitur hæc rubrica: « Cum autem (sacerdos) pervenerit ante altare, dicat humiliter inclinato vultu: *Pone, Domine, custodiam ori meo.* Respondeatur: *Et ostium circumstantiæ.* Et agat, UT MOS EST, confessionem. Peracta autem confessione dicat: *Deus, vitam meam annuntiavi tibi,* » etc. Quod certum est, non minus in Occidentalium quam in Orientalium missis, æque sacerdos ac populus divinam misericordiam implorare consueverunt, non solum in ipso introitu exclamando *Kyrie eleison, Christe eleison,* id est, Domine, miserere, Christe, miserere, sed etiam in aliis missæ partibus; idque observatum repetitumque videmus in ipsorum Orientalium liturgiis, et præcipue in missa Chrysostomi, antequam sacerdos communicet. Nemo certe sanctissimum hunc usum disciplinæ ecclesiasticæ non laudet. Binghamus tamen, homo Britannus (*De Origin. eccles., l.* XV, *c.* 1), habet quod carpat in Romana liturgia; confessio quippe ibi fit Deo omnipotenti, Deiparæ, et omnibus sanctis, cum olim, ut ipse contendit, hæc soli Deo fieret.

Quam in rem Gallicani officii apologiam, sive confessionem, vetustam commemorat. Verum quibus verbis concepta fuerit in aliis Ecclesiis antiquitus eadem confessio, ex rubricarum defectu, ut dixi, rescire non possumus. Quod satis est, nihil hic habes quod cum dogmate ac disciplina catholicæ Ecclesiæ non conveniat. Legitimis enim rationibus, ut infra innuemus, et calculo primitivæ ipsius Ecclesiæ nititur invocatio sanctorum, eorumque communionem nobiscum in Symbolo profitemur. Deo autem confitemur, ut nobis parcat; sanctis tantummodo, ut orent pro nobis; quemadmodum diserte ibi confessio ipsa testatur, in qua sacerdos et populus precantur *sanctos omnes orare pro me ad Dominum Deum nostrum*. Publica hæc est confessio; si coram populo, cur et non coram sanctis? Sancti certe viri in cœlesti patria astant Deo, ad quem confessio in primis dirigitur. Propterea in antiquissima confessione pœnitentis, quam ex Ordine Romano Hittorpius exhibet, et Morinus refert, hæc leguntur: *Confiteor tibi, Domine, Pater cœli et terræ, tibique benignissime Jesu, una cum Spiritu sancto, coram sanctis angelis et coram omnibus sanctis* (*Morin., append. ad lib. de Pœnit.*), etc. Alias pares formulas Morinus idem ex antiquis Pœnitentialibus decerpsit. Eadem ratione sacerdos populum, populus sacerdotem rogat, ut oret pro se.

Ad incruentum sacrificium luminaria adhibentur. Non desunt heterodoxi, inter quos Joannes Henricus Ottius Calvinista, qui Examen instituit contra cardinalis Baronii Annales, ob ejusmodi ritum Catholicis insultantes, nobisque sanctum Hieronymum objicientes, qui adversus Vigilantium in hæc verba loquitur: « Cereos non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, et vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris. » Propterea Patri Le Brun visum fuit Hieronymi ævo minime usos fuisse Christianos luminariis in sacris diurnis, sed postea invaluisse hunc morem, desumptum e ritu deferendi lumina, cum legebatur Evangelium. Nam ibi ipse Hieronymus addit: « Per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum. » De cereis in honorem martyrum accensis erat ibi sermo; attamen cum Hieronymus luminaria adhibita probet, « quando legendum est Evangelium ad signum lætitiæ, » idem Pater Le Brun opinatur ejusmodi exemplo fretos Christi fideles morem luminum extendisse ad integram missam. Uti jam alibi ostendisse me arbitror (*Murat., Anecdot., t. I, dissert. 16*), non tam facile concedendum est Hieronymi temporibus defuisse interdiu luminaria in templis, et ad sacramentorum celebrationem. Si in Palæstina usus iste non fuit, aliis in regionibus viguisse potuit. Non solum ad Evangelium, sed ad baptismum cerei accensi deferebantur, ut ex Cyrillo Jerosolymitano et Gregorio Nazianzeno constat. Neque iis duntaxat usi neophyti, sed alii quoque ad honorem tanti sacramenti. Marcus diaconus Gazensis, et scriptor synchronus, in Vita sancti Porphyrii episcopi, describit apparatum diei quo Theodosius II infans, Arcadii Augusti filius, anno Christi 401, hoc est, vivente et vegeto sancto Hieronymo, sacro baptismate regeneratus fuit. Egresso infanti e salutari lavacro, « præcedebant patricii, illustres, et omnis dignitas, cum ordinibus militaribus, omnes portantes cereos, ut putarentur astra cerni in tenebris. » Quod plus est, sanctus Paulinus Nolanus, anno Christi 396, hæc habet (*in Natal. 3 in honorem S. Felicis*):

Clara coronantur densis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris.
Nocte dieque micant. Sic nox splendorque diei
Fulget, et ipsa dies cœlesti illustris honore
Plus micat, innumeris lucem geminata lucernis.

Ita Paulinus aliquot ante Vigilantium annos, cujus verba interprete non egent. Sanctus quoque Epiphanius scribit (*Epistol. ad Joan. episc. Jerosol.*) se prætereuntem per villam quamdam vidisse ibi « lucernam ardentem, » et cum interrogasset, didicisse « esse ecclesiam. » Cereos autem accensos, « quando legendum est Evangelium, aut sacrificium offerendum, » agnovit sanctus Isidorus Hispalensis; neque id uti rem novam, sed uti jamdiu usitatam. Venantius quoque Fortunatus (*Lib. v, carm. 5*) diem festum Ascensionis Domini describens, cereos accensos et candelabra memorat. Sed quamvis daremus (neque tamen hoc dandum), tantummodo post Hieronymi ævum invectum fuisse morem cereorum, seu luminarium ad integrum missæ sacrificium, id certe laudabili ratione factum fuerit. Si enim gaudii ostendendi gratia ad Evangelia antea adhibebantur luminaria, cur pari causa adhiberi deinde non potuere ad integram missam? Sed et aliam potiorem rationem accipe. Sacratissimam Domini cœnam una cum sacrificio crucis missa exhibet. Mensæ propterea apparatum ibi habes calicem, patenam, mappas, etc., omnia ad imitationem ac renovationem tanti operis composita. Sine luminibus profecto peracta non fuit postrema Salvatoris cœna. Quis ergo non commendet adhibita a nobis in renovatione ejusdem cœnæ luminaria? Imo, ut ea adjungere decuit, ita auferre dedeceret, atque improbare dementis foret.

Supra vidimus, cap. 16, quousque progressa fuerit superbia et furor Lutheri, dum offertorium et quidquid oblationem olet in cœlesti missæ sacrificio, abominationem appellare minime erubuit, ac prorsus repudiandum esse una cum universo canone imperatorio decreto sancivit. Ita ille in contemptum non dicam præsentis Romanæ Ecclesiæ, omniumque et Occidentis et Orientis Ecclesiarum, quæ suis in liturgiis sacræ oblationis ritum observant, uti supra tot exemplis ostendimus, sed primitivæ etiam ipsius Ecclesiæ. Et quanta quidem fuerit hominis illius impotentia ac temeritas, et quam immerito pro tutandis ejus erroribus nonnulli adhuc in aciem descendant, unus sanctus Clemens I Romanus pontifex et martyr, nos edocere potest. Is ergo in hæc verba

loquitur: « Cuncta ordine debemus facere quæ nos Dominus jussit peragere. Statutis temporibus oblationes et liturgias perfici, neque inordinate fieri præcepit, sed præfinitis temporibus et horis: Τάς τε προσφορὰς καὶ λειτουργίας ἐπιτελεῖσθαι. Addit etiam: Οἱ οὖν τοῖς προστεταγμένοις καιροῖς ποιοῦντες τὰς προσφορὰς αὐτῶν, εὐπρόσδεκτοί τε καὶ μακάριοι. Qui ergo assignatis temporibus oblationes suas faciunt, accepti et beati sunt (*Clem. I pap., epist. ad Corinth., c.* 40). » Cum Clementem audis, audire te puta ipsosmet apostolos; nam viventibus ipsis apostolis floruit, eorumque discipulus fuit. Neque hic somnies, oblationum nomine posse designari dona in pauperum usum altari oblata. Non aliud ibi sunt oblationes quam quibus incruentum sacrificium conficiebatur, ac Deo offerebatur; hoc enim Dominus jussit peragere, et quidem certis temporibus et horis. Si audire volumus Joannem Gasparem Svicerum Tigurinum, sive Calvinianum professorem in suo Thesauro ecclesiastico vox προσφορὰ « usurpatur de sacra cœna. » Imo dicere debuit de sacrificio, cujus causa fit oblatio; neque enim ad cœnam eadem pertinet. Idque ipse postea fateri coactus est scribens, προσφέρειν, sive offerre, « absolute positum, significat » θυσίαν προσφέρειν, scilicet, *sacrificium offerre*. Proinde in canone sexto apostolorum statutum habes: « Si quis episcopus, presbyter, aut diaconus, facta oblatione non communicaverit, causam dicat. » Norunt eruditi quanta sit eorum canonum antiquitas, quanquam revera non sint apostolis tribuendi. Præterea oblationem et sacrificium verum in catholica Ecclesia a sanctis Irenæo et Cypriano deprædicata vidimus supra, cap. 18. Quales sancti ii viri fuerint, eruditus lector sat novit. Tertullianus quoque de diabolo ait æmulatore « sacramentorum divinorum. Signat ille in frontibus milites suos; celebrat et panis oblationem (*Tertul., l. de Præscript. c.* 41). » Alibi vero inquit: « Non permittitur mulieribus in ecclesia loqui, nec tinguere, neque offerre (sacrificium), nec alicujus virilis muneris, nedum sacerdotalis officii, sortem sibi vindicare (*Idem in lib. de veland. Virgin. c.* 9). » Confirmatum idem videas a celeberrimi concilii primi Nicæni anno Christi 325 celebrati canone: « Pervenit ad sanctum magnumque concilium, quod in quibusdam locis et civitatibus presbyteris gratiam sacræ communionis diaconi porrigant; quod nec regula nec consuetudo tradidit, ut ab his, *qui potestatem non habent offerendi*, τὴν ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν, illi qui offerunt Christi corpus accipiant (*Conc. Nic.* I, *c.* 18). » Antea quoque in concilio Arelatensi anni 314 interdictum fuerat « *diaconibus offerre* (subaudi) *sacrificium* (*Conc. Arelat., c.* 15). » Quis ergo non horreat Lutherum, qui non solum Oblationem et Offertorium sustulit e missa, sed etiam primitivam Ecclesiam *Abominationis* nota denigrare est ausus, quod Oblationem usurpaverit in sacris mysteriis, ipsumque Nicænum concilium, cujus tamen dogmata summa semper veneratione universæ orbis Ecclesiæ sunt amplexatæ, infamare non erubuit, ac si liturgicam oblationem ab ipsius Christianæ religionis exordio frequentatam ac propterea ab ipso institutore Christo descendentem, sanctissimi illi Patres aut temere invexerint, aut insipienter probarint?

Quod cardinalis Bona in Liturgicis suis adnotaverit, nunc « solos clericos vel ministros respondere in missa, *Et cum spiritu tuo*, Binghamus occasionem arripit insultandi Romanæ Ecclesiæ, quasi hæc « populum ab hac divini cultus parte penitus exclu serit, » ac propterea « in errorem et pravitatem incurrerit (*Bingham., Orig. eccles., l.* XV, *c.* 3). » Tum subdit: « Cujus rei haud alia ratio dari potest, quam magisterialis Ecclesiæ auctoritas, quæ, quidquid lubet, populo præscribere sibi sumit, non obstante quacunque regula, sive traditione veteris Ecclesiæ. » Sed ejusmodi accusatio ex una hominis temere judicantis inscitia manavit, et reservanda erat adversus Lutheros et Calvinos, qui sine ulla auctoritate tot e sacra liturgia sustulere, quanquam traditione veteris Ecclesiæ probata. Indicet mihi Binghamus, si potest, ullum Ecclesiæ decretum quo populus vetitus sit respondere sacerdoti in sacris. Una necessitas morem hunc sensim invexit, ut in privatis missis unus clericus, et in solemnibus chorus, pro populo respondeat, ex quo idem populus ob non amplius intellectam linguam Latinam, et ob ignorantiam responsorum, a respondendo cessavit. Tunc opus fuit in missa non solemni unum substituere clericum, qui defectum populi indocti suppleret atque illius nomine sacerdoti responderet; nam quidquid nunc clericus respondet, astantium nomine respondere certum est. Cæterum et nunc ipsis laicis clericorum munere fungi licet inserviendo missis privatis. Neque vetantur laici, cantus lege edocti, miscere se cum choro clericorum, et respondere. Imo laici soli in sacris confraternitatibus, et sanctimoniales solæ, dum missa cantatur, respondent sacerdoti. Quare videas quam injusta sit Binghami accusatio, qui et infra ad alteram descendit, contendens « Consecrationis verba semper alta voce fuisse pronuntiata, » ac populum respondisse *Amen*. Quam in rem producit novellam Justiniani Augusti, jubentis, « non in secreto, sed cum ea voce quæ a fidelissimo populo exaudiatur, divinam oblationem facere, ut populus gratiarum actioni subjiciat Deo sanctum illud *Amen* (*Justinian., in novella* 137, *c.* 6). » Tum subdit Binghamus: « Facit pro Ecclesia Romanensi, quod lex canonica superior est civili; alioquin tam horrenda omnium divinarum et humanarum legum violatio non inulta impunitaque foret. » Neque puduit hominem doctum in tam horrendum epiphonema erumpere, ut Romanæ Ecclesiæ tribueret « omnium divinarum humanarumque legum violationem? » Si Binghamus hominum judicium contempsit, cum in exsecrabilem calumniam hanc raptus est, num judicium Dei effugerit, qui ab ipso rationem certe exegerit, cur tanta infamia onerare sit ausus Ecclesiam Romanam? Quod vero is cardinalem Baronium in-

cuset, succensentem Justiniano ob ejusmodi legem, nihil aliud ab eo petendum est, nisi ut edicat positine fuerint imperatores, an *episcopi regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*, et jurene dixerit sanctus Ambrosius « Imperatores intra Ecclesiam esse, non supra Ecclesiam, et publicorum imperatori mœnium jus esse commissum, non sacrorum (*Ambros.*, *epist.* 20)? » Jus istud si forte Britannus scriptor in regem suum conferat, cum divinæ legis tum disciplinæ ecclesiasticæ injurium se prodet. Verum quid de hoc ritu dicendum est? Cardinalis Bona in ea fuit sententia, olim « in Ecclesia Occidentali omnes audisse sanctissima et efficacissima verba, quibus Christi corpus conficitur, ac postea statutum fuisse ut canon submissa voce recitaretur (*Bona, de Liturg. l.* II, *c.* 13). » Antiquum vero morem desiisse sæculo Christi decimo ex conjectura censuit. Propterea ante aliquot annos insurrexere qui canonem non amplius secreto recitarent, aut recitandum clara voce edicerent. Sed Pater le Brun (*Tom. IV Liturg.*) dissertationem perquam elaboratam istis nova cupientibus opposuit, multisque rationibus et copiosa eruditione contendit in Ecclesiis Occidentalibus semper viguisse, nunquam desiisse, secretam canonis recitationem. Negari tamen nequit, quin apud Orientales omnes Ecclesias, uti constat ex omnibus ferme liturgiis Græcis, Syriacis, et Copticis, consecrationis verba audiantur a populo, respondente postea: *Amen*. Ejusmodi novitatem post nuper memoratam Justiniani legem in eas regiones invectam le Brun arbitratur, cum antea non alius ibi ritus observaretur, quam qui semper ab Occidentalibus observatus fuit. An ita fuerit, satis compertum non puto. Illius dissertationem, qui plura cupit, consulere poterit. Dicendum interea nobis est ritum hunc ex iis esse qui indifferentes sunt, et sive uno, sive altero modo peragantur, ratione et auctoritate firmantur. Propterea ob ejusmodi varietatem nulla unquam inter Latinos et Græcos de tot aliis disputantes oborta est controversia; et æquum est ut laudabilem usum suum unaquæque Ecclesia retineat sine contradictione alterius. Statuendum vero præcipue est nemini licere privata auctoritate novationem hic facere; nam etiamsi de ritibus agatur, qui mutari sine detrimento religionis possunt, jus tamen unis est supremis Ecclesiæ pastoribus, non nobis, id præscribere, retinere, aut mutare, prout eorum sapientiæ melius visum fuerit.

Non omisit Binghamus veterem cantilenam canere, quod Romana Ecclesia in sacris quotidie utatur lingua populo incognita: « quæ corruptela, is ait, intolerabilis est, et apostolorum auctoritati, priscæ Ecclesiæ regulis, populi Christiani ædificationi et communi sensui ac rationi hominum contraria. » Ita ille, et quidem buccis inflatis. Ast is minime recogitavit innumeros in mundo usus et mores esse, in quibus duas ansas cum Epicteto reperimus. Si eos ex una facie respicimus, utiles ac laudandi videntur; sin ex altera, inutiles, fortassis etiam improbandi, deprehenduntur. Ita composita est mortalium conditio, ut sæpissime ex una eademque re commoda et incommoda consequantur. Quod methodum suam Protestantes commendent, scilicet, linguam populo notam adhibere in sacris, non eos profecto deficient rationes: ast judicii inops sit, qui hanc ob causam in jurgia et contumelias adversus Romanam Ecclesiam ruat. Et qui corruptela hic ei tribuenda, quæ linguam Latinam, qualem ab apostolorum ævo accepit, adhuc retinet, quod nempe religioni sibi ducat deserere quæ vetus Ecclesia usurpavit? Adversabaturne Britannica gens communi sensui et rationi hominum, cum usque ad sæculum Christi decimum sextum Latinam in sacris liturgiis linguam conservavit? At inquies: Ab antiqua consuetudine recedere præstaret. Audio; sed suæ quoque rationis catholicæ Ecclesiæ sint, ne venerandæ antiquitatis instituta mutet; quod et animadvertas in tot aliis Christiani ritus populis, qui aut Græco, aut Syriaco, Æthiopico, Coptico, Armenio, aliove idiomate liturgiam conficiunt, quanquam veteris illius linguæ ignari. A me non exspectet lector quid de hac re docti viri disseruerint, neque enim mihi statutum est in omnes controversias invadere quæ ad sacram liturgiam spectant. Satis sit monere majestatem conciliari sacris a Latina lingua, in qua fuere instituta; populique catholici devotionem minime languere, etiamsi Latina verba non intelligat, aut sacerdos secreto oret, atque ipsam Ecclesiam indulgere ut exoptantibus intelligere illas sacras preces, versio earum in linguam vulgarem ministretur. Eadem etiam de causa a refricanda quæstione illa abstineo quam Nicolaus Cabasilas Græcus scriptor, aliique ejus gentis, adversus Latinos agitarunt, contendentes, non verbis Domini, sed invocatione Spiritus sancti, sive prece, quæ in quibusvis Orientalium liturgiis post eadem verba occurrunt, consecrationem donorum fieri. Satis mihi sit hac de re cap. 10 lectorem monuisse, neque nos Græcis et Græcos nobis ob ejusmodi ritus diversitatem infestos esse debere, uti ostenderunt cardinalis Bona (*Lib.* II *Liturg.*, *c.* 13), Renaudotius (*In Collectione Liturg.*), Martene (*De antiq. Eccles. Ritib.*, *l.* I, *c.* 4, *art.* 8), et præsertim Petrus le Brun (*Explicat. missæ*, *t.* IV), qui justam dissertationem de hoc ipso argumento elaboravit, ostenditque non pugnare inter se Occidentalium et Orientalium hac de re consuetudinem diversam. Ad Romanam vero liturgiam quod attinet, cum invocatio, sive preces (uti supra monui), præcesserint, et pone sequantur efficacia Christi verba, nulla dubitatio superest quin completa perfectaque tunc sit consecratio, et legitime instituta fuerit subsequens elevatio et adoratio corporis et sanguinis Domini. Dixi præcedere invocationem; hæc autem non solum peragitur cum rogatur Deus ut oblatio *nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri*, etc., sed etiam ante ablutionem manuum, cum sacerdos ait: *Veni, sanctificator omnipotens æterne Deus, et benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini præpara-*

tum. In missa Mozarabum eadem invocatio occurrit, dirigiturque ad Spiritum sanctum; aiunt enim: *Veni, sancte Spiritus sanctificator; sanctifica hoc sacrificium de manibus meis tibi præparatum.* In omnium vetustissimo Sacramentario Leoniano, de quo supra egimus, in missa trigesima, mense Julio, hæc oratio habetur: *Mitte, Domine, quæsumus, Spiritum sanctum, qui et hæc munera præsentia nostra tuum nobis efficiat sacramentum, et ad hoc percipiendum nostra corda purificet.*

CAPUT XXI.

De aliis missæ Romanæ ritibus, a Protestantibus injusta censura impetitis.

Egregius cardinalis Bona (*Lib.* I *Liturg. c,* 23, § 11) erudite ac sincere animadvertit tantummodo post annum a Christo nato millesimum, ortum habuisse oblatas, quarum nunc usus est in Ecclesia, quæ, scilicet, tenues sunt, et ad figuram et exiguitatem ferme unius denarii formantur, cum molis longe majoris antea forent. Ansam inde sumpsit Binghamus Anglus adversus hunc ritum declamandi, quasi panis ad altare offerendus « adeo in extremum inciderit, ut fere naturam elementi sacramentalis perdiderit, rem quæ panis vix dici poterat substituendo in locum communis elementi (*Bingham. Orig. eccles., l.* XV, *c.* 2, § 5, 6). » Sed quis non agnoscat in hoc summam cavillandi pruriginem? Ineptus enim sit declamator, qui oblatas, sive hostias, quibus nunc utimur, verum ac naturalem panem negare audeat. Desipiat etiam, qui ex mole panis majorem minoremve cœlestis sacramenti efficaciam arcessat. Inter homilias quæ sub nomine Eusebii episcopi Gallicani editæ sunt, quinta de Pascha, quæ sancto Isidoro in Mss. attribuitur, hæc habet: « Invisibilis sacerdos visibiles creaturas IN SUBSTANTIAM CORPORIS ET SANGUINIS SUI verbo suo secreta potestate CONVERTIT, etc. Deinde hæc addit: « Eucharistiæ sacra perceptio non in quantitate, sed in virtute consistit. Quod corpus, sacerdote dispensante, tantum est in exiguo, quantum esse constat in toto. » Neque certe antiquis temporibus grandis buccella in os fidelium immittebatur, sed quodlibet fragmentum consecrati panis satis fuit, cum ibi non minus quam in grandioribus fragmentis se accipere totum Christi corpus Christiani olim quoque crederent. Alteram idem Binghamus censuram struit, fassus tamen, « de re leviore » esse (*Idem, ibid., c.* 3, § 35), videlicet, post consecrationem antiquitus fractum et comminutum fuisse panem in multas partes, ut fidelibus distribueretur, nunc autem in Ecclesia Romana « unam duntaxat oblatam in tres particulas dividi, de quibus nemini datur, modo ut umbram retineant antiquæ consuetudinis; » qui mos ab ipso appellatur « aberratio a veteris Ecclesiæ simplicitate, » et quidem « vituperabilis. » Levis hujusce mutationis causas a nostris adductas, easque justas, ipse affert, neque refellere audet, et nihilominus garrire pergit. Nimirum novo invento id factum ut consuleretur periculo tot fragmentorum, quæ ex veterum fractione evitari non poterant; constat autem in levibus hisce rebus potestatem esse Ecclesiæ variandi, prout ei satius videatur. Ante consecrationem, uti probabiliter creditur, panem Dominus noster *benedixit et fregit.* Attamen hunc frangere post consecrationem Ecclesia semper consuevit; quanto ergo plus eidem licuit in tres duntaxat partes hostiam sacerdotalem frangere, et in tot particulas sive oblatas antea divisum panem consecrare, et fidelibus postea distribuere, sublato, quantum fieri potuit, fragmentorum incommodo?

Verum ad graviora transeamus. Sunt ex Protestantibus nonnulli, atque inter eos præcipue Binghamus (*Lib.* XV, *c.* 3, § 25), qui sibi visi sunt reperisse in canone Romano quædam repugnantia sententiæ de transsubstantiatione et reali præsentia corporis et sanguinis Domini post donorum consecrationem. Scilicet, ibi legitur: *Super quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium patriarchæ nostri Abrahæ; et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.* Ad quæ hæc adjungit Binghamus: « Quomodo enim reale corpus ac sanguis Christi vocari possunt hæc dona? aut comparari cum sacrificio Abel, qui de animantibus obtulit? Quomodo quis precari potest (sine injuria in Filium Dei) ut Deus sacrificium unici Filii sui sibi acceptum esse sinat, quemadmodum sacrificium Abel? » Propterea is censet hæc bonum olim sensum admisisse, quando super pane et vino pronuntiabantur ad consecrandum ea in monumentum ac symbola corporis et sanguinis Domini; nunc autem, ut is dicere pergit, « absurda sunt, et primitivæ intentioni contraria. » Quia Calvinianis oculis hæc intuitus est Binghamus, quod videre debuit non vidit. Nos dona et data Eucharistiæ sacramentum appellamus, quod cœlestis victima quæ ibi continetur incomparabile beneficium est, a Deo nobis collatum. Ad hæc uti donum agnoscimus ab ipso omnium datore bonorum ipsum panem et vinum, sine quo sacrificium novæ legis confici non posset. At quid sunt hæc dona et data, cum hæc verba sacerdos pronuntiat? Sunt dona in rem divinam conversa, quod ante verba consecrationis erat panis et vinum jam factum est corpus et sanguis Domini. Cur non legit, cur attente non consideravit Binghamus præcedentia immediate verba, quibus sacerdos ait suo ac populi nomine: *Offerimus præclaræ majestati tuæ de tuis donis et datis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, et calicem salutis perpetuæ. Super quæ propitio,* etc.? Ergo non amplius ille terrenus est panis, sed *panis sanctus vitæ æternæ,* quo nomine una caro et corpus Domini donatur. Eritne quisquam e Protestantibus qui panem quo corpora nostra aluntur hac voce designari putet, cum disertis verbis ipse Jesus nos illius veram significationem docuerit, inquiens:

Ego sum panis vivus (*Joan.* VI, 48)? Quod etiam efficacius exprimitur additamento *Æternæ;* hanc enim vitam materialis panis dare nequit, sed unice dare potest divinus ille panis, hoc est, corpus Christi Domini, de quo ipse ait : *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Confirmatur etiam veritas sanguinis Christi, quem sub speciebus vini sacra mensa nobis, non figurate, sed vere præbet, quando appellatum videmus *calicem salutis perpetuæ*, dicente Domino : *Qui manducat meam carnem, et bibit sanguinem meum, habet vitam æternam.* En quid sint dona post consecrationem. Ad hæc agnoscenda nihil aliud exigitur, nisi animus pravis affectionibus et præjudiciis liber.

Ad alteram Binghami interrogationem procedamus. Nullam ille comparationem invenit inter sacrificia Abel, Abraham, et Melchisedech, et incruentum altaris, uti Catholici sentiunt. Docendus esset Binghamus censuisse sanctos Patres, patriarcharum sacrificia, quæ Deo placuere in Veteri Testamento, ideo placuisse Deo, quia Filium Dei unigenitum postea pro nobis hostiam futurum præfigurabant, itaque sacrificia fuisse figuras præcellentissimi sacrificii crucis et altaris. Sed hac inspectione dimissa, duo in re præsenti consideranda sunt, scilicet, sacrificium, et res sacrificata, sive qui sacrificium facit, et victima quæ offertur Deo. Nunquam autem Ecclesia somniavit petere a Deo ut acceptam habeat illam hostiam, hoc est, corpus et sanguinem Filii sui, cum nemo unquam inter Christianos dubitarit quin acceptissima semper sit divino ejus Patri, sed petit ut sacrificium ab indignis et peccatoribus factum ei placeat; petit ut vota et preces offerentium immaculatam illam hostiam placido vultu excipiat. In præcedentibus ejusdem missæ Romanæ precibus oratur : *Sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus. Ut sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.* Ita et in sancti Basilii Liturgia legitur : *Deus gratiæ largitor, da nobis, ut sacrificium nostrum coram te acceptum sit.* Cum vero exempla habeamus Dei placido vultu accipientis sacrificia quædam legis antiquæ, præfigurantia sacrificium longe excellentius novæ legis, iis utitur Ecclesia, ut quod sancti viri ob puritatem, fidem, animique devotam dispositionem, suis oblationibus impetrarunt, nos etiam, quanquam impares, quanquam indigni obtineamus. Ad eamdem pariter intentionem referenda sunt quæ subsequuntur, supplicante sacerdote ut Deus jubeat *hæc perferri per manus sancti angeli sui in conspectum divinæ Majestatis suæ.* Inquit hic Binghamus : « Quo pacto Christus, qui sedet ad dexteram Patris, ministerio eget angelorum, ut perferatur ad Patrem in cœleste altare ? » Hujusmodi ministerio certe non indiget Dominus noster, de quo Chrysostomus ait : « Qui cum Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac se tradit volentibus accipere (*Chrysost.*, *l.* III *de sacerd.*). » Verum etsi Ecclesiæ sensus is foret quem opinatur Binghamus, nihil majestatem Filii Dei dedeceret, si sacratissimum ejus corpus per angelos ex terreno ad cœleste altare diceretur deferri; Christus enim in sacramento existit, speciem victimæ mactatæ præferens, quanquam semper vivus; seque Patri pro nobis exhibet, qualis humiliatus usque ad mortem pependit in cruce. Sed satius est opinari, cum dicitur : *Jube hæc perferri*, nihil aliud exoptari ab Ecclesia, nisi ut ad cœleste altare (cujus mentio est in Apocalypsi), sive ad cœlestem Dei thronum et sanctuarium Divinitatis, per angelum (qui orationibus fidelium vivorum præest, easque ad Patrem defert, uti pariter in Apocalypsi legitur) deferantur orationes, vota et oblatio, sive sacrificium, quod tunc Deo offertur.

Neque enim existimari potest Ecclesiam exoptare ut revera Christi corpus et sanguis de altari in cœlum, sive de loco inferiore in superiorem ferantur, cum hoc sine miraculo, eoque perenni, fieri nequeat, et quotidie cernantur cœlestia dona ex altari terreno non dimoveri. Hanc esse mentem Ecclesiæ ediscimus ex aliis cum Latinorum tum Orientalium liturgiis, dum prima oblatio fit panis et vini. In Romana Deum deprecamur, ut oblatum vinum nondum consecratum, sive calix, *in conspectum divinæ Majestatis cum odore suavitatis ascendat.* In Liturgia sancti Basilii apud Goarem : *Ut simus digni tibi offerre hoc rationale et incruentum sacrificium pro nostris peccatis, et populi ignorantiis; quo suscepto in sancto et intellectuali tuo altari in odorem suavitatis, vicissim nobis remitte gratiam sancti tui Spiritus.* Non ergo petitur ut panis et vinum oblata realiter per miraculum attollantur ad *supercœleste altare*, ad *altare spirituale, quod excelsius cœlis est*, ut aliæ liturgiæ habent, sed ut sacrificium peragendum, quod complectitur preces et spem veniæ ab offerentibus conceptam, et ab eorum actione pendet, coram divino Patre sistatur in cœlis; moris quippe est in Ecclesia intueri Deum, quamvis omnipræsentem, in solio præsertim gloriæ suæ ac throno majestatis sedentem ac dominantem. Ita cum sacerdos incensum adolet Deo, rogat ut ascendat ad Deum; et in liturgia Græca sancti Joannis Chrysostomi apud Goarem, et in aliis quas prætereo, offertur thymiama, *quod suscipe, Domine, in sanctum et supercœleste ac intellectuale tuum altare*, etc. Profecto non fumus et odor thuris ad cœlum usque penetraturus creditur, sed quidem orationes et affectus sacerdotis et populi, adorationem præstantis Deo per hoc signum, illuc perventuros speramus. Itaque in prælaudata oratione petitur, non ut divina præsens hostia deferatur in cœlum. Id unum Ecclesia petit cum Daniele ut *fiat sacrificium nostrum in conspectu Dei, et placeat illi* (*Daniel.* III, 40), hoc est, ut ad Deum deferatur oratio, actio, et oblatio nostra, atque in conspectu Dei in cœlo compleatur quod in terrestri altari peragitur, et ex præstantia cœlestis victimæ, et ex acceptatione sacrificii nostri, in nos deinde omnis benedictio descendat. Hoc subsequentia verba confir-

mant. Vota nempe nostra ascendere ad Deum cupimus, *ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti et gratia repleamur.* In altari est corpus et sanguis Domini; ex illo sumendum est nobis : sed rogandus divinus ejus Pater, ut actio hominum peccatorum tam sanctam hostiam offerentium, ab eo clementer accipiatur; tunc enim omnis benedictio cœlestis et gratia e cœlesti isto convivio et sacrificio est nobis speranda.

Denique in canone ante orationem Dominicam hæc habentur : *Per quem* (scilicet, Christum Dominum) *hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis et præstas nobis.* Hic etiam tricatur Binghamus, ejusque asseclæ. « Qua, quæso, ait, loquendi ratione Christus vocari potest : *Hæc omnia bona?* et quidem bona, quæ Deus semper creat, sanctificat, benedicit? Nam Deus creat, sanctificat, vivificat, et benedicit Deum Christum per Jesum Christum? » Ita ille, phantasma in cerebro suo fabricatus quod nunquam in rerum natura fuit. Non de Christo existente in sacramento hæc dicuntur; absonum quippe nimis foret per dictionem *hæc omnia* significare Christum Dominum. Sed quidem per ejusmodi dictionem significantur quæcunque *bona* in usum nostrum divina misericordia quotidie creat; aut duntaxat fructus terræ, qui stato quodam anni die ad hæc verba benedicebantur; aut denique ipse panis et vinum, per quæ sacrificium conficitur. Hæc semper Deus quotannis per Jesum Christum Filium suum creat et producit in beneficium nostrum : quod quidem beneficium prægrande est, cum creaturæ istæ nobis inserviant non solum ad vitam, sed etiam ad omnium præstantissimum mysterium in Ecclesia Dei, et sine quibus ineffabile sacrificium altaris confici nequit. Ejusmodi postea beneficium Dominus mirum in modum auget, cum panem et vinum *sanctificans*, et a communi usu secernens, ad tantam dignitatem extollit, ut sacramentum fieri possint immaculati corporis et sanguinis sui. In immensum postea assurgit beneficium istud, cum Christus per sua verba panem ipsum *vivificat.* Res inanimes sunt panis et vinum. Quomodo vivificantur et vitam accipiunt? Non alia ratione et causa, nisi ex omnipotentia Dei, qui dona ipsa in Filii sui corpus et sanguinem, cum anima et divinitate conjunctum, « transmutat et transelementat, » ut sancti Patres et liturgiæ testantur, eodem modo quo virgam Moysis vivificavit, in serpentem convertens; nam et hujusmodi exemplo iidem Patres utuntur ad statuendam realem mutationem donorum in sacramento altaris. Ita quod erat ante panis terrenus, fit et evadit panis ille, qui de se ipso ait : *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Vivificatum autem hunc panem Deus *benedicit*, ut per ipsum in fideles suos digne communicantes cœlestis omnis benedictio et gratia demum effundatur. Si ad hæc animum advertisset Binghamus, a ridenda illa interrogatione abstinuisset. Atque ex his explicata videas nuper memorata verba, quæ in canone præcedunt, dum sacerdos post consecrationem ait : *Offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram*, etc., *panem sanctum vitæ æternæ.* Græci in missa divina Chrysostomo tributa aiunt et ipsi post verba consecrationis : *Tua de tuis tibi offerimus in omnibus et per omnia;* id est, corpus et sanguinem Filii tui, efformatum ex pane et vino creaturis tuis. Nescio quem in finem Leibnitius v. cl. in Miscellaneis adnotarit, ex Apuleii lib. XI Metamorph., morem fuisse peractis sacris Isidis populum dimittere ea voce : *Populis missio.* Si carpere nos velit, quasi ab ethnicis mystis hunc ritum nostri acceperint, monendus est lector ut Pamelium et eminentiss. Bonam consulat, qui antea hunc ipsum Apuleii locum animadverterunt, simulque palam fecerunt antiquissimum hunc fuisse morem apud Romanos, ut quoties populus ad sacra et ad concionem publicam conveniebat, conceptis verbis dimitteretur in fine. Virgilius :

Lustravitque viros, dixitque novissima verba.

Hoc est, *Ilicet*, idem quod *Ire licet*, uti Servius exponit. Dimittebatur autem senatus hisce verbis : *Nil vos moramur, Patres Conscripti.* Concionis etiam dimittendæ hæc erat formula : *Si vobis videtur, discedite Quirites.* Ita dimissam plebem Christianam ævo suo testantur Tertullianus et Cyprianus. Quid hic, quæso, arrodendum occurrat?

CAPUT XXII.

De invocatione et commemoratione sanctorum in Liturgia a Protestantibus improbata, sive damnata.

Invocationem sanctorum hominum qui ex hac vita discesserunt, in Augustana Lutheranorum confessione fuisse damnatam, norunt eruditi. In eamdem sententiam reliqui Protestantium confluxerunt. Meum non est in celebrem controversiam hanc pedem inferre, utpote a tot Ecclesiæ catholicæ propugnatoribus copiose pertractatam, ac nuper a doctissimo viro Joanne Chrysostomo Trombelli, Bononiensi abbate canonicorum regularium Salvatoris, qui præ cæteris, de cultu sanctorum agens, variis libris argumentum hujusmodi exhausisse videtur. Pauca ad rem præsentem fari mihi liceat. Venerari sanctos ad cœlestem patriam translatos, eorumque nos commendare orationibus, quam antiquum sit in Ecclesia Dei, omnium liturgiarum consensus aperte demonstrat. Quod Romana cæteræque Occidentis Ecclesiæ de beatis illis paradisi civibus sentit, omnes etiam Orientales, quanquam a nobis, et inter se divisæ, a tot sæculis sentiunt, tum eorum memoriam festis diebus honorantes, tum ad eorum patrocinium confugientes. Mos iste male habet Protestantes, quasi Mediatori Dei et hominum Christo injuriam irrogemus. Binghamus ipse Anglus minime nos probat, uti supra diximus, quod in confessione generali ante missam sanctos invocemus, ut orent pro nobis. Deinde sanctorum commemorationem, quæ fit post consecrationem in missa, vellicare nititur (*Lib.* XV, *c.* 3, § 16), quasi pro eis æque ac cæteris defunctis fidelibus Deum vetus Ecclesia pre-

caretur, non vero ut ii Deum precarentur pro viventibus. Sed utinam Protestantes et diligentius exquirerent, et æquius perpenderent quæ sit catholicæ Ecclesiæ sententia de sanctis, quam expressam habent in Tridentino concilio. Scilicet : « Bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor (et Salvator) est, ad eorum orationes, opem et auxilium confugere (*Conc. Trid.*, *sess*, 25). » Hinc habes nos agnoscere et exspectare ab uno Deo largitore quidquid boni et gratiarum in nos manat, aut a nobis speratur. Tum discis spem impetrandi sitam in Christo Domino : nam vel ipsi sancti in cœlis Deum per Mediatorem nostrum precantur. Sicuti autem vel ex confessione Protestantium ipsorum, bonum atque utile est nos commendare orationibus sanctorum viventium, neque per hoc injuria Christo infertur, ita nihil deperit dignitati sanctissimi Mediatoris nostri, si ad sanctorum in cœlis cum ipso regnantium orationes confugimus. Liturgiam ergo consule ; ibi, quæ sit Ecclesiæ mens in cultu et invocatione sanctorum, continuo intelliges.

Itaque sanctos religioso cultu et honore prosequimur, festivos dies in eorum memoriam celebramus, sacrificium quoque in eorum honorem offerimus ; sed præcipue ut in eis honoretur et glorificetur Deus, per cujus gratiam et dona sanctam illi duxere vitam, aut pro Christo tormenta ac mortem sustinuere, dignique cœlesti beatitudine sunt facti. In Sacramentario Leoniano hæc habetur præfatio : *Vere dignum. Tuas enim, Domine, virtutes, tuasque victorias admiramur, quoties in Ecclesia tua horum dierum festa celebrantur, quos insignes confessorum tuorum et martyrum palmæ ad perennem memoriam, solemnemque lætitiam fidelibus populis sacraverunt.* In altera legitur : *Vere dignum. Qui non solum martyrum, sed etiam confessorum tuorum, es virtute mirabilis.* Aliam accipe : *Vere dignum. Te enim laudant et benedicunt omnes sancti tui, quibus et in confessione virtutem, et in passione victoriam contulisti.* Infra hæc alia præfatio occurrit : *Vere dignum. Qui nos beatorum martyrum palmas, in diebus, quos suo sanguine signavere, venerantes, in tua exaltare* (exsultare) *potentia, in tuo, Domine, tribuis semper honore gaudere.* Tum hæc alia : *Vere dignum. Quoniam tu es gloriosus in sanctis, quibus et in persecutione et in passione victoriam contulisti.* Occurrunt ibi complura alia loca in eamdem sententiam convenientia. Paria habentur in Gelasiano Sacramentario. Inde pauca delibemus. Pridie Idus Junias : *Pro sanctorum Cyrini, Naboris, et Nazarii sanguine venerando, hostias tibi, Domine, solemniter immolamus, tua mirabilia pertractantes, per quem talis est perfecta victoria.* Decimo septimo Kalendas Julii : *Sicut gloriæ divinæ potentiam munera pro sanctis oblata testantur, sic nobis effectum, Domine, tuæ salvationis impendant.* Sexto Kalendas Julias : *Hostias altaribus tuis, Domine, placationum impendimus, potentiam tuam in sanctorum* A *tuorum passione honorando.* Quinto decimo Kalendas Septembris : *Sancti martyris Agapiti merita nos, Domine, pretiosa tueantur, in quibus tuæ Majestatis opera prædicamus*, etc. Neque disparem doctrinæ professionem in Gregoriano Sacramentario habes. Nonis Februarii : *Deus qui inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti*, etc. Quinto Kalendas Septembres : *Deus, qui beatum Hermetem martyrem tuum virtute constantiæ roborasti*, etc. Plura habentur in Sacramentario Gothico, et in Missali Francorum, sed nolo ultra vagari. Satis hæc sunt, ut quisque intelligat damnandos esse qui nos damnant quod glorificemus Deum in sanctis ejus, quod illius dona ac triumphos in beatis cœli civibus honoremus.

B Ad sanctorum quoque patrocinium confugimus, eorum nos orationibus commendantes. At quo pacto? Sacra liturgia tibi indicabit. Nihil nobis ii conferre possunt. Deum tantummodo rogamus, ut ob illorum preces atque intercessionem sua in nos beneficia effundat. Ipsas etiam eorum supplicationes vim non aliter habituras credimus, nisi per Mediatorem Dei et hominum Christum Jesum divino Patri sistantur et commendentur. Propterea mos est Ecclesiæ, orationes, quas in eorum solemnitatibus ad Deum dirigimus, uti et in aliis occasionibus, consueta formula concludere : *Per Dominum Jesum Christum*, etc. Ejusmodi confugium ad sanctos, cœlorum regno potitos, impedire non possumus quin Protestantes improbent, quasi piorum hominum inventum, et nullo sacrarum litterarum fulcro nixum. Itane ergo? C At nos dogmatis hujus vestigia in Apocalypsi ostendimus, ubi commemorantur *orationes*, προσευχαί, *sanctorum*, in cœlis cum Christo regnantium, quibus profecto nihil opus est orare pro se ipsis, et in Epistola secunda Petri (*II Petr.* I, 15), et in secundo Machabæorum libro (*II Machab.* XIV, 14). Deinde antiquitatem consuetudinis hujus ad ipsa pene apostolorum tempora deducimus, testes in hanc rem adducendo Irenæum, Origenem, Cyprianum, tum reliquos quarti et quinti sæculi Patres. Hosce idoneos testes si superstitionis patronos, aut supinæ ignorantiæ reos traducere, simulque primitivam Ecclesiam prævaricationis nota aspergere velint, temeritate non careant; et potissimum postquam evi- D denter demonstratum est, nihil officere sanctitati ac doctrinæ religionis Christianæ cultum et invocationem sanctorum. Hic autem, ut supra innui, insurgit Binghamus Britannus, persuadere nobis volens morem in priorum sæculorum Ecclesia fuisse etiam precandi Deum pro sanctis, quod is deducere se posse arbitratur ex Constitutionibus apostolorum (*Lib.* VIII, *c.* 12), in queis post consecrationem sacerdos ait : *Offerimus tibi pro omnibus sanctis, qui a sæculo placuerunt tibi, patriarchis, prophetis, justis, apostolis*, etc., *laicis, et omnibus quorum tu nosti nomina.* Tum subdit : « Fuisse universalem Ecclesiæ praxim, pro omnibus, nemine excepto, orare, ex concordi omnium scriptorum ecclesiasticorum testi-

monio liquet. » Utique *pro omnibus* respondemus, sed dispari Ecclesiæ intentione; quod ne ipse quidem Binghamus negare infra audet, cum scribat : « Pro martyribus preces, laudes, ac gratiarum actiones offerebant; pro aliis potissimum preces. » Et nihilominus infra ostendere nititur « pro omnibus sanctis, non excepta ipsa Maria virgine, » precatos olim fuisse fideles, quasi et illi viventium precibus apud Deum indigerent; atque in hanc rem nonnulla contorquet veterum verba. Sed uti antea animadvertimus, scriptori isti, non secus atque aliis, de sectæ quidem suæ honore, non vero de veritatis cura sollicitis, in more fuit, non lucem quærere, quæ in omnium oculos incurrit, sed tenebras tantum quæritare, quarum ope, si fieri possit, ostendant lucem ibi deesse. Peto ego : Legitne Binghamus, an non, quæ idem auctor Constitutionum apostolicarum habet eodem libro, ubi orationem pro mortuis refert? Ibi legitur : *Colloca eum in sinu patriarcharum, prophetarum, apostolorum, omniumque qui tibi a sæculo placuerunt, ubi non est tristitia, dolor, gemitus, imo locus piorum sedatus, et pariter terra rectorum, eorumque qui in ea vident gloriam Christi tui* (*Ibid. c.* 41). Itaque geminos defunctorum ordines auctor ille agnovit, hos, videlicet, qui jam patriam, seu paradisum attigere, ubi vident gloriam Christi sedentis ad dexteram Patris, et illos qui adhuc in via sunt, et gemunt a paradiso exclusi. Imo ipsemet auctor hosce vita functos antea distinxerat; nam verba a Binghamo memorata, scilicet, *Offerimus tibi*, etc., respiciunt oblationem Deo factam in honorem sanctorum. Tum capite subsequenti refertur oratio pro fidelibus post divinam oblationem, atque inter alia ibi dicitur : *Pro iis qui in fide requieverunt, Oremus.* En reliquos fideles defunctos, atque a sanctis jam in cœlum receptis distinctos, pro quibus preces ad Deum fundendæ sunt, ut a peccatis solvantur. An bona fide Binghamus hic egerit, judicium esto lectorum.

Ultra tamen ille pergit, postea scribens : « Augustinus quidem singularem fovet opinionem in hac materia de precibus pro mortuis. Non enim æque pro martyribus ac aliis hominibus orandum esse statuit, eo quod ad cœlestis beatitatis fruitionem illico post mortem admissi sint. » Audisne « Singularem opinionem ? » Imo, si paucos Millenarios excipias, de quibus in tractatu de Paradiso multis ego egi, Ecclesiæ catholicæ sententia hæc semper fuit ; et Binghamus, dum hæc ignorat, aut non nosse se fingit, populum suum fœdissime decipit. Eos qui vita functi ob suam pietatem in cœlestem patriam sunt jam recepti, quis, nisi desipiat, putet precum amplius nostrarum indigere? Imo eosdem invocare, ut Deum exorent pro nobis, ab ipso exordio suo Ecclesia consuevit. Ineptiæ sunt, quas Binghamus addit, inquiens, in antiqua Græca et Latina Editione Sacramentarii Gregoriani scriptum reperiri : *Memento, Domine, famulorum tuorum cunctorum atque cunctarum, qui nos præcesserunt*, etc. « At in postea (ut is subjungit) reformatis missalibus ita mutaverunt : *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum N. et N. qui præcesserunt*, etc., ne pro sanctis æque ac aliis qui essent in purgatorio precari viderentur. Hinc perspicient, spero, lectores, me supra non injuria pronuntiasse de polemicis Protestantium scriptoribus Isaiæ et Apostoli verba : *Aure audietis, et non intelligetis ; et videntes videbitis, et non perspicietis.* Ubinam certe erant oculi Binghami, cum hæc scripsit ? Mitto negari a nobis mutationem ab ipso adductam ; nam Codices Gregoriani Sacramentarii supersunt, ferme ante annos mille exarati, in quibus eadem verba occurrunt quæ in reformatis Missalibus leguntur. Sed quod pudere Binghamum debuit, nonne adhuc in Missalibus Romanis hæc verba succedunt? *Ipsis, Domine, et* OMNIBUS *in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis, et pacis, ut indulgeas deprecamur;* quæ nemo non videt, pro vita functis, nondum gloria cœlesti donatis, duntaxat dici. Obiter hic animadvertas velim Romanæ Liturgiæ venerandam antiquitatem et doctrinam, ibi enim formula est qua Tertulliani ætate Ecclesia utebatur in orando pro mortuis. Enim vero (sunt ejusdem Tertulliani verba) et pro anima ejus orat, et refrigerium adpostulat ei (*Tertul., lib. de Monogam., c.* 10). Quod stupeas, locum ejusdem Missalis, quo nunc utimur, Binghamus non solum legit, sed totidem verbis exscripsit, et nihilominus illud *Omnibus in Christo quiescentibus* videns, non perspexit ridiculam esse excogitatam mutationem, « ne pro sanctis etiam precari videamur. » Quod plus est, malæ fidei reatum nescio qui effugere is possit, cum subsequentia Romani canonis verba dissimulat, hoc est : *Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis apostolis et martyribus, cum Joanne, Stephano*, etc., *et omnibus sanctis tuis, intra quorum nos consortium, non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte.* Meridianum solem hic habes. *Omnibus fidelibus* in pace Christi et Ecclesiæ jam ex terreno ergastulo solutis locum refrigerii et veniam a Deo precamur. Postea de sanctis regnum cœleste jam assecutis loquentes, ut cum eis societatem et consortium misericors Deus nobis impertiatur, precamur. Sed animum nondum Binghamus despondet, atque ex Hincmaro scriptore noni sæculi animadvertit, tunc orationem, recurrente sancti Leonis papæ festo, hisce verbis in Romano Sacramentario fuisse conceptam : *Adnue nobis, Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio, quam immolando totius mundi tribuisti relaxari delicta.* Verum, ait Binghamus, in recentioribus Sacramentariis hunc in modum mutata est : *Adnue nobis, quæsumus, Domine, ut intercessione beati Leonis hæc nobis prosit oblatio.* Animadvertere poterit lector, non solum hanc orationem, qualis ab Hincmaro legebatur, reperiri ad quartum Kalendas Julias in vetustissimo Sacramentario Gregoriano infra evulgando; sed etiam ad quartum Iduum Martii

orationem in festo sancti Gregorii papæ totidem fuisse verbis conceptam. Sed quidnam, quæso, illud *prosit* olim significabat? nihil aliud, nisi *prosit ad honorem*; nam et nunc in vulgata liturgia dicimus : *Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus*, etc., *et in honore beatæ Mariæ*, etc., *et omnium sanctorum, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, et illi intercedere pro nobis dignentur in cœlis*, etc. Atque hanc et non aliam fuisse mentem Ecclesiæ, ex aliis duabus adjunctis orationibus aperte deducitur, in quarum una hæc leguntur : *Deus, qui beatum Leonem pontificem sanctorum tuorum meritis coæquasti*, etc.; et in altera : *Deus, qui animæ famuli tui Leonis* (uti et Gregorii) *æternæ beatitudinis præmia contulisti*, etc. Num adeo sui oblitam putes Ecclesiam Romanam, ut suis precibus ad assequendam æternam beatitudinem pontificem illum juvare velit, quem jam ingentis ejus præmii compotem factum agnoscit?

Neque omittendum, e Protestantibus quosdam non in suis tantum sermonibus, sed et in publicis libris solitos esse traducere sacrificium missæ veluti mimicum spectaculum ob tot *Dominus vobiscum*, genuum flexiones, cruces, gesticulationes, ut aiunt, et quid non? Sed et ejusmodi censura sat prodit quid in eis possit exulceratus animus, et a turbulentis affectibus depravatus; quando sine ulla justa ratione, et ex solo arbitrio, irridendo damnant quod tot sapientes quibus constat Catholicorum respublica, imo et cæteræ nationes Christi fidem amplexæ, probant, dum a primis usque Ecclesiæ sæculis sacrificium peragunt, ritibus non paucis ad mysteriorum venerationem adinventis. Infidi judices inimicorum oculi. Memini me audisse Calvinistam presbyteris nostris insultantem, quasi missam ludicri spectaculi loco haberent. Cur in acrem hanc censuram is ferretur, interrogavi. « Quia, respondit, hisce meis oculis eos conspexi deferentes ad altare pyxidem ad tabaccum desumendum, dum sacra conficiunt. » Tunc ego : « Heu! sodes, in tantam dementiam atque irreverentiam erga divina mysteria Catholicorum quemquam sacerdotum erupisse, qui tibi unquam persuasisti? Evidentissimum est, in ea pyxide, quam aspexisti, non tabaccum, sed perspicillos fuisse conclusos, quibus uti passim consuevere presbyteri senes ad refovendam declinantem oculorum aciem. » Fieri tamen potest ut interdum ex imperitia, festinatione, aut languente pietate, nonnullorum sacerdotum sacra mysteria incongrue pertractentur, unde potius contemptus quam reverentia in malevolis aut parum piis spectatoribus excitetur. Ast in eos, non in ipsa mysteria ac ritus, rejicienda est culpa; et adversus hujusmodi ministros, qui non ædificant, sed destruunt, concordi voce tonant canones et pii quicunque Ecclesiæ catholicæ scriptores. Nihil ergo theatrale, nihil mimicum heterodoxi in Catholicorum missa invenient, dum sibi caveant ab internis concepti in nos odii insidiis. Nihil certe obloquendum habeant de tot orationibus, lectionibus tum Veteris, tum Novi Testamenti, antiphonis, graduali, etc., ut pote institutis ad implorandam Dei clementiam, et reliqua beneficia ab uno Patre misericordiarum *Per Dominum nostrum Jesum Christum* exspectanda, et plerisque e divino Codice derivatis. Manus autem vel ante pectus junctæ, aut modeste elevatæ, consentiunt cum humilitate cordis, et deprecantium affectu. Antiquissimi hujusce moris (præter exempla e sacris litteris petita) locupletem habemus testem Tertullianum scribentem : « Atqui cum modestia et humilitate adorantes, magis commendamus Deo preces nostras, ne ipsis quidem MANIBUS sublimius elatis, sed TEMPERATE AC PROBE ELATIS (*Tertul., l. de Orat., c.* 17). » Manuum extensio super oblata, quæ antiquitus multum spatii in altari occupabant, cum dicimus : *Hanc igitur oblationem*, etc., imitatio est sacerdotum veteris legis, qui, ut habetur in Levitico, *ponebant manum super caput victimæ* (*Levit.* IV, 4). Translatio Missalis ad alteram altaris partem in missis privatis apud piscatores mysteriorum causas mysticas continere creditur. Verum nihil aliud est quam imitatio aliqua missæ solemnis. Pleraque Christianorum templa olim orientem inspiciebant. Ambon (sive pulpitum) in septentrionali parte situs erat. Post lectiones in meridionali parte recitatas, diaconus, venia ab episcopo petita, ambonem ascendebat, ibique conversus ad populum Evangelium canebat. Inde natus in privatis missis mos deferendi Missalis ad alteram partem altaris, itemque consuetudo qua presbyter, non recto vultu, sed facie aliquantulum conversa, ad populum recitat Evangelium.

Atqui thurificatio in solemnibus sacris adhibetur. Ita est. Hanc abrogarunt antiquorum rituum, et Ecclesiæ ipsius, novi hostes. Sed nunquid theatrale aliquid in hoc ritu excogitare audeant? Thura in sacris ex Dei præcepto Judæi quoque usurparunt. Eumdem morem pariter Christiani ex Apocalypsi didicerunt, nam *angelus stetit ante altare, habens thuribulum aureum, et data sunt illi incensa multa*, etc. *Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo* (*Apoc.* VIII, 3). Quin antiquissimi sint canones qui sub nomine Apostolorum circumferuntur, nullus eruditorum negat. Ibi offerri dicitur incensum, sive thymiama, « tempore sacræ oblationis (*Canones apost., c.* 3). » Propterea, uti supra vidimus, sanctus Ambrosius sæculo Christi quarto hoc usitatum in divino sacrificio prodit, scribens : « Atque utinam nobis quoque adolentibus altaria, et sacrificium deferentibus, assistat angelus (*Ambros., Expos. in Evang. Luc., l.* I, *c.* 28), etc. » Ejusdem ritus meminit etiam Eusebius (*Demonst. evang., l.* I). Crucis quoque signa complura a sacerdotibus usurpantur in sacra liturgia, tum super oblata, tum super ipsum corpus et sanguinem Domini. Jam sanctus Augustinus de signo Crucis monuerat : « Quod nisi adhibeatur frontibus credentium, sive ipsi aquæ, ex qua regenerantur, sive oleo, quo chrismate unguntur, sive sacrificio, quo alun-

tur, nihil eorum rite perficitur (*Aug.*, *tract.* 118 *in Joan.*). » Ex quo Carolus vere Magnus sæculo Christi octavo et sequenti ad litterarum studia, quæ jam diu neglectæ jacuerant, suam gentem excitavit, docti nonnulli viri explicanda et illustranda susceperunt divina Officia, videlicet, Alcuinus, Amalarius, Florus, Agobardus, Walfridus Strabo, atque alii. Mirum est quot allegorias, quot mysteria iidem in sacris quibusvis ritibus invenerint. Et profecto in eis non desunt mysticæ significationes : pleræque tamen ab iis productæ (liceat dicere) piarum mentium phantasmata sunt, quæ in leves auras facile resolvuntur. Ad ipsa crucis signa quod attinet, laudanda in primis videtur doctissimi Patris Lebrun interpretatio his verbis : « Ante consecrationem hæc adhibentur ad impetrandas gratias quæ non aliter quam per merita crucis Christi Domini sunt exspectandæ. Post consecrationem vero nos tantummodo offerimus. Signa ergo crucis tunc non in alium finem facimus, nisi ad ostendendum altaris dona jam fuisse immutata in corpus Domini. Nihil Ecclesia omittit ut in corda sacerdotum atque assistentium imprimat sacrificium altaris idem esse cum sacrificio crucis, ibique haberi Christum, uti in cruce sacrificatum (*Explic. litt. miss.*, *tom. I*, *p.* 3, *art.* 11). »

Usum salutationis, sive *Dominus vobiscum*, sive *Pax vobis*, ex divinæ Scripturæ libris habemus. Ejus meminit Uranius auctor synchronus in Vita sancti Paulini episcopi, anno 431 ad cœlestem patriam evocati, ubi de sancto Joanne Neapolitano scribit : « Ad ecclesiam processit, et ascenso tribunali populum ex more salutavit, resalutatusque a populo orationem dedit. » Scilicet, respondit populus : *Et cum spiritu tuo;* subintelligitur *Dominus sit.* Ordinem Romanum, longe ante annum a Christo nato octingentesimum compositum, præ oculis habens Amalarius sæculo nono scribebat : « Quando dicimus : *Pax vobiscum* (seu potius *Pax vobis*) sive *Dominus vobiscum*, quod est salutatio, ad populum sumus versi (*Lib.* III, *c.* 9). » Et profecto tunc presbyter se convertit ad populum; sed antiquis temporibus nulla conversione opus iis fuit, qui non in antica sed in postica altaris parte sacra celebrabant facie semper ad populum conversa; cujus moris adhuc vestigia supersunt aliquibus in locis, et potissimum Romæ in Patriarchalibus, aliisque vetustissimis templis. Sane et in hunc ritum aliqua interdum deformitas ex ministrorum defectu incurrere potest, sive quod conversiones, choreas ducentium ad instar, rapida corporis revolutione peragantur, sive quod presbyteri oculos, quos habere demissos tunc jubentur, apertos conjiciant in circumstantium faciem. Sed quis non videt, accidere hoc contra mentem Ecclesiæ regulasque ab ea præscriptas? Ab ejusmodi periculo abest Ambrosiana Ecclesia, quæ, præterquam ad Evangelium missæ solemnis, facie ad altare conversa *Dominus vobiscum* recitat semper aut canit. Imo et in ipsa Romana quater eadem salutatio sine ulla corporis conversione peragitur, nempe ante accessum ad altare, ante Evangelium in missis privatis, ante præfationem, et ante Evangelium Joannis in fine missæ. Cur tunc ab eadem conversione sacerdotes abstineant, quærunt Amalarius, Durandus, et alii, ineptasque causas adducere mihi videntur. Verum, sive fiat, aut non fiat conversio, dum præscripta a Ritualibus observentur, certum est nihil occurrere quod censuræ locum relinquat.

Cantum in sacris ubi quis reprehenderet, judicii, ut arbitror, inopia laboraret, utpote qui Apostolo adversaretur, ad Ephesios scribenti : *Loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes, et psallentes in cordibus vestris Domino;* id est, corde consentiente cum cantu. Idem repetitum videas ad Colossenses (*Coloss.* III, 16). Ipsemet Dominus noster *hymno dicto* sacram cœnam conclusit. Cantum ex institutione sua exigit hymnus. Disciplinam ejusmodi in usu jam primis sæculis fuisse testis est Tertullianus, dum sacra convivia describit, inquiens : « Ut quisque de Scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere (*Tertul. Apologet.*, *c.* 39). » Quæ indicant novis etiam hymnis et canticis tunc uti fidelibus licuisse. Neque dedecere in sacris instrumenta musicalia, Veteris Testamenti exemplo instruimur, et ipse regius Psaltes non uno in loco ostendit. Sed utinam in licito et laudabili usu musicæ sacræ nulli unquam deprehenderentur abusus et excessus! quos Tridentina synodus (*Sess.* 22, *c.* 8) cavendos monuit, piissimique catholicæ Ecclesiæ scriptores jam diu invectos doluerunt atque damnarunt. Musicam et cantum gravem in Ecclesia nemo non commendet, eum, videlicet, qui unisona modulatione lætitiam simul et devotionem excitat, qualis est Gregorianus, Ambrosianus, Benedictinus, et si quis alius id genus. A cantu quoque Gregoriano, ut aiunt, figurato per sonos in discordia concordes, commoveri teneros devotionis affectus, sæpe animadvertere possis. Insuper ad eamdem animi compositionem moderata, neque desultoria pulsatio organorum pneumaticorum nos inducere consuevit. Verum non hic stetit prudenter instituta aut tolerata a sanctis Patribus musica in templo adhibenda.

Jam a multis sæculis conquesti sunt viri ex pietate judicioque subacto commendatissimi, et nostris potissimum temporibus dolent, quod in Dei domum, atque in ipsum præsertim augustissimum missæ sacrificium irrepserit mollis illa atque effeminata musica, quam vel ipsi ethnicorum philosophi e cœtu populi eliminandam censuerunt, uti animorum ac morum surdam corruptricem. Disputandum aliis relinquo sitne hæc ferenda in theatris; at quod e theatris in gravissima Ecclesiæ sanctæ mysteria fuerit translata, nemo, qui rem attente consideret, mentemque Ecclesiæ exploratam habeat, istud musicæ genus laudare possit, ac tolerare velit. Quid-

quid devotionem non excitat aut alit in divinis mysteriis, et, quod gravius est, ab ea animum avertit, improbandum quis continuo non exclamet? Ad experientiam nunc provoco. Ubi tot vocum et instrumentorum strepitus, ac tam ingeniosa, ne dicam luxuriosa, modulatio in templis resonat, illuc tota aurium atque animorum intentio rapitur; omnia ad delectationem composita sunt, nihil ad devotionem trahit. Tunc tempus est colligendi mentem, atque habendi sursum corda ad Dominum. Quis non videt distrahi et avocari per ista animum a contemplatione rerum cœlestium? Attamen nos per summam incogitantiam hæc miramur, hisce plaudimus; et tunc nobis videntur festa et sacra officia eo solemnius peracta, quo plura exhibentur spectacula unde oculis et auribus singularis oblectatio præbeatur. Neque perspicimus nos in istis non quærere Deum, atque cum eo per mentis nostræ obsequium et cordis affectum uniri, sed nostrorum tantummodo sensuum voluptatem. Quod mirari possis, non hæc tantum nostrorum temporum vitia sunt, sed vel ipso Christianæ æræ sæculo quarto nata ac deplorata fuerunt. « Sic cantet servus Christi (sunt verba Hieronymi), ut non vox cantantis, sed verba placeant quæ leguntur; ut spiritus malus qui erat in Saule ejiciatur ab his qui similiter ab eo possidentur, et non introducatur in eos qui de Dei domo scenam fecerunt populorum (*Hieron.*, *in Ephes.* v). » Sanctus autem Augustinus inquit : « Cum mihi accidit ut me amplius cantus quam res quæ canitur moveat, pœnaliter me peccare confiteor, et tunc mallem non audire (*Aug. Confess.*, *l.* x, *c.* 33). » Ita Isidorus Pelusiota mulieres damnat, quod in ecclesiis hymnos « in dissolutionem et peccati occasionem canerent. Siquidem cantus suavitate ad irritandas et exstimulandas libidines abutentes, nihilo eam scenicis cantilenis præstantiorem esse existimant (*Isidor. Pelus.*, *l.* I, *epist.* 90). » Alios in ejusmodi intemperantiam invectos non addo; neque diutius in hisce immorari lubet, cum persuasum habeam parum virium habituram esse hanc musicam meam ad expugnandam voluptuosam temporum nostrorum musicam, et ad severiores mores suadendos in divinis Officiis.

CAPUT XXIII.

De asservato post sancta mysteria corpore Christi, et de heterodoxis abutentibus in hanc rem Hesychii Jerosolymitani verbis.

Fieri non potuit antiquis Ecclesiæ sæculis quin interdum post populi communionem aliquot reliquiæ consecrati panis superessent. Uti viri docti animadverterunt, atque ipse Binghamus Anglus fatetur (*Orig. eccles.*, *l.* xv, *c.* 7, § 2), in Ecclesia Alexandrina mos fuit easdem reliquias clericis et fidelibus qui jam communicaverant distribuere, ut easdem comederent et biberent. Id constat ex canone septimo Theophili Alexandrini episcopi (*Apud Bevereg. t. II*). Alia Constantinopoli consuetudo fuit, Evagrio testante, « ut quoties ex partibus IMMACULATI CORPORIS CHRISTI, Dei nostri, magnus numerus superfuerit, pueri impuberes evocentur, qui eas manducent (*Evagr.*, *Hist. eccles.*, *l.* IV, *c.* 36). » Idem in Gallicanis Ecclesiis consuevisse fieri, ediscimus ex concilio II Matisconensi (*Can.* 6), anno Christi 588 celebrato. Morem alterum Ecclesiæ Jerosolymitanæ proprium Binghamus in medium profert ex Hesychio, qui Jerosolymitanus presbyter et episcopus fuisse traditur sæculo Christi quinto aut sexto. Ejus verba sunt ex antiqua (hæc enim una superest) versione Latina : « Hoc quod reliquum est de carnibus et panibus, in igne incendi præcepit. Quod nunc videmus etiam sensibiliter in ecclesia fieri, ignique tradi quæcunque remanere contigerit inconsumpta, non omnino ea quæ una die, vel duabus, aut multis, servata sunt (*Hesych.*, *in Levit. l.* II, *c.* 8). » Ex Albertino, famoso illo Calviniani commenti patrono, hæc hausit Binghamus, illius sophismatis nimium credulus, atque ab ipso observatum ait : « Non fuisse Ecclesiæ Jerosolymitanæ consuetudinem, reservare Eucharistiam de die altero in alterum, non credidisse eos illam realiter, proprie ac substantialiter, sed typice tantum et symbolice Christi sui corpus esse. Quantum enim offendiculum (inquit Albertinus) Judæis et ethnicis fuisset, si Christianos rescivissent Christi sui corpus animatum et gloriosum ignibus tradere? Simplices etiam Christiani id tanquam horrendum abominati fuissent. » Ita deinde Binghamus idem buccas inflat, ut in hæc verba erumpat : « Quod si nullum aliud argumentum suppeteret contra transsubstantiationem et cultum hostiæ, hæc res una sola sufficeret ad persuadendum homini cuilibet rationali, tales doctrinas et consuetudines ab antiqua Ecclesia nunquam esse propositas ac defensas. » Imo hoc unum satis esse posset ad evincendum ratione omnino destitutum hic fuisse, qui tantopere sibi ex hoc uno Hesychii loco blanditur, et non solum se tutum in Calvini sententia reputet, sed etiam omnium orbis Ecclesiarum de veritate ac realitate corporis Christi in Eucharistia doctrinam esse reformandam corrigendamque arbitretur.

Ecquando enim ex eo quod aliqui olim ritum observarunt, qui nunc prorsus reverentia debita erga tam augustum sacramentum carere videtur, rite inferre possit minime eis persuasum fuisse ibi existere verum corpus Christi? Tanta lux a doctis viris allata est ecclesiasticæ ac litterariæ historiæ de dogmate Eucharistiæ, ut nemo dubitare nunc jure queat, tum nostro, tum præteritis semper sæculis, concordes cum Romana processisse Græcorum aliorumque Orientalium Ecclesias atque scriptores in credenda et asserenda reali præsentia Christi in sacramento altaris. Medio sæculo undecimo Humbertus, Sylvæ Candidæ episcopus, contra Græcum Nicetam stylo nimis aculeato in eorum irreverentiam invehebatur, dicens : « Panem frangentes et sumentes, hinc inde decidentes micas non curatis. Quod enim solet contingere, dum patinas sanctas foliis palmarum et

porcorum setis fricatis inhoneste. Multi quoque vestrum tam irreverenter CORPUS CHRISTI reponunt, ut pyxides inde cumulent, et ne decidat, aut supereffluat, manu inculcant. Reliquias quoque oblationis, velut communes panes usque ad fastidium sumunt. Et si sumere non sufficiunt, subterrant, aut in puteum projiciunt (*Humbert. adv. Nicetam, t. XVIII Biblioth. PP.*). » Si quis Calviniani gregis inde colligere vellet, aliter sensisse de Eucharistia illius temporis Græcos ac nunc sentiant, in promptu nubes erit scriptorum veterum qui ipsum falsæ opinionis arguant. Præterea, si aliquo in loco desiderabatur reverentia erga corpus Domini, nonne innumeris aliis in locis eadem observabatur? Fortassis etiam paucorum fuit mos ille; Humbertus enim idem scribebat hæc ævo suo : « Si quid ex sancta et venerabili Eucharistia in Jerosolymitanis Ecclesiis superfuerit, nec incendunt, nec in foveam mittunt, sed in pyxidem mundam recondunt, et sequenti die communicant ex ea populum, etc. Subterrare autem, vel infodere sanctam Eucharistiam in terra, sicut quidam dicuntur agere, aut in lagenam mittere, aut effundere illam, negligentia magna est, et nullus timor Dei. » Equidem vereor ne et hæc pro more exaggerarit Humbertus. Nullus fortasse hujusmodi fuit abusus. Adjicit etiam, ex quadam epistola Latio donata, « luce clarius intelligi, eumdem ritum divini sacrificii sanctam Jerosolymitanam Ecclesiam observasse antiquitus, quem sacrosancta Romana Ecclesia observare non cessat hactenus. » Nulla certe excusatione digni fuissent, qui olim adeo irreverenter habuissent Domini corpus, quanquam ii fortasse non animadverterent ejusmodi excessum, quod scirent, species quidem eucharisticas destrui, sed nihil inde offici dominico corpori, quod incorruptibile est, et probro sibi non ducit in officinam stomachi nostri descendere.

Age vero, vanitatem argumentationis Binghamianæ, seu potius Albertinianæ, ostendamus; hoc enim hominum genus Æsopici canis ad instar carnem veram dimittens, et ad illius umbram unice inhians, monitore indiget, ut agnoscat quantum fallatur atque alios fallat. Illi ergo ex incensis sacrificii incruenti reliquiis deducere se posse arbitrantur, non agnitam creditamque fuisse veritatem ac realitatem corporis Domini in Eucharistia. Atque interea non quærunt, imo videre fugiunt certam veritatis hujus professionem in ipsa Jerosolymitana Ecclesia viguisse. Ex sancto Cyrillo episcopo ejusdem sanctæ Ecclesiæ ipsam antea statuimus. Quanta autem reverentia sacratissimo corpori et sanguini Domini ibi deferretur, vel post missam peractam, constat ex Vita sanctæ Mariæ Ægyptiacæ in Palæstina defunctæ, quæ Sophronio episcopo Jerosolymitano Hesychii synchrono tribuitur, aut antiquiorem habet scriptorem. Vide Surium, et Acta sanctorum, ad diem secundam Aprilis. Ad Zosimam abbatem inquit sancta pœnitens : « Accipe mihi sacrum vas vivifici corporis et sanguinis Christi, tantis mysteriis dignum, atque affer, manens omnino in ea Jordanis ripa, etc. Omnino mihi afferas salutifera atque divina mysteria ea hora qua Dominus discipulos suos divini istius epuli fecit participes. » Ergo habes corpus Domini post sacram synaxim magna veneratione asservatum in usu fuisse. Ibi vivificum corpus et sanguis Christi permanere credebatur, et realiter quidem contra id quod Calvinistæ censent; neque post cœnam sublata erat eadem realitas, uti alii Protestantes opinantur. Hoc dogma, hanc fidem non Jerosolymitana tantum, sed et reliquæ orbis Ecclesiæ profitebantur, idque tot liturgiarum sanctorumque Patrum auctoritate antea demonstratum fuit. Suspicarine possis aliam Hesychio mentem fidemque fuisse? At ipse pro se loquatur. Inquit enim : « CARNEM autem CHRISTI, quæ ad comedendum inepta erat ante passionem (quis enim cupiebat comedere carnem Dei?) APTAM CIBO post passionem FECIT. Si enim non fuisset crucifixus, SACRIFICIUM CORPORIS EJUS minime comederemus. COMEDIMUS autem nunc CIBUM, sumentes ejus memoriam passionis (*Hesych. Jeros. in Levit. l.* I, *c.* 2). » Ex perspicuis hisce verbis, non ex tenebrosis, haurienda est Hesychii fides atque doctrina. Si caro Christi facta est apta cibo, ergo eam revera in cibum sumimus, et non typice et symbolice tantum; neque enim typus comedi potest. Ad Levitici verba : *Qui comederit de sanctificatis per ignorantiam*, etc., hæc ille rursus habet: « Sancta sanctorum sunt PROPRIE Christi mysteria, quia IPSIUS EST CORPUS, de quo Gabriel ad Virginem dicebat : *Spiritus sanctus superveniet in te*, etc. Ab hoc enim non solum alienigenas et inquilinos, et mercenarios sacrificii prohibuit, sed nec per ignorantiam percipere præcepit. Per ignorantiam autem percipit, qui virtutem ejus et dignitatem ignorat, QUI NESCIT QUIA CORPUS HOC ET SANGUIS EST SECUNDUM VERITATEM; sed mysteria quidem percipit, nescit autem mysteriorum virtutem (*Idem, in lib.* VI *ad c.* XXII *Levit.*). »

Inquient sane Calviniani : Nos mysteriorum virtutem probe scimus et credimus. At, quæso, dicant, num sciant et credant, in mysteriis esse corpus et sanguinem Christi secundum veritatem? In eorum quidem mente ac cerebro est, non in ipsis vero mysteriis. Et quare? Quia sensibus tantum fidem habentes, oculis scilicet, tactui et odorato, aliud nisi merum panem et vinum concipere nesciunt in sacramento. At istos alloquitur Hesychius, addens: « Sermo qui prolatus est ab ipso Christo super dominicum mysterium (id est, verba consecrationis) ipse est qui liberat nos ab ignorantia, removetque nos carnale quidpiam et terrenum de sanctis arbitrari (scilicet, opinari adhuc panem et vinum, quæ a verbis Christi sanctificata sunt), sed divine ea et spiritualiter accipi sancit. Quia in nobis est divinus Spiritus (invocatio videlicet Spiritus sancti, ut in liturgia Græcorum) et sermo quem tradidit (nempe verba Domini) componit sensus, et non solum nostrum gustum producit ad mysterium, sed et audi-

tum et visum et tactum et odoratum; ita ut nil in eis minori rationi et infirmæ menti proximum, de his videlicet, quæ valde superna sunt, suspicemur.» Veritati ac realitati corporis Christi in Eucharistia repugnant sensus, repugnat ratio et mens Calvinistarum; ast ubi perpendit, Spiritum sanctum illabi in oblata, et *Hoc est corpus meum* per sacerdotem pronuntiari a Domino, desinere debet omnis sensuum et rationis repugnantia, et tam grandis miraculi veritas credenda est. Hesychii perspicua mens hinc elucet. Adhucne dubitas? Audi quæ ipse adjungit: «Sanctificationem enim mystici sacrificii, et a sensibilibus ad intelligibilia translationem, sive commutationem, ei qui verus est sacerdos, videlicet, Christo, oportet dari, id est, IPSI DE EIS MIRACULUM CREDERE, et imputare; quia per ejus virtutem, et PROLATUM AB EO VERBUM, quæ videntur, tam sanctificata sunt, quam cunctum carnis excedunt sensum.» Indica mihi, si potis es, quodnam aliud miraculum in Eucharistia deprehendatur, cui sensus et ratio adversentur, nisi donorum transmutatio in carnem et sanguinem Christi. Adjicit hæc alia Hesychius: «Qui enim Christo suorum mysteriorum sanctificationem imputant, et addentes sibimetipsis verbum ejus, quod nostros perducit sensus ad sublimiora, non contaminant sancta sanctorum, utpote qualia oportet de eis intelligentes. Sed nec inducunt super se iniquitatem delicti (quod Calvinianis accidit, plus sensibus quam efficaciæ verborum Christi, fidem præbentibus) comedendo sancta sanctorum. Nec enim ut ad communem cibum, sed sicut ad mysticum et terribile et cœleste accedunt.» Passim Patres ac liturgiæ tremendum ac terribile appellant altaris sacramentum, non aliam ob causam, nisi quia fides nos docet sub eo et in eo, quanquam invisibilem, realiter tamen existere Regem regum Dominum.

Ex his ergo intelligas quam improvide Albertinus et Binghamus ex ritu apud Hesychium indicato extorquere se posse censuerint Jerosolymis olim minime creditam fuisse præsentiam realem dominici corporis in Eucharistia. Ipsum Hesychium testem perspicuum catholicæ sententiæ habemus, imo et in ipso loco habemus unde illi somniandi occasionem sumpsere. En ejus verba: «Est autem locus sanctus altare. Ibi enim SANCTUS SANCTORUM REQUIESCIT (quæ clarissima sunt verba Calvinianis imaginationibus omnino contraria). Quomodo ergo in his non admiranda sit sapientia Spiritus? nullam quippe dubitationem hujusmodi intellectui dereliquit; propterea carnes cum panibus comedi præcipiens, ut nos intelligeremus illud ab eo mysterium dici, quod simul panis et caro est, sicut Christi, panis vivi, qui de cœlo descendit. Propter quod Eliæ, secundum Septuaginta Editionem, carnes mane, panes autem vesperi deferebant corvi superne, præfigurare hoc mysterium Domino volente, quod intus oportet in ecclesia, in loco sancto, id est, ad altare, coqui et comedi; alibi vero nequaquam, etc. Aaron et filii, qui illud recte comedunt; nisi enim Christus, rogatus esse sacerdotem, ipse venerit, et cœnam sanctificaverit, et initiaverit ea quæ aguntur, nullatenus sacrificium dominicum fiunt, sed hoc quod reliquum est de carnibus,» etc. Subsequuntur verba a Binghamo supra adducta, post quæ Hesychius explicaturus quid significet incendere sacrificii reliquias, hæc alia dicere pergit: «Ergo ex hoc, quod agitur sensibiliter, significatio cujusdam intelligibilis rei eis qui intendunt provenit. Ut quando ad comestionem sacrificii deficimus, atque illud integra non possumus, mente forsan lassescente sive deficiente, utrum EA QUÆ VIDENTUR, CORPUS OPORTEAT INTELLIGI DOMINI, in quod oculis nec angeli possunt prospicere (in quæ sit veritas et majestas hujus sacramenti) non relinqui, sed etiam tradi ea igni oportet Spiritus, ut ea comedat quæ nobis sunt ex infirmitate inesibilia. Quomodo autem comedat, cum cogitaverimus, VIRTUTI SPIRITUS ESSE POSSIBILIA, QUÆ NOBIS IMPOSSIBILIA VIDENTUR.»

Oculos, quæso, Protestantes aperiant: non quod ipsi somniant, sed quod catholica fides docet, in Hesychio perspicient, quanquam ejus dictio allegoriis scatens, atque antiqua Latina versio, qua sola utimur, tenebrarum non sit immunis. Quidnam est quod in sacramento ineffabili torquere mentem nostram potest, eique dubitationes ingerere? Illud est, utrum panis et vinum, quæ post ipsam consecrationem adhuc qualia erant conspiciuntur, corpus oporteat intelligi Domini, in quod eo transmutata et conversa universalis Ecclesia agnoscit ac deprædicat; hoc enim impossibile humanæ rationi videtur. At Hesychius ait ejusmodi mentis hæsitationes comburendas esse ab igne Spiritus sancti, nobisque cogitandum virtuti Spiritus ejusdem, ad illius transmutationem a sacerdote invocati, esse possibilia quæ nobis impossibilia videntur. Ridendus plane sit qui hæc de Calviniana cœna interpretari velit; cogitur enim sincera omnium mens hæc intelligere de reali præsentia Domini in sacramento, et de substantiali donorum transelementatione, miraculo nempe quotidie cœlitus facto in incruento sacrificio. Quod autem Hesychius hic scribit, Joannis Damasceni verba tibi explicabunt, nam de Eucharistia loquens is ait: «Non ut illud, quod in cœlis receptum est, corpus descendat; sed quia PANIS ET VINUM IN CORPUS ET SANGUINEM DEI TRANSMUTANTUR. Si requiras, quonam pacto id fiat, sat tibi sit, hoc fieri per Spiritum sanctum; quemadmodum et ex sancta Dei Genitrice Dominus sibi ipsi carnem assumpsit. Nec amplius quidquam nobis perspectum est et exploratum, quam quod sermo Dei verax efficaxque est, atque omnia potest. Modus vero investigari prorsus nequit (*Joan. Damasc., de Fide, l.* IV, *c.* 13).» Sed et longe antea sanctus Gaudentius Brixianus episcopus, circiter annum Christi 395, neophytos docuerat his verbis: «Si qua mysteriorum superaverint in mane illius futuræ Resurrectionis manifestanda, quæ capere modo non possumus, hæc igni cremanda sunt,

id est, divino tradenda Spiritui, ut ea quorum rationem modo non capimus ardentis fidei spiritu consumantur (*Gaudent. tract. 2 de ratione sacram.*). » Ibi autem, quemadmodum etiam supra, cap. 19 animadvertimus, tam evidenter catholicam doctrinam Gaudentius exponit, ut voluntariæ cæcitatis reus sit, qui eam non intueatur. Tum rationem concludit, inquiens : « Hoc sacrificium Paschæ Salvatoris tota nobiscum religiosi cordis aviditate percipite, ut ab ipso Domino nostro JESU CHRISTO, QUEM SACRAMENTIS SUIS INESSE CREDIMUS, viscerum nostrorum sanctificentur interna. » Sed et Gregorius Magnus pari sententia usus est, scribens : « Quod ex Agno remanet, igne comburimus, quando hoc, quod de mysterio Incarnationis ejus intelligere et penetrare non possumus, potestati sancti Spiritus reservamus, ut non superbe quis audeat vel contemnere, vel denuntiare, quod non intelligit. Sed hoc igni tradit, cum sancto Spiritui reservat (*Greg. M., hom. 22 in Evang. l.* II). »

Atqui adhuc mirantem et interrogantem Binghamum audire mihi videor : Qui fieri potuit ut qui revera crederent in sacramento inesse realiter Domini corpus, illud postea comburerent? Quid ethnici dixissent? Nonne hoc horrori et scandalo fidelibus fuisset? An ita se res habuerit, videamus. Quod sacramenti reliquiæ igni traderentur, statuit idem Binghamus, scribens « non fuisse Ecclesiæ Jerosolymitanæ consuetudinem, reservare Eucharistiam de die altero in alterum. » Verba Hesychii repetamus : « Quod nunc videmus etiam sensibiliter in Ecclesia fieri igni que tradi quæcunque remanere contigerit inconsumpta; non omnino ea quæ una die, vel duabus, aut multis servata sunt; sicut enim apparet, non hoc legislator præcepit, sed quod reliquum est incendi jubet. Dies autem non commemoravit, ut quæcunque, cujuscunque rei causa emergente, remanserint inconsumpta, sive tempus in causa sit, sive quid aliud fuerit, ignis opus et consumptio fiat. » Si hæc diligentius scrutati fuissent heterodoxi, non eam suis obtrusissent opinionem, scilicet, in Ecclesia Jerosolymitana de altero in alterum diem servatas non fuisse sacrificii, sive Eucharistiæ reliquias. Imo contrarium e verbis Hesychii eruitur; ipse enim ea inconsumpta memorat, « quæ una die, vel duabus, aut multis servata sunt. » Ejus autem sensus est, præcipi quidem a lege reliquias sacrificii esse igni tradendas; sed nihil decerni de die quo sit facienda combustio; et proinde intelligis falso contendi easdem minime fuisse servatas, ac statim fuisse combustas. Quænam ergo Hesychii mens? Quæ olim fuit, et etiamnum est catholicæ Ecclesiæ. Scilicet Eucharisticæ reliquiæ, nisi eas consumerent communicantes, aut innocentes pueri, asservabantur in pastophorio, de quo infra erit sermo. At quoniam sacrati panis species post aliquot aut multos dies mucorem aut odorem corruptionis contrahere possunt, sive ex aqua, tineis, muribus aliisque accidentibus vitiari, tunc Ecclesia sibi persuadens inde recessisse corpus et sanguinem Domini, reliquias illas in subterraneum sacrum locum demittit, alii vero comburere consueverunt. Id ex ipso Hesychio habes, cum ait : « Cujuscunque rei causa emergente, sive tempus in causa sit (quod nempe diutius quam par sit servata fuerint), sive quid aliud fuerit, » inconsumpta sunt igni tradenda. Atque hic audiendus Algerus, qui circiter annum Christi 1130 floruit et scripsit. Inquit enim : « Quod autem etiam a religiosis incendio tradi et ibi disparere dicuntur ipsæ sacramentales species, non ad indignitatem Christi fit, quasi ignibus exurendus tradatur; quod impossibile est, cum sit omnium elementorum Deus. Sed quoties aliqua talis indignitas (quam nuper innuimus) ipsi sacramento negligenter acciderit, ut horrorem sumendi incutiant ipsæ sensuales species, quas ibidem Deus altissimo suo consilio POST MUTATIONEM SUÆ SUBSTANTIÆ remanere voluit, ignibus traduntur, ut ostendant quod suum est, deficiendo et disparendo sine omni fœditate in illo purissimo ignis elemento (*Alger., de Sacram. corp. et sang. Dom., l.* II, *c.* 1). » Audi et concilium Aurelianense quartum, anno Christi 541 habitum, hoc est, iisdem ferme temporibus quibus floruisse Hesychius creditur : « Oblata, inquit, quæ in altari offeruntur, de Sabbato in Sabbatum semper innoventur, quia panes propositionis, qui super mensam Domini mutabantur, ne diu servati mucidi fiant, et ut quidam sentiunt, igni concrementur. » Imo « de tertio in tertium diem (Eucharistia mutanda erat), ne forte diutius reservata, mucida, quod absit, fiat, » ut est in concilio Turonensi apud Reginonem (*L.* I, *c.* 7, *de eccles. Discipl.*). Ex hactenus ergo traditis colligere jam possint, si velint, Protestantes, quam immerito auctoritate Hesychii utantur ad oppugnandam Catholicorum sententiam de Eucharistia. Imo et ab eodem scriptore discere coguntur quid de Berengario et Calvino sentiendum sit, cum non minus Hesychius quam universæ orbis Ecclesiæ contraria plane eorum commentis semper tradiderint atque crediderint.

CAPUT XXIV.

De reverentia præstita corpori Christi, post sacrificium asservato, ejusque publica expositione et circumgestatione in sacris supplicationibus.

Quod Lutheri sectatores docere adhuc pergant, extra cœnam evanescere Eucharistiam, neque sacratissimum Christi corpus reliquum esse in sacramento, mirandum sane est; nequit enim gens erudita non agnoscere morem vel in primitiva Ecclesia fuisse deferendi domum Eucharistiam, ad absentes eamdem mittendi, et viaticum per eam deferendi ad ægrotantes in mortis periculo, ut alios mores prætercam, quorum testes habemus Tertullianum, Clementem Alexandrinum, Acta sancti Luciani martyris, Basilium, Ambrosium, et alios Patres. Apostolicus ipse vir sanctus Irenæus apud Eusebium (*Hist. eccles., l.* v, *c.* 24) testatur ad Ecclesiarum presbyteros, qui Pascha observabant, Eucharistiam missam

fuisse; quod etiam confirmatum habes a sancto Justino martyre, eorum ferme temporum scriptore. Plurisne futura est apud viros ratione utentes auctoritas Lutheri turbulentissimi (liceat dicere) hominis, quam priorum sæculorum Ecclesia? Tunc illam quam apostoli eorumque discipuli erudierunt apostolicæ doctrinæ corruptricem non suspicari tantum, sed affirmare, audeas? Varia autem pro diversitate temporum et locorum fuit disciplina Ecclesiæ in asservando immaculato corpore Christi post sacra expleta. Neque propterea culpandi veterum mores, quod eamdem reverentiæ et obsequii mensuram erga cœleste illud pignus observarint, quam nunc tanta religione, laudabilique consuetudine catholica observat Ecclesia. Olim fidelibus, ut diximus, licuit sacram Eucharistiam deferre ad ædes proprias, ut ibi communionem peragerent. Dabatur hæc in manus communicantium, eam itinerantes secum quandoque deferebant; laicis interdum etiam traditam novimus, ut eam ad ægros ferrent. Omnibus tamen eadem fides et doctrina erat, scilicet, in sacramento existere pretiosum corpus et sanguinem Domini. Sed hosce mores religiosos subsequentium sæculorum disciplina sustulit. Porro communis olim ritus fuit, ineffabilis sacrificii reliquias, nisi a communicantibus aut pueris innocentibus comederentur, inferre in sacrarium, ibique custodire. Vetustissimi hujus moris testem adducimus ipsas Constitutiones apostolicas, quas vel ipse Binghamus Anglus tanti faciebat. Hæc ibi leguntur: « Cumque universi et universæ communicaverint, accipientes diaconi quæ supersunt, inferant in pastophorium (*Constitut. apost. l.* VIII, *c.* 13). » Creditur autem fuisse pastophorium sacrarium, sive secretarium, non longe ab altari maximo situm. Thalamum sanctus Hieronymus appellat. Ibi quoque altare fuisse videtur, et tabernaculum, sive ciborium, in quo veteres recondere consueverunt sacratissimam Eucharistiam, pro infirmis potissimum reservatam. Non unum altare in sacris ædibus olim quoque ædificatum, ex sanctis Ambrosio et Paulino Nolano discimus, dum altaria in una basilica memorant. Optatus quoque Milevitanus auctor est Eucharistiam a Donatistis adinventam in altaribus projectam fuisse canibus. Et in Turonensi concilio primo anni 567 decernitur: « Ut corpus Domini in altari sub crucis titulo componatur. » In turribus aureis aut argenteis tunc asservatum testantur Gregorius Turonensis et Venantius Fortunatus. Quod super altari requiesceret Sanctus sanctorum, propterea sub ipso altari, uti supra vidimus, in necessitatibus privatas preces fuderunt sancti episcopi Alexander et Ambrosius. Gorgonia quoque Gregorii Nazianzeni soror intempesta nocte ad altare accessit, et inde accepto corpore Domini, sanitatem sibi conquisivit. Præterea, Paulino Diacono teste, in Vita sancti Ambrosii, cum in extremis idem sanctus episcopus versaretur, nocte accepit sacratissimum dominici corporis viaticum. « Honoratus enim sacerdos (id est, episcopus) Ecclesiæ Vercellis, cum in superioribus A domus se ad quiescendum composuisset, tertio vocem vocantis se audivit, dicentisque sibi: Surge, festina, quia modo est recessurus. Qui descendens obtulit sancto Domini corpus; quo accepto, ubi glutivit, emisit spiritum, bonum viaticum secum ferens. » Atque hic obiter animadverte corpus quidem Domini, non vero sanguinem, ministrari ægrotantibus consuevisse, ut intelligas sub specie tantum panis etiam veterem Ecclesiam censuisse totum Christum contineri, et a fidelibus accipi. Ad hæc si quis petat quid eorum temporum fidelibus foret Eucharistia reservata, jam vidisti appellari Domini corpus; quæ doctrina satis patet quantum Lutheri discipulis adversetur, reputantibus in unius cœnæ usu haberi corpus Christi; eoque magis Calvini asseclis, B qui ne in ipsa quidem cœna verum ac reale corpus ejusdem Domini agnoscunt. Concilium sane Nicænum primum statuit, secundum antiquæ legis regulam infirmos viatico non esse fraudandos. Ergo jam tunc mos fuit sacrum Domini corpus pro iis asservatum habere.

In hujusmodi veritatem conspirat illustris sancti Cyrilli Alexandrini locus, inquientis: « Audio nonnullos haberi qui dicere audeant Eucharistiam nullam sanctitatem accipientibus conferre posse, si de altero in alterum diem servetur. Profecto qui talia venditant delirent necesse est. Neque enim Jesus Christus alicui corruptioni obnoxius est, ejusque SANCTUM CORPUS mutationem minime incurrit (dum perdurant species). Sed et virtus ac vis C benedictionis (id est, consecrationis) et gratia vivificans quam CORPUS JESU CHRISTI semper in se ipso continet, perpetua est et immutabilis (*Cyril. Alex., epist. ad Calosyrium adv. Anthropomorph.*). » Cur non hæc legunt, qui commenta de Paschasio Ratberto ubique somniant? Ex epistola etiam sancti Joannis Chrysostomi ad Innocentium I papam habemus, sacratissimum Christi sanguinem in ecclesia a militibus effusum, cum tamen tunc missa minime celebraretur. Quod si tibi apud veteres occurrant consuetudines quædam, in queis reverentiam desideres erga ineffabile sacramentum hoc, aut simplicitati, aut inconsultæ pietati eorum temporum tribuendum est. Tanta erat tunc fides de veritate et virtute corporis D Christi in Eucharistia, ut iis qui, instante morte, cœleste hoc pignus accipere non potuerant, vita functis porrigerent, et proficuum censerent. Consuetudinem hanc abrogarunt concilia Carthaginiensia, et Autissiodorense. Mos etiam aliquando fuit cum episcoporum corporibus sepelire Eucharistiam. Sancto quoque Gregorio Magno scribente, cum tellus evomeret humatum corpus pueruli cujusdam, sanctus Benedictus abbas: « Ite, inquit, atque hoc dominicum corpus super pectus ejus cum magna reverentia ponite, et sic sepulturæ tradite. Tunc susceptum corpus ejus terra tenuit, nec ultra projecit (*Gregor. M., l.* II, *c.* 24). » Hujusmodi aliosque quos prætereo privatorum hominum mores, cum institutione et majestate Eucharistiæ parum conformes,

et ab universali Ecclesia nunquam probatos, evanuisse a multis sæculis notum est. Certe non aliunde olim processerunt, nisi ex firma et vegeta fide de præsentia et virtute Christi in Eucharistia. Nostris quoque temporibus Græci, aliique Christiani Orientales, Eucharistiam per totum annum servant, ægris pro viatico ministrandam, neque eam mutant, nisi anno exp'eto. Ne corrumpatur, intinctam pretioso sanguine iterum in furno coquunt, sive exsiccant : quam consuetudinem vel ipse Arcudius, Græcus scriptor, improbavit. Accedit quod hostiam ipsam aut in postica altaris aut in vasis ligneis ferreisve inclusam et sine lampade asservant. Hæc Latini videntes mirantur, atque eis vitio vertunt tam parum reverentiæ impendi sacratissimo corpori Christi. At illi se paupertatis, ac Turcicæ tyrannidis excusatione defendunt; et quod magnopere refert, nihilominus omnes concorditer fatentur et credunt in servata Eucharistia realiter contineri sanctissimum Christi corpus, uti ex eorum editis professionibus fidei et aliis actis evidentissime constat, et impudens jam sit qui de hac eorum fide ac professione dubitet.

Occidentales autem Ecclesiæ, et Romana in primis omnium magistra, ex quo Berengarius Eucharistiæ dignitatem deprimere impio dogmate conatus est, nihil antiquius habuere quam cultum et reverentiam erga augustissimum altaris sacramentum quotidie augere. Hinc natum festum Corporis Christi; hinc publica ejusdem expositio in altari extra sacrificium; hinc ejus circumgestatio in sacris supplicationibus extra templum, et benedictionem populo per ipsum impertiri. Hæc, non negamus, nova sunt in Ecclesia Dei; neque enim per priora duodecim sæcula ullum eorum vestigium nobis se offert in veterum libris. Quæsitum fuit num Urbanus IV papa, cum anno Christi 1264 festum Corporis Christi instituit, etiam publicam eam supplicationem instituerit in qua nunc gestatur idem Domini corpus. Potior sententia videtur, uti eminentissimus cardinalis Lambertinus scripsit (*Lib.* I, *instruct.* 5), nullam ejusmodi processionis, sive supplicationis, institutionem tribuendam esse Urbano, cum de hoc monumenta veterum prorsus sileant, et sine testibus idoneis de antiquarum rerum veritate decernere prudentis viri non sit. Anno tantum Christi 1336, uti memoriæ tradit Gualvaneus Flamma, « Joannes Vicecomes Novariensis episcopus, et Ecclesiæ Mediolanensis conservator, festum de Corpore Christi celebrari ordinavit. Ibi fuit universus clerus, et quædam mirabilis processio religiosorum, qualem Roma sibi ipsi relicta facere non potuisset (*G. Flamma, de Reb. gest. Vicecom.*, *t. XII Rer. Italic.*). » Vides festum uti et processionem Corporis Christi tunc primum instituta Mediolani. Doctissimus etiam vir Joannes de Joanne canonicus Panormitanus animadvertit (*De divin. Sicul. Offic.*, *c.* 33) anno tantum 1346 occurrere memoriam festi Corporis Christi in Missalibus Siculis. Et sane constitutionem Urbani IV serius in Galliis ipsis receptam prodit Pater Martene (*De eccles. Ritib.*). Verum in vetustissimis etiam sæculis aliquod vestigium se nobis offert et circumgestati, et palam expositi, divini sacramenti. Supra, cap. 19, ex Ordine Romano, qui ante annos saltem nongentos scriptus videtur, ostendimus expositam fuisse in altari Eucharistiam, antequam missa pontificalis inchoaretur. Hanc autem de sacrario, sive conditorio, ubi reposita antea fuerat, eductam et in processione delatam fuisse ad altare, ediscere possumus e Gregorio Turonensi, qui sæculo Christi sexto ita scribebat : « Tempus ad sacrificium offerendum advenit; acceptaque turri (vase, scilicet, aureo aut argenteo), diaconus, in qua ministerium (rectius alii Codices habent mysterium) dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium; ingressusque templum, ut eam super altari superponeret, elapsa de manibus ejus ferebatur in aera (*Greg. Tur.*, *de Glor. mart. l.* I), » Non sine ingenti reverentia tunc gestatum fuisse Christi corpus, nos edocebit antiquus Ordo Gallicanæ Ecclesiæ a prælaudato Martene editus, et sancto Germano Parisiensi episcopo per conjecturam tributus, in quo legitur : « Nunc autem procedentem ad altarium corpus Christi, non jam tubis irreprehensibilibus, sed spiritualibus vocibus, præclara Christi magnalia dulci melodia psallat Ecclesia. Corpus vero Domini ideo defertur in turribus, quia monumentum Domini, » etc. Antea is auctor dixerat : « Psallentibus clericis procedit sacerdos in specie Christi de sacrario, tanquam de cœlo in Arca Domini, » etc. Idem quoque ab antiquis sæculis agere consueverunt Græci, cum celebratur Præsanctificatorum missa. Tunc enim summa reverentia e sacrario ad altare præsanctificata dona deferuntur, et, teste vetustissimo auctore Chronici paschalis, sive Alexandrini, ad Olympiadem 348, anno quinto, populus canere cœpit : *Nunc virtutes cœlorum* NOBISCUM *invisibiliter* ADORANT DEUM. *Ecce enim* EGREDITUR REX GLORIÆ. *Ecce sacrificium mysticum offertur. Cum fide et tremore accedamus, ut vitæ simus participes æternæ. Alleluia.* Certum tamen est, non ante sæculum Christi decimum tertium invectum fuisse morem exponendi corpus Domini in altari, atque in ostensorio supra eminentem thronum, neque circumferendi extra sacras ædes ingenti cum pompa et sub umbello, ut nunc fieri cernimus. Ritum hunc nil mirum si Protestantes improbent, quod impiis illorum de Eucharistia opinionibus adversetur. Si Grotium audimus, mos iste præter novitatem, « etiam a consuetudine veterum discrepat, qui ab ipso conspectu Eucharistiæ non communicantes arcebant (*Ugo Grot.*, *in adnot. ad consult. Cassandri*, *art.* 10). » De hoc aliquid nunc dicendum.

Respicit Grotius ad canonem septimum, qui aliis est nonus aut decimus ex eorum numero quos apostolorum appellamus, ubi hæc verba, Dionysio Exiguo interprete : « Omnes fideles qui ingrediuntur Ecclesiam, non autem perseverant in oratione, nec sacram communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ commoventes, convenit communione

privari. » Ad hæc in concilio Antiocheno, quod habitum fuit anno Christi 341, canon 2 hisce verbis est conceptus : « Omnes qui in ecclesiam ingrediuntur, et sacras Scripturas audiunt, orationi autem cum populo non communicant, vel sanctam Eucharistiæ participationem propter aliquam insolentiam aversantur, eos ab Ecclesia expelli (oportet) donec, postquam confessi fuerint, fructusque pœnitentiæ ostenderint, et imploraverint, veniam assequi possint. » Propterea Binghamus censuit omnes fideles olim ad Ecclesiam confluentes « per regulas Ecclesiæ ad sumendam Eucharistiam sub pœna censuræ ecclesiasticæ accedere debuisse (*Bingham.*, *l.* xv, *c.* 4, § 1). » Sed hunc usum primitivæ Ecclesiæ frustra extorsit Grotius adversus recentiorem Romanæ Ecclesiæ, quasi extra sacrificium conspicere Eucharistiam non liceret. Tertullianus ipse auctor est consuevisse fideles solvere stationem, seu sacrificium, « accepto corpore Domini (*Tertul.*, *l. de Orat.*, *c.* 19). » At simul monet, licuisse interesse « sacrificiorum orationibus, et acceptum corpus Domini » secum postea deferre domum. Idem sane corpus erat Christi Jesu sumptum domi, aut ad ægrotantes delatum, atque acceptum in ecclesia. Ideoque et nunc quod in ecclesia est reale corpus Domini, ibique, ut vidimus, antiquitus etiam adorabatur, non desinit esse verum Domini corpus, si extra ecclesiam aut ad eosdem infirmos defertur, aut devotionis et adorationis gratia in publicis supplicationibus circumgestatur. An autem anathemate percellerentur primitivæ Ecclesiæ sæculis qui incruento sacrificio interessent, neque Eucharistiam acciperent, dubitari posse de tanto rigore videtur. Certe pœnitentes, qui consistentes appellabantur, sacrificio intererant, neque propterea communicabant. In Antiocheno autem canone expellendi ab ecclesia dicuntur, qui « orationi cum populo non communicant (fortasse quod discederent ante missam fidelium) vel Eucharistiam propter aliquam insolentiam aversantur, (aut) inquietudinem in ecclesia commovent. » Hi scandalo fidelibus erant, eamque ob causam pœnitentiæ subjiciebantur. Eodem sæculo quo Antiochenum concilium est habitum sancti Ambrosius et Joannes Chrysostomus frequentem communionem exolevisse agnoscunt; at nemo præceptum hac de re memorat. Chrysostomus vero increpat quidem et arguit, uti in pietate frigidos, qui missæ intererant, et minime communicabant, nunquam tamen eos anathemate percutiendos ait. Balsamon ipse Græcus (*In Respons. ad Marc. Alexandriæ episc.*) censuit minime ab Antiocheno canone coactos fuisse cunctos ad communionem accedere, qui sacris intererant. Uti constat ex eorumdem apostolorum Constitutionibus (*Can.* 6), erant interdum presbyteri, diaconi, aliique ex sacri ordinis catalogo, qui non communicabant. Ubi legitimam causam adducerent quare a communione abstinuissent, veniam consequebantur. Cæterum frustra novitatem ritus objicias publicæ expositioni dominici corporis, ejusque in sacris supplicationibus circumgestationi; postquam enim demonstratum est perpetua fide ab Ecclesia universa creditam fuisse realem præsentiam Christi Jesu in sacramento, tam in missa, quam extra missam, sive hoc in templo, sive extra acciperetur, eique adorationem semper a fidelibus fuisse impensam, legitimus quoque ritus sit oportet, qui cum ipso inconcusso dogmate cohæret, atque ab ipso defluit. Circumferebatur etiam a Judæis arca Domini, quæ figura tantum fuit cœlestis Eucharistiæ; cur non et veritas circumgestetur, ad augendum honorem divini Salvatoris nostri, suorumque fidelium pietatem amplificandam?

SACRAMENTARIUM GELASIANUM

Catholic church

SIVE

LIBER SACRAMENTORUM ROMANÆ ECCLESIÆ

A SANCTO GELASIO PRIMO, PAPA,

Quem Romæ anno 1680 luce donavit Joseph Maria THOMASIUS, et annotavit MURATORIUS.

(*Ex Muratorii editione cui titulus :* Liturgia Romana vetus.)

SERENISS. CHRISTINÆ ALEXANDRÆ

SUECORUM, GOTHORUM, ET VANDALORUM REGINÆ,

JOSEPH MARIA THOMASIUS CONGREG. CLER. REG. PRESBYTER.

S. D.

Quos Codices abhinc complura sæcula conscriptos munificentia tua mihi concessit edendos, hos nunc sui fecundos exemplis tibi restituo, regina serenissima. Qua in re utrumque gratulor, et sine prisci characteris molestia in hoc uno volumine eos lectitare te posse, et de re sacra optime meritam jure ex eisdem apud eruditos omnes haberi. Accipe ergo quod præclaram decet sapientiam, religionemque tuam, atque in eo summæ observantiæ in te meæ obsequium humaniter admitte.

Præfatio.

Perscrutanti mihi præstantissimas Urbis bibliothecas, ex multis variisque manuscriptis Codicibus, quibus abundant, venit in mentem aliquot seligere, publico bono communicandos, quatuor nimirum Sacramentorum Codices, quos et ab antiquitate et ab ecclesiasticorum rituum notitia commendabiles fore censebam. Hos modo sub hoc Sacramentorum titulo exhibemus; norunt quippe omnes apud vetustissimos Ecclesiæ Patres sacramenta antonomastice appellari Christi corpus et sanguinem, cum in altari conficiuntur in missa. Hac præcipue ratione Missales libri, Sacramentorum libri sunt appellati, quamvis nec iis deficiantur quæ ad reliquorum sacramentorum administrationem pertineant. De his Sacramentorum Codicibus, quos edimus, pauca præfari lectori pio æque ac studioso ratio ipsa postulat, ut unde habiti, quando conscripti, et a quo conditi fuerint, prius agnoscat.

Distinxi Codicem sacramentorum Romanæ Ecclesiæ in tres libros, quorum primus est de anni circulo, secundus de sanctorum natalitiis, tertius de Dominicis diebus, variisque causis. Pertinet nunc ad instructissimam bibliothecam serenissimæ reginæ Sueciæ, cujus benignitate publici juris fieri licuit. Ipsum viderunt ac sæpius laudarunt eminentissimus card. Bona, lib. de Rebus liturgicis, et doctissimus Joan. Morinus, lib. de Pœnitentia et sacris Ordinationibus, qui in appendice Manuscriptorum ad commentarium de Pœnitentia editum anno 1651, in annotatione ad Sacramentarium Gelasianum, pagina 52 : « Antiquissimus, inquit, omnium Codicum, quos nancisci nobis contigit, ille est quem in opere nostro Petavianum sæpius vocavimus a possessore, viro amplissimo, domino Petavio parlamenti Parisiensis senatore integerrimo, qui perhumane illum nobis dedit utendum. Illius character nongentis annis non videtur inferior; est enim scriptus litteris majoribus et quadratis, quas unciales aliqui vocant. Scriptor Latinitatis parum peritus erat; sæpe enim ignorantia potius quam negligentia, aut præcipitatione, παραγράφει. Scriptus est in Francia, nam in canone commemorantur sancti Dionysius Rusticus et Eleutherius, Hilarius et Martinus. Deinde in officio feriæ 6 ante Pascha, cum oratur pro imperio Romano, dicitur : *Respice propitius ad Romanum, sive Francorum benignus imperium.* Divisus est in tres libros, et uniuscujusque libri initium graphice admodum, et magnis litteris monocondiliis exaratum est. Pertinet nunc ille Codex ad celeberrimam illam et potentissimam Suecorum et Gothorum reginam Christinam, » etc. Hæc ille de Codicis possessoribus et qualitatibus. Cujus vetustatem hæc inter alia astruere possunt, 1° quia in Symbolo quod habetur in scrutinio ante Dominicam in Palmis deest additio illa, *Filioque*, quæ sane in Germania Galliaque (ubi scriptus videtur Codex) VII, et Romæ nonnisi IX Christi sæculo facta fuit; 2° quia non habet missas pro quinque feriis Quadragesimæ, quas sanctus Gregorius II, initio VIII sæculi primus instituit, ut scribit Anastasius, sive alius, in Vitis Pontific...

et præfatio sub nomine Grimoldi suo Sacramentorum libro præposita, apud Pamelium, tom. II Liturgicon (*Sub nomine Grimoldi*, dixi, quia Micrologus, cap. 60, illam citat tanquam Albini magistri Caroli Magni. Vidimus et nos illam præfationem in antiquissimo Ms. sancti Gregorii Sacramentario bibliothecæ reginæ Sueciæ, sed nullo nomine inscriptam); 3° quia multis missis caret, quas a sæculo VII usurpatas fuisse scimus, ut in festo Dedicationis sanctæ Mariæ ad Martyres, mense Maio, et Omnium Sanctorum, mense Novembri, quarum Bonifacius IV, qui, Sabiniano intermedio, successit Gregorio Magno, initio VII sæculi auctor fuit; 4° quod pauciora hic quam in aliis Sacramentorum libris sanctorum natalitia recenseantur. Quod indicium esse vetustatis recte Menardus observavit, cujusque rei germanam rationem ostendit J. Fronto in prænotatis ad Kalendarium Romanum, præsertim § 3, quia nimirum ea tantum sanctorum festa notabantur in libris Missalibus, in quibus populi conventus, sive publicæ missæ a pontifice una cum clero et populo peragebantur; 5° quod martyrum solummodo in hoc Codice propria natalitia celebrentur, quodque ex prisco Ecclesiæ usu sancti Felix in Pincis, et Marcellus papa, quia sanguinem non fuderunt, haud martyres, sed tantum confessores appellentur. Sunt et alia complura antiquioris notæ argumenta, quæ in ipso Codice de se lector deprehendat. Unde illum jure merito Morinus, lib. VII de Pœnitentia, cap. 1, num. 15, annum septingentesimum antecedere conjicit. Quod vero spectat ad Codicis conditorem, idem Morinus Gelasii esse censet, licet post sanctum Gregorium sit scriptus, « seu (ut ejus verbis utar, loco cit., num. 14) eum officiorum ordinem complecti, qualis ante sanctum Gregorium usurpabatur. » Nec dissentit card. Bona, l. II, cap. 5, de Rebus liturgicis. Ad ejus autem veritatis quam quærimus assecutionem, lento veluti passu manuducendus est lector, ut prius, scilicet, repetat jam ab exordio nascentis Ecclesiæ certas quasdam sacrificandi orandique formulas in usu fuisse. Id acta martyrum Patrumque tractatus nos docent, proferunt enim non raro stata quædam ac solemnia verba in sacris conventibus recitari solita. Has preces temporis processu a pontificibus auctas et restitutas, vel etiam iterum contractas, Ecclesia semper retinuit, et ad posteros transmisit, quas in nostris adhuc Missalibus habemus, additis tamen aliis quæ de novo instituuntur officiis. Sanctum Leonem Magnum inter alios sanctos antistites egregie huic operi manum admovisse, ipse ejus stylus, qui se homini vel tantillum in ejus scriptis versato illico prodit, aperte ostendit. Nec a vero aberrat laudatus Morinus, dum, lib. IX de Pœnitentia, cap. 30, num. 2, scribit multa ex his Ritualibus precibus sanctis Silvestro Julioque pontificibus non esse posteriora, et ex phrasi styloque sapere omnino tempora quæ imperatorem Constantinum præcesserunt. Sic ipse orationis illius eloquentissimæ archidiaconi ad pontificem in reconciliatione pœnitentium, quam supra reperies col. 914, auctorem facit saltem Constantino coætaneum, licet una aut altera dictio Gelasianam forsan sapiat recensionem. Non me latet hunc ipsum sermonem Magno Leoni ascribi ab erudito Paschasio Quesnelio, tom. I Operum ejusdem sancti, cui non difficulter adhæreo, victus ipso Leonino calamo, quem inibi mihi videre videor vel primo scribentem, vel fere ex integro recensentem. Ex his liturgicarum precum conditoribus præcipue commendatur in Vitis pontificum sanctus Gelasius pontifex ab anno 492, de quo ibi : « Fecit etiam Sacramentorum præfationes et orationes cauto sermone. » Ab hujus sancti præsulis nova accessione totum illud opus Missalium precum Gelasianus Codex vocari cœpit ; unde ad finem VI sæculi sanctus Gregorius suum Sacramentorum librum veluti illius breviarium et summam adornavit, ut plane constat ex Joanne Diacono in Vita ipsius Gregorii, l. II, cap. 17. Sic enim de illo inquit : « Sed et Gelasianum Codicem de missarum solemniis multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla adjiciens pro exponendis evangelicis lectionibus, in unius libri volumine coarctavit. » Quibus verbis obiter docemur Gelasianum Codicem unum quidem, sed in plures libros fuisse distinctum ; qualis est hic noster in tres libros divisus ; id enim mihi videtur Joannes innuere, dum veluti ex antithesi Gregorium suum Sacramentarium in unum librum coarctasse dicit. Post sanctum Gregorium omnes quotquot consecuti sunt pontifices illo Gregoriano quam maxime usi sunt opere, illudque aliis nationibus invexerunt, ut in Adriano patet, qui ipsum Carolo Magno dono dedit. Sed et Gelasianum Codicem prorsus rejectum non crediderim ; nam multa illi conformia continet Antiphonarius ms. Bibliothecæ Anglicæ apud sanctum Augustinum hic in Urbe, scriptus ante medium XI sæculi ad usum Ecclesiæ Romanæ. Gregoriana Exemplaria passim exstant, tum mss. in bibliotheca Vaticana, ac reginæ Sueciæ, et alibi ; tum edita Romæ ab Angelo Roccha, Coloniæ a Pamelio, ac Parisiis ab Hugone Menardo ; quorum quisque suam Editionem ut germanum Gregorii fetum prædicat. Sed mirum est quam inter se dissideant, ut difficile sit litem decidere ; nec ego tantorum virorum judex esse possum, aut volo ; illud tamen pro veritatis amore silere non debeo, Pamelio præ reliquis me adhærere, moveor enim ex antiquissimorum mss. Codicum consensu ; moveor ex multorum festorum missarumque defectu in ejus editione (si tamen quæ virgulis vel quæ tanquam aliunde ascita Pamelius ipse adnotavit diligenter dempseris) ; moveor ex illius brevitate, quæ Gregorianam coarctationem, juxta Joannis Diaconi narrationem, magis redolere videtur ; nec minoris momenti dixerim Grimoldi abbatis, sive Alcuini magistri Caroli Magni juxta Micrologum, testimonium in prælaudata præfatione, quam Gregoriano operi attexuit. Post hos autem authenticos Romanæ Ecclesiæ Sacramentorum libros, Gelasii nimirum et Gregorii, exstitit

alia quidem sed privata Missalis libri confectio per Albinum ex utroque conflata; sic enim legitur in Centulensi Chronico, l. III, cap. 3, tom. IV Spicilegii Dacheriani, in indice librorum anno 831 numeratorum: *Missalis Gregorianus et Gelasianus modernis temporibus ab Albino ordinatus.*

Hac longiuscula, sed non prorsus inutili, narratione lector per se jam animadvertere potest cujus sit institutionis Codex quem edimus. Nam hujus Albini non esse constat, quod in ipso non habeantur eæ orationes et missæ quæ tum temporis in Gregoriano Sacramentario passim exstabant. Cur enim Gregorianas missas prætermiserit, qui ex Gregorio primum suum ille Missale digessit? Nec ipse operis hujus titulus hanc privatam coordinationem patitur, quippe qui absolutam sibi vindicet Romanæ Ecclesiæ usum et auctoritatem. Gregorianum autem non esse facile sibi quispiam persuadebit, si illum cum hoc nostro contulerit, adeo discrepant; quin ex ipsa collatione argumentabitur hunc esse Gelasianum Codicem illum a Joanne Diacono memoratum. Inde enim constabit 1° multa esse in Gregoriano subtracta; 2° pauca conversa; 3° nonnulla eidem adjecta quæ in hoc non exstant. Ut summa dicam, hunc enim Romanæ Ecclesiæ Sacramentorum Codicem putaverim, qui Gelasii olim appellabatur ex illius sancti pontificis precum augmento. *Appellabatur*, dixi; nolim enim illum integrum ei ascribas, sed Leoni Magno magna ex parte, ejusque prædecessoribus Romanis episcopis. Nec immerito; cœperam enim Leoninas phrases sententiasque cum hoc Codice conferre, et inveni nedum stylum, sed ipsissima verba Leonis hic recitari; et hinc certior factus, paulo certius hoc asserere non dubito: hoc quod mihi prosequi otium non permisit, studiosus quisque suamet observatione præstare poterit. Id tamen libentius admitto huic Codici nonnulla esse apposita sequenti sæculo, quæ præfatos conditores non sapiunt; non multa tamen sunt ea in tertio libro, pauciora enim deprehendes in secundo, paucissima in primo. Nec ideo recte dixeris respuendum, sicut nec omnino rejicitur tanquam fucatus sancti Gregorii Sacramentarius; etsi in illo legas missam in Dedicatione sanctæ Mariæ ad Martyres, quam instituit aliquot post eum annis Bonifacius IV. Constat enim hujusmodi sacros libros non ad meram eruditionem conscribi, sed ad usum potissimum Ecclesiarum, unde novas semper accessiones pati oportet, prout ipsa consuetudinis temporisque ratio tulerit. Et hinc quam facillime refellitur quod opponi possit, in hoc Codice sanctum Gregorium in canone nominari, et illius in eo verba: *Diesque nostros in tua pace disponas*, et quod majus est, integrum capitulum ex ejus Registro inter sacras ordinationes recitari; nam ultro concedimus non exiguo post tempore fuisse conscriptum, et hinc aliqua additamenta passum. Rursus institutionem sancto Gregorio antiquiorem hunc Codicem continere non obscure elici posse videtur ex eo quod in ipso non exstet sancti Pauli

A Commemoratio, pridie Kal. Julii; quodque III Kalendas ejusdem, missa notetur propria pro natali sancti Petri, et ipsomet die alia item propria pro natali sancti Pauli. Auctorem enim hujusmodi Commemorationis sanctum Gregorium facit Micrologus, consentientibus illius Sacramentariis. Antea enim eodem die utriusque apostoli, ut festum in duabus viis Triumphali et Ostiensi, ita et repetita missa in duabus basilicis, Vaticana sancti Petri, et sancti Pauli extra Portam Trigeminam a Romano antistite celebrabatur. Pulchre Prudentius, qui sub finem IV sæculi floruit, id expressit in hymno apostolorum his verbis:

Aspice per bifidas plebs Romula funditus plateas:
 Lux in duobus fervet una festis.
B Nos ad utrumque tamen gressu properemus incitato,
 Et his et illis perfruamur hymnis.
Ibimus ulterius qua fert via Pontis Adriani;
 Lævam deinde fluminis petemus.
Trans tiberina prius solvit sacra pervigil sacerdos:
 Mox hic recurrit, DUPLICATQUE vota.

Cui prisco mori optime respondet noster hic Codex, cum duas separatim missas uno eodemque apostolorum die præscribit, præter tertiam de utroque apostolo communem, in aliis utique Urbis ecclesiis recitandam. Gelasianum autem hunc esse Codicem liquido (ni fallor) ostendit Tolosanus ille Codex allatus a Morino in appendice ad commentarium de Pœnitentia, pag. 55, ita enim in eo scribitur in officio Sabbati sancti cum XII lectiones leguntur: « Sequuntur lectiones secundum Gelasium. Oratio C antequam legatur prima lectio, illico post benedictionem » cerei, scilicet. Descriptis mox XII lectionibus secundum Gelasium, sequitur ibi Rubrica: « Item lectiones secundum Gregorium. Lectio prima in Genesi: *In principio creavit Deus*. Oratio. *Deus, qui mirabiliter creasti hominem*, et reliqua, ut supra, secundum Gelasium. » Hinc discimus in Gelasiano Codice cerei benedictionem contineri, primæque lectioni Geneseos orationem præire, atque XII in eo lectiones contineri, quæ omnia ut in Gregorianis non habentur, ita in hoc nostro plenissime exhibentur, nisi quod hic X tantummodo lectiones habentur, duabus omissis librarii oscitantia, ut conjicio. Nec minus favet antiquissimum Missale ms. membranaceum bibliothecæ Vallicellanæ Oratorii signatum D B. VIII, in quo Dominicis diebus post Pascha et Pentecosten duplex fere missa notatur, altera missa sic inscripta: *Item alia missa.* At Dominica 2 post Octavas Paschæ hæc secunda missa sic describitur.

« *Alia missa sancti Gelasii.*

« *Tibi placitam, Deus noster, populo tuo tribue voluntatem, quia tunc illi prospera cuncta præstabis, cum tuis aptum feceris institutis.*

« *Super obl.*

« *His nobis, Domine, mysteriis conferatur, quo terrena desideria mitigantes, discamus amare cœlestia. Per.*

« *Ad commun.*

« *Sacramenta quæ sumpsimus, quæsumus, Domine*,

et spiritualibus nos expient alimentis, et corporalibus tueantur auxiliis. Per. »

Hanc eamdem sancti Gelasii missam hic legimus eodem die; in hoc tantum est discrimen, quod hic duæ, ibi una præscribitur oratio. At orationem alteram habet Missale illud in missa priori, quæ est Gregoriana; ex duabus nimirum orationibus Gelasianis unam prætermisit, alteras Gregorius retinuit, qui, ut jam dictum est, ex Gelasiano multa subtraxit, pauca convertit, nonnulla de suo adjiciens. Lectorem tandem non prætereat quod in nostro hoc Codice sæpius missæ, *orationes et preces* inscribantur; qui titulus quam bene consonet Sacramentorum libro in Romana Ecclesia ante sanctum Gregorium usurpato, testem affero Vigilium, qui, quadraginta plus annis ante eum, hoc est anno 538, Ordinem PRECUM scripsit, in epist. ad Eutherium, cap. 5. « In celebritate missarum nullo nos tempore, nulla festivitate significamus habere divisum, sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare. Quoties vero paschalis, aut Ascensionis Domini, vel Pentecostes, et Epiphaniæ, sanctorumque Dei fuerit agenda festivitas, singula capitula diebus apta subjungimus, quibus commemorationem sanctæ solemnitatis, aut eorum facimus quorum natalitia celebramus; cætera vero ordine consueto prosequimur. Quapropter et ipsius canonicæ precis textum direximus subter adjectum, quem (Deo propitio) ex apostolica traditione suscepimus. Et ut charitas tua cognoscat quibus locis aliqua festivitatibus apta connectes, paschalis diei PRECES similiter adjecimus. » Hæc ille. Ubi etiam missales orationes capitula vocavit ex antiquo more, quem videre est in Breviario Mozarabo, in quo complures orationes capitula vocantur. Hæc de primo Codice Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ indicasse sufficiat.

Hæc visa sunt studioso lectori compendio prælibanda. Cæterum fusioribus adnotationibus hos Sacramentorum libros illustrare cœperamus quidem; sed cum non vacaret, maluimus eruditorum desiderio cito potius satisfacere, quam diuturniore adhuc tempore iis elucidandis lucubrare. Pari item de causa id quod circa libri medium ad marginales oras aggressi fueramus, ut textus castigationes inibi ex aliis Codicibus apponeremus, longius prosequi non potuimus Codicum defectu, qui tum temporis ad manum non erant. Nostrarum nihilominus adnotationum loco, quod attinet ad libros Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ, præsto esse possunt Vicecomitis, Pamelii, Rocchæ, Menardi, Hallerii, Haberti, Morini, et cardinalis Bonæ, clarissimorum virorum, eruditissimæ commentationes, ut Ordinem Romanum, Alcuinum, Amalarium, cæterosque antiquiores omittam. Pro Gallicanis autem Missalibus Patres sunt potissime consulendi, Augustinus, Cæsarius Arelatensis, Gregorius Turonensis, cæterique Galliæ veteres Scriptores, a quibus haud exiguam lucem accipere posse animadvertimus. Quod autem prolixioribus notationibus conficere nequivimus, hoc vel qualitercunque ex parte præstare conati sumus. Quantum enim properatim fas fuit, conferri curavimus cum aliis sacris libris Codicem Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ (Gallicanorum enim Missalium alia exempla non habuimus) ut in promptu essent castigationes mendorum quibus ille scatet. Quæ vero ex ejusmodi libris facile emendari non potuerunt, lectori castiganda reliquimus. Quem admonitum volumus integra nos fide, ut par est, ipsa mss. Exemplaria exhibere, iis tantum sublatis erroribus, nec tamen omnibus, qui fastidium magis facerent quam fidem, cujusmodi sunt *medillam, concide, antestes*, etc., qui non tantum scriptoris, quantum linguæ Latinæ vitio, quæ tum communis erat et vulgaris, sed jam Barbarorum commistione fœdata, sunt ascribendi; reliquos vero barbarismos et solœcismos, maxime qui multifarie restitui possent, de industria retinuimus.

Α † Ω

IN NOMINE DNI JESU XPI SALVATORIS

INCIPIT LIBER SACRAMENTORUM ROMANÆ ECCLESIÆ.

ORDINIS ANNI CIRCULI.

ORAT. ET PRECES IN VIGILIIS NATALIS DOMINI.

Ad nonam.

Da nobis, omnipotens Deus, ut sicut adoranda Filii tui Natalitia prævenimus, [a] sic et ejus munera capiamus sempiterna gaudentes. Per Dominum nostrum.

Præsta, misericors Deus, ut ad suscipiendum Filii tui singulare Nativitatis mysterium, et mentes credentium præparentur, et non credentium corda subdantur. [b] Per Dominum nostrum.

Secreta.

Tanto nos, Domine, quæsumus, promptiore servitio hujus sacrificia præcurrere concede solemnis,

[a] Lege : *sic ejus.*

[b] Lege : *Per.*

quanto in hoc constare principium nostræ redemptionis ostendis. [a] Per.

Postcommun.

Hujus nos, Domine, sacramenti semper natalis instauret, [b] cujus nobilitas singularis humanam repulit vetustatem. Per Dominum.

II.

ITEM DE VIGILIA DOMINI.

In nocte.

Deus, qui hanc sacratissimam noctem veri luminis fecisti inlustratione clarescere, da, quæsumus, ut cujus lucis mysterium in terra cognovimus, ejus quoque gaudiis in cœlo perfruamur. Per.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut Unigeniti tui nova per carnem Nativitas liberet, quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet. Per.

Secreta.

Munera nostra, Domine, quæsumus, Nativitatis hodiernæ mysteriis apta [c] perveniant. Ut sicut homo genitus, idem [d] præfulsit et Deus, sic nobis hæc terrena substantia conferat quod divinum est. Per.

VD et justum est, æquum et salutare. Cujus divinæ Nativitatis potentiam ingenita virtutis tuæ genuit magnitudo. Quem semper Filium et ante tempora æterna generatum, quia tibi pleno atque perfecto æterni Patris nomen non defuit, prædicamus, verum etiam honore, majestate, atque virtute æqualem tibi cum sancto Spiritu confitemur, dum trino vocabulo unicam credimus majestatem. Quem laudant angeli.

Postcommun.

Læti, Domine, frequentamus salutis humanæ principia, quia trina celebratio beatæ competit mysterio Trinitatis. Per Dominum nostrum.

III.

ITEM IN VIGILIA DOMINI

Mane prima.

Deus, qui per beatæ Mariæ sacræ virginis partum sine humana concupiscentia [e] percreatum, in Filii tui membra venientes, paternis fecisti præjudiciis non teneri, præsta, quæsumus, ut, hujus creaturæ novitate suscepta, vetustatis antiquæ contagiis exuamur. Per eumdem Dominum.

Respice nos, omnipotens et misericors Deus, et mentibus clementer humanis, nascente Christo, summæ veritatis lumen [f] infunde. Per.

Secreta.

Da nobis, Domine, ut Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi solemnia, quæ præsentibus sacrificiis prævenimus, sic nova sint nobis, ut continuata permaneant, sic perpetua perseverent, ut suo miraculo nova semper existant. Per eumdem.

Item alia.

Cuncta, Domine, quæsumus, his muneribus a nobis semper diabolica figmenta seclude, ut nostri

A Redemptoris exordia purificatis mentibus celebremus. Per.

VD Nos, sursum cordibus erectis, divinum adorare mysterium, quo humana conditio, veteri terrenaque lege cessante, nova cœlestisque substantia mirabiliter restaurata profertur, ut quod magno Dei munere geritur magnis Ecclesiæ gaudiis celebretur. Per.

Postcommun.

Concede nobis, Domine, quæsumus, ut Sacramenta, quæ sumpsimus, quicquid in nostra mente vitiosum est, ipsius medicationis dono curetur. Per.

Ad populum.

Populum tuum, Domine, quæsumus, tueantur, B sanctificent, et gubernent, æternumque perficiant tam devotionibus acta solemnibus, quam natalitiis agenda divinis Jesu Christi Domini nostri.

IV.

ITEM IN NATALE DOMINI.

In die.

Omnipotens sempiterne Deus, qui hunc diem per incarnationem Verbi tui, et per partum beatæ virginis Mariæ consecrasti, da populis tuis in hac celebritate [g] justitiæ ut et qui tua gratia sunt redempti, tua adoptione sint filii. Per Dominum.

Præsta, misericors Deus, ut natus hodie Salvator, sicut divinæ generationis est auctor, ita et immortalitatis sit ipse largitor. Per.

Secreta.

Oblatio tibi sit, Domine, hodiernæ festivitatis C accepta, [h] quia et nostræ reconciliationis processit perfecta placatio, et divini cultus nobis est indita plenitudo Jesu Christi Domini nostri. Qui tecum vivit.

VD Tuæ laudis hostiam jugiter immolantes. Cujus figuram Abel justus instituit, agnus quoque legalis ostendit, celebravit Abraham, Melchisedech sacerdos exhibuit, sed verus agnus, æternus Pontifex hodie natus Christus implevit. Et ideo cum angelis.

[i] *Infra action.*

Communicantes, et diem sacratissimum celebrantes, in quo incontaminata virginitas huic mundo edidit Salvatorem Jesum Christum Dominum nostrum. Sed et memoriam.

Postcommun.

D Da nobis, Domine, quæsumus, ipsius recensita Nativitate vegetare, cujus cœlesti mysterio et pascimur, et potamur Jesu Christi Domini nostri Filii tui. Qui tecum vivit.

Ad populum.

Præsta, quæsumus, Deus noster, ut familia tua, quæ Filii tui Domini nostri Jesu Christi est Nativitate salvata, ejus etiam sit perpetua redemptione secura. Per Dominum.

[a] Lege : *Per Dominum.*
[b] *Nativitas*, et sic in Sacramentar. sancti Gregorii, apud Pamelium et Menardum, in die Natalis Domini habetur.
[c] Apud Menard. et Pamel. legitur : *proveniant.*
[d] Apud eosdem : *refulsit Deus.*
[e] Apud eosdem : *procreatum.*
[f] Pamelio et Menardo, *ostende.*
[g] In Missali Gothico, *lætitiæ.*
[h] Ita in missa Ambrosiana apud Pamelium infra octavam Nativitatis Domini.
[i] Lege : *Intra.*

V.

ITEM ORAT. DE NATAL. DOMINI.

Ad resp. sive matnt.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et populum tuum, qui te factore conditus, teque est reparatus auctore, te etiam jugiter operante, salvetur. Per Dominum.

Largire, quæsumus, Domine, famulis tuis fidei et securitatis augmentum, ut qui de Nativitate Domini nostri Jesu Christi gloriantur, et adversa mundi, te gubernante, non sentiant, et quæ temporaliter celebrare desiderant, sine fine percipiant. Per Dominum.

Deus, qui populo tuo plene præstitisti redemptionis effectum, ut non solum Unigeniti tui Nativitate corporea, sed etiam et crucis [a] patibulo salvaretur, hujus, quæsumus, fidei famulis tuis tribue firmitatem, ut usque ad promissum gloriæ præmium, ipso quoque gubernante, perveniant. Per.

Deus, qui humanæ substantiæ dignitatem et mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti, [b] da, quæsumus, ut ejus efficiamur in divina consortes, qui nostræ humanitatis fieri dignatus est particeps Christus Filius tuus. Per eumdem Dominum nostrum.

Omnipotens sempiterne Deus creator humanæ reformatorque naturæ, quam Unigenitus tuus in utero perpetuæ virginitatis assumpsit, respice nos propitius, ut, Filii tui incarnatione suscepta, inter ipsius mereamur membra numerari. Per eundem.

Deus, qui Nativitatis tuæ exordium pro nostra necessarium salvatione duxisti, respice nos propitius, et quo similes ad imaginem tuam fecisti, similiores observatione perfice mandatorum. [c] Per.

VI.

IN NAT. SANCTI STEPHANI MARTYR.

VII Kal. Januarias.

Omnipotens æterne Deus, qui primitias martyrum in sancti Levitæ Stephani sanguine dedicasti, tribue, quæsumus, ut pro nobis intercessor adsistat, qui pro suis etiam persecutoribus supplicavit. Per.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut divina laudamus in sancti Stephani passione magnalia, sic indulgentiam tuam piis ejus precibus assequamur. Per.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut beatus Stephanus Levita magnificus, sicut ante alios imitator dominicæ passionis et pietatis enituit, ita sit fragilitatis nostræ promptus adjutor. Per.

Secreta.

Grata tibi sint, Domine, munera, quæsumus, devotionis hodiernæ, quæ beati Stephani martyris tui commemoratio gloriosa depromit. Per.

Postcommun.

Gratias agimus, Domine, multiplicatis circa nos miserationibus tuis, qui et Filii tui Nativitate nos salvas, et beati martyris Stephani deprecatione sustentas. Per.

A *Ad populum.*

Beatus martyr Stephanus, Domine, quæsumus, pro fidelibus tuis suffragator accedat, qui dum bene sit tibi placitus, pro his etiam prosit auditor. Per.

[d] VII.

IN NAT. SANCTI JOAN. EVANGEL.

VI Kal. Januarias.

Deus, qui per os beati apostoli tui Joannis evangelistæ, Verbi tui nobis arcana reserasti, præsta, quæsumus, ut quod ille nostris auribus excellenter infudit, intelligentiæ competentis eruditione capiamus. Per Dominum nostrum.

Deus, qui beati Joannis evangelistæ præconiis Principii sempiterni secreta reserasti, da, quæsumus, ut ad intelligentiam Verbi ejus per quem nobis [e] splenduit suffragiis accedamus. Per Dominum.

B Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut excellentiam Verbi tui, quam beatus evangelista Joannes adseruit, et convenienter intelligere valeamus, et veraciter confiteri. Per.

Secreta.

Supplicationibus apostolicis beati Joannis evangelistæ, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, Domine, commendetur oblatio, cujus magnificis prædicationibus eruditur. Per.

Postcommun.

Beati evangelistæ Joannis nos, Domine, quæsumus, merita prosequantur, et tuam nobis indulgentiam semper implorent. Per.

Ad populum.

C Adsit Ecclesiæ tuæ, Domine, quæsumus, beatus evangelista Joannes, ut cujus perpetuus doctor existit, semper esse non desinat suffragator. Per.

VIII.

IN NATAL. INNOCENT.

V. Kal. Januar.

Deus, cujus hodierna die præconium Innocentes martyres non loquendo, sed moriendo, confessi sunt, omnia in nobis vitiorum mala mortifica, ut fidem tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Per Dominum.

Deus, qui bonis tuis Infantium quoque nescia sacramenti corda præcedis, tribue, quæsumus, ut in nostra conscientia fiduciam non habentes indulgentia semper copiosa [f] præveniat. Per.

D Adjuva nos, Domine, quæsumus, eorum deprecatione sanctorum, qui Filium tuum humana necdum voce profitentes, cœlesti sunt pro ejus nativitate gratia coronati. Per.

Secreta.

Adesto, Domine, muneribus Innocentum festivitate sacrandis, et præsta, quæsumus, ut eorum sinceritatem possimus imitari, quorum tibi dicandam veneramur infantiam. Per.

Postcommun.

Ipsi nobis, Domine, quæsumus, postulent mentium puritatem, quorum innocentiam hodie solemniter celebramus. Per Dominum.

[a] Lege : *ejus patibulum.*

[b] Apud Pamelium, et Menardum : *Da nobis, quæsumus, ejus divinitatis esse consortes.*

[c] In Ambrosiana missa apud Pamelium legitur : *Qui cum.*

[d] Lege : *VI.*

[e] Lege : *splendet.*

[f] Lege : *perveniat*

Ad populum.

Discat Ecclesia tua, Deus, Infantum, quos hodie veneramur, exemplo sinceram tenere pietatem, quæ prius vitam præstitit sempiternam, quam possit nosse præsentem. Per Dominum nostrum.

IX.

ITEM IN OCTABAS DOMINI.

Kal. Januar.

Deus, qui bonis nati Salvatoris diem celebrare concedis octavum, fac, quæsumus, nos [a] ejus perpetua divinitate [b] muniri cujus sumus carnali commercio reparati. Per.

Omnipotens sempiterne Deus, [c] qui Unigenito tuo novam creaturam nos tibi esse fecisti, custodi opera misericordiæ tuæ, et ab omnibus nos maculis vetustatis emunda, ut per auxilium gratiæ tuæ in illius inveniamur forma, in quo tecum est nostra substantia. Per.

Secreta.

Præsta, quæsumus, Domine, ut per hæc munera, quæ Domini Jesu Christi arcanæ Nativitatis mysterio gerimus, purificatæ mentis intelligentiam consequamur. Per Dominum.

VD Per Christum Dominum nostrum. Cujus hodie octavas nati celebrantes, tua, Domine, mirabilia veneramur. Quia quæ peperit, et mater et virgo est, [d] qui natus est, et infans et Deus est. Merito cœli locuti sunt, angeli gratulati, pastores lætati, magi mutati, reges turbati, parvuli gloriosa passione coronati. Lacta, Mater, cibum nostrum; lacta panem de cœlo venientem in præsepio positum velut piorum cibaria jumentorum. Illic namque agnovit bos possessorem suum, et asinus præsepium Domini sui, circumcisio, scilicet, et præputium. Quod etiam Salvator et Dominus noster a Simeone susceptus in templo, plenissime dignatus est adimplere. Et ideo cum angelis, et archangelis.

Postcommun.

Præsta, quæsumus, Domine, ut quod Salvatoris nostri iterata solemnitate percipimus, perpetuæ nobis redemptionis conferat medicinam. Per.

Ad populum.

Omnipotens sempiterne Deus, qui tuæ mensæ participes a diabolico jubes abstinere convivio, da, quæsumus, plebi tuæ ut, gustu mortiferæ profanitatis abjecto, puris mentibus ad epulas æternæ salutis accedat. Per.

X.

PROHIBENDUM AB IDOLIS.

Omnipotens sempiterne Deus, da nobis voluntatem tuam et fideli mente retinere, et pia conversatione depromere, ut Ecclesia tua, a profanis vanitatibus expiata, non aliud profiteatur verbis, aliud exerceat actione. Per Dominum.

A *Secreta.*

Ut tibi grata sint, Domine, munera populi tui, ab omni, quæsumus, eum contagione perversitatis emunda, nec falsis gaudiis inhærere patiaris, quos ad diversitatis tuæ præmia venire promittis. Per.

Postcommun.

Mysteriis tuis veneranter adsumptis, quæsumus, Domine, ut contra nostræ conditionis errorem, et contra diabolicas armemur insidias. Per.

XI.

IN VIGILIIS DE THEOPHANIA.

Corda nostra, quæsumus, Domine, venturæ festivitatis splendor inlustret, quo mundi hujus tenebris carere valeamus, et perveniamus ad patriam claritatis æternæ. Per.

Secreta

B Tribue, quæsumus, Domine, ut eum præsentibus immolemus sacrificiis, et sumamus, quem venturæ solemnitatis pia munera præloquuntur. Per.

VD Quia cum Unigenitus tuus [e] in substantiæ nostræ mortalitatis lucem reparavit. Per quem laudant angeli.

Postcommun.

Inlumina, quæsumus, Domine, populum tuum, et splendore gratiæ tuæ cor ejus semper accende, ut Salvatoris mundi, stella famulante, manifestata nativitas mentibus eorum et reveletur semper et crescat. Per.

XII.

ITEM IN THEOPHANIA.

In die.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Verbi tui in-
C carnationem præclari testimonio sideris indicasti, quod videntes magi oblatis Majestatem tuam muneribus [f] adorarunt, concede ut semper in mentibus nostris tuæ appareat stella justitiæ, et noster in tua sit confessione thesaurus. Per.

Deus, cujus Unigenitus in substantia nostræ carnis apparuit, præsta, quæsumus, ut per eum quem similem nobis foras agnovimus, intus reformari mereamur. Per Dominum nostrum.

Deus inluminator omnium gentium, da populis tuis perpetua pace gaudere, et illud lumen splendidum infunde cordibus nostris, quod trium magorum mentibus [g] aspersisti. Per.

Secreta.

Hostias tibi, Domine, pro nati tui Filii apparitio-
D ne deferimus, suppliciter exorantes, ut sicut ipse nostrorum auctor est munerum, ipse sit misericors et susceptor Jesus Christus Dominus noster. Qui tecum vivit.

VD Te laudare mirabilem [h] Dominum in omnibus operibus tuis, quibus regni tui mysteria revelasti. [i] Hancque [j] enim festivitatem index puerperæ virginalis stella præcessit, quæ natum in terra

[a] In exemplari: *esse*, — sed mendose. Ita correctum ex Pamelio.

[b] In Exemplari: *munere*, — sed perperam. Sic emendatum ex Pamelio.

[c] Apud Pamel. et Menard. legitur: *qui in.*

[d] Lege: *quia.*

[e] Apud Menardum in die Epiphaniæ habetur: *in substantia nostræ mortalitatis apparuit, in novam nos immortalitatis suæ lucem reparavit.*

[f] Lege: *adorarent.*

[g] Apud Pamelium et Menardum: *aspirasti.*

[h] Lege: *Deum.*

[i] Apud Pamelium legitur: *Hanc etenim festivitatem Dominicæ apparitionis index stella præcessit.*

[j] Lege: Ĭĭ.

cœli Dominum magis stupentibus nuntiaret. Ut manifestandus mundo Deus, et cælesti denunciaretur indicio, et temporaliter procreatus signorum temporalium ministerio panderetur. Et ideo.

Infra action.

Communicantes, et diem sacratissimum celebrantes, quo Unigenitus tuus in tua tecum gloria sempiternus, in veritate nostræ carnis natus, magis de longinquo venientibus visibilis et corporalis apparuit. Sed et memoriam.

Postcommun.

Cœlesti lumine, quæsumus, Domine, semper et ubique nos præveni, ut mysterium, cujus nos participes esse voluisti, et puro cernamus intuitu et digno percipiamus effectu. Per.

Ad populum.

Deus, qui per hujus celebritatis mysterium æternitatis tuæ lumen cunctis gentibus suscitasti, da plebi tuæ Redemptoris sui plenum cognoscere fulgorem, ut ad perpetuum claritatem per ejus incrementa perveniat. Per.

XIII.

IN SEPTUAGESIMA.

Deus, qui per ineffabilem observantiam sacramenti famulorum tuorum præparas voluntates, donis gratiæ tuæ corda nostra purifica, ut quod sancta est devotione tractandum, sinceris mentibus exequamur. Per Dominum.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, fragilitati nostræ sufficientiam competentem, [a] ut suæ reparationis affectum et pia conversatione recenseat, et cum exultatione suscipiat. Per.

Secreta.

[b] Concede, misericors Deus, et digne tuis servire semper altaribus, et eorum perpetua participatione salvari. Per.

Ad populum.

Sacræ nobis, quæsumus, Domine, mensæ libatio, et piæ conversationis augmentum, et tuæ protectionis continuum præstet auxilium. Per.

XIV.

IN SEXAGESIMA

Tuere, quæsumus, Domine, plebem tuam, et sacram solemnitatem recolentem gratiæ cœlestis largitate prosequere, ut visibilibus adjuta solatiis, ad invisibilia bona promptior incitetur. Per Dominum nostrum.

Adjuva nos, Deus salutaris noster et ad beneficia recolenda, quibus nos instaurare dignatus es, tribue venire gaudentes.

Secreta.

Intende, quæsumus, Domine, hostias familiæ [c] tuæ, quam sacris muneribus facis esse participem, tribuas ad eam plenitudinem pervenire. Per.

Postcommun.

Sit nobis, quæsumus, Domine cibus sacer, potus-

A que salutaris, qui et temporalem vitam muniat, et præstet æternam.

Ad populum.

Rege, quæsumus, Domine, populum tuum, et gratiæ tuæ in eo dona multiplica, ut ab omnibus liber offensis, et temporalibus non destituatur auxiliis, et sempiternis gaudeat institutis. Per.

XV.

ORAT. ET PRECES SUPER PŒNITENTES.

Exaudi, Domine, preces nostras, et confitentium tibi parce peccatis, ut quos conscientiæ reatus accusat, indulgentiæ tuæ miseratio absolvat. Per.

Præveniat hunc famulum tuum, quæsumus, Domine, misericordia tua, et omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per Dominum nostrum.

B Adesto, Domine, supplicationibus nostris, nec sit ab hoc famulo tuo clementiæ tuæ longinqua miseratio. Sana vulnera, ejusque remitte peccata, ut nullis a te iniquitatibus separatus, tibi semper Domino valeat adhærere. Per.

Domine Deus noster, qui offensione nostra non vinceris, sed satisfactione placaris, respice, quæsumus, ad hunc famulum tuum, qui se tibi peccasse graviter confitetur. Tuum est ablutionem criminum dare, et veniam præstare peccantibus, qui dixisti pœnitentiam te malle peccatorum, quam mortem. Concede ergo, Domine, hoc, ut et tibi pœnitentiæ excubias celebret, ut, correctis actibus suis, [d] conferre tibi ad te sempiterni gaudia celebretur. Per.

C Precor, Domine, clementiam tuæ majestatis ac nominis, ut huic famulo tuo peccata et facinora sua confitenti veniam dare, et præteritorum [e] criminum relaxare digneris. Qui humeris tuis ovem perditam reduxisti ad caulas, qui publicani precibus vel confessione placatus es, tu etiam, Domine, et huic famulo tuo placare, ut ejus precibus benignus adsiste, ut in confessione flevili permanens clementiam tuam celeriter exoret, et sanctis ac sacris altaribus restitutus, spei rursus æternæ et cœlestis gloriæ reformetur. Per.

XVI.

ORDO AGENTIBUS PUBLICAM PŒNITENTIAM.

Suscipis eum IV feria mane in capite Quadragesimæ, et cooperis eum cilicio, oras pro eo, et includis usque ad Cœnam Domini. Qui eodem die in gremio D *præsentatur ecclesiæ, et prostrato eo omni corpore in terra, dat orationem pontifex super eum ad reconciliandum in quinta feria Cœnæ Domini, sicut ibi continetur.*

XVII.

ORAT. ET PRECES A QUINQUAG. USQUE QUADRAGES.

Aufer a nobis, Domine, quæsumus, iniquitates nostras, ut ad sancta sanctorum puris mereamur sensibus introire. Per.

Perfice, Domine, benignus in nobis observantiæ

[a] Lege : *sui*. — Pamelius vero in exemplari emendato legit : *ut in sui reparationis effectum*.
[b] Lege : *Concede nobis*
[c] Apud Pamelium habetur : *tuæ, et quam*.

[d] Restituendum ex Menardo : *conferri sibi a te sempiterna gaudia gratuletur*.
[e] Apud eumdem : *criminum debita relaxare*.

sanctæ subsidium, ut quæ te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus. Per.

Secreta.

Sacrificium, Domine, observantiæ paschalis [a] exerimus; præsta, quæsumus, ut tibi et mentes nostras reddat acceptas, et [b] continentiæ promptiores. Per.

Postcommun.

Repleti sumus, Domine, donorum participatione cælestium; præsta, quæsumus, ut eadem et sumamus jugiter, et incessabiliter ambiamus. Per.

Ad populum.

De multitudine misericordiæ tuæ, Domine, populum tibi protege confitentem, et corporaliter gubernatum, piæ mentis affectu tuis muneribus adsequendis effice promptiorem. Per Dominum nostrum.

IN JEJUNIO PRIMA STATION.

Feria IV.

Inchoata jejunia, quæsumus, Domine, benigno favore prosequere, ut observantiam, quam corporaliter exercemus, mentibus valeamus implere sinceris. Per.

Fac nos, quæsumus, Domine, salutis nostræ causas et devotis semper frequentare servitiis, et devotius recolere principaliter inchoatas. Per.

Secreta.

Fac nos, quæsumus, Domine, his muneribus offerendis convenienter aptari, quibus ipsius venerabilis sacramenti venturum celebremus exordium. Per.

Postcommun.

Tribue nobis, omnipotens Deus, ut dona cælestia, quæ debito frequentamus obsequio, sincera professione sentiamus. Per

Ad populum.

Respice, Domine, quæsumus, super famulos tuos, et in tua misericordia confidentes cælesti protege benignus auxilio. Per.

FERIA SEXTA

In Quinquagesima.

Da, quæsumus, Domine, fidelibus tuis jejuniis paschalibus convenienter aptari, ut suscepta solemniter castigatio corporalis cunctis ad fructum proficiat animarum. Per.

Adjuva nos, Deus salutaris noster, ut quæ conlata nobis honorabiliter recensemus, devotis mentibus adsequamur. Per.

Secreta.

Præpara nos, quæsumus, Domine, hujus præcipue festivitatis officiis, ut hæc sacrificia sobriis mentibus celebremus. Per.

Postcommun.

Salutari munere, Domine, satiati, supplices deprecamur, ut cujus lætamur gustu, reparemur effectu. Per Dominum nostrum.

Ad populum.

Præsta famulis tuis, Domine, abundantiam protectionis et gratiæ; da salutem mentis et corporis; da continua prosperitatis augmenta; et tibi semper fac esse devotos. Per Dominum nostrum.

FERIA SEPTIMA

In Quinquagesima.

Observationis hujus annua celebritate lætantes, quæsumus, Domine, ut paschalibus actionibus inhærentes, plenis ejus effectibus gaudeamus. Per.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et [c] hoc solemne jejunium, quod animis, [d] corporibus curandis salubriter institutum est, devoto servitio celebremus. Per.

Secreta.

Suscipe, Domine, sacrificium, cujus te voluisti [e] dignanti immolatione placare; præsta, quæsumus, ut hujus operatione mundati, beneplacitum tibi nostræ mentis offeramus affectum. Per.

Postcommun.

Cælestis vitæ munere vegetati, quæsumus, Domine, ut quod est nobis in præsenti vita mysterium, fiat æternitatis auxilium. Per.

Ad populum.

Fidelibus tuis, Domine, perpetua dona firmentur, ut eadem percipiendo te quærant, et quærendo sine fine percipiant. Per.

XVIII.

ORAT. ET PRECES.

Dominica in Quadragesima.

Inchoantis initium.

Concede nobis, omnipotens Deus, ut per annua quadragesimalis exercitia sacramenti, et ad intelligendum Christi proficiamus arcanum, [f] et affectus ejus digna conversatione sectemur. Per.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nobis in observatione jejunii, et eleemosynarum semine posuisti nostrorum remedia peccatorum, concede nos opere mentis et corporis semper tibi esse devotos. Per.

Secreta.

Sacrificium, Domine, quadragesimalis initii solemniter immolamus, te, Domine, deprecantes, ut cum epularum restrictione carnalium, a noxiis quoque voluptatibus [g] temperemur. Per.

Postcommun.

Præsta nobis, omnipotens Deus, ut vivificationis tuæ gratiam consequentes, in ejus munere semper gloriemur. Per.

Ad populum.

Super populum tuum, Domine, quæsumus, benedictio copiosa descendat, consolatio tribuatur, fides sancta succrescat, redemptio sempiterna firmetur. Per Dominum nostrum.

[a] Apud Pamelium, feria 6 intra quinquagesimam: *offerimus*; et apud Menardum, eadem feria 6: *quod offerimus.*

[b] Apud Pamelium, feria 6: *continentiæ promptioris nobis tribuat facultatem.*

[c] Pamelius: *et concede ut hoc.*

[d] Pamelio: *corporibusque.*

[e] Apud eumdem: *dignanter immolatione placari.*

[f] Eidem: *et effectus.*

[g] Menardus: *temperemus.*

FERIA SECUNDA

In Quadragesima.

Sanctifica, Domine, quæsumus, nostra jejunia, et cunctarum nobis indulgentiam propitius largire culparum. Per Dominum.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per continentiam salutarem et corporibus mederis et mentibus, majestatem tuam suppliciter exoramus, ut pia jejunantium precatione placatus, et præsentia nobis subsidia præbeas et æterna. Per.

Secreta.

Accepta tibi sit, Domine, nostræ devotionis oblatio, quæ et jejunium nostrum, te operante, sanctificet, et indulgentiam nobis tuæ consolationis obtineat. Per Dominum.

Postcommun.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut inter ejus numeremur membra, [a] cujus corpore communicamus et sanguine. Per.

Ad populum.

Esto, Domine, propitius plebi tuæ, et temporali consolatione non deseras, quam vis ad æterna contendere. Per.

FERIA TERTIA.

Da, quæsumus, Domine, [b] nostræ affectus jejunii salutare, ut castigatio carnalis adsumpta ad nostrarum vegetationem transeat animarum. Per Dominum.

Cordibus nostris, quæsumus, Domine, benignus infunde, ut sicut ab escis [c] temporalibus temperamur, ita sensus quoque nostros a noxio retrahamus excessu. Per.

Secreta.

Suscipe, creator omnipotens Deus, quæ jejunantes de tuæ munificentiæ largitate deferimus, et pro temporali nobis conlata præsidia, ad vitam converte propitiatus æternam. Per.

Postcommun.

Sumpsimus, Domine, celebritatis annuæ votiva sacramenta; præsta, quæsumus, ut temporalis vitæ nobis remedia [d] præveniant et æterna. Per.

Ad populum.

Respice, Domine, propitius ad plebem tuam, et quam divinis [e] tribues proficere sacramentis ab omnibus absolve peccatis. Per Dominum nostrum.

FERIA QUARTA.

Precamur, omnipotens Deus, ut de transitoriis operibus abstinentes, ea potius operemur, quibus ad æterna gaudia consequenda, et spes nobis suppetat et facultas. Per Dominum.

Pacem nobis tribue, Domine, quæsumus, mentis et corporis, ut per jejunium nostræ fragilitatis et manifesti subjiciantur hostes. et invisibiles excludantur. Per.

[a] Apud Pamelium in Sabbato hebdomad. 3: *cujus corpori communicamus et sanguini.*

[b] Apud Menard., Sabbato hebdomad. 2 · *nostris affectum jejuniis salutarem.*

[c] Lege: *corporalibus.*

[d] Menardo: *proveniant.*

A *Secreta.*

Sacrificia, Domine, propitius ista nos salvent, quæ medicinalibus sunt instituta jejuniis. Per.

Postcommun.

Tuorum nos, Domine, largitate donorum, et temporalibus attolle præsidiis, et renova sempiternis. Per.

Ad populum.

Da, quæsumus, Domine, populis Christianis, et quod profitentur agnoscere et [f] ad cæleste munus diligere quod frequentant. Per.

FERIA SEXTA.

Hujus nobis parsimoniæ, quæsumus, Domine, præbe mensuram, ut quod licentiæ carnis auferimus, salutarem nobis fructum mentis adquirat.
B Per.

Da, quæsumus, nobis, omnipotens Deus, jejuniorum magnifice sacramenti et digne semper tractare mysteria, et competenter primordia. Per.

Secreta.

Suscipe, quæsumus, Domine, devotorum munera famulorum, et tuis divinis purifica servientes pietate mysteriis, quibus etiam justificas ignorantes. Per Dominum.

Postcommun.

Præsta, quæsumus, Domine, [g] spiritualibus gaudiis nos repleri, ut quæ actu gerimus, mente sectemur. Per.

Ad populum.

C Plebs tua, Domine, quæsumus, benedictionis sanctæ munus accipiat, per quod et noxia quæque declinet, et optata reperiat. Per.

FERIA SEPTIMA.

Deus, qui nos gloriosis remediis in terris adhuc positos jam cælestium rerum facis esse consortes, tu, quæsumus, in ista, qua vivimus, nos vita guberna, ut ad illam, in qua ipse es, lucem perducas. Per Dominum nostrum.

Reparet nos, quæsumus, Domine, semper et innovet tuæ providentiæ [h] pietatisque fragilitatem nostram, et inter mundi tempestates protegat, et gubernet, et in portum perpetuæ salutis inducat. Per.

Secreta.

D Hæc, quæ nos reparent, quæsumus, Domine, beata mysteria, suo munere dignos efficiant. Per Dominum.

Postcommun.

Perpetuo, Domine, favore prosequere, quos reficis divino mysterio, et quos imbuisti cælestibus institutis, salutaribus comitare solatiis. Per.

Ad populum.

Fideles tuos, Domine, benedictio desiderata confirmet, quæ eos a tua voluntate nunquam faciat

[e] Apud Pamel., fer. 4 sequenti: *tribuis.*

[f] Pamelius fer. 5 sequenti: *et cæleste.*

[g] Lege: *spiritalibus.*

[h] Apud Pamelium in Dominica vacat habetur: *pietatis, quæ.*

discrepare, et tuis semper indulgeat beneficiis gratulari. Per.

XIX.

Istæ orat. quæ sequuntur prima Sabb. in mense primo sunt dicendæ.

ORAT. ET PRECES

In XII lect. mense primo.

Deus, qui delinquentes perire non pateris, donec convertantur et vivant, debitam, quæsumus, peccatis nostris suspende vindictam, et præsta propitius, ne dissimulatio cumulet ultionem, sed potius per jejunium emendatio prosit ad veniam. Per Dominum nostrum.

Omnium nostrorum, Domine, quæsumus, ad te corda converte, et ab his, quibus offenderis, abstinentes, non iram tuam sed misericordiam sentiamus. Per.

Jejunia, quæsumus, Domine, nos sacrata lætificent, ut imbecillitati nostræ tribuatur auxilium, et mentibus desideratus virtutum succedat affectus. Per Dominum.

Adesto, quæsumus, omnipotens Deus, ac jejunio corporali mentem nostram operibus tuorum refice mandatorum. Per Dominum.

Da nobis observantiam, Domine, legitimam devotione perfectam, ut cum refrænatione carnalis alimoniæ, sancta tibi conversatione placeamus. Per.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per continentiam salutarem corporibus mederis et mentibus, majestatem tuam suppliciter exoramus, ut pia jejunantium precatione placatus, et temporalia subsidia nobis tribuas [a] æterna. Per.

XX.

Ordo qualit. in Romana sedis apostolicæ ecclesia presbyteri, diaconi, vel subdiaconi eligendi sunt.

Mensis primi, IV, VII *et* X, *Sabbatorum die in* XII *lectiones, ad Sanctum Petrum, ubi* [b] *missæ celebrantur. Postquam antiphonam ad introitum dixerint, data oratione adnuntiat pontifex in populo dicens:*

Auxiliante Domino Deo, et Salvatore nostro Jesu Christo.

[c] *Iterum dicit:*

Auxiliante Domino [d] Deo Salvatore nostro Jesu Christo, Elegimus in ordine diaconi, *sive* [e] presbyteri, *illum* subdiaconum, *sive* diaconum de titulo *illo*. Si quis autem habet aliquid contra hos viros, pro Deo et propter Deum cum fiducia exeat et dicat. Verumtamen memor sit communionis suæ.

Et post modicum intervallum mox incipiunt omnes:

A Kyrie eleison, *cum lætania. Hac expleta, ascendunt ipsi electi ad sedem pontificis, et benedicit eos* [f] *a quo vocati sunt, et* [g] *descendunt. Stant in ordines suos, benedictione percepta.* [h] Per Dominum.

Sequitur oratio de Bened. Require ipsam in quarto, aut X Mense.

Ad ordinandos presbyteros.

Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad presbyterii munus elegit, cælestia dona multiplicet, et quæ ejus dignatione suscipiunt, ejus exequantur auxilio. Per Dominum.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, et super hos famulos tuos benedictionem sancti Spiritus et gratiæ sacerdotalis effunde virtutem, ut quos tuæ pietatis B aspectibus offerimus consecrandos, perpetua muneris tui largitate [i] consequantur. Per.

Consecratio.

Domine sancte Pater omnipotens, æterne Deus, [j] honorum omnium dignitatum, quæ tibi militant, distributor. Per quem proficiunt universa, per quem cuncta firmantur, amplificatis semper in melius naturæ rationalis incrementis per ordinem congrua ratione dispositum. Unde sacerdotalis gradus, et officia Levitarum sacramentis mysticis instituta creverunt, ut, cum pontifices summos regendis populis præfecisses, ad eorum societatis et operis adjumentum, sequentis ordinis viros et secundæ dignitatis [k] eligeres. Sic in eremo per LXX virorum prudentium C mentes Moysi spiritum propagasti, quibus ille adjutoribus usus in populo, innumeras multitudines facile gubernavit. Sic et Heleazaro, et Ithamar filiis Aaron paternæ plenitudinis abundantiam transfudisti, [l] et ad hostiæ salutaris officia sacramenta sufficeret meritum sacerdotum. Hac providentia, Domine, apostolos Filii tui doctores fidei comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis prædicatoribus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque nostræ, Domine, quæsumus, hæc adjumenta largire, quia quanto magis fragiliores sumus, tanto his [m] plurius indigemus. Da, quæsumus, omnipotens Pater, in hos famulos tuos presbyterii dignitatem. Innova in visceribus eorum Spiritum sanctitatis, ut acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obti- D neant, censuramque morum exemplo suæ conversationis insinuent. Sint providi cooperatores nostri ordinis; luceat in eis totius forma justitiæ, ut, bonam rationem dispensationis sibi creditæ reddituri, æternæ beatitudinis præmia consequantur. [n] Per.

[a] In Missali Romano : *et æterna.*
[b] Lege : *missas.*
[c] Lege : *Iterum, iterum dicit.*
[d] Lege : *Deo et Salvatore.*
[e] Lege : *Presbyterii.*
[f] Apud Menardum : *ad quod.*
[g] Menardus : *et descendentes stant in ordine suo.*
[h] Hæc verba, et seq. rubr. male est hic transposita; reponi enim debent post oration. in XII lectionib.
[i] Alii Cod. : *prosequaris.*

[j] Apud Menardum : *honorum auctor, et distributor omnium dignitatum. Per quem*, etc.
[k] Ita correximus, cum legatur mendose in Exemplari : *elegeris.*
[l] Alii Cod. : *ut ad hostias salutares et frequentioris officii.* Apud Menardum : *Ut ad hostias salutares, et frequentiores officii sacramenta, ministeriam sufficere sacerdotum*, etc.
[m] *Amplius.*
[n] Dele.

Consummatio presbyteri.

Sit nobis, fratres, communis oratio, [a] ut his qui in adjutorium et utilitatem vestræ salutis eliguntur, presbyteratus benedictionem divini indulgentia muneris consequantur, ut sancti Spiritus sacerdotalia dona privilegio virtutum, ne imparis loco deprehendantur, obtineant. [b] Per suum.

Item benedictio.

Sanctificationum omnium Auctor, cujus vera consecratio, cujus plena benedictio est, tu, Domine, super hos famulos tuos, quos presbyterii honore dedicamus, manum tuæ benedictionis his infunde, ut gravitate actuum, et censura vivendi probent se esse seniores, his instituti disciplinis, quas Tito et Timotheo Paulus exposuit, ut in lege tua die ac nocte, Omnipotens, meditantes, quod elegerint [c] et credant, quod crediderint doceant, quod docuerint imitentur: justitiam, constantiam, misericordiam, fortitudinem in se ostendant, et exemplo probent, admonitione confirment, ut purum atque immaculatum ministerii tui donum custodiant, et per obsequium plebis tuæ corpus et sanguinem Filii tui immaculata benedictione transforment, et inviolabili charitate in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, in die justitiæ [d] æternæ judicii, constantia pura, fide plena, Spiritu sancto pleni persolvant. Per.

XXI.

CAPITULUM

Sancti Gregorii papæ.

Sicut qui invitatus renuit, quæsitus refugit sacris est altaribus removendus; sic qui ultro ambit, vel importunus se ingerit, est procul dubio repellendus. Nam qui nititur ad altiora conscendere, quid agit nisi ut crescendo [e] decrescat? cur non perpenditur quia benedictio illi in maledicto convertitur, qualiter ad hoc ut fiat hæreticus promovetur? Per.

XXII.

Ad ordinandos diaconos.

Oremus, dilectissimi, Deum, Patrem omnipotentem, ut super hos famulos suos, quos ad officium diaconatus vocare dignatur, benedictionem gratiæ suæ clementer effundat, et consecrationis adultæ propitius dona conservet.

Oremus.

Sequitur oratio.

Domine Deus, preces nostras clementer exaudi, [f] ut quæ nostro sunt gerenda servitio, tuo benignus prosequaris auxilio, et quos sacris ministeriis exe-
A quendis, pro nostra intelligentia credimus offerendos, tua potius electione justifices.

Consecratio.

Adesto, quæsumus, omnipotens Deus, honorum dator, ordinum distributor, officiorumque dispositor. Qui in te manens innovas omnia, et cuncta disponens per Verbum, Virtutem, Sapientiamque tuam Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, sempiterna providentia præparas, et singulis quibusque [g] temporalium aptanda dispensas. Cujus corpus Ecclesiam tuam, cælestium gratiarum varietate distinctam, suorum connexam discretione membrorum, per legem totius mirabilem compaginis unitam, in augumentum templi tui crescere, dilatarique largiris, sacri muneris [h] servitutem trinis gradibus mi-
B nistrorum nomini tuo [i] militare constituens; electis ab initio Levi filiis, qui mysticis operationibus domus tuæ fidelibus excubiis permanentes, hæreditatem benedictionis æternæ sorte perpetua possiderent. Super hos quoque famulos tuos, quæsumus, Domine, placatus intende, quos tuis [j] sacris servituros in officium diaconii suppliciter dedicamus. Et nos quidem tanquam homines divini sensus [k] et summæ rationis ignari, horum vitam, quantum possumus, æstimamus. Te autem, Domine, quæ a nobis [l] sunt ignota non transeunt, te [m] nota non fallunt. Tu cognitor [n] pectorum, tu scrutator es animarum, tu veraciter in eis cæleste potes adhibere judicium, et velut indignis donare quæ poscimus. Emitte in eos,
C quæsumus, Domine, Spiritum sanctum, quo in opus ministerii fideliter exequendi munere septiformis tuæ gratiæ roborentur. Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, [o] innocentiæ, spiritalis observantia disciplinæ. [p] In moribus [q] præcepta tua fulgeant, ut suæ castitatis exemplo, [r] imitatione sanctæ plebis adquirant, et bonum conscientiæ testimonium præferentes, in Christo firmi et stabiles perseverent, dignisque successibus de inferiore gradu per gratiam tuam potiora capere mereantur. Per.

XXIII.

Ad consummand. diacon. officia.

Commune votum communis oratio prosequatur, ut hi totius Ecclesiæ prece, qui in diaconatus ministerio
D præparantur, Leviticæ benedictionis, [s] et spiritali conversatione præfulgentes, gratia sanctificationis eluceant. Per.

Sequitur benedictio.

Domine, sanctæ spei, fidei, gratiæ, profectuum mu-

[a] Lege: *ut ii.*
[b] Lege: *Per.*
[c] Dele *et*, ex aliis Ordinibus apud Morinum.
[d] Ex iisdem Ordinibus lege: *æterni.*
[e] Lege: *discrescat.*
[f] Lege: *ut qs.*
[g] *Temporibus.*
[h] Lege: *servientem.*
[i] *Ministrare.*
[j] *Sacris Altaribus servituros in officium Diaconatus.*
[k] Ita correximus ex Menardo, quia mendose in Exemplari legitur: *summæ rationis ignorare.*
[l] Lege: *sint.*
[m] *Occulta.*
[n] *Secretorum.*
[o] Apud Menardum: *Innocentiæ puritas et spiritalis.*
[p] Idem: *In moribus ejus.*
[q] *Eorum.*
[r] *Imitationem sancta plebs.*
[s] Adde ex aliis Ordinibus apud Morinum: *ordine clarescant.*

nerator, qui in cælestibus et terrenis angelorum ministris ubique dispositis per omnia elementa voluntatis tuæ defundis affectum, hos quoque famulos tuos [a] nostri speciali dignare aspectu, ut tuis obsequiis expediti, [b] sacris altaribus ministri puri adcrescant, et indulgentia puriores, eorum gradu, quos apostoli tui in septenarium numerum, beato Stephano duce atque prævio, sancto Spiritu auctore, elegerunt, digni existant, et virtutibus universis, quibus tibi servire oportet, instructi complaceant. Per.

XXIV.

ITEM ORAT. ET PRECE.

Ad missam.

Exaudi, Domine, supplicum preces, et devoto tuo pectore famulantes perpetua defensione custodi, ut, nullis perturbationibus impediti, liberam servitutem tuis semper exhibeamus officiis. Per.

Secreta.

Tuis, Domine, quæsumus, operare mysteriis, ut hæc tibi munera dignis mentibus offeramus. Per.

VD Qui rationabilem creaturam ne temporalibus dedita bonis, ad præmia sempiterna [c] contendat, ea dispensatione dignaris erudi; et nec castigatione deficiant, nec prosperitatibus insolescant, sed hoc potius fiat ejus gloriosa devotio, quo nullis adversitatibus obruta superetur. [d] Per quem Majestatem tuam.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro famulis tuis, quos ad presbyterii, vel diaconatus, gradus promovere dignatus es, quæsumus, Domine, placatus suscipias; et quod eis divino munere contulisti, in eis propitius tua dona custodi. Per Christum Dominum nostrum. Quam.

Postcommun.

Hos, quos reficis, Domine, sacramentis, attolle benignus auxiliis, ut tuæ redemtionis effectum et mysteriis capiamus et moribus. Per.

Ad plebem.

Da, quæsumus, Domine, populis Christianis, et quod profitentur agnoscere: et cæleste munus diligere quod frequentant. Per. [e]

XXV.

SECUNDA DOMINICA

In Quadrages.

Præsta nobis, omnipotens Deus, ut quia vitiis subjacet nostra mortalitas, tua nos et medicina purificet, et potentia tueatur. Per Dominum.

Præsta nobis, misericors Deus, ut placationem tuam promtis mentibus exoremus, et, peccatorum veniam consequentes, a noxiis liberemur incursibus. Per.

Secreta.

Ecclesiæ tuæ, Domine, munera placatus adsume, quæ et misericors offerenda tribuisti, et in nostræ salutis potenter efficis transire mysterium. Per.

Postcommun.

Refecti, Domine, pane cælesti, ad vitam, quæsumus, nutriamur æternam. Per.

Ad populum.

Familiam tuam, quæsumus, Domine, propitiatus illustra, ut beneplacitis inhærendo, cuncta quæ bona sunt, mereatur accipere. Per.

FERIA SECUNDA

Hebdom. secunda

Tuis, quæsumus, Domine, adesto supplicibus, et inter mundanæ pravitatis insidias, fragilitatem nostram sempiterna pietate prosequere. Per Dominum.

Ecclesiam tuam, Domine, perpetua miseratione prosequere, ut inter sæculi turbines constituta, et præsenti jucunditate respiret, [f] et æternæ beatitudinis percipiat. Per.

Secreta.

Concede nobis hæc, quæsumus, Domine, frequentare mysteria, quia [g] quoties hujus hostiæ celebratio commemoratur, opus nostræ redemptionis exercetur. Per.

Postcommun.

Percepta, Domine, sancta nos adjuvent, et suis repleant institutis. Per.

Ad populum

Populum tuum, Domine, quæsumus, ad te toto corde converte, quia quos defendis etiam delinquentes, majore pietate tueris sincera mente devotos. Per.

FERIA TERTIA

Hebdom. secunda.

Deus, qui ob animarum medelam jejunii devotione [h] castigare corpora præcepisti, concede ut corda nostra ita pietatis tuæ valeant exercere mandata, quatenus ab omnibus possimus semper abstinere peccatis. Per.

Imploramus, Domine, clementiam tuam, ut hæc divina jejuniorum subsidia a vitiis expiatos ad festa ventura nos præparent. Per.

Secreta.

Præsentibus sacrificiis, Domine, jejunia nostra sanctifica, ut quod observantia nostra profitetur extrinsecus, interius operetur. Per.

Postcommun.

Delicias, Domine, mirabiles mensæ cælestis ambimus, quibus jejunando copiosius saginamur. Per.

[a] Ut sententia constet, legendum : *nomina.*
[b] Lege : *sanctis.*
[c] Locus sic emendandus ex Sacramentario Gregoriano Editionis Romanæ in præfatione Dominicæ Sexagesimæ : *Ne temporalibus dedita bonis, ad præmia sempiterna non tendat, ea dispensatione dignaris erudire, ut nec castigatione deficiat, nec prosperitatibus insolescat*, etc.
[d] In eodem Sacram. : *Per Christum Dominum.*
[e] Adde : *Dominum.*
[f] Apud Pamelium, feria 5 post Dominicam secundam Quadragesimæ, legitur : *et æternam beatitudinem.*
[g] Lege : *quotiens.*
[h] Apud Menardum, in præfatione supradictæ feriæ 5 : *castigari.*

Ad populum.

Da, quæsumus, Domine, fidelibus tuis et sine cessatione capere paschalia sacramenta, et desideranter expectare ventura, ut mysteriis, quibus renati sunt, permanentes, ad novam vitam his operibus perducantur. Per.

FERIA QUARTA
Hebdom. secunda.

Deus, qui per Verbum tuum humani generis reconciliationem mirabiliter operaris, præsta, quæsumus, ut sancto jejunio et tibi toto simus corde subjecti, et in tua nobis efficiamur prece concordes. Per Dominum.

Præsta nobis, Domine, quæsumus, auxilium gratiæ tuæ, ut jejuniis et orationibus convenienter intenti, liberemur ab hostibus mentis et corporis. Per.

Secreta.

Præsenti sacrificio nomini tuo nos, Domine, jejunia dicata sanctificent, et quod observantia nostra profitetur extrinsecus, interius operetur effectus. Per.

Postcommun.

Gratia tua nos, quæsumus, Domine, non relinquat, quæ et sacræ nos deditos faciat servituti, et tuam nobis opem semper adquirat. Per.

Ad populum.

Adesto, Domine, famulis tuis, et opem tuam largire poscentibus, ut his, qui te auctore et gubernatore gloriantur, [a] et grata restaures, et restaurata conserves. Per.

FERIA SEXTA
Hebdom. secunda.

Ad hostes nostros, Domine, superandos, præsta, quæsumus, ut auxilium tuum jejuniis tibi placitis et bonis operibus impetremus. Per Dominum.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per continentiam salutarem corporibus mederis et mentibus, Majestatem tuam suppliciter exoramus, ut pia jejunantium precatione placatus, et temporalia nobis subsidia præbeas [b] et æterna. Per.

Secreta.

Efficiatur hæc hostia, Domine, quæsumus, solemnibus grata jejuniis, ut et tibi fiat acceptior, purificatis mentibus [c] immolemur.

Postcommun.

[d] Præveniant nobis, Domine, quæsumus, divina tua sancta fervorem, quo eorum pariter et actu delectemur et fructu. Per.

Ad populum.

Adesto, Domine, propitius plebi tuæ, et temporali consolatione non deseras, quam vis ad æterna contendere. Per.

FERIA SEPTIMA
Hebdom. secunda.

Subveni, Domine, servis tuis pro sua jugiter iniquitate gementibus, mentesque nostras terrenis affectibus prægravatas medicinalibus tribue [e] exonerare jejuniis, et corporis affectionem corrobora. Per Dominum.

Deus, qui profundo consilio, prospiciendo mortalibus, sancta instituisti jejunia, quibus corda languentium salubriter curarentur, tu animam nostram, corpusque castifica, corporis animæque Salvator, æternæ felicitatis benigne largitor. Per Dominum.

Secreta.

Domine, Deus noster, in cujus spiritalibus castris militat laudanda sobrietas, abstinentia fructuosa, et casti pectoris opulenta frugalitas, jejunantium vota clementer adsume, et fidelibus postulatis consueta pietate succurre. Per.

Postcommun.

Sacræ nobis, quæsumus, Domine, mensæ libatio, et piæ conversationis augmentum, et tuæ propitiationis continuum præstet auxilium. Per Dominum nostrum.

Ad populum.

Implorantes, Domine, misericordiam fideles populos propitius intuere [f] qui præter te alium non noverunt, tuis semper beneficiis glorientur. Per.

XXVI

TERTIA DOMINICA
Quæ pro scrutiniis electorum celebratur.

Da, quæsumus, Domine, electis nostris digne atque sapienter ad confessionem tuæ laudis accedere, ut dignitati pristinæ, quam originali transgressione perdiderant, per tuam gloriam reformentur. Per.

Secreta.

Miseratio tua, Deus, ad hæc percipienda mysteria famulos tuos, quæsumus, et præveniat competenter, et devota conversatione perducat. Per.

Infra canonem, ubi dicit :

Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum, qui electos tuos suscepturi sunt ad sanctam gratiam baptismi tui ; et omnium circumadstantium. *Et tacis. Et recitantur nomina virorum, et mulierum, qui ipsos infantes suscepturi sunt. Et intras* Quorum tibi fides cogn.

Item intra action.

Hanc igitur oblationem, Domine, ut propitius suscipias deprecamur ; quam tibi offerimus pro famulis et famulabus tuis, quos ad æternam vitam, et beatum [g] gratiæ tuæ dinumerare, elicere atque vocare dignatus es. Per Christum.

Et recitatur nomina electorum.

Postquam recensita fuerint, dicis :

Hos, Domine, fonte baptismatis innovandos, Spiritus tui munere ad sacramentorum tuorum plenitudinem poscimus præparari. Per.

Postcommun.

Adesto, Domine, quæsumus, redemptionis effecti-

[a] Apud Pamelium, feria 5, legitur : *et congregata.*
[b] Dele *et.*
[c] Apud Menardum, feria 5, habetur : *immolctur.*
[d] Eidem, feria 2 post Palmas : *Prœbeant.*

[e] Idem, in Sabbati præfatione : *exonerari.*
[f] Pamelius, die sequenti : *et qui.*
[g] Ex Ordine Romano, corrige : *gratiæ tuæ donum.*

bus, ut quos sacramentis æternitatis instituis, [a] eosdem protegas dignanter aptandos. Per.

Ad populum.

Suppliciter, Domine, sacra familia munus tuæ miserationis expectat; concede, quæsumus, ut quod te jubente desiderat, te largiente percipiat. Per.

FERIA SECUNDA

Hebdom. tertia.

Conserva, Domine, familiam tuam bonis semper operibus eruditam, et sic præsentibus consolare subsidiis, ut ad superna perducas dona propitius. Per.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut abstinentiæ nostræ restaurationis exordiis competentem, dignis præcurramus officiis. Per.

Secreta.

Hæc nos beata mysteria, Deus, principia sua aptos efficiant recensere.

Infra actionem, ut supra.

Sequitur :

Postcommun.

Quos jejunia votiva castigant, tua, Domine, sacramenta purificent, ut terrenis affectibus mitigatis, facilius cœlestia capiamus. Per.

Ad populum.

Gratias tibi referat, Domine, corde subjecto, tua semper Ecclesia, consequenter obtineat, et observationes antiquas jugiter recensendo proficiat in futurum. Per.

FERIA TERTIA

Hebdom. tertia.

Prosequere nos, omnipotens Deus, et quos ab escis carnalibus præcipis abstinere, a noxiis quoque vitiis cessare concede. Per Dominum.

Da, quæsumus, Domine, Rex æterne cunctorum, ut sacro nos purificatos jejunio sinceris quoque mentibus ad tua sancta ventura facias pervenire. Per.

Secreta.

Ut accepta sint, Domine, nostra jejunia, præsta nos, quæsumus, hujus munere sacramenti purificatum tibi pectus offerre. Per.

Postcommun.

Sacramenti tui, Domine, veneranda perceptio, et mystico nos mundet effectu, et perpetua virtute defendat. Per.

Ad populum.

Concede, misericors Deus, ut devotus tibi populus semper existat, et de tua clementia, quod ei prosit, indesinenter obtineat. Per.

FERIA QUARTA

Hebdom. tertia.

Deus, qui nos formam humilitatis jejunando et orando, Unigeniti tui Domini nostri imitatione, docuisti, concede, quæsumus, ut quod ille jugi jejuniorum continuatione complevit, nos quoque per partes dierum facias adimplere. Per.

Da nobis, Domine, quæsumus, observantiam legitima devotione perfectam, ut refrænatione carnalis alimoniæ sancta tibi conversatione placeamus. Per.

Secreta.

Deus, de cujus gratiæ rore descendit, ut ad mysteria tua purgatis sensibus accedamus : præsta, quæsumus, ut in eorum traditione solenniter honoranda, competens deferamus obsequium. Per.

Postcommun.

Percipientes, Domine, gloriosa mysteria referimus gratias, quod in terris positos jam cælestium præstas esse participes. Per.

Ad populum.

Defende, Domine, familiam tuam, [b] ut toto tibi corde prostrata et ab hostium tuere formidine, nec bona tua difficulter inveniant, pro quibus et sancti tui et angelicæ tibi supplicant potestates. Per.

FERIA SEXTA

Hebdom. tertia.

Præsta, quæsumus, Domine, observationes sacras annua devotione recolentes, et corpore tibi placeamus et mente. Per.

Concede, quæsumus, Domine, fragilitati nostræ sufficientiam competentem, ut suæ reparationis effectum et pia conversatione recenseat, et cum exultatione suscipiat. Per.

Secreta.

Accepta tibi sint, Domine, quæsumus, nostri dona jejunii, quæ expiando nos tua gratia dignos efficiant, et ad sempiterna promissa perducant. Per.

Postcommun.

Hos, Domine, quos reficis sacramentis, adtolle benignus auxiliis, ut tuæ redemptionis effectum et mysteriis capiamus et moribus. Per.

Ad populum.

Super populum tuum, Domine, quæsumus, benedictio copiosa descendat, indulgentia veniat, consolatio tribuatur, fides sancta succrescat, redemptio sempiterna firmetur. Per.

FERIA SEPTIMA

Hebdom. tertia.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut dignitas conditionis humanæ, per immoderantiam sauciata, medicinalis parsimoniæ studio reformetur. Per Dominum.

Auge fidem tuam, Domine, quæsumus, [c] miseratus in nobis, qualiter pietatis tuæ subsidia non negabis, quibus integre contuleris firmitatem. Per.

Secreta.

Domine Deus noster, qui in his potius creaturis, quas ad fragilitatis nostræ subsidium condidisti, tuoque nomini munera jussisti dicanda constitui, tribue, quæsumus, ut et vitæ nobis præsentis auxilium et æternitatis efficiant sacramentum. Per.

Postcommun.

Quod ore sumpsimus, Domine, mente capiamus, et de munere temporali, fiat nobis remedium sempiternum. Per.

[a] Ex eodem lege : *eisdem.*

[b] Apud Pamelium, feria 5 post Dominicam 3 Quadragesimæ : *et toto tibi corde prostratam ab hostium tuere formidine; nec bona tua difficulter inveniat*, etc.

[c] Pamelius in Sabbato Dominicæ tertiæ Quadragesimæ legit : *operatus in nobis, quia.*

Ad populum.

Esto, quæsumus, Domine, propitius plebi tuæ, ut quæ tibi non placent respuentes, tuorum potius repleantur delectationibus mandatorum. Per Dominum.

XXVII.

QUARTA DOMINICA

Pro scrutinio II.

Omnipotens sempiterne Deus, Ecclesiam tuam spiritali jucunditate multiplica, ut qui sunt generatione terreni, fiant regeneratione cælestes. Per.

[a] . . . .

Remedii sempiterni munera, Domine, lætantes offerimus, suppliciter exorantes, ut eadem nos et [b] digni venerari, et pro salvandis congruenter exhibere perficias. Per.

Infra canonem, ut supra,

Sequitur:

Postcommun.

Tu semper, quæsumus, Domine, tuam adtolle benignus familiam, tu dispone correctam, tu propitius tuere subjectam, tu guberna perpetua bonitate salvandam. Per.

Ad populum.

Tu famulos tuos, quæsumus, Domine, bonis moribus placatus institue, tu in eis quod tibi placitum sit dignanter infunde, ut et digni sint, et tua valeant beneficia promereri. Per.

FERIA SECUNDA

Hebdom. quarta.

Sacræ nobis, quæsumus, Domine, observationis jejunia, et piæ conversationis augmentum, et tuæ propitiationis continuum præstent auxilium. Per.

Proficiat, quæsumus, Domine, plebi tibi dicatæ piæ devotionis affectus, ut, sacris actionibus erudita, quanto majestati tuæ sit gratior, tanto donis potioribus augeatur. Per.

Secreta.

Cunctis nos, quæsumus, Domine, reatibus et periculis propitiatus absolve, quos tanti mysterii tribue esse consortes. Per Dominum.

Postcommun.

Divini satiati muneris largitate, quæsumus, Domine Deus noster, ut in hujus semper participatione vivamus. Per.

Ad populum.

Tueatur, quæsumus, Domine, dextera tua populum deprecantem, et purificatum dignanter erudiat, ut consolatione præsenti ad futura bona proficiat. Per.

FERIA TERTIA

Hebdom. quarta.

Da, nostræ summæ conditionis Reparator, ut semper declinemus a malis, et omne quod bonum est prompta voluntate sectemur. Per Dominum.

Exercitatio veneranda, Domine, jejunii salutaris populi tui corda disponat, ut et dignis mentibus suscipiat paschale mysterium, et continuatæ devotionis sumat augmentum. Per.

Secreta.

Purifica nos, misericors Deus, ut Ecclesiæ tuæ preces, quæ tibi gratæ sunt pia munera deferentis, fiant, expiatis mentibus, gratiores. Per.

Postcommun.

Cælestia dona capientibus, quæsumus, Domine, non ad judicium pervenire patiaris, quod fidelibus tuis ad remedium providisti. Per.

Ad populum.

Populi tui, Deus, institutor et rector, peccata quibus [c] impugnantur expelle, ut semper tibi placitus, et tuo munimine sit securus. Per.

FERIA QUARTA

Hebdom. quarta.

Omnipotens sempiterne Deus, qui et justis præmia meritorum, et peccatoribus per jejunium erroris sui veniam præbes, miserere supplicibus, parce peccantibus, ut reatus nostri confessio indulgentiam valeat percipere delictorum. Per Dominum nostrum.

Concede, misericors Deus, ut sicut nos tribuis solemne tibi deferre jejunium, sic nobis indulgentiæ tuæ præbe benignus auxilium. Per.

Secreta.

Accepta tibi sit, Domine, nostræ devotionis oblatio, quæ et jejunium nostrum te operante sanctificet, et indulgentiam tuæ consolationis obtineat. Per.

Postcommun.

Sacramentorum benedictione satiati, quæsumus, Domine, ut per hæc semper mundemur a vitiis. Per.

Ad populum.

Da plebi tuæ, Domine, piæ semper devotionis affectum, ut, quæ prava sunt respuens, sancta conversatione firmetur, et a peccatis libera nullis adversitatibus adteratur. Per.

FERIA SEXTA

Hebdom. quarta.

Præsta, quæsumus, Domine, ut, salutaribus jejuniis eruditi, a noxiis etiam vitiis abstinentes, propitiationem tuam facilius impetremus. Per.

Prosequere, quæsumus, omnipotens Deus, jejuniorum sacra mysteria, et quos ab escis carnalibus præcipis temperare, a noxiis quoque vitiis cessare concede. Per.

Secreta.

Hæc sacrificia nos, omnipotens Deus, potenti virtute mundatos, ad suum faciant puriores venire principium. Per.

Postcommun.

[d] Sacra tua nos, Domine, quæsumus, et vivificando renovent, et renovando vivificent. Per.

Ad populum.

Adesto, Domine, populis, qui sacra mysteria [e] contigerunt, ut nullis periculis affligantur, qui te protectore confidunt. Per Dominum.

[a] In margine : *Secreta.*
[b] Ex Ordine Romano emenda : *digne.*
[c] Apud Pamelium, feria 5 hebdomadis quartæ Quadrages. : *impugnatur.*
[d] Lege : *Sancta.*
[e] Lege : *contingerunt.*

FERIA SEPTIMA

Hebdom. quarta.

Deus, omnium misericordiarum ac totius bonitatis auctor, qui peccatorum remedia jejuniis, orationibus et eleemosynis, demonstrasti, respice propitius in hanc humilitatis nostræ confessionem, ut qui inclinamur conscientia nostra, tua semper misericordia erigamur. Per.

Tua nos, Domine, quæsumus, gratia et sanctis exerceat veneranda jejuniis, cælestibus mysteriis efficiat aptiores. Per.

Secreta.

Offerimus tibi, Domine, munera, quæ dedisti, ut et creationis tuæ circa mortalitatem nostram testificentur auxilium, et remedium immortalitatis operentur. Per.

Postcommun.

Percepta nobis, Domine, præbeant tua sacramenta subsidium, ut et tibi grata sint nostra jejunia, et nobis proficiant ad medelam. Per Dominum.

Ad populum.

Plenem tuam, Domine, quæsumus, interius exteriusque restaura, ut quam corporeis non vis delectationibus impediri, spiritali facias vigere proposito, et sic rebus foveas [a] transituris, ut tribuas potius inhærere perpetuis. Per.

XXVIII.

QUINTA DOMINICA

Quæ pro scrut. celebratur.

Concede, Domine, electis nostris ut, [b] sacris edocti mysteriis, et renoventur fonte baptismatis, et inter Ecclesiæ tuæ membra numerentur. Per.

Secreta.

Exaudi nos, omnipotens Deus, et famulos tuos, quos fidei Christianæ primitiis imbuisti, hujus sacrificii tribuas operatione mundari. Per.

Infra canonem, ubi supra.

Sequitur :

Postcommun.

Concurrat, Domine, quæsumus, populus tuus, et toto tibi corde subjectus, obtineat ut ab omni perturbatione securus, et salvationibus suæ gaudia promptus exerceat, et pro regenerandis benignus exoret. Per.

Ad populum.

Deus, qui cum salutem hominum semper operaris, nunc tamen populum tuum gratia abundantiore multiplicas, respice propitius ad electionem tuam, ut paternæ protectionis auxilio et regenerandos munias et renatos. Per.

FERIA SECUNDA

Hebdom. quinta.

Deus, qui ad imaginem tuam conditis ideo das temporalia, ut largiaris æterna, Ecclesiam tuam spiritali fœcunditate multiplica, ut qui sunt generatione terreni, fiant regeneratione cælestes. Per Dominum.

Adjuva nos, Deus salutaris noster, et in sacrificio A jejuniorum nostras mentes purifica, ut ad beneficia recolenda, quibus nos instaurare dignatus es, tribuas venire gaudenter. Per.

Secreta.

Exaudi nos, omnipotens Deus, et famulos tuos, quos fidei Christianæ, primitiis imbuisti, hujus sacrificii tribuas operatione mundari. Per.

Postcommun.

Sanctificent nos, Domine, sumpta mysteria, et paschalis observantiæ sufficientem nobis tribuant facultatem. Per.

Ad populum.

Benedictio, Domine, quæsumus, in tuos fideles copiosa descendat, et quam subjectis cordibus expetunt, largiter consequantur. Per.

B FERIA TERTIA

Hebdom. quinta.

Præsta, quæsumus, Domine, ut observationes sacras annua devotione recolentes, et corpore tibi placeamus et mente. Per.

Fiat, quæsumus, Domine, per gratiam tuam fructuosus nostræ devotionis affectus, quia tunc nobis proderunt suscepta jejunia, si tuæ sint placita pietati. Per.

Secreta.

Concede nobis, Domine, quæsumus, ut celebraturi [c] sacra mysteria, non solum abstinentiam corporalem, sed, quod est potius, habeamus mentium puritatem. Per.

Postcommun.

C Vegetet nos, Domine, semper et innovet tuæ mensæ libatio, quæ fragilitatem nostram gubernet, et protegat, et in portum perpetuæ salutis inducat. Per.

Ad populum.

Libera, Domine, quæsumus, a peccatis et hostibus tibi populum supplicantem : in sancta conversatione viventes, nullis afficiantur adversis. Per Dominum.

FERIA QUARTA

Hebdom. quinta.

Jejunia, quæsumus, Domine, quæ sacris exequimur institutis, et nos a reatibus nostris semper expediant, et tuam nobis justitiam faciant esse placatam. Per Dominum.

D Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut quos jejunia votiva castigant, ipsa quoque devotio sancta lætificet, ut, terrenis affectibus mitigatis, facilius cælestia capiamus. Per.

Secreta.

Præsta, omnipotens Deus, ut jejuniorum placatus sacrificiis, remissionis tuæ nos venia prosequaris. Per.

Postcommun.

Adesto, Domine, fidelibus tuis, et quos cælestibus reficis sacramentis, a terrenis conserva periculis. Per Dominum.

[a] Lege : *transituriis.*
[b] Lege : *sanctis.*
[c] Lege : *sancta.*

Ad populum.

Gregem tuum, Pastor bone, placatus intende, et oves, quas pretioso sanguine Filii tui redemisti, diabolica non sinas incursione lacerari. Per.

FERIA SEXTA

Hebdom. quinta.

Tribue nobis, quæsumus, Domine, indulgentiam peccatorum, ut instituta paschalia tibi placitis sensibus operemur. Per.

Omnipotens sempiterne Deus, clementiam tuam suppliciter exoramus, ut qui mala nostra semper prævenis miserendo, facias nos tibi placitos, et piis actionibus et jejuniis salubribus expiando. Per.

Secreta.

Sanctifica nos, quæsumus, Domine, his muneribus offerendis, et paschalis observantiæ sufficientem nobis tribue facultatem. Per.

Postcommun.

Da, quæsumus, Domine, ut tanti mysterii munus indultum, non condemnatio, sed sit medicina sumentibus. Per.

Ad populum.

Protege, Domine, populum tuum, et in sanctorum tuorum patrocinio [a] confidentem perpetua defensione guberna. Per.

FERIA SEPTIMA

Hebdom. quinta.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per abstinentiam salutarem et corporibus nostris mederis et mentibus, Majestatem tuam supplices exoramus, ut pia jejunantium precatione placatus, et præsentia nobis subsidia præbeas et futura. Per.

Sanctifica hoc jejunium [b] tuorum corda fidelium, Deus miserator inlustra, et quibus devotionis præstas affectum, præbe supplicantibus pium benignus auditum. Per.

Secreta.

Sacrificia, Domine, propensius ista restaurent, quæ medicinalibus sunt instituta jejuniis. Per.

Postcommun.

Supplices te rogamus, Domine Deus noster, ut sicut nos Filii tui corporis et sanguinis sacrosancti pascis alimonio, ita nos et divinæ naturæ ejus facias esse consortes. Per.

Ad populum.

Visita, quæsumus, Domine, plebem tuam, et corda sacris dicata mysteriis pietate tuere pervigili, ut remedia salutis æternæ, quæ te miserante percipit, te protegente custodiat. Per.

XXIX.

DENUNTIATIO PRO SCRUTINIO,

Quod tertia hebdomada in Quadrages. secunda feria, [c] initiatur.

Scrutinii diem, dilectissimi fratres, quo electi nostri divinitus instruantur, imminere cognoscite. Ideoque solicita devotione, succedente sequente *illa* feria, circa horam diei sextam convenire dignemini. Ut cæleste mysterium, quo diabolus cum sua pompa [d] destruetur, et janua regni cælestis aperitur, inculpabili, Deo juvante, ministerio peragere valeamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Ut autem venerint ad ecclesiam, scribuntur nomina infantum ab acolytho, et vocantur in ecclesia per nomina, sicut scripti sunt. Et statuuntur masculi in dexteram partem, fœminæ in sinistram, et dat orationem presbyter super eos.

XXX.

ORAT. SUPER ELECTOS

Ad catechumenum faciendum.

Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, respicere dignare super hos famulos tuos, quos ad rudimenta fidei vocare dignatus es. Omnem cæcitatem cordis ab eis expelle; disrumpe omnes laqueos Satanæ, quibus fuerant conligati; aperi eis, Domine, januam pietatis tuæ; [e] et signo sapientiæ tuæ imbuti, omnium cupiditatum fœtoribus careant, et suavi odore præceptorum tuorum læti tibi in ecclesia deserviant; et proficiant de die in diem, ut idonei efficiantur accedere ad gratiam baptismi tui, [f] percepta medicina. Per Dominum nostrum.

Preces nostras, quæsumus, Domine, clementer exaudi, et hos electos tuos crucis Dominicæ, [g] cujus impressione signamus, virtute custodi, ut magnitudinis gloriæ rudimenta servantes, per custodiam mandatorum tuorum ad regenerationis pervenire gloriam mereantur. Per.

Deus, qui humani generis ita es conditor, ut sis etiam reformator, propitiare populis adoptivis, et novo testamento sobolem novæ prolis adscribe, ut filii promissionis, quod non [h] potuerunt adsequi per naturam, gaudeant se recepisse per gratiam. Per Dominum nostrum.

XXXI.

BENEDICTIO SALIS

dandi catechumen.

Exorcizo te, creatura salis, in nomine Dei Patris omnipotentis, et in charitate Domini nostri Jesu

[a] Lege : *confitentem.*

[b] Legendum : *et tuorum.* Vel, ut in Editis : *Sanctificato hoc jejunio, tuorum corda*, etc.

[c] Sic emendavimus ex Missali antiquo ms. cardinalis Sanctorii in Bibliotheca Barberina; in Exemplari legebatur : *initiarum.* In Vaticano Codice 567, habetur idem scrutinium, ita ut intelligamus illo usam fuisse Romanam Ecclesiam.

Missale vetustum ms. ejusd. card. : *destruitur.*

[e] Apud Pamelium : *ut signo.*

[f] Sic emendavimus ex Pamelio, cum perperam legatur in Exemplari : *perceptæ medicinæ.*

[g] Apud Pamelium legitur : *impressione, cum*, quia in oratione fit sermo in singulari.

[h] Ita correctum ex Pamelio; Exemplar enim mendose habet : *potuerint.*

Christi, et in virtute Spiritus sancti. Exorcizo te per Deum vivum, et per Deum verum, qui te ad tutelam humani generis procreavit, et populo venienti ad credulitatem per servos suos consecrare præcepit. Proinde regamus te, Domine Deus noster, ut hæc creatura salis in nomine Trinitatis efficiatur salutare sacramentum ad effugandum inimicum; quem tu, Domine, sanctificando sanctifices, benedicendo benedicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina permanens in visceribus eorum, in nomine Domini nostri Jesu Christi. Qui venturus est judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem.

Et post hanc orationem pones sal in ore infantis, et dices: Accipe *illi* sal sapientiæ propitiatus in vitam æternam

XXXII.

BENEDICTIO

Post datum salem.

Deus patrum nostrorum, Deus universæ conditor veritatis, te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum respicere digneris propitius, ut hoc primum pabulum salis gustantem, non [a] diutius esurire permittas, quo minus cibo expleatur cælesti, quatenus sit semper, Domine, spiritu fervens, spe gaudens, tuo semper nomini serviens; perduc eum ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promissionum tuarum æterna præmia consequi mereatur. Per Dominum.

XXXIII

ITEM EXORCISMI SUPER ELECTOS,

Quos acolythi, imposita manu super eos, dicere debent.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus, qui Moysi famulo tuo in monte Sinai apparuisti, et filios Israel de terra Ægypti eduxisti, deputans eis angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die ac nocte, te, quæsumus, Domine, ut mittere digneris sanctum angelum tuum, ut similiter custodiat et hos famulos tuos, et perducat eos ad gratiam baptismi tui.

Ergo, maledicte diabole, recognosce sententiam tuam, et da honorem Deo vivo et vero; et da honorem Jesu Christo Filio ejus, et Spiritui sancto; et recede ab his famulis Dei. Quia istos sibi Deus et Dominus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam et benedictionem fontemque baptismatis [b] donum vocare dignatus est. Per hoc signum sanctæ crucis, frontibus eorum [c] quod nos damus, tu, maledicte diabole, nunquam audeas violare.

Item [d] fœminas.

Deus cæli, Deus terræ, Deus angelorum, Deus archangelorum, Deus prophetarum, Deus martyrum, Deus omnium bene viventium, Deus cui omnis lingua confitetur cœlestium, terrestrium, et infernorum, te invoco, Domine, ut has famulas tuas perducere et custodire digneris ad gratiam baptismi tui. Ergo, maledicte, *ut supra.*

Item super masculos.

Audi, maledicte Satanas, adjuratus per nomen æterni Dei et Salvatoris nostri Filii Dei, cum tua victus invidia, tremens, gemensque discede. Nihil tibi sit commune cum servis Dei jam cœlestia cogitantibus, [e] renuntiaturis tibi [f] ac sæculo tuo, et beatæ immortalitati [g] victuris. Da igitur honorem advenienti Spiritui sancto, qui ex summa cœli arce descendens, perturbatis fraudibus tuis divino fonte purgata pectora, id est, sanctificata, Deo templum et [h] habitaculum perficiat, et ab omnibus penitus [i] noxiis præteritorum criminum liberati servi Dei, gratias perenni Deo referant semper, et benedicant nomen ejus sanctum in sæcula sæculorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem.

Item super fœminas.

Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus qui tribus [j] Israel monuisti, et Susannam de falso crimine liberasti, te supplex deprecor, Domine, ut liberes et has famulas tuas, et perducere eas digneris ad gratiam baptismi tui. Ergo maledicte, *ut supra.*

Item super masculos

Exorcizo te, immunde spiritus, in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti, ut exeas et recedas ab his famulis Dei. Ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulavit, et Petro mergenti dexteram porrexit. Ergo maledicte, *sicut supra.*

Item super fœminas.

Exorcizo te, immunde spiritus, per Patrem et Filium, et Spiritum sanctum, ut exeas et recedas ab his famulabus. Ipse enim tibi imperat, maledicte damnate, qui cæco nato oculos aperuit, et quatriduanum Lazarum de monumento suscitavit. Ergo, maledicte, *ut supra.*

Sequitur oratio, quam sacerdos dicere debet.

Æternam, ac justissimam pietatem tuam deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, luminis et veritatis, super hos famulos et famulas tuas, ut digneris eos illuminare lumine intelligentiæ tuæ. Munda eos, et sanctifica. Da eis scientiam veram, ut digni efficiantur accedere ad gratiam baptismi tui; teneant firmam spem, consilium rectum, doctrinam sanctam, ut apti sint ad percipiendam gratiam tuam. Per.

[a] Ita posuimus ex Pamelio; quia male habebatur in Exemplari : *deucius.*

[b] In Missali cardinalis Sanctorii omittitur *donum.*

[c] Lege : *quem nos.* — Emendavimus ex Pamelio. Mendose enim scriptum : *quem nos.*

[d] In margine : *super.*

[e] Lege : *renuntiatoribus.* — Sed perperam ex Pamelio · *renuntiaturis.*

[f] Ita Pamelius. In Exemplari scriptum male : *a sæculo tuo.*

[g] Exemplar mendose habet : *victoris.*

[h] Lege *habitum.* — Sed perperam.

[i] Apud Pamelium legitur : *noxis.*

[j] Pamelius habet : *Israel de Ægypti servitute liberasti per Moysem famulum tuum, et de custodia mandatorum tuorum monuisti.*

XXXIV.

INCIPIT EXPOSITIO EVANGELIORUM

In aurium [a] apertionem ad electos.

Primitus enim procedunt de sacrario IV diaconi cum quatuor Evangeliis, præcedentibus duobus candelabris cum thuribulis [b], et ponuntur super IV angulos altaris. Et tractat presbyter, antequam aliquis eorum legat, his verbis.

Aperturi vobis, filii charissimi, Evangelia, id est, gesta divina, prius ordinem insinuare debemus, quid est Evangelium, et unde descendat, et cujus in eo verba ponantur, et quare quatuor sint, qui hæc gesta scripserunt, vel qui sunt ipsi quatuor qui, divino Spiritu adnuntiante, Propheta signati sunt. Ne forte sine hac ordinis ratione vel causa stuporem vobis in mentibus relinquamus. Et quia ad hoc venistis, ut B aures vobis aperiantur, nec incipiat sensus vester obtundi. Evangelium dicitur proprie bona adnuntiatio, quæ utique adnuntiatio est Jesu Christi Domini nostri. Descendit autem Evangelium ab eo quod adnuntiet et ostendat, quod is qui, [c] per prophetas loquebatur venit in carnem, sicut scriptum est: Qui loquebar, Ecce adsum. Explicantes autem breviter quid sit Evangelium, vel qui sint hi quatuor qui per Prophetam ante monstrati sunt, nunc sua quæque nomina singulis adsignemus indiciis. Ait enim propheta Hezechiel: Et similitudo vultus eorum, ut facies Hominis, et facies Leonis a dexteris illius; et facies Vituli, et facies Aquilæ a sinistris illius. [d] Hos quatuor has figuras habentes, evangelistas esse non C dubium est. Sed nomina eorum qui Evangelia scripserunt, hæc sunt: Matthæus, Marcus, Lucas, Johannes.

Et adnuntiat diaconus, dicens:

State cum silentio, audientes intente. *Et incipiens legit:* Initium Evangelii secundum Matthæum, *usque:* Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

Postquam legerit, tractat presbyter his verbis.

Filii charissimi, ne diutius ergo vos teneamus, exponamus vobis, quam rationem, et quam figuram unusquisque in se contineat, et quare Matthæus in se figuram Hominis habeat, quia in initio suo nihil aliud agit, nisi nativitatem Salvatoris pleno ordine generationis enarrat. Sic enim cœpit: Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Vide- D tis quia non immerito huic hominis adsignata persona est, quando ab hominis nativitate initium comprehendit; nec immerito, ut diximus, huic mysterio adsignata est Matthæi persona.

Item adnuntiat diacon. ut supra.

State cum silentio, audientes intente. *Et legit:* A Initium Evangelii secundum Marcum, *usque:* Ego baptizo vos aqua; ille vero baptizabit vos Spiritu sancto.

Et sequitur presbyter his verbis:

Marcus evangelista Leonis gerens figuram, a solitudine incipit dicens: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini. [e] Sive quia regnat invictus. Hujus Leonis [f] multifaria invenimus exempla, ut non vacet dictum illud: Juda filius meus, catulus Leonis, de germine mihi ascendisti; recubans dormivit, ut Leo, et sicut catulus Leonis: quis [g] excitabit eum?

Item adnuntiat diacon. ut supra.

Et legit: Initium Evangelii secundum Lucam, *usque:* Parare Domino plebem perfectam.

Et prosequitur presbyter his verbis:

Lucas evangelista Vituli speciem gestat, ad cujus instar Salvator noster est immolatus. Hic enim Christi Evangelium locuturus, sic cœpit de Zacharia et Elisabeth, de quibus Joannes Baptista in summa natus est senectute. Et ideo Lucas Vitulo comparatur, quia duo cornua, duo testamenta; et quatuor pedum ungulas, quatuor Evangelia, quasi tenera firmitate nascentia, in se [h] plenissima continebat.

Item adnuntiatur a diacono ut supra.

Et legit: Initium Evangelii secundum Johannem, *usque:* Plenum gratiæ et veritatis.

Iterum prosequitur presbyter his verbis:

Johannes habet similitudinem Aquilæ, eo quod nimis alta petierit; ait enim: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Et David dicit de persona Christi: Renovabitur sicut aquilæ juventus tua: id est Jesu Christi Domini nostri; qui resurgens a mortuis, ascendit in cælos. Unde jam vobis conceptis, [i] prægnans gloriatur Ecclesia, omnem festivitatem votorum ad nova tendere Christianæ legis exordia, ut adveniente die venerabilis Paschæ, lavacro baptismatis renascentes, sicut sancti omnes mereamini fidele munus infantiæ a Christo Domino nostro percipere. Qui vivit et regnat in sæcula sæculorum.

XXXV.

INCIPIT PRÆFATIO SYMBOLI AD ELECTOS.

Id est, antequam dicas Symbolum, his verbis prosequeris:

Dilectissimi, nobis accepturi sacramenta baptismatis, et in novam creaturam sancti Spiritus procreandi, fidem, qua [j] credentes justificandi estis toto corde concipite, et animis vestris vera conversatione mutatis, ad Deum, qui mentium nostrarum est illu-

[a] In Exemplari mendose: *apertionum*

[b] Ex Missali cardinalis Sanctorii. In Exemplari legitur: *thurabulis.*

[c] Correctum ex eodem Missali. Exemplar omisit *per.*

[d] Perperam in Exemplari: *Ilii.*

[e] Hæc eadem habes in Missali Gallicano veteri. Missale autem cardinalis Sanctorii legit: *Sive qui regnat.*

[f] Lege *multifarie.* — Sed perperam.

[g] Lege: *excitavit.*

[h] In Missali Gallicano veteri infra posito legitur: *plenissime.* Missale cardinalis Sanctorii omittit *nascentia.*

[i] Ita correctum ex Missali cardinalis Sanctorii. In Exemplari enim vitiose scriptum: *prignans.*

[j] Ita correximus ex prælaudato Missali, nam exemplar habet mendose: *quam.*

minator, accedite: suscipientes [a] evangelicæ Symboli sacramentum a Domino inspiratum, [b] apostolis institutum, cujus pauca quidem verba sunt, sed magna mysteria. Sanctus etenim Spiritus, qui magistris Ecclesiæ ista dictavit, tali eloquio, talique brevitate, salutiferam condidit fidem, ut quod credendum vobis est, semperque providendum, nec intelligentiam possit latere, nec memoriam fatigare. Intentis itaque animis Symbolum discite, et quod vobis sicut [c] accepimus tradimus, non alicui materiæ, quæ corrumpi potest, sed paginis vestri cordis ascribite. Confessio itaque fidei, quam suscepistis, hoc inchoatur exordio.

Post hæc, accipiens acolythus unum ex ipsis infantibus masculum, tenens eum in sinistro brachio, ponens manum super caput ejus. Et interrogat [d] *eum presbyter.*

Qua lingua confitentur Dominum nostrum Jesum Christum. *Resp.* Græce. *Iterum dicit presbyter:* Adnuncia fidem ipsorum qualiter credunt.

Et dicit acolythus Symbolum Græce decantando, tenens manum super caput infantis, in his verbis:

Credo in unum Deum, Patrem omni-
Pisteuo. his ena. Theon. Patera. panto-
potentem, factorem cæli et terræ, visibilium
cratora. poietin. uranu. kae gis. oraton.
omnium et invisibilium Et in unum
kae panton. kae aoraton. kae his ena.
Dominum Jesum Christum, Filium Dei
Kyrion. Ihm. Xpm. ton yon. tu theu.
unigenitum; de Patre natum
ton monogenin. ton ec tu patros. genitenta.
ante omnia sæcula; lumen de lumine;
pro panton. ton eonon. fos ec fotos.
Deum verum de Deo vero;
theon. alithin. ec theu. alithinu.
natum, non factum; consubstantialem
genithenta. upyithenta. omoysion.
Patris per quem omnia facta sunt;
tu patri. didi'u tad panta. egenonto.
qui propter nos homines et propter
ton d'himas. tus anthropus. kae dia tin.
nostram salutem descendentem de
himeteran. soterian. katehonta. ec ton.
cælis; et incarnatum de Spiritu
uranon. kæ sarcotenta. ec pneumatos.
sancto, et Maria virgine,
agiu kae Marias. tis parthenu.
et humanatum; crucifixum etiam pro
kae inanthropisanta. staurothenta. de yper.
nobis sub Pontio Pilato, et passum,
imon. epi Pontiu. Pilatu. kae pathonta.
et sepultum; et resurgentem tertia
Kae pathenta. kae anast enta. ti triti.
die secundum Scripturas; et ascen-
himera. kata. tas Graphas. kae anel-
dentem in cælis, et sedentem
thonta. his tus. uranus. kae katezomeno.
ad dexteram Patris; et iterum venturum
eu dexia. tu Patros. kae palin. ercomenon.
A cum gloria judicare vivos et mortuos:
meta doxis. crinein. zontas. kae necrus.
cujus regni [e] non erit finis. et in
ytis. basilias. vc estin. thelos. kae his.
Spiritum sanctum Dominum et
to Pneuma. to agion. ton Kyrion. kae
vivificatorem; et Patre procedentem;
zoophyon. ton ec tu patros. emporegomenon.
qui cum Patre et Filio simul adora-
ton syn Patri. kae yion. sympros. kynu-
tum et conglorificatum; qui locutus est
menon. kae syndoxazomen. to lalesan.
per prophetas. In unam, sanctam,
dia ton prophiton. His mian. agian.
catholicam et apostolicam, Ecclesiam.
catholicin. kae apostolocin. Ecclesian.
Confiteor unum baptisma in remissionem
Omologo. en. baptisma. his apesin.
B peccatorum. Spero resurrectionem mortuorum
amartion. Prosdoko. anastasin. necron.
et vitam futuri sæculi. Amen.
kae zoin. tu mellontos. aeonas. Amin.

Filii charissimi, audistis Symbolum Græce, audite et Latine. *Et dicis:* Qua lingua confitentur Dominum nostrum Jesum Christum. *Resp.* Latine. Adnuntia fidem ipsorum, qualiter credunt.

Ponens manum acolythus super caput infantis, et dicit Symbolum decantando, his verbis:

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum; de Patre natum ante omnia sæcula; lumen de lumine; Deum verum de Deo C vero; natum, non factum; consubstantialem [f] Patri per quem omnia facta sunt; [g] qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendentem de cælis; et incarnatum de Spiritu sancto, et Maria Virgine, et humanatum; crucifixum etiam pro nobis sub Pontio Pilato, et passum, et sepultum; et resurgentem tertia die secundum Scripturas; et ascendentem in cælos, et sedentem ad dexteram Patris; et iterum venturum cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum et vivificatorem; ex Patre procedentem; qui cum Patre et Filio simul [h] adoratum, et conglorificatum; qui locutus est per prophetas. In unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem D peccatorum. Spero resurrectionem mortuorum, et vitam futuri sæculi. Amen.

Hoc expleto, sequitur presbyter his verbis:

Hæc summa est fidei nostræ, dilectissimi nobis, hæc verba sunt Symboli, non sapientiæ humanæ sermone facta, sed vera divinitus ratione disposita. Quibus comprehendendis atque servandis nemo non idoneus, nemo non aptus. Hic Dei Patris et Filii una æqualis pronuntiatur potestas. Hic Unigenitus Dei de

[a] Missale ms. cardinalis Sanctorii legit: *evangelicis.*
[b] In eodem Missali: *ab Apostolis.*
[c] Lege: *accipimus.*
[d] In Exemplari legitur: *ei.*
[e] Lege: *non erunt fines.*

[f] Lege: *Patris.*
[g] Ita Missale cardinalis Sanctorii, sed verba, quæ sequuntur, ponit sic: *descendit, incarnatus est, et homo factus est, crucifixus, passus, et sepultus*, etc.
[h] Ita in eodem Missali, sed verba ponuntur sic *adoratur, et conglorificatur.*

Maria Virgine et Spiritu sancto secundum carnem natus ostenditur. Hic ejusdem crucifixio et sepultura, ac die tertia resurrectio prædicatur. Hic ascensio ipsius super cælos et confessio in dextera paternæ majestatis agnoscitur, venturusque ad judicandos vivos et mortuos declaratur. Hic Spiritus sanctus in eadem qua Pater et Filius deitate indiscretus accipitur. Hic postremo Ecclesiæ vocatio, peccatorum remissio, et carnis resurrectio [a] perdocetur. Vos itaque, dilectissimi, ex vetere homine in novum reformamini; et de carnalibus spiritales, de terrenis incipitis esse cælestes: secura et constanti fide credite resurrectionem, quæ facta est in Christo, etiam in nobis omnibus [b] esse complendam: et hoc secuturum in toto corpore, quod præcessit in capite. Quoniam et ipsum, quod percepturi estis baptismi sacramentum, [c] hujus spei expremit formam [d] ibi. Quædam enim ibi mors, et quædam resurrectio celebratur. Vetus homo deponitur, novus sumitur. Peccator aquas ingreditur; et justificatus egreditur. Ille abjicitur, qui traxit ad mortem, et suscipitur ille qui reduxit ad vitam, per cujus gratiam vobis confertur, ut filii Dei sitis, non carnis voluntate editi, sed sancti Spiritus virtute generati. Et ideo hanc brevissimam plenitudinem ita debetis vestris cordibus inhærere, ut omni tempore præsidio hujus confessionis utamini. Invicta est enim semper talium armorum potestas contra omnes insidias inimici ad bonam Christi militiam profuturis. Diabolus, qui hominem tentare non desinit, munitos vos hoc Symbolo semper inveniat. Ut, devicto adversario, cui renuntiatis, gratiam Domini incorruptam et immaculatam usque in finem, ipso, confitemini, protegente, servetis, ut in quo peccatorum remissionem accipitis, in eo gloriam resurrectionis habeatis. Ergo, dilectissimi, præfatum Symbolum fidei Catholicæ in præsenti cognovistis, nunc euntes edocimini nullo mutato sermone. Potens est enim Dei misericordia quæ et vos ad baptismi fidem currentes perducat, et nos qui vobis mysteria tradimus, una vobiscum ad regna cælestia faciat pervenire. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

XXXVI.

Item PRÆFATIO ORATIONIS DOMINICÆ.

Et admonentur a diacono, ut supra.

Dominus et Salvator noster Jesus Christus, inter cætera salutaria præcepta, discipulis suis petentibus quemadmodum orare deberent eam formam eis orationis concessit, quam etiam lectione præsenti et vos plenius cognovistis. Audiat nunc dilectio vestra quemadmodum doceat discipulos suos orare Deum Patrem omnipotentem: Tu autem cum orabis, intra in cubiculum tuum, et, clauso ostio, ora Patrem tuum. Cubiculum quod nominat, non occultam domum ostendit, sed cordis nostri secreta illi soli patere commemorat. Et clauso ostio, Deum adorare debere, id est, ut a mala cogitatione pectus nostrum mystica clave claudamus, ac, labiis clausis, incorrupta mente Deo loquamur. Deus autem noster, fidei, et non vocis, auditor est. Claudatur ergo clave fidei pectus nostrum contra insidias adversarii, et soli Deo pateat, cujus templum esse cognoscitur, ut cum habitat in cordibus nostris, ipse sit advocatus in precibus nostris. Ergo Dei Sermo et Dei Sapientia, Christus Dominus noster, hanc orationem nos docuit, ut ita oremus.

Post hoc intras, et dicis:

PATER NOSTER, QUI ES IN CÆLIS.

Hæc libertatis vox est, et plena fiducia. Ergo his vobis moribus est vivendum ut et filii Dei, et fratres Christi esse possitis. Nam Patrem suum Deum, qua temeritate dicere præsumit, qui ab ejus voluntate degenerat? Unde vos, dilectissimi, dignos exhibete adoptione divina, quoniam scriptum est: Quotquot crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.

SANCTIFICETUR NOMEN TUUM.

Id est, non quod Deus nostris [e] sanctificationibus, qui semper est Sanctus, sed petimus ut nomen ejus sanctificetur in nobis, ut qui in baptismate ejus sanctificamur, in eo quod esse [f] incœpimus perseveremus.

ADVENIAT REGNUM TUUM.

Deus namque noster quando non regnat maxime, cujus regnum est immortale? Sed cum dicimus: Veniat regnum tuum, nostrum regnum petimus advenire a Deo nobis promissum, Christi sanguine et passione quæsitum.

FIAT VOLUNTAS TUA, SICUT IN CÆLO ET IN TERRA.

Idest, in eo fiat voluntas tua, ut quod tu vis in cælo, hoc nos in terra positi inreprehensibiliter faciamus:

PANEM NOSTRUM COTIDIANUM DA NOBIS HODIE.

Hic spiritalem cibum intelligere debemus. Christus enim panis est noster, qui dixit: Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. Quem cotidianum dicimus, quod ita nos semper immunitatem petere debemus peccati, ut digni simus cælestibus alimentis.

ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, SICUT ET NOS DIMITTIMUS DEBITORIBUS NOSTRIS.

Hoc præcepto significans, non nos aliter peccatorum posse veniam promereri, nisi prius nos, [g] in nos delinquentibus aliis relaxemus, sicut in Evangelio Dominus dicit: Nisi dimiseritis peccata hominibus, nec vobis Pater vester dimittet peccata vestra.

[a] Lege: *perducitur*. — Sed correximus ex supra relato Missali.

[b] Ita emendavimus ex dicto Missali, cum in Exemplari legatur, *est cemplenda*.

[c] Lege: *huc spei*. — Sed perperam.

[d] Redundat *ibi*, et omittitur in dicto Missali.

[e] Missale Gallicanum habet: *sanctificetur orationibus, qui*.

[f] Lege: *incipimus*.

[g] Lege: *in nobis*. — Sed mendose.

ET NE NOS INDUCAS IN TENTATIONEM.

Id est, ne nos patiaris induci ab eo qui tentat, pravitatis auctore. Nam dicit Scriptura : Deus enim intentator malorum est. Diabolus vero est tentator; ad quem evincendum Dominus dicit : Vigilate et orate ne intretis in tentationem.

SED LIBERA NOS A MALO.

Hoc ideo ait, quia dixit Apostolus : Nescitis quid vos oporteat orare. Unus Deus omnipotens ita a nobis orandus, ut quidquid humana fragilitas cavere et vitare non prævalet, hoc ille ut possimus propitius nobis conferre dignetur Jesus Christus Dominus noster. Qui vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum.

Item adnuntiat diacon. ut supra.

State cum disciplina et cum silentio, audientes intente.

Audistis, dilectissimi, Dominicæ orationis sancta mysteria ; nunc euntes ea vestris cordibus innovate, ut ad exorandam ac percipiendam Dei misericordiam perfecti in Christo esse possitis. Potens est Dominus Deus noster, et vos, qui ad fidem [a] curretis, ad lavacrum aquæ regenerationis perducat, et nos, qui vobis mysterium fidei catholicæ una tradidimus, vobiscum ad cælestia regna faciat pervenire. Qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum.

XXXVII.

DOMINICA IN PALMAS.

DE PASSIONE DOMINI.

Deus, qu. humano generi ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum et carnem sumere, et crucem subire fecisti, concede propitius ut et patientiæ ejus habere documentum, et resurrectionis ejus consortia mereamur Christi Domini nostri. Qui tecum vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti. Per.

Deus, quem diligere et amare justitia est, ineffabilis gratiæ tuæ in nobis dona multiplica, ut qui fecisti nos morte Filii tui sperare quod credimus, fac nos, eodem resurgente, pervenire quo tendimus. Per.

Secreta.

Ipsa majestati tuæ, Domine, fideles populos commendet oblatio, quæ per Filium tuum reconciliavit [b] inimicos, Jesum Christum Dominum nostrum. Qui tecum vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum.

Postcommun.

Sacro munere satiati, supplices te, Domine, deprecamur, ut quod [c] debitæ servitutis celebramus officio, salvationis tuæ suscipiamus augmentum. Per.

Ad populum.

Purifica, quæsumus, Domine, familiam tuam, et ab omnibus contagiis pravitatis emunda, ut redempta vasa sui Domini passione. non spiritus immundus rursus inficiat sed salvatio sempiterna possideat. Per.

FERIA SECUNDA

Hebdom. sexta.

Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et famulos tuos æterna protectione sanctifica, pro quibus Christus Filius tuus per suum cruorem nobis instituit paschale mysterium. Per Dominum nostrum.

Excita, Domine, tuorum corda fidelium, ut sacris intenta doctrinis et intelligant quod sequantur, et sequendo fideliter adprehendant. Per.

Secreta.

Respice, Domine, propitius sacra mysteria, quæ gerimus, et quod ad nostra evacuanda [d] præjudicia misericors providisti, vitam nobis tribue fructificare perpetuam. Per.

Postcommun

Sancta tua nos, Domine, quæsumus, et vivificando semper renovent, et renovando vivificent. Per.

Ad populum.

Populum tuum, Domine, quæsumus, toto corde converte, quia quos defendis etiam delinquentes, majore pietate tueris et sincera mente devotos. Per.

FERIA TERTIA

Hebdom. sexta.

Da, misericors Deus, ut quod in tui Filii passione mundus exercuit, salutare nobis fideliter sentiamus. Per.

Fac, omnipotens Deus, ut quæ veraciter facta recurrimus, in nostrum transire remedium gratulemur. Per.

Secreta.

Intende, quæsumus, Domine, hostias familiæ tuæ, et quam sacris muneribus facis esse participem, tribuas ad ejus plenitudinem pervenire. Per.

Postcommun

Repleti, Domine, sacri muneris gratia, supplices exoramus, ut quæ gustu corporeo dulci veneratione [e] contigimus, dulciora mentibus sentiamus. Per.

Ad populum.

Da, quæsumus, Domine, fidelibus tuis, et sine cessatione, capere paschalia Sacramenta ; et desideranter expectare ventura, ut mysteriis, quibus renati sunt, permanentes, ad novam vitam his operibus perducantur. Per.

FERIA QUARTA

Hebdom. sexta.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Christi tui beata passione nos reparas, conserva in nobis opera misericordiæ tuæ, ut in hujus celebritate mysterii, perpetua devotione vivamus. Per.

Præsta, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut sicut in condemnatione Filii tui, salus omnium fuit piaculum perfidorum, ita et per miseri-

[a] In Missali Gallicano : *curritis*

[b] In Exemplari male scriptum : *amicus.*

[c] Lege : *debite.* — Sed perperam.

[d] Exemplar minus recte habet : *perjudicia.*

[e] Lege : *contegimus.*

cordiam tuam communis sit cultus iste credentium. A Per.

Secreta.

Suscipe, quæsumus, Domine, munus oblatum, et dignanter operare, ut quod passionis mysterio gerimus, piis affectibus consequamur. Per.

Postcommun.

Cælestis doni benedictione præcepta, supplices te, Domine, deprecamur, ut hoc idem nobis semper et sacramenti causa sit et salutis. Per.

Ad populum.

Auxiliare, Domine, populo tuo, ut sacris et devotionem proficiens incrementis, et tuo semper munere gubernetur, et ad redemtionis æternæ pertingat, te [a] ducente, consortium. Per.

XXXVIII.

ORAT. IN QUINTA FERIA.

Eodem die non psallitur, nec salutat, idest, non dicit : Dominus vobiscum, *et reconciliatio pœnitentis.*

Omnipotens sempiterne Deus, da, quæsumus, universis famulis tuis plenius, atque perfectius omnia festi paschalis introire mysteria, ut incunctanter pia corda cognoscant quantum debeant de confirmata in Christo renascentium glorificatione gaudere. Per.

Concede credentibus, misericors Deus, salvum nobis de Christi passione remedium; et humanæ fragilitatis præteritæ culpæ laqueos [b] æternæ suffragio plebs absolvat. Per Dominum nostrum.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vitam humani generis, pro nobis Filio tuo moriente, salvasti, præsta, quæsumus, ut in hac populi tui devotione fructus [c] præveniat gaudiorum. Per Dominum.

ORDO AGENTIBUS PUBLICAM PŒNITENTIAM.

Egreditur pœnitens de loco ubi pœnitentiam gessit, et in gremio præsentatur ecclesiæ, prostrato omni corpore in terra et postulat in his verbis diaconus.

Adest, o venerabilis pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ, et salutis humanæ, qua mors interitum et vita accepit æterna principium, quando in vinea Domini Sabaoth, sic novorum plantatio facienda est, ut purgetur [d] et curatio vetustatis. Quamvis enim a divitiis bonitatis et pietatis Dei nihil temporis vacet, nunc tamen et [e] largior est per indulgentiam remissio peccatorum, et copiosior per gratiam adsumtio renascentium. Augemur regenerandis, crescimus reversis. Lavant aquæ, lavant lacrymæ. Inde gaudium de adsumtione vocatorum, hinc [f] lætitiæ de absolutione pœnitentium. Inde est quod supplex tuus, posteaquam in varias formas criminum, neglectu mandatorum cælestium, et morum [g] probabilium transgressione, cecidit, humiliatus atque prostratus, prophetica ad Deum voce clamat, dicens : Peccavi, impie egi, iniquitatem feci, miserere mei, Domine. Evangelicam vocem non frustratoria aure capiens : Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Manducavit, sicut scriptum est, panem doloris, lacrymis stratum rigavit, cor suum luctu, corpus adflixit jejuniis, ut animæ suæ reciperet quam perdiderat sanitatem. Unicum itaque est pœnitentiæ suffragium, quod et singulis prodest, et omnibus in commune succurrit. Hic ergo dum ad pœnitudinis actionem tantis [h] excitatur exemplis, sub conspectu ingemiscentis Ecclesiæ, venerabilis pontifex, protestatur et dicit : Ini-
B quitates meas ego agnosco, et delictum meum contra me est semper. Averte faciem tuam a peccatis meis, Domine, et omnes iniquitates meas dele. Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me. Quo ita supplicante, et misericordiam Dei adflicto corde poscente, redintegra in eo, apostolice pontifex, quicquid, diabolo scindente, corruptum est, et orationum tuarum patrocinantibus meritis, per divinæ reconciliationis gratiam fac hominem proximum Deo, ut qui antea in suis perversitatibus displicebat, nunc jam placere se Domino in regione vivorum cum devicto mortis suæ auctore gratuletur. Per Dominum.

Post hoc admonetur ab episcopo, sive alio sacerdote, ut quod pœnitendo diluit, iterando non revocet. C

Inde vero has dicit orationes sacerdos super eum.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et me, qui etiam misericordia tua primus indigeo, clementer exaudi, ut quem non [i] electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti operis hujus ministrum; da fiduciam tui muneris exequendi, et ipse in nostro ministerio, quod tuæ pietatis est, operare. Per.

Præsta, quæsumus, Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, ut Ecclesiæ tuæ sanctæ, a cujus integritate deviarat peccando, admissorum veniam consequendo, reddatur innoxius. Per Dominum.

Deus, humani generis benignissime conditor, et
D misericordissime formator, qui hominem invidia diaboli ab æternitate dejectum, Unici tui sanguine redemisti, vivifica itaque quem tibi nullatenus mori desideras; et qui non derelinquis devium, adsume [j] correptum. Moveant pietatem tuam, quæsumus, Domine, hujus famuli tui lacrymosa suspiria. Tu ejus medere vulneribus. Tu jacenti manum porrige salutarem, ne Ecclesia tua aliqua sui corporis per-

[a] Ita correximus, nam in Exemplari legitur : *docere.*

[b] Emenda ex Brev. Ambros. : *æternæ pietatis suffragio absolvas.*

[c] In Missali Ambrosiano : *proveniat.*

[d] In ordine Romano : *exsecratio.*

[e] Emendavimus ex Ordine Romano; nam exemplar habet : *largitor.*

[f] Idem legit : *lætitia.*

[g] Ita in Ordine Romano; alias : *probatorum.* — Lege : *improbabilium.*

[h] Lege : *excitatus.* — Ex prælaudato tamen Ordine emendavimus.

[i] Lege : *electio.* — Quia mendose; ideo ex eodem Ordine correximus.

[j] Emendavimus Exemplar in quo : *correptum.*

tione vastetur, nec grex tuus detrimentum sustineat, ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet, ne renatum lavacro salutari mors secunda possideat. Tibi ergo, Domine, supplices preces, tibi fletum cordis effundimus. Tu parce confitenti, ut in [a] imminentes pœnas sententiamque futuri judicii, te miserante, non incidat. Nesciat quod terret in tenebris, quod stridet in flammis, atque ab erroris via ad iter reversus justitiæ nequaquam ultra novis vulneribus saucietur, sed integrum sit ei atque perpetuum et quod gratia tua contulit, et quod misericordia reformavit. Per.

Item ad reconciliandum pœnitentem.

Omnipotens sempiterne Deus, confitenti tibi huic famulo tuo pro tua pietate peccata relaxa, ut non plus ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis ad veniam. Per Dominum.

Omnipotens et misericors Deus, qui peccatorum indulgentiam [b] in confessione celeri posuisti, succurre lapsis, miserere confessis, ut quos delictorum catena constringit, magnitudo tuæ pietatis absolvat. Per.

Deus, qui confitentium tibi corda purificas, et accusantes suas conscientias ab omni vinculo iniquitatis absolvis, da indulgentiam reis, et medicinam tribue vulneratis, ut, [c] percepta remissione omnium peccatorum, sincera deinceps devotione permaneant; et nullum redemtionis æternæ sustineant detrimentum. Per.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, respice super hunc famulum tuum, qui ab infesta sæculi tempestate demersus, flebili lamentatione suos accusat excessus, ut fletus ac gemitus ejus pie suscipias, eumque de tenebris ad lumen revoces, et medelam confitenti, salutem pœnitenti, et vulnerato auxilium sanitatis indulgeas. Nec ultra inimicus in ejus habeat anima potestatem; [d] ejusque confessionem libenter admittens, Ecclesiæ tuæ purificatum restitue, ac tuo altario repræsenta, ut ad sacramentum reconciliationis admissus, una nobiscum sancto nomini tuo gratias agere mereatur. Per.

RECONCILIATIO
pœnitentis ad mortem.

Deus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, et præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas, respice super hunc famulum tuum, et remissionem sibi omnium peccatorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renova in eo, piissime Pater, quicquid terrena fragilitate corruptum est, vel quicquid diabolica fraude violatum est; in unitatem corporis Ecclesiæ tuæ membrum perfecta remissione restitue; miserere, Domine, gemituum, miserere lacrymarum, et non habentem fiduciam, nisi in tua misericordia, ad sacramentum reconciliationis admitte. Per.

Majestatem tuam, Domine, supplices deprecamur, ut huic famulo tuo, longo squalore pœnitentiæ macerato, miserationis tuæ veniam largiri digneris, ut nuptiali veste recepta, ad regalem mensam, unde ejectus fuerat, mereatur intrare. Per.

Majestatem tuam, quæsumus, Domine, sancte Pater, omnipotens æterne Deus: qui non mortem, sed peccatorum vitam semper inquiris. Respice flentem famulum tuum, adtende prostratum, ejusque planctum in gaudium tua miseratione concede. Scinde delictorum saccum, et indue eum lætitiam salutarem, ut post longam peregrinationis famem de sanctis altaribus tuis satietur, ingressus cubiculum Regis, in ipsius aula benedicat nomen gloriæ tuæ semper. Per Dominum.

Deus misericors, Deus clemens, qui indulgentiam tuam nulla temporum lege concludis, sed pulsanti misericordiæ tuæ januam aperis, pœnitentes etiam sub ipso vitæ hujus [e] termino non relinquis. Respice propitius super hunc famulum tuum, remissionem sibi omnium peccatorum tota cordis confessione poscentem. Renova in eo, piissime Pater, quod actione, quod verbo, quod ipsa denique cogitatione, diabolica fraude vitiatum est, et unitati corporis Ecclesiæ membrum tuæ redemtionis adnecte. Miserere gemituum, miserere lacrymarum, et non habentem fiduciam, nisi in misericordia tua, ad sacramentum reconciliationis admitte, quia nullius animæ in hoc corpore constitutæ difficilis apud te, aut tarda curatio est. Fidelis enim eis in verbis tuis, qui conversum peccatorem non longa temporum spatia differendum, sed mox ut in te gemuisset dixisti esse. Per.

[f] Oratio post reconciliationem,
vel posteaquam communicaverit.

Deus, qui confitentium tibi corda purificas, et accusantes se conscientias ab omni vinculo iniquitatis absolvis, da [g] indulgentiam eis et medicinam tribue vulneratis, ut, percepta remissione omnium peccatorum, in sacramentis tuis sincera deinceps devotione permaneant, et nullum redemtionis æternæ sustineant detrimentum. Per.

Post hæc offert plebs, et conficiuntur sacramenta.

Secreta.

Virtutum cælestium Deus, de cujus gratiæ rore descendit, ut ad mysteria tua purgatis sensibus accedamus, præsta, quæsumus, ut in eorum traditione solemniter [h] honorum, tibi placitum deferamus obsequium. Per.

[a] Sic correximus ex Ordine Romano; nam in Exemplari legitur: *imminentibus pœnæ, sententiæque.*
[b] Ex Ordine Romano. Exemplar habet minus recte: *ad confessione.*
[c] Lege: *peracta.* — Ex eodem Ordine. Male in Exemplari, *peraccepta.*
[d] Lege: *cujusque.* — Sed mendose.
[e] Ita correctum. — Lege: *terminum.*
[f] Lege: *Oration.*
[g] In Codice Tholosano, apud Morinum, ad commentarium de Pœnitentia, pag. 68, legitur: *indulgentiam reis.*
[h] Idem Codex, pag. 40, *honoranda.*

Infra actionem.

Communicantes, et diem sacratissimum celebrantes, quo traditus est Dominus noster Jesus Christus. Sed et memoriam.

Item infra.

Hanc igitur oblationem, Domine, cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerunt ob diem jejunii Cœnæ dominicæ, in qua Dominus noster Jesus Christus tradidit discipulis suis corporis et sanguinis sui mysteria celebranda, quæsumus, Domine, placatus intende, ut per multa curricula annorum salva et incolumis munera sua tibi, Domine, mereatur offerre, diesque nostros in tua pace d.

Item infra canonem, ubi dicimus : Qui pridie quam pateretur, *in hujus diei processione dicimus :* Qui hac die antequam traderetur, accepit panem in suis sanctis manibus, elevatis.

Postcommun.

Concede, quæsumus, Domine, ut percepti novi sacramenti mysterium et corpore sentiamus et mente. Per.

Ad populum.

Gregem tuum, Pastor bone, placatus intende, et oves, quas pretioso sanguine Filii tui redemisti, diabolica non sinas incursione lacerari. Per.

XL.

ITEM IN QUINTA FERIA

Missa chrismalis.

Domine Deus, qui in regenerandis plebibus tuis ministerio uteris sacerdotum, tribue nobis perseverantem in tua voluntate famulatum, ut, dono gratiæ tuæ, in diebus nostris [a] et merito et numero sacratus tibi populus augeatur. Per Dominum.

Da nobis, omnipotens Deus, remedia conditionis humanæ et sincero tractare servitio, et cum [b] profectu salutis implere. Per.

Secreta.

Hujus sacrificii potentia, Domine, quæsumus, et vetustatem nostram clementer abstergat, et novitatem nobis augeat salutarem. Per.

VD Clementiam tuam suppliciter obsecrare, ut spiritalis lavacri baptismo renovandis, creaturam chrismatis in sacramentum perfectæ salutis vitæque confirmes. Ut sanctificatione unctionis infusa, corruptione primæ nativitatis absorpta, sanctum uniuscujusque templum acceptabilis vitæ innocens [c] odore redolescat. Ut secundum constitutionis tuæ sacramentum, regio et sacerdotali propheticoque honore perfusi, vestimento incorrupti muneris induantur. Per quem majestatem tuam.

Infra actionem, Communicantes, *ut supra.*

Hanc igitur oblationem famulorum famularumque tuarum, quam tibi offerunt ob diem, in qua Dominus noster Jesus Christus tradidit discipulis suis corporis et sanguinis sui mysteria celebranda, quæ-

A sumus, Domine, placatus accipias, et tua pietate concedas, ut per multa curricula annorum salvi et incolumes munera sua tibi Domino mereantur offerre, diesque nostros.

Benedictio olei.

Ad populum in his verbis.

Istud oleum ad ungendos infirmos. *Ut autem veneris :* Nobis quoque peccatoribus famulis tuis ; *et reliqua, usque ad :* Per Christum Dominum nostr. *Et intras.*

Emitte, quæsumus, Domine, Spiritum sanctum Paraclitum de cælis in hanc pinguedinem olei, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem mentis et corporis. Et tua sancta benedictio sit omni ungenti, gustanti, tangenti tutamentum corporis, B animæ et spiritus, ad evacuandos omnes dolores, omnem infirmitatem, omnem ægritudinem mentis et corporis. Unde [d] unxisti sacerdotes, reges, et prophetas, et martyres : [e] chrisma tuum perfectum a te, Domine, benedictum, permanens in visceribus nostris in nomine Domini nostri Jesu Christi. Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas. *Et cætera.*

Expleto enim canone, dicit :

Oremus. Præceptis salutaribus moniti. *Sequitur oratio Dominica. Et iterum subsequitur alia oratio:* Libera nos, quæsumus, Domine. *Ipsa expleta, confrangis, et tegis de sindone altaris munera, et ascendis ad sedem. Ibique oblato a diacono alio oleo ad benedicendum, et dicis :*

Dominus vobiscum.

C *Resp.* Et cum spiritu tuo.

[f] *Dicis.* Oremus. *Et intras.*

Deus incrementorum et profectuum spiritalium munerator, qui virtute sancti Spiritus tui imbecillarum mentium rudimenta confirmas, te oramus, Domine, ut venturis ad beatæ regenerationis lavacrum tribuas per unctionem istius creaturæ, purgationem mentis et corporis. Ut si quæ illis adversantium spirituum inhærere reliquiæ, ad tactum sanctificati olei hujus abscedant. Nullus spiritalibus nequitiis locus, nulla refugis virtutibus sit facultas, nulla insidiantibus malis latendi licentia relinquatur, sed venientibus ad fidem servis tuis, et sancti Spiritus operatione mundandis, sit unctionis hujus præparatio utilis ad salutem, quam etiam per cælestis regeD nerationis nativitatem in sacramento sunt baptismatis adepturi. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare sæculum per ignem.

Iterum dicis : Dominus vobiscum.

Resp. Et cum spiritu tuo.

Sursum corda.

Resp. Habemus [g] ad Dominum.

Gratias agamus Domino Deo nostro.

Resp. Dignum et justum est.

VD Et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper hic et ubique gratias agere, Domine san-

[a] Lege : *ut.* — Perperam Exemplar habet.
[b] In Exemplari mendose : *perfecto.*
[c] Lege : *odor.* — Perperam tamen.
[d] Ita legitur apud Pamelium.
[e] Sic Pamelius legit.
[f] Lege : *Dicit.* — Emendavimus sic.
[g] Exemplar perperam habet : *a Domino.*

cte, Pater omnipotens, æterne Deus. Qui in principio inter cætera bonitatis et pietatis tuæ munera terram producere fructifera ligna jussisti. Inter quæ hujus pinguissimi liquoris ministræ oleæ nascerentur; quarum fructus sacro chrismati deserviret. Nam David prophetico spiritu gratiæ tuæ sacramenta prænoscens, vultus nostros in oleo exhilarandos esse cantavit. Et cum mundi crimina diluvio quondam expiarentur effuso, in similitudinem futuri muneris columba demonstrans, per olivæ ramum pacem terris redditam nuntiavit. Quod in novissimis temporibus manifestis est effectibus declaratum, cum baptismatis aquis omnium criminum commissa delentibus, hæc olei unctio vultus nostros jucundos efficiat ac serenos. Inde etiam Moysi famulo tuo mandata dedisti, ut Aaron fratrem suum, prius aqua lotum, per infusionem hujus unguenti constitueret sacerdotem. Accessit ad hoc amplior honor, cum Filius tuus, Dominus noster Jesus Christus, lavari a Johanne undis Jordanicis exegisset, et Spiritu sancto, in columbæ similitudine, desuper misso, Unigenitum tuum, in quo tibi optime complacuisse testimonio subsequentis vocis ostenderes, hoc illud esse manifestissime comprobares, quod cum oleo lætitiæ præ consortibus suis ungendum David propheta cecinisset. Te igitur deprecamur, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, ut hujus creaturæ pinguedinem sanctificare tua benedictione digneris, [a] et in sancti Spiritus immiscere virtutem per potentiam Christi tui, a cujus sancto nomine chrisma nomen accepit, unde unxisti sacerdotes, reges, prophetas, et martyres tuos, ut sit his qui renati fuerint ex aqua et Spiritu sancto chrisma salutis, eosque æternæ vitæ participes et cælestis gloriæ facias esse consortes. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

ITEM OLEI

exorcizati confectio.

Hoc loco misces balsamum cum oleo, et sequitur hic exorcismus.

Exorcizo te, creatura olei, in nomine Dei Patris omnipotentis, et in nomine Jesu Christi Filii ejus, et Spiritus sancti, ut in hanc invocationem trinæ potestatis, atque virtutem Deitatis, omnis nequissima virtus adversarii, omnis inveterata malitia diaboli, omnis violentiæ occursio, omne confusum et cæcum phantasma eradicare et effugare, et discede a creatura hujus olei, ad utilitatem hominum constituta. Ut fiat hæc unctio divinis sacramentis purificata in [b] adoptionem carnis et spiritus: [c] eisque ex eo ungere habent in remissionem omnium peccatorum, ut efficiatur in eis corporum ad omnem gratiam [d] spiritualem sanctificatum. Per eumdem Jesum Chri- A stum Dominum nostrum, qui venturus est in Spiritu sancto judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem. Per Dominum.

VD Omnipotens æterne Deus, qui, mysteriorum tuorum secreta revelans, nemus ore columbæ testatum Noe oculis ostendisti, ut discerent habitatores arcæ per Spiritum sanctum, et olivæ chrisma, mundo liberationis gloriam reversuram. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem.

Hoc autem expleto, veniens ante altare, ponis in ore calicis de ipsa hostia; non dicis: Pax Domini; *nec faciunt pacem; sed communicant, et reservant de ipso sacrificio in crastinum, unde communicent.*

B

IT M IN FERIA V.

Missa ad vesperum.

Secreta.

Suscipe, quæsumus, Domine, munus oblatum, et dignanter operare, ut quod passionis mysterio gerimus, piis [e] effectibus consequamur. Per Dominum.

VD Et justum est, per Christum Dominum nostrum. Quem in hac nocte inter sacras epulas increpantem mens sibi conscia traditoris ferre non potuit, sed, apostolorum derelicto consortio, sanguinis pretium a Judæis accepit, ut vitam perderet, quam distraxit. Cœnavit igitur hodie proditor mortem suam, et cruentis manibus panem de manu Salvatoris exiturus accepit, ut saginatum cibo major pœna constringeret, quem nec sub præmio pietas ab scelere revocaret. Patitur itaque Dominus noster Jesus Christus Filius tuus cum hoste novissimum participare convivium, a quo se noverat continuo traditurum, ut exemplum innocentiæ mundo relinqueret, et passionem suam pro sæculi redemptione suppleret. [f] Pascit igitur mitis Deus barbarum Judam, et sustinet in mensa [g] crudele convivam, donec se suo laqueo perderet, qui de magistri sanguine [h] cogitarat. O Dominum per omnia patientem! O Agnum inter suas epulas mitem! adhuc cibum ejus Judas in ore ferebat, et ad laniandа membra ejus Judæos carnifices advocabat. Sed Filius tuus Dominus noster, tamquam pia hostia et immolari se tibi pro nobis patienter permisit, et peccatum, quod mundus commiserat, relaxavit. Per ipsum te, Domine, supplices deprecamur, supplici confessione dicentes.

Infra canonem, ut supra.

Postcommun.

Concede, quæsumus, Domine, ut perceptum novi sacramenti mysterium et corpore sentiamus et mente. Per.

[a] Apud Pamelium legitur: *et Spiritus sancti ei admiscere.*
[b] In Exemplari mendose: *adoptione.*
[c] In Ordine Romano: *eis, qui ex eo ungi debent.*
[d] Lege: *spiritalem.*
[e] Apud Pamelium, feria 6: *affectibus.*

[f] Apud Menardum: *Pascitur mitis.*
[g] Idem legit: *sustinet pius crudelem convivam.* — Lege: *crudelem.*
[h] Sic emendavimus ex Menardo, cum in Exemplari male legatur: *cogitaret.*

Ad populum.

Præsta, quæsumus, Domine, ut sicut de præteritis ad nova transimus, ita, vetustate deposita, sanctificatis mentibus innovemur. Per.

XLI.

INCIPIT ORDO

de feria VI, *passione Domini.*

Hora nona procedunt omnes ad ecclesiam; et ponitur sancta crux super altare. Et egreditur sacerdos de sacrario cum sacris ordinibus cum silentio, nihil canentes, et veniunt ante altare, postulans sacerdos pro se orare, et dicit. Oremus. *Et adnuntiat diaconus:* Flectamus genua. *Et post paululum, dicit:* Levate. *Et dat orationem.*

Deus, a quo et Judas reatus sui pœnam, et confessionis suæ latro præmium sumpsit, concede nobis tuæ propitiationis effectum, ut sicut [a] passione sua Christus Dominus noster diversa utrisque intulit stipendia meritorum, ita nobis, ablato vetustatis errore, resurrectionis suæ gratiam largiatur. Qui tecum vivit.

Ista oratione expleta [b] *vadis retro altare, et legitur lectio. Deinde sequitur responsorium.*

Iterum dicit sacerdos: Oremus. *Et adnuntiat diaconus ut supra: et sequitur alia oratio.*

Deus, qui peccati veteris hæreditariam mortem, in qua posteritatis genus omne successerat, Christi tui Domini nostri passione solvisti, dona ut, conformes eidem facti, sicut imaginem terreni naturæ necessitate portavimus, ita imaginem cœlestis, gratiæ sanctificatione portemus, Christi Domini nostri. Qui tecum vivit.

Item sequitur lectio et responsorium.

Inde vero legitur Passio Domini.

Ipsa expleta, incipit sacerdos orationes solemnes, quæ sequuntur.

Oremus, dilectissimi nobis, in primis pro Ecclesia sancta Dei, [c] ut eam Deus et Dominus noster pacificare, adunare, et custodire dignetur per universum orbem terrarum, subjiciens ei principatus et potestates; detque nobis tranquillam et quietam vitam degentibus glorificare Deum Patrem omnipotentem.

Oremus.

Adnuntiat diaconus: Flectamus genua. *Iterum dicit:* Levate.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriam tuam [d] in omnibus in Christo gentibus revelasti, custodi opera misericordiæ tuæ, ut Ecclesia tua toto orbe diffusa, stabili fide in confessione tui nominis perseveret. [e] Per.

Oremus et pro famulo Dei papa nostro sedis apo-A stolicæ *ill.*, [f] et pro antistite nostro *ill.*, ut Deus omnipotens, qui elegit eos in ordine episcopatus, salvos et incolumes custodiat Ecclesiæ suæ sanctæ, ad regendum populum sanctum Dei.

Oremus.

Item adnuntiat diaconus, ut supra.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus æterno judicio universa fundantur, respice propitius ad preces nostras et electos a te nobis antistites tua pietate conserva, ut Christiana plebs, quæ talibus gubernatur auctoribus, sub [g] tantis pontificibus credulitatis suæ meritis augeatur. Per.

Oremus et pro omnibus episcopis, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, acolythis, exorcistis, lectoribus, ostiariis, confessoribus, virginibus, viduis, et pro omni populo sancto Dei.

B

Oremus.

Item adnuntiat diaconus, ut supra.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur et regitur, exaudi nos pro universis ordinibus supplicantes, ut gratiæ tuæ munere [h] ab omnibus fideliter serviatur. Per.

Oremus et pro christianissimo imperatore, vel rege nostro *ill.*, ut Deus omnipotens subditas illis faciat omnes barbaras nationes ad nostram perpetuam pacem.

Oremus.

Item adnuntiat diaconus, ut supra.

C

Omnipotens sempiterne Deus, qui regnis omnibus æterna potestate dominaris, respice propitius ad Romanum, *sive* Francorum, benignus imperium, ut gentes quæ in sua feritate confidunt dexteræ [i] tuæ potentia comprimantur. Per.

Oremus et pro catechumenis nostris, ut Deus et Dominus noster adaperiat aures præcordiorum ipsorum, januamque misericordiæ, ut per lavacrum regenerationis, accepta remissione omnium peccatorum, digni inveniantur in Christo Jesu Domino nostro.

Oremus.

Adnuntiat diaconus, ut supra.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Ecclesiam tuam nova semper prole fæcundas, auge fidem et intellectum catechumenis nostris, ut, renati fonte

D

baptismatis, adoptionis tuæ filiis adgregentur. Per.

Oremus, dilectissimi nobis, Deum Patrem omnipotentem, ut cunctis mundum purget erroribus, morbos auferat, famem depellat, aperiat carceres, vincula dissolvat, peregrinantibus reditum, infirmantibus sanitatem, navigantibus portum salutis indulgeat.

[a] Apud Pamelium: *in passione.*

[b] Lege: *vadit.*

[c] Ita correctum ex Pamelio. Exemplar autem habet: *etiam.*

[d] Apud Pamelium deest *in.*

[e] Lege: *Per Dominum.*

[f] *Et pro antistite nostro* ill. Apud Pamelium, et Menardum verba hæc omittuntur.

[g] Ita correximus, cum perperam in Exemplari legatur: *tantos pontifice.* Apud Pamelium, et Menardum legitur: *sub tanto pontifice*, quia in oratione de papa solummodo fit sermo.

[h] Apud Pamelium: *ab omnibus tibi gradibus.*

[i] Apud Pamelium et Menardum: *potentiæ tuæ dextera comprimantur.*

Oremus.

Adnuntiat diaconus, ut supra.

Omnipotens sempiterne Deus, mœstorum consolatio, laborantium fortitudo, perveniant ad te preces de quacumque tribulatione clamantium, ut omnes sibi in necessitatibus suis misericordiam tuam gaudeant adfuisse. Per Dominum.

Oremus et pro hæreticis, et schismaticis, ut Deus et Dominus noster eruat eos ab erroribus universis; et ad sanctam matrem Ecclesiam catholicam atque apostolicam revocare dignetur. Per.

Oremus.

Adnuntiat diaconus, ut supra.

Omnipotens sempiterne Deus, qui omnes salvas, et neminem vis perire, respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut, omni hæretica perversitate depulsa, errantium corda resipiscant, et ad veritatis tuæ redeant firmitatem. Per Dominum.

Oremus et pro perfidis Judæis, ut Deus et Dominus noster auferat velamen de cordibus eorum, ut et ipsi cognoscant Christum Jesum Dominum nostrum.

Oremus.

Adnuntiat diaconus, ut supra.

Omnipotens sempiterne Deus, qui etiam Judaicam perfidiam a tua misericordia non repellis, exaudi preces nostras, quas tibi pro illius populi obcœcatione deferimus, ut, agnita veritatis tuæ luce, quæ Christus est, a suis tenebris eruantur. Per Dominum.

Oremus et pro paganis, ut Deus omnipotens auferat iniquitatem a cordibus eorum, et, relictis idolis suis, convertantur ad Deum verum, et unicum Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum. Cum quo vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti.

Oremus.

Adnuntiat diaconus, ut supra.

Omnipotens sempiterne Deus, qui non mortem peccatorum, sed vitam semper inquiris, suscipe propitius orationem nostram, et libera eos ab idolorum cultura, et adgrega Ecclesiæ tuæ sanctæ ad laudem et gloriam nominis tui. Per.

Istis orationibus suprascriptis expletis, ingrediuntur diaconi in sacrarium. Procedunt cum corpore et sanguine Domini, quod ante die remansit; et ponunt super altare. Et venit sacerdos ante altare, adorans crucem Domini et osculans. Et dicit : Oremus, *et sequitur :* Præceptis salutaribus moniti. *Et oratio Dominica. Inde,* Libera nos, Domine, quæsumus. *His omnibus expletis adorant omnes sanctam crucem, et communicant.*

XLII.

SABBATORUM DIE,

mane reddunt infantes Symbolum.

Prius catechizas eos, imposita super capita eorum manu, his verbis :

Nec te latet, Satanas, imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem judicii, diem supplicii, diem qui venturus est velut clibanus ardens, in quo tibi atque universis angelis tuis æternus [a] veniet interitus. Proinde, damnate, da honorem Deo vivo et vero, da honorem Jesu Christo Filio ejus, et Spiritui sancto; in cujus nomine atque virtute præcipio tibi ut exeas et recedas ab hoc famulo Dei, quem hodie Dominus Deus noster Jesus Christus ad suam sanctam gratiam et benedictionem, fontemque, baptismatis dono, vocare dignatus est, ut fiat ejus templum per aquam regenerationis in remissionem omnium peccatorum in nomine Domini nostri Jesu Christi. Qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

Inde tangis ei nares et aures de sputo, et dicis ei ad aurem.

Ephpheta, quod est : Adaperire in odorem suavitatis. Tu autem effugare, diabole, adpropinquavit enim judicium Dei.

Postea vero tangis ei pectus et inter scapulas de oleo exorcizato : et vocato nomine, singulis dicis :

Abrenuntias Satanæ?

Resp. Abrenuntio.

Et omnibus operibus ejus?

Resp. Abrenuntio.

Et omnibus pompis ejus?

Resp. Abrenuntio.

Inde vero dicis Symbolum, imposita manu super capita ipsorum. Postea vero dicitur eis ab archidiacono :

Orate, electi, flectite genua. Complete orationem vestram in unum, et dicite : Amen. *Et respondent omnes :* Amen.

Iterum admonentur ab archidiacono his verbis :

Catechumeni recedant : omnes catechumeni exeant foris.

Iterum dicit diaconus :

Filii charissimi, revertimini [b] in locos vestros : [c] et expectantes horam, qua possit circa vos Dei gratia baptismum operari.

SEQUITUR ORDO

Qualiter Sabbato sancto ad vigiliam ingrediantur.

Primus enim VIII *hora diei mediante, procedunt ad ecclesiam; et ingrediuntur in sacrarium, et induunt se vestimentis sicut mos est. Et incipit clerus letaniam et procedit sacerdos de sacrario cum ordinibus sacris. Veniunt ante altare, stantes inclinato capite usque dum dicent :* Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miser. *Deinde surgens sacerdos ab oratione, vadit retro altare, sedens in sede sua.*

Deinde veniens archidiaconus ante altare, accipiens de lumine, quod VI *feria absconsum fuit, faciens crucem super cereum, et inluminans eum, et completur ab ipso benedictio cerei.*

Deus mundi conditor, auctor luminis, siderum

[a] Ita correximus, quia in Exemplari mendose ponitur : *veniat.*

[b] Ita emendavimus ex Ordine Romano, quia perperam in Exemplari legitur : *in locis vestris.*

[c] Omittitur *et* in Ordine Romano.

fabricator, Deus qui jacentem mundum in tenebris luce perspicua retexisti, Deus per quem ineffabili potentia omnium claritas sumpsit exordium, te in tuis operibus invocantes, in hac sacratissima noctis vigilia de donis tuis cereum tuæ suppliciter offerimus Majestati, non adipe carnis pollutum, non profana unctione vitiatum, non sacrilego igne contactum, sed cera, oleo, atque papiro [a] constructum, in tui nominis honore succensum, obsequio religiosæ devotionis offerimus. Magnum igitur mysterium, et noctis hujus mirabile sacramentum, dignis necesse est laudibus cumulari. In quo dominicæ resurrectionis miraculo diem sibi introductum tenebræ inveteratæ senserunt. Et mors, quæ olim fuerat æterna nocte damnata, inserto veri fulgoris lumine, captivam se trahi dominicis triumphis obstupuit. Et quod, prævaricante [b] primo plasto, tenebrosa præsumptione fuerat in [c] servitutem damnatum, hujus noctis miraculo splendore liberatis inradiat. Ad hujus ergo festivitatis reverentiam fervore Spiritus descendentes, quantum devotio humana exigit, tibi Deo fulgore flammarum placida luminaria exhibemus, ut dum hæc fide integra persolvuntur, creaturæ tuæ etiam præconia [d] extollantur. Flammæ lux quippe dicenda est, per [e] quam potestas Deitatis [f] Moysi apparere dignata est, quæ de terra servitutis populo exeunti salutifero lumine ducatum exhibuit, quæ tribus pueris in camino sententia tyranni depositis, vitam blandimentis mollioribus reservavit. Nam ut præcedente hujus luminis gratia, tenebrarum horror excluditur, ita, Domine, lucescente Majestatis tuæ imperio, peccatorum sarcinæ [g] diluantur. Cum igitur hujus substantiæ miramur exordium, apum necesse est laudemus originem. Apes vero sunt frugales in sumptibus, in procreatione castissimæ ædificant cellulas ceræ liquore fundatas, [h] quas humanæ peritiæ ars magistra non coæquat. Legunt pedibus flores, et nullum damnum in floribus invenitur. Partus non edunt, sed ore legentes, concepti fœtus reddunt examina, sicut exemplo mirabili Christus ore paterno processit. Fœcunda est in his sine partu virginitas; [i] quam utique Dominus sequi dignatus, carnalem se matrem habere virginitatis amore constituit. Talia igitur, Domine, digne sacris altaribus tuis munera offeruntur, quibus te lætari religio Christiana non ambigit.

Benedictio super incensum.

Veniat ergo, omnipotens Deus, super hunc incensum larga tuæ benedictionis infusio, et hunc nocturnum splendorem invisibilis [j] regnator intende, ut non solum sacrificium, quod hac nocte litatum est, arcana luminis tui admixtione refulgeat, [k] sed quocumque loco ex hujus aliquid sanctificationis [l] fuerit mysterio deportatum, expulsa diabolicæ fraudis nequitia, virtus tuæ majestatis assistat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Post hoc surgens sacerdos a sede sua, et dicit orationes de vigilia Paschæ, sicut in Sacramentorum continetur.

XLIII.

ORAT. PER SINGULAS LECTIONES *in Sabbato sancto.*

Deus, qui divitias misericordiæ tuæ in hac præcipue nocte largiris, propitiare universo ordini sacerdotalis officii, et omnes gradus famulatus nostri perfecta delictorum remissione sanctifica, ut ministraturos [m] regeneratrici gratiæ tuæ, nulli esse obnoxios patiaris [n] offendi. Per.

Sequitur lect. : In principio fecit Deus.

Deus incommutabilis virtus, lumen æternum, respice propitius ad totius Ecclesiæ tuæ mirabile sacramentum, et opus salutis humanæ perpetuæ dispositionis effectu tranquillus operare, totusque mundus experiatur et videat dejecta erigi, inveterata novari, et per ipsum redire omnia in integrum, a quo sumpsere principium. Per, etc.

Sequitur de Noe.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in omnium operum tuorum dispensatione mirabilis es, intelligant redempti tui non fuisse excellentius quod initio factus est mundus, quam quod [o] in finem sæculorum pascha nostrum immolatus est Christus. Per eumdem Dominum.

De Abraham tertia.

Deus fidelium Pater summe, qui in toto orbe terrarum promissionis tuæ filios, diffusa adoptione, multiplicas, [p] et Paschale sacramentum Abraham puerum tuum universarum, sicut jurasti, gentium efficis patrem, da populis tuis digne ad gratiam tuæ vocationis intrare. Per.

In Exodo quarta, cum cantico : Cantemus Domino.

Deus, cujus antiqua miracula etiam nostris sæculi coruscare sentimus : dum, quod uni populo a persecutione Ægyptia liberando, dexteræ tuæ potentia

[a] Lege : *coustrictum*. Correximus ex eodem Ordine.
[b] Ita emendatum ex Ordine Romano. In Exemplari vitiose : *primo plaustro*.
[c] Sic corrige; nam Exemplar habet : *servitute*.
[d] Emendatum. In Exemplari : *extolluntur*.
[e] Correctum, nam Exemplar habet : *quem*.
[f] Lege : *Moyse*.
[g] Ex Ordine Romano ita reposuimus. Codex habet : *deluantur*.
[h] Lege : *quarum*. — Ita emendatum ex eodem Ordine. In Exemplari mendose legitur : *fundatus quarum*.

[i] *Quam utique*, ex Ordine Romano. In Exemplari scriptum : *utque*.
[j] In Missali Romano : *regenerator accende*.
[k] Idem : *in quocumque*.
[l] In eodem Missali additur *mysterio*.
[m] Ita correximus ex Missali cardinalis Sanctorii, cum in Exemplari mendose scribatur : *regenerati*.
[n] Prælaudatum Missale habet : *offensioni*.
[o] In Ambrosiana missa apud Pamelium habetur : *in fine*.
[p] In eadem missa apud Pamelium habetur : *et per*.

contulisti; id in salutem gentium per aquam regenerationis operaris, præsta ut et in Abrahæ filios et in Israeliticam dignitatem totius mundi transeat plenitudo. Per.

In Esaia v.

Omnipotens sempiterne Deus, multiplica in honorem nominis tui quod Patrum fidei spopondisti, et promissionis filios sacra adoptione dilata, ut quod priores sancti non dubitaverunt futurum, Ecclesia tua magna jam parte cognoscat impletum. Per.

In Ezechiel vi.

Deus, qui nos, ad celebrandum paschale sacramentum, [a] utriusque testamenti paginis imbuisti, da nobis intelligere misericordias tuas, ut ex perceptione præsentium munerum firma sit expectatio futurorum. Per.

VII. In Esaia cum cantico : Vinea Domini.

Deus, qui in omnibus Ecclesiæ tuæ filiis sanctorum prophetarum voce manifestasti, in omni loco dominationis tuæ satorem te bonorum seminum, et electorum palmitum esse cultorem, tribue populis tuis, qui et vinearum apud te nomine censentur et segetum, ut spinarum et tribulorum squalore resecato digni efficiantur fruge fœcundi. Per.

Item in Exodo viii.

Deus, qui diversitatem omnium gentium in confessione [b] tui nominis unum esse fecisti, da nobis et velle et posse quod præcipis, ut populo ad æternitatem vocato una sit fides mentium, et pietas actionum. Per.

[c] IX. *In Deuteronomio, cum cantico.*

Deus celsitudo humilium, et fortitudo rectorum, qui per sanctum Moysen puerum tuum, ita erudire populos tuos sacri carminis tui decantatione voluisti, ut illa legis iteratio fieret etiam nostra directio, excita in omnem justificatarum gentium plenitudinem potentiam tuam [d] et lætitiam mitigando terrorem, ut omnium peccatis tua remissione deletis, quod denuntiatum est in ultionem transeat in salutem. Per.

In Daniele x.

Omnipotens sempiterne Deus, spes unica mundi, qui prophetarum tuorum præconio præsentium temporum declarasti mysteria, auge populi tui vota placatus, quia in nullo fidelium, nisi ex tua inspiratione proveniunt quarumlibet incrementa virtutum. Per.

Orat. post psalm. xli.

Omnipotens sempiterne Deus respice propitius ad devotionem populi renascentis; qui sicut cervus, aquarum expectat fontem, et concede propitius ut fidei ipsius sitis, baptismatis mysterio, animam corpusque sanctificet.

Inde procedunt ad fontes cum letania ad baptizandum. Baptismo expleto consignantur ipsi infantes ab episcopo, dum accipiunt septem dona gratiæ Spiritus sancti, et mittit chrisma in frontibus eorum

Postea vero ipse sacerdos revertitur cum omnibus ordinibus in sacrarium; et post paululum incipiunt tertiam letaniam; et ingrediuntur ad missas in vigilia, ut stella in cælo apparuerit. Et sic temperent, ut in Trinitatis numero ipsæ letaniæ fiant.

XLIV.

UNDE DESCENDIS CUM LETANIA ad fontem.

Benedictio fontis.

Omnipotens sempiterne Deus, adesto magnæ pietatis tuæ mysteriis, adesto sacramentis, et ad creandos novos populos, quos tibi fons baptismatis parturit, spiritum adoptionis emitte, et quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio, tuæ virtutis compleatur effectu. Per.

Item

CONSECRATIO FONTIS.

Deus, qui invisibili potentia tua sacramentorum tuorum mirabiliter operaris [e] affectum, et licet nos tantis mysteriis exequendis simus indigni, tu tamen gratiæ tuæ dona non deseris, etiam ad nostras preces aures tuæ pietatis inclina. Deus, cujus Spiritus super aquas inter ipsa mundi primordia ferebatur, ut jam tunc virtutem sanctificationis aquarum natura conciperet. Deus, qui, nocentis mundi crimina per aquas abluens, regenerationis speciem in ipsa diluvii effusione signasti [f] unius ejusdemque elementi mysterio et finis esset vitiis, et origo virtutum. Respice, Domine, in faciem Ecclesiæ tuæ, et multiplica in ea generationes tuas [g] qui gratiæ tuæ effluentis impetu lætificas civitatem tuam, fontemque baptismatis aperis toto orbe terrarum gentibus innovandis, ut tuæ Majestatis imperio sumat Unigeniti tui gratiam de Spiritu sancto, qui hanc aquam regenerandis hominibus præparatam arcana sui luminis admixtione fœcundet. Ut sanctificatione concepta ab immaculato divini fontis utero in novam renata creaturam progenies cælestis emergat, et quos aut sexus in corpore, aut ætas discernit in tempore, omnes in unam [h] pareat gratia mater infantiam. Procul ergo hinc, jubente te, Domine, omnis spiritus immundus abscedat, procul tota nequitia diabolicæ fraudis absistat. Nihil hic loci habeat contrariæ virtutis ammixtio : non insidiando, circumvolet, non latendo subripiat, non inficiendo corrumpat. Sit hæc sancta et innocens creatura libera ab omni impugnatoris incursu; et totius nequitiæ purgata discessu. Sit fons vivus aquæ regenerans, unda purificans, ut omnes hoc lavacro salutifero diluendi,

[a] Lege : *utrisque.* — Sed perperam. Nos emendavimus ex Pamelio.

[b] In Missali cardinalis Sanctorii habetur : *tui nominis adunasti.*

[c] IX dele.

[d] In eodem Missali : *et da lætitiam.*

[e] Ita correximus ex Pamelio. In Exemplari : *affectum.*

[f] Apud Pamelium habetur : *ut unius.*

[g] Ita emendatum ex Pamelio; nam Exemplar mendose habet : *quæ gratiæ.*

[h] Lege : *pariat.*

operante in eis Spiritu sancto, [a] perfecti purgationis indulgentiam consequantur. A

Hic signas.

Unde benedico te, creatura aquæ, per Deum vivum, per Deum sanctum, per Deum qui te in principio verbo separavit ab arida, et in quatuor fluminibus totam terram rigare præcepit. Qui te in deserto amaram, suavitate indita, fecit esse potabilem, et sitienti populo de petra produxit. Benedico te et per Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum. Qui te in Chana Galileæ signo ammirabili sua potentia convertit in vinum. Qui pedibus super te ambulavit, et a Johanne in Jordane in te baptizatus est. Qui te una cum sanguine de latere suo produxit, et discipulis suis jussit ut credentes baptizarentur in te, dicens: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos B in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

Hic sensum mutabis.

Hæc nobis præcepta servantibus, tu, Deus omnipotens, clemens adesto, tu benignus aspira. Tu has simplices aquas tuo ore benedicito, ut præter naturalem emundationem, quam lavandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces.

Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus tui; et totam hujus aquæ substantiam [b] regenerandi fœcundet effectu. Hic omnium peccatorum maculæ deleantur. Hic natura ad imaginem tuam condita, et ad honorem sui reformata principii, cunctis vetustatis squaloribus emundetur. Ut omnis homo hoc sacramentum regenerationis in- C gressus, in vera innocentia nova infantia renascatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui venturus est in Spiritu sancto judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem.

Inde benedicto fonte, baptizas unumquemque in ordine suo, [c] sub his interrogationibus:

Credis in Deum Patrem omnipotentem?

Resp. Credo.

Credis et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, natum, et passum?

Resp. Credo.

Credis et in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam; remissionem peccatorum; carnis resurrectionem?

D *Resp.* Credo.

Deinde per singulas vices mergis eum tertio in aqua.

Postea cum ascenderit a fonte infans signatur a presbytero in cerebro de chrismate, his verbis:

Deus, omnipotens Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te linit chrisma salutis in Christo Jesu Domino nostro in vitam æternam.

Resp. Amen.

Deinde ab episcopo datur eis Spiritus septiformis. Ad consignandum imponit eis manum in his verbis:

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui regenerasti famulos tuos ex aqua et Spiritu sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, tu, Domine, immitte in eos Spiritum sanctum tuum Paraclitum, et da eis Spiritum sapientiæ et intellectus, Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiæ et pietatis. Adimple eos Spiritu timoris Dei in nomine Domini nostri Jesu Christi, cum quo vivis et regnas Deus semper cum Spiritu sancto, per omnia sæcula sæculorum.

[d] *Resp.* Amen.

Postea signat eos in fronte de chrismate dicens:

Signum Christi in vitam æternam

Resp. Amen.

Pax tecum.

Resp. Et cum spiritu tuo.

Inde vero cum letania ascendit ad sedem suam, et dicit:

Gloria in excelsis Deo.

XLV.

ORAT. ET PREC. AD MIS.

in nocte.

Omnipotens sempiterne Deus, qui hanc sacratissimam noctem per universa mundi spatia [e] gloria dominicæ resurrectionis inlustras, conserva in nova familiæ tuæ progenie sanctificationis Spiritum, quem dedisti, ut, corpore et mente renovati, puram tibi animam et purum pectus semper exhibeant. Per Dominum.

Deus, qui hanc sacratissimam noctem gloria dominicæ resurrectionis inlustras, conserva in nova familiæ tuæ progenie adoptionis spiritum, quem dedisti, ut, corpore et mente renovati, puram tibi exhibeant servitutem. Per Dominum

Secreta.

Suscipe, quæsumus, Domine, et plebis tuæ et tuorum hostias renatorum, ut et confessione tui nominis et baptismate renovati, sempiternam beatitudinem consequantur. Per Dominum.

Item alia.

Suscipe, Domine, preces populi tui cum oblationibus hostiarum, ut paschalibus initiata mysteriis ad æternitatis nobis medelam, te operante, proficiant. Per Dominum.

VD Et justum est, æquum et salutare. Adest enim nobis optatissimum tempus, et desideratæ noctis lumen advenit. Quid enim majus vel melius inveniri poterit, quam Domini resurgentis prædicare virtutem? Hic namque inferorum claustra disrumpens, [f] clarissima nobis hodie suæ resurrectionis vexilla suscepit, atque hominem, remeans,

[a] Apud Pamelium: *perfectæ*

[b] Ita correctum ex Pamelio, cum in Exemplari legatur: *regenerandis.*

[c] Sic emendavimus, nam Exemplar mendose habet: *sub has interrogationes.*

[d] *Resp* dele.

[e] Lege: *gloriosæ.* — Sed perperam. Correctum tamen ex Pamelio.

[f] Lege: *carissima.* — Nos emendavimus ex Pamelio, apud quem legitur: *clara vexilla suscepit.* Mendose in Exemplari scriptum: *carissimam.*

invidia inimici dejectum mirantibus intulit astris. A O noctis istius mystica et veneranda commercia! O sanctæ matris Ecclesiæ pia sempiterna beneficia! Non vult habere quod perimat, sed cupit invenire quod redimat. Exultavit Maria in sacratissimo[a] puerperio. Exultat Ecclesia in filiorum suorum generationis specie. Sic fons ille beatus, qui dominico latere[b] circumfulsit, moles excepit vitiorum, ut his sacris altaribus vitales escas perpetua vita conferat renatorum. Et ideo cum angelis.

VD Te quidem omni tempore, sed in hac potentissima nocte gloriosius prædicare, cum Pascha nostrum immolatus est Christus. Ipse enim verus est Agnus qui abstulit peccata mundi; qui mortem nostram, moriendo, destruxit, et vitam, resurgendo, reparavit. B Propterea profusis paschalibus gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat. Sed et supernæ virtutes atque angelicæ concinunt potestates hymnum gloriæ tuæ, sine fine dicentes.

Infra actionem.

Communicantes, et noctem sacratissimam celebrantes resurrectionis Domini nostri Jesu Christi secundum carnem. Sed et memoriam.

Item intra[c] *action.*

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ sed et cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua et Spiritu sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum, ut invenires eos in Christo Jesu Domino nostro, quæsumus, Domine, placatus accipias. C Pro quibus majestati tuæ supplices fundimus preces, ut nomina eorum ascribi jubeas in libro viventium; diesque nostros.

Postcommun.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut divino munere satiati, et sacris mysteriis innovemur et moribus.

Item alia.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut paschalis perceptio sacramenti continuata in nostris mentibus perseveret. Per.

XLVI.

DOMINICUM PASCHÆ.

Deus, qui per Unigenitum tuum æternitatis nobis aditum, devicta morte, reserasti, da nobis, quæsu- D mus, ut qui resurrectionis dominicæ solemnia colimus, per innovationem tui Spiritus a morte animæ resurgamus. Per Dominum.

Deus, qui nos resurrectionis dominicæ annua solemnitate lætificas, concede propitius, ut per temporalia festa quæ agimus pervenire ad gaudia æterna mereamur. Per Dominum.

Secreta.

Suscipe, Domine, propitius munera famulorum tuorum, ut confessione tui nominis et baptismate renovati, sempiternam beatitudinem consequantur. Per Dominum.

VD Te quidem omni tempore, sed in hoc præcipue die laudare, benedicere, et prædicare, quod pascha nostrum immolatus est Christus. Per quem in æternum vitam filii lucis oriuntur, fidelibus regni cælestis atria reserantur, et beati lege commercii divinis humana mutantur. Quia nostrorum omnium mors cruce Christi redempta est, et in resurrectione ejus omnium vita resurrexit. Quem in susceptione mortalitatis Deum majestatis agnoscimus; et in divinitatis gloria Deum et hominem confitemur. Qui mortem nostram, moriendo, destruxit, et vitam, resurgendo, restituit Jesus Christus Dominus noster. Et ideo cum angelis.

Infra actionem, ut supra in nocte sancta.

Sequitur :

Postcommun.

Omnipotens sempiterne Deus, qui ad æternam vitam in Christi resurrectione nos reparas, custodi opera misericordiæ tuæ, et suavitatem corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi Unigeniti Filii tui nostris infunde pectoribus. Per Dominum.

XLVII

INCIPIUNT TOTIUS ALBÆ *orat. et preces.*

FERIA SECUNDA.

Paschale mysterium recensentes, apostolorum, Domine, beatorum precibus foveamur, quorum magisterio cognovimus exequendum. Per.

Deus Ecclesiæ tuæ redemptor atque perfector, fac, quæsumus, ut apostolorum precibus paschalis sacramenti dona capiamus, quorum nobis ea tribuisti magisterio prædicare. Per.

Secreta.

Sacrificia, Domine, paschalibus gaudiis immolamus, quibus Ecclesia tua mirabiliter renascitur et nutritur.

VD Nos precari clementiam tuam, ut ad celebrandum digne paschale mysterium, beatorum apostolorum precibus adjuvemur, et quorum prædicatione hæc credenda suscepimus, eorum patrociniis fideliter exequamur. Per Christum Dominum.

Infra actionem ut supra in nocte sancta.

Sequitur :

Postcommun.

Impleatur in nobis, quæsumus, Domine, sacramenti paschalis sancta libatio, nosque de terrenis affectibus ad cæleste transferat institutum. Per.

XLVIII.

FERIA TERTIA.

Deus, qui paschalia nobis remedia contulisti, populum tuum cælesti dono prosequere, ut inde post in perpetuum gaudeat, unde nunc temporaliter exultat. Per.

Deus, qui solemnitate paschali cælestia mundo remedia benignus operaris, annua festivitatis hujus

[a] Perperam in Exemplari : *puerperi.*
[b] Lege : *circumfulxit.*
[c] Lege : *actionem.*

dona prosequere, ut observantia temporalis ad vitam proficiat sempiternam. Per.

Secreta.

Hostias, Domine, quæsumus, placatus adsume, quas et pro renatorum expiatione peccati deferimus, et adceleratione cælestis auxilii. Per.

VD Per Christum Dominum nostrum. Qui oblatione sui, remotis sacrificiis carnalium victimarum, seipsum tibi pro salute nostra offerens, idem sacerdos et sacer Agnus exhibuit. Quem laudant.

Infra actionem, ut supra in nocte sancta.

Sequitur :

Postcommun.

Adesto, Domine, quæsumus, nostræ redemptionis [a] affectibus, ut quos sacramentis æternitatis institutis, iisdem protegas dignanter aptandos.

Digne nos tuo nomini, quæsumus, Domine, famulari salutaris cibus et sacer potus instituat, ut renovationem conditionis humanæ, [b] quæ mysterio continet, in nostris jugiter sensibus [c] operentur.

XLVIIII.

FERIA QUARTA.

Deus, qui pro salute mundi sacrificium paschale fecisti, propitiare supplicationibus nostris, ut interpellans pro nobis pontifex summus, quos per id quod nostri est similis, reconciliatur, per id quod tibi est æqualis, absolvat, Jesus Christus Dominus noster. Qui tecum vivit et regnat.

Deus, [d] qui omnes in Christo renatos genus [e] regium et sacerdotale fecisti, da nobis et velle et posse quod præcipis, ut populo ad æternitatem vocato una sit fides cordium et pietas actionum. Per.

Secreta.

Suscipe, quæsumus, Domine, hostias redemtionis humanæ, et salutem nobis mentis et corporis operare placatus. Per Dominum nostrum.

VD Circumdantes altaria tua virtutum, et in ipsius Agni immaculati agnitione gloriantes, qui seipsum pro nobis obtulit immolandum, ut corpore ejus [f] in sanguine, quo a peccatis redempti sumus, ad æternam vitam sacrificiis cælestibus pascamur. Per Christum Dominum.

Infra actionem, ut supra in nocte sancta.

Sequitur :

Postcommun.

Adesto, Domine, quæsumus, nostræ redemtionis affectibus, ut quos sacramentis æternitatis instituis, [g] iisdem protegas dignanter aptandos. Per Dominum nostrum.

L.

FERIA QUINTA.

Deus, qui multiplicas sobolem [h] renascentium,

A fac eos gaudere propitius de suorum venia peccatorum. Per.

Deus, qui humanam naturam supra primæ originis [i] præparas dignitatem, respice ad pietatis tuæ ineffabile sacramentum, ut quos regenerationis mysteriis dignatus es innovare, in his dona tuæ perpetuæ gratiæ benedictionisque conserva. Per Dominum nostrum.

Secreta.

Concede, quæsumus, Domine, semper nos per hæc mysteria paschalia gratulari, ut continua nostræ reparationis operatio perpetua nobis fiat causa lætitiæ. Per Dominum nostrum.

B VD Quia vetustate destructa, renovantur universa dejecta; et vitæ nobis in Christo reparatur integritas. Quem laudant angeli

Infra actionem, ut supra in nocte sancta.

Sequitur :

Postcommun.

[j] Purificato, Domine, quæsumus, mentes nostras benignus, et renova cælestibus sacramentis, ut consequenter et corporum præsens pariter et futurum capiamus auxilium. Per.

LI.

FERIA SEXTA.

Deus, qui ad cæleste regnum nonnisi renatis ex aqua et Spiritu sancto pandis introitum, auge semper super famulos tuos gratiæ tuæ dona, ut qui ab omnibus sunt purgati peccatis, a nullis fraudentur

C promissis. Per Dominum.

Deus, qui credentes in te fonte baptismatis innovasti, hanc renatis in Christo concede custodiam, ut nullo erroris incursu gratiam tuæ benedictionis amittant. Per.

Secreta.

Paschales hostias recensentes, quæsumus, Domine, ut quod frequentamus, actu, comprehendamus effectu. Per.

VD Per Christum Dominum nostrum. Qui secundum promissionis suæ incommutabilem veritatem, cœlestis Pontifex factus in æternum, solus omnium sacerdotum peccati remissione non eguit: sed potius peccatum mundi idem verus Agnus abstersit. Et ideo cum angelis.

D *Infra actionem, ut supra in nocte sancta.*

Sequitur :

Postcommun.

Immortalitatis alimoniam consecuti, quæsumus, Domine, ut quod ore percipimus, mente sectemur. Per Dominum.

LII.

FERIA SEPTIMA.

Deus, qui nos exultantibus animis Pascha tuum

[a] Lege : *effectibus.*

[b] Lege : *que.* — Ambrosiana missa in die sancto Paschæ, apud Pamelium, habet, *quam.*

[c] In Ambrosiana missa : *operetur.*

[d] Sic emendavimus ex Pamelio in orationibus post Dominicam in Albis. In Exemplari enim mendose legitur : *omnes qui in.*

[e] Lege : *regnum.* — Sed minus recte. Correctum ex Pamelio, ibidem.

[f] *In sanguine.* Lege : *et sanguine.*

[g] Lege : *isdem.*

[h] Lege : *renascentum.*

[i] Ambrosiana missa in die Paschæ habet : *reparas.*

[j] Lege : *Purificatio.* — Perperam tamen.

celebrare tribuisti, fac, quæsumus, nos et temporalibus gaudere subsidiis, et æternitatis effectibus gratulari. Per Dominum. A

Deus innocentiæ restitutor et amator, dirige ad te tuorum corda famulorum, ut quos de infidelitatis tenebris liberasti, nunquam a tuæ veritatis luce discedant. Per.

Secreta.

Suscipe munera, quæsumus, Domine, exsultantis Ecclesiæ, et cui causam tanti gaudii præstitisti, perpetuum fructum concede lætitiæ.

VD Nos te suppliciter obsecrare, ut Jesu Christi Domini nostri, cujus muneris pignus accepimus, manifesta dona comprehendere valeamus, et quæ nobis feliciter speranda paschale contulit sacramentum, adtingere mereamur resurrectionis dominicæ B firmitate. Et ideo cum angelis.

Infra actionem, ut supra in nocte sancta.

Sequitur :

Postcommun.

Exuberet, quæsumus, Domine, mentibus nostris paschalis gratia sacramenti, ut [a] donis suis ipsi nos efficiat. [b] Per.

LIII.

OCTAVAS PASCHÆ.

Die Dominico.

Deus, qui renatis baptismate mortem adimis, et vitam tribuis sempiternam, concede, quæsumus, ut quorum nunc regenerationis sacræ diem celebramus octavum, ita corpora eorum animasque custodias, ut C gratiam se catholicæ fidei percipisse, pietatis tuæ defensione, cognoscant. Per.

Deus, qui credentes in te populos gratiæ tuæ largitate multiplicas, respice propitius ad electionem tuam, ut qui sacramento baptismatis sunt renati, regni cælestis mereantur introitum. Per

Secreta.

Suscipe, quæsumus, Domine, oblationes familiæ tuæ, ut sub tuæ protectionis auxilio, et [c] conlata non perdant et ad æterna dona perveniant. Per.

VD Nos clementiam tuam suppliciter exorare, ut Filius tuus Dominus noster Jesus Christus, qui se usque in finem sæculi suis promisit fidelibus adfuturum, et præsentiæ corporalis mysteriis non deserat, quos redemit, [d] majestatis suæ beneficiis D non relinquat. Et ideo cum.

Infra actionem, ut supra.

Sequitur :

[e] *Postcommun.*

Majestatem tuam, Domine, supplices exoramus, ut quos viam fecisti perpetuæ salutis intrare, nullis permittas errorum laqueis implicari. Per.

LIV.

ORAT. ET PRECES

de Pascha annotina.

Deus, per cujus providentiam nec præteritorum momenta deficiunt, nec ulla superest expectatio futurorum, tribue permanentem peractæ, quam recolimus, solemnitatis effectum, ut quod recordatione percurrimus, semper in opere teneamus. Per.

Deus, qui renatis fonte baptismatis delictorum indulgentiam tribuisti, præsta, misericors, ut recolentibus hujus nativitatis insignia, plenam adoptionis gratiam largiaris. Per.

Secreta.

Clementiam tuam, Domine, suppliciter exoramus, ut paschalis muneris sacramentum, quod fide recolimus, et spe desideramus intenti, perpetua dilectione capiamus. Per Dominum.

VD Per Christum Dominum nostrum [f] redemtionis nostræ festa recolere, quibus humana substantia vinculis prævaricationis exuta, spem resurrectionis per renovatam originis [g] dignitatem. Per quem majestatem.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem famulorum famularumque tuarum, quam tibi offerunt, annua recolentes mysteria, quibus eos tuis adoptasti regalibus institutis, quæsumus, Domine, placatus intende. Pro quibus supplicis preces effundimus, ut in eis et conlata custodias, [h] ut promissæ beatitudinis præmia largiaris, diesque nostros.

Postcommun.

Tua nos, quæsumus, Domine, quæ sumpsimus, sancta purificent, et operationis suæ remedio nos perficiant esse [i] placatus. Per Dominum.

LV.

ORAT. ET PRECES

in Parochia.

Deus, qui humani generis es et reparator et rector, da, quæsumus, Ecclesiam tuam et nova prole semper augeri et devotione cunctorum crescere filiorum. Per.

Renovatum, Domine, fonte ac spiritus tui potentia in hæreditarium populum clementer adnumera, ut qui multitudine purgati sunt criminum, invisibilium etiam mereantur copia præmiorum. Per.

[j] Offerimus tibi, Domine, laudes et munera; et pro concessis beneficiis exhibentes gratias, pro concedendis suppliciter deprecamur. Per.

VD Nos te suppliciter exorare, ut fidelibus tuis dignanter impendas, quo et paschalia capiant sacramenta, et desideranter expectent [k] venturum, ut in mysteriis quibus renati sunt permanentes, ad

[a] In Ambrosiana missa in Albis legitur : *Donis tuis ipsa nos dignos efficiat.*

[b] Dele *per.*

[c] Lege : *consolata.* — Vitiose. Sic emendavimus.

[d] Pamelius, in præfatione Dominicæ 22 post Pentecosten, addit *et.*

[e] *Postcommun.* Lege : *Commun.*

[f] Pamelius addit : *et.*

[g] In margine. Al., *assumpsit.* — Apud Pamelium : *dignitatem assumsit.*

[h] *Et.*

[i] Al., *purgatos.* — Sic et Pamelius.

[j] In margine : *Secreta.*

[k] In margine : Al., *ventura.*

novam vitam, his operantibus, perducantur. Et ideo cum angelis.

Postcommun.

Adjuvet nos, quæsumus, Domine, sanctum istud paschale mysterium, et ut devotis hoc mentibus exequamur, obtineat. Per.

Ad populum.

Populus tuus, quæsumus, Domine, renovata semper exultet animæ juventute, ut qui ante peccatorum [a] veternoso in mortis venerat [b] senio, nunc lætetur in pristinam se gloriam restitutum. Per.

LVI.

INCIPIUNT ORAT. PASCHALES VESPERTINALES.

Deus, qui ad æternam vitam in Christi resurrectione nos reparas, imple pietatis tuæ ineffabile sacramentum, ut, cum in majestate sua Salvator noster advenerit, quos fecisti baptismo regenerari, facias beata immortalitate vestiri. Per Dominum.

Paschalibus nobis, quæsumus, Domine, remediis dignanter impende, ut, terrena desideria respuentes, discamus inhiare cælestia. Per.

Quæsumus, omnipotens Deus, jam non teneamur obnoxii sententiæ damnationis humanæ, cujus nos vinculi hæc redemptio paschalis absolvit. Per Dominum.

Concede, misericors Deus, ut quod paschalibus exequimur institutis, fructiferum nobis omni tempore sentiamus. Per.

Multiplica fidem, quæsumus, Domine, populi tui, ut cujus per te sumpsit initium, per te consequantur augmentum. Per.

Præsta nobis, omnipotens Deus, ut percipientes paschali munere veniam peccatorum, deinceps peccata vitemus. Per Dominum.

Deus, per quem nobis et redemtio venit, et præstatur adoptio, respice in opera misericordiæ tuæ, ut in Christo renatis et æterna tribuatur hæreditas et vera libertas. Per.

Deus, qui per Unigenitum tuum, devicta morte, æternitatis nobis aditum reserasti, erige ad te tuorum corda credentium, ut omnis generatio adprehendat meritis quod suscipit mysteriis. Per.

Omnipotens sempiterne Deus, deduc nos ad societatem cælestium gaudiorum, ut Spiritu sancto renatos regnum tuum tribuas introire; atque in [c] ea perveniat humilitas gregis, quo processit fortitudo Pastoris. Per.

Deus, qui renatis per aquam et Spiritum sanctum cælestis regni pandis introitum, auge super famulos tuos gratiam, quam dedisti, ut qui ab omnibus sunt purgati peccatis, a nullis priventur promissis. Per.

Dele, quæsumus, Domine, conscriptum peccati lege chirographum, quod in nobis paschali mysterio per resurrectionem tui Filii vacuasti. Per.

Fac, omnipotens Deus, ut qui paschalibus remediis [d] innovati, similitudinem terreni parentis evadimus, ad formam cælestis transferamur Auctoris. Per.

Da, misericors Deus, ut in resurrectione Domini nostri Jesu Christi inveniamus et nos veraciter portionem. Per Dominum.

Adesto, quæsumus, [e] Domine, tuæ adesto familiæ et dignanter impende, ut quibus fidei gratiam contulisti, et coronam largiaris æternam. Per.

Exaudi nos, omnipotens Deus, et familiæ tuæ corda, cui perfectam baptismi gratiam contulisti, ad promerendam beatitudinem aptes æternam. [f]

Conserva in nobis, quæsumus, Domine, misericordiam tuam, et quos ab erroris liberasti caligine, veritatis tuæ firmius inhærere facias documento. Per.

[g] Solicita, quæsumus, Domine, quos lavasti, pietate custodi, ut qui a tua sunt passione redemti, tua resurrectione lætentur. Per Dominum nostrum.

Christianam, quæsumus, Domine, respice plebem, et quam æternis dignatus es renovare mysteriis, a temporalibus culpis dignanter absolve. Per.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut, quæ divina sunt jugiter ambientes, donis semper mereamur cælestibus propinquare. Per.

Omnipotens sempiterne Deus, propensius his diebus tuam misericordiam consequamur, quibus eam plenius, te largiente, cognovimus. Per Dominum.

Concede, misericors Deus, ut devotus tibi populus tuus existat, et de tua clementia quod ei prosit indesinenter obtineat. Per.

Deus, qui sensus nostros terrenis actionibus perspicis retardari, concede, quæsumus, ut tuo potius munere tuis aptemur remediis. Per.

Tribue, quæsumus, Domine, ut illuc semper tendat Christianæ devotionis affectus, quo tecum est nostra substantia. Per.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut Ecclesia tua et in suorum [h] firmitate membrorum, et in nova semper fœcunditate lætetur. Per.

Largire, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, Deus, et a suis semper, et ab alienis abstinere delictis, ut pura tibi mente deserviens, pietatis tuæ remedia sine cessatione percipiat. Per Dominum.

LVII.

ORAT. ET PREC.

Dominicum post octabas Paschæ.

Deus, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti; lætitiam concede, ut quos perpetuæ [i] eripuisti casibus, gaudiis facias sempiternis perfrui. Per.

Deus, in cujus præcipuis mirabilibus est humana reparatio, solve opera diaboli, et mortifera peccati

[a] Al., *veterno.*
[b] Al., *senium.*
[c] Al., *eo.*
[d] Ita emendavimus ex Pamelio; nam in Exemplari corrupte legitur : *innovasti.*
[e] Apud Pamelium, in feria 6 post Pascha habetur : *Domine familiæ tuæ.*
[f] *Per.*
[g] Pamelio : *solita.*
[h] Lege : *infirmitate.* — Quia perperam, ita correctum ex Pamelio in feria 5 in Albis.
[i] In marg. : Al., *mortis.*

vincula disrumpe, ut destructa malignitate quæ nocuit, vincat misericordia quæ redemit. Per.

Secreta.

Benedictionem, Domine, nobis conferat salutarem sacra semper oblatio, ut quod agit mysterio, virtute perficiat. Per.

VD Nos tibi semper et ubique gratias agere, et suppliciter exorare, sic nos bonis tuis instrui sempiternis, ut temporalibus consoleris; sic præsentibus refoveri, ut ad gaudia nos mansura perducas. Per Christum Dominum nostrum.

Postcommun.

Præsta nobis, omnipotens Deus, ut vivificationis tuæ gratiam consequentes, in tuo semper munere gloriemur. Per Dominum.

LVIII.

ITEM II DOMIN.

post clausum Paschæ.

Deus, qui [a] errantibus, ut in viam possint redire, veritatis tuæ lumen ostendis, da cunctis qui Christiana professione censentur, et illa respuere quæ huic inimica sunt nomini, et ea quæ sunt apta sectari. Per Dominum.

Tibi placitam, Deus noster, populo tuo tribue voluntatem, quia tunc illi prospera cuncta præstabis, cum tuis aptum feceris institutis. Per Dominum.

Secreta.

His nobis, Domine, mysteriis [b] conferat, quo terrena desideria mitigantes, discamus habere cælestia. Per.

VD Per Christum Dominum nostrum. Qui humanis miseratus erroribus, per Virginem nasci dignatus est, et per passionem mortis a perpetua nos morte liberavit, ac resurrectione sua æternam nobis contulit vitam. Quem laudant angeli.

Postcommun.

Sacramenta, quæ sumsimus, quæsumus, Domine, et spiritualibus nos expient alimentis, et corporalibus tueantur auxiliis. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

LIX.

TERTIA DOMIN.

post clausum Paschæ.

Deus, qui fidelium mentes unius efficis voluntatis, da populis tuis, id amare quod præcipis, id desiderare quod promittis, ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia. Per.

Exaudi, Domine, preces nostras, ut quod tui Verbi sanctificatione promissum est evangelico ubique compleatur effectu, et plenitudo adoptionis obtineat quod prædixit testificatio veritatis. Per [c] Dominum.

Secreta.

Deus, qui nos per hujus sacrificii veneranda commercia unius summæ Divinitatis participes effecisti, præsta, quæsumus, ut sicut tuam cognovimus veritatem, sic eam dignis moribus adsequamur. Per.

VD De tuo munere postulantes, ut tempora quibus post resurrectionem Dominus noster Jesus Christus cum discipulis corporaliter habitavit, pia devotione tractemus. Per Dominum.

Postcommun.

Adesto, Domine Deus noster, ut per hæc, quæ fideliter sumpsimus, et purgemur a vitiis, et a periculis omnibus [d] exuamur. Per Dominum nostrum.

LX.

QUARTA DOMIN.

post clausum Paschæ.

Deus, a quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus ut cogitemus, te inspirante, quæ recta sunt, et, te gubernante, eadem faciamus. Per.

Deus, qui misericordiæ januam fidelibus patere voluisti, respice in nos, et miserere nostri, ut qui voluntatis tuæ viam, te donante, sequimur, a vitæ nunquam semitis deviemus. Per.

Secreta.

Præsta, Domine, quæsumus, ut illius salutis capiamus effectum, cujus per hæc mysteria pignus accepimus. Per Dominum.

VD Ut quia primum tuæ pietatis indicium est, si tibi nos facias toto corde subjectos, tu spiritum nobis tantæ devotionis infundas, ut propitius largiaris consequenter auxilium. Per.

Postcommun.

Tribue nobis, Domine, cælestis mensæ virtute satiatis, et desiderare quæ recta sunt, et desiderata percipere. Per.

LXI.

QUINTA DOMIN.

post clausum Paschæ.

Omnipotens sempiterne Deus, fac nos tibi semper et devotam gerere voluntatem, et majestati tuæ sincero corde servire. Per.

Deus vita fidelium, gloria humilium, beatitudo justorum, propitius suscipe supplicum preces, ut animæ quæ promissiones suas sitiunt de tua semper abundantia repleantur. Per Dominum nostrum.

Secreta.

Oblatio nos, Domine, tuo nomini dicata purificet, et de die in diem ad cælestis vitæ transferat actionem. Per Dominum.

VD [e] Tu mentes nostras bonis operibus semper informes, quia sic erimus præclari muneris prompta sinceritate cultores, si ad meliora jugiter transeuntes, paschale mysterium studeamus habere perpetuum. Per quem majestatem.

Postcommun.

Repleti, Domine, muneribus sacris, da, quæsumus, ut in gratiarum semper actione maneamus. Per.

[a] Ita emendavimus ex Menardo, siquidem in Exemplari mendose scribitur: *errantes ut in via possent.*
[b] Al., *conferatur.*
[c] Dele *Dominum.*
[d] In marg.: Al., *eruamur.*
[e] Al., *ut.*

LXII.

SEXTA DOMIN.

post clausum Paschæ.

Deus, in te sperantium fortitudo, adesto propitius invocationibus nostris; et quia sine te nihil potest mortalis infirmitas, præsta auxilium gratiæ tuæ, ut in exequendis mandatis tuis, et voluntate tibi et actione placeamus. Per Dominum.

Deus spei [a] luminis sincerum mentium luxque perfecta beatorum, qui vere es lumen Ecclesiæ tuæ, da cordibus nostris, et dignam tibi orationem persolvere, et te semper præconiorum munere conlaudare. Per.

Secreta.

Hostias nostras, Domine, tibi dicatas placatus adsume, et ad perpetuum nobis tribue [b] pervenire subsidium. Per.

VD Qui Ecclesiæ tuæ filios sicut erudire non cessas, ita non desinas adjuvare, ut recte [c] faciendi cognoscant, et possibilitatem capiant exequendi. Per Christum.

Postcommun.

Tantis, Domine, repleti muneribus, præsta, quæsumus, ut salutaria dona capiamus, et a tua nunquam laude cessemus. Per.

Ad populum.

Fideles tuos, Domine, benedictio desiderata confirmet, quæ eos et a tua voluntate nunquam faciat discrepare, et tuis semper indulgeat beneficiis gratulari. Per.

LXIII.

ORAT. ET PRECES

in Ascensa Domini.

Deus, qui ad declaranda tua miracula Majestatis post resurrectionem a mortuis hodie in cælos, apostolis adstantibus, ascendisti, concede nobis tuæ pietatis auxilium, ut secundum tuam promissionem, et tu nobiscum semper in terris, et nos tecum in cælo vivere mereamur. Per.

Præsta, quæsumus, omnipotens Pater, ut nostræ mentis intentio quo [d] solemnitatis hodiernæ gloriosus Auctor ingressus est, semper intendat, et quo fide pergit, conversatione perveniat. Per.

Secreta.

Sacrificium, Domine, pro Filii tui, supplices, venerabili nunc Ascensione deferimus, præsta, quæsumus, ut et nos per ipsum his commerciis sacrosanctis ad cælestia consurgamus. Per.

VD Per Christum Dominum nostrum. Qui saluti humanæ subvenire dignatus est; nascendo etenim, nobis donavit gloriam, patiendo diabolum vicit, resurgendo a mortuis vitæ æternæ aditus præstitit, ascendendo ad Patrem cælestes januas [e] reparavit. Quem laudant angeli.

A *Infra actionem.*

Communicantes, et diem sacratissimum celebrantes, quo Dominus noster Unigenitus Filius tuus unitum sibi hominem nostræ substantiæ in gloriæ tuæ dextera conlocavit. Sed et memoria.

Inde vero modicum ante expletum canonem benedices fruges novas

Sequitur benedictio

Benedic, Domine, et has fruges novas fabæ, quas tu, Domine, rore cælesti et inundantia pluviarum ad maturitatem perducere dignatus es, ad percipiendum nobis cum gratiarum actione in nomine Domini nostri Jesu Christi. Per quem hæc omnia, Domine, semper bonusque

Expleto [f] *canonem.*

B *Postcommun.*

Deus, cujus Filius, in alta cælorum potenter ascendens, captivitatem nostram sua duxit virtute captivam, tribue, quæsumus, ut dona quæ suis participibus contulit, largiatur et nobis. Per Dominum nostrum.

Ad populum.

Erectis sensibus, et oculis cordis ad sublimia elevantes, quæsumus ut quæ in precum vota detulimus, ad impetrandi fiduciam referamus. Per.

LXIV.

ITEM ALIA MISSA.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, ut sicut humani generis Salvatorem consedere tecum in tua majestate confidimus, ita usque ad consummationem C sæculi manere nobiscum, quemadmodum est pollicitus, sentiamus. Per.

Tribue, quæsumus, omnipotens Deus, ut munere festivitatis hodiernæ illuc filiorum tuorum dirigatur intentio, quo in tuo Unigenito tecum est nostra substantia. Per.

Secreta.

Sacrificia nos, Domine, immaculata purificent, et mentibus nostris supernæ gratiæ dent vigorem. Per Dominum

VD In hac præcipue die, [g] qua Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, divino consummato fine mysterii, dispositionis antiquæ [h] munus explevit, ut scilicet et diabolum cælestis operis [i] inimicum per hominem, quem subjugarat, elideret, D et humanam reduceret ad superna dona substantiam Et ideo cum angelis.

Infra actionem, ut supra.

Sequitur :

Postcommun.

Tribue, quæsumus, Domine, ut per hæc sacra, quæ sumpsimus, illuc tendat nostræ devotionis affectus, quo tecum est nostra substantia. Per Dominum.

[a] In marg., *lumen.*
[b] Al., *provenire.*
[c] In margine : *facienda.*
[d] Ita correximus, nam Exemplar habet corrupte : *solemnitas.*
[e] *Reseravit.*

[f] Lege : *bon.* usque expleto Canone.
[g] Lege : *quo.*
[h] Ita emendatum ex Pamelio : Exemplar legit male : *manus.*
[i] Sic correctum ex eodem, quum in Exemplari mendose sit positum : *inimicus.*

Ad populum.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, illuc subsequi tuorum membra fidelium, quo caput nostrum principium [a] præcessit. Per Dominum.

LXV
ORAT. ET PRECES

Domin. post Ascensa Domini.

Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione destitues, quos in soliditate tuæ dilectionis institues. Per.

Deus, qui te rectis ac sinceris manere pectoribus adseris, da nobis tua gratia tales existere, in quibus habitare digneris. Per Dominum.

Secreta.

Oblatio, Domine, tuo nomine dicanda purificet, et de die in diem ad cælestis vitæ transferat actionem. Per Dominum nostrum.

VD Cujus hoc mirificum opus ac salutare mysterium fuit, ut perditi dudum atque prostrati de diabolo et mortis aculeo ad hanc gloriam vocaremur, quia nunc genus electum, sacerdotiumque regale, populus adquisitionis, et sancta gens vocaremur. Agentes igitur indefessas gratias, sanctamque munificentiam prædicantes, majestati tuæ hæc sacra deferimus, quæ, nobis ipse salutis nostræ auctor Christus instituit. Quem laudant angeli.

Postcommun.

Sumptis muneribus, Domine, quæsumus, tua frequentatione mysterii crescat nostræ salutis affectus. Per Dominum nostrum.

Ad populum.

Benedic, Domine, familiam tuam in cælestibus, et reple eam donis tuis spiritalibus : concede eis charitatem, gaudium, pacem, patientiam, bonitatem, mansuetudinem, spem, fidem, continentiam, ut repleti omnibus [b] castitatem donis tuis, desiderantes ad te pervenire mereantur. Per Dominum nostrum.

LXVI.
SABBATO PENTECOSTEN

celebrabis baptismum, sicut in nocte sanctæ Paschæ.

Ægrotanti catechumeno impositio manuum.

Innumeras medelæ tuæ curas deprecamur, Domine, sancte Pater, omnipotens æterne Deus, quas distribuit humanis infirmitatibus Christus : erige famulum tuum ægritudinis languore depressum; et omnem sensum ejus dignare tuis visitationibus refovere, quatenus adoptionem tuam possit cum gaudio sanitatis percipere. Expelle itaque ab eo cuncta contrariæ valetudinis tela, ut ad gratiam tuam gradanter occurrat. Releva quem redimere gloriaris, ut baptismi sit in illo palma non mortis, et gloriosum semper bajulet, quod accipit, signaculum crucis.

A Per Christum Dominum nostrum. Qui venturus est judicare vivos et mortuos.

LXVII.
ITEM [c] IMPOSITIO MANUS

[d] *energumenum catechumenum.*

Omnipotens sempiterne Deus, a cujus facie cæli distillant, montes sicut cera liquescunt, terra tremit, cui patent abyssi, quem infernus pavescit, quem omnis irarum motus aspiciens humiliatur, te supplex deprecor, Dominator Domine, ut invocatione nominis tui ab hujus famuli tui vexatione inimicus confusus abscedat, [e] et ab hujus possessione anima liberata [f] ab Auctore suæ salutis recurrat, liberatoremque [g] suo, diabolico fœtore depulso, et odore suavissimo Spiritus sancti percepto, sequatur. Per

B

LXVIII.
ITEM ALIA

pro parvulo energumeno.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, virtutem tuam totis exoro gemitibus pro hujus a diabolo oppressa infantia, qui etiam indignis inter pressuras donas præsidium. Exurge pro infantia debellata, et noli diu retinere vindictam : nec ante conspectum tuum veniant parentum delicta, qui nec pro filio patrem, nec pro patre promisisti filium judicare. Auxiliare, quæsumus, inimici furore vexato, ne sine baptismate facias ejus animam a diabolo possideri, sed potius tenera ætas, malignis oppressionibus libera, tibi referat gratias sempiternas.
C Per Dominum nostrum Jesum Christum. Qui venturus est judicare vivos et mortuos et sæculum.

LXIX.
ORAT. SUPER CATECHUMENUM

infirmum.

Famulum tuum, Domine, ad tui baptismi gratiam recurrentem, respicere et conservare dignare, ut in tui nominis signo, quicquid in eo per originalis peccati transgressionem pœnæ obnoxium diabolus detinebat, sacri fontis indulgentia resolvatur, veteris hominis excubias deponat, et novæ vitæ indutus amictu resurgat. [h] Omnes nequissimi spiritus ab eo venena depelle, et salutari baptismi tui gratia adimple, ut tui muneris perceptione in [i] æternam vitam valeat exultare. Per Dominum.

D

LXX.

Si fuerit baptizandus, accedens sacerdos dicit ei orationem, et Symbolum, et catechizat eum his verbis, imposita manu capiti ejus ; deinde dicit hanc orationem super eum : Nec te lateat, Satanas. *Sicut scriptum est in Sabbato.*

Te, Domine, supplices exoramus, ut visitatione tua sancta erigas ad te hunc famulum tuum, ne adversario liceat usque ad tentationem animæ pervenire, sed, sicut in Job, terminum pone, ne inimicus

[a] In margine : Al., *que.*
[b] Redundat *castitatem.*
[c] Lege : *imposita.*
[d] In marg. *super.*
[e] *Ut.*
[f] *Ad Auctorem.*
[g] *Sui.*
[h] *Omnia.*
[i] Al., *æterna vita.*

de anima hujus sine redemptione baptismatis incipiat triumphare. Differ, Domine, exitum mortis, et spatium vitæ distende. Releva quem perducas ad baptismi sacramentum, ne redemptioni tuæ inferas damnum. Tolle occasionem diabolo triumphandi, et reserva quem triumphis [a] comparis Christi, ut sanus tibi in Ecclesia tua gratia baptismatis renascatur facturus cuncta quæ petimus. Per.

LXXI.

ITEM AD CATECHUMENUM

ex pagano faciendum.

Gentilem hominem cum susceperis, in primis catechizas eum divinis sermonibus, et das ei monita, quemadmodum post cognitam veritatem vivere debeat. Post hæc facis eum catechumenum : exsufflas in faciem ejus, et facis ei crucem in fronte; imponis manum super caput ejus his verbis :

Accipe signum crucis tam in fronte, quam in corde; sume fidem cœlestium præceptorum; talis esto moribus, ut templum Dei esse jam possis. Ingressusque Ecclesiam Dei evasisse te laqueos mortis lætus agnosce. Horresce idola; respue simulacra; cole Deum Patrem omnipotentem, et Jesum Christum Filium ejus, qui vivit cum Patre, et Spiritu sancto, per omnia sæcula sæculorum.

Sequitur oratio.

Te deprecor, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut huic famulo tuo, qui in sæculi hujus nocte vagatur incertus et dubius, viam veritatis et agnitionis tuæ jubeas demonstrarii, quatenus, reseratis oculis cordis sui, te unum Deum Patrem in Filio, et Filium in Patre cum sancto Spiritu recognoscat, atque hujus confessionis fructum et hic et in futuro sæculo percipere mereatur. Per.

Inde vero postquam gustaverit medicinam salis, et ipse se signaverit, benedicis eum his verbis :

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui es, et eras, [b] permanes usque in finem, cujus origo nescitur, nec finis comprehendi potest, te, Domine, supplices invocamus super hunc famulum tuum; quem liberasti de errore gentilium et conversatione turpissima. Dignare exaudire eum qui tibi cervices suas humiliat; perveniat ad lavacri fontem, ut renatus ex aqua et Spiritu sancto, expoliatus veterem hominem induatur novum, qui secundum te creatus est; accipiat vestem incorruptam et immaculatam, tibique Domino nostro servire mereatur. Per Dominum.

LXXII.

ITEM AD SUCCURRENDUM

[c] *infirmum catechumenum.*

Si baptizandus fuerit, accedens sacerdos dicit super eum orationes quæ suprascriptæ sunt; et tradit ei Symbolum et Orationem; et catechizat eum his verbis : Nec te lateat, Satanas. *Et reliqua sicut super in nocte sancta scriptum est. Inde saliva oris sui cum digito tangit nares et aures; et dicit ei :*

Ephphetha, quod est : Adaperire in odorem suavitatis. Tu autem effugare, diabole, adpropinquabit enim judicium Dei.

Deinde tangit ei pectus et inter scapulas de oleo exorcizato sub his interrogationibus :

Abrenuntias Satanæ?

Resp. Abrenuntio.

Et omnibus operibus ejus?

Resp. Abrenuntio.

Et omnibus pompis ejus?

Resp. Abrenuntio.

LXXIII.

Cum autem expoliatur infirmus

benedicit fontem.

Incipit oratio.

Exaudi nos, omnipotens Deus, et in hujus aquæ substantiam tuam immitte virtutem, ut abluendus per eam, et sanitatem simul et vitam mereatur æternam. Per.

Item benedictio aquæ

ad succurrendum.

Exorcizo te, creatura aquæ, per Deum vivum, per Deum sanctum, per Deum totius dulcedinis creatorem, qui te in principio verbo separavit a terra, et in quatuor fluminibus dividens, totam terram rigare præcepit. Adjuro te, per Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, ut efficiaris in eo qui in te baptizandus erit fons aquæ salientis in vitam æternam, regenerans eum Deo Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Qui venturus est in Spiritu sancto judicare vivos et mortuos et omne sæculum per ignem.

LXXIV.

ITEM ALIA AD SUCCURRENDUM.

Adesto, Domine, tuis adesto muneribus, ut quod nostro est gerendum servitio, tuo impleatur auxilio. Per Dominum.

Sequitur benedictio.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; aquarum spiritalium sanctificator, te suppliciter deprecamur, ut ad hoc ministerium humilitatis nostræ respicere digneris, et super [d] has abluendis aquis et vivificandis hominibus præparatas angelum sanctitatis emittas, quo peccatis vitæ prioris ablutis, reatuque deterso, purum sancto Spiritui habitaculum in regeneratis procuret. Per Dominum nostrum.

LXXV.

ITEM ALIA BENEDICTIO.

Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dei Patris omnipotentis, et in nomine Jesu Christi Filii ejus, et Spiritus sancti. Omnis virtus adversarii, omnis incursio diaboli, omne phantasma eradicare et effugare ab hac creatura aquæ, ut fiat fons [e] salientis in vitam æternam; et [f] cum baptizatus fuerit, fiat templum Dei vivi in remissione peccatorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos et sæculum per ignem.

[a] Lege : *compares.*
[b] Al., *et*
[c] Lege : *infirmo cathecumeno.*
[d] Al., *aquas abluendis et vivificandis.*
[e] Al., *saliens.*
[f] Al., *qui ex ea.*

Et antequam perfundas eum aqua, interrogas eum verba Symboli, et dicis : A

Credis in Deum Patrem omnipotentem?

Resp. Credo.

Credis et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, natum et passum?

Resp. Credo.

Credis et in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem?

Respondet : Credo.

Et cum interrogas, per singulas vices mergis eum tertio in aqua. Postea cum ascenderit a fonte infans signatur a presbytero in cerebro de chrismate, his verbis :

Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu sancto, B quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te lineat chrismate salutis in Christo Jesu in vitam æternam.

Resp. Amen.

Postea si fuerit oblata, agendæ sunt missæ, et communicat; sin autem, dabis ei tantum sacramenta corporis et sanguinis Christi, dicens :

Corpus Domini nostri Jesu Christi sit tibi in vitam æternam.

Et dat ei orationem ita dicens :

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerasti famulum tuum ex aqua et Spiritu sancto, quique dedisti ei remissionem omnium peccatorum, tribue ei continuam sanitatem ad agnoscendam unitatis tuæ C veritatem. Per Dominum.

Omnipotens et misericors Deus, majestatem tuam supplices deprecamur, ut famulum tuum digneris serenis aspectibus [a] præsentari; et cui donasti baptismi sacramentum, longævam tribuas sanitatem. Per Dominum nostrum.

Deinde consignatur ab episcopo, in his verbis :

Deus, omnipotens Pater Domini nostri Jesu Christi, qui regenerasti famulum tuum ex aqua et Spiritu sancto, quique dedisti ei remissionem omnium peccatorum, tu, Domine, emitte in eum Spiritum sanctum tuum Paraclitum, et da ei Spiritum sapientiæ et intellectus; Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiæ et pietatis; adimple eum Spiritu D timoris Dei et Domini nostri Jesu Christi; et jube eum consignari signo crucis in vitam æternam. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum cum quo vivis et regnas in unitate Spiritus sancti.

Postea signat eum in fronte de chrismate, dicens :

Signum Christi in vitam æternam.

Resp. Amen.

Pax tecum.

Resp. Et cum spiritu tuo.

LXXVI.

AD SUCCURRENDUM

Benedictio olei exorcizati.

Exorcizo te, creatura olei, per Deum omnipotentem, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt. Omnis virtus adversarii, omnis exercitus diaboli, omnis incursus, omne phantasma Satanæ eradicare et effugare ab hac creatura olei, ut fiat omnibus qui ex eo ungendi sunt in adoptionem filiorum per Spiritum sanctum, in nomine Dei Patris omnipotentis, et in charitate Jesu Christi Domini nostri, qui venturus est in Spiritu sancto judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem.

LXXVII.

Oratio per singulas lectiones

In Sabbato Pentecosten.

Da nobis, quæsumus, Domine, per gratiam Spiritus sancti, novam tui Paracliti spiritalis observantiæ disciplinam, ut mentes nostræ, sacro purgatæ jejunio, cunctis reddantur ejus muneribus aptiores. Per Dominum nostrum.

Sequitur lectio in Genesis.

Omnipotens sempiterne Deus, indeficiens lumen, qui Spiritum tuum sanctum, cum super aquas in mundi creationis exordio ferretur, humanæ declarasti salutis auctorem, præsta, quæsumus, ut idem Spiritus veritatis Ecclesiæ tuæ dona multiplicet. Per Dominum.

Item de cantico Exodi.

Deus, qui primis temporibus impleta miracula novi testamenti luce reserasti, [b] quod mare Rubrum forma sacri fontis existeret, et liberata plebs ab Ægyptia servitute Christiani populi sacramenta præferret, da ut omnes gentes Israelis privilegium merito fidei consecutæ, Spiritus tui participatione [c] regnentur. Per.

Item de cantico Deuteronomii [d] lectione.

Deus gloriatio fidelium, et [e] vitæ justorum, qui per Moysen famulum tuum nos quoque modulatione sacri carminis erudisti, in universis gentibus misericordiæ tuæ munus operare, tribuendo beatitudinem, auferendo terrorem, ut quod prænuntiatum est ad supplicium in remedium transferatur æternum. Per Dominum.

Item de cantico Esaiæ cum lectione.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per unicum Filium tuum Ecclesiæ tuæ demonstrasti te esse cultorem, [f] ut omnem palmitem fructum in eodem Christo tuo, qui vera vitis est, efferentem clementer excolens, [g] fructus afferat ampliores, fidelibus tuis, quos velut vineam ex Ægypto per fontem baptismi [h] pertulisti, nullæ peccatorum spinæ prævaleant, ut, Spiritus tui sanctificatione muniti, perpetua fruge ditentur. Per.

[a] Al., *tuis.*
[b] Ambrosiana missa apud Pamelium habet : *ut et mare.*
[c] Al., *regenerentur.*
[d] *Cum.*

[e] Al., *vita.*
[f] *Ut* redundat... — *Cultorem uti.* Ita quoque legit Pamelius.
[g] Al., *ut.*
[h] Al., *transtulisti.*

Domine Deus virtutum, qui conlapsa reparas, et A reparata conservas, auge populos in tui nominis sanctificatione renovandos, ut omnes qui diluuntur sacro baptismate, tua semper inspiratione dirigantur. Per.

LXXVIII.

ITEM IN VIGILIA

de Pentecosten.

Ad missam.

Deus, qui Ecclesiam tuam novo semper fœtu multiplicas, concede famulis tuis ut sacramentum tuum vivendo teneant, quod fide perceperunt. Per.

Deus, cujus Spiritu totum corpus Ecclesiæ multiplicatur et regitur, conserva in nova familiæ tuæ progenie sanctificationis gratiam, quam dedisti, ut corpore et mente renovati, in unitate fidei ferventes tibi, Domine, servire mereantur. Per.

Secreta.

Virtute sancti Spiritus, Domine, munera nostra continge, ut quod solemnitate præsenti suo nomine dedicavit, et intelligibile nobis faciat et æternum. Per.

VD Per Christum Dominum nostrum. Qui ascendens super omnes cælos sedensque ad dexteram tuam, promissum Spiritum sanctum in filios adoptionis effudit. Unde lætantes inter altaria tua, Domine virtutum, hostias tibi laudis offerimus per Christum Dominum. Quem laudant.

Infra actionem.

Communicantes et diem sacratissimum Pentecosten prævenientes, quo Spiritus sanctus apostolos plebemque credentium præsentia suæ majestatis implevit. Sed et memoriam.

ITEM INFRA ACTION.

Hanc igitur. *Dicis sicut et in nocte sancta, et de creaturis benedicendis.*

Postcommun.

Concede, omnipotens Deus, ut paschalis [a] perfectio sacramenti mentibus nostris continua perseveret. Per Dominum.

[b] LXXIX.

ITEM ALITER

In vigilia Pentecosten.

Concede nobis, Domine, præsidia militiæ Christianæ sanctis inchoare jejuniis, ut, contra spiritales nequitias pugnaturi, continentiæ muniamur auxiliis. Per.

Da nobis, quæsumus, Domine, per gratiam sancti Spiritus novam tui Paracliti spiritalis observantiæ disciplinam, ut mentes nostræ, sacro purificatæ jejunio, cunctis reddantur ejus muneribus aptiores. Per Dominum.

Secreta

Hostias populi tui, quæsumus, Domine, miseratus intende, et ut tibi reddantur acceptæ, conscientias nostras sancti Spiritus salutaris emundet adventus. Per.

VD Qui Sacramentum paschale consummans, quibus per Unigeniti tui consortium, filios adoptionis esse tribuisti, per sanctum Spiritum largiris dona gratiarum, et sui cohæredibus Redemptoris jam nunc supernæ pignus hæreditatis impendis, ut tanto se [c] certius ad eam confidant esse venturos, quanto in ejus participatione profecerint. Propterea.

Infra actionem, ut supra.

Item postcommun.

Sacris cælestibus, Domine, vitia nostra purgentur, ut muneribus tuis possimus semper aptari. Per.

Presta, quæsumus, omnipotens Deus, ut Spiritus [d] B adveniens majestatem nobis Filii tui manifestando clarificet. Per eundem.

LXXX.

ORAT. ET PREC.

Domin. Pentecosten.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Paschale sacramentum quinquaginta dierum voluisti mysterio contineri, præsta ut gentium facta dispersio divisione linguarum, ad unam confessionem tui nominis cælesti munere [e] congregentur. Per.

Deus, qui sacramento festivitatis hodiernæ universam Ecclesiam tuam in omni gente et natione sanctificas, in totam mundi latitudinem Spiritus tui sancti dona diffunde, ut quod inter ipsa evangelicæ prædicationis exordia operata est divina dignatio, C nunc quoque per credentium corda diffunde.

Secreta.

Mentes nostras, quæsumus, Domine, Spiritus sanctus divinis præparet sacramentis, quia ipse est omnium remissio peccatorum. Per Dominum nostrum.

Purificet nos, quæsumus, Domine, muneris præsentis oblatio, et dignos sacra participatione perficiat. Per Dominum.

VD Quia hodie sancti Spiritus celebramus adventum. Qui principiis nascentis Ecclesiæ cunctis gentibus imbuendis, et Deitatis scientiam indidit et loquelam : in diversitate donorum mirabilis operator unitatis, variarumque gratiarum tributor idem et unus effector, et prædicantium dispensator ipse linguarum. Quem laudant angeli.

D *Infra actionem.*

Communicantes, et diem Pentecosten sacratissimum celebrantes, quo Spiritus sanctus apostolos plebemque credentium præsentia suæ majestatis implevit. Sed et memoriam.

Hanc igitur oblationem. *Dicis sicut in nocte sancta.*

Postcommun.

Sacris cælestibus, Domine, vitia nostra purgentur, ut muneribus tuis possimus semper aptari. Per.

Ad populum.

Præsta, quæsumus, Domine, ut a nostris menti-

[a] Ambrosiana missa apud Pamelium scribit : *perceptio.*

[b] Lege : LXXXII.

[c] Lege : *secretius.*

[d] In margine : Al., *sanctus.*

[e] Missa Ambrosiana apud Pamelium habet : *congregetur.*

bus et carnales amoveat Spiritus sanctus affectus, et spiritalia nobis dona potenter infundat. Per Dominum nostrum.

Adesto, Domine, quæsumus, populo tuo, et quem mysteriis cælestibus satiasti, ab hostium incursione defende. Per Dominum.

LXXXI

ITEM ORATIONES AD VESPEROS

Infra octabas Pentecosten.

Deus, qui discipulis tuis Spiritum sanctum Paraclitum [a] in ignis fervore tui amoris mittere dignatus es, da populis tuis, in unitate fidei esse ferventes, ut in tua [b] semper manentes, et in fide inveniantur stabiles, et in opere efficaces. Per.

Omnipotens sempiterne Deus, deduc nos ad societatem cælestium gaudiorum, ut Spiritu sancto renatos regnum tuum facias introire, atque [c] in ea perveniat humilitas gregis, quo præcessit celsitudo Pastoris. Per.

Adsit nobis, quæsumus, Domine, virtus Spiritus sancti, [d] qui et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum.

Mentes nostras, Domine, Spiritus Paraclitus, qui a te procedit, inluminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. Per.

Sancti Spiritus, Domine, corda nostra mundet infusio, et sui roris ubertate fœcundet. Per Dominum nostrum.

Concede nobis, misericors Deus, ut sicut [e] nomine Patris et Filii divini generis' intelligimus veritatem, sic in Spiritu sancto totius cognoscamus substantiam Trinitatis. Per.

LXXXII.

DENUNCIATIO JEJUNIORUM

Quarti, septimi, et decimi mensis.

Anniversariam, fratres charissimi, jejunii puritatem, qua et corporis adquiritur et animæ sanctitas, nos commonet *illius* mensis instaurata devotio. Quarta igitur et sexta feria [f] solicito convenientes occursu, offeramus Deo spiritale jejunium; die vero Sabbati apud beatum Petrum, cujus nos intercessionibus credimus adjuvandos, sanctas vigilias Christiana pietate celebremus. Ut per hanc institutionem salutiferam peccatorum sordes, quas corporis fragilitate contrahimus, jejuniis et eleemosynis abluamus, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum.

A *Item aliter.*

Illius mensis jejunia in hac nobis sunt hebdomada tenenda; ideoque hortamur sanctam fidem vestram, ut quarta, sexta, vel septima, feria jejunemus quatenus, divinis inhærendo mandatis, propitiationem Dei nostri perseverantia [g] devotæ servitutis obtineat. Per.

LXXXIII.

INCIPIUNT ORAT. ET PREC.

Mensis quarti.

FERIA QUARTA.

Concede nobis, Domine, præsidia militiæ Christianæ sanctis inchoare jejuniis, ut, contra spiritales nequitias [h] pugnaturi, continentiæ muniamur auxiliis. Per.

B Omnipotens et misericors Deus, apta nos tuæ, propitius, voluntati, quoniam sicut ejus prætereuntes tramitem, deviamus, sic integro [i] tenore dirigamur, ad illius semper ordinem recurrentes. Per.

Da nobis mentem, Domine, quæ tibi sit placita, quia talibus jugiter quicquid est prosperum, ministrabis. Per.

Secreta.

Solemnibus jejuniis expiatos, [j] suo nos, Domine, mysterio congruentes hoc [k] sacrum munus efficiat, quia tanto nobis salubrius [l] aderit, quanto id devotius sumpserimus. Per.

Post illos enim lætitiæ dies, quos [m] in honorem Domini a mortuis resurgentis, et in cælos ascendentis, exegimus, [n] postquam perceptum C sancti Spiritus donum, necessaria [o] etenim nobis jejunia sancta provisa sunt, ut pura conversatione viventibus, quæ divinitus sunt Ecclesiæ conlata, permaneant. Per Christum Dominum nostrum.

Postcommun.

Quos jejunia votiva castigant, tua, Domine, sacramenta vivificent, ut, terrenis affectibus mitigatis, facilius cœlestia capiamus. Per.

Ad populum.

Gratias tibi referat, Domine, corde subjecto tua semper Ecclesia, et consequenter obtineat; et, observationes antiquas jugiter recensendo, proficiat in futurum. Per.

FERIA SEXTA.

D Ut nobis, Domine, terrenarum frugum tribuas ubertatem, fac mentes nostras cælesti fertilitate fœcundas. Per.

[p] Fiat tua gratia, Domine, [q] fructuosus nostræ

[a] Ambrosiana missa apud Pamelium legit: *in ignis specie fervore tui amoris:* hanc enim vocem *specie* addendam esse Pamelius censet.

[b] In eadem missa: *semper dilectione permanentes.*

[c] In margine: Al., *eo.*

[d] Apud Pamelium, in feria 3 Pentecostes: *quæ.*

[e] Apud eumdem: *in nomine.*

[f] Lege: *soliciti.*

[g] Lege: *debitæ.*

[h] Sic emendavimus exemplar, in quo legitur: *pugnare.*

[i] Lege: *tellore*, sed perperam. — Correctum ex Menardo.

[j] Apud Menardum: *tuo.*

[k] Exemplar habet: *sacro munus.* Menardus vero: *sacro munere.*

[l] Menardo *aderis.*

[m] In Exemplari et apud Menardum scribitur: *in honore.*

[n] Alias: *postque.*

[o] Redundat *etenim.*

[p] Ita correximus, cum Exemplar mendose habeat: *Fiant.*

[q] Emendavimus Exemplar, in quo male: *fructuosius.*

devotionis affectus, qui [a] actu nobis proderunt suscepta jejunia, si tuæ sint placita pietati. Per Dominum.

Secreta.

Omnipotens sempiterne Deus, qui non sacrificiorum ambitione placaris, sed studio piæ devotionis intendis, da familiæ tuæ spiritum rectum, et habere cor mundum, ut fides eorum hæc dona tibi conciliet, humilitas oblata commendet. Per.

Postcommun.

Annue, quæsumus, omnipotens Deus, ut sacramentorum tuorum gesta recolentes, et temporali securitate relevemur, et erudiamur legalibus institutis. Per.

Ad populum.

Fideli populo, Domine, misericordiam tuam placatus impende, et præsidia corporis copiosa tribue supplicanti. Per.

SABBATO IN XII LECT.

Præsta, Domine, quæsumus, famulis tuis, talesque nos concede fieri tuæ gratiæ largitate, ut bona tua et fiducialiter [b] imploremus, et sine difficultate sumamus. Per.

Da nobis, Domine, quæsumus, regnum tuum justitiamque semper inquirere, ut quibus indigere nos perspicis, clementer facias abundare. Per.

Deus, qui nos de præsentibus adjumentis esse voluisti solicitos, tribue, quæsumus, ut [c] piis sectando quæ tua sunt, universa nobis salutaria condonentur. Per.

Deus, qui misericordia tua prævenis non petentes, da nobis affectum majestatem tuam jugiter deprecandi, ut pietate perpetua supplicibus potiora defendas. Per.

Deus, qui non despicis corde contritos, et afflictos miseriis, populum tuum jejunii ad te devotione clamantem, [d] propitiatus exaudi, ut quos humiliavit adversitas adtollat reparationis tuæ prosperitas. Per.

Item post benedictionem.

Deus cujus adorandæ [e] potentiam Majestatis flammæ sævientis incendium sanctis tribus pueris in splendorem demutatum est, [f] animarum Ecclesiæ tuæ similibus adesto remediis, ut de gravioribus mundi hujus adversitatibus, propitiatione cælesti, populus tuus ereptus exultet. Per.

Secreta.

Domine Deus noster, qui in his potius creaturis quas ad fragilitatis nostræ præsidium condidisti, tuo quoque [g] nomine munera jussisti dedicanda constitui, tribue, quæsumus, ut et vitæ nobis præsentis auxilium, et æternitatis efficiant sacramentum. Per.

℣D Tibi sanctificare jejunium, quod nos ad ædificationem animarum et castigationem corporum servare docuisti, quia strictis corporibus, animæ saginantur; [h] in quo exterior homo noster affligitur, dilatatur interior. Memento, Domine, jejunii nostri et misericordiarum tuarum, quas peccatoribus pie semper jejunantibus contulisti, ut non solum a cibis, sed a peccatis omnibus abstinentes, devotionis tibi jejunio placeamus. Et ideo cum angelis.

Postcommun.

Sumptum, quæsumus, Domine, venerabile sacramentum, et præsentis vitæ subsidiis nos foveat et æternæ. Per.

Ad populum.

Proficiat, Domine, quæsumus, plebs tibi dicata piæ devotionis affectu, ut sacris actibus erudita, quanto majestati tuæ fit gratior, tanto donis potioribus augeatur. Per.

LXXXIV.

ORAT. ET PRECES

In Dominica octavorum Pentecosten.

Timentium, Domine, Salvator et Custos, averte ab Ecclesia tua mundanæ sapientiæ oblectamenta [i] fallaciæ ut Spiritus tui eruditione forma nobis prophetica et apostolica potius instituta, quam philosophiæ verba delectent, ne vanitas mendaciorum decipiat, quos eruditio veritatis inluminat. Per.

Sensibus nostris, Domine, Spiritum tuum sanctum benignus infunde, ut tibi semper simus devoti, cujus sapientia creati sumus, et providentia gubernamur. Per.

Omnipotens et misericors Deus, ad cujus beatitudinem sempiternam non fragilitate carnis, sed alacritate mentis ascenditur, fac nos atria supernæ civitatis, et, te inspirante, semper ambire, et tua indulgentia fideliter introire. Per.

Secreta.

Remotis obumbrationibus carnalium victimarum, spiritalem tibi, summe Pater, hostiam supplici servitute deferimus, quæ miro [j] et ineffabilique mysterio et immolatur semper, et eadem semper offertur, pariterque et devotorum munus, et remunerantis est præmium. Per.

℣D Qui cum Unigenito Filio tuo et sancto Spiritu unus es Deus, unus es Dominus, non in unius singularitate personæ, sed in unius [k] Trinitate substantiæ; quod enim de tua gloria, revelante te, credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu sancto, sine differentia [l] discretionis sentimus. Ut in confessione veræ sempiternæque Deitatis, et in personis proprietas, et in essentia unitas, et in majestate adoretur æqualitas. Quem laudant angeli.

Postcommun.

Lætificet nos, quæsumus, Domine, sacramenti veneranda solemnitas; pariterque mentes nostras

[a] Alias *tunc.*
[b] Apud Menardum : *impetremus.*
[c] In margine : al., *pie.* — Apud Menardum legitur : *pie sectantibus.*
[d] Eidem : *propitius*
[e] Lege : *potentia.*
[f] Lege : *animabus.*

[g] Menardus legit : *nomini munera jussisti dicanda.*
[h] Al., *et in.*
[i] Apud Pamelium legitur melius : *fallacia.*
[j] Eidem rectius : *ineffabilique.*
[k] Ita correximus ex eodem Mendose in Exemplari : *Trinitatis.*
[l] Lege : *discretione.*

et corpora spiritali sanctificatione fœcundet, et castis gaudiis semper exerceat. Per.

Ad populum.

Ecclesia tua, Domine, cœlesti gratia repleatur et crescat; atque, ab omnibus vitiis expiata, percipiat sempiternæ redemptionis augmentum, ut quod in membris suis copiosa temporum [a] prorogatione veneratur, spiritali capiat largitate donorum. Per Dominum nostrum.

LXXXV.

BENEDICTIO SUPER EOS

Qui de Arriana ad catholicam redeunt unitatem.

Domine Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui dignatus es famulos et famulas tuas ab errore et mendacio hæreseos Arrianæ eruere, et ad Ecclesiam tuam catholicam eos perducere, tu, Domine, mitte in eos Spiritum Paraclitum sanctum sapientiæ et intellectus, Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiæ et pietatis; et adimple eos, Domine, Spiritu timoris Dei, in nomine Jesu Christi Dei Salvatoris nostri. Per quem et cum quo est tibi honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

LXXXVI.

ITEM PRO EIS

Qui de diversis hæresibus veniunt.

Sancte Pater omnipotens Deus, qui famulum tuum ab errore [b] hæreseon dignatus es eruere, et ad sanctam Ecclesiam catholicam revocare, quæsumus te, Domine, immitte in eum Paraclitum Spiritum tuum sanctum septiformem, Spiritum sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis; adimple famulum tuum Spiritu timoris Dei. Per Dominum nostrum Jesum Chr.

LXXXVII.

RECONCILIATIO REBAPTIZATI AB HÆRETICIS.

Omnipotens Pater misericordiarum et Deus consolationis, qui per Unigenitum tuum Dominum nostrum Jesum Christum ita regenerationis humanæ consecrasti mysterium, ut nec in eis qui fraude diabolicæ malignitatis a baptismi unitate discedunt nulla possit iteratione [c] recensendi, quia cum [d] geminatura sacræ legis non virtus inditæ consecrationis excluditur, sed injuria fidei sacramentis manentibus inrogatur, ideo cum ad veram matrem Ecclesiam catholicam tui muneris aspiratione resipiscentes apostatæ redeunt, non quod amiserunt baptismum recipiunt, sed quod in se permanenti fecerint contumeliam, veracis pœnitentiæ satisfactione reparantur. Hinc tuam misericordiam, Pater sancte, supplices exoramus, ut hunc famulum tuum ad sancta tua, quæ reliquerat, atria revertentem, immensa benignitate suscipias, et piissima propitiatione salvifices, ut qui ruinæ suæ lapsum [e] anathemando nunc Arrium, jugi lamentatione castigat [f] digne pœnitentiæ fructus, te miserante, perficiat. Tuo quippe respectu satisfactionis sumpsit initium, tuo munere deperditionis se jam sentiat longinquitate regressum; longius enim [g] ante tam conlatæ fidei negatione, quam operum pravitate disceditur. Unde, quæsumus, ut secundum multitudinem miserationum tuarum immanissima supplicis tui remittatur impietas, et aberrantem longius ab itinere salutis æternæ tua dignetur revocare majestas. Nos autem sicut in exequendis mysteriis tuis probamur indigni, ita de tua sumus miseratione certissimi; et ob hoc non audemus revertenti atque pulsanti reconciliationis januam claudere cui ad revertendum cordis oculos te confidimus revelasse; et licet [h] actioni pœnitentiæ metas temporum præficiamus, tamen quia non solum diem mortis, sed et qualitatem pectoris ignoramus, sic eum ad spem reconciliationis admittimus, ut affectum jugis pœnitudinis non omittat, sed perenni timore continua lamentatione redivivus, et sacramentorum cælestium communione mereatur esse perpetuus. Per.

Alia [i] minore ætate.

Deus, qui hominem ad imaginem tuam conditum in id reparas quod creasti, respice propitius super hunc famulum tuum, et quidquid ignorantiæ ipsius hæretica pravitas inrepsit, indulgentia tuæ pietatis ignosce, ut quod in eo diaboli fraude commissum est, et nequitia Arrianæ perfidiæ nocuit, non ei reputetur ad culpam, sed membrum Ecclesiæ catholicæ remissionis tuæ clementia reformetur, ut [j] ad altaribus sacris, recepta veritatis tuæ communione, reddatur. Per.

Item alia [k] minore ætate.

Deus humani generis conditor et redemptor, Deus qui facturam similitudinis et imaginis tuæ secundum divitias bonitatis in id reparas quod creasti, respice propitius super hunc famulum tuum, [l] ut quidquid ignorantiæ ipsius necessitas hostilitatis influxit, indulgentia tuæ pietatis ignosce; ut in eo cui adhuc intelligentia integra non suppetit, nihil reputetur ad culpam, sed Ecclesiæ membrum remissionis tuæ benignitate reputetur. Per.

LXXXVIII.

ORATIO IN DEDICATIONE BASILICÆ NOVÆ.

Deus, qui loca nomini tuo dicata sanctificas, effunde super hanc orationis domum gratiam tuam,

[a] Lege : *prærogatione.*
[b] Lege : *hæreseorum.*
[c] *Rescindi*, aut *recenseri.*
[d] *Geminatur.*
[e] *Anathematizando.*
[f] Legendum videtur : *dignos.*

[g] *A te.*
[h] Lege : *actione.*
[i] In marg., *pro.*
[j] *Et.*
[k] *Pro.*
[l] Lege : *et quidquid.*

ut ab omnibus hic invocantibus te auxilium tuæ A misericordiæ sentiatur. Per.

Consecratio basilicæ.

Deus sanctificationum omnipotens dominator, cujus pietas sine fine sentitur, Deus qui cœlestia simul et terrena complecteris, servans misericordiam tuam populo tuo ambulanti ante conspectum gloriæ tuæ, exaudi preces servorum, ut sint oculi tui aperti super domum istam die ac nocte; hancque basilicam in honorem sancti *illius* sacris mysteriis institutam clementissimus dedica, miserator inlustra, proprio splendore clarifica; omnemque hominem venientem adorare in hoc loco placatus admitte, propitius dignare respicere; et propter nomen tuum magnum, et manum fortem, et brachium excelsum, in hoc habitaculo supplicantes libens protege, dignanter exaudi, æterna defensione conserva; ut semper felices, semperque tua religione lætantes, constanter in sanctæ Trinitatis fide catholica perseverent. Per.

Orat. super aquam et vinum ad consecrationem altaris.

Creator et conservator humani generis, dator gratiæ spiritalis, largitor æternæ salutis, tu [a] permitte Spiritum tuum super vinum cum aqua mixtum, ut [b] arma virtute cælestis defensionis ad consecrationem hujus Ecclesiæ, *vel* altaris [c] perficiat. Per.

Sequitur præfatio consecrationis altaris.

Primitus enim ponis super cornu altaris digito tuo vinum cum aqua mixtum; et asperges altare septem vicibus; reliquum autem fundes ad basem, et offeres incensum super altare odorem suavissimum Domino.

[d] Benedictio altaris.

Dei Patris omnipotentis misericordiam, dilectissimi fratres, deprecemur, ut hoc altare sacrificiis spiritalibus consecrandum, vocis nostræ exorandus officio præsenti benedictione sanctificet, [e] studio suæ devotionis impositas benedicere et sanctificare dignetur; et spiritali placatus incenso, præcanti familiæ suæ promptus exauditor adsistat. Per.

Benedictio altaris, sive consecratio.

Deus omnipotens, in cujus honorem altare sub invocatione [f] tui consecramus, clemens et propitius preces nostræ humilitatis exaudi, et præsta, ut in hac mensa sint tibi libamina accepta, sint grata, sint pinguia, et Spiritus sancti tui semper rore perfusa, ut omni tempore in hoc loco supplicantis tibi familiæ tuæ [g] auxilietates releves, ægritudines cures, preces audias, vota suscipias, desiderata confirmes, postulata concedas. Per.

Præfatio linteaminum.

Domine Deus omnipotens, sicut ab initio hominibus [h] vitalia et necessaria creasti, et quemadmodum vestimenta pontificalia sacerdotibus, et Levitis ornamenta, quæ Maria texuit et fecit in usum ministerii tabernaculi fœderis, [i] sanctificare, benedicere, consecrareque digneris hæc linteamina in usum altaris tui ad tegendum involvendumque corpus et sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat Deus.

Ad consecrandam patenam

Consecramus et sanctificamus hanc patenam ad conficiendum in ea corpus Domini nostri Jesu Christi patientis crucem pro salute nostra omnium. Qui cum Patre et Spiritu sancto [j] qui vivit et re- B gnat Deus per omnia sæcula sæculorum.

Inde facis signum crucis de oleo sancto super patenam et dicis hanc orationem.

Consecrare et sanctificare digneris, Domine, patenam hanc per istam unctionem et nostram benedictionem, in Christo Jesu Domino nostro. [k] Qui vivit et regnat.

Ad calicem benedicendum.

Oremus, dilectissimi Fratres, ut Dominus Deus noster [l] calicem suum in ministerio consecratum cælestis gratiæ inspiratione sanctificet, et ad humanam benedictionem plenitudinem divini favoris accommodet. Per Dominum.

Item alia.

C Dignare, Domine, calicem istum in usum ministerii tui pia famuli tui devotione formatum, ea sanctificatione perfundere, qua Melchisedech famuli tui [m] sacramentum calicem perfudisti, et quod arte vel metallo [n] effici non potest altaribus tuis dignum, fiat tua benedictione pretiosum. Per.

Item benedictio ad omnia in usum basilicæ.

Dignare, Domine, Deus omnipotens, Rex regum, et Dominus dominantium, Sacerdos omnium, Pontifex universorum, per quem una cum Patre sanctoque Spiritu facta sunt universa, Christe Jesu, benedicere, consecrare, et sanctificare digneris vasa hæc cum hoc altari, linteaminibus, cæterisque vasis; et quemadmodum sanctificasti officia tabernaculi testimonii olim cum arca, oraculo, cherubin D alosis, velis, columnis, [o] candelabris, altari, argenteis basibus, tabulis deauratis, holocaustis, hostiis, æneo altari, cum [p] æneis vasis, tentoriis, funibus, oleo unctionis, et cæteris aliis in figura nostri, per manus sanctorum sanctificasti sacerdotum, ita nunc manens in æternum summus Sacerdos sacerdotum

[a] Al., *mitte.* — *Permittit* legitur apud Menardum.
[b] Apud eumdem : *armata.*
[c] Lege : *proficiat.* — Menardus legit : *proficiant*
[d] *Præfatio consecrationis.*
[e] Al., *ut in eo semper oblationes famulorum tuorum.*
[f] Menardus : *tui nominis indigni consecramus.*
[g] In marg. : Al., *anxietates.*
[h] Apud Menardum : *utilia.*
[i] Al., *fieri decrevisti.*
[j] Redundat *qui.*
[k] Menardo : *Qui vivis*, etc.
[l] Apud eum legimus : *Calicem in usu sui ministerii consecrandum.*
[m] Al., *sacratum.*
[n] Ita correximus; perperam enim in Exemplari : *officii.*
[o] Lege : *candelabra, altare.*
[p] Lege : *æreis.*

secundum ordinem Melchisedech, ut diximus, pateram hanc, et calicem hunc, et omnia instrumenta altaris hujus ecclesiæ, *sive* basilicæ, quæ inter nostras palmas habentur; corde precamur, benedicas, purifices, consecres, et consumes, [a] quibus inter nos et æternam unitatem in supremo meatu sine fine constare credimus. Per.

Præfatio chrismatis.

Oremus, fratres charissimi, ut Deus omnipotens hoc ministerium corporis Filii sui Domini nostri Jesu Christi gerulum benedictione, sanctificationis tutamine, defensionis donatione implere dignetur, orantibus nobis. Per Dominum.

Item alia.

Omnipotens Trinitas inseparabilis, manibus nostris opem tuæ benedictionis infunde, ut per nostram benedictionem hoc vasculum sanctificetur, et corporis Christi novum sepulcrum Spiritus sancti gratia perficiatur. Per Dominum.

LXXXIX.

ORAT. ET PRECES AD MISSAS,

In dedicatione basilicæ novæ.

Deus, qui sacrandorum tibi auctor es munerum, ad sanctificationem loci hujus propitius adesse dignare, ut qui hæc in honorem tui nominis condiderunt, protectorem te habere in omnibus mereantur. Per.

Magnificare, Domine Deus noster, in sanctis tuis, et hoc in templo ædificationis appare, ut qui omnia in filiis adoptionis operaris, ipse semper in tua hæreditate lauderis. Per.

Secreta.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gregalium differentias hostiarum in unius hujus sacrificii perfectione sanxisti, respice propitius de throno gloriæ tuæ, et super hoc altare benedictionis tuæ munus effunde, ut in eo sic temporales hostiæ consecrentur, ut perpetuæ vitæ sumentibus procurent substantiam. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

VD. Qui cum ubique sis totus, et universa tua majestate contineas, sacrari tamen tibi loca tuis mysteriis apta voluisti, ut ipsæ orationum domus supplicum mentes ad invocationem tui nominis incitarent, effunde super hunc locum gratiam tuam; et omnibus in te sperantibus auxilii tui munus ostende, ut hic et sacramentorum virtus, et votorum obtineatur effectus. Per.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem famuli *vel* famulæ tuæ *illius*, quam tibi offerunt, hanc dedicantes ecclesiam, quæsumus, Domine, placatus accipias, nostrasque preces dignanter exaudias, ut sint oculi tui aperti super domum istam die ac nocte. Templumque hoc in honorem beatorum martyrum tuorum *illorum*, *vel illarum* sanctarum, et confessorum, sacris mysteriis institutum clementissimus dedica, miserator inlustra, propitius splendore clarifica, cunctam familiam tuam ad aulæ hujus suffragia concurrentem benignus exaudi, ejusdemque conditorum omnia desideria cordis complacita tibi pius adimple, votisque responde. Augmenta eis annos vitæ, et temporum felicitatem: ut per spatia longæva viventes, melioribus ornamentis studio eorum locus iste refulgeat; diesque nostros

Postcommun.

Copiosa beneficia, quæsumus, Domine, Christianus populus assequatur, ut qui [b] in odorem sanctorum sacrandis tibi liminibus præsentis [c] accipiat, et gratiam sempiternæ redemptionis inveniat. Per [d] Dominum.

XC.

ITEM ALIA MISSA.

Deus, qui sacrandorum tibi auctor es munerum, effunde super hanc orationis domum benedictionem tuam, ut ab omnibus invocantibus nomen tuum, defensionis auxilium sentiatur. Per Dominum.

Deus, qui ex omni coaptatione sanctorum æternum tibi condis habitaculum, da ædificationi tuæ incrementa cælestia, [e] et quorum hic reliquias pio more complectimur, eorum semper meritis adjuvemur. Per.

Secreta.

Omnipotens sempiterne Deus, effunde super hunc locum gratiam tuam, et omnibus te invocantibus auxilii tui munus ostende, ut hic sacramentorum virtus omnium fidelium corda confirmet. Per Dominum nostrum.

VD. Per Christum Dominum nostrum. Per quem te supplices deprecamur, ut altare hoc sanctis usibus præparatum cælesti dedicatione sanctifices, et sicut Melchisedech sacerdotis præcipui oblationem dignatione mirabili suscepisti, ita imposita novo huic altari munera [f] super accepto ferre digneris, ut populus tuus in hanc Ecclesiæ domum sanctam conveniens, per hæc pura libamina cœlesti sanctificatione salvatus, animarum quoque suarum salutem perpetuam consequatur. Per quem majestatem.

Infra action.

Hanc igitur oblationem famuli *vel* famulæ tuæ *illius, vel illius*, quam tibi in hujus templi sanctificationem offerunt immolandam, quæsumus, Domine, dignanter intende, ut aulam, quæ beati martyris tui *illius* meritis [g] æquipetere non possit, tuæ claritatis vultus inlustret, fiatque tua propitiatione tuis sacris sanctisque digna mysteriis. Sic æternæ lucis habitaculum temporale. Nihil hic mundanæ sordis obscuritatisque possideant, ut veniens hic populus tuus suæ consequatur orationis effectum, dignumque locum hunc tua sentiat majestate, dum a te postulata fue-

[a] *Quibus inter nos*, etc. Ita fere legitur in Ordine Romano.

[b] Apud Menardum rectius habetur: *in honorem*.

[c] Al., *devotus occurrit et vitæ subsidia*. — Sic etiam apud Menardum. — Lege: *luminibus*

[d] Dele: *Dominum*.

[e] Menardus: *ut*.

[f] Apud Menardum: *semper accepta*.

[g] Legendum: *æquiparare non potest*.

rit consecutus, sitque ædificantibus in pretio delictorum, dum a te non pro sui operis quantitate, sed pro offerentum fuerit devotione suscepta; diesque nostros.

Postcommun.

Sanctorum tuorum, Domine, precibus confidentes, quæsumus ut per ea quæ sumpsimus eterna remedia capiamus. Per.

XCI.

ORAT. ET PREC.

In dedicatione basilicæ quam conditor non dedicatam reliquit.

Deus, qui loca nomini tuo dedicata sanctificas, et benedictionibus tuis dicanda præcedis, præsta, quæsumus, ut quod beato apostolo tuo *illo*, et sanctis martyribus *illis* famulus tuus *ille* in hoc ædificio deputavit, digno preparetur officio. Per.

Omnipotentiam tuam, quæsumus, Domine, sanctus tuus *ille* interventor exoret, ut ejus meritis hanc Ecclesiam deputatam clementer inlustres, quoniam quidquid sanctis honoris impenditur, tuæ respicit insignia majestatis. Per Dominum.

Secreta.

Concede, quæsumus, Domine, ut sicut famulus tuus *ille* oblatis optavit muneribus, beatorum martyrum tuorum *illorum* hic semper merita celebrentur. Per.

Qui tribuis [a] ut tibi fideles tui quod te inspirante devoverunt impleant. Ideoque hujus basilicæ dedicationem, quam beato apostolo tuo *illi*, et sanctis martyribus tuis *illis* famulus tuus offerre instituit, pio prævenientes officio, dignas Majestati tuæ laudes offerimus. Per quem Majestatem tuam.

Postcommun.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut, divino munere satiati, et sicut famulus tuus *ille* pro suæ animæ requie deputavit in hujus consummationis requiem beati apostoli tui *illius* et sanctorum martyrum *illorum* gloriam tuam plebs devota veneretur. Per.

XCII.

In ejusdem conditoris agendis.

Deus, fidelium receptor animarum, præsta, quæsumus, ut famulus tuus *ille* et in perpetua luce quiescat, et quod de hoc loco desideravit, obtineat. Per Dominum nostrum.

Secreta.

Pro anima famuli tui *illius*, Domine, tibi sacrificium supplices exoramus, ut ad tuam misericordiam conferendam perpetuam dignanter ejus vota perficias. Per.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro anima famuli tui *illius*, Domine, quæsumus, placatus intendas, et ut fructum boni operis consequatur, quæ in his locis Christiana promisit mente, perficias diesque nostros.

Postcommun.

Largire, quæsumus, omnipotens Deus, ut anima famuli tui *illius* plenam capiat de hujus Ecclesiæ perfectione mercedem. Per Dominum nostrum.

XCIII.

ORAT. ET PREC.

In dedicatione loci illius ubi prius fuit synagoga.

Deus, qui absque ulla temporis mutabilitate cuncta disponis, et [b] ad meliorandam perducis quæ eligis esse mutanda, respice super hanc basilicam in honore beati *illius* nomini tuo dicatam, ut, vetustate Judaici erroris expulsa, huic loco sancti Spiritus novitate Ecclesiæ conferas veritatem. Per Dominum nostrum.

Omnipotens sempiterne Deus, qui hunc locum, Judaicæ superstitionis fœditate detersa, in honore beati *illius* Ecclesiæ tuæ dignatus es pulchritudinem [c] decorare. Per Dominum.

Præsta, quæsumus, Domine, ut illa fides hic fulgeat, quæ, signo crucis erecta, mortem subegit, et salutem nobis contulit et triumphum. Per.

Secreta.

Deus vita credentium, et origo virtutum, reple, quæsumus, hoc templum tuæ gloria majestatis in honore beati *illius* fiat domus orationis, quod perditum fuerat ante latibulum; et quia infidelium turba in isto loco conveniebat adversa, populus tuus oblationibus suis te hic semper mereatur invenire propitium. Per.

Postcommun.

Gratias tibi referimus, Domine, sacro munere vegetati, tuam misericordiam deprecantes, ut dignos ejus nos participatione perficias. Per.

Ad populum.

A plebe tua, quæsumus, Domine, spiritales nequitiæ repellantur, et aerearum discedat malignitas potestatum. Per Dominum.

XCIV.

ORAT. ET PRECES

In dedicatione fontis.

Omnipotens sempiterne Deus, hoc baptisterium cælesti visitatione dedicatum, Spiritus tui inlustratione sanctifica, ut quoscunque fons iste lavaturus est, trina ablutione purgati, indulgentiam omnium delictorum tuo munere consequantur. Per.

Omnipotens sempiterne Deus, fons omnium virtutum, et plenitudo gratiarum, dignare eadem sacro baptismati præparata majestatis tuæ præsentia consecrare, ut qui ubique totus es, etiam hic adesse te in nostris precibus sentiamus. Per.

Secreta.

Suscipe, quæsumus, Domine, preces nostras cum oblationibus supplicantum, et concede propitius ut quidquid hic novum regenerandi per Spiritum sanctum acceperint, tua gratia fiat æternum. Per.

[a] Correximus exemplar, in quo mendose : *et tibi.*
[b] Lege : *ad meliora*, sive : *ad melioranda.*
[c] *Decorare. Per.* Deest aliquid ut sententia constet.

Per Christum Dominum nostrum. Per quem nobis regenerationis exortus est, ut qui per carnalem originem mortales in hoc sæculum veneramus, ad spem vitæ æternæ ex aqua et Spiritu sancto renasceremur. Quod sacramentorum pietatis tuæ, Domine, ut loco tota gratiæ tuæ potentia celebretur, supplices tibi hoc sacrificium laudis offerimus, obsecrantes misericordiam tuam, ut huic fonti virtutem Spiritus tui indesinenter præsedere concedas; quo operante, omnes qui in hæc fluenta descenderint, ab universorum criminum contagiis emundati, et perpetua sanctificatione purgati, libro beatæ vitæ mereantur ascribi. Per.

Infra action.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus in hujus consecratione baptisterii, quæsumus, Domine, placatus accipias, et tua pietate concedas, ut quoscunque fons iste lavaturus est, omnium criminum abolitione purgentur, atque famulis tuis conditoribus mercedem tanti operis promissæ retributionis impendas. Quam oblationem tu, Deus.

Postcommun.

Multiplica, Domine, benedictionem tuam, et per Spiritum tui muneris fidem nostram conrobora, ut qui in hæc fluenta descenderint, eos in libro vitæ ascribi jubeas, in regno tibi Deo Patri in resurrectione tradendos. Per.

Ad populum.

Propitiare, Domine, familiæ tuæ, et benignus humilitatis nostræ vota sanctifica, et omnes in hoc fonte regenerandos, universali adoptione custodi. Per.

XCV.

INCIPIT ORDO

De sacris ordinibus benedicendis.

Hæc autem singulis gradibus observanda sunt tempora. Si ab infantia ecclesiasticis [a] *ministris nomen dederit, inter lectores usque in vigesimum ætatis annum continuata observatione perduret. Si majori ætate jam accesserit, ita tamen ut post baptismum* [b] *ætatem se divinæ militiæ desiderat mancipari, sive inter lectores sive inter exorcistas quinquennio teneatur, et exinde acolythus vel subdiaconus quatuor annis stet, et sic ad benedictionem diaconatus, si meretur, accedat. In quo ordine quinque annis, si inculpate se gesserit, hærere debet; ex suffragantibus meritis stipendiis per tot gradus, datis propriæ fidei documentis, presbyterii sacerdotium poterit promereri. De quo loco si illum exactior ad bonos mores vita perduxerit, summum pontificatum sperare debebit. Hac tamen lege servata, ut neque bigamus, neque pœnitens ad hos gradus possit admitti.*

A *Sane ut etiam defensores ecclesiæ, qui ex laicis fiunt, supradicta observatione teneantur, si meruerint esse in ordine clericatus.*

Episcopus cum ordinatur, duo episcopi ponant et teneant Evangeliorum Codicem super caput ejus; et uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes episcopi qui adsunt manibus suis caput ejus tangant.

Presbyter cum ordinatur, [c] *Episcopum eum benedicentem etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt* [d].

Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat: reliqui vero Sacerdotes juxta manum Episcopi caput illius ponant: quia non ad Sacerdotium, sed ad Ministerium consecratur.

B *Subdiaconus cum ordinatur,* [e] *quia manuum impositionem non accipit, patenam de manu episcopi accipiat vacuam et calicem vacuum; de manu vero archidiaconi accipiat urceolum cum aqua, et aquimantile, ac* [F. *cum*] *manutergio.*

Acolythus cum ordinatur, ab episcopo quidem doceatur qualiter se [f] *in officio suo agere debeat; sed ab archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda luminaria ecclesiæ mancipari; accipiat et urceolum vacuum ad suggerendum vinum in Eucharistia corporis Christi.*

Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi episcopo:

C Accipe, et commenda [g], et habeto potestatem imponendi manum super energumenum sive baptizatum, sive catechumenum.

Lector cum ordinatur, faciat de illo verbum episcopus ad plebem, indicans ejus fidem atque ingenium. Post hæc, spectante plebe, tradat ei Codicem de quo lecturus est, dicens ad eum:

Accipe et esto verbi Dei relator, [h] habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium, partem cum his qui verbum Dei ministraverunt.

Ostiarius cum ordinatur, postquam ab archidiacono instructus fuerit qualiter in domo Dei debeat conversari; [i] *a suggestione archidiaconi tradat ei episcopus claves ecclesiæ de altari, dicens ei:*

D Sic age quasi redditurus Deo rationem pro his rebus [j] quæque istis clavibus recluduntur.

Psalmista, id est cantor, potest absque scientia episcopi, sola jussione presbyteri, officium suscipere cantandi, dicente sibi presbytero:

Vide ut quod ore cantas, corde credas; et quod corde credis, operibus probes.

Sanctimonialis virgo cum ad consecrationem [k] *sui episcopi offertur, in talibus vestibus applicetur, qualibus semper usura est professioni et sanctimoniæ aptis.*

[a] In Ordine Romano scriptum: *ministeriis.*
[b] Idem Ordo legit: *statim se.*
[c] Menardus: *Episcopo eum benedicente et manum super caput ejus tenente, etiam.*
[d] Apud eumdem additur: *manus suas juxta manum episcopi per caput ejus teneant.*
[e] Lege: *qui manum.*
[f] Menardus: *in officio suo.*
[g] *Memoriter.*
[h] Sic emendavimus ex Menardo. Perperam enim in Exemplari scribitur: *habitaturus.*
[i] Apud Menard. correctius legitur: *ad suggestionem*
[j] Menardo: *quæ.*
[k] Lege: *sui episcopo.*

XCVI.

Item benedictiones super eos qui sacris ordinibus benedicendi sunt.

PRÆFATIO OSTIARII.

Deum Patrem omnipotentem suppliciter [a] deprecemur, ut hunc famulum suum nomine *illum* benedicere dignetur, quem in officium ostiarii eligere dignatus est, ut sit ei fidelissima cura in diebus ac noctibus ad distinctionem horarum certarum ad invocandum nomen Domini. Per Dominum.

Item benedictio ejusdem.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hunc famulum tuum ostiarium nomine *illum*, ut inter janitores ecclesiæ paret obsequia, et inter electos tuos partem mereatur habere mercedis. Per.

PRÆFATIO LECTORIS.

Eligunt te fratres tui, ut sis lector in domo Dei tui, ut agnoscas officium tuum, ut impleas illud, potens est enim Deus ut augeat tibi gratiam. Per.

Benedictio lectoris.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris famulum tuum nomine *illum* in officio lectoris, ut, assiduitate lectionum distinctus atque [b] ornatus, curis modulis spiritali devotione [c] resonet ecclesiæ. Per Domin.

PRÆFATIO EXORCISTÆ.

Deum Patrem omnipotentem supplices deprecemur, ut hunc famulum suum nomine *illum* benedicere dignetur in officium exorcistæ, ut sit spiritalis imperator ad abjiciendos dæmones de corporibus obsessis cum omni nequitia eorum multiformi. Per.

Benedictio exorcistæ.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc nomine *illum* in [d] officio exorcistæ, ut per [e] impositionis [f] manuum, et oris in officium eum eligere digneris, [g] et imperium habeat spirituum immundorum [h] coercendo et probabilis sit medicus ecclesiæ tuæ, gratiæ curationum virtute confirmatus. Per Dominum.

PRÆFATIO ORDINANDI SUBDIACONI.

Oremus Deum ac Dominum nostrum : ut super servum suum nomine *illum*, quem ad subdiaconatus officium [i] evocare dignatus est, infundat benedictionem et gratiam suam, ut, in conspectu [j] suo fideliter serviens, destinata sanctis præmia consequatur. Per.

Benedictio subdiaconi.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc nomine *illum*, quem ad subdiaconatus officium dignatus es

A eligere, ut eum sacrario tuo sancto strenuum sollicitumque cælesti militiæ instituas, ut sanctis altaribus fideliter subministret, et requiescat super eum Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis; repleas eum Spiritu timoris tui, [k] ut eum ministerio divino confirmes, [l] ut obediens atque dicto parens, tuam gratiam consequatur. Per.

[m] *Consecratio manuum.*

Consecrentur manus istæ per istam unctionem et nostram benedictionem, ut quæcunque benedixerint, benedicta sint, et quæcunque sanctificaverint, sanctificentur. Per Dominum nostrum.

XCVII.

IN NATALE CONSECRATIONIS DIACONI.

B Ad preces nostras, quæsumus, Domine, propitiatus intende, ut Levitæ tui sacris altaribus servientes, et fidei veritate fundati, et mente sint spiritali conspicui. Per Dominum.

Secreta.

Suscipe, quæsumus, Domine, hostias famuli et Levitæ tui *illius*, quibus mentium nos tui nomine devotarum, et a terrenis contagiis expiari, et cælestibus contulisti propinquare consortes. Per Dominum nostrum.

Infra action.

Hanc igitur oblationem famuli tui *illius*, quam tibi offerimus ob diem quo eum in Levitarum sacrarii ministeriis contulisti, quæsumus, Domine, placatus accipias, eique propitiatus concedas ut cui C donasti Levitæ ministerii facultatem, tribuas sufficientem gratiam ministrandi. Quam oblationem.

Postcommun.

Præsta, quæsumus, Domine, ut nostræ gaudeamus profectionis augmento, et de congruo sacramenti paschalis obsequio. Per Dominum.

XCVIII.

[n] IN NATALE CONSECRATIONIS PRESBYTERI,

Qualiter sibi miss. debeat celebrare.

Deus, cujus arbitrio omnium cælorum ordo decurrit, respice propitius nostri temporis ætatem, ut tibi servitus nostra complaceat, et misericordiæ tuæ in nobis dona concedas. Per Dominum.

Secreta.

D Muneribus nostris, Domine, precibusque susceptis, et cælestibus munda mysteriis, et clementer exaudi. Per Dominum.

VD Æquum et salutare, quia in sæculorum sæcula, Domine, permanet laudatio tua. Vox hæc populi tui fideliter concinentis, ut Majestati tuæ placens atque jucunda sit deprecamur; simul

[a] Lege : *deprecamur.*
[b] Apud Menardum et in Missali Francorum : *ordinatus.*
[c] In Missali Francorum : *resonet.*
[d] Lege : *exorcistam.*
[e] *Impositionem.*
[f] Apud Menardum legitur : *et ad impositionem manuum, et oris officium.*
[g] Idem : *ut imperium.*
[h] Apud eumdem : *coercendorum.*
[i] Menardo : *vocare.*
[j] Correctum ex eodem.
[k] Menardus : *et eum.*
[l] Apud eumdem : *ut obediens facto atque.*
[m] Hæc consecratio pertinet ad presbyteri ordinationem; perperam hic posita.
[n] Lege : IN NATL.

etiam illud supplex quæso, ut hæc sacrificia, quæ tibi indignus offerre præsumo ob diem, quo me sacris altaribus sacerdotem consecrari jussisti, de excelso throni tui respicere digneris; benedictione tua impleas, sanctificatione tua sanctifices. Per Christum Dominum.

Infra action.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offero, ego tuus famulus hodie ob diem quo me nullis dignum meritis, sed solo tuæ misericordiæ dono, ad hunc locum perducere dignatus es presbyterii, quæso, placatus accipias: Majestatem tuam suppliciter deprecans, ut sicut me sacris altaribus tua dignatio sacerdotali servire præcepit officio, ita et dignum præstet et [a] meritum. Quam oblat.

Postcommun.

Purificet nos, Domine, cælestis exequutio sacramenti, et ad tuam magnificentiam capiendam divinis affectibus semper instauret. Per.

XCIX.

ORAT. DE EPISCOPIS ORDINANDIS.

Oremus, dilectissimi nobis, ut his viris ad utilitatem Ecclesiæ providendis, benignitas omnipotentis Dei gratiæ suæ tribuat largitatem. Per.

Exaudi, Domine, supplicum preces ut quod nostro gerendum est ministerio tua propitius virtute firmetur. Per Dominum.

Propitiare. Domine, supplicationibus nostris, et inclinato super hos famulos tuos cornu gratiæ sacerdotalis, benedictionis tuæ in eos effunde virtutem. Per Dominum.

Consecratio.

Deus honorum omnium, Deus omnium dignitatum quæ gloriæ tuæ sacris famulantur ordinibus; Deus, qui Moysen famulum tuum secreti familiaris affectu inter cætera cælestis documenta culturæ, de habitu quoque indumenti sacerdotalis instituens, electum Aaron mystico amictu vestire inter sacra jussisti, ut intelligentiæ sensum de exemplis priorum caperet secutura posteritas, ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deesset ætati, cum et apud veteres reverentiam ipsa significationum species obtineret, et apud nos certiora essent experimenta rerum quam ænigmata figurarum. Illius namque sacerdotii anterioris habitus, nostræ mentis ornatus est, et pontificalis gloriæ non jam nobis honorem commendat vestium, sed splendorem animarum, quia et illa quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus ea potius quæ in ipsis erant intelligenda poscebant. Et idcirco famulis tuis, quos ad summi sacerdotii ministerium elegisti, hanc, quæsumus, Domine, gratiam largiaris, ut quicquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, et multimodi operis varietate signabant, hoc in horum moribus actibusque clarescat. Comple, Domine, in sacerdotibus tuis [b] ministerii tui summam, et ornamentis totius glorificationis instructos cælestis unguenti flore sanctifica. Hoc, Domine, copiose in eorum caput influat, hoc in oris subjecta decurrat, hoc in totius corporis extrema descendat, ut tui Spiritus virtus et interiorum ora repleat; et exteriora circumtegat. Abundet in his constantia fidei, puritas dilectionis, sinceritas pacis. Sint speciosi munere tuo pedes horum ad evangelizandum pacem, ad evangelizandum bona tua. Da eis, Domine, ministerium reconciliationis in verbo, et in factis, et in virtute signorum et prodigiorum. Sit sermo eorum et prædicatio non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus et virtutis. Da eis, Domine, claves regni cælorum utantur, [c] ne glorientur potestate, quam tribuis in ædificationem, non in destructionem. Quodcumque ligaverint super terram sit ligatum et in cœlis, et quodcumque solverint super terram sit solutum et in cælis. Quorum retinuerint peccata, detenta sint; et quorum dimiserint, tu dimittas. Qui benedixerit, sit benedictus; et qui maledixerit eis, maledictionibus repleatur. Sint fideles servi prudentes, quos constituas tu, Domine, super familiam tuam, ut dent illis cibum in tempore necessario; ut exhibeant omnem hominem perfectum. Sint sollicitudine impigri, sint spiritu ferventes. Odiant superbiam; diligant veritatem; nec eam unquam deserant aut lassitudine aut timore superati. Non ponant lucem tenebras, nec tenebras lucem; non dicant malum bonum, nec bonum malum. Sint sapientibus debitores, et fructum de profectu omnium consequantur. Tribuas eis, Domine, cathedram episcopalem ad regendam Ecclesiam tuam et plebem universam. Sis eis auctoritas; multiplices super eos benedictionem et gratiam tuam, ut ad exorandam semper misericordiam tuam tuo munere idonei, tua gratia possint esse devoti. Per.

Secreta.

Suscipe, Domine, munera quæ tibi offerimus pro famulo tuo *illo*, et propitius in eodem tua dona custodi. Per Dominum.

Postcommun.

Plenum, quæsumus, Domine, in nobis remedium tuæ miserationis operare, et tales nos esse perficere propitius, fovere [d] digneris. Per.

C.

ITEM MISSA

Quam pro se episcopus die ordinationis suæ cantat.

Deus, qui non propriis suffragantibus meritis, sed sola ineffabili gratiæ largitate, me familiæ tuæ præesse jussisti, tribue tibi digne persolvere ministerium sacerdotalis officii, et ecclesiasticis convenienter servire ministeriis, plebemque commissam, te in omnibus protegente, gubernare concede. Per.

Deus, mundi creator et rector, ad humilitatis meæ preces placatus attende, et me famulum tuum, quem nullis suffragantibus meritis, sed immensa largitate clementiæ tuæ cælestibus mysteriis servire tribuisti,

[a] Legerem : *merito*.
[b] Apud Menardum : *mysterii*.
[c] In Missali Francorum habetur : *nec glorientur*
[d] *Fovere* videtur redundare.

dignum sacris altaribus fac ministrum, ut quod mea celebrandum voce depromitur, tua sanctificatione firmetur. Per.

Secreta.

Ad gloriam, Domine, tui nominis annua festa repetentes sacerdotalis exordii, hostiam tibi laudis offerimus, suppliciter exorantes, ut cujus ministerii, vice tibi servimus immeriti, suffragiis ejus reddamur accepti. Per.

Infra actionem.

Hanc quoque oblationem, quam offero ego tuus famulus et sacerdos ob diem in quo me dignatus es ministerio sacro constituere sacerdotem, obsecro, Domine, placatus suscipias. Unde majestatem tuam supplex exoro, ut quod in me largiri dignatus es, propitius custodire digneris. Per Christum Dominum nostrum. Quam oblationem.

Postcommun.

Repleantur consolationibus tuis, Domine, quæsumus, tuorum corda fidelium, pariterque etiam et de Ecclesiæ præsule et de suorum votorum plenitudine gratiarum referant actiones. Per.

CI.

ITEM IN NATALITIO EPISCOPI,

Si infirmus aut absens fuerit, qualiter presbyter debeat celebrare [a] *missam.*

Præsta, quæsumus, omnipotens sempiterne Deus, ut fidelibus tuis ordinatum præbeamus affectum, eisque nos similiter Spiritum sanctum diligendi benignus infunde. Per.

Secreta.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut in tua spe et charitate sincera sacrificium tibi placatum deferamus et plebis et præsulis. Per.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem sancti Patris nostri *illius* episcopi, quam tibi offerimus ob diem quo eum pontificali benedictione ditasti. Præbe ei, quæsumus, ætatis spatia prolixiora, cujus Sacerdotii nobis tempora dignatus es donare præcipua. Quam oblationem.

Postcommun.

Deus, qui nos sacramentis tuis pascere non desistis, tribue, quæsumus, ut per eorum nobis indulta refectio vitam conferat sempiternam. Per.

CII.

ITEM MISSA

Pro alio sacerdote.

Deus, qui dierum nostrorum numeros, mensurasque temporum majestatis tuæ potestate dispensas, ad humilitatis nostræ propitius respice servitutem, et tuæ pacis abundantia tempora nostra et episcopi nostri tua gratia benignus adcumula. Per.

Secreta.

Respice, quæsumus, Domine, nostram propitius servitutem, [b] et hæc oblatio nostra sit tibi munus acceptum, sit fragilitatis nostræ subsidium sempiternum. Per.

[a] Lege : *miss.*
[b] Lege : *ut.*

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem famuli tui et antistitis tui *illius*, quam tibi offert ob devotionem mentis suæ, quæsumus, Domine, placatus accipias, tuaque in eo munera ipse custodias; donesque ei annorum spatia, ut Ecclesiæ tuæ feliciter præsidendo, te omnia in omnibus operante, sic utatur temporalibus, ut præmia mereatur æterna. Diesque nostros.

Postcommun.

Da, quæsumus, Domine, ut tanti mysterii munus indultum, non condemnatio, sed sit medicina sumentibus. Per.

CIII.

CONSECRATIO SACRÆ VIRGINIS,

Quæ in Epiphania, vel secunda feria Paschæ, aut in apostolorum natalitio celebratur.

Sequitur oratio.

Respice propitius, Domine, super hanc famulam tuam, ut virginitatis sanctæ propositum, quod te inspirante suscepit, te gubernante custodiat. Per.

Item benedictio.

Deus castorum corporum benignus habitator, et incorruptarum, Deus, amator animarum, Deus qui humanam substantiam in primis hominibus diabolica fraude vitiatam ita in Verbo tuo, per quod omnia facta sunt, reparas, ut eam non solum ad primæ originis innocentiam revoces, sed etiam ad experientiam quorumdam bonorum, quæ in novo sæculo sunt habenda, perducas, et obstrictos adhuc conditione mortalium, jam ad similitudinem provehas angelorum. Respice, Domine, super hanc famulam tuam, quæ, in manu tua continentiæ suæ propositum conlocans, tibi devotionem suam offert, a quo ipsa vota adsumpsit. Quando enim animus, mortali carne circumdatus, legem naturæ, libertatem licentiæ, vim consuetudinis, et stimulos ætatis, evinceret, nisi tu per liberum arbitrium hunc amorem virginitatis clementer accenderes, tu hanc cupiditatem in earum corde benignus aleres, tu fortitudinem ministrares? Effusa namque in omnes gentes gratia tua, ex omni natione, quæ est sub cælo, in stellarum innumerabilem numerum novi testamenti hæredibus adoptatis, inter cæteras virtutes, quas filiis tuis non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, sed de tuo Spiritu genitis indidisti, etiam hoc donum in quasdam mentes de largitatis tuæ fonte defluxit, ut cum honorem nuptiarum nulla interdicta minuissent, ac super sanctum conjugium initialis benedictio permaneret, existerent tamen sublimiores animæ, quæ in viri ac mulieris copula fastidirent connubium, concupiscerent sacramentum, nec imitarentur quod nuptiis agitur, sed diligerent quod nuptiis prænotatur. Agnovit auctorem suum beata virginitas, et æmula integritatis angelicæ, illius thalamo, illius cubiculo se devovit, qui sic perpetuæ virginitatis est [c] filius. Imploranti ergo auxilium tuum, Domine, et confirmari se benedi-

[c] Ex alio Cod. Vatic. supple : *Sponsus, quemadmodum perpetuæ virginitatis est Filius.*

ctionis tuæ consecratione cupienti, da protectionis (A) tuæ munimen et regimen, ne hostis antiquus, qui excellentiora studia subtilioribus infestat insidiis, ad obscurandam perfectæ continentiæ palmam per aliquam mentis serpat incuriam, et rapiat de proposito virginum, quod etiam moribus decet inesse [a] nuptiarum. Sit in ea, Domine, per donum Spiritus tui prudens modestia, sapiens benignitas, gravis lenitas, casta libertas : in charitate ferveat, et nihil extra te diligat, laudabiliter vivat, laudarique non appetat. [b] In sanctitate corporis te in animi sui purificet. Amore te timeat, amore tibi serviat. Tu ei honor sis, tu gaudium, tu voluntas, tu in mœrore [c] consolatu, in ambiguitate consilium, tu in injuria defensio, in tribulatione patientia, in paupertate abundantia, in jejunio cibus, in infirmitate medicina. In te habeat omnia, quem diligere appetat super omnia, et quod est professa custodiat, Scrutatori pectorum non corpore placitura sed mente. Transeat in numerum sapientium puellarum, ut cælestem Sponsum accensis lampadibus cum oleo præparationis expectet; nec turbata improvisi Regis adventu, sequutura cum lumine, præcedentium choro jungatur, occurrat; nec excludatur cum stultis, regalem januam cum sapientibus virginibus licenter introeat, et in Agni tui perpetuo comitatu probabilis mansura castitate permaneat. Per Dominum.

Benedictio vestimentorum virginum.

Deus æternorum bonorum fidelissimus promissor, certissimus persolutor, qui vestimentum salutare et indumentum jucunditatis tuis fidelibus promisisti, clementiam tuam suppliciter exoramus, ut hæc indumenta humilitatem cordis et contemptum mundi significantia, quibus famulæ tuæ sancto visibiliter sunt informandæ, propitius, proposito, benedicas, ut beatæ castitatis habitum, quem te spirante suscipiunt, te protegente custodiant : et quas vestibus venerandæ promissionis induis temporaliter, beata facias immortalitate vestiri. Per Dominum nostrum.

CIV.

Item oratio super ancillas Dei,
Quibus conversis vestimenta mutantur.

Te invocamus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, super has famulas tuas, quæ tibi voluerint servire puris mentibus mundoque corde, ut eas sociare digneris inter illa centum quadraginta quatuor millia infantum, [d] virgines permanserunt, et se cum mulieribus non coinquinaverunt, in quorum ore dolus inventus non est; ita et has famulas tuas facias permanere immaculatas usque ad finem. Per immaculatum Jesum Christum Dominum nostrum, cum quo vivis et regnas Deus in unitate Spiritus sancti per omnia sæcula.

CV.

ITEM ORATIONES

Ad missas ejusdem.

Da, quæsumus, Domine, famulæ tuæ, quam virginitatis honore dignatus es decorare, inchoati operis consummatum effectum; et ut perfectam tibi offerat plenitudinem, initia sua perducere mereatur ad finem. Per.

Secreta

Oblatis hostiis, Domine, quæsumus, præsenti famulæ tuæ perseverantiam perpetuæ virginitatis adcommoda, ut apertis januis summi Regis adventu cum lætitia mereatur intrare. Per.

Infra action.

Hanc igitur oblationem famulæ tuæ *illius*, quam (B) tibi offert ob diem natalis sui, in quo eam tibi socians, sacro velamine protegere dignatus es, quæsumus, Domine, propitiatus sanctifica, ut tibi Domino ac Sponso suo venienti cum lampade sua inextinguibili placitura occurrere mereatur. Per.

Postcommun.

Respice, Domine, famulæ tuæ tibi debitam servitutem, ut inter humanæ fragilitatis incerta, nullis adversitatibus obprimatur; quæ de tua protectione confidit. Per.

CVI.

ITEM ALIA EJUSDEM.

Deus castitatis amator et continentiæ conservator, supplicationem nostram benignus exaudi, et hanc famulam tuam propitius intuere; et quæ pro timore (C) tuo continentiæ pudicitiam vovit tuo auxilio conservetur, ut sexagesimum fructum continentiæ, vitam æternam, te largiente, percipiat. Per.

Secreta.

Munera, quæsumus, Domine, famulæ et sacratæ tuæ *illius*, quæ tibi ob consecrationem sui corporis offeret, simul ad ejus animæ medelam proficiant. Per Dominum

Postcommun.

Bonorum, Deus, operum institutor, famulæ tuæ *illius* corda purifica, ut nihil in ea quod punire, sed quod coronare possis, invenias. Per.

ITEM ALIA EJUSDEM.

Preces famulæ tuæ *illius*, quæsumus, Domine, benignus exaudi, ut adsumptam castitatis gratiam, (D) te auxiliante, custodiat. Per.

Secreta.

Votivis, quæsumus, Domine, famulæ tuæ *illius* adesto muneribus, ut, te custode, servata, hæreditatem benedictionis æternæ percipiat. Per.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem famulæ tuæ *illius*, quam tibi offerimus ob diem natalis ejus, quo eam sacro velamine protegere dignatus es, quæsumus, Domine, placatus accipias. Pro qua majestati tuæ supplices fundimus preces, ut in numerum eam sanctarum

[a] Legerem : *nuptiarum*.

[b] In Ordine Romano : *Te in sanctitate corporis, te in animæ suæ puritate glorificet.*

[c] In eodem Ordine : *solatium.*

[d] Ordo Romanus legit : *qui virgines.*

virginum transire præcipias, ut tibi Sponso venienti A cum lampade sua inextinguibili possit occurrere, atque intra regni cælestis claustra gratias tibi referat, choris sanctarum virginum sociata. Quam oblationem.

Postcommun.

Deus, qui habitaculum tuum in corde pudico fundasti, respice super famulam tuam, et quæ castigationibus assiduis postulat, tua consolatione percipiat. Per.

A † Ω

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

ORATIONES ET PRECES DE NATALITIIS SANCTORUM.

I.

DENUNCIATIO NATALITII UNIUS MARTYRIS.

Noverit vestra devotio, sanctissimi fratres, quod beati martyris *illius* anniversarius dies intrat, quo diaboli tentationes exuperans, universitatis Creatori gloria passione conjunctus est. (*Item pluraliter* : Quo diaboli tentamenta vincentes universitatis Creatori gloriosa passione conjuncti sunt.) Ideoque Dominum conlaudemus, qui est mirabilis in sanctis suis, ut qui illis victoriæ coronam contulit, nobis eorum meritis delictorum indulgentiam largiatur. In *illo* igitur loco, *vel* in *illa* via, *illa* feria, hanc eamdem festivitatem solita devotione celebremus.

DENUNCIATIO

Cum reliquiæ ponendæ sunt martyrum.

Dilectissimi fratres, inter cætera virtutum solemnia, quæ ad gloriam pertinent Christi Domini nostri, hoc quoque præstitit martyribus; [a] pro nominis ejus confessione, morte suscepta, cælestia præmia meruerunt, ut fidelium votis eorum præclaris reliquiis conlocatis integritas sancti corporis esse credatur. Et ideo commonemus dilectionem vestram, quoniam *illa* feria, *illo* loco reliquiæ sunt sancti *illius* martyris conlocandæ, quæsumus, ut vestram præsentiam, nobis admonentibus, non negetis.

II.

IN NATALE SANCTI FELICIS CONFESSORIS.

XVIII Kal. Februarias.

Sancti Felicis, Domine, confessio recensita conferat nobis piæ devotionis augmentum, qui, in confessione tui nominis perseverans, meruit honorari.

Da, quæsumus, omnipotens [b], ut qui beatus Felix donis tuis extitit gloriosus, apud te nostris existat nominibus idoneus interventor. Per.

Secreta.

Hostias tibi, Domine, pro commemoratione sancti Felicis tui confessoris offerimus, suppliciter deprecantes, ut sicut illi præbuisti sacræ fidei largitatem, sic nobis largiaris et pacem. Per Dominum.

Postcommun.

Sanctorum precibus confidentes, quæsumus, Domine, ut per ea quæ sumpsimus, æterna remedia capiamus. Per.

III.

IN NATAL. SANCTI MARCELLI CONFESSORIS.

XVII Kal. Februar.

Exaudi, Domine, preces nostras, quas in sancti confessoris tui atque pontificis Marcelli solemnitate deferimus, ut qui tibi digne meruit famulari, ejus intercedentibus meritis, ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut beatus Marcellus tibi placito fulgeat sorte pontificatus, et pietati tuæ nos pia supplicatione commendet. Per Dominum nostrum.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati Marcelli confessoris tui atque pontificis solemnia colimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per.

Secreta.

Sancti Marcelli confessoris tui atque pontificis, quæsumus, Domine, annua solemnitas pietati tuæ nos reddat acceptos; per hæc piæ oblationis officia et illum beata retributio comitetur, et nobis gratiæ tuæ dona conciliet. Per Dominum.

Postcommun.

Deus fidelium remunerator animarum, præsta ut beati Marcelli confessoris tui atque pontificis, cujus venerandam celebramus festivitatem, precibus indulgentiam consequamur. Per Dominum.

IV.

IN NATAL. SS. MARTYRUM

Sebastiani, Mariæ, Martæ, Audifax, et Abacuc.

XIII Kal. Februar.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut sanctorum martyrum tuorum, quorum celebramus victorias, participemur et præmiis. Per Dominum.

Præsta, quæsumus, Domine, ut, intercedente bea'o Sebastiano martyre tuo, et a cunctis adversi-

[a] Adde *qui*.

[b] Pamelius addit *Deus*.

tatibus muniamur in corpore, et a pravis cogitationibus mundemur in corde. Per. A

Secreta.

Sancto Sebastiano interveniente, Domine, tibi servitus nostra complaceat, et obsequia munerum fiant præsidia devotorum. Per.

Postcommun.

Cælesti munere satiati, quæsumus, Domine Deus noster, ut hæc nos dona martyris tui Sebastiani deprecatione sanctificent. Per.

V.

IN NATAL. SANCTI FABIANI.

Item XIII Kal. Februar.

Adsit nobis, Domine, quæsumus, sancta precatio beati pontificis et Martyris tui Fabiani, quæ nos et a terrenis affectibus incessanter expediat, et cælestia desideria perficiat. Per Dominum.

Secreta.

Intercessio, quæsumus, Domine, pontificis et martyris tui Fabiani munera nostra commendet, nosque ejus veneratio tuæ majestati reddat acceptos. Per.

Postcommun.

Sumpsimus, Domine, sancti Fabiani solemnitate cælestia sacramenta, cujus suffragiis, quæsumus, [a] largiaris, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per.

VI.

IN NATAL. S. AGNETIS VIRGINIS,

De passione sua.

XII Kal. Februarias.

Crescat, Domine, semper in nobis sanctæ jucunditatis affectus, et beatæ Agnæ virginis atque martyræ tuæ veneranda festivitas augeatur. Per.

Præsta, quæsumus, Domine, mentibus nostris cum exultatione [b] pervectum, ut beatæ Agnes martyris tuæ, cujus diem passionis annua devotione recolimus, etiam fidei constantiam subsequamur. Per.

Secreta.

Hodiernum, Domine, sacrificium lætantes exsequimur, quo beatæ Agnes cælestem victoriam recensentes, et tua magnalia prædicamus, et nos adquisisse gaudemus suffragia gloriosa. Per.

Postcommun.

Sumentes, Domine, gaudia sempiterna de participatione sacramenti festivitatis sanctæ martyris Agnes, suppliciter deprecamur, ut quæ sedula servitute, donante te, gerimus, dignis sensibus tuo munere capiamus. Per.

VII.

ITEM IN NATALE EJUSDEM,

De nativitate.

V Kal. Februar.

Adesto nobis, omnipotens Deus, beatæ Agnes festa repetentibus, quam hodiernæ festivitatis [c] prolatam exortu, ineffabili munere sublevasti. Per.

Secreta.

Grata tibi sint, quæsumus, Domine, munera quibus sanctæ Agnetis magnifica solemnitas recensetur; sic enim ab exordio sui usque in finem beati certaminis extitit gloriosa, ut ejus nec initium debeamus præterire nec finem. Per.

Postcommun.

Adjuvent nos, quæsumus, Domine, hæc mysteria B sancta quæ sumpsimus, et beatæ Agnæ intercessio veneranda. Per

VIII.

ORAT. IN PURIFICATIONE

Sanctæ Mariæ.

IV Nonas Februar.

[d] Deus, qui in hodierna die Unigenitus tuus in nostra carne, quam adsumpsit pro nobis, in templo est præsentatus, præsta, ut quem Redemptorem nostrum læti suscipimus, venientem quoque Judicem securi videamus. Per eundem Dominum nostrum.

Secreta.

Accepta tibi sit, Domine, quæsumus, hodiernæ festivitatis oblatio, et, tua gratia largiente, [e] hæc sacrosancta commercia in illa inveniamur forma, in C qua tecum est nostra substantia. Per.

Postcommun.

Concede nobis, Domine, quæsumus, ut [f] sacramenta quæ sumpsimus, quicquid in nostra mente vulneratum est, ipsius miserationis dono curetur. Per Dominum nostrum.

IX.

IN NATAL. SANCTÆ AGATHÆ.

Nonas Februar.

Indulgentiam nobis, Domine, [g] beatæ Agathæ martyræ tuæ imploret, quæ tibi grata extitit virtute martyrii et merito castitatis. Per Dominum.

Secreta.

Fiant, Domine, tuo grata conspectui munera supD plicantis Ecclesiæ; et ut nostræ saluti proficiant, adsit intercessio beatæ tuæ martyræ Agathæ. Per.

Postcommun.

[h] Exultamus pariter et de percepto pane justitiæ, et de tuæ, Domine, festivitate [i] martyræ, Agathæ, [j] qualiter, interventionibus tibi placentium confidimus, nobis ad perpetuam vitam profutura quæ sumpsimus [k] proficiant. Per.

[a] Sic emendavimus, nam in Exemplari legitur corrupte : *largitatis.*
[b] Apud Pamelium : *profectum.*
[c] Ita correximus ex Pamelio, cum Exemplar perperam legat : *ploratam.*
[d] Apud Pamelium rectius habetur : *Deus, cujus hodierna.*

[e] Lege ex Missali Romano : *per hæc.*
[f] Legendum : *ut per.*
[g] Apud Pamelium : *beata Agata martyr.*
[h] Ambrosiana missa apud eumdem : *Exsultemus.*
[i] In eadem missa : *martyris.*
[j] Ambrosiana missa : *quia.*
[k] Redundat *proficiant*, et ita eadem missa.

X.

IN NATAL. SANCTÆ SOTERIS.

IV Id. Februar.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut sanctæ Soteris, cujus humanitatis celebramus exordia, martyris beneficia sentiamus. Per

Secreta.

Preces nostras, quæsumus, Domine, propitiatus admitte, et dicatum tibi sacrificium beatæ Soteris commendet. Per.

Postcommun.

Sanctæ Soteris precibus confidentes, quæsumus, Domine, ut per ea quæ sumpsimus æterna remedia capiamus. Per.

XI.

ORAT. IN NATAL.

Valentini, Vitalis, et Filiculæ.

XVI Kal. Mart.

Tuorum nos, Domine, quæsumus, precibus tuere sanctorum, ut festa Martyrum tuorum Valentini, Vitalis et Filiculæ, sine cessatione venerantes, et fideli muniamur auxilio, et magnifico proliciamus exemplo. Per.

Secreta.

Ad martyrum tuorum Valentini, Vitalis et Filiculæ, Domine, festa venientes, cum muneribus nomini tuo dicatis occurrimus, ut illis reverentiam deferentes, nobis veniam impetremus. Per Dominum.

Postcommun.

Protege, Domine, plebem tuam, et festivitatem martyrum tuorum Valentini, Vitalis et Filiculæ, quam nobis tradis [a] assiduæ debita tibi persolvi, precibus concede sanctorum. Per Dominum.

XII.

IN NATAL. SANCTÆ JULIANÆ.

XIII Kal. Martias.

Omnipotens sempiterne Deus, qui eligis infirma mundi, ut fortia quæque confundas, da nobis in festivitate sanctæ martyræ tuæ Julianæ congrua devotione gaudere ut, et potentiam tuam in ejus passione laudemus, et provisum nobis percipiamus auxilium. Per.

Secreta.

In sanctæ martyræ tuæ Julianæ passione pretiosa te, Domine, mirabilem prædicantes, munera votiva deferimus; præsta, quæsumus, ut sicut ejus tibi grata sunt merita, sic nostræ servitutis accepta reddantur officia. Per

Postcommun.

Libantes, Domine, mensæ tuæ beata mysteria, quæsumus ut sanctæ Julianæ martyræ tuæ interventionibus temporalem et præsentem nobis misericordiam conferant et æternam. Per.

[a] Lege : *assidue debitam.*
[b] legendum : *saltem, et.*
[c] Lege : *præconio*, vel *præconiis.*

A XIII.

IN NATAL. SANCTÆ PERPETUÆ ET FELICITATIS.

Non. Martias.

Da nobis, Domine Deus noster, sanctorum martyrum palmas incessabili veneratione venerari, et quos digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem [b] frequentibus obsequiis veneremur. Per.

Secreta.

Intende, Domine, munera, quæsumus, altaribus tuis pro sanctarum tuarum Felicitatis, Perpetuæ commemoratione proposita, ut sicut per hæc beata mysteria illis gloriam contulisti, nobis indulgentiam largiaris. Per

Postcommun.

B Præsta nobis, Domine, quæsumus, intercedentibus sanctis, ut quæ ore contingimus pura mente capiamus. Per.

XIV.

IN ADNUNCIATIONE

Sanctæ Mariæ matris Domini nostri Jesu Christi.

VIII *Kal. Aprilis.*

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui per beatæ Mariæ sacri uteri divinæ gratiæ obumbrationem universum mundum inluminare dignatus es; majestatem tuam supplices exoramus, ut quod nostris meritis non valemus obtinere, ejus adipisci præsidiis mereamur. Per.

Te, quæsumus, Domine, famulantes, prece humili auxilium implorantes, et beatæ semper virginis C Mariæ nos gaudia comitentur solemniis, cujus [c] præconia ac meritis nostra deleantur chirographa peccatorum,[d] atque rubiginem scelerum moliviciarum igne compunctionis tui amore mundemur incursu. Per.

Secreta.

Oblationes nostras, quæsumus, Domine, propitiatus intende, quas in honore beatæ et gloriosæ semper virginis Dei genitricis Mariæ, annua solemnitate deferimus, et coæternus Spiritus sanctus tuus, qui illius viscera splendore suæ gratiæ veritatis replevit, nos ab omni facinore delictorum emundet benignus. Per.

Postcommun.

D Quos cælesti, Domine, alimento satiasti, intercedente beata et gloriosa semperque virgine Dei genitrice Maria, ab omni nos, quæsumus, adversitate custodi. Per Dominum.

Orationes ad vesperum.

Beatæ et gloriosæ semperque virginis Dei genitricis Mariæ nos, Domine, quæsumus, merita prosequantur, et tuam nobis indulgentiam semper implorent. Per Dominum.

Beatæ et gloriosæ semperque virginis Dei genitricis Mariæ, quæsumus, omnipotens Deus, interces-

[d] Locus valde mendosus, et nonnisi ex aliis Codicibus emendandus.

sio nos gloriosa protegat, et ad vitam perducat æternam. Per Dominum.

Porrige nobis, Deus, dexteram tuam et per intercessionem beatæ et gloriosæ semperque virginis Dei genitricis Mariæ, auxilium nobis supernæ virtutis impende. Per.

XV.

IN NATIVITATE [a] SANCTÆ EUPHIMIÆ.

Id. Aprilis.

Concede nobis, omnipotens Deus, sanctæ martyris Euphimiæ et exultare meritis, et beneficia referre suffragiis. Per Dominum nostrum.

Annue, quæsumus, Domine, ut sanctæ martyris Euphimiæ tibi placitis deprecationibus adjuvemur.

Foveat nos, Domine, sanctæ martyris Euphimiæ jocunda solemnitas et pietati tuæ commendare non desinat. Per.

Secreta.

Muneribus, Domine, te magnificamus oblatis, quibus in sanctæ nobis solemnitatibus Euphimiæ et gaudia superna concilias, et patrocinia sempiterna largiaris. Per.

Item alia.

Benedictio tua, Domine, larga descendat, quæ munera nostra, deprecante beata Euphimia, tibi reddat accepta, et nobis sacramentum redemptionis efficiat. Per.

Postcommun.

Sanctæ nos martyris Euphimiæ precatio tibi, Domine, grata comitetur, et tuam nobis indulgentiam poscere non desistat. Per.

XVI.

IN NATAL. PHILIPPI ET JACOBI APOSTOLORUM.

Kalend. Madias.

Deus, qui es omnium sanctorum tuorum splendor mirabilis, quique hunc diem beatorum apostolorum Philippi et Jacobi martyrio consecrasti, da Ecclesiæ tuæ de natalitio tantæ festivitatis lætari, et apud misericordiam tuam et exemplis eorum et meritis adjuvemur. Per.

Omnipotens Deus, ut sancti nos Jacobi lætificet ac Philippi festiva solemnitas, et quorum suffragiis nitimur natalitiis gloriemur. Per.

Secreta.

Respice, Domine, munera, quæ in sanctorum apostolorum tuorum Philippi et Jacobi commemoratione deferimus, ut quorum honore sunt grata, eorum nobis fiant intercessione perpetua. Per.

Præfatio.

[b] Quia tui est operis, tuæque virtutis, ut beatorum apostolorum Jacobi, et Philippi gloriosa confessio usque in finem sæculi nobis capiat regni cælestis augmentum. Per Christum.

Postcommun.

Beatorum apostolorum, Domine, quæsumus, intercessione nos adjuva, pro quorum solemnitate percipimus tua sancta lætantes. Per.

XVII.

IN NATALE SANCTI JUVENALIS.

V Nonas Madias.

Beati nos, quæsumus, Domine, Juvenalis et confessio semper prosit et meritum. Per.

Annue, quæsumus, Domine, ut merita tibi placita sancti confessoris et episcopi tui Juvenalis pro gregibus, quos sincero mysterio gubernavit, pietatem tuam semper exorent. Per.

Secreta.

Hostias nostras, quæsumus, Domine, sanctus pontifex Juvenalis nomini tuo reddat acceptas, qui eas tibi digne complacuit offerendas. Per.

Postcommun.

Læti, Domine, sumpsimus sacramenta cælestia, quæ nobis, intercedente beato Juvenale confessore tuo atque pontifice, uberius confidimus profutura. Per.

XVIII.

DE INVENT. SANCTÆ CRUCIS.

Item. V Non. Madias.

Deus, qui in præclara salutiferæ crucis inventione passionis tuæ miracula suscitasti, concede ut vitalis ligni pretio æternæ vitæ suffragia consequamur. Per.

Deus, cui cunctæ obediunt creaturæ, et [c] omnia in Verbo tuo fecisti in sapientia, supplices quæsumus ineffabilem clementiam tuam, ut quos per lignum sanctæ crucis, Filii tui pio cruore, es dignatus redimere, tu qui es lignum vitæ, Paradisi reparator, omnibus intercedentibus dira serpentis venena extingue, et per gratiam Spiritus poculum salutis semper infunde. Per.

Secreta.

Sacrificium, Domine, quod immolamus, placatus intende, ut ab omni nos exuat bellorum nequitia, et per vexillum sanctæ crucis Filii tui, ad conterendas potestatis adversariorum insidias, nos in tuæ protectionis securitate constituat. Per.

Postcommun.

Repleti alimonia cælesti, et spiritali poculo recreati, quæsumus, omnipotens Deus, ut ab hoste maligno defendas quos per lignum sanctæ crucis Filii tui, arma justitiæ pro salute mundi, triumphare jussisti. Per.

XVIIII.

IN NATAL. SANCTORUM NEREI ET ACHILEI FRATRUM, ET SANCTI PANCRATII.

IIII Id. Madias.

Semper nos, Domine, martyrum tuorum Nerei et Achillei foveat, quæsumus, beata solemnitas, et tuo dignos reddat obsequio. Per.

[a] Lege : IN NAT.

[b] Sic emendatum ex Ambrosiana missa. In Exemplari mendose scribitur : *Qui tibi et operis tuæque virtutis.*

[c] Apud Pamelium : *et qui.*

Secreta.

Sanctorum tuorum, Domine, Nerei, et Achillei tibi grata confessio, et munera nostra commendet, et tuam nobis indulgentiam semper imploret Per.

Postcommun.

Quæsumus, Domine, ut beatorum martyrum tuorum Nerei et Achillei deprecationibus sacramenta sancta, quæ sumpsimus, ad tuæ nobis proficiant placationis augmentum. Per

XX.

IN NATAL. SANCTORUM PETRI, ET MARCELLINI

IIII Non. Junias.

Lætetur Ecclesia tua, Deus, martyrum tuorum Petri et Marcellini confisa suffragiis, atque eorum precibus gloriosis et devota permaneat, et secura consistat. Per.

Secreta.

Votiva, Domine, munera deferentes in tuorum Petri et Marcellini Martyrum [a] passione, et tuam magnificentiam veneramur, et per eam nobis imploramus tuæ pietatis auxilium. Per.

Postcommun.

Quæsumus, Domine, ut salutaribus repleti mysteriis, quorum solemnia celebramus, orationibus adjuvemur. Per Dominum nostrum.

Intercedentibus sanctis tuis, Domine, plebi tuæ præsta subsidium, ut ab omnibus noxiis expedita, cuncta sibi profutura percipiat. Per.

XXI.

ITEM IN SANCTORUM CYRINI, NABORIS ET NAZARI.

Prid. Id. Junias.

Sanctorum Cyrini, Naboris et Nazari, quæsumus, Domine, natalitia nobis [b] vota resplendeant; et quod illis contulit excellentiam sempiternam fructibus nostræ devotionis crescat. Per Dom.

Secreta.

Pro sanctorum Cyrini, Naboris et Nazari sanguine venerando hostias tibi, Domine, solemniter immolamus, tua mirabilia pertractantes [c] per quam talis est perfecta victoria. Per.

Postcommun.

Semper, Domine, sanctorum martyrum Cyrini, Naboris et Nazari, solemnia [d] celebramus et eorum patrocinia jugiter sentiamus. Per.

XXII.

IN NATAL. SANCTI VITI.

XVII Kal. Jul.

Da Ecclesiæ tuæ, Domine, quæsumus, sancto Vito intercedente, superbe non sapere, sed tibi placita humilitate proficere, ut proterva despiciens, quæcumque matura sunt libera exerceat charitate. Per.

A *Secreta.*

[e] Sicut gloriæ divinæ potentiæ munera pro sanctis oblata testentur, sic nobis effectum, Domine, tuæ salvationis impendant. Per.

Postcommun.

Refecti, Domine, benedictione solemni, quæsumus, ut per intercessionem sancti Viti medicina sacramenti et corporibus nostris prosit et mentibus. Per.

XXIII.

IN NATAL. SANCTORUM MARCI ET MARCELLIANI

XIIII Kal. Julias.

Sanctorum tuorum nos, Domine, Marci et Marcelliani natalitia tueantur, quia tanto fiducialius tuo
B nomini supplicamus, quanto frequentius martyrum benedictionibus confovemur. Per.

Secreta.

Suscipe, Domine munera tuorum populorum votiva, et sanctorum Marci et Marcelliani tibi precibus esse grata concede, pro quorum solemnitatibus offeruntur. Per.

Postcommun.

Libantes, Domine, mensæ tuæ beata mysteria quæsumus ut beatorum interventione sanctorum Marci et Marcelliani et temporalem nobis misericordiam conferant et æternam. Per.

XXIIII.

C IN VIGIL. SS. MARTYRUM GERBASI ET PROTASI.

Item XIIII Kal. Julias.

Martyrum tuorum, Domine, Gerbasi, et Protasi natalitia præeuntes, supplices te rogamus, ut quos cælesti gloria sublimasti, tuis adesse concede fidelibus. Per.

Sanctorum Gerbasi et Protasi suffragiis imploremus, ut ad cunctis, Domine, liberemur offensis. Per.

Secreta.

Sacrificium, Domine, quod pro sanctis [f] martyribus Gerbasi et Protasi prævenit nostra devotio, eorum [g] merita nobis augeat te donante, suffragium. Per

Postcommun.

D Sumpti sacrificii, Domine, perpetua nos tuitio non relinquat, et noxia semper a nobis cuncta depellat. Per.

ITEM IN NATAL.

Ut supra.

XIII Kal. Julias.

Sanctorum martyrum nos, Domine, Gerbasi et Protasi confessio beata communiat, et [h] fragilitatis nostræ subsidium dignanter exoret. Per.

[a] Pamelius rectius legit: *passione, tuam*
[b] Idem: *votiva resplendeant.*
[c] Pamelius: *per quem*
[d] Apud eumdem: *celebremus.*
[e] In Ambrosiana missa apud Pamelium habetur: *Majestatem tuam suppliciter imploramus omnipotens Deus, ut sicut gloriam.*
[f] In prælaudata missa: *martyribus tuis Protasio et Gervasio.*
[g] Eadem missa: *merito.*
[h] In eadem missa: *fragilitati.*

Secreta.

Concede nobis, omnipotens Deus, ut his muneribus, quæ pro sanctorum martyrum Gerbasi, et Protasi honore deferimus, et te placemus exhibitis et nos vivificemur acceptis. Per.

Postcommun.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut mysteriorum virtute sanctorum Gerbasi et Protasi vita nostra firmetur. Per.

XXV.

IN VIGIL. S. JOHANNIS BAPTISTÆ.

VIII Kal. Julii.

Præsta, quæsumus, Domine, ut populus tuus ad plenæ devotionis effectum beati Baptistæ Johannis natalitiis præparetur, quem præmisisti Filio tuo parare plebem perfectam [a] Jesum Christum.

Beati Johannis Baptistæ nos, Domine, præclara comitetur oratio, et quem venturum esse prædixit, poscat nobis facere placatum. Per

Secreta.

Munera populi tui, Domine, propitiatus intende, et beati Baptistæ Johannis, cujus nos tribuis præire solemnia, fac gaudere suffragiis. Per.

Postcommun.

Da, quæsumus, misericors Deus, ut mysticis Ecclesiæ tuæ beati Baptistæ Johannis exordiis, et sacris erudita præconiis, ad iram venturi judicii declinandam, dignos salutis fructus jugiter operetur. Per.

Beati nos, Domine, Baptistæ Johannis oratio et intelligere Christi tui mysterium postulet et mereri. Per.

XXVI.

ITEM IN NATAL.

Unde supra.

Deus, qui præsentem diem honorabilem nobis in beati Johannis nativitate fecisti, da populis tuis spiritalium gratiam gaudiorum, et omnium fidelium mentes dirige in viam salutis et pacis. Per Dominum.

Omnipotens sempiterne Deus qui instituta legalia et sanctorum præconia prophetarum in diebus beati Baptistæ Johannis implesti, præsta, quæsumus, ut, cessantibus significationum figuris, ipsa sui manifestatione Veritas eloquatur Jesus Christus Dominus noster. Qui tecum.

Secreta.

Tua, Domine, muneribus altaria cumulamus, sancti Johannis nativitatem honore debito celebrantes, qui Salvatorem mundi et cecinit adfuturum, et adesse monstravit Jesum Christum.

Postcommun.

Sumat Ecclesia tua, Deus, Beati Johannis Baptistæ generationis lætitiam per quem suæ regenerationis cognovit auctorem. Per.

Sancti Johannis natalitia celebrantes supplices te, Domine, deprecamur, ut hoc idem nobis semper et indulgentiæ causa sit et salutis. Per.

ISTA IN VIGIL. S. JOHANNIS.

Beati Johannis Baptistæ nos, quæsumus, Domine, præclara comitetur oratio, quem venturum esse prædixit, poscat nobis ab eo sempiternum remedium. Per.

XXVII.

IN VIGIL. MARTYRUM JOHANNIS ET PAULI.

VII Kal. Jul.

Beatorum martyrum Johannis et Pauli natalitia veneranda, quæsumus, Domine, Ecclesia tua devota suscipiat, et fiat magnæ glorificationis amore devotior. Per.

Beatorum martyrum tuorum Johannis, et Pauli nos, Domine, merita prosequantur, et tuam nobis indulgentiam semper implorent. Per.

Secreta.

Sint tibi, quæsumus, Domine, nostri munera grata jejunii, qualiter tunc eadem in sanctorum tuorum Johannis, et Pauli digna commemoratione deferimus, si actus illorum pariter subsequamur. Per Dominum.

Postcommun.

Protege, Domine, plebem tuam, et quam martyrum tuorum Johannis, et Pauli adsidua tribuis festivitate devotam, tibi semper placitam fieri, precibus concede iustorum. Per.

XXVIII.

ITEM IN NATAL. EORUMDEM.

VI Kal. Jul.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut nos geminata lætitia hodiernæ festivitatis excipiat, quæ beatorum Johannis et Pauli glorificatione procedit, quos eadem fides et passio fecit esse germanos. Per.

Secreta

Hostias altaribus tuis, Domine, placationum [b] imponemus, potentiam tuam in sanctorum tuorum passionibus honorando, et per eos nobis implorando veniam peccatorum. Per Dominum.

Postcommun.

Sumpta munera, Domine, nostra sanctificatione tuorum precibus concede sanctorum. Per.

Cælesti munere satiati, quæsumus, Domine Deus noster, ut [c] hæc dona martyrum tuorum Johannis et Pauli deprecatione sanctificent. Per Dominum.

XXVIIII.

IN VIGIL. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

III Kal. Julias.

Deus, qui nobis apostolorum beatorum Petri et Pauli natalitia gloriosa præire concedis, tribue, quæsumus, eorum nos semper et beneficiis præveniri, et orationibus adjuvari. Per.

Secreta.

Munera, Domine, tuæ glorificationis offerimus, quæ tibi pro nostris grata jejuniis, sanctorum apostolorum, quæsumus, deprecatio, quorum solemnia prævenimus, efficiat. Per.

[a] Apud Pamelium : *Jesu Christo Domino nostro.*
[b] Apud Menardum : *imponimus.*
[c] Pamelius habet : *ut nos.*

Postcommun. A

Beatorum Petri et Pauli honore continuo plebs tua semper exultet, et his præsulibus gubernetur, quorum doctrinis gaudet et meritis. Per Dominum.

XXX.

ITEM IN NATAL. SANCTI PETRI

proprie.

III Kal. Julias.

Deus, qui beato apostolo tuo Petro, conlatis clavibus regni cœlestis, animas ligandi atque solvendi pontificium tradidisti, concede ut intercessionis ejus auxilio a peccatorum nostrorum nexibus liberemur. Per.

Secreta.

B Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Domine, preces et nostias beati Petri apostoli commendet oratio, ut quod pro illius gloria celebramus, nobis prosit ad veniam. Per.

Postcommun.

Lætificet nos, Domine, munus oblatum, ut sicut in apostolo tuo Petro te mirabilem prædicamus, sic per illum tuæ sumamus indulgentiæ largitatem. Per.

XXXI.

IN NATALI APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

III Kal. Julias.

Deus, qui hunc diem beatorum apostolorum Petri et Pauli martyrio consecrasti, da Ecclesiæ tuæ toto terrarum orbe diffusæ, eorum semper magisterio gubernari, per quos sumpsit religionis exordium. Per.

C Largiente te, Domine, beatorum Petri et Pauli natalitium nobis effulsit; concede, quæsumus, ut hodierna gloria passionis, sicut illis magnificentiam tribuit sempiternam, ita nobis munimen operetur perpetuum. Per.

Secreta.

Oblationes populi tui, Domine, quæsumus, beatorum apostolorum Petri et Pauli passio beata conciliet, et quæ nostris non apta sunt meritis, fiant tibi placita tuorum deprecatione justorum. Per.

Præfatio.

VD Apud quem cum beatorum apostolorum continuata festivitas et æterna celebritas, atque triumphi cælestis perpetuus sit natalis, non tamen beatæ confessionis initia recolentes frequenti tribuas devotione gaudere, ut crebrior honor sacratissimæ passioni repensus, majorem nobis retributionis gratiam largiatur. Per.

D *Postcommun.*

Sumptis, Domine, remediis sempiternis, tuorum mundentur corda fidelium, ut [a] apostolice Petri et Pauli natalis insignia, quæ corporalibus officiis exequuntur, pia cordis intelligentia comprehendant. Per.

Item alia.

Sumpsimus, Domine, pignus salutis æternæ, celebrantes apostolorum Petri et Pauli votiva solemnia, et perpetua merita venerantes. Per

XXXII

ITEM IN NATAL. SANCTI PAULI

proprie.

III Kal. Julias.

Deus, qui multitudinem gentium beati Pauli apostoli prædicatione docuisti, da nobis, quæsumus, ut qui ejus natalitia colimus ejus apud te patrocinia sentiamus. Per.

Majestatem tuam, Domine, supplices exoramus, ut sicut Ecclesiæ tuæ sanctus apostolus Paulus extitit prædicator, ita sit nobis perpetuus suffragator. Per

Secreta.

Præveniant nobis, Domine, quæsumus, Apostoli tui desiderata commercia, ut quorum perpetuam dignitatem sacro mysterio frequentamus in terris, et præsentia nobis subsidia postulent, et æterna. Per.

Postcommun.

Perceptis, Domine, sacramentis, subdito corde rogamus et petimus ut, intercedente beato Paulo apostolo tuo, nobis proficiant ad medelam, quæ pro illius gesta sunt passione. Per.

XXXIII.

ORATIONES

Ad vesperum.

Deus, qui ligandi solvendique licentiam tuis apostolis contulisti, da, quæsumus, ut per ipsos a terrenis vitiis expediti [b], liberi possimus cælestibus interesse mysteriis. Per.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos beatorum apostolorum Petri et Pauli multiplici facis celebritate gaudere, da, quæsumus, ut eorum sæpius iterata solemnitas nostræ sit tuitionis augmentum. Per.

Apostolicis nos, Domine, quæsumus, beatorum Petri et Pauli adtolle presidiis, ut quanto fragiliores sumus, tanto validioribus auxiliis foveamur. Per Dominum.

Concede, quæsumus, Domine, apostolis tuis, intervenire pro nobis, quia tunc nos salvari posse confidimus, si eorum precibus tua gubernetur Ecclesia, quibus utitur, te constituente, principibus. Per Dominum.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium apostolorum merita sub una tribuisti celebritate venerari, quæsumus ut celeriter nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris. Per.

Exaudi nos, Deus, salutaris noster, et apostolorum tuere præsidiis, quorum donasti fideles esse doctrinis. Per.

Solemnitatis apostolicæ multiplicatione gaudentes, clementiam tuam deprecamur, omnipotens Deus, ut tribuas jugiter nos eorum et confessione benedici, et patrociniis confoveri. Per.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui jugiter apostolica defensione munimur, nec succumbamus vitiis, nec opprimamur adversis. Per.

[a] Apud Pamelium : *apostolorum*

[b] Lege : *expeditique.*

XXXIIII.

ITEM DE VIGIL. OMNIUM APOSTOLORUM.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut apostolorum tuorum *illorum* gloriosa natalitia prævenimus, sic ad tua beneficia promerenda Majestatem tuam pro nobis ipsi præveniant. Per.

Secreta.

Muneribus nostris, Domine, apostolorum *illorum* festa præcedimus, ut quæ conscientiæ nostræ præpediuntur obstaculis, illorum meritis grata reddantur. Per.

Postcommun.

Sumpto, Domine, sacramento, suppliciter deprecamur, ut, intercedentibus beatis apostolis, quod temporaliter gerimus, ad vitam capiamus æternam. Per.

XXXV.

ITEM IN NATAL. OMNIUM APOSTOLORUM.

Deus, qui nos per beatos apostolos ad cognitionem tui nominis venire tribuisti, da nobis eorum gloriam sempiternam et [a] proficiendo celebrare, et celebrando proficere. Per.

Secreta.

Gloriam, Domine, sanctorum apostolorum perpetuam præcurrentes, quæsumus ut eamdem, sacris mysteriis expiati, dignius celebremus. Per Dominum.

Præfatio.

Qui Ecclesiam tuam sempiterna pietate non [b] deserens, per apostolos tuos jugiter eam et erudis et protegis. Et ideo cum angelis.

Postcommun.

Perceptis, Domine, sacramentis, suppliciter rogamus, ut, intercedentibus beatis apostolis tuis, quæ pro illorum veneranda gerimus passione, nobis proficiant ad medelam. Per.

XXXVI.

IN OCTAB. APOSTOL.

Prid. Non. Julii.

Deus, cujus dextera beatum Petrum apostolum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit, et coapostolum ejus Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberavit, concede propitius ut amborum meritis [c] æternam Trinitatis gratiam consequamur. Per.

Secreta.

Offerimus sacrificium, Domine, quod pro reverentia apostolorum Petri et Pauli Majestati tuæ jugiter et reddimus et debemus. Per Dominum nostrum.

Suppliciter exorantes, ut gregem tuum, Pastor æterne, non deseras, [d] et per beatos apostolos continua protectione custodias, ut iisdem rectoribus [e] dirigantur, quos operis tui vicarios [f] iisdem contulisti præesse pastores. Per.

Postcommun.

Pignus æternæ vitæ capientes humiles imploramus, ut, apostolicis fulti patrociniis, quod imagine contingimus sacramenti, manifesta perceptione sumamus. Per.

XXXVII.

IN NATAL. SANCTORUM SIMPLICI, FAUSTINI ET VIATRICIS.

V Kal., seu potius IV Kal. August.

Præsta, Domine, quæsumus, ut sicut populus Christianus martyrum tuorum Simplici, Faustini et Viatricis, temporali solemnitate congaudet, ita perfruatur æterna, et quod votis celebrat, comprehendat effectu. Per Dominum.

Secreta.

Hostias tibi, Domine, pro sanctorum martyrum Simplici, Faustini et Viatricis, commemoratione deferimus, [g] suppliciter obsecrantes, ut et indulgentiam nobis pariter conferant et salutem. Per.

Postcommun.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut sanctorum tuorum Simplici, Faustini et Viatricis, cælestibus mysteriis celebrata solemnitas indulgentiam nobis tuæ propitiationis adquirat. Per Dominum.

XXXVIII.

IN NATAL. ABDO, ET SENIS.

III Kal. August.

Sancti tui nos, Domine, Abdo et Senis piis orationibus prosequantur, et ab hujus vitæ periculis jugiter postulent expediri. Per.

Præsta, quæsumus, Domine, ut Ecclesia tua, martyrum tuorum Abdo et Senis confisa suffragiis, devota permaneat, et eorum precibus gloriosis secura consistat. Per.

Secreta.

Munera tibi, Domine, pro sanctorum martyrum Abdo et Senis occisione deferimus, qui, dum finiuntur in terris, facti sunt cælesti luce perpetui. Per.

Postcommun.

Populum tuum, Domine, perpetua munitione defende; nec [h] difficulter quod pie, quod juste, postulat consequatur, cui sanctorum tuorum merita suffragantur. Per.

XXXVIIII.

IN NATAL. MACHABÆORUM.

Kal. Augustas.

Deus, qui in sanctis habitas, et pia corda non deseris, suscipe propitius orationem nostram, et tribue misericordiam tuam, ut, te custode, servati, ab omnibus vitæ hujus periculis liberemur. Per Dominum.

Secreta.

Fiant, Domine, tuo grata conspectui munera sup

[a] Ita correximus, nam in exemplari perperam legitur : *perficiendo.*

[b] Sic emendavimus, cum Exemplar mendose habeat : *deseres.*

[c] Apud Pamelium et Menardum : *æternitatis gloriam.*

[d] Menardus legit : *sed per.*

[e] Apud eumdem : *gubernetur.*

[f] Menardo : *eidem.*

[g] Lege : *simpliciter.*

[h] Sic emendavimus ex Menardo. Exemplar mendose scribit : *difficultas.*

plicantis Ecclesiæ, et ut nostræ proficiant saluti, adsit intercessio beatorum sanctorum tuorum. Per.

Postcommun.

Cœlesti munere satiati, quæsumus, Domine Deus noster, ut hæc nos dona, martyrum tuorum deprecatione, sanctificent. Per.

XL.

IN NATAL. S. SYXTI.

VIII Id. August.

Beati Syxti, Domine, tui sacerdotis et martyris annua festa recolentes, quæsumus ut quæ tuorum nobis sunt instrumenta præsentium, fiant æternarum patrocinia gratiarum. Per.

Sancti Syxti, Domine, frequentata solemnitas, et de sacerdotalibus nos instruat, te miserante, doctrinis, et de gloria martyrii foveat ubique suffragiis. Per Dominum.

Secreta.

Suscipe, Domine, munera propitiatus oblata, quæ majestati tuæ beatus Syxtus sacerdos commendat et martyr. Per.

Postcommun.

Repleti sumus, Domine, munere solemnitatis optatæ, qua beati Syxti et celebritate juvamur et precibus. Per.

XLI.

IN NATAL. SANCTI DONATI.

VII Id. August.

Adesto, Domine, precibus nostris, quas in sancti confessoris et episcopi tui Donati commemoratione deferimus, ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, qui tibi placuit meritis adjuvemur. Per Dominum.

Deus, tuorum gloria sacerdotum, præsta, quæsumus, ut sancti confessoris et episcopi tui Donati, cujus festa gerimus, sentiamus auxilium. Per.

Secreta.

Præsta, quæsumus, Domine, ut sancti confessoris et episcopi tui Donati, quem ad laudem nominis tui dicatis muneribus honoramus, piæ nobis devotionis fructus adcrescat. Per.

Postcommun.

Votiva, Domine, pro beati confessoris tui et episcopi Donati percipimus, quæsumus, ut ejus precibus et præsentis vitæ nobis pariter et æternæ tribuas conferre præsidium. Per Dominum.

XLII.

IN VIGIL. SANCTI LAURENTI.

V Id. Augusti.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati Laurenti martyris tui, quam prævenimus, veneranda solemnitas, et devotionem nobis augeat et salutem. Per.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut nostra devotio, quæ natalitia beati Laurenti martyris antecedit, patrocinia nobis ejus accumulet. Per.

Beati Laurenti martyris tui, Domine, geminata gratia nos refoveat, quam glorificationis ejus, et optatis præimus officiis, et desideranter expectemus adventum. Per.

Secreta.

Magnifica, Domine, beati Laurenti solemnia recensemus, quæ promptis cordibus ambientes, oblatis muneribus et suscipimus et præimus. Per.

VD Gloriosi Laurenti martyris pia certamina præcurrendo. Cujus honorabilis annua recursione solemnitas, et perpetua semper, et nova est, quia et in conspectu tuæ Majestatis permanet mors tuorum pretiosa justorum et [a] restaurantur incrementa lætitiæ, cum felicitatis æternæ recoluntur exordia. Et ideo cum angelis.

Postcommun.

Sancta tua, Domine, beati Laurenti martyris pretiosa passione, et solemnia quæ præimus, nos refovent, quibus et jugiter sociamur, et semper desideramus expleri. Per.

XLIII.

ITEM IN NATAL. EJUSDEM.

IIII Id. Augustas.

Deus, cujus charitatis ardore beatus Laurentius edaces incendii flammas, contempto persecutore, devicit, concede propitius ut omnes qui martyrii ejus merita veneramur, protectionis tuæ auxilio muniamur. Per.

Deus, qui mundi creator et rector es, et hunc diem in Levitæ tui Laurenti martyrio consecrasti, concede propitius ut omnes qui martyrii ejus merita veneramur, [b] ut intercessionibus ejus ab æternis gehennæ incendiis liberemur. Per

Secreta.

Præsta, quæsumus, Domine, ut beati sancti Laurenti suffragiis in nobis tua munera tueraris, [c] pro cujus honoranda confessione hostias tibi laudis offerimus. Per.

VD In die solemnitatis hodiernæ, qua beati Laurenti hostiam tibi placitam et castam corpore glorioso certamine suscepisti, prunis namque superposita stridebant membra viventia, nec tamen erat pœna patientis, sed piæ confessionis incessus; neque terreno [d] liberari cruciatu martyr optabat, sed coronari deprecabatur in cœlis. Per Christum Dominum.

Postcommun.

Votiva, Domine, pro beati martyris tui Laurenti passione dona percipimus; quæsumus ut ejus precibus et præsentis vitæ nobis pariter et æternæ tribuas conferre præsidium. Per.

ORATIONES

Ad vesper.

Sancti Laurenti nos, Domine, sancta precatio tueatur, et quod nostra conscientia non meretur, ejus nobis, qui tibi placuit, oratione donetur. Per.

Adsit nobis, Domine, quæsumus, sancti Laurenti martyris [e] in tua glorificatione benedictio, cujus

[a] Lege : *restaurata.* — Correximus, quia vitiose.
[b] Apud Pamelium deest *ut.*
[c] Lege : *propitius.* — Quia perperam, emendavimus.
[d] Ita correximus. In Exemplari minus recte : *liberato.*
[e] Apud Pamelium : *sua glorificatione.*

nobis est hodie facta suffragium in tua virtute confessio. Per.

Præsta, quæsumus, Domine, ut semper nobis beati Laurenti lætificent votiva martyria, quæ semper esse non desinunt admiranda. Per Dominum.

XLIIII.

IN NATAL. SANCTI TIBURTI.

III Id. August

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos sancti martyris tui Tiburti festivitate lætificas, præsta ut cujus commemoratione gaudemus, præsidio muniamur. Per.

Secreta.

Respice, Domine, munera, quæ in sancti Tiburti commemoratione deferimus, ut cujus honore sunt grata, ejus nobis fiant intercessione perpetua. Per.

B

Postcommun.

Prosit nobis, Domine, sancti Tiburti celebrata solemnitas, quia quanto fragiliores sumus, tanto placentium tibi præsidiis indigemus. Per.

XLV

IN NATAL. SANCTI YPOLITI.

Id. August.

Sancti Ypoliti martyris, Domine, quæsumus, veneranda festivitas, salutaris auxilii nobis præstet augmentum. Per.

Secreta.

Præsta nobis, quæsumus, omnipotens Deus, ut nostræ humilitatis oblatio et pro tuorum grata sit honore sanctorum, et nos corpore pariter et mente purificet. Per.

C

Postcommun.

Sumptis, Domine, sacramentis, quæsumus ut, intercedente beato martyre tuo Ypolito, ad redemptionis æternæ proficiamus augmentum.

XLVI.

IN OCTAB. SANCTI LAURENTI.

XVI Kal. Septemb.

Beati Laurenti nos faciat, Domine, passio veneranda lætantes, et ut eam sufficienter recolamus, efficiat. Per.

Iterata festivitate beati Laurenti natalitia veneramur, quæ in cælesti beatitudine fulgere novimus sempiterna. Per

Secreta.

D

Beati Laurenti martyris honorabilem passionem muneribus, Domine, geminatis exequimur, quæ licet propriis sit memoranda principiis, indesinenter tamen permanet gloriosa. Per.

VD Quoniam tanto jucunda sunt, Domine, beati Laurenti martyris crebrius repetita solemnia, quanto nobis ejus sine cessatione prædicanda sunt merita. Et ideo cum angelis.

Postcommun.

[a] Solemne nobis intercessio beati Laurenti martyris, quæsumus, Domine, præstet auxilium, ut

A cælestis mensæ participatio, [b] quæ sumpsimus, tribuat Ecclesiæ tuæ recensita lætitia. Per

XLVII.

IN ADSUMPT. SANCTÆ MARIÆ.

XVIII Kal. Septemb.

Deus, qui spe salutis æternæ beatæ Mariæ virginitate fœcunda, humano generi præmia præstitisti, tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis apud te intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ nostræ suscipere. Per Dominum

Omnipotens sempiterne Deus, qui terrenis corporibus Verbi tui veritatis Filii Unigeniti per venerabilem ac gloriosam [c] semper virginem Mariam ineffabile mysterium conjungere voluisti, petimus immensam clementiam tuam, ut quod in ejus veneratione deposcimus, te propitiante, consequi mereamur. Per.

Secreta.

Accipe munera, Domine, quæ in beatæ Mariæ iterata solemnitate deferimus, quia ad tua præconia recurrit ad laudem, quod vel talis adsumpta est. Per.

Postcommun.

Cælesti munere [d] satiati, omnipotens Deus, [e] tua protectione custodi, et castimoniæ, pacem mentibus nostris atque corporibus, intercedente sancta Maria, propitiatus indulge; et veniente sponso Filio tuo Unigenito, accensis lampadibus ejus digni præstolemur occursum. Per.

XLVIII.

IN NATAL. SANCTI AGAPITI.

XV Kal. Septemb.

Sancti martyris Agapiti merita nos, Domine, pretiosa tueantur, in quibus tuæ Majestatis opera prædicantes, et præsens captamus adjutorium et futurum. Per.

Secreta.

Munera tibi, Domine, pro sancti martyris Agapiti passione deferimus, qui dum finitur in terris, factus est cælesti sede perpetuus. Per.

Postcommun.

Sumpti sacrificii, Domine, perpetua nos tuitio non relinquat, et noxia semper a nobis cuncta depellat. Per.

XLVIIII.

IN NATAL. SANCTI MAGNI.

XIIII Kal. Septemb.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et, intercedente beato Martyre tuo Magno, ab hostium nos defende propitiatus incursu. Per.

Secreta.

Grata tibi sint munera nostra, Domine, quæ et tuis sint instituta præceptis, et beati Magni festivitas gloriosa commendet. Per.

Postcommun.

Tua sancta sumentes, quæsumus, Domine, ut beati Magni nos foveant continuata præsidia. Per.

[a] Apud Pamelium : *solemnis.*
[b] Eidem : *quam sumsimus.*
[c] Ambrosiana missa : *semperque.*

[d] In eadem missa : *satiatos*
[e] Eadem : *tua nos.*

L.

IN NATAL. SANCTI RUFFI.

VI Kal. Septemb.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et beati Ruffi intercessionibus confidentes, nec minis adversantium, nec ullo conturbemur incursu. Per.

Secreta.

Intercessio, quæsumus, Domine, sancti tui Ruffi munera nostra commendet, nosque in ejus veneratione tuæ Majestati reddat acceptos. Per.

Postcommun.

Sumentes gaudia sempiterna de participatione sacramenti, et festivitate beati martyris tui Ruffi, suppliciter deprecamur, ut quæ sedula servitute, donante te, gerimus, dignis sensibus tuo munere capiamus. Per Dominum.

LI.

IN NATAL. SANCTI HERMIS.

V Kal. Septemb.

Sancti nos, quæsumus, Domine, Hermis natalitia votiva lætificent, et suæ beneficiis intercessionis adtollant. Per Dominum.

Secreta.

Munera nostra, quæsumus, Domine, propitiatus adsume; et ut digne tuis famulemur altaribus, sancti tui nos Hermis intercessione custodi. Per.

Postcommun.

Exultet, quæsumus, Domine, populus tuus in sancti tui commemoratione Hermis; et cujus votivo lætatur officio, suffragio relevetur optato. Per.

LII.

IN DIE PASSIONIS SANCTI JOHANNIS BAPTISTÆ.

IIII Kal. Septemb. [a]

Sancti Johannis Baptistæ et martyris tui, Domine, quæsumus, veneranda festivitas salutaris auxilii nobis præstet effectum. Per.

Perpetuis nos, Domine, sancti Johannis Baptistæ tuere præsidiis; et quanto fragiliores sumus, tanto magis necessariis adtolle suffragiis. Per.

Secreta.

Munera tibi, Domine, pro sancti martyris Johannis Baptistæ passione deferimus, [b] quia dum finitur in terris, factus est cælesti sede [c] perpetuus. Per.

Postcommun.

Conferat nobis, Domine, sancti Johannis [d] utrumque solemnitas, ut magnifica sacramenta quæ sumpsimus, [e] significata veneremur, et in nobis potius ædita gaudeamus. Per Dominum

LIII.

IN NATAL. SANCTI PRISCI.

Kal. Septemb.

Omnipotens sempiterne Deus, fortitudo certantium, et martyrum palma, solemnitatem hodierni diei propitius intuere, et Ecclesiam tuam continua A fac celebritate lætari, et intercessione beati martyris Prisci omnium intercedentium vota proficiis. Per.

Secreta.

Ejus tibi precibus, Domine, quæsumus, grata reddatur oblatio, pro cujus est festivitate immolanda. Per.

Postcommun.

Præsta, quæsumus, Domine, ut, sacramenti tui participatione vegetati, sancti quoque martyris Prisci precibus adjuvemur. Per.

LIIII.

IN NATIVIT. SANCTÆ MARIÆ.

VI Id. Septemb.

Adjuvet nos, quæsumus, Domine, sanctæ Mariæ B gloriosa intercessio, cujus etiam diem, quo felix ejus est inchoata nativitas, meminimus. Per.

Secreta.

Suscipe, Domine, quæsumus, hostias placationis et laudis, quas tibi offerimus pro Nativitate beatæ et gloriosæ semperque virginis Dei genitricis Mariæ, et sanctis ejus intercessionibus cunctis nobis proficiant ad salutem. Per.

Postcommun.

Adesto, quæsumus, Domine, fidelibus tuis, ut quæ sumpserunt fideliter, et mente sibi, et corpore beatæ Mariæ intercessione custodiant. Per.

Item alia.

Sumptis, Domine, sacramentis, intercedente beata et gloriosa semperque virgine Dei genitrice Maria C ad redemptionis æternæ, quæsumus, proficiamus augmentum. Per

LV.

IN NATAL. SANCTI GURGONI

V Id. Septemb.

Sanctus, Domine, Gurgonius sua nos intercessione lætificet, et pia faciat solemnitate gaudere. Per Dominum.

Grata sit tibi, Domine, nostræ servitutis oblatio, qua sanctus Gurgonius martyr intervenit. Per.

Familiam tuam, Deus, suavitas illa contingat et vegetet, qua in martyre tuo Gurgonio Christi tui bono jugiter odore pascatur. Per Dominum.

LVI.

IN EXALT. SANCTÆ CRUCIS.

D *XVIII Kal. Octob.*

Deus, qui nos hodierna die Exaltatione sanctæ crucis annua solemnitate lætificas, præsta ut cujus mysterium in terra cognovimus, ejus redemptionis præmia consequamur. Per.

Secreta.

Devotas, Domine, humilitatis nostræ preces et hostias misericordiæ tuæ præcedat auxilium, et salutem, quam per Adam in paradiso ligni clauserat

[a] Beda, cap. 26, sive lib. II, cap. 6, in Marcum hæc habet de passione Joannis præcursoris: « In libro Sacramentorum natale ejus quarto Kalendarum Septembrium denotatum est; et in Martyrologio, quod Eusebii et Hieronymi vocabulis insignitum est, legitur quarto Kal. Sept. in Edessa, etc. »

[b] Apud Menardum: *qui dum.*

[c] Apud eumdem: *perpetuus, quæsumus, ut ejus obtentu nobis proficiat ad salutem.*

[d] Apud Menardum ita etiam habetur. Pamelius vero legit: *beata solemnitas.*

[e] Apud Pamelium idem legitur; sed apud Menardum habetur: *digne veneremur, et nobis salutaria sentiamus.*

temerata præsumptio, ligni rursum fides aperiat. Per Dominum.

Postcommun.

Adesto familiæ tuæ, quæsumus, clemens et misericors Deus [a] in adversis et prosperis preces exaudias, et nefas adversariorum per auxilium sanctæ crucis digneris conterere, ut portum salutis tuæ valeant adprehendere. Per.

LVII.

IN NATAL. SANCTORUM CORNELI ET CYPRIANI.

XVI Kal. Octob.

Beatorum martyrum pariterque pontificum Corneli, et Cypriani nos, Domine, quæsumus, festa tueantur, et eorum commendet oratio veneranda. Per.

Secreta.

Plebis tuæ, Domine, munera benignus intende, quæ majestati tuæ pro sanctorum martyrum Corneli et Cypriani solemnitatibus sunt dicata. Per.

Postcommun.

Sacro munere vegetatos sanctorum martyrum Corneli et Cypriani natalitia nos tibi, Domine, quæsumus, commendet oratio. Per Dominum.

LVIII.

IN NATAL. SANCTORUM COSMÆ ET DAMIANI.

V Kal. Octob.

Magnificet te, Domine, sanctorum Cosmæ et Damiani beata solemnitas, [b] quia et illis gloriam sempiternam, [c] opem nobis ineffabili providentia contulisti. Per.

Secreta.

In tuorum, Domine, pretiosa morte justorum sacrificium illud offerimus, de quo martyrium sumsit omne principium. Per.

Postcommun.

Sit nobis, Domine, sacramenti tui certa salvatio: quæ beatorum martyrum tuorum Cosmæ et Damiani meritis imploratur. Per Dominum.

LVIIII.

ORATIONES IN SANCTI ARCHANGELI MICHAELIS.

III Kal. Octob

Da nobis, omnipotens Deus, beati archangeli Michaelis [d] eo tenus honore proficere, ut cujus in terra gloriam prædicamus, precibus adjuvemur in cælis. Per.

Beati archangeli Michaelis interventione suffulti, supplices te, Domine, deprecamur, ut quos honore prosequimur, contingamus et mente. Per.

Perpetuum nobis, Domine, tuæ miserationis præsta subsidium, quibus et angelica præstitisti suffragia non deesse. Per.

Secreta.

Munus populi tui, Domine, quæsumus, dignanter adsume, quod non nostris meritis, sed sancti archangeli tui Michaelis deprecatione sit gratum. Per.

A

Postcommun.

Adesto plebi tuæ, misericors Deus; et ut gratiæ tuæ beneficia potiora percipiat, beati Michaelis archangeli fac supplicem deprecationibus sublevari. Per.

LX

ORAT. IN JEJUNIO

Mensis septimi.

Præsta, quæsumus, Domine, fidelibus tuis, ut jejuniorum veneranda solemnia et congrua pietate suscipiant, et secura devotione percurrant. Per.

Deus, qui te sinceris asseris manere pectoribus, da nobis tua gratia tales existere, in quibus habitare digneris. Per.

Secreta.

B Deus, qui de his terræ fructibus tua sacramenta constare voluisti, præsta, quæsumus, ut opem nobis et præsentis vitæ conferas et futuræ. Per

Postcommun.

Salutari tuo munere, Domine, satiati, supplices te deprecamur, ut cujus lætamur gustu, renovemur effectu. Per Dominum.

IN SEXTA FERIA

Mensis septimi.

Inchoata jejunia, Domine, quæsumus, benigno favore prosequere; et sicut ab alimentis in corpore, ita a vitiis jejunemus in mente. Per.

Secreta.

Hujus te, Domine, muneris oblatione placemus, C et perpetuæ vitæ participes hujus operatione reddamur. Per.

Postcommun.

Cælestis mensæ, quæsumus, Domine, sacrosancta libatio corda nostra purget semper et pascat. Per.

IN XII LECTIONES.

Die Sabbati.

Tribue, quæsumus, Domine, fidelibus tuis ut jejunio mensis septimi convenienter aptentur, et suscepta solemniter castigatio corporalis ad fructum cunctarum transeat animarum. Per

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui se, adfligendo carnem, ab alimentis abstinet, sectando justitiam, culpa jejunet. Per Dominum nostrum.

D Deus humanæ salutis operator, da nobis exercere jejunia congruenter, quibus nostræ substantiæ sempiterna remedia providisti. Per.

Suscipe, Domine, preces populi supplicantis, et nostri vota jejunii salutaris tui perfice sacramentum. Per.

Omnipotens tua, Domine, prompta mente laudantes, jejunia tibi sacrata deferimus, ut dum ingrati de perceptis existimus, efficiamur percipiendis fructibus gratiores. Per Dominum.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas igneas, concede, quæsumus, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per.

[a] Pamelius : *ut adversis.*
[b] Apud eumdem : *qua et*
[c] Pamelio : *et opem.*
[d] Apud Pamelium : *eatenus.*

Secreta

Hæc hostia, Domine, quæsumus, et vincula nostræ iniquitatis absolvat, et tuæ nobis misericordiæ dona conciliet. Per.

Postcommun.

Perficiant in nobis, Domine, quæsumus, tua sacramenta quod continent, ut quæ nunc specie gerimus rerum veritate capiamus. Per.

Ad populum.

Auxiliare, Domine, populo tuo, ut, sacræ devotionis proficiens incrementis, et tuo semper munere gubernetur, et ad redemptionis æternæ pertineat, te docente, consortium. Per Dominum.

LXI.

IN NATAL. SANCTORUM MARCELLI ET APULEI.

Non. Octob.

Sanctorum tuorum nos, Domine, Marcelli et Apulei beata merita prosequantur, et suo semper perficiant amore ferventes. Per.

Secreta.

Majestatem tuam nobis, Domine, quæsumus, hæc hostia reddat immolanda placatam, tuorum digna postulatione sanctorum. Per.

Postcommun.

Sacramentis, Domine, muniamur acceptis, et sanctorum tuorum Marcelli et Apulei contra omnes nequitias inruentes armis cælestibus protegamur. Per Dominum nostrum.

LXII.

IN NATAL. SANCTORUM QUATUOR CORONATORUM, COSTIANI, CLAUDI, CASTORI, SIMPRONIANI.

VI Id. Novembris.

Annua martyrum tuorum, Domine, vota, recurrimus, Majestatem tuam suppliciter deprecantes, ut cum temporalibus incrementis prosperitati æternæ Coronatorum capiamus augmentis. Per.

a . . . .

Hostias tibi, Domine, pro martyrum tuorum Coronatorum commemoratione deferimus, supplicantes, ut indulgentiam nobis pariter conferant et salutem. Per.

Postcommun.

Sanctorum tuorum Coronatorum, quæsumus, Domine, semper nos lætificent festa, et majestati tuæ perpetua placatione commendent. Per.

LXIII.

IN [b] NATAL. SANCTÆ CÆCILIÆ.

XI Kal. Decemb.

Sanctæ martyræ tuæ Cæciliæ supplicationibus tribue nos foveri, ut cujus venerabilem solemnitatem prævenimus obsequio, ejus intercessionibus commendemur. Per Dominum.

Secreta.

Suscipe, Domine, sacrificium placationis et laudis, quod nos, interveniente sancta tua Cecilia, cujus festivitatem prævenimus, et perducat ad veniam, et in perpetuam gratiarum constituat actionem. Per.

Postcommun

Libantes, Domine, mensæ tuæ beata mysteria, quæsumus, ut martyræ interventione sanctæ Cæciliæ et præsentis nobis misericordiam conferat et æternam. Per.

LXIIII.

ITEM IN NATAL. EJUSDEM.

X Kal. [c] Octob.

Omnipotens sempiterne Deus, qui eligis infirma mundi, ut fortia quæque confundas, da nobis in festivitate sanctæ martyræ tuæ Cæciliæ congrua devotione gaudere, ut et potentiam tuam in ejusdem passione percipiamus auxilium. Per.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, ut sicut de sanctæ Cæciliæ festivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur [d] effectu. Per Dominum.

Crescat, Domine semper in nobis sanctæ jocunditatis affectus, et beatæ Cæciliæ martyræ tuæ veneranda festivitas augeatur. Per Dominum.

Secreta.

[e] Quæsumus, virtutum cælestium Domine, ut sacrificia pro sanctæ Cæciliæ solemnitate delata desiderium nos [f] temporalem doceant habere contemptum, et ambire dona faciant cælestium gaudiorum. Per.

Postcommun.

Hæc nos, Domine, gratia tua, quæsumus, semper exerceat, ut divinis instauret nostra corda mysteriis, et sanctæ Cæciliæ martyræ tuæ commemoratione lætificet. Per.

LXV.

IN NATAL. SANCTI CLEMENTIS.

IX Kal. Decemb.

Natalem beati Clementis sacerdotis et martyris tui natalitia veneranda, quæsumus, Domine, Ecclesia tua devota suscipiat, et fiat magnæ glorificationis amore devotior. Per.

Secreta.

Sacrificium tibi, Domine, laudis offerimus pro sancti celebritate Clementis, ut propitiationem tuam, quam nostris operibus non meremur, pii suffragatoris intercessionibus adsequamur. Per.

Postcommun.

Beati Clementis, Domine, natalitio fidelibus tuis munere suffragetur; et qui tibi placuit, nobis imploret auxilium. Per Dominum nostrum.

LXVI.

IN NATAL. S. FELICITATIS.

Item IX Kal. Dec.

Intercessio nos, quæsumus, Domine, sanctæ Felicitatis martyræ tuæ votiva confoveat, ut ejus sacrata natalitia et temporaliter frequentemus, et conspiciamus æterna. Per.

a Adde : *Secreta.*
b In marg. *vigil.*
c *Decemb.*
d In Missali Romano : *affectu.*

e Ambrosiana missa apud Pamelium : *Tribue, quæsumus, virtutum cælestium Deus.*
f In eadem missa : *temporale.*

Secreta.

Munera tibi, Domine, pro sanctæ Felicitatis gloriosa commemoratione deferimus, [a] quæ nobis hujus solemnitas effectu et confessione dedicavit et sanguine. [b] Per.

Postcommun.

Præsta, Domine, quæsumus, ut, sacramenti tui participatione vegetati, sanctæ Felicitatis quoque martyris precibus adjuvemur. Per.

LXVII.

IN NATAL. SS. MARTYRUM SATURNI, CRISANTI, MAURI, DARIÆ, ET ALIORUM.

III Kal. Decemb.

Beatorum martyrum, Domine, Saturnini et Crisanti adsit oratio, ut quos obsequio veneramur, pio jugiter experiamur auxilio. Per.

Secreta.

Populi tui, Domine, quæsumus, tibi grata sit hostia, quæ natalitiis sanctorum martyrum tuorum Saturnini et Crisanti solemnitatibus immolatur. Per.

Postcommun.

Mysteriis, Domine, repleti sumus; votis et gaudiis, præsta, quæsumus, ut, per intercessionem sanctorum martyrum tuorum Saturnini et Crisanti, quæ corporaliter agimus spiritaliter consequamur. Per Dominum.

LXVIII.

IN VIGIL. SANCTI ANDREÆ.

III Kal. Decemb.

Tuere nos, misericors Deus, et beati Andreæ apostoli tui, cujus natalitia prævenimus, semper guberna præsidiis. Per.

Secreta.

Apostolicæ reverentiæ culmen offerimus, sacris mysteriis imbuendum; præsta, Domine, quæsumus, ut beati Andreæ suffragiis, cujus natalitia præimus, hic plebs tua semper et sua vota depromat, et desiderata percipiat. Per Dominum.

VD Reverentiæ tuæ dicato jejunio gratulantes, quo apostolica beati Andreæ merita desideratis prævenimus officiis, et ad eamdem celebrandam solemniter præparemus. Per.

Postcommun.

Purificent semper et muniant tua sacramenta nos, Domine, et beati Andreæ apostoli tui intercessione ad perpetuæ ducant salvationis effectum. Per.

LXVIIII.

ITEM IN NATAL. EJUSDEM.

Prid. Kal. Decemb.

Majestatem tuam, Domine, suppliciter exoramus, ut sicut Ecclesiæ tuæ sanctus Andreas apostolus extitit prædicator et rector, ita sit pro nobis perpetuus suffragator. Per Dominum nostrum.

A Beatus Andreas pro nobis, Domine, quæsumus, imploret apostolus, ut, et nostris reatibus absoluti, cunctis etiam periculis eruamur. Per.

Secreta.

Sacrificium nostrum tibi, Domine, quæsumus, beati Andreæ precatio sancta conciliet, et [c] ut cujus honorem solemniter exhibetur, meritis efficiatur acceptum. Per.

VD Qui Ecclesiam tuam [d] in apostolis tribuisti consistere fundamentis. De quorum collegio beati Andreæ solemnia celebrantes, tua, Domine, præconia non tacemus. Et ideo cum.

Postcommun.

Beati Andreæ apostoli tui, Domine, quæsumus, intercessione nos adjuva, pro cujus solemnitate

B percipimus tua sancta lætantes. Per Dominum.

LXX.

IN OCTABAS SANCTI ANDREÆ APOSTOLI

VII Id. Decemb.

Protegat nos, Domine, sæpius beati Andreæ apostoli repetita solemnitas, ut cujus patrocinia sine intermissione recolimus, perpetua defensione sentiamus. Per.

Secreta.

Indulgentiam nobis præbeant hæc munera, quæsumus, Domine, largiorem, quæ venerabilis Andreæ suffragiis offeruntur. Per Dominum.

Postcommun.

Adjuvet familiam tuam, tibi, Domine, supplicando, venerandus Andreas apostolus tuus, et pius in-

C terventor [e] efficiat, qui tui nominis extitit prædicator. Per Dominum.

LXXI.

IN NATAL. SANCTI THOMÆ APOSTOLI.

XII Kal. Januar.

Da nobis, quæsumus, Domine, beati apostoli Thomæ solemnitatibus gloriari, ut ejus semper et patrociniis sublevemur, et fidem congrua devotione sectemur. Per.

Secreta.

Debitum, Domine, nostræ reddimus servitutis, suppliciter exorantes, ut suffragiis beati apostoli Thomæ in nobis tua munera tuearis, cujus honorando confessionem, laudis [f] tuæ hostias immolamus. Per.

Postcommun.

D Conserva, Domine, populum tuum; et quem sanctorum tuorum præsidiis non desinis adjuvare, perpetuis tribue gaudere remediis. Per.

LXXII.

ORAT. IN NATAL. PLURIMORUM SANCTORUM.

Exaudi, Domine, populum cum sanctorum tuorum tibi patrocinio supplicantem, ut temporalis vitæ nos tribuas pace gaudere, et æternæ reperire subsidia. Per.

[a] Apud Pamelium: *obsecrantes, ut quæ nobis hujus solemnitatis effectum.*

[b] Apud eumdem additur: *miserationis quoque tuæ continuum imploret auxilium.*

[c] Apud Pamelium et Medardum legitur: *ut cujus honore.*

[d] Apud Menardum, in natali sancti Thomæ: *in apostolicis.*

[e] Apud eumdem in vigilia sancti Andreæ: *efficiatur.*

[f] *Tuæ*, vel *tui*, ut in Exemplari. Menardus: *tibi.*

Secreta.

Preces, Domine, tuorum respice oblationesque fidelium, ut et tibi grata sint perpetuo festivitate sanctorum, et nobis conferant tuæ propitiationis auxilium. Per.

Postcommun.

Sanctorum tuorum, Domine, intercessione placatus, præsta, quæsumus, ut quæ temporali celebramus actione, perpetua salvatione capiamus. Per.

LXXIII.

ITEM ALIA MISSA.

Præsta, Domine, quæsumus, ut sicut sanctorum tuorum nos natalitia celebranda non deserunt; ita jugiter suffragiis comitentur. Per.

Adesto, Domine, populo tuo cum Sanctorum patrocinio supplicanti: ut quod propria fiducia non præsumit; suffragantium meritis [a] consequatur. Per Dominum.

Secreta.

Salutari sacrificio, Domine, populus tuus semper exultet, quo et debitus honor sacris martyribus exhibetur, et sanctificationis tuæ munus adquiritur. Per.

Postcommun.

Et natalitiis sanctorum, Domine, et sacramenti munere vegetati, quæsumus, ut bonis, quibus per tuam gratiam nunc fovemur, perfruamur æternis. Per.

LXXIV.

ITEM ALIA MISSA.

C Sancti tui, quæsumus, Domine, jugiter nobis a te et veniam postulent et profectum. Per.

Deus, qui nos et sanctorum martyrum solemnitatibus, et confessorum gloria circundas et protegis, præsta nobis eorum semper et imitatione proficere, et emundatione fulgere. Per.

Secreta.

Hæc hostia, Domine, quæsumus, solemniter immolanda pro tuorum commemoratione justorum, conscientias nostras semper et mundet et protegat. Per.

Postcommun.

Votiva, Domine, dona percipimus, quia sanctorum nobis precibus et præsentis, quæsumus, vitæ pariter et æternæ tribue conferre præsidium. Per Dominum nostrum.

LXXV.

ITEM ALIA MISSA.

Fac nos, Domine, quæsumus, sanctorum tuorum semper festa sectari, quorum suffragiis protectionis tuæ dona sentimus. Per.

Secreta.

Fiat, Domine, quæsumus, hostia sacranda placabilis, pretiosi celebritate martyrii, quæ et peccata nostra purificet, et sanctorum tibi vota conciliet famulorum. Per.

Postcommun.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut sanctorum tuo-

A rum cælestibus mysteriis celebrata solemnitas indulgentiam nobis tuæ propitiationis adquirat. Per Dominum.

LXXVI.

ITEM ALIA MISSA.

Majestati tuæ nos, Domine, martyrum supplicatio beata conciliet, ut qui incessabiliter actibus nostris offendimus, justorum precibus expiemur. Per.

Martyrum tuorum nos, Domine, semper festa lætificent, et quorum celebramus meritum, expiemur auxilium. Per.

Secreta.

Accepta tibi sit, Domine, sacratæ plebis oratio pro tuorum honore sanctorum, quorum meritis semper cœpisse in tribulatione agnoscit auxilium.

B Per.

Postcommun.

Jugiter nos, Domine, sanctorum tuorum vota lætificent, et patrocinia nobis martyrum ipsæ semper festivitates exhibeant. Per.

LXXVII.

ITEM ALIA MISSA

Magnificantes, Domine, clementiam tuam, suppliciter exoramus, ut qui nos sanctorum tuorum frequentibus facis natalitiis interesse, perpetuis tribuas gaudere consortiis. Per Dominum.

Da nobis, omnipotens Deus, in sanctorum tuorum te semper commemoratione laudare, quia refovere curabis, quos in honore tuo perseverare concedis. Per.

Secreta.

Accepta tibi sit in conspectu tuo, Domine, nostræ devotionis oblatio, et eorum nobis fiat supplicatione salutaris, pro quorum solemnitate defertur. Per.

Postcommun.

Ad defensionem fidelium, Domine, quæsumus, dexteram tuæ Majestatis extende; et ut perpetua pietatis protectione muniantur, intercessio pro his non desit martyrum continuata sanctorum. Per.

LXXVIII.

ITEM ALIA MISSA.

Fraterna nos, Domine, martyrum tuorum corona lætificet, quæ et fidei nostræ præbeat incitamenta virtutum, et multiplici nos suffragio consoletur.

D Per.

Præsta, quæsumus, Domine, ut sicut nobis indiscreta pietas horum martyrum beatorum individuæ charitatis præbet exemplum, sic spiritum gratiæ tuæ, quo jugiter muniamur, semper imploret. Per.

Secreta.

Iterata mysteria, Domine, pro sanctorum martyrum devota mente tractamus, quibus nobis et præsidium crescit et gaudium. Per.

Postcommun.

Cælesti munere saginati, quæsumus, Domine Deus noster, ut hæc nobis dona martyrum tuorum duplicatio beata sanctificet. Per.

[a] Ita emendavimus ex Pamelio, cum male in Exemplari legatur: *consequamur*

LXXVIIII.

ITEM ALIA MISSA.

Domine Deus noster, multiplica super nos gratiam tuam; et quorum celebramus gloriosa certamina, tribue subsequi in sancta professione victoriam. Per.

Secreta.

Suscipe, Domine, quæsumus, munera populi tui pro martyrum festivitate sanctorum, et sincero nos corde fac eorum natalitiis interesse. Per.

Postcommun.

Sacramenti tui, Domine, quæsumus, sumpta benedictio corpora nostra mentesque sanctificet, et perpetuæ misericordiæ nos præparet ascribendos. Per Dominum.

LXXX.

ORAT. DE ADVENTU DOMINI.

Excita, Domine, potentiam tuam, et veni, et quod Ecclesiæ tuæ usque in finem sæculi promisisti clementer operare. Per.

Excita, Domine, potentiam tuam, et magna nobis virtute succurre, ut per auxilium gloriæ tuæ, quod nostra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleret. Per.

Secreta.

Placare, Domine, quæsumus, humilitatis nostræ precibus et hostiis; et ubi nulla suppetunt suffragia meritorum, tuæ nobis indulgentiæ succurre præsidiis. Per.

Deus cui proprium est ac singulare quod bonus es, et nulla unquam a te es commutatione diversus, propitiare supplicationibus nostris, et Ecclesiæ tuæ misericordiam tuam, quam confitentur, ostende, manifestans plebi tuæ Unigeniti tui mirabile Sacramentum, ut in universitate nationum perficiatur quod per Verbi tui Evangelium promisisti, et habet plenitudo adoptionis, quod pertulit testificatio veritatis. Per Christum Dominum.

Postcommun.

Repleti cibo [a] spiritali alimoniæ, supplices te deprecamur, omnipotens Deus, ut hujus participatione mysterii, doceas nos terrena despicere, et amare cælestia, atque omni nexu mortiferæ cupiditatis exutos regno perpetuæ libertatis consortes efficias. Per Dominum.

LXXXI.

ITEM ALIA MISSA.

Excita, Domine, quæsumus, corda nostra ad præparandas Unigeniti tui vias, ut per ejus adventum purificatis tibi servire mentibus mereamur. Per.

Præveniat nos, quæsumus, omnipotens Deus, tua gratia semper et subsequatur, ut [b] cum adventum Unigeniti tui, quem summo cordis desiderio sustinemus, et præsentis vitæ subsidia et futuræ etiam consequamur. Per.

Conscientias nostras, quæsumus, omnipotens Deus, A cotidie visitando purifica, ut, veniente Domino Filio tuo, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Per.

Fac nos, quæsumus, Domine Deus noster, pervigiles atque solicitos adventum expectare Christi Filii tui Domini nostri, ut dum venerit pulsans, non dormientes peccatis, sed vigilantes et in suis inveniat laudibus exultantes. Per.

Secreta.

Sacrificium tibi, Domine, celebrandum placatus intende, quod et nos a vitiis nostræ conditionis emundet, et tuo nomini reddat acceptos. Per.

Postcommun.

Sumptis muneribus, Domine, quæsumus ut cum frequentatione mysterii crescat nostræ salutis effectus. Per. B

LXXXII.

ITEM ALIA MISSA

Præcinge, quæsumus, Domine Deus noster, lumbos mentis nostræ divina tua virtute [c] potentium, ut veniente Domino nostro Jesu Christo Filio tuo, digni inveniamur æternæ vitæ convivio, et vota cælestium dignitatum ab ipso percipere mereamur. Per.

Adjuva, Domine, fragilitatem plebis tuæ, ut ad votivum magnæ festivitatis effectum, et corporaliter gubernata percurrat, et ad perpetuam gratiam devota mente perveniat. Per.

Secreta.

Grata tibi sint, Domine, munera, quibus mysteria celebrantur nostræ libertatis et vitæ. Per.

Postcommun.

C Animæ nostræ, quæsumus, omnipotens Deus, hoc potiantur desiderio, ut a tuo Spiritu inflammentur, ut sicut [d] lampadas divino munere satiati, ante conspectum venientis Christi Filii tui velut clara lumina fulgeamus. Per.

LXXXIII.

ITEM ALIA MISSA.

Festina, quæsumus, ne tardaveris, Domine, et præsidium nobis tuæ pietatis impende, ut opportunis consolationibus subleventur, qui in tua miseratione confidunt. Per.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, hanc gratiam plebi tuæ, adventum Unigeniti tui cum summa vigilantia expectare, ut, sicut ipse auctor nostræ sa- D lutis docuit, velut fulgentes lampadas in ejus occursum nostras animas præparemus. Per

Voci nostræ, quæsumus, Domine, aures tuæ pietatis accommoda, et cordis nostri tenebras lumine tuæ visitationis inlustra. Per.

Secreta.

Sacrificiis præsentibus, Domine, quæsumus, intende placatus, ut et devotioni nostræ proficiant et saluti. Per.

Postcommun.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, cunctæ familiæ tuæ hanc voluntatem in Christo Filio tuo Domino

[a] Apud Menardum, in hebdomada 3 ante Natale Domini: *spiritalis.*

[b] Pamelius habet: *per adventum.*

[c] Apud eumdem: *potenter.*

[d] Apud Menardum, hebdomadæ 5 ante Natale Domini: *lampades.*

nostro venienti in operibus justis aptos occurrere, et ejus dexteræ sociati, regnum mereantur possidere cœleste. Per.

LXXXIIII.

ITEM ALIA MISSA.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut redemptionis nostræ ventura solemnitas, et præsentis nobis vitæ subsidia conferat, et æternæ vitæ beatitudinis præmia largiatur. Per Dominum.

Excita, quæsumus, Domine, potentiam tuam, et veni, ut hi qui in tua pietate confidunt ab omni citius adversitate liberentur. Per.

Exsultemus, quæsumus, Domine, Deus noster, omnes recti corde in unitate fidei congregati, ut veniente Salvatore nostro Filio tuo, immaculati occurramus illi in ejus sanctorum comitatu. Per eumdem Dominum.

Fac nos, Domine, quæsumus, mala nostra toto corde respuere, ut veniente Filio tuo Domino nostro, bona ejus capere valeamus. Per.

Secreta.

Devotionis nostræ tibi, Domine, quæsumus, hostia jugiter immoletur, quæ et sacri peragat instituta mysterii, et salutare tuum nobis mirabiliter operetur. Per Dominum.

Postcommun.

Preces populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi, ut qui de adventu Unigeniti tui secundum carnem lætantur, in secundo cum venerit in majestate sua, præmium æternæ vitæ percipiant. Per.

Indignos, quæsumus, Domine, famulos tuos, quia actionis propriæ culpa contristat, Unigeniti tui nos adventu lætifica. Per Dominum.

Quæsumus, omnipotens Deus, preces nostras respice, et tuæ super nos viscera pietatis impende, ut qui ex nostra culpa affligimur, Salvatore nostro adveniente, respiremus. Per.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui sub peccati jugo ex debito deprimimur, expectata Unigeniti tui nova nativitate liberemur. Per.

Excita, Domine, potentiam tuam, et veni, ut tua propitiatione salvemur. Per.

Festina, ne tardaveris, Domine, Deus noster, et a diabolico furore nos potenter libera. Per.

Porrige nobis, Domine, dexteram tuæ venerationis, et veni, et peccata nostra propitiatus absolve. Per.

Deus, qui prospicis quia ex nostra pravitate affligimur, concede propitius, ut ex tua visitatione consolemur. Per Domin.

Festinantes, omnipotens Deus, in occursum Filii tui Domini nostri, nulla impediant opera actus terreni, sed cœlestis sapientiæ eruditio faciat nos ejus esse consortes. Per Dominum.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut Filii tui ventura solemnitas, et præsentis nobis vitæ remedia conferat, et præmia æterna concedat. Per.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut quia pro peccatis nostris meremur affligi, per adventum Filii tui a cunctis adversitatibus liberemur. Per.

Deus, qui nos redemptionis nostræ annua exspectatione lætificas, præsta ut Unigenitum Filium tuum, quem Redemptorem læti suscipimus, venientem quoque Judicem securi videamus. Per.

LXXXV.

ORAT. ET PRECES

Mensis decimi. Feria IIII.

Deus, qui conspicis quia in tua pietate confidimus, concede propitius ut de cœlesti semper protectione gaudeamus. Per.

Subveniat nobis, Domine, misericordia tua et ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur veniente salvari. Per.

Secreta.

Ecclesiæ tuæ, Domine, munera placatus adsume, quæ et misericors offerenda tribuisti, et in nostræ salutis potenter efficias transire mysterium. Per.

VD. Referentes gratiarum de præteritis devotionem, promtius quæ ventura sunt præstanda confidimus, nec est nobis seminum desperanda fœcunditas, cum pro supplicationibus nostris annua devotione venerandus etiam matris Virginis fructus salutaris intervenit Christus Dominus noster. Quem laudant.

Postcommun.

Tuorum nos, Domine, largitate donorum et temporalibus adtolle præsidiis, et conversatione tibi placeat, et secura deserviat. Per Dominum.

Ad populum.

Esto, Domine, plebi tuæ sanctificator et custos, et beatæ Mariæ munita præsidiis et conversatione tibi placeat, et secura deserviat. Per Dominum.

In sexta feria

Hujus nobis parsimoniæ, quæsumus, Domine, præbe mensuram, ut quod licentiæ carnis auferimus, salutarem nobis fructum acquirat. Per.

Deus, qui nostram conspicis semper infirmitatem destitui, adventus tui nos visitatione custodi. Per.

Adesto, quæsumus, omnipotens Deus, atque in cunctis actionibus nostris et aspirando nos præveni, et adjuvando custodi. Per.

Secreta.

Præsta, Domine, quæsumus, ut dicato muneri congruentem nostræ devotionis offeramus affectum. Per.

Postcommun

Refecti vitalibus alimentis, quæsumus, Domine, ut quod tempore nostræ mortalitatis exequimur, immortalitatis tuæ munere consequamur. Per.

Ad populum.

Respice, Domine, quæsumus, propitius ad plebem tuam, et quam divinis tribuis proficere sacramentis, ab omnibus absolve peccatis. Per Dominum nostrum.

Sabbato in XII lectiones.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et præ-

sentis vota jejunii placita tibi devotione exhibere, concede. Per.

Converte nos, Deus salutaris noster, et ut nobis jejunium corporale proficiat, mentes nostras cælestibus instrue disciplinis. Per.

Deus, qui, pro animarum expiatione nostrarum, sacri jejunii instituta mandasti, fragilitati nostræ adjumenta concede, et effectum cælestium mandatorum benignus inspira. Per Dominum.

Miserationum tuarum, Domine, quæsumus, præveniamur auxilio, et in hujus solemnitate jejunii omnium tibi sit devotio grata fidelium. Per.

Preces populi tui, quæsumus, Deus, clementer exaudi, ut qui juste pro peccatis nostris adfligimur, pietatis tuæ visitatione consolemur. Per.

Post benedict.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, A concede, quæsumus, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per.

Secreta.

Ecclesiæ tuæ, Domine, munera [a] sanctifica et concede, ut per hæc veneranda mysteria pane cælesti refici mereamur. Per.

Postcommun.

Prosint nobis, Domine, sumpta mysteria pariterque nos et a peccatis exuant, et præsidiis tuæ propitiationis adtollant. Per.

Ad populum.

Veniat, Domine, quæsumus, populo tuo supplicanti tuæ benedictionis infusio, quæ diabolicas ab eodem repellat insidias, quæ fragilitatem mundet et protegat, B quæ inopem sustentet et foveat. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Α † Ω

INCIPIT LIBER TERTIUS.

ORATIONES ET PRECES CUM CANONE

PRO DOMINICIS DIEBUS.

I.

Deus, qui diligentibus te bona invisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, ut te in omnibus et super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur. Per Dominum nostrum.

Col.

Deus, qui in sanctis habitas, et pia corda non deseris, libera nos a terrenis desideriis et cupiditate carnali, ut, nullo in nobis regnante peccato, tibi soli Domino liberis mentibus serviamus. Per.

Secreta.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et has oblationes famulorum famularumque tuarum benignus assume, ut quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad salutem. Per.

Postcommun.

Quos cælesti, Domine, [b] dono satiasti, præsta, quæsumus, ut a nostris mundemur occultis, et ab hostium liberemur insidiis. Per Dominum.

II.

ITEM ALIA MISSA.

Deus virtutum, cujus est totum, quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis, et [c] præsta ut et nobis religionis augmentum, [d] quæ sunt bona nutrias [e] ac vigilantia studium, C quæsumus, nutrita custodias. Per.

Da nobis, Domine, quæsumus, ut in tua gratia veraciter confidentes, et quæ digna sunt postulemus, et jugiter postulata sumamus. Per.

Secreta.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et has populi tui oblationes benignus assume, [f] ut nullius sit irritum votum, et nullius vacua postulatio, præsta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per.

Postcommun.

Repleti sumus, Domine, muneribus tuis, tribue, quæsumus, ut eorum et mundemur [g] affectu, et muniamur auxilio. Per.

D

III.

ITEM ALIA MISSA.

Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, te supplices exoramus, ut noxia cuncta submoveas, et omnia nobis profutura concedas. Per.

Custodi nos, Domine, quæsumus, in tuo servitio constitutos, ut quibus famulatum esse vis sincere, propitius largire quod præcepisti. Per.

Secreta.

Deus, qui legalium differentias hostiarum unius

[a] Menardus: *sanctifica, et concede.*
[b] Lege: *dona.* — Apud Pamelium, Dominica 6 post Pentecosten: *dono.*
[c] Apud eumdem ibidem habetur: *præsta in nobis.*
[d] Pamelius: *ut qua sunt.*
[e] Apud eumdem: *ac vigilanti studio quæ sunt.*
[f] Pamelius, Dominica 7 post Pentecosten legit: *et ut.*
[g] Apud eumdem: *effectu.*

sacrificii perfectione sanxisti, accipe [a] sacrificium devotis tibi famulis, et pari benedictione sicut munera Abel justi sanctifica, ut quod singuli obtulerunt ad Majestatis tuæ honorem, cunctis proficiat ad salutem. Per.

Postcommun.

[b] Cotidiani, Domine, quæsumus, munere sacramenti perpetuæ nobis tribue salutis augmentum. [c] Per Dominum.

IIII.

ITEM ALIA MISSA

Largire nobis, Domine, quæsumus, semper spiritum cogitandi quæ recta sunt, propitius, et agendi, ut qui sine te esse non possumus, secundum te [d] quærere valeamus. Per.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut viam tuam devota mente currentes, subripientium delictorum laqueos evadamus. Per.

Secreta.

Suscipe munera, quæsumus, Domine, quæ tibi de tua largitate deferimus, ut hæc sacrosancta mysteria, gratiæ tuæ operante virtute, præsentis vitæ nos conversatione sanctificent, et ad gaudia sempiterna perducant. Per.

Postcommun.

Sit nobis, Domine, reparatio mentis et corporis cæleste mysterium, ut cujus exsequimur actionem, sentiamus [e] affectum. Per.

V.

ITEM ALIA MISSA.

Præsta, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut inter hujus vitæ caligines non ignorantia fallente mergamur; nec præcipiti studeamus voluntate peccare, sed cui fiduciam sperandæ pietatis indulges, optatæ misericordiæ præsta benignus effectum. Per.

Pateant aures misericordiæ, Domine, precibus supplicantium, [f] ut et petentibus desiderata concedas; fac tibi eos, quæsumus, placita postulare. Per.

Secreta.

Concede nobis hæc, quæsumus, Domine, frequentare mysteria, quia quotiens hujus hostiæ commemoratio [g] celebratur, opus nostræ redemptionis [h] exercetur. Per.

Postcommun.

Quæsumus, Domine Deus noster, ut quos divinis reparare non desinis sacramentis, tuis non destituas benignus auxiliis. Per.

VI.

ITEM ALIA MISSA.

Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas, multiplica super nos gratiam tuam, ut ad tua promissa currentes, cœlestium bonorum facias esse consortes. Per.

Secreta.

Tibi, Domine, sacrificia dicata reddantur, quæ sic ad honorem nominis tui deferenda tribuisti, ut eadem remedia fieri nostra præstares. Per.

Postcommun.

Quæsumus, Domine Deus noster, ut quos divinis reparare non desinis sacramentis, tuis non destituas benignus auxiliis. Per.

VII

ITEM ALIA MISSA.

Omnipotens sempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ et merita supplicum excedis et vota, effunde super nos misericordiam tuam, ut dimittas quæ conscientia metuit, et adjicias quod oratio non præsumit. Per.

Omnipotens sempiterne Deus, a quo solo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et tempora sint tua protectione tranquilla. Per.

Secreta.

Respice, Domine, quæsumus, nostram propitius servitutem, ut quod offerimus sit tibi munus acceptum, sit nostræ fragilitatis subsidium. Per.

Postcommun.

Sentiamus, Domine, quæsumus, tui perceptione sacramenti subsidium mentis et corporis, ut in utroque salvati, cælestis remedii plenitudine gloriemur. Per.

VIII.

ITEM ALIA MISSA

Omnipotens sempiterne Deus, per quem cœpit esse quod non erat; et factum est visibile, quod latebat; stultitiam nostri cordis emunda: et quæ in nobis sunt vitiorum secreta purifica: ut possimus tibi, Domine, pura mente servire. Per.

Omnipotens et misericors Deus, de cujus munere venit, ut tibi a fidelibus tuis digne et laudabiliter serviatur; tribue, quæsumus, nobis: [i] ut a promissionibus tuis sine offensione curramus. Per.

Secreta.

Hostias, quæsumus, Domine, propitius [j] inte, quas sacris altaribus exhibemus: ut nobis indulgentiam [k] largiaris; tuo nomini dent honorem. Per.

Postcommun.

Vivificet nos, quæsumus, Domine, hujus participatio sancta mysterii; et pariter nobis expiationem tribuat et munimen. Per

[a] Pamelius, Dominica 8 post Pentecosten habet. *sacrificium a devotis.*
[b] Lege: *Cotidianis.*
[c] Lege: *Per D. nostrum.*
[d] Apud Pamelium, Dominica 9 post Pentecosten legitur: *vivere.*
[e] Idem: *effectum.*
[f] Idem, Dominica 10 post Pent.: *et ut petentibus.*
[g] Lege: *celebratum.*
[h] Lege: *exercitum.*
[i] Pamelius, Dominica 13 post Pentecosten: *ad promissiones tuas.*
[j] Forte *intuere*, aut *intende*. — Et *intende* apud Pamelium, ibidem.
[k] Idem, ibidem: *largiendo.*

VIIII.

ITEM ALIA MISSA.

Omnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei et charitatis augmentum; et ut mereamur adsequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis. Per.

Omnipotens sempiterne Deus, fac nos tibi semper et devotam gerere voluntatem, et [a] Majestati tuæ sincero corde servire. Per.

Secreta.

Oblatio nos, Domine, tuo nomini dicata purificet, et de die in diem ad cælestis vitæ transferat actionem. Per.

Postcommun.

Sumptis, Domine, cælestibus sacramentis, ad redemptionis æternæ, quæsumus, [b] proficiat augmentum. Per.

X.

ITEM ALIA MISSA.

Custodi, Domine, quæsumus, Ecclesiam tuam propitiatione perpetua, et quia sine te labitur humana mortalitas, tuis semper auxiliis et abstrahatur a noxiis, et ad salutaria dirigatur. Per.

Præsta nobis, misericors Deus, ut placationem tuam promptis mentibus exoremus, et peccatorum veniam consequentes, a noxiis liberemur incursibus. Per.

Secreta.

Concede nobis, Domine, quæsumus, ut hæc hostia salutaris et nostrorum fiat purgatio delictorum, et tuæ propitiatio potestatis. Per.

Secreta.

Purificent nos, Domine, sacramenta, quæ sumpsimus, et a cunctis efficiant vitiis absolutos. Per.

Postcommun.

Sancta tua nos, Domine, sumpta vivificent; et misericordiæ sempiternæ præparent expiatos. Per.

XI.

ITEM ALIA MISSA.

Ecclesiam tuam, Domine, miseratio continuata mundet et muniat; et quia sine te non potest salva consistere, tuo semper munere gubernetur. Per.

Da, quæsumus, Domine, hanc mentem populo tuo, ut quia ad te placandum necessitate concurrit, Majestati tuæ fiat etiam voluntate devotus. Per.

Secreta.

Tua nos, Domine, sacramenta custodiant, et contra diabolicos tueantur semper incursus. Per.

Postcommun.

Mentes nostras et corpora possideat, Domine, quæsumus, doni cælestis operatio, ut non noster sensus in nobis, [c] sed jugiter [d] ejus præveniant effectus. Per.

XII.

ITEM ALIA MISSA.

Fac nos, Domine, quæsumus, prompta voluntate subjectos, et ad supplicandum tibi nostras semper excita voluntates. Per.

Fac nos, Domine, quæsumus, tuis obedire mandatis, quia tunc nobis prospera cuncta provenient, si totius vitæ sequamur auctorem. Per.

Secreta.

Munda nos, Domine, sacrificii præsentis effectu, et perfice miseratus in nobis, ut ejus mereamur esse participes. Per.

Postcommun

Purifica, Domine, quæsumus, mentes nostras benignus, et renova cælestibus sacramentis, ut consequenter et corporum præsens pariter et futurum capiamus auxilium. Per.

XIII.

ITEM ALIA MISSA.

Da, quæsumus, Domine, populo tuo diabolica vitare contagia, et te solum, Domine, puro corde sectari. Per.

Custodi nos, omnipotens Deus, ut, tua dextera gubernante, nec nostra nobis prævaleant nec aliena peccata. Per.

Secreta.

Majestatem tuam, Domine, suppliciter deprecamur, ut hæc sancta quæ gerimus, et præteritis nos delictis exuant et futuris. Per.

Postcommun.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut divino munere satiati et sacris mysteriis innovemur et moribus. Per.

XIIII.

ITEM ALIA MISSA.

Dirigat corda nostra, Domine, quæsumus, tuæ miserationis operatio: quia tibi sine te placere non possumus. Per.

Tuis, Domine, quæsumus, adesto supplicibus, et inter mundanæ pravitatis insidias fragilitatem nostram sempiterna pietate prosequere. Per.

Secreta.

Deus, qui nos per hujus sacrificii veneranda commercia unius summæque Divinitatis participes effecisti, præsta, quæsumus, ut sicut tuam cognoscimus veritatem, sic eam dignis moribus et mentibus adsequamur. Per.

Postcommun.

Gratias tibi referimus, Domine, sacro munere vegetati, tuam misericordiam deprecantes, ut dignos ejus nos participatione perficias. Per.

[a] Ita correximus ex Pamelio, Dominica post Ascensionem Domini, cum perperam in Exemplari legatur: *Majestatem tuam.*

[b] Apud Pamelium, Dominica 14 post Pentecosten legitur: *proficiamus.*

[c] Sic emendavimus ex eodem, in Dominica 16 post Pentecosten, nam Exemplar mendose habet: *sunt.*

[d] Apud Pamelium, ibidem: *qui præveniat.*

XV

ITEM ALIA MISSA.

Omnipotens et misericors Deus, universa nobis adversantia [a] propitiationis exclude, ut, mente et corpore pariter expediti, quæ tua sunt liberis mentibus exequamur. Per.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, sic nostram veniam promereri, ut nostros corrigamus excessus; sic fatentibus relaxare delictum, ut coerceamus in suis pravitatibus obstinatos. Per.

Secreta.

Hæc munera, quæsumus, Domine, quæ oculis tuæ majestatis offerimus, salutaria nobis esse concede. Per.

Postcommun.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut munus divinum, quod sumpsimus, salutari nobis prosit effectu. Per.

XVI

ITEM ALIA MISSA.

Largire, quæsumus, Domine, fidelibus tuis indulgentiam placatus et pacem, ut pariter ab omnibus mundentur offensis, [b] tibi mente deserviant. Per.

Delicta nostra, Domine, quibus adversa dominantur, absterge, et tua nos ubique miseratione custodi. Per.

Secreta.

Cælestem nobis præbeant hæc mysteria, quæsumus, Domine, medicinam; et vitia nostri cordis expurgent. Per.

Postcommun.

Auxilientur nobis, Domine, sumpta mysteria, et sempiterna protectione confirment. Per.

Incipit

CANON ACTIONIS.

Sursum corda.

Resp. Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Domino Deo nostro.

Resp. Dignum et justum est.

VD Et justum est, æquum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Per quem Majestatem tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates, cæli cælorumque virtutes, ac beata syrafin, socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus sabaoth. Pleni sunt cæli et terra gloria tua, osanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini. Osanna in excelsis.

A Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus et petimus, uti accepta et habeas et † benedicas hæc † dona, hæc † munera, hæc † sancta sacrificia † inlibata. In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere, digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo papa nostro *illo*, et antistite nostro *illo* episcopo. Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum et omnium circumadstantium. Quorum tibi fides cognita est, et nota devotio, qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se, suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suæ, tibi [c] reddunt vota sua æterno Deo vivo et vero. Commu-

B nicantes et memoriam venerantes in primis gloriosæ semper Virginis Mariæ Genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi, sed et beatorum apostolorum ac martyrum tuorum Petri et Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ,...................................... Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, et Taddæi, Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Corneli, Cypriani, Laurenti, Chrisogoni, Joannis, et Pauli, Cosmæ et Damiani [d],.......... et Eleutheri [e],.......... et omnium sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Per Christum Dominum nostrum.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quæsumus, Domine, ut placatus

C accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum.

Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quæsumus, benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini Dei nostri Jesu Christi. Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, [f] elevatis oculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, [g] deditque discipulis suis, dicens: Accipite, et manducate ex hoc omnes: hoc est enim corpus meum.

D Simili modo postea quam cœnatum est, accipiens et hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, benedixit, dedit discipulis suis dicens: Accipite, et bibite ex eo omnes: hic est enim calix sanguinis mei, novi et æterni testamenti, mysterium fidei: qui pro vobis et pro multis effundetur [h] in remissionem peccatorum. Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis. Unde et [i] memores sumus, Do-

[a] Pamelius, Dominica 20 post Pentecosten, egit: *propitiatus.*

[b] Idem, Dom. 21 post Pentecosten: *et secura tibi mente.*

[c] Apud Pamelium: *tibique.*

[d] *Dionysii, Rustici.*

[e] *Hilarii, Martini, Augustini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti.*

[f] Pamelius: *et elevatis.*

[g] Ita ex eodem. Exemplar habet: *dedit.*

[h] Correximus ex Pamelio, nam in exemplari legitur: *in remissione.*

[i] Apud Pamelium: *memores.*

mine, nos tui servi, sed et plebs tua sancta Christi Filii tui Domini Dei nostri tam beatæ passionis, necnon et ab inferis resurrectionis, sed et in cælos gloriosæ ascensionis, offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, et calicem salutis perpetuæ. Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium patriarchæ nostri Abrahæ, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus angeli tui in sublime altare tuum in conspectu divinæ Majestatis tuæ, ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumserimus, omni benedictione cælesti et gratia repleamur. Per Christum Dominum nostrum.

Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam societatis donare digneris cum tuis sanctis apostolis et martyribus, cum Johanne, Stephano, Matthia, Barnaban, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnem, Cæcilia, Anastasia, et cum omnibus sanctis tuis, intra quorum nos consortia [a] non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum.

Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, et præstas nobis. Per ipsum, et cum ipso, et in ipso est tibi, Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus sancti, omnis honor et gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

Præceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere: Pater noster, qui es in cælis. Sed libera nos a malo.

Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus, et futuris, et intercedente pro nobis beata et gloriosa semperque virgine Dei genitrice Maria, et sanctis apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea, da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiæ tuæ adjuti, et a peccatis simus liberi semper, et ab omni perturbatione securi. Per.

Pax Domini sit semper vobiscum.

Resp. Et cum spiritu tuo.

Post hæc commonenda ꝑ. *plebs pro* [b] *jejuniis quarti, septimi et decimi mensis temporibus suis, sive pro scrutiniis, vel aurium* [c] *apertione, sive orandum pro infirmis, vel adnunciandum natalitia sanctorum.*

Post hæc communicat sacerdos cum ordinibus sacris cum omni populo.

Postcommun.

Quos cælesti, Domine, alimento satiasti, apostolicis intercessionibus ab omni nos, quæsumus, adversitate custodi. Per Dominum.

Læti, Domine, sumpsimus sacramenta cælestia, intercedente pro nobis beata et gloriosa semperque virgine Dei genitrice Maria, ad vitam nobis proficiant sempiternam. Per.

Augeatur in nobis, Domine, quæsumus, tuæ virtutis operatio, ut, divinis vegetati sacramentis, ad eorum promissa capienda tuo munere præparemur. Per.

Omnipotens Deus, ac nobis tibi semper devotam gerere voluntatem, [d] Majestati tuæ sincero corde famulari. Per.

Mysteria nos, Domine, sancta purificent, et suo munere tueantur. Per.

Quos tantis, Domine, largiris uti mysteriis, quæsumus, ut effectibus nos eorum veraciter aptare digneris. Per.

Mensa tua nos, Deus, a delectationibus terrenis expediat, et cælestibus semper instruat alimentis. Per.

Tui nobis, Domine, communio sacramenti et purificationem conferat, et tribuat unitatem. Per.

Tua sancta nobis, omnipotens Deus, et indulgentiam præbeant, et auxilium perpetuæ defensionis impendant. Per.

Tua, nos, Domine, medicinalis operatio, et a nostris perversitatibus clementer expediat, et tuis faciat semper inhærere mandatis. Per

Purificent semper et muniant tua sacramenta nos, Deus, et ad perpetuæ ducant salvationis effectum. Per Dominum nostrum.

Quæsumus, omnipotens Deus, [e] ut munus divinum, quod sumpsimus, salutari nobis prosit effectu. Per.

XVII.

ITEM BENEDICTIONES

Super populum post communionem.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, de abundantia misericordiarum tuarum famulos et famulas tuas præsta locupletes, præsta securos, ut confirmati benedictionibus tuis, abundent in omni gratiarum actione, teque perpetua exultatione benedicant. Per.

Gregem tuum, Pastor bone, placatus intende, et oves quas pretioso sanguine redemisti diabolica non sinas incursione lacerari. Per.

Benedic, Domine, hanc familiam tuam in cælestibus, et reple eam donis tuis spiritalibus; concede eis charitatem, gaudium, pacem, patientiam, bonitatem, mansuetudinem, spem, fidem, continentiam; et repleti omnibus castitatem donis tuis desiderantes, ad te pervenire mereantur. Per.

[a] Ita emendavimus ex Pamelio, cum in exemplari perperam ponatur: *non æstimarum mentis, sed veniam.*

[b] Lege: *jejunii.*

[c] Lege: *apertionum.*

[d] In Missali Romano: *et Majestati.*

[e] Ita correximus, quia minus apte in Exemplari scribitur: *ut munere divino.*

Benedicat vos Deus omni benedictione cælesti, sanctosque puros efficiat in conspectu suo; superabundent in vos divitiæ gloriæ ejus; verbo veritatis instruat, et Evangelio salutis erudiat, omniumque sanctorum charitate locupletet. Per.

Plebis tuæ, quæsumus, Domine, ad te semper corda converte, et quam tantis facis patrociniis adjuvari, perpetuis non desinas gubernare præsidiis. Per.

Propitiare populo tuo, Deus, ut, a suis pravitatibus liberatus, et toto tibi corde deserviat, et sub tua semper protectione consistat. Per.

Tuere, quæsumus, Domine, familiam tuam, et spiritalibus instrue disciplinis. Per Dominum nostrum.

Familia tua, Deus, et ad celebranda principia suæ redemptionis desideranter occurrat, et ejus dona perseveranter adquirat. Per.

Fideles tuos, Domine, quæsumus, corpore pariter et mente purifica, ut, tua inspiratione compuncti, noxias delectationes vitare prævaleant, atque ut earum non capiantur inlecebris, tua semper suavitate pascantur. Per.

Propitiare, Domine, populo tuo; et ab omnibus absolve peccatis, ut quod nostris offensionibus promeremur, tua indulgentia repellatur. Per.

Adesto, Domine, supplicibus tuis, et nihil de sua conscientia præsumentibus, ineffabili miseratione succurre, ut quod non habet fiducia meritorum, tua consecret largitas invicta donorum. Per Dominum nostrum.

Da, quæsumus, Domine, populo tuo et mentem qua tibi devotus existat, et intellectum quo justa deposcat, et propitiationem tuam, qua pie desiderantibus quæ sint profutura proficiat. Per.

Plebem nomini tuo subditam, Domine, propitius intuere, eique consolationes tuas jugiter per cælestem gratiam dignanter operare. Per.

Familiam tuam, Domine, pervigili protectione conserva, et perpetuis defende præsidiis, ut, omni semper inordinatione seclusa, tua jugiter providentia dirigatur. Per.

Respice, Domine, propitius plebem tuam, et toto tibi corde subjectam præsidiis invictæ pietatis attolle. Per.

XVIII.

ORAT. COTIDIANIS DIEBUS

Ad missas.

Perpetua, quæsumus, Domine, pace custodi, quos in te sperare donasti. Per Dominum nostrum.

Adesto nobis, misericors Deus, et tuæ pietatis in nobis propitius dona concede. Per.

Secreta.

Munera, Domine, tibi dicata, quæsumus, sanctifica, et per eadem nos placatus intende. Per.

[a] ....

Mysteria sancta nos, Domine, et spiritalibus expleant alimentis, et corporalibus tueantur auxiliis. Per.

XIX.

ITEM ALIA MISSA.

Exaudi nos, miserator et misericors Deus, et continentiæ salutaris propitius nobis dona concede. Per.

Plebis tuæ, Deus, ad te corda converte, ut tuo munere talis existat, cui tu perpetua beneficia largiaris. Per.

Secreta.

Mystica nobis, Domine, prosit oblatio, quæ nos et a reatibus nostris expediat, et perpetua salvatione confirmet. Per Dominum.

Postcommun.

Sancta tua nos, Domine, quæsumus, et a peccatis exuant, et a cælestis vitæ vigore confirment. Per

XX

ITEM ALIA MISSA.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut plebs tua toto tibi corde deserviens, et beneficia tua jugiter mereatur et pacem. Per.

Miserere nostri, Deus, et tuæ nobis pietatis effectus potenti bonitate largire. Per.

Secreta.

Suscipe, Domine, quæsumus, hostiam redemptionis humanæ, et salutem nobis mentis et corporis operare placatus. Per.

Postcommun.

Tui nobis, Domine, communio sacramenti et purificationem conferat; et tribuat unitatem. Per.

XXI.

ITEM ALIA MISSA.

Rege nostras, Domine, propitius voluntates, ut nec propriis iniquitatibus implicentur, nec subdantur alienis. Per.

Da famulis tuis, Deus, indulgentiam peccatorum, consolationem vitæ, gubernationemque perpetuam, qua tibi fideliter servientes, ad tuam jugiter misericordiam pervenire mereantur. Per.

Secreta.

Tua sacramenta nos, Deus, circumtegant et reforment, simulque nobis temporale remedium conferant et æternum. Per.

Postcommun.

Tua sancta nobis, omnipotens Deus, quæ sumsimus, et indulgentiam præbeant, et auxilium perpetuæ defensionis impendant. Per Dominum.

XXII.

ITEM ALIA MISSA.

Comprime, Domine, quæsumus, noxios semper incursus, et salutarem temporibus nostris propitius da quietem. Per.

Tu, Domine, semper a nobis omnem remove pravitatem, et ad tuam nos propitius converte justitiam. Per.

Secreta.

In tuo conspectu, Domine, quæsumus, talia nostra munera efficiant, quæ et placare te valeant, et nos tibi placere perficiant [b].

[a] In margine: *Postcommun.*

[b] In margine: *Per.*

Postcommun.

Tua nobis, Domine, medicinalis operatio, et a nostris perversitatibus clementer expediat, et ad ea quæ sunt recta perducat. Per.

XXIII.

ITEM ALIA MISSA.

Ab omnibus nos defende, quæsumus, Domine, semper adversis, et continuis tuere præsidiis. Per.

Conserva populum tuum, Deus, et tuo nomini fac devotum, ut divinis subjectus officiis et temporalis viriliter et æternæ dona perficiat. Per.

Secreta.

Hæc nos oblatio, Deus, mundet et renovet, gubernet et protegat. Per.

Postcommun.

Cælestibus, Domine, pasti deliciis, quæsumus, ut semper eadem [a], quo veraciter vivimus, adpetamus. Per.

Adsit, Domine, fidelibus tuis sacræ benedictionis effectus, qui mentes omnium spiritali vegetatione disponat, ut pro opera pietatis tuæ muneribus impleantur. Per.

XXIIII.

ORATIONES

Ad proficiscendum in itinere.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et viam famuli tui *illius* in salutis tuæ prosperitate dispone, ut inter omnes vitæ hujus varietates tuo semper protegatur auxilio. Per.

Deus, qui diligentibus te misericordiam tuam semper impendis, et a servientibus tibi in nulla es regione longinquus, dirige viam famuli tui *illius* in voluntate tua, ut te protectore, et te perduci, per justitiæ semitas sine offensione gradiatur. Per.

Exaudi, Domine, preces nostras, et profectioni famuli tui *illius* misericordiam tuam, qui semper es ubique, prætende, ut ab omnibus adversitatibus tua opitulatione defensus, justorum desideriorum potiatur effectibus. Per.

Secreta.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et has oblationes, quas tibi offerimus pro famulo tuo *illo* benignus adsume, ut viam illius et præcedente gratia tua dirigas, et subsequente comitari digneris, ut de actu atque incolumitate secundum misericordiæ tuæ præsidia gaudeamus. Per.

Infra actionem

Hanc igitur oblationem, Domine, famuli tui *illius*, quam tibi offert ob desiderium animæ suæ, commendans tibi Deo iter suum, placatus suscipias deprecamur; cui tu, Domine, angelum pacis mittere digneris angelum tuum sanctum, sicut misisti famulo tuo Tobiæ Raphael angelum, qui eum salvum atque incolumem perducat usque ad loca destinata, iterato tempore opportuno, omnibus rite perfectis, reduci

A eum faciat in tua sancta Ecclesia, et lætus tibi et nomini tuo gratias referat. Per.

Item infra action.

Hanc igitur oblationem, Domine, famuli tui *illius*, quam tibi offert pro salute famuli tui *illius*, placatus suscipias deprecamur. Pro quo Majestati tuæ fundimus preces, ut eum, confirmata pacis fœdera, cum omni gaudio ad nos quantocius facias remeare. Per. Quam obl.

Postcommun.

Deus infinitæ misericordiæ, et majestatis immensæ, quem nec spatia locorum, nec intervalla temporum, ab his quos tueris abjungunt, adesto famulis tuis in te ubique fidentibus, et per omnem quam acturi sunt viam, dux eis et comes esse dignare, nihil illis
B adversitatis noceat, nihil difficultatis obsistat; cuncta eis salubria, cuncta sint prospera, ut sub ope dexteræ tuæ quidquid justo expetierunt desiderio, celeri consequantur effectu. Per.

Item alia.

Deus, qui ad vitam ducis, et confitentes in te paterna protectione custodis, quæsumus ut præsenti famulo tuo a nobis egredienti angelicum tribuas comitatum, ut ejus auxilio protectus, nulla mali concutiatur formidine, nullo comprematur adversitatis angore [b], nullis inruentis inimici molestetur insidiis; sed spatiis necessarii itineris prospero gressu peractis, propriisque locis feliciter restitutus, universos reperiat sospites, ac debitas exolvat tuo nomini grates. Per.

C

XXV.

ITEM ORATIONES

Ad iter agentibus.

Deus, veræ beatitudinis auctor atque largitor, dirige nos in eam, quam immaculati ambulant viam, ut testimonia legis tuæ piis cordibus exquirentes, perseveremus et diligere quod præcipiunt, et desiderare quo ducunt. Per.

Deus, qui sanctorum tuorum dirigis gressus, a nobis iniquitatis viam, et nostri tua lege miserere, ut non obliti judicia tua, viam mandatorum dilatato corde curramus. Per.

XXVI.

ORAT. PRO CHARITATE.

Deus, qui diligentibus te facis cuncta prodesse,
D da cordibus nostris inviolabilem charitatis effectum, ut desideria de tua inspiratione concepta nulla possint tentatione mutari. Per.

Deus, qui [c] justitiam tuam eligis, in cordibus credentium digito tuo scribis, da nobis fidei, et [d] spei, charitatisque augmentum; et ut mereamur adsequi quod promittis, fac nos amare quod [e] præcepisti. Per.

Secreta.

Deus, qui nos ad imaginem tuam [f] sacramentis renovas et præceptis, perfice gressus nostros in semitis tuis, ut charitatis donum, quod fecisti a nobis

[a] In Missali Romano : *per quæ.*
[b] Lege : *nullius.*)
[c] Apud Pamelium : *justitiam tuæ legis.*

[d] Pamelio : *spei et charitatis.*
[e] Apud eumdem : *præcipis.*
[f] Lege : *tuam tuis.*

sperari, per hæc quæ offerimus facias sacrificia ad- A prehendi. Per.

Postcommun.

Libera nos, Domine, ab omni malo, propitiusque concede ut quæ nobis poscimus relaxari, ipsi quoque proximis remittamus. Per.

XXVII.

ITEM ALIA MISSA.

Deus largitor pacis, et amator charitatis, da servis tuis veram cum tua voluntate concordiam, ut ab omnibus, quæ nos pulsant tentationibus liberemur. Per Dominum nostrum.

Deus, qui, cum omnes creaturas diligens feceris, in eam indulgentiam hominem, ut etiam illum ab impietatibus [a] redimeres, condidisti, da servis tuis hunc charitatis affectum, ut bona pro malis rependere tuo incitentur exemplo. Per. B

Secreta.

His, Domine, sacrificiis, quæsumus, concede placatus, ut qui propriis oramus absolvi delictis, non gravemur externis. Per.

Postcommun.

Spiritum nobis, Domine, tuæ charitatis infunde, ut quos uno cælesti pane satiasti, una facias pietate concordes. Per.

Ad populum.

Da Ecclesiæ tuæ, Domine, non superbe sapere, [b] tibi placita humilitate proficere, ut proterva despiciens, et matura quæque desiderans exerceat libera charitate. Per.

Confirma, Domine, quæsumus, tuorum corda fidelium, et gratiæ tuæ virtute corrobora, ut et in tua C sint supplicatione devoti, et mutua dilectione sinceri. Per.

XXVIII.

ORAT. IN TRIBULATIONE.

Ineffabilem misericordiam tuam, Domine, nobis clementer ostende, ut simul nos et a peccatis exuas, et a pœnis, quas pro his meremur, eripias. Per.

Parce, Domine, parce peccantibus; et ut ad propitiationem tuam possimus accedere, spiritum nobis tribue corrigendi. Per.

Secreta.

Quæsumus, Domine, nostris placare muneribus quo tu eadem tribuis, ut placeris. Per.

Postcommun.

Sumpti sacrificii, Domine, perpetua nos tuitio non D relinquat, et noxia semper a nobis cuncta depellat. Per.

XXVIIII.

ITEM ALIA MISSA.

Adesto, Domine, fidelibus tuis, et quibus supplicandi tribuis miseratus affectum, concede benignissime consolationis auxilium. Per.

Da nobis, quæsumus, Domine, de tribulatione lætitiam, ut qui diu pro nostris peccatis affligimur, intervenientibus sanctis tuis, celerius in tua misericordia respiremus. Per.

Secreta.

Suscipe, quæsumus, Domine, preces populi tui cum oblationibus hostiarum, et tua mysteria celebrantes ab omnibus defende periculis. Per.

Postcommun.

Vivificet nos, Domine, sacra participationis infusio, et perpetua protectione defendat. Per Dominum nostrum.

XXX.

ITEM ALIA MISSA.

Parce, Domine, parce peccatis nostris: et quamvis incessabiliter delinquentibus continua pœna debeatur, præsta, quæsumus, ut quod ad perpetuum meremur exitium transeat ad correptionis auxilium. Per.

Memor esto, Domine, fragilitatis humanæ; et qui juste verberas peccatores, parce propitiatus afflictis. Per.

Secreta.

Propitiare, Domine, populi tui propitiatus muneribus, ut hac oblatione placatus, et indulgentiam nobis tribuas et postulata concedas. Per.

Postcommun.

Vitia cordis humani hæc, Domine, quæsumus, medicina compescat, quæ mortalitatis nostræ venit curare languores. Per Dominum nostrum.

XXXI.

ITEM ALIA MISSA.

Domine Deus, qui ad hoc irasceris, ut subvenias, ad hoc minaris, ut parcas, lapsis manum porrige, et laborantibus multiplici miseratione succurre, et qui per te redempti sunt, ad spem vitæ æternæ tua moderatione serventur. Per.

Adesto, Domine, invocationibus nostris, et non sit a nobis clementiæ tuæ longinqua misericordia: sana vulnera, remitte peccata, ut, nullis iniquitatibus a te separati, tibi semper adhærere possimus. Per.

Secreta.

Sacrificia, Domine, tibi cum Ecclesiæ precibus immolanda, quæsumus, corda nostra purificent, et indulgentiæ tuæ nobis dona concilient, et de adversis prospera sentire perficiant. Per.

Postcommun.

Cælestis doni benedictione percepta, supplices te, Deus omnipotens, deprecamur, ut hoc idem et sacramenti causa sit nobis et salutis. Per.

XXXII.

ITEM ALIA MISSA.

Omnipotens et misericors Deus, qui peccantium non vis animas perire, sed culpas, contine quam meremur iram, et quam precamur effunde clementiam, ut mœrore in gaudium per tuam misericordiam transferamur. Per.

Deus, refugium pauperum, spes humilium, salusque miserorum, supplicationes populi tui clementer exaudi, ut quos justitia verberum fecit afflictos, abundantia remediorum faciat consolatos. Per.

[a] Ita emendavimus, nam in Exemplari habetur: *redemeris*.

[b] In Missali Romano: *sed tibi*.

Secreta.

Suscipe, Domine, propitiatus hostias, quibus et te [a] placare voluisti, et nobis salutem potenti pietate restitui. Per.

Postcommun.

Quos munere, Domine, cælesti reficis, divino tuere præsidio, ut tuis mysteriis perfruentes, nullis subdamur adversis. Per.

XXXIII.

ITEM ALIA MISSA.

Deus, qui offensionibus servorum tuorum et juste irasceris, et clementer ignoscis, præsta supplicibus indulgentiam peccatorum, ut, reparato statu tibi subditæ libertatis, et correptio ab iniquitate, et cessatio fiat a verbere. Per.

Parce, Domine, parce supplicibus; da propitiationis auxilium, qui præstas etiam per ipsa flagella remedium; nec hæc tua correptio, Domine, sit negligentibus major causa pœnarum, sed fiat eruditio paterna correptis. Per.

Secreta.

Oblationibus, Domine, placare susceptis, et ad te nostras etiam rebelles compelle propitius voluntates. Per.

Postcommun.

Sit nobis, quæsumus, Domine, medicina mentes et corporibus, quod de sancti altaris tui benedictione percipimus, ut nullis adversitatibus perfruamur, qui tanti remedii participatione munimur. Per.

XXXIIII.

ITEM ALIA MISSA.

Deus infinitæ misericordiæ et bonitatis immensæ, propitiare iniquitatibus nostris, et omnibus animarum nostrarum medere languoribus, ut miserationum remissione percepta, semper in tua benedictione lætemur. Per.

Secreta.

Tuere nos, Domine, divinis propitius sacramentis, et ut his congrue famulemur, eorum præsta potenter effectum. Per.

Postcommun.

Muniat, quæsumus, Domine, fideles tuos sumpta vivificatio sacramenti, et a vitiis omnibus expeditos in sancta faciat devotione currentes. Per.

XXXV.

ITEM ALIA MISSA.

Deus, sub cujus oculis omne [b] contrepidat, et omnes conscientiæ pavescunt, propitiare [c] omnium gemituum, et cunctorum medere vulneribus, ut sicut nemo nostrum liber a culpa est, ita nemo sit alienus a venia. Per.

Omnipotens sempiterne Deus, qui timore sentiris, dilectione coleris, confessione placaris, misericordiam tuam effunde supplicibus, ut qui de meritorum qualitate diffidimus, non judicium tuum, sed indulgentiam sentiamus. Per.

Secreta.

Sacrificia nos, Domine, celebranda purificent, et cælestibus imbuant institutis. Per.

Postcommun.

Præsta, Domine, quæsumus, ut, terrenis affectibus [d] expiati, ad superni plenitudinem sacramenti, cujus libavimus sancta, tendamus. Per.

XXXVI.

ITEM ALIA MISSA.

Deus humilium consolator, et fidelium fortitudo, propitius esto supplicibus, ut humana fragilitas, quæ per se proclivis est ad labendum, per te semper muniatur ad standum; et quæ per se prona est ad offensam, per te semper reparetur ad veniam. Per.

Suscipe, misericors Domine, supplicum preces, et secundum multitudinem indulgentiarum tuarum ab omnibus nos absolve peccatis, ut ad omnia pietatis opera, te parcente, reparemur, et quos venia feceris innocentes, auxilio facias efficaces. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Secreta.

Hæc hostia, Domine, quæsumus, et ab occultis Ecclesiam tuam reatibus semper expediat, et manifestis convenienter expurget. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Postcommun.

Purificent nos, Domine, sacramenta quæ sumpsimus, et a cunctis efficiant vitiis absolutos. Per Dominum nostrum Jesum Christum

XXXVII.

ITEM ALIA MISSA.

Si iniquitates nostras observaveris, Domine, quis sustinebit? Precamur ergo clementiam tuam, ut ubi nulla fiducia suppetit actionum, gratia tua copiosa resplendeat, et cum delicta remittit indignis, et cum beneficia præstat immeritis. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Misericors et miserator, Domine, [e] æqui nos parcendo sustentas, et ignoscendo sanctificas, da veniam peccatis nostris, et sacramentis cælestibus servientes, ab omni culpa liberos esse concede. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Secreta.

Hostias tibi, Domine, placationis offerimus: ut et delicta nostra miseratus absolvas, et nutantia corda tu dirigas. Per Dominum nostrum Jesum.

Postcommun.

Supplices te rogamus, Deus, ut quos tuis reficis sacramentis, [f] et tibi placitis moribus dignanter informes. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

ORAT. IN NATAL. PRESBYTERI,

qualiter sibi miss. debeat celebrare.

Deus, cujus arbitrio omnium sæculorum ordo de

[a] Apud Menardum: *placari*

[b] Scribendum videtur: *cor trepidat.* — Sic etiam Menardus.

[c] Idem: *omnium doloribus gementium.*

[d] Lege: *expiatis.*

[e] Apud Menardum: *qui nos.*

[f] Menardus: *tibi*, sine *et*.

currit, respice propitius ad me famulum tuum, quem ad ordinem presbyterii promovere dignatus es; et ut tibi mea servitus placeat, tua in me misericorditer dona conserva. Per.

Domine Deus noster, verax promissor, propitiare operi tuo, et mihi famulo tuo servienti tibi tribuas perseverantem in tua voluntate famulatum, ut diebus nostris ut merito et numero populus tibi serviens augeatur. Per.

Super obl

Perfice, Domine, quæsumus, benignus in nobis, ut quæ sacris mysteriis profitemur, piis actionibus exequamur. Per.

Hanc igitur oblationem, Domine, servitutis meæ, quam tibi offero ego famulus tuus et sacerdos, pro eo quod me eligere dignatus es in ordinem presbyterii, ut sacrificiis tuis ac divinis altaribus deservirem, pro hoc reddo tibi vota mea Deo vero et vivo, Majestatem tuam suppliciter implorans, ut opera manuum tuarum in me ipse custodias, et idoneum me [a] pro omnia ministrum tuæ voluntatis efficias. Per.

Postcommun.

Munerum tuorum, Domine, [b] largitate sumentes, supplices deprecamur, ut quibus donasti hujus ministerii servitutem, exequendi gratiæ tuæ tribuas facultatem. Per Dominum.

XXXVIII.

ORATIONES

Tempore (quod absit) mortalitatis.

Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, populum tuum, quæsumus, ad te converte propitius, ut dum tibi devotus extiterit, iracundiæ flagella amoveas. Per.

Populum tuum, quæsumus, omnipotens Deus, ab ira tua ad te confugientem paterna recipe pietate, ut qui tuæ majestatis flagella formidant de tua mereantur venia gratulari. Per.

Secreta.

Subveniat nobis, Domine, quæsumus, sacrificii præsentis operatio, quæ nos et ab erroribus universis potenter absolvat, et a totius eripiat perditionis incursu. Per.

Postcommun.

Tui nos, Domine, quæsumus, tua sancta sumentes, et ab omni propitius iniquitate defende. Per.

XXXIIII.

ITEM ALIA MISSA.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus, omnipotens Deus, placatus intende conventum; et misericordia tua nos potius quam ira præveniat, quia si iniquitates nostras observare volueris, nulla poterit creatura subsistere; sed admirabili pietate, qua nos fecisti, ignosce peccantibus, ut opera manuum tuarum non facias interire. Per.

Exaudi, Domine, preces nostras, et ne velis cum servis tuis adire judicium, quia sicut in nobis nulla justitia reperitur, de qua præsumere valeamus, ita te fontem pietatis agnoscimus, a quo et a peccatis nostris nos ablui, et a necessitatibus liberari confidimus. Per.

Secreta.

Per hæc, quæsumus, veniat, Domine, sacramenta nostræ redemptionis effectus, qui nos et ab humanis retrahat semper excessibus, et ad salutaria cuncta perducat. Per.

Postcommun.

Hujus operatio nos, Domine, sacramenti, quæsumus, purificet semper et muniat. Per.

XL.

ITEM ALIA MISSA.

Deus, cujus misericordia cælestium quoque virtutum indigent potestates, et in cujus conspectu nullus est hominum absque sorde et pœna peccati, delicta populi tui, quæsumus, averte propitiatus, ut quos propriæ conscientiæ reatus accusat, bonitatis tuæ patientia faciat veniam promoveri. Per Dominum nostrum.

Deus, cujus tanta est excellentia pietatis, ut, uno peccatore converso, maximum gaudium facias in cælis habere, respice in exigua populi portione, ut, omni vexatione depulsa, hæreditas tua in numero augeatur, et devotione perficiat. Per.

Secreta.

Protegat nos, Domine, quæsumus, hostia salutaris; et quæ ad honorem tui nominis immolatur, nobis prosit ad veniam. Per.

Postcommun.

Sancta tua nos, Domine, sumpta vivificent, et misericordiæ sempiternæ præparent expiatos. Per Dominum nostrum.

XLI.

ITEM ALIA MISSA.

Exaudi, Domine, quæsumus, populum tuum de tua misericordia malorum suorum veniam supplicantem; et quia potens es peccata dimittere, supplicia, quæ nostris meremur operibus, potentia tuæ pietatis averte. Per.

Iram tuam, quæsumus, Domine, a populo tuo miseratus averte, quam nostris quidem meremur operibus, sed humana fragilitate sustinere non possumus: illa nos itaque contine pietate, quam præstare soles indignis. Per.

Secreta.

Concede nobis, Domine, quæsumus, ut hæc hostia salutaris et nostrorum fiat purgatio delictorum, et tuæ propitiatio potestatis. Per.

Postcommun.

Plebem nomini tuo subditam, Domine, propitius intuere, eique tuas consolationes jugiter per cælestem gratiam dignanter operare. Per.

XLII.

ORAT. PRO MORTALITATE ANIMALIUM.

Deus, qui laboribus hominum etiam de mutis ani

[a] Lege: *per.* — Sic et Pamelius.

[b] Idem: *largitatem.*

malibus solatia subrogasti, supplices te rogamus, ut A sine quibus non alitur humana conditio, nostris facias usibus non perire. Per Dominum.

Deus, qui humanæ fragilitati necessaria providisti, misericors, adminicula jumentorum, quæsumus eadem, miseris consulendo, non subtrahas; et quorum nostris meritis sævit interitus, tua, nobis parcendo clementia cessare jubeas vastitatem. Per.

Secreta.

Sacrificiis, Domine, placatus oblatis, opem tuam nostris temporibus clementer impende. Per.

Postcommun.

Benedictionem tuam, Domine, populus fidelis accipiat, qua corpore salvatus ac mente, et congruam tibi semper exhibeat servitutem, et propitiationis tuæ beneficia semper inveniat. Per. B

Averte, Domine, quæsumus, a fidelibus tuis cunctis miseratus errores, et sævientium morborum depelle perniciem, ut quos merito flagellas devios, foveas tua miseratione correctos. Per.

XLIII.

ORAT. DE STERILITATE.

Sempiternæ pietatis tuæ abundantiam, Domine, supplices imploramus, ut nos beneficiis, quibus non meremur, anticipans, benefacere cognoscaris indignis. Per..

Da nobis, quæsumus, Domine, piæ supplicationis effectum, et pestilentiam famemque propitiatus averte, ut mortalium corda cognoscant et te indignante talia flagella producere, et te miserante cessare. Per. C

Secreta.

Deus, qui humani generis utramque substantiam præsentium munerum et alimento vegetas, et renovas sacramento, tribue, quæsumus, ut eorum et corporibus nostris subsidium non desit et mentibus. Per.

Postcommun.

Guberna, quæsumus, Domine, temporalibus adjumentis, quos dignaris æternis informare mysteriis. Per Dominum nostr.

XLIIII.

ORAT. AD PLUVIAM POSTULANDAM.

Deus, in quo vivimus, movemur et sumus, pluviam nobis tribue congruentem, ut, præsentibus D subsidiis sufficienter adjuti, sempiterna fiducialius appetamus. Per.

Terram tuam, Domine, quam videmus nostris iniquitatibus tabescentem, cælestibus aquis infunde, atque inriga beneficiis gratiæ sempiternæ. Per.

Delicta, Domine, quæsumus, miseratus absolve, et aquarum subsidia præbe cælestium, quibus terrena conditio vegetata subsistat. Per Dominum nostrum.

Secreta.

Oblatis, Domine, placare muneribus, et opportunum tribue nobis pluviæ sufficientis auxilium. Per.

Postcommun.

Tuere nos, Domine, quæsumus, tua sancta sumentes, et ab omnibus propitius absolve peccatis. Per.

XLV.

ITEM ALIA MISSA.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus munere elementa omnia recreantur, reminiscere miserationum tuarum, et salutiferos imbres humano generi concede propitius, quatenus fœcunditatis tuæ alimoniis omnis terra lætetur. Per.

Omnipotens sempiterne Deus, petimus divinam clementiam tuam, ut faciem totius terræ largioribus imbribus inrigare digneris, aurasque salubres tribuas, atque ægris restituas pristinam sanitatem, et animæ, quæ promissiones tuas sitiunt, de tua semper charitate abundantia repleantur. Per.

Deus, qui ad mutandam aeris qualitatem operis cælum nubibus, et paras terræ pluviam, aperi fontem benignitatis tuæ, et terram squalidam et ariditatem pulveream læto imbre fœcunda, ut recipisse nos veniam peccatorum, cessante jam correptione, lætemur. Per.

Secreta.

Placare, Domine, muneribus semper acceptis, et diuturna [a] tempora diffusis nubibus siccitatem. Per.

Postcommun.

Precibus populi tui, Domine, quæsumus, placatus adspira, ut veniam tribuas humanis excessibus, et opem miseris benignus [b] impende. Per Dominum nostrum.

Da nobis, Domine, quæsumus, pluviam salutarem, et aridam terræ faciem fluentis cælestibus dignanter infunde. Per.

XLVI.

ORATIONES

Ad poscendam serenitatem.

Ad te nos, Domine, clamantes exaudi, et aeris serenitatem nobis tribue supplicantibus, ut qui pro peccatis nostris juste adfligimur, misericordia tua præveniente, clementiam sentiamus. Per.

Deus, qui fidelium precibus flecteris, et humilium confessione placaris, conversis ad te propitiare supplicibus; et quos fecisti iram intelligere castigantis, fac misericordiam sentire parcentis. Per.

Deus, qui omnium rerum tibi servientium [c] natura, per ipsos modos aeris ad cultum tuæ majestatis instituis, tranquillitatem nobis misericordiæ tuæ, remotis largire terroribus, ut cujus iram expavimus, clementiam sentiamus. Per.

Secreta.

Præveniat nos, quæsumus, Domine, gratia tua semper et subsequatur, et has oblationes, quas pro peccatis nostris nomini tuo consecrandas deferemus [d], benignus adsume, ut per intercessionem sanctorum

[a] Apud Menardum : *tempera.*
[b] Apud Menardum : *impendas.*

[c] Idem : *naturam per ipsos motus*
[d] Idem : *deferimus.*

tuorum cunctis nobis [a] perficiant ad salutem. Per. A

Postcommun.

Plebs tua, Domine, capiat sacræ benedictionis augmentum, et copiosis beneficiorum tuorum sublevetur auxiliis, quæ tantis intercessionum deprecationibus adjuvatur. Per.

XLVII.

ORAT. [b] POST TEMPESTATEM ET FULGURA.

Magnificentiam tuam, Domine, precamur, suppliciter implorantes, ut quia nos eminentibus periculis exuisti, a peccatis quoque benignus absolvas, ut et beneficia nobis majora concedas, et tuis nos facias parere mandatis. Per.

A domo tua, quæsumus, Domine, spiritales nequitiæ pellantur, et [c] aerearum discedat malignitas potestatum. Per.

[d] . . . .

Offerimus, Domine, laudes et munera, pro concessis beneficiis gratias referentes, et pro concedendis semper suppliciter deprecantes. Per.

Postcommun.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos et castigando sanas, et ignoscendo conservas, præsta supplicibus tuis ut et [e] tranquillitatis hujus optatæ consolationi lætemur, et [f] dona tuæ pietatis semper utamur. Per.

XLVIII.

ORATIONES PRO HIS QUI AGAPE FACIUNT.

Oremus, dilectissimi nobis, omnipotenti Deo pro filio nostro *illo*; qui, recolens divina mandata, de justis laboribus suis victum indigentibus subministrat, quatenus hæc devotio ipsius, sicut nobis est necessaria, ita sit Deo semper accepta. Per.

Oremus.

Sanctum ac venerabilem retributorem bonorum operum Dominum deprecamur pro filio nostro *illo*, qui de suis justis laboribus victum indigentibus administrat, ut Dominus cælesti sua misericordia terrenam eleemosynam compenset, et spiritales divitias largiatur; tribuat ei magna pro parvis, pro terrenis cælestia, pro temporalibus sempiterna. Per.

XLVIIII.

ITEM ORAT. AD MISSAS.

Deus, qui post baptismi sacramentum secundum ablutionem peccatorum eleemosynis indidisti, respice propitius super famulum tuum *illum*, cujus operibus tibi gratiæ referuntur; fac eum præmio beatum, quem fecisti pietate devotum. Per.

Deus, qui homini ad tuam imaginem facto etiam spiritalem alimoniam præparasti, concede filio nostro famulo tuo *illo*, qui in pauperes tuos tua seminat dona, ut verius metat suorum operum fructus, et largitatis hodiernæ compensatio istius perpetua conferatur, recipiatque pro parvis magna, pro terrenis cælestia, pro temporalibus sempiterna [g]

Secreta.

Deus, qui tuorum corda fidelium per eleemosynam dixisti posse mundari, præsta, quæsumus, ut hujus consortiis sacramenti ut ad conscientiæ suæ fructum non gravare studeant miseros, sed juvare. Per.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, Domine, famuli tui *illius*, quam tibi offert ob justis eleemosynis suis, quod in pauperes tuos operatur, placatus suscipias deprecamur. Pro quo Majestati tuæ supplices fundimus preces, ut adjicias ei tempora vitæ, ut per multa curricula annorum lætus tibi in pauperes tuos hæc opere- B retur, atque annua tibi vota persolvat. Per Christum. Quam oblationem.

Postcommun.

Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius super hunc famulum tuum *illum*, qui in pauperes tuos operatur; virtute custodi, potestate tuearis, ut per multa curricula annorum lætus tibi in pauperes tuos hæc operetur. Per Dominum nostrum.

L.

MISSA IN MONASTERIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulos tuos spiritum gratiæ salutaris, et ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde. Per.

C Fac, quæsumus, Domine, famulos tuos toto semper ad te corde concurrere, tibi subdita mente servire, tuam misericordiam suppliciter implorare, et tuis jugiter beneficiis gratulari. Per.

Famulos tuos, quæsumus, Domine, placatus intende, pariterque eos et a peccatis absolve propitius, et a cunctis eripe benignus adversis. Per Dominum nostrum.

Secreta

Hostias, Domine, famulorum tuorum placatus intende; et quas in honore nominis tui devota mente celebrant, proficere sibi sentiant ad medelam. Per.

VD Per Christum Dominum nostrum. Qui dum confessores tuos tanta pietate glorificas, ut nullum apud te sanctum propositum doceas esse D sine præmio, quanto magis duriora certamina sustinentes ad tuæ quoque retributionis munus invitas? Et ideo.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, Domine, famulorum tuorum, quam tibi offerunt ob devotionem mentis suæ, pius ac propitius clementi vultu suscipias, tibique supplicantes libens protege, dignanter exaudi, et æterna eos protectione conserva, ut semper in tua religione lætantes, instanter in sanctæ Trinitatis fide catholica perseverent; nobis hæc quoque [h] unanimiter

[a] Lege : *proficiunt.*
[b] Apud Menardum : AD REPELLENDAM TEMPESTATEM.
[c] Lege : *aeriarum.*
[d] In margine : *Secreta.*
[e] Pamelius : *tranquillitatibus*
[f] Apud eumdem : *dono.*
[g] In marg. : *Per.*
[h] Lege : *unianimiter.*

et crebre petentibus ipse præstabis omnipotens Deus. [a] Per.

Postcommun.

Quos cælesti recreas munere, perpetuo, Domine, comitare præsidio; et quos fovere non desinis, dignos fieri sempiterna redemptione concede. Per.

LI.

ITEM ORAT. MONACHORUM.

Tu famulis tuis, quæsumus, Domine, bonos mores placatus institue, tu in eis quod tibi placitum sit dignanter infunde, ut et digni sint, et tua valeant beneficia promereri. Per.

Respice, quæsumus, Domine, famulos tuos, et in tua misericordia confidentes, cælesti protege benignus auxilio. Per.

Da famulis tuis, quæsumus, Domine, in tua fide et sinceritate constantiam, ut in charitate divina firmati, nullis tentationibus ab ejus integritate vellantur. Per.

Famulos tuos, quæsumus, Domine, tua semper gratia benedicat, et inculpabiles ad vitam perducat æternam. Per.

Famulos tuos, quæsumus, Domine, benignus intende, et eis dignanter pietatis tuæ impende custodiam. Per.

Famulis tuis, quæsumus, Domine, sperata concede, et ab omnibus eos culpis excusa. Per.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et famulos tuos assidua protectione conserva, ut qui tibi jugiter famulantur, continua remuneratione ditentur. Per.

LII.

INCIPIT ACTIO NUPTIALIS.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti, benignus adsiste, ut quod, te auctore, jungitur, te auxiliante servetur. [b]

Quæsumus, omnipotens Deus, instituta providentiæ tuæ pio favore comitare; et quos legitima societate connectis, longæva pace custodi. Per.

Secreta.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hanc oblationem famularum tuarum *illarum*, quam tibi offerunt pro famula tua *illa*, quam ad statum maturitatis et ad diem nuptiarum perducere dignatus es, placidus ac benignus adsume, ut quod tua dispositione expeditur, tua gratia compleatur. Per.

VD. Qui fœdera nuptiarum blando concordiæ jugo et insolubili pacis vinculo nexuisti, ut multiplicandis adoptionum filiis sanctorum connubiorum fœcunditas pudica serviret. Tua enim, Domine, providentia, tuaque gratia ineffabilibus modis utrumque dispensat, ut quod generatio ad mundi

A edidit ornatum, regeneratio ad Ecclesiæ perducat augmentum.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem famularum tuarum *illi* et *illas*, quam tibi offerunt pro famula tua *illa*, quæsumus, Domine, placatus accipias: pro qua majestatem tuam supplices exoramus, ut sicut eam ad ætatem nuptiis congruentem pervenire tribuisti, sic eam consortio maritali tuo munere copulatam desiderata sobole gaudere proficias, atque ad optatam seriem cum suo conjuge provehas benignus annorum, diesque nostros.

Infra actionem.

Ad tre. vel annualem nupt.

B Hanc igitur oblationem, Domine, famulorum tuorum *illi* et *illas*, quam tibi offerunt ob diem trigesimum conjunctionis suæ, *vel* annualem, quo die eos jugali vinculo sociare dignatus es, placatus suscipias deprecamur; ob hoc igitur reddunt tibi vota sua Deo vero et vivo, pro quibus tremendæ pietati tuæ supplices fundimus preces, ut pariter bene et pacifici senescant, et videant filios filiorum suorum usque in tertiam et quartam progeniem, et te benedicant omnibus diebus vitæ suæ. Per Christum Dominum nostrum. Quam oblationem tu, Deus.

[c] *Percompleis canonem plenariam et dicis orationem Dominicam, et sic eam benedicis his verbis:*

Incipit oratio.

Deus, qui mundi crescentis [d] exordio multiplicata C prole benedicis, propitiare supplicationibus nostris, et super hanc famulam tuam opem tuæ benedictionis infunde, ut in jugali consortio affectu compari, mente consimili, sanctitate mutua copulentur. Per.

Incipit benedictio.

Pater mundi conditor, nascentium genitor, multiplicandæ originis institutor, qui Adæ comitem tuis manibus addidisti, cujus ex ossibus ossa crescentia parem formam admirabili diversitate signarent, hinc ad totius multitudinis incrementum conjugalis thori jussa consortia, quo totum inter se sæculum colligarent, humani generis fœdera nexuerunt. Sic enim tibi, Domine, placitum, sic necessarium fuit: [e] ut quia longe est et infirmius quod hominem similem quem quod tibi Deo feceras additus fortiore sexus infirmior, ut unum efficeris D ex duobus; et pari pignore soboles mixta maneret tunc per ordinem flueret [f] dejesta posteritas, et priores ventura sequerentur, nec ullum sibi finem in tam brevi termino, quamvis essent caduca, proponerent. Ad hæc igitur datæ sint leges instituta venturæ: quapropter hujus famulæ tuæ pat. rudimenta sanctifica, ut bono et prospero sociata consortio, legis æternæ jussa custodiat; memineritque, Domine, non tantum ad licentiam

[a] Lege: *Per Christum.*

[b] In margine: *Per.*

[c] Menardus: *Percomples canonem plenarium.*

[d] Apud eumdem: *exordium.*

[e] Menardus in observationibus suis hanc benedictionem ita castigandam censuit: *ut quia longe est infirmius, quod homini simile, quam quod tibi Deo feceras, additur fortior sexus infirmiori, ut unum efficeres ex duobus.*

[f] Apud Menardum: *egesta*, apud quem vide castigationes hujus orationis mendosissimæ.

conjugalem, sed ad observantiam fidei sanctorum pignorum diligatam, fidelis et casta nubat in Christo, imitatrixque sanctarum permaneat fœminarum. Sit amabilis, ut Rachel, viro suo; sapiens, ut Rebecca; longæva et fidelis, ut Sarra. Nihil ex hac subsitivus ille auctor prævaricationis usurpet; nexa fidei mandatisque permaneat fœminarum, serviens Deo vero devota, muniat infirmitatem suam robore disciplinæ; uni thoro juncta, contactus vitæ illicitos fugiat. Sit verecunda, gravis, pudore venerabilis, doctrinis cælestibus erudita; sit fœcunda in sobole, sit probata et innocens, et ad beatorum requiem usque ad cælestia regna perveniat. Per.

Post hæc dicis : Pax vobiscum. *Et sic eos communicas. Deinde postea quam communicaverint, dicis super eos Bened. his verbis :*

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, iteratis precibus, te supplices exoramus, pro quibus apud te supplicator est Christus, conjunctiones famulorum tuorum fovere digneris; benedictiones tuas excipere mereantur, [a] et filiorum successibus fœcundentur; nuptias eorum [b] sicuti primi hominis confirmare dignare. Avertantur ab eis inimici omnes insidiæ, ut sanctitatem Patrum etiam in ipso conjugio imitentur; qui providentia tua, Domine, conjugi meruerunt. Per.

Item post commun.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut quod nostro ministratur officio, tua benedictione potius impleatur. Per.

LIII.

ORATIO IN NATALE GENUINUM.

Omnipotens sempiterne Deus totius conditor creaturæ, preces nostras clementer exaudi, et annos famuli tui *illius*, quem de maternis visceribus in hac vita prodere jussisti, prosperos plurimosque largire, ut omnem tibi exigat placiturus ætatem. Per Dominum nostrum.

Deus, qui sæculorum omnium cursum ac momenta temporum regis, exaudi nos propitius, et concede, ut famuli tui *illius*, cujus natalem divinæ celebramus consecratione mysterii, longævam ei largiaris ætatem; quatenus fidei ejus augmento multisque annorum curriculis hæc solemnitatis devotio perseveret. Per.

Secreta.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hanc oblationem famuli tui *illius*, quam tibi offert ob diem natalis sui genuinum, quo die cum de maternis visceribus in hunc mundum nasci jussisti, placidus ac benignus adsume. Per.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, Domine, famuli tui *illius*, quam tibi offert ob diem natalis sui celebrans genuinum, quo die cum de maternis visceribus in hunc mundum nasci jussisti ad te cognoscendum Deum verum et vivum, placatus suscipias deprecamur; ob hoc igitur reddit tibi vota sua Deo vivo et vero : pro quo Majestati tuæ supplices fundimus preces, ut adjicias ei annos et tempora vitæ, ut per multa curricula annorum lætus tibi hæc sua vota persolvat, atque ad optatam perveniat senectutem; et te benedicat omnibus diebus vitæ suæ. Per.

Postcommun.

Deus vita fidelium, timentium te salvator et custos, qui famulum tuum *illum* ad hanc diem natalis sui genuini, exempto anno, perducere dignatus es, gratiam in eo vitæ protectoris augmenta, et dies ejus annorum numerositate multiplica, ut, te annuente, per felicem provectus ætatem, ad principatum cælestium gaudiorum pervenire mereatur. Per.

LIIII.

ORATIONES AD MISS.

Pro sterilitate mulierum

Deus, qui emortuam vulvam Sarræ ita per Abrahæ semen fœcunditate dignatus es, ut ei etiam contra spem soboles nasceretur, preces famulæ tuæ *illius* pro sua sterilitate deprecantis propitius respice, et ei juxta tenorem præcedentium Patrum et fœcunditatem tribuas, et filium quem donaveris benedicas. Per.

Deus, qui famulum tuum Isaac pro sterilitate conjugii sui te deprecantem exaudire et conceptum Rebeccæ donare dignatus es, preces famulæ tuæ *illius* pro percipienda prole benignus exaudi, ut firmamentum spei, quod in tua misericordia posuit, ea ex percepto munere quod postulat confirmetur. Per.

Deus, qui opprobrium sterilitatis a Rachel auferens, dum anxietate prolem quæreret, meruit fœcundari, concede propitius, ut famula tua *illa* in earum fœminarum quæ tibi placuerunt sortem fœcunditatis accipiat, et quod fideliter a tua pietate deposcit obtineat. Per.

Omnipotens sempiterne Deus, qui continuum etiam post futuram ad te precem gemitum Annæ, dum eam fœcundares, in gaudium convertisti, desiderium famulæ tuæ *illius*, ut fœcundetur, propitius perfice, et ad laudem gloriæ [c] ab ea opprobrium sterilitatis benignus averte. Per.

Deus, cujus occulto consilio ideo Helisabeth sterilis uterus extitit, ut quandoque angelica potius voce fœcundaretur, concede propitius ut sicut illa in Judaico populo præcursorem Domini, ita famula tua *illa* in filio, qui ad credulitatem tibi hujus populi pure deserviat, fœcundetur. Per.

Deus, qui anxietate sterilium pie respiciens, in eis fœcunditatem etiam in sua desperatione mirabiliter operaris, concede propitius ut famula tua *illa* de percipienda sobole, quod per se non valet, servi tui Gregorii mereatur precibus obtinere. Per.

Omnipotens sempiterne Deus, qui maternum affectum nec in ipsa sacra semper virgine Maria, quæ Redemptorem nostrum genuit, denegasti, concede propitius ut ejusdem Dei Genitricis precibus famula tua *illa* esse genitrix mereatur. Per.

[a] Lege : *ut filiorum.*
[b] Lege : *sicut.*

[c] Adde : *tuæ.*

Secreta.

Suscipe, Domine, preces nostras cum muneribus hostiarum, quas pro famula tua *illa* clementiæ tuæ supplici mente deferimus, ut quia affectum filiorum maxime in matrum visceribus indidisti, mærorem infæcunditatis ab ea submoveas, et ad concipiendam sobolem misericorditer benedicas. Per [a] Dominum.

Infra action.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ, quam tibi offerimus pro famula tua *illa*, quæsumus, Domine, ut placatus suscipias : pro qua Majestati tuæ supplices fundimus preces, ut orationem ejus exaudias, et ejus uterum vinculum sterilitatis absolvens, et prolem, in qua nomen tuum benedicatur, concedas ; diesque nostros.

Postcommun.

Cælestis vitæ munus accipientes, quæsumus, omnipotens Deus, quod pro famula tua *illa* deprecati sumus, clementer a tua pietate exaudiri mereatur. Per.

LV.

BENEDICT. VIDUÆ,

Quæ fuerit castitatem professa.

Consolare, Domine, hanc famulam tuam viduitatis languoribus constrictam, sicut consolare dignatus es Sarapthenam viduam per Heliam prophetam, concede ei pudicitiæ fructum, ut antiquarum non memineat voluptatum ; nesciat etiam incentiva desideria, ut soli tibi subdat propria colla, quo possit pro laboribus tantis sexagesimum gradum percipere munus delectabile sanctitatis. Per.

LVI.

ORAT. PRO PACE.

Deus, a quo sancta desideria, et recta sunt consilia, et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem, ut et corda mandatis tuis dedita, et, hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per.

Deus conditor mundi, sub cujus arbitrio omnium sæculorum ordo decurrit, adesto propitius invocationibus nostris, et tranquillitatem pacis præsentibus concede temporibus, ut in laudibus misericordiæ tuæ incessabili exultatione lætemur. Per.

Deus in te sperantium fortitudo, conserva in populis tuis quod es dignatus operare ; potentis misericordiæ tuæ ostende virtutem, ut qui superba impetimur hostium feritate, tua mereamur pace gaudere. Per.

Secreta.

Deus, qui credentes in te [b] populis nulli sinis [c] nocere terroribus, dignare [d] precibus et hostiis dicatæ tibi plebis suscipere, ut pax a tua pietate concessa Romanos fines ab omni hoste faciat esse securos. Per.

Postcommun.

Deus auctor pacis et amator, quem nosse, vivere,

A cui servire, regnare est, protege ab omnibus impugnationibus supplices tuos, [e] ut qui defensione tua fidemus, nullius hostilitatis arma timeamus. Per.

Deus, qui misericordiæ tuæ potentis, [f] auxilium et prospera tribuis, et adversa depellis, universa obstacula, quæ servis tuis adversantur, expugna, ut, remoto terrore bellorum, et libertas secura, [g] religio sit quieta. Per.

LVII.

ORAT. TEMPORE BELLI.

Deus, [h] qui conteres bella, et impugnatores in te sperantium [i] potentiæ tuæ defensionis expugnas, auxiliare implorantibus misericordiam tuam, ut, omnium gentium feritate compressa, indefessa te gratiarum actione laudemus. Per.

B Deus regnorum omnium, regumque dominator, qui nos et percutiendo sanas, et ignoscendo conservas, prætende nobis misericordiam tuam, ut tranquillitate pacis, tua potestate [j] firmati, ad remedia correctionis utamur. Per Dominum nostrum.

Deus cujus regnum est omnium sæculorum, supplicationes nostras clementer exaudi, et Romanorum [k] regum tibi subditum protege principatum, ut in tua virtute fidentes, et tibi placeant et super omnia regna præcellant. Per.

Secreta.

Sacrificium, Domine, quod immolamus, intende, ut ab omni nos exuat bellorum nequitia, et in tuæ protectionis securitate constituat. Per.

Postcommun.

C Sacrosancti corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi refectione vegetati, supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut hoc remedio singulari ab omnium peccatorum nos contagione purifices, et a periculorum munias incursione cunctorum. Per.

LVIII.

ITEM ALIA MISSA.

Contere, quæsumus, Domine, hostes populi tui, et delicta nostra, quorum merito nobis dominantur, emunda, ut cum, te placito, puritatem mentibus nostris infunderis, largiaris et pacem. Per

Hostium nostrorum, quæsumus, Domine, elide superbiam, et dexteræ tuæ virtute prosterne. Per Dominum nostrum.

D Omnipotens Deus Romani nominis inimicos virtute, quæsumus, tuæ comprime Majestatis, ut populus tuus et fidei integritate lætetur ; et temporum tranquillitate semper exultet. Per.

Secreta.

Hujus, Domine, quæsumus, virtute mysterii, et a nostris mundemur occultis ; et ab inimicorum liberemur insidiis. Per.

Postcommun.

Vivificet nos, quæsumus, Domine, participatio tua

[a] Dele : *Dominum.*
[b] Menardus : *populos.*
[c] Apud Pamelium, et Menardum : *concuti.*
[d] Apud utrumque : *preces et hostias.*
[e] Menardus : *ut qui in defensione tua fidimus.*
[f] Apud eumdem : *auxilio.*

[g] Idem : *et Religio.*
[h] Apud eumdem : *conteris.*
[i] Menardo : *potentia.*
[j] Idem : *firmata.*
[k] Lege : *regnum.*

sancta [a] mysteriis, ut pariter nobis expiationem tribuat et munimen. Per.

LVIIII.

ITEM ALIA MISSA.

Deus, qui regnis omnibus æternis dominaris imperio, inclina ad preces humilitatis nostræ aures misericordiæ tuæ, et Romani regni adesto principibus, ut tua tranquillitatem clementer tua sint semper virtute victores. Per.

Propitiare, Domine, in te sperantibus populis, et a custodia Romani nominis dexteram tuæ protectionis ostende, ut regnum majestati tuæ deditum tua semper sit virtute defensum. Per.

Deus, qui sub tuæ majestatis arbitrio omnium regnorum contines potestatem, Romani imperii propitiare principibus, ut qui tua expectant protectione defendi, omnibus sint hostibus fortiores. Per.

Secreta.

Suscipe, Domine, propitius hostias, quibus et te [b] placare voluisti, et nobis salutem [c] potenti pietate restitui. Per.

Postcommun.

Adesto, Domine, populis qui sacra mysteria contigerunt, ut nullis periculis affligantur, qui te protectore confidunt. Per.

LX.

ITEM ALIA MISSA.

Deus, qui providentia tua cælestia simul et terrena moderaris, propitiare Romanis rebus et regibus, ut omnis hostium fortitudo, te pro nobis pugnante, frangatur. Per.

Deus servientium tibi fortitudo regnorum, propitius [d] Romani nominis esto principibus, ut quorum tibi [e] subjectior est humilitas, eorum ubique excellentior sit potestas. Per.

Deus, cujus regnum nulla sæcula prævenerunt, nulla concludunt, supplicationes nostras clementer exaudi, et Romanorum [f] regum tibi subditum protege principatum, ut in tua virtute fidentes omnibus sint hostibus fortiores. Per.

Secreta.

Propitiare, Domine, [g] preces et hostias famulorum tuorum, et propter nomen tuum Romani imperii defende rectores, ut salus servientium tibi [h] principatuum, pax tuorum possit esse populorum. Per.

Postcommun.

Protege, Domine, famulos tuos subsidiis pacis, et corporis et spiritalibus enutriens alimentis, a cunctis hostibus redde securos. Per.

LXI.

ITEM ALIA MISSA.

Deus in te sperantium salus, et servientium fortitudo, suscipe propitius preces nostras, et Romani

A imperii adesto rectoribus, ut, tuis consiliis inspirati, tua opitulatione muniti, adversum omnia resistentia tibi arma prævaleant. Per.

Deus et temporalis vitæ auctor et æternæ, miserere supplicum in tua protectione fidentium, ut per virtutem brachii tui omnibus qui nobis adversantur revictis, nec in terrenis nec a cælestibus possimus excludi. [i]

Omnipotens sempiterne Deus, miserere supplicum in tua protectione fidentium, et propter gloriam nominis tui barbararum gentium comprime feritatem, ut, dexteræ tuæ virtute defensi, liberis tibi mentibus serviamus. Per.

Secreta.

Deus, qui subjectas tibi glorificas potestates, suscipe propitius oblationes nostras, et Romanis viros B adde principibus, ut qui se dextera tua expediat protege, nulla possint adversitate superari. Per.

Postcommun.

Fidelem populum, quæsumus, Domine, potentiæ tuæ muniat invicta defensio, ut pio semper tibi devotus affectu, et ab infestis liberetur inimicis, et in tua jugiter gratia perseveret. Per.

Item alia.

Populi tui, quæsumus, omnipotens Deus, propitiare peccatis, et totius hostilitatis a nobis errores averte, ut Romani nominis secura libertas in tua devotione semper exultet. Per.

Protector noster aspice, Deus, et ab hostium nos C defende periculis, ut, omni perturbatione submota, liberis tibi mentibus serviamus. Per Dominum.

LXII.

ITEM MISSA PRO REGIBUS.

Deus, regnorum omnium, et Romani maxime protector imperii, da servis tuis regibus nostris *illis* triumphum virtutis scienter excolere, ut cujus constitutione sunt principes, ejus semper munere sint potentes. Per.

Deus, in cujus manu corda sunt regum, inclina ad preces humilitatis nostræ aures misericordiæ tuæ, et principibus nostris famulis tuis *illis* regimen tuæ adpone sapientiæ, ut, haustis de tuo fonte consiliis, et tibi placeant, et super omnia regna præcellant. Per.

D *ecreta.*

Suscipe, Domine, preces et hostias Ecclesiæ tuæ pro salute famuli tui *illius* supplicantes, et protectione fidelium populorum antiqua brachii tui operare miracula [j] et, superatis pacis inimicis, secura tibi serviat Romana libertas. Per.

Infra action.

Hanc igitur oblationem, Domine, famuli tui *illius*, quam tibi ministerio officii sacerdotalis offerimus pro eo quod in ipsum potestatem imperii conferre

[a] Menardus : *mysterii*.
[b] Apud eumdem : *placari*.
[c] Lege : *potentiæ*.
[d] *Romani nominis esto*. Menardus : *Christianorum adesto*.
[e] Apud eumdem : *subjecta*.
[f] Lege : *regnum*.
[g] Menardus : *precibus et hostiis*
[h] Idem : *principum*.
[i] In margine : *Per*.
[j] Sacramentarium sancti Gregorii Editionis Romanæ : *ut*.

dignatus es, propitius et benignus adsume; et, exoratus nostra obsecratione, concede ut Majestatis tuæ protectione confidens et ævo augeatur et regno. Per.

Postcommun.

Deus, qui prædicando æterni regni Evangelio Romanum imperium præparasti, prætende famulis tuis *illis* principibus nostris arma cælestia, et pax Ecclesiarum nulla turbetur tempestate bellorum. Per Dominum.

LXIII.

MISSA CONTRA JUDICES MALE AGENTES

Ecclesiæ tuæ, Domine, preces placatus admitte [a] et, distitutis adversitatibus universis, secura tibi serviat libertate. Per.

Secreta.

Protege nos, Domine, quæsumus, tuis mysteriis servientes, ut divinis rebus, et corpore famulemur et mente. Per.

Postcommun.

Quæsumus, Domine Deus noster, ut quos divina tribuis participatione gaudere, humanis non sinas subjacere periculis. Per Dominum.

LXIIII.

ITEM ALIA MISSA.

Præsta, Domine, quæsumus, ut toto tibi corde subjecti timentium voluntatum respuamus affectus. Per.

Secreta.

C Hostias, Domine, quæsumus, quas immolamus, placatus adsume et pro nostri expiatione peccati et pro acceleratione cælestis auxilii. Per.

Postcommun.

Da plebi tuæ, Domine, piæ semper devotionis affectum, ut, quæ prava sunt respuens, sancta conversatione firmetur, et a peccatis libera nullis adversitatibus adteratur. Per.

Præsta, quæsumus, Domine, ut Ecclesia tua prompta tibi voluntate deserviat, quia propensius audiri poterit et defendi, cum eam tibi digne præstiteris famulari. Per.

LXV.

ORAT. IN CONTENTIONE

Ad missas.

D Omnipotens sempiterne Deus, qui superbis resistis, et gratiam præstas humilibus, tribue, quæsumus, ut non indignationem tuam provocemus elati, sed propitiationis tuæ capiamus dona subjecti. Per.

Concede nobis, misericors Deus, et studia perversa deponere, et sanctam semper amare justitiam. Per.

Secreta.

Ab omni reatu nos Domine, sancta quæ tractamus absolvant,[b] et ad eadem muniant ab totius pravitatis incursu. Per.

Postcommun.

Quos refecisti, Domine, cælesti mysterio, propriis alienis, quæsumus, [c] propitiatus absolve delictis [d] et divino munere purificatis mentibus perfruamur. Per.

LXVI.

ITEM ALIA MISSA.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut, semper rationabilia meditantes, quæ tibi sunt placita et dictis exequamur et factis. Per.

Deus, qui unianimes nos in domo tua præcipis habitare, dissensionum causas placatus depelle nostrum, ut, competentibus adjuti subsidiis, te lar-
B giente, possimus esse concordes. Per.

Concede nobis, omnipotens Deus, ut, despectis falsitatibus iniquarum, quæ animæ nostræ conveniunt rationabilia exequamur. Per Dominum.

Secreta.

Suppliciter te rogamus, Domine Deus noster, ut hujus operatione mysterii et vitia nostra purgentur, et justa desideria compleantur. Per Dominum.

Postcommun.

Sanctificationem tuam nobis, Domine, his mysteriis placatus, operare, quæ nos et a terrenis purgent vitiis, et ad cælestia dona perducant. Per Dominum.

LXVII.

ORAT. AD MISS.

Contra obloquentes.

Præsta, quæsumus, Domine, ut mentium reproborum non curemus obloquium, sed, eadem pravitate calcata, exoramus ut nec [e] terrere nos lacerationibus [f] pateris injustis; nec captiosis adulationibus implicari, sed potius amare quæ præcipis. Per.

Conspirantes, Domine, contra tuæ plenitudinis firmamentum, dexteræ tuæ virtute prosterne, ut justitiæ non dominetur iniquitas, sed subdatur semper falsitas veritati. Per.

Secreta.

Oblatio, Domine, tuis aspectibus immolanda, quæsumus, ut et nos in omnibus vitiis potenter absolvat, et a cunctis defendat inimicis. Per.

Postcommun.

Præsta, Domine, quæsumus, ut per hæc sancta quæ sumpsimus, [g] dissimulatis lacerationibus improborum, [h] eadem gubernante, quæ recta sunt cautius exequamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

LXVIII.

ORAT. AD MISSAS

Pro inreligiosis.

Deus, qui fidelium devotione lætaris, populum

[a] Apud Pamelium : *ut destitutis.*
[b] Idem : *et eadem.*
[c] Apud eumdem : *propriis et alienis.*
[d] Pamelius legit : *ut.*
[e] Pamelius : *terreri.*
[f] Apud eumdem : *patiaris.*
[g] Emendatum ex Pamelio; nam in exemplari mendose legitur : *desimulatis*
[h] Idem : *te gubernante.*

tuum, quæsumus, sanctis tuis fac esse devotum, ut qui ab eorum officia impia pravitate mentis abscedunt, per tuam conversi gratiam, diaboli, quibus capti tenentur, laqueis resipiscant. Per.

Deus, qui infideles deseris, et juste indevotis irasceris, populum tuum, quæsumus, converte propitius, ut qui te per duritiam inreligiosæ mentis semper offendunt, ad sanctorum beneficia promerenda, tuæ miserationis gratia inspirante, convertas. Per.

Secreta.

Cor populi tui, quæsumus, Domine, converte propitius, ut ab his muneribus non recedant, quibusque majestatem tuam magnificare deposcimus. Per.

Postcommun.

Da nobis, quæsumus, Domine, ambire quæ recta sunt, et vitare quæ noxia, ut sancta quæ capimus, non ad judicium nobis, sed potius proficiant ad medelam. Per.

Ad populum.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et nihil de sua conscientia præsumentibus ineffabili miseratione succurre, ut quod non habet fiducia meritorum, tua conferat largitas invicta donorum. Per.

LXVIIII.

ORAT. SUPER INFIRMUM,

In domo.

Deus, qui facturæ tuæ pio semper minaris affectu, inclina aurem tuam supplicationibus nostris, et famulum tuum ex adversa valetudine corporis laborantem placidus respice, et visita in salutari tuo, et cælestis gratiæ præsta medicinam. Per.

Deus, qui [a] humani generis et salutis remedii vitæ æternæ munera contulisti, conserva famulo tuo tuarum dona virtutum, et concede ut medelam tuam non solum in corpore, sed etiam in anima sentiat. Per.

Virtutum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem et omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis, adesto propitius huic servo tuo, ut, fugatis infirmitatibus, et viribus revocatis, nomen sanctum tuum, instaurata protinus sanitate, benedicat. Per.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis nostræ infusa virtutis tuæ dignatione confirmas, ut salutaribus remediis pietatis tuæ corpora nostra et membra vegetentur, super hunc famulum tuum propitiatus intende, ut omni necessitate corporea infirmitatis exclusa, gratia in eo pristinæ sanitatis perfecta reparetur. Per.

LXX.

ITEM ORAT. AD MISS.

Pro infirmis.

Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro famulis tuis *illis*, pro quibus misericordiæ tuæ imploramus [b] auxilio, ut, reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referant actionem. Per.

Omnipotens sempiterne Deus, qui ægritudines et animorum depellis et corporum; auxilii tui super infirmos nostros ostende virtutem, ut ope misericordiæ tuæ ad omnia pietatis tuæ reparentur officia. Per.

Secreta.

Deus, sub cujus nutibus vitæ nostræ momenta decurrunt, suscipe preces et hostias famulorum [c] et famularumque tuarum, pro quibus misericordiam tuam ægrotantibus imploramus, ut de quorum periculo metuimus de eorum salute lætemur. Per.

Postcommun.

Deus infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilii tui super infirmos nostros ostende virtutem, ut ope misericordiæ tuæ adjuti, Ecclesiæ tuæ sanctæ repræsentari mereantur. Per Dominum nostrum.

LXXI.

ORAT. PRO REDDITA SANITATE.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam [d] multiplicas pietatem custodis, ad invocationem nominis tui benignus adsiste, et hunc famulum tuum [e] liberatam ægritudinem et sanitatem donatam dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, Ecclesiæ tuæ sanctisque altaribus tuis cum omni desiderata prosperitate restituas. Per Dominum nostrum.

LXXII.

ORAT. INTRANTIBUS IN DOMO,

Sive benedictio.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et famulos tuos, quos charitatis visitamus officiis, gratiæ tuæ largitate locupleta, ut in eorum prosperitate continua gaudeamus. Per Dominum.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, et humilitatis nostræ officiis gratiæ tuæ visitationis admisce, ut quorum adimus habitacula, tu in eorum tibi cordibus facias mansionem. Per Dominum nostrum.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hanc domum serenis oculis tuæ pietatis inlustra; descendat super habitantes in ea gratiæ tuæ larga benedictio, ut his manufactis cum salubritate manentibus, ipsi tuum semper sint habitaculum. Per Dominum.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut si qua sunt adversa, si qua contraria in hac domo famuli tui *illius*, auctoritate Majestatis tuæ pellantur. Per Dominum nostrum.

LXXIII.

ITEM ORAT. AD MISSAS.

Protector in te sperantium Deus, et subditarum

[a] Apud Pamel. legitur: *humano generi et salutis remedium et vitæ.*
[b] Pamelius: *auxilium*
[c] Apud eumdem deest *et.*
[d] Idem: *multiplici pietate.*
[e] Rectius apud Pamelium: *liberatum ægritudine et sanitate donatum.*

tibi mentium custos, habitantibus in hac domo famulis tuis propitius adesse dignare: veniat super eos spirante a te benedictionis ubertas, et, pietatis tuæ repleti muneribus, in tua gratia et in tuo nomine læti semper exultent. Per

Protector fidelium, Deus, et subditarum tibi mentium frequentator, habitantibus in hac domo famulis tuis propitius adesse digneris, ut quos nos humana visitamus solicitudine, tu divina munias potestate. Per.

Secreta.

Suscipe, Domine, quæsumus, preces et hostias famulorum tuorum, et muro custodiæ tuæ hanc domum circumda, ut, omni adversitate depulsa, sit hoc semper domicilium incolumitatis et pacis. Per.

Infra action.

Hanc igitur oblationem [a] famuli tui *illius*, quam tibi offert pro votis et desideriis suis atque et pro incolumitate domus suæ, placatus suscipias deprecamur: pro quo in hac habitatione auxilium tuæ Majestatis deposco, ut mittere ei digneris angelum tuum sanctum, ad custodiendos omnes in hac habitatione. Per.

Postcommun.

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super hos famulos degentes in hac domo spiritum gratiæ salutaris, et ut complaceant tibi, Deus, in veritate tua perpetuum eis rorem tuæ benedictionis effunde. Per.

Omnipotens sempiterne Deus, insere te officiis nostris, et in hanc manentibus domum præsentiæ tuæ concede custodiam, ut familiæ tuæ defensor ac totius habitaculi hujus habitator appareas. Per.

LXXIIII.

ORAT. SUPER VENIENTES IN DOMO.

Deus humilium visitator, qui nos fraterna dignatione consolaris, prætende societati nostræ gratiam tuam, ut per eos, in quibus habitas, [b] tuumque nobis sentiamus adventum. Per.

Deus, qui nobis in famulis tuis præsentiæ tuæ signa manifestas, mitte super nos spiritum charitatis, ut in adventu fratrum conservorumque nostrorum gratia nobis tuæ largitatis augeatur. Per Dom.

LXXV.

BENEDICT. AQUÆ SPARGENDÆ IN DOMO.

Deus, qui ad salutem humani generis maxima quæque sacramenta in aquarum substantia condidisti, adesto invocationibus nostris, et elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ benedictionis infunde, ut creatura mysteriis tuis serviens ad abjiciendos dæmones morbosque pellendos divinæ gratiæ sumat effectus. Ut quicquid in loci in [c] domibus fidelium hæc unda resperserit, careat immunditia, liberetur [d] a noxia; non illic resedeat spiritus pestilens, non aura corrumpens; abscedant omnes insidiæ latentes inimici; et si quid est quod incolumitati habitantium invidet aut quieti, aspersione hujus aquæ effugiat, ut salubritas per invocationem tui nominis [e] expedita, ab omni sit impugnatione defensa. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui venturus est judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem.

LXXVI.

ITEM ALIA.

Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dei Patris omnipotentis, et in nomine Jesu Christi Filii ejus, et Spiritus sancti. Omnis virtus adversarii, omnis incursio diaboli, omne phantasma, omnem inimici potestatem eradicare et effugare ab hac creatura aquæ. Unde exorcizo te, creatura aquæ, per Deum verum, et per Deum vivum, per Deum sanctum, et per Dominum nostrum Jesum Christum, ut efficiaris aqua sancta, aqua benedicta, ut ubicumque effusa fueris, vel aspersa, sive in domo, sive in agro, effuges omnem phantasiam, omnem inimici potestatem, Spiritus sanctus habitet in domo hac. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem.

Item ad consparsum faciendum.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, et mittere digoare angelum tuum sanctum de cælis; qui custodiat, foveat, protegat, visitet et defendat omnes habitantes [f] in hunc habitaculum famuli tui *illius*; et præsta, quæsumus, ut sanctificatio sit domui hujus nostræ introitus. Donet cunctis intra eum habitu constitutos divinarum beatitudine largitatem, dominis ac familiæ gubernaculum, ad custodiendam obedientiam et irreprehensibilem disciplinam, infantibus bonæ indolis gratiam, adultis immaculatam adolescentiam, senibus sanctam seriæ conversationis ætatem, omnibusque longam ac sibi placitam senectutem; et ita patrocinantibus sanctis perenni domui huic beatitudinem præstet, ut jugi super eam angelicæ protectionis custodia perseveret. Per Dominum.

Post hæc benedicet sal, et dicit:

Exorcizo te, creatura salis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, qui te per Heliseum in [g] aqua mitti jussit, ut sanaretur sterilitas; qui divini oris sui voce discipulis ait: Vos estis sal terræ; et per Apostolum inquit: Cor vestrum sale sit conditum. Ideoque efficere sale exorcizatum, ut omnes qui te sumpserint sis eis animæ tutamentum, atque huic domui in remissione peccatorum, in sanitate mentis, in protectione animæ, in confirmatione salutis, ad expellendas et excludendas omnes dæmonum tentationes. In nomine Dei Patris omnipotentis et Jesu

[a] Adde: *Domine.*
[b] Apud Pamelium: *tuum nobis.*
[c] Pamelius: *domibus, vel in locis.*
[d] Idem: *a noxa.*
[e] Apud eumdem: *expelita.*
[f] Pamelius: *in habitaculo.*
[g] Pamelio: *aquam.*

Christi Filii ejus, qui venturus est judicare sæculum A per ignem. Per.

Deinde mittis ipsum sal in [a] *aqua et exsufflas in ea,* [b] *dicis :*

Deus, qui ad salutem humani generis maxima quæque sacramenta in aquarum substantia condidisti. *Et cætera sicut superius scriptum est.*

Hic mittis vinum in ipsa aqua, et benedic eam, dic :

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, exaudi precem meam, sicut exaudire dignatus es famulum tuum Moysen in mare Rubro hoc quod Pharao in populo tuo exercebat, ipse marinus exercitus negaretur. Sic et Heliseus sacerdos cum populus tuus aquam gustare non posset, eo quod esset amara, salem accepit, et projecit ad exitus aquarum, et benedixit eam, et dixit : Sanavit Dominus B aquas istas; non erit ex eis moriens, neque infirmans, et sanatæ sunt aquæ illæ. Ita tu, Domine, dignare sanare aquas istas, ut ubicumque adsparsæ fuerint per angulos domus, ubi inimicus celatus fuerit, statim areptus effugiat; et sit illi, Domine, hæc aqua adsparsionis velut clibanus ardens ignis inextinguibilis. Sit nobis, Domine, hæc aqua adsparsionis aqua virtutis, aqua refrigerans diaboli ritu, ut liberati hospitalis agamus tibi, Domine Pater omnipotens, laudes et gratias. Per Dominum nostrum.

Post hæc mittis oleo sanctificato in aqua, et sic aspargis ea cum hysopo per domus.

ORAT. PRO ASPAR. AQUÆ.

Deum omnipotentem, fratres charissimi, in cujus C domum mansiones multæ sunt, supplices [c] deprecamur ut habitaculum istum una cum habitatoribus benedicere atque custodire dignetur, tenebras ab ea repellat, lumen infundat, nullam sævienti adversario tribuat potestatem; sed propria Deo dicata sit domus, ut nullam in ea inimicus licentiam habeat nocendi, per virtutem et nomen Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare sæculum per ignem. Per Dominum.

Benedic huic domui, Domine, benedic dominis domus hujus; respice de cælo, et vide oculis misericordiæ tuæ; aperi aures pietatis tuæ, et inclina super habitaculo isto atque habitatoribus suis, et mitte custodem angelum in circuitu supplicantum, qui in lateribus domus istius jugiter excubet, et ad D custodiam illius perpetuo perseveret, cujus sit obumbratio, salus omnium, et patrocinium, beatitudo cunctorum. Per Dominum nostrum.

Benedic, Domine, hanc domum et omnes habitantes in ea, sicut benedicere dignatus es domum Abraham, Isaac et Jacob, ut in his parietibus angelus lucis inhabitet : sentiant in ea commanentes rore cæli abundantiam, et per indulgentiam lætentur pacifici atque securi; mittas ad eos angelum pacis qui introitum nostrum exitumque custodiat. Per.

LXXVII.

ITEM ORAT. PRO FULGORIBUS.

Omnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, et propitiare supplicibus, ut post noxios ignes nubium et vim procellarum, in materiam transeat laudis communicatio [d] potestatis. Per Dominum.

Deus, sub cujus imperio nihil non verbo regitur, nihil non oratione mutatur, parce metuentibus, propitiare supplicibus, ut post [e] innoxios ignes nubium et turbines procellarum, in materiam transeat laudis comminatio potestatis. Per.

LXXVIII.

BENEDICT. AQUÆ EXORCIS.

Ad fulgura.

Exorcizo te, creatura salis et aquæ, in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni Filii Dei vivi : ut sis purgatio et purificatio in his locis in quibus aspersa fueris, ad effugandos et erraticos spiritus, omnemque nefariam vim diaboli pellendam, et omnes figuras et minas phantasmatis Satanæ exterminandas, et fulgura et sidera quæ missa videntur in hanc arborem, non hominibus, aut pecoribus, aut frugibus noceant, sed abscedant et fugiant per invocationem nominis Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus sancti, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et omne sæculum per ignem. Per.

LXXIIII.

ORAT. IN AREA NOVA.

Omnipotens sempiterne Deus, multiplica super nos misericordiam tuam, et preces nostras benignus exaudi, ut in hac area famuli tui *illius* Spiritum tuum sanctum Paraclytum mittere digneris; et veniat speratæ benedictionis ubertas, ut repleti [f] de frugibus tuis in tuo nomine et in tua gratia læti semper exultent. Per Dominum.

Multiplica, Domine, super nos misericordiam tuam, et preces nostras propitius exaudire dignare, sicut exaudisti famulum tuum regem David, qui te in area hostias offerendo [g] placavit, iram avertit, indulgentiam impetravit. Ita veniat, quæsumus, speratæ benedictionis ubertas, ut, repleti frugibus tuis, de tua semper misericordia gloriemur. Per Domin.

LXXX.

ITEM ORAT. IN MONASTERIO.

Deus, qui renunciantibus sæculo mansionem paras in cælo, dilata sanctæ hujus congregationis habitaculum temporale cælestibus bonis, ut fraternitatem teneant compagine charitatis unanimiter; continentiæ tuæ præcepta custodiant sobrii, simplices, et quieti, gratis sibi datam gratiam fuisse cognoscant; concordet illorum vita cum nomine; professio sentiatur in opere. Per.

Suscipe, Domine, preces nostras et muro custodiæ tuæ hoc sanctum ovile circumda, ut, omni adversitate depulsa, sit hoc semper domicilium incolumita-

[a] Apud Menardum : *aquam.*
[b] Adde : *et.*
[c] Lege : *deprecemur.*
[d] Apud Pamelium : *comminatio.*

[e] Menardus : *noxios.*
[f] Pamelius : *frugibus tuis,* sine *de.*
[g] Sic emendavimus ex eodem, cum perperam in exemplari legatur : *placuit.*

tis et pacis. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

LXXXI.

ORAT. IN DOMO ANCILLARUM DEI.

Ingredientes, Domine, in hoc tabernaculum ancillarum tuarum tibi servientium, angelo tuo visitante, custodias, et ab hujus sæculi adversitatibus defendas. Dona eis propositum melius; ut tibi exhibeant pudicitiam castitatis; adjuva contra vitia certantes, et victoriæ sumant coronam ad te pervenientes. Per.

LXXXII.

ORAT. PRO RENUNCIANTIBUS SÆCULO.

Præsta, Domine, quæsumus, famulis tuis renunciantibus sæcularibus pompis, gratiæ tuæ januas aperire, qui, despecto diabolo, confugiunt sub titulo Christi. Jube venientes ad te sereno vultu suscipere, ne de eis inimicus valeat triumphare. Tribue eis brachium infatigabile auxilii tui; mentes eorum fidei lorica circumda, ut, felici muro vallati, mundum se gaudeant evasisse. Per.

LXXXIII.

ORAT. PRO EO

Qui prius barbam tondit.

[a] Deus, cujus providentiam creatura omnes crementes adulta congaudet, propitius super hunc famulum tuum juvenilia ætatis decorem lætantem et florem primis auspiciis adtondentem adesto; in omnibus tuæ protectionis muniatur auxilium, ævo longiore provectus, et præsentis vitæ præsidiis gaudeat et æternis. Per Dominum nostrum.

LXXXIV.

ORAT. AD MATUTINAS

Gratias agimus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui nos, transacto nobis spatio, ad matutinas horas perducere dignatus es; quæsumus ut [b] donis nobis diem hunc sine peccato transire, quatenus ad vesperum gratias referamus. Per.

Exurgentes de cubilibus nostris, auxilium gratiæ tuæ matutinis, Domine, precibus imploramus; ut, discussis tenebris vitiorum, ambulare mereamur in luce virtutum. Per Dominum.

Matutina supplicum vota, Domine, propitius intuere, et [c] occultis cordis nostri remedio tuæ clarifica pietatis, ut desideria tenebrosa non teneant, quos lux cælestis gratiæ reparavit. Per Dominum nostrum.

Te lucem veram, et lucis Auctorem, Domine, deprecamur, ut digneris a nobis tenebras depellere vitiorum, et clarificare nos luce virtutum. Per.

Auge in nobis, Domine, quæsumus, fidem tuam, et Spiritus sancti lucem in nos semper accende. Per.

Deus, qui diem discernis a nocte, actus nostros a tenebrarum distingue caligine, ut semper quæ sancta sunt meditantes, in tua jugiter laude vivamus. Per [d].

Emitte, quæsumus, Domine, lucem tuam in cordibus nostris, [e] et mandatorum tuorum luce [f] perpetua, et in via tua ambulantes, nihil patiamur [g] errorem. Per Dominum.

Veritas tua, quæsumus, Domine, luceat in cordibus nostris, et omnis falsitas destruatur inimici. Per.

Gratias agimus inenarrabiles pietati tuæ, omnipotens Deus, qui nos, depulsa noctis caligine, ad diei hujus principium perduxisti, et, abjecta ignorantiæ cæcitate, ad cultum tui nominis atque scientiam revocasti: [h] in labe sensibus nostris omnipotens Pater, ut, in præceptorum tuorum lumine gradientes, te ducem sequamur et principem. Per.

Deus, qui tenebras ignorantiæ verbi tui luce depellis, auge in cordibus nostris virtutem fidei, quam dedisti, ut ignis, quem gratia tua fecit accendi, nullis tentationibus possit extingui. Per.

Sensibus nostris, quæsumus, Domine, lumen sanctum tuum benignus infunde, ut tibi semper simus devoti, cujus sapientia creati sumus, et providentia gubernamur. Per.

LXXXV.

ORAT. AD VESPERUM.

Omnipotens sempiterne Deus, vespere, et mane, et meridie, Majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut, expulsis de cordibus nostris peccatorum tenebris, ad veram lucem, quæ Christus est, nos facias pervenire. Per Dominum nostrum.

Deus, qui illuminas noctem, et lumen post tenebras facis, concede nobis, ut hanc noctem sine impedimento Satanæ transeamus, atque matutinis horis ad altare tuum recurrentes, tibi Deo gratias referamus. Per Dominum.

Inlumina, quæsumus, Domine, tenebras nostras, et totius noctis insidias repelle propitius. Per.

Tuus est dies, Domine, et tua est nox: concede Solem justitiæ permanere in cordibus nostris ad repellendas tenebras cogitationum iniquarum. Per Dominum.

Vespertinæ laudis officia persolventes, clementiam tuam, Domine, humili prece deposcimus, ut [i] nocturnis insidiatoris fraude, te protegente, vincamus. Per.

Propitiare, Domine, vespertinis supplicationibus nostris, et fac nos sine ullo reatu matutinis tibi [j] laudes præsentare. Per Dominum nostrum.

Oriatur, Domine, nascentibus tenebris, aurora

[a] Apud Menardum rectius legitur: *Deus cujus Spiritu creatura omnis adulta congaudet*, etc., *juvenili ætatis decore lætantem*, etc., *ut in omnibus tuæ protectionis muniatur auxilio*, etc.

[b] Pamelius: *dones*.

[c] Apud eumdem: *occulta*.

[d] Adde: *Dominum*.

[e] Menardo: *ut*.

[f] Apud eumdem: *percepta in via*.

[g] Menardus: *erroris*.

[h] Pamelius: *illabere*.

[i] Rectius apud Pamelium: *nocturni insidiatoris fraudes*.

[j] Pamelius: *laudibus præsentari*.

justitiæ, ut [a] peracto diei, tibi suppliciter gratias agentes, etiam mane dignanter respicias vota solventes. Per.

Gratias tibi [b] agemus, Domine, custoditi per diem; gratias tibi exsolvimus, custodiendi per noctem : repræsenta nos, quæsumus, Domine, matutinis horis incolumes, ut nos omni tempore habeas laudatores. Per.

LXXXVI.

ORAT. ANTE CIBUM.

Refice nos, Domine, donis tuis, et opulentiæ tuæ largitate substenta. Per.

Reficiamus, Domine, de donis et datis tuis, et tua benedictione satiemur. Per.

Protege nos, Domine Deus noster, et fragilitati nostræ necessariam præbe substantiam. Per Dominum nostrum.

Benedic, Domine, dona tua, quæ de tua largitate sumus sumpturi. Per.

Deus, qui nos ad delicias spiritales semper invitas, da benedictionem super dona tua, ut ea quæ in tuo nomine sunt edenda, sanctificata percipere mereamur. Per Dominum.

Tua nos, Domine, dona reficiant, et tua gratia consoletur. Per Domin. nostrum.

LXXXVII.

ORAT. POST CIBOS.

Satiati, Domine, opulentiæ tuæ donis, tibi gratias agimus pro his quæ, te largiente, [c] suscipimus, obsecrantes misericordiam tuam, ut [d] quid corporibus nostris necessarium fuit, mentibus non sit onerosum. Per.

Satiati sumus, Domine, de tuis donis ac datis; reple nos de tua misericordia, [e] qui es benedictus. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum.

LXXXVIII.

ORAT. AD FRUGES NOVAS BENEDICENDAS.

Benedic, Domine, hos fructus novos uvæ, sive fabæ, quos tu, Domine, per rorem cæli, et inundantiam pluviarum, et tempora serena atque tranquilla, ad maturitatem perducere dignatus es, ad percipiendum nobis cum gratiarum actione, in nomine Domini nostri Jesu Christi, per quem hæc omnia, Domine, semper bona.

Item alia.

Oremus pietatem tuam, omnipotens Deus, ut has primitias creaturæ tuæ, quas aeris et pluviæ temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuæ imbre perfundas, et fructus terræ tuæ usque ad maturitatem perducas, tribuasque populo tuo de tuis muneribus tibi semper gratias agere, ut a fertilitate terræ esurientium animas bonis affluentibus repleas, et egenus et pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per.

LXXXIX.

BENEDICTIO POMORUM.

Te deprecamur, omnipotens Deus, ut benedicas A hunc fructum novum pomorum, ut qui esu interdictæ arboris læthalis pomi in Protoparente justæ funeris sententiæ multati sumus, per illustrationem unici Filii tui Redemptoris Dei ac Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus sancti benedictionem, sanctificata omnia atque benedicta, depulsis atque abjectis vetusti hostis atque primi facinoris intentoris insidiis, salubriter ex hujus diei anniversaria solemnitate, diversis terræ edendis germinibus sumamus. Qui vivis et regnas in unitate.

XC.

BENEDICTIO ARBORIS.

Deus, qui hanc arboris pumma, tua jussione et providentia progenitam, nunc etiam eandem benedicere et sanctificare digneris, precamur ut quicunB que ex ea sumpserint incolumes esse valeant. Per.

XCI.

ORAT. POST OBITUM HOMINIS.

Pio recordationis affectu, fratres carissimi, commemorationem faciamus cari nostri *illius*, quem Dominus de tentationibus hujus sæculi adsumpsit, obsecrantes misericordiam Dei nostri, ut ipse ei tribuere dignetur placitam et quietam mansionem; remittat omnes lubricæ temeritatis offensas, ut, concessa venia plenæ indulgentiæ, quicquid in hoc sæculo proprius error adtulit, totum ineffabili pietate ac benignitate sua compenset. Per.

Diri vulneris novitate perculsi, et quodammodo cordibus sauciati, misericordiam tuam, mundi Redemptor, flevilibus vocibus imploramus, ut cari C nostri *illius* animam ad te datorem proprium revertentem blande leniterque suscipias; et si quas illa ex hac carnali commoratione contraxit maculas, tu, Deus, inoleta bonitate clementer deleas, pie indulgeas, oblivione in perpetuum tradas, atque hanc eandem laudes tibi cum cæteris reddituram, et ad corpus quandoque reversuram sanctorum tuorum cœtibus adgregare percipias. Per Dominum.

Tu nobis, Domine, auxilium præstare digneris, tu opem, tu misericordiam largiaris; spiritum etiam famuli tui *illius* ac cari nostri, vinculis corporalibus liberatum, in pace sanctorum tuorum recipias, uti locum pœnalem, et gehennæ ignem, flammamque tartari in regione viventium evadat. Per eum qui tecum vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sanD cti. Per.

Suscipe, Domine, animam servi tui *illius* ad te revertentem de Ægypti partibus proficiscentem ad te. Emitte angelos tuos sanctos in obviam illius, et viam justitiæ demonstra ei. Aperi ei portas justitiæ, et repelle ab ea principes tenebrarum; agnosce depositum fideie quod tuum est. Suscipe, Domine, creaturam tuam, non ex diis alienis creatam, sed a te Deo solo, vero et vivo, quia non est Deus præter te solum, et non est secundum opera tua. Lætifica, Domine, animam servi tui *illius*; clarifica, Domine, famulum tuum; ne memineris iniquitatum ejus an-

[a] Apud eumdem : *peracto die.*
[b] Pamelio : *agimus.*
[c] Eidem : *suscepimus.*
[d] Apud eumdem : *quod.*
[e] Pamelius : *quia tu es.*

tiquarum et ebrietatum, quæ suscitavit furor male desiderii; licet enim peccavit, Patrem, et Filium, et sanctum Spiritum tamen non negavit, sed credidit, et zelum Dei habuit, et Deum fecisse omnia adoravit.

Suscipe, Domine, animam servi tui *illius* revertentem ad te; vestem cælestem indue eam, et lava eam sanctum fontem vitæ æternæ; ut inter gaudentes gaudeat, et inter sapientes sapiat, et inter martyres coronatos consedeat, et inter patriarchas et prophetas proficiat, et inter apostolos Christum sequi studeat, et inter angelos et archangelos claritatem Dei pervideat, et inter paradisi rutilos lapides gaudium possideat, et notitiam mysteriorum agnoscat, et inter cherubin et syraphin claritatem Dei inveniat, et inter viginti quatuor seniores cantica canticorum audiat, et inter lavantes stolas in fonte luminis vestem lavet, et inter pulsantes pulsans, portas cælestis Hierusalem apertas reperiat, et inter videntes Deum facie ad faciem videat, et inter audientes auditu cælesti cælestem sonum exaudiat. Suscipe, Domine, servum tuum *illum* in æternum habitaculum, et da ei requiem et regnum, id est Hierusalem cælestem, ut in sinibus patriarcharum nostrorum, id est Abraham, Isaac, et Jacob collocare digneris; et habeat partem in prima resurrectione, et inter surgentes resurgat, et inter suscipientes corpora in die resurrectionis corpus suscipiat, et cum benedictis ad dexteram Dei Patris venientibus veniat, et inter possidentes vitam æternam possideat. Per Dom.

Antiqui memores chyrographi, fratres carissimi, qui primi hominis peccato et corruptioni addicta est humana conditio, sub cujus lege sibi unusquisque formidat, quod aliis accidisse videat, omnipotentis Dei misericordiam deprecemur pro spiritu cari nostri *illius*, cujus hodie depositio celebratur, ut eum in æterna requie suscipiat, et beata resurrectione repræsentet. Per Dominum.

Deus, qui justis supplicationibus præsto es, qui pia vota dignaris intueri, da famulo tuo *illi*, cujus diem depositionis hodie officia pia præstamus, cum sanctis atque electis tuis beati muneris portionem. Per Dominum.

Dic. capr In memoria æterna.

Item orat. antequam ad sepulchrum deferatur.

Deum judicem universitatis, Deum cælestium, et terrestrium, et infernorum, Dominum deprecemur pro spiritu cari nostri *illius*, uti eum Dominus in requiem collocare dignetur, et in parte primæ resurrectionis resuscitet. Per Dom. nostrum.

Te, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, supplices deprecamur pro spiritu famuli tui *illius*, quem ab originibus hujus sæculi ad te arcessire præcepisti, ut digneris, Domine, dare ei locum lucidum, locum refrigerii et quietis. Liceat ei transire portas infernorum et vias tenebrarum; maneatque in mansionibus sanctorum, et in luce sancta, quam olim Abrahæ promisisti et semini ejus: nul-
A lam læsionem sustineat anima ejus, sed cum magnus dies ille resurrectionis ac remunerationis advenerit, resuscitare eum digneris, Domine, una cum sanctis et electis tuis; dones ei delicta atque peccata usque ad novissimum quadrantem, tecumque immortalitatis vitam et regnum consequatur æternum. Per Dominum nostrum.

Omnipotentis Dei misericordiam, dilectissimi fratres, deprecemur, cujus judicio aut nascimur, aut finimur, ut animam fratris nostri *illius*, quem Domini pietas de incolatu mundi hujus transire præcepit, requies æterna suscipiat, et eam beata resurrectione præsentet, et in sinibus Abrahæ, Isaac et Jacob, collocare dignetur. Per.

Deus, qui universorum creator et conditor es, qui
B cum sis tuorum beatitudo sanctorum, præsta nobis petentibus ut animam fratris nostri *illius*, corporis nexibus absolutam, in prima sanctorum tuorum resurrectione facias præsentari. Per.

Item orat. ad sepulchrum, prius quam sepeliatur.

Oremus, fratres carissimi, pro anima cari nostri *illius*, quem Dominus de laqueo hujus sæculi liberare dignatus est, cujus corpusculum hodie sepulturæ traditur, ut eum Domini pietas inter sanctos et electos suos, id est, in sinu Abrahæ, et Isaac, et Jacob, collocare dignetur, et partem habeat in prima resurrectione, quam facturus est, orantibus sanctis. Per Dominum nostrum.

Opus misericordiæ tuæ est, Pater omnipotens,
C æterne Deus, rogare pro aliis, qui nobis non sufficimus; suscipe, Domine, animam servi tui *illius* revertentem ad te. Adsit ei angelus testamenti tui Michael. Libera eam, Domine, de principibus tenebrarum, et de locis pœnarum, ne jam ullis primæ nativitatis vel ignorantiæ confundatur erroribus; agnoscatur a tuis, et misericordia bonitatis tuæ ad locum refrigerii et quietis in sinum transferatur Abrahæ. Per Dominum nostrum.

Redemptor animarum Deus, æternitatem concede defunctis, neque vacuari passionis triumphum mundi morte patiaris. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum.

Item orat. post sepulturam.

D Debitum humani corporis sepeliendi officium fidelium more complentes, Deum, cui omnia vivunt, fideliter deprecemur, ut hoc corpus a nobis in infirmitate sepultum, in virtute et ordine sanctorum resuscitet, et ejus animam sanctis et fidelibus jubeat adgregari; cuique in judicio misericordiam tribuat; quemque morte redemptum, debitis solutum, Patri reconciliatum, boni Pastoris humeris reportatum, in comitatu æterni Regis perenni gaudio et sanctorum consortio perfrui concedat. Per Dominum nostrum.

Omnipotens æterne Deus, qui humano corpori ad te ipso animam inspirare dignatus es, dum te jubente, pulvis pulveri rursum redditur, tu imaginem tuam cum sanctis et electis tuis æternis sedibus præcipias sociari. Per Dominum nostrum.

Obsequiis autem rite celebratis, membris ex feretro depositis, tumulo ex more composito, post Israelis exitum ex Ægypto, deprecemur clementiam Dei Patris pro anima cari nostri *illius*, quem Dominus de laqueo hujus mundi liberavit, lucubris lethali cuique possis ubique est, et potestas innumerabilis habens divitias spiritales, animæ hujus subveniat sublimis Dominus, ut ardore careat æterni ignis, adeptura perpetui regni refugium coram suo rege : gratificet in gaudio genitali in sublimi solio Patrum præelectorum, in medio splendoribus sanctorum, in sede majestatis, magno in lumine, in regione in regno vivorum. Per.

Commendatio animæ.

Commendamus tibi, Domine, animam fratris nostri *illius* : precamur propter quam ad terras tua pietate descenderas, patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas, sed miserere migranti in tuo nomine de hac instabili et tam incerta sempiternam illam vitam ac lætitiam in cælestibus ; præsta, Salvator mundi. Qui cum Patre vivis Dominator, et regnas Deus in unitate Spiritus sancti in sæcula.

Item alia.

Deus, apud quem omnia morientia vivunt, cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius, te supplices deprecamur, ut suscipi jubeas animam famuli tui *illius* per manus sanctorum angelorum deducendam in sinum amici tui patriarchæ Abrahæ, resuscitandam in die novissimo magni judicii ; et quid de regione mortali tibi contrarium contraxit, fallente diabolo, tua pietate ablue indulgendo. Per.

XCII.

ITEM MISSA PRO DEFUNCTO SACERDOTE.

[a] Deus, inter apostolicos sacerdotes famulum tuum *illum* pontificem fecisti dignitate vigere, præsta, quæsumus, ut eorum quoque [b] et perpetuo adgregetur consortio. [c]

Preces nostras, quæsumus, Domine, quas in famuli tui *illius* depositione deferimus, propitiatus exaudi, ut qui nomini tuo ministerium fidele dependit, perpetua sanctorum societate lætetur. Per.

Secreta.

Suscipe, quæsumus, Domine, pro anima famuli et sacerdotis tui *illius*, quas offerimus hostias, ut cui pontificale donasti meritum, dones et præmium. Per Dominum.

Infra action.

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro depositione famuli et sacerdotis tui *illius* deferimus, quæsumus, Domine, placatus intende ; pro qua Majestati tuæ supplices fundimus preces, ut eum in numero tibi placentium censeri facias sacerdotum. Per.

Postcommun.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et animam famuli tui *illius* episcopi in vivorum regione æternis gaudiis jubeas sociare. Per Dominum.

XCIII.

ITEM ALIA PRO SACERDOTE

Præsta, quæsumus, Domine, ut anima famuli tui *illius* episcopi, quam in hoc sæculo commorantem sacris muneribus decorasti, cælesti sede gloriosa semper exsultet. Per Dominum nostrum.

Deus, cujus misericordiæ non est numerus, suscipe pro anima famuli tui *illius* episcopi preces nostras, et lucis ei lætitiæque in regione sanctorum tuorum societatem concede. Per.

Secreta.

Suscipe, Domine, quæsumus, hostias pro anima famuli tui *illius* episcopi, ut cui pontificale donasti præmium, dones et meritum. Per Dominum.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, quam tibi offerimus pro anima famuli tui *illius* episcopi, quæsumus, Domine, placatus accipias, et cum præsulibus apostolicæ dignitatis, quorum est secutus officium, habere tribuas sempiternæ beatitudinis portionem ; diesque nostros.

Postcommun.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut anima famuli tui *illius* episcopi in congregatione justorum æternæ beatitudinis jubeas esse consortem. Per Dominum nostrum.

XCIV.

ITEM ALIA PRO SACERDOTE SIVE ABBATE.

Deus, qui famulum tuum *illum* sacerdotem atque abbatem et sanctificas unctione misericordiæ tuæ, et adsumpsisti consummatione felici, suscipe propitius preces nostras, et præsta ut sicut ille tecum est meritis, ita a nobis non recedat exemplis. Per Dominum.

Omnipotens sempiterne Deus, Majestatem tuam supplices exoramus, ut famulo tuo *illi* abbati atque sacerdoti, quem in requiem tuam vocare dignatus es, dones sedem honorificatam, et fructum beatitudinis sempiternæ, ut ea quæ in oculis nostris docuit et gessit, non judicium nobis pariant, sed profectum attribuant, ut per quo nunc in te gaudemus in terris, cum eodem apud te exultare mereamur in cælis. Per.

Secreta.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut anima famuli tui *illius* abbatis atque sacerdotis per hæc sancta mysteria in tuo conspectu semper clara consistat ; quæ fideliter ministravit. Per.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro anima famuli tui *illius* abbatis atque sacerdotis offerimus, quæsumus, Domine, placatus intende ; pro qua Majestati tuæ supplices fundimus preces, ut eam in numero sanctorum tuorum [d] placentium facias dignanter adscribi, diesque nostros.

[a] Apud Menardum : *Deus qui inter.*
[b] Menardus : *perpetuo* sine *et.*
[c] In marg. : *Per.*

[d] Legendum : *tibi*, ut ponitur in sequenti oratione *infra action.*, col. seq.

Postcommun.

Prosit, quæsumus, Domine, animæ famuli tui *illius* sacerdotis misericordiæ tuæ implorata clementia, ut ejus, in quo speravit et credidit, æternum capiat, te miserante, consortium. Per Dominum.

XCV.

ORAT. AD MISSAM.

In natale sanctorum, sive agenda mortuorum.

Beati martyris tui *illius*, Domine, quæsumus, intercessione nos protege: et animam famuli tui *illius* sacerdotis sanctorum tuorum junge consortiis. Per.

Adjuva nos, Domine Deus noster, beati tui *illius* precibus exoratus, et animam famuli tui *illius* sacerdotis in beatitudinis sempiternæ lucis constitue. Per.

Secreta.

Suscipe, quæsumus, Domine, hostias placationis et laudis, quas tibi in honore sancti martyris tui *illius*, nomini tuo consecrandas deferimus, et pro requie famuli tui *illius* sacerdotis tibi suppliciter immolamus. Per.

Infra action.

Hanc igitur oblationem, quam tibi in honore sancti martyris tui *illius*, vel pro requie famuli tui *illius* sacerdotis offerimus, quæsumus, Domine, placatus intende; pro qua Majestati [a] tuæ fundimus preces, ut eam in numero sanctorum tibi placentium facias dignanter adscribi. Quam oblationem.

Postcommun.

Ascendant ad te, Domine, preces nostræ, et animam famuli tui *illius* gaudia æterna suscipiant, ut quem fecisti [b] adoptionem participem, jubeas hæreditatis tuæ esse consortem. Per Dominum.

XCVI.

MISSA PRO DEFUNCTO NUPER BAPTIZATO.

Deus, qui ad cœleste regnum nonnisi renatis per aquam et Spiritum sanctum pandis introitum, multiplica super animam famuli tui *illius* misericordiam tuam; et cui donasti celerem et incontaminatum transitum post Baptismi sacramentum, da ei et æternorum plenitudinem gaudiorum. Per.

Alia.

Deus, qui omne meritum vocatorum donis tuæ bonitatis anticipas, propitiare animæ famuli tui *illius*, quæ in finem istius vitæ regenerationis unda mundavit; et quem fecisti non timere de culpa, fac gaudere de gratia. Per.

Secreta.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris pro anima famuli tui *illius*; pro qua tibi offerimus sacrificium laudis, ut eam sanctorum tuorum [c] consociare digneris. Per.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus, Domine, pro anima famuli tui *illius*, benignus adsume, eumque regenerationis fonte purgatum, et periculis A vitæ hujus exutum, beatorum numero digneris inserere spirituum. Quam oblat.

Postcommun.

Propitiare, Domine, animæ famuli tui *illius*, ut quem in finem istius vitæ regenerationis fonte mundasti, ad cælestis regni beatitudinem facias pervenire. Per

XCVII.

ITEM ALIA MISSA

Deus, cujus bonitatis nullus est numerus, quia semper misericordia tibi est causa miserendi, exaudi pro *illius* famuli tui anima supplicantes, ut illum gratia tua sicut donavit baptismo, ita donet et regno. Per.

Deus, qui cælestis regni nonnisi renatis pandis in-
B troitum, auge super anima famuli tui *illius* gratiæ tuæ dona, ut quæ ab omnibus est purgata peccatis, a nullis sit aliena promissi. Per.

Secreta.

Oblationes nostras, quæsumus, Domine, propitiatus intende, quas tibi offerimus pro anima famuli tui *illius*; et cui donasti baptismi sacramentum, da ei æternorum plenitudinem gaudiorum. Per.

Postcommun.

Ascendant ad te, Domine, preces nostræ, et animam famuli tui *illius* gaudia æterna suscipiant, ut quem fecisti adoptionis participem, jubeas hæreditatis tuæ esse consortem. Per.

XCVIII.

ORAT. AD MISS. [d] PRO DEFUNCT.

C *Cujus desiderantibus pœnitentiam, et minime consecutus.*

Si quis pœnitentiam petens, dum sacerdos [e] *venit, fuerit* [f] *officium linguæ privatus, constitutum est ut si idonea testimonia hoc* [g] *dixerunt : et ipse per motus aliquos satisfacit, sacerdos impleat omnia circa pœnitentem, ut moris est.*

Item ad missas.

Omnipotens et misericors Deus, in cujus humana conditio potestate consistit, animam famuli tui *illius*, quæsumus, ab omnibus absolve peccatis, ut pœnitentiæ fructum, quem voluntas ejus optavit, præventus [h] mortalitatis non perdat. Per.

Secreta.

Satisfaciat tibi, Domine, quæsumus, pro anima
D famuli tui *illius* sacrificii præsentis oblatio, et peccatorum veniam, quam quæsivit, inveniat; et quod officio linguæ implere non potuit, [i] desiderante pœnitentiæ compensatione, percipiat. Per Dominum.

Infra action.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offert famula tua *illa* pro anima famuli tui *illius*, cujus depositionis diem *illum* celebramus, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, et ineffabili pietate concedas ut quod exequi præventus conditione mortali, ministe-

[a] Lege : *tuæ supplices fundimus.*
[b] Castigandum est ita : *adoptionis.*
[c] Pamelius : *consortio sociare.*
[d] Apud Pamelium legitur, *Defunctis desiderantibus pœnitentiam, et minime consequentibus.*

[e] Pamelio : *venerit.*
[f] Eidem : *officio.*
[g] Idem : *dixerint.*
[h] Eidem : *mortalitate.*
[i] Apud eumdem : *desiderata*

rio linguæ non potuit, mereatur indulgentiam sempiternam, quæ in ejus mente non defuit pœnitendi. Quam oblat.

Postcommun.

Deus, a quo speratur humani corporis omne quod bonum est, tribue per hæc sancta, quæsumus, ut sicut animæ famuli tui *illius* pœnitentiæ velle donasti, sic indulgentiam tribue miseratus optatam. Per.

XCIX.

ORAT. PRO DEFUNCTIS LAICIS.

Item unius defuncti.

Omnipotens sempiterne Deus, cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur, propitiare animæ famuli tui *illius*, ut qui de hac vita in tui nominis confessione decessit, sanctorum tuorum numero facias adgregari. Per.

Secreta.

Propitiare, quæsumus, Domine, animæ famuli tui *illius*, pro qua tibi hostias placationis offerimus; et quia in hac [a] luce fide mansit catholica, ei in futura vita ejus retributio condonetur.

[b] *Secreta.*]

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro requie et anima famuli tui *illius* offerimus, quæsumus, Domine, placatus accipias, et tua pietate concede ut, mortalitatis nexibus absolutam, inter fideles tuos habere constituas portionem. Per.

Postcommun.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut [c] animam famuli tui *illius*, ab angelis lucis susceptam, in præparatis habitaculis deduci facias beatorum. Per.

C.

IN AGENDA PLURIMORUM.

Præsta, quæsumus, Domine, animabus famulorum famularumque tuarum misericordiam sempiternam, ut, mortalibus nexibus expeditas, lux eas æterna possideat. Per.

Alia.

Deus, cui soli competit medicinam præstare post mortem, tribue, quæsumus, ut animæ famulorum famularumque tuarum, ab omnibus exutæ peccatis, in electorum tuorum societatibus adgregentur. Per

Secreta.

Hostias tibi, Domine, humili placatione deferimus, ut animæ famulorum famularumque tuarum per hæc placationis officia perpetuam misericordiam consequantur. Per.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro requie et animabus famulorum famularumque tuarum offerimus, quæsumus, Domine, propitius intuere, et concede ut et mortuis prosit ad veniam quod cunctis viventibus præparare dignatus es ad medelam. Quam oblationem.

Postcommun.

Inveniant, quæsumus, Domine, animæ famulorum famularumque tuarum omnium in Christo quiescentium lucis æternæ consortium, qui, in hac luce positi, tuum consecuti sunt sacramentum. Per.

CI.

ITEM ALIA MISSA.

Fidelium Deus omnium conditor et Redemptor, [d] animarum famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Per Dominum.

Majestatem tuam, Domine, supplices exoramus, ut animæ famulorum famularumque tuarum, ab omnibus, quæ per humanitatem commiserunt, exutæ, in tuorum censeantur sorte justorum. Per.

Secreta.

Hostias, quæsumus, Domine, quas tibi pro animabus famulorum famularumque tuarum offerimus, propitiatus intende, [e] et quibus fidei Christianæ meritum contulisti, dones et præmium. Per Dom.

Infra action.

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro commemoratione animarum in pace dormientium suppliciter immolamus, quæsumus, Domine, benignus accipias, et tua pietate concede ut et nobis proficiat hujus pietatis affectus, et illis impetret beatitudinem sempiternam. Per.

Postcommun.

Animabus, quæsumus, Domine, famulorum famularumque tuarum *illi* oratio proficiat supplicantium, ut eas et a peccatis exuas, et tuæ redemptionis facias esse participes. Per.

CII.

ITEM ALIA MISSA.

Animabus, quæsumus, Domine, famulorum famularumque tuarum misericordiam concede perpetuam, ut eis proficiat in æternum, quod in te speraverunt et crediderunt. Per.

Secreta.

His, quæsumus, Domine, placatus intende muneribus; et quod ad laudem tui nominis supplicantes offerimus, ad indulgentiam proficiat defunctorum. Per.

Infra action.

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro animabus famulorum famularumque tuarum venerantes deferimus, quæsumus, Domine, placatus intende; et tua dignatione concede ut, mortis vinculis absoluti, transitum mereantur ad vitam. Per.

Postcommun.

Supplices, quæsumus, Domine, pro animabus famulorum tuorum preces effundimus, sperantes ut quicquid conversatione contraxerunt humana, et clementer indulgeas, et in tuorum sede lætantium constituas redemptorum. Per.

[a] Pamelius : *luce in fide.*
[b] Lege : *infra actione.*
[c] Ita correctum ex Pamelio.
[d] Pamelius : *animabus.*
[e] Idem : *ut.*

CIII.

ITEM ALIA MISSA

In cymiteriis.

Deus, cujus miseratione animæ fidelium requiescunt famulis tuis *illis*, et *illis*, vel omnibus hic quiescentibus, da propitius veniam peccatorum, ut, a cunctis reatibus [a] absolutis, sine fine lætentur. Per.

Alia.

Omnipotens, sempiterne Deus, annue precibus nostris ea quæ poscimus, et dona omnibus, quorum hic corpora requiescunt, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, luminis claritatem; et qui peccatorum suorum pondere prægravantur, eis supplicatio commendet Ecclesiæ. Per.

Secreta.

Pro animabus famulorum tuorum [b] et *illorum*, et hic omnium dormientium hostiam, Domine, suscipe benignus oblatam; [c] et hoc sacrificio singulari vinculis horrendæ mortis [d] exutæ, vitam mereantur æternam. Per.

Infra action.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus, Domine, pro tuorum requie famulorum et famularum *illi* et *illi*, et omnium fidelium catholicorum orthodoxorum in hac basilica in Christo quiescentium, et qui in circuitu hujus ecclesiæ tuæ requiescunt, quæsumus, Domine, placatus accipias, ut per hæc salutis humanæ subsidia in tuorum numero redemptorum sorte perpetua censeantur, diesque nostros. Per.

Postcommun.

Deus, fidelium lumen animarum, adesto supplicationibus nostris, et da omnibus quorum corpora hic quiescunt refrigerii sedem, [e] quietem, beatitudinem, luminis claritatem. Per Dominum.

CIIII.

ITEM ALIA MISSA.

Adesto, quæsumus, Domine, pro animabus famulorum famularumque tuarum, et omnium hic quiescentium, ut si quæ carnales maculæ in eis de terrenis contagiis inhæserunt, miserationis tuæ venia deleantur. Per.

Inclina, quæsumus, Domine, aures tuas ad preces nostras, pro quibus misericordiam tuam supplices exoramus, ut animas famulorum famularumque tuarum in pacis ac lucis regione constituas, et sanctorum jubeas esse consortes. Per.

Secreta.

Munera, quæsumus, Domine, quæ tibi pro requie et animabus famulorum famularumque tuarum omnium in Christo quiescentium offerimus, ad earum redemptionem proficiant. Per.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro defunctis offerimus, quæsumus, Domine, propitiatus accipias, et miserationis tuæ largitate concedas, ut ab omnibus, quæ per terrenam conversationem traxerunt, his sacrificiis emundentur. Per.

Postcommun.

Multiplica, Domine, super animas famulorum famularumque tuarum misericordiam tuam; et cui donasti baptismi sacramentum, da eis æternorum plenitudinem gaudiorum. Per.

CV.

Item missa in depositione defuncti tertii, septimi tricesimi dierum, vel annualem.

Adesto, quæsumus, Domine, pro anima famuli tui *illius*, cujus in depositione sua officium commemorationis impendimus, ut si qua eum sæcularis macula invasit, aut vitium mundiale infecit, dono tuæ pietatis indulgeas et extergas. Per Dominum nostrum.

Quæsumus, [f] Domine, ut famulo tuo, cujus septimum obitus sui diem commemoramus, sanctorum atque electorum largire consortium, [g] et rore misericordiæ tuæ perennis infunde. Per.

Deus indulgentiarum, Domine, da famulo tuo *illi* cujus anniversarium depositionis diem commemoramus, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, luminis claritatem largiaris. Per.

Secreta.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris; et hanc oblationem quam tibi offerimus ob diem depositionis septimi, *vel* tricesimi pro anima famuli tui *illius* placitus ac benignus adsume. Per.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, Domine, quam tibi offerimus pro anima famuli tui *illius*, cujus depositionis diem septimum *vel* tricesimum celebramus, quod, deposito corpore, animam tibi Creatori reddidit, quam dedisti; pro quo petimus divinam clementiam tuam, ut, mortis vinculis absolutus, transitum mereatur ad vitam. Per.

Postcommun.

Omnipotens sempiterne Deus, conlocare dignare corpus et animam et spiritum famuli tui *illius*, cujus diem septimum, *vel* tricesimum, sive depositione celebravimus, in sinibus Abrahæ, Isaac, et Jacob, ut cum dies agnitionis tuæ venerit, inter sanctos et electos tuos eum resuscitare præcipias. Per.

CVI.

ITEM ORAT. AD MISS.

Pro salute vivorum.

Prætende, Domine, [h] misericordiam tuam famulis et famulabus tuis, dexteram cælestis auxilii, ut te toto corde perquirant, et quæ digne postulant adsequantur. Per.

Secreta.

Propitiare supplicationibus nostris, et has oblationes famulorum famularumque tuarum, [i] quam tibi

[a] Pamelio : *absoluti.*
[b] Apud eumdem : *illorum, et illorum.*
[c] Pamelius : *ut hoc sacrificio.*
[d] Idem : *exuti.*
[e] Eidem : *quietis.*

[f] Apud Menardum : *Domine, famulo.*
[g] Menardus : *et rore misericordiæ tuæ perennem.*
[h] Apud Pamelium duo hæc verba, *misericordiam tuam*, omittuntur.
[i] Pamelius : *quas.*

pro incolumitate eorum offerimus, benignus adsume, A [a] ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio; præsta, quæsumus, ut quod fideliter petimus efficaciter consequamur. Per.

Infra action.

Hanc igitur oblationem, Domine, famulorum famularumque tuarum, quam tibi offerimus ob devotionem mentis eorum, pius ac propitius clementi vultu suscipias; tibi supplicantes libens protege, dignanter exaudi, et æterna nos protectione conserva, ut semper in tua religione lætantes, instanter in sanctæ Trinitatis confessione fide catholica perseverent; diesque nostros.

Postcommun.

Da famulis et famulabus tuis, quæsumus, Domine, in tua fide et sinceritate constantiam, ut, in charitate divina firmati, nullis tentationibus ab ejus integritate vellantur. Per Dominum.

Contestatio.

VD. Per Christum Dominum nostrum. Per quem salus mundi, per quem vita omnium, per quem resurrectio mortuorum. Per ipsum te, Domine, suppliciter deprecamur, ut animæ famuli tui *illius*, cujus diem *illum* celebramus, indulgentiam largiri perpetuam digneris, atque, contagiis mortalitatis exutam, in æternæ salvationis partem restituas cum angelis et archangelis.

INCIPIT AD PŒNITENTIAM DANDAM.

Dicis psalmum VI *totum; et iterum dicis*: Oremus. *Et incipiens psalm.* CII, *usque*: Renovabitur sicut aquilæ juventus. *Dicis deinde psalmum quinquagesimum; post hoc, oratio sequitur.*

Deum omnipotentem ac misericordem, qui non vult mortem peccatorum, sed ut convertantur et vivant, fratres carissimi, supplices deprecemur, ut converso ad viam rectam famulo suo *ille*, misericordiæ suæ veniam propitiatus indulgeat; et si qua sunt culparum suarum omnium vulnera, quæ post sacri lavacri unda contraxit, ita in hac publica confessione delicta sanentur, ut nulla in eum ultra cicatricum signa remaneant. Per Dominum nostrum.

Deus, justorum gloria, misericordia peccatorum, B da huic famulo tuo *illi* plenam indulgentiæ veniam, et pœnitentiæ loco exoratus indulge, ut qui præterita peccata deplorat, futura mala non sentiat, neque jam ulterius lugenda committat. Dimitte ei, Domine, omnia crimina, et in semitis eum justitiæ placatus reinstaura, ut securus mereatur deinceps inter tuos benemeritis currere, et ad pacis æternæ præmia pervenire. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Domine Deus omnipotens sempiterne, qui peccatorum indulgentiam in confessione celeri posuisti, succurre lapsis, miserere confessis, ut quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis absolvat. Per Dominum.

Explicit liber Sacramentorum. Deo gratias.

Sicut navigantibus dulcis est portus,
Sic scriptori novissimus versus.

[a] Apud eumdem: *et ut.*

ANNO SÆCULI VI INCERTO

ARMENIUS ET HONORIUS,

VULGO DICTI MONACHI.

NOTITIA HISTORICA

Qui sint monachi isti, incertum. Facile crederem C Theophilum, cui directa est sequens fidei confessio, esse patriarcham Alexandrinum, nisi *viri illustris* titulus, qui ei tribuitur, potius comiti quam episcopo conveniret. Si tamen id de Theophilo patriarcha interpretari placeret, hæc confessio tribui posset Ammonio monacho et fratribus ejus, quos *Longos fratres* appellabant. Horum enim fidem suspectam reddere contendebat Theophilus Alexandrinus. Quanquam potius Latinis monachis quam Græcis prædicta confessio assignanda videtur. Sed hæ conjecturæ sunt. In Codice Augiensi grandi et præclaro reperitur ista confessio cum aliis antiquorum Patrum confessionibus, eorumque expositionibus in orationem Dominicam. Inter illas porro confessiones exstat Breve fidei, quod Faustinus presbyter Luciferianus Theodosio imperatori direxit post libellum supplicem a Sirmundo editum; quod Breve eruditus Quesnelius vulgavit in II tomo operum sancti Leonis.

INCIPIT

DILIGENTIA BB. MONACHORUM ARMENII ET HONORII [a]

DE LIBRIS CANONICIS VETERIS ATQUE NOVI TESTAMENTI, SED ETIAM CONFESSIO FIDEI CATHOLICÆ QUAM BREVITER VIRO ILLUSTRI THEOPHILO DIREXERUNT.

Inter cætera et ad locum divinarum Scripturarum D Testimoniis introducti, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, tres personas coæternas, coæquales, unius substantiæ, unum Deum pia fidei credulitate confitemur atque veneramur. Et quoniam Deum Patrem, Deum Filium, Deumque Spiritum sanctum in Scripturis divinis legimus, atque secundum dogma catholicum et apostolicum confitemur. Absit a nobis

[a] Forsan, *Ammonii.*

et longe repellatur gentilis erroris impietas, ut utrium in una deitate personarum tres deos fateri videatur. Absit, absit hoc a nobis, et procul a piorum mentibus excludatur. Nos enim, juxta sanctæ (ut ostendimus) Scripturæ auctoritatem, nominum tantummodo ac personarum distinctionem in Trinitate facimus. Cæterum deitatem unam invisibilem, inenarrabilem, incapabilem, incomprehensibilem confitemur, quia ipsa est in Patre, ipsa est in Filio, ipsa est in Spiritu sancto una et perfecta divinitas. Non enim tres deos dicimus, qui unam divinitatem fatemur; neque obliti sumus Scripturam dicentem: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Dominus unus est;* et rursum: *Dominus tuus ipse est in cœlo sursum, et in terra deorsum, et non est alius nisi ipse.* Et ideo denique cum gentibus aut hæreseis numerum in deitate non facimus, neque cum Judæis mysterium Trinitatis negamus, sed confitemur exsistere Patrem, exsistere Filium, exsistere Spiritum sanctum, in personarum proprietate unitatem deitatis, in Trinitate credentes atque venerantes, id est, personas Patris, et Filii, et Spiritus sancti, unum Deum esse confitemur. Et ideo Deus omnipotens, quia ante omnia initia, et ante omnia principia et ante omnia sæcula, omnipotentem, coæternum sibi, sine ullo omnino initio, genuit Filium. Genuit enim, non creavit, neque fecit, quoniam neque factura, neque creatura est, sed coæternus, coæqualis Filius Patri et Spiritui sancto ab omnibus catholicis confitebitur. Qualiter autem secreto illo et inenarrabili consilio sit genitus, nullus catholicus prorsus debet hoc proloqui, neque mente vel qualibet cogitatione concipere, cum propheta apertissime increpans dixerit: *Generationem autem ejus quis enarrabit?* Deus est ergo Pater, Filius Dei est Christus, id est, unctus, eo quod in nostro sæculo unctus sit oleo lætitiæ præ consortibus suis. Jesus, eo quod salvator est omnium nostrorum credentium. Dominus, eo quod majestatis est Dominus, qui etiam pro nobis crucifixus est. Verbum, eo quod ex persona Patris loquitur propheta: *Eructavit cor meum Verbum bonum.* Virtus, eo quod omnia quæ sunt in cœlo, et in terra, et in mari, et in his quæ in eis sunt, ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt. Sapientia, eo quod omnia in sapientia facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Lux, eo quod in hoc mundo venit, sicut et ipse dixit: *Ego sum lux mundi.* Veritas, eo quod in illo nihil mendacii sit. Via, eo quod per ipsum accessum habemus ad Patrem. Vita, eo quod in ipso vivificati ex mortuis in hac qua nunc sumus carne resurgimus. Rex, eo quod ipse est Rex regum, et dominus dominantium. Sacerdos, eo quod ipse est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Brachium, eo quod sua excellentia et fortitudine nos de manu mortis liberavit. Dextera, eo quod nihil in illo sinistræ sit. Retia, eo quod in mundum, tanquam in mare, veniens, majestate sua complexus est et elegit nos. Lapis, eo quod positus est in caput anguli, et continet duos parietes, Vetus atque Novum Testamentum. Fundamentum, eo quod redemptio et salus nostra sit, sicut Apostolus ait: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, Christus Jesus.* Aquila, eo quod ad cœlestem altitudinem de terrena humilitate remeavit. Leo, eo quod victor est diaboli, sicut scriptum est: *Absorpta est mors in victoria.* Vitulus, eo quod hostia pro nobis voluntarie oblatus et immolatus est. Homo, eo quod unus in utriusque naturis manentibus, id est, deitatis et humanitatis, homo Christus Jesus est. Agnus, eo quod innocens pro nobis condemnatus, passus, crucifixus, ac mortuus est, et tertia die resurrexit atque abstulit peccata mundi. Gigans, eo quod gemina in eo substantia est, id est, Verbi et carnis, et virtute et fortitudine sua omnia transcurrit. Vermis, eo quod sine coitu et semine conceptus et de Virgine natus est. Speculum, eo quod est absque macula vel ruga, quippe imago deitatis. Janua, eo quod per ipsum ingredimur ad vitam æternam. Sponsus, eo quod virgo de Virgine natus Ecclesiam sibi immaculatam copulavit. Pastor, eo quod discernit agnos ab hædis et utriusque in resurrectione secundum meritum reddit. Panis, eo quod ipse sit panis vivus qui de cœlo descendit. Vitis, eo quod ejus sanguine potamur in remissionem peccatorum. Forma Dei, eo quod æqualis est Patri et Spiritui sancto in eadem substantiæ divinitate. Fons, eo quod ipse est fons vitæ, qui nobis plenitudinem gratiæ donavit in generationem baptismatis. Ignis, eo quod ipse est qui in columna nubis patribus nostris apparuit et in rubo Moysi, et nos ignivit eloquio.

Omnipotens vis trina Deus Pater optime rerum,
Quo generante natus sine semine, tempore, matre,
Ortu, fine, loco, vel membris post caro natus,
Permittens cerni multo quoque nomine dictus:
Spes, ratio, via, vita, salus, sapientia, mens, mons,
Judex, porta, gigans, rex, gemma, propheta, sacerdos,
Messias, sabaoth, rabbi, sponsus, mediator,
Virga, columba, manus, petra, Filius, Emmanuel, lux,
Vinea, pastor, ovis, pax, radix, vitis, oliva,
Fons, Etos, panis, agnus, vitulus, leo, Jesus,
Verbum, homo, rete, lapis, Dominus, Deus, omnia Christus.

ANNO DOMINI DXL.

SANCTUS CARILEFUS,

SACERDOS ET MONACHUS, ANISOLENSIS ABBAS PRIMUS.

VITA SANCTI CARILEFI,

AUCTORE B. SIVIARDO ABBATE ANISOLENSI QUINTO.

(Mabill. Act. SS. Ben. t. I.)

Prologus auctoris.

Constat veterum fuisse morem ut sui temporis viros per scripturarum suarum monimenta posteritati commendarent, eorumque dicta memoratu digna vel facta, aut litteris traderent, aut picturæ committerent; vel certe ære, seu marmore, laborioso atque spectabili opere effigiarent, id studii habentes, ut quæque ad sui notitiam utilia, vel cognitu digna, vel æstimarentur imitanda, eorum industria ad successorum suorum perducerentur notitiam, quatenus nec suo tempore indevoti, nec posteritati apparerent inofficiosi. Hæc cum ita sint, nobis quoque verendum est ne militum Christi fortia facta atque imitanda tropæa, quibus in nostro sæculo emicuerunt, silentii carcere premamus, sed succedenti profutura ætati, vel mediocri stylo mandemus. Unum enim a pluribus Christi fortissimis prælliatoribus Dominus nostro attribuit ævo Carilefum[a] nomine, cujus inclytam vitam, multorum utilitati profuturam, ipso opem ferente, suscepimus chartulæ contradendam. Et quanquam tanto operi existimus impares, utpote quibus et tenuis adest facundia, et ingenii perangusta copia, satius tamen rati sumus vel exiliter dicere quæ novimus, vel paucula, quam cum servo pigro et negligenti pro retenta Domini pecunia subire taciturnitatis stipendia. Dat etiam Dominus loquendi incitamentum, qui præcipit ora aperire, et ea ne elinguia remaneant, Spiritus sancti gratia promittit adimplere.

Ipse ergo nobis orandus est, ut qui servi sui A adjutor exstitit ad bona peragenda quæ præcepit, sit et nobis adjutor ad narranda quæ in eo peregit, quo scilicet tenerior ætas cognoscens veteranorum Christi militum laboriosa pro Christo certamina, seu quæ propriis laboribus adepti sunt præmia, veluti palæstrici agonistæ certaminis fortissimi, oleo imitationis paternæ peruncti, fortiores reddantur ad toleranda contra spiritales nequitias acerba discrimina. Quæ singula ad Divinitatis gloriam referuntur, quæ tantam meritorum famulis suis tribuit prærogativam. Corda etiam torpentia manu commonitionis suæ, ut evigilent, pulsat, ut pudeat eos non imitari quos similes sui aliquando noverint, utpote quibus et caro ex eadem materia constiterit, et anima æque a Deo cunctis bona inserta sit.

B Sed quia invalidi reddimur, nostris exigentibus desidiis, ad eorum sequenda vestigia, vel narremus utcunque quæ de eis miranda cognovimus, ut vel per hoc nos in sui consortium adsciscant, si operum quorum illi exstitere factores, nos inveniamur vel qualescunque narratores. Quod opus non aggredimur nostra præsumptione, sed sacrorum Ecclesiæ præsidentium episcoporum jussione. Injungitur namque nobis ut jam dicti beatissimi Carilefi Vitam quoquo modo describamus, qui tempore Childeberti præeminentissimi regis floruit, atque in castris sanctæ Ecclesiæ tanquam strenuus miles contra potestates aereas, clypeo fidei protectus, spicula doctrinæ contorsit, fulmina miraculorum emisit.

VITA INCIPIT.

Principe itaque supra dicto et germano ejus Clotario rempublicam regni Francorum gubernantibus, ut se habet talium usus rerum, monarchiam regni sui in duo diviserunt; ita tamen, ut in amore germanitatis manente unitate, unusquisque eorum potiretur regni sui ab alterutro tradita portione. Movente etiam successionis amore, connubia studuerunt inire. Quorum Clotarius Radegundem natione Turingam, pietatis insignitam moribus, sibi ascivit reginam. Quæ postea, exactis in ejus copula aliquot annorum curriculis, Pictavum petiit, atque in suburbio ejusdem civitatis animabus Christum desiderantibus semet spectabilem reddidit. Ibique, quantum sibi posse C fuit, superorum conversationi propinquans, vocante hora mortalibus præfinita, terræ quod suum erat reliquit, animam autem consortio angelorum sociandam, quibus et diutinis laboribus se sociam præbuerat, misit. Iis quidem qui adhuc domibus luteis præsident, excubias sui corporis cum sudore reliquens æmulationis, angelicis vero cœtibus admisceri festinans, mortalia liquit, et immortali Sponso, cui jamdudum conjungi ardebat, sese conjunxit. Inclytus vero rex Childebertus Ultrogodam meritis venerandam reginam sibi matrimonio copulavit. Quo tempore, prædictus Christi famulus Carilefus in Arvernensi territorio, parentibus secundum sæculi est

[a] *Mss.*, Karileffum.

dignitatem clarissimis ortus. Qui quanquam nobilitatis claret tamen titulis, accessit tamen huic nobilitati animus clientelæ devotissimus dominicæ, quæ eos, obumbrata sæculi dignitate, potiore donavit claritudine.

Susceperunt itaque sibi donatum Dei famulum, et tenerioribus quidem adhuc morantem in annis studiose nutrierunt. At vero appellente eo tempora quæ studiis sunt habilia discendis, doctrinæ gratia in monasterium, cui Menate vocabulum est, mittitur, ubi, Domino comministratore, et litterarum facundiam et sanctæ conversationis suscepit normam. Videns namque ejusdem loci devotos Christi famulos, alterutrum in ejus charitate sese præcedere festinantes, et ut eum alius verbo, alius instrueret exemplo laborantes, ipsum vero tanquam bonam terram suscepto divini verbi fenore, quo centuplicatam redderet sementem. Nempe quanquam immaturitas temporis juveniles repromitteret annos, gravitas tamen interior lascivos compresserat motus. Et quanquam calleret intelligentiæ sapientiæque acrimonia, veluti ad omnia invalidus, humilitate magistra, a senioribus studebat expetere consulta ; et quæque ex eorum ore audiebat, veluti oracula sibi divinitus emissa, summopere studebat servanda. Interea, cum iis diu operam daret exercitiis, veluti in gymnasio exercitatus cœlesti, cupiebat tandem aperto sese credere campo, et singulari contra diabolum dimicare certamine, eremiticam scilicet appetens vitam, in qua solus cum solo dextram consereret, et fautrice Divinitate hostem protervum humilitatis protereret armis. Hæc eo intra se diutius volvente, et debita cum cautela qualiter sibi agendum esset deliberante, quadam die vir spectabilis vitæ et per cuncta laudabilis, ejusdem cœnobii monachus, Avitus nomine, ei collocutionis gratia adfuit. Erat namque isdem de quo sermo agitur vir, quanquam minus clarus secundum perituram sæculi dignitatem prosapia, meritorum tamen præditus summorum prærogativa. Dum ergo inter se opportuna colloquia serunt et divini epulas verbi palato mentis degustant, codicem sancti Evangelii textum gestantem aperiunt, oblatamque oculis lineam, quæ prima fronte occurrit, lingua recitant, mente pertractant. Erat namque hujusmodi : *Qui plus diligit patrem aut matrem aut fratres aut sorores quam me, non potest meus esse discipulus, et non est me dignus*. Cœpere itaque veluti animalia munda cibum hunc dente discretionis terere, et quia se plus ad arduam conversationem hæc verba sectandam admonerent commentari ; ubi, scilicet, vacui parentum sollicitudine, alieni a cognatorum notitia, solo brachio intentionis cœlestis sanctique desiderii vitia carnis libere possent conterere.

Itaque evestigio Petrum secuti apostolum, qui, voce jubentis audita, protinus, retibus navique relictis, Domini secutus est itinera, beatus Avitus claves cellarii cum cingulo revinctas clanculo abbatis sui supposuit cervicali. Erat namque tunc temporis rei frumentariæ apothecisque præpositus monasterialibus. Sicque tandem, ruptis deliberationum morulis, pedem a monasterio extulere, et destinatum iter corpore cœpere. Emenso itaque non multo a monasterio itinere, Ligeris adiere fretum. Quod navi conscensa Christoque propitio facile transmearunt, et in suburbium Aurelianense devenerunt. Audita autem præstantissimi viri et Deo amabilis Maximini fama, qui in iisdem locis cohortibus monachorum in cœnobio Miciacensi degentium præerat, citissime ad eum visendum convolaverunt. Isdem namque præclarus meritis vir Maximinus a Clodovei regis et reginæ ejus Clotildis liberalitate fundum acceperat, in quo sibi suisque cœnobium construxerat, et in eo spiritali philosophiæ tunc temporis operam dabat. Qui ut sanctorum cognovit adventum virorum, et ardentem circa Dei culturam affectum, protinus eis et secum habitandi facultatem, et fratrum attribuit societatem.

Ipsi vero, nequaquam obliti suæ propositum intentionis, haud retro aciem mentis retorserunt, vel tepiditati aut ignaviæ manus dederunt ; sed, tanquam evangelico manum imponentes aratro, mentis obtutibus ad bravium supernæ vocationis intendebant, castigabantque corporis sensus a sinistris affectibus, ac studebant eos venustate sacrorum actuum exhibitionibus, studioque illis erat et opere sese reddere conspicuos et sermonibus salsos. Erat in eorum operibus videntium admiratio et in sermonibus gratiæ oblectatio. Reddebat namque eos castitas floridos, fides invictos, mentis puritas simplices, splendor vitæ laudabiles. Præponebatur ab eis cunctis quæ diligi possunt in dilectione Dominus, et propriæ dilectioni nullo modo supponebatur proximus. Erat illis humilitas non modo verborum vel habitus, sed totus ipsorum veritate conditus erat actus, ita ut quicunque eos viderent, in eorum studiis velut pictura spirituali verba Domini picta putarent quibus ait : *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me*.

Interea vir piæ recordationis Maximinus, ubi comperit eorum studia, circa theoricæ [a] anhelare appetitum, vitamque per orationum instantiam, vigiliarum assiduitatem, precum pernoctationem, ad supernum aspirare conventum, studuit ambos sacerdotali insignire dignitate, cujus voluntati divina provisione prosper cessit eventus. At [b] devotissimi Christi famuli, nimio flagrantes amore, nec satisfieri suo in his desiderio cernentes, remotius sibi habitaculum judicarunt perquirendum. Ad quam rem non illos fluctivaga incitabat levitas, sed Domini excitabat voluntas, Christoque placendi inexplebilis cupiditas. Erat namque illud studii, ut quia annosum jam transegerant in cœnobitali conversatione cursum, attingere anachoritale certamen [c] mererentur, ne qua illis deesset perfectio, quam eis demonstrabat Patrum recitata lectio. Itaque ab eodem quoque loco pedem referentes, vastas expetunt Perthesi saltus

[a] *Al.*, theoriæ.
[b] *Al.*, interea.

[c] *Al.*, singulare.

solitudines. Quas peragrantes, inter opaca quæque nemorum et lustra abditissima ferarum, obvium se tulit eorum conspectibus fertilis locus; qui tunc Piciacus dictus, at nunc vocabulo Cellæ sancti Aviti cognoscitur insignitus. Sane ut amœna Divinitatis potentia in eorum cordibus uberrimum monstraret fluere sancti Spiritus rivum, eis fontem aperuit aquæ viventis, ne qua illi qui gratia sancti Spiritus potabantur interius, necessitate gravarentur exterius. Quem fontem beatissimus Carilefus manu sua, ut aquæ retentor esset, terrestri circumdedit ædificio, et hactenus ob amorem illius a devotis non ignobili tegitur operculo. Quem locum tanquam Domini provisione sibi delectum complexi, in eo stationem collocant, diesque complures in sanctæ Trinitatis devotione continuant.

Cum vero et tempora eis divinis studiis mancipata in eodem loco protelarentur, et odor eorum notitiæ atque operum circumquaque divulgaretur, fama beatissimi Aviti aures supradicti regis occupavit, probata veridica Salvatoris sententia dicentis: *Nemo accendit lucernam, et in abscondito ponit, neque sub modio, sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant.* Jussu itaque ipsius inclyti regis, et basilica in eodem loco fabricatur, opibusque regiis datur, nec non cœnobium præparatur, quatenus lychnus sanctæ Ecclesiæ nequaquam fulvis occuleretur in tenebris, sed cunctis sanctæ Ecclesiæ filiis sui radios spargeret luminis.

Beatus autem Carilefus (prout moris est sanctis viris prospera vitare, sinistra ob custodiam sui appetere) in iis charissimum sibi relinquens locis Avitum, carne ab ejus præsentia in interiora secessit eremi, cum tamen ei inextricabilibus esset devinctus nexibus animi. Neque enim Divinitas probabat duos sui exercitus inclytos duces uni debere præesse caulæ, cum pluribus uter eorum sufficere posset. Itaque, assumpto secum suo commilitone Daumero, conservoque itidem Gallo, pedem vertit in partes Cenomanicæ urbis. Tandemque divertit in locum, veterum vocabulo Casa-Gayani nuncupatum, situm in parochia Labrocinensi, prope quem locum defluit Anisolæ amnis, qui hactenus, nomen ipsius fluvii mutuans, eodem quo ille nuncupatur nomine, in quo multis admodum delituit diebus. Erat namque locus a cujuslibet accessu secretus, in altitudine eremi a viventium conversatione remotus, sed tamen terræ fertilitate jucundus. Reperit etiam inibi fontem vivaci vena fluvium evomentem, parietesque vetusti ædificii senio habentes, dignitatem tamen pristinam ipsius operis vestigiis protestantes. Obtulit se etiam ejus conspectibus parva vitis. Cumque hæc singula lumine curioso perlustraret, inæstimabili suffusus gaudio, in terram sese protinus dedit, et misericordiæ Domini, tanquam qui hæc sibi præparaverat, gratias reddebat innumeras, totis supplicans viribus ut qui ei præparaverat locum, fructus quoque operarii cœlestis sibi ibidem peragere præciperet.

A Cumque noctis spatia orationibus occupasset, in crastinum cellulam habitationis sibi et fratribus suis intra parietinas supradicti ædificii vimine lento contexit, et hinc inde agriculturæ operam dare inchoavit.

Itaque die quadam cum operi instaret cœpto, vitemque repertam tanquam voti sui adjutricem circumfodiendo, et superflua quæque resecando, excoleret, sudore laboris coactus, vestimento quod cucullam vocant exutus, quercui appendit. Inter hæc autem avicula perexigua cujus vocabulum est bitriscus [a], dum singula quaquaversum (ut ei mos est) vaga pererrat, et juxta familiarem sibi consuetudinem intima quæque quadam curiositate dictante perlustrat, vestimento se abdit, atque recedens ovum enixum reliquit. Carilefus autem devotus Christi fa-B mulus, opere diurno explicito, cum jam sol verticem axis declivior linqueret, et occasum tepescentibus radiis vicinum promitteret, vestimentum resumpturus arborem adiit, ovumque alitis reperit. Quo viso, inæstimabile gaudium cum admiratione mistum eum occupavit, totumque spatium illud, quo lucis abscessu umbræ terras tenuerunt, in laudibus divinis expendit.

Cum vero jubare suo Phœbea lampas jam mundum venustaret, et, suppressis cæcæ noctis tenebris, umbrarum densitate occultata manifesta redderentur, sumpto secum germano suo Daumero, beatum Avitum petiit, de his quæ corde illius tegebantur consulturus, simulque et de loci inventi opportunitate perlaturus. Interea dum, ut moris est sanctis viris, multa multorum utilitati profutura inter eos C vertuntur, venerandus vir, inter cætera et illud, quod ei evenerat, venerabili Avito retulit, explorare volens utrum ab eo quasi novum aliquod accidens audiretur, vel si quid hac re portendi posse videretur. Vir autem Domini Avitus se eis moveri confessus est, et quia non frustra nec casu id acciderit adjungens, ait: « O mi amantissime, et nulli postponende mortalium, Carilefe, insiste labori; non hæc quidem qualiacunque promittunt, sed editus alitis fetus, magnos loci illius futuros portendit proventus. Scito enim multo majorem ejusdem loci futurum Dominicum gregem quam quem hic cernis nobiscum consistentem. Qui, tanquam optimi milites in exercitiis Domini vitam transigentes, post laboriosos carnis triumphos, a Domino immarcescibiles labo-D rum suorum consequentur fructus. » Noctem itaque illam insomnem ducentes, totam eam Domini servitio dedicavere. Et nunc sermo erat eis de præsentis vitæ institutione, nunc ad futuram remunerationem locutio percurrebat; modo immortalium spirituum consortio intererat, nunc autem sanctorum virorum documenta atque exempla, nunc item ad Psalterii modulamen dulci plectro litteris docta, et ad suavem Domino sonum reddendum pulsabat. His itaque actibus, totius noctis opacæ solati sunt tenebras. At fatiscentibus umbris, Christi miles Carilefus, repedans quo venerat, tugurio sese recepit dilecto.

Erat nempe, ut jam dictum est, ibidem locus sec-

[a] *Al.*, bitericus.

rus totius externi tumultus, et tantummodo feris eremique familiarissimis animantibus pervius. Namque earum adventu sæpe visitabatur, ita ut quodammodo de eo proprie dictum videretur : *Et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.* Erat namque spectabile videre bubalum, qui in ea provincia difficilis est inventu, inter cætera animantia venientem ad eum. Et qui ante spissioribus sese locis tantum occulendum crediderat, tunc videres eum, omnis sævitiæ oblitum, et depositis rictibus et feralis animi pervicacia, servo Domini mitem se et tractabilem præbere, atque in morem adorantis torosam cervicem inclinare, virumque venerabilem, submoto omnis timoris angore, belluam adeuntem, lento ungue setas inter cornua sulcantem, nec non collitoros atque palearia tractantem et illam veluti familiariter mulcentem. Atque ferus ille hoc contrectatu veluti benedictione donatus, præpeti cursu (uti ei natura dictante moris est) vastas repetebat solitudines.

Inter hæc autem Childebertus Augustus, cum sibi juncta conjuge Ultrogoda omnisque comitatus frequentia, partes Cenomanicæ urbis adiit, et in villam Madualis nuncupatam devenit. Nuntiaturque ei ibi consistenti bubalum in iis locis inusitatam bestiam haud longe in solitudine delitescere. Rex autem gaudio exhilaritus, jubet venatores suos præparare quæque erant necessaria bestiæ capiendæ, canum, scilicet, vim exacui, arcuum sagittarumque copiam sufficientem exhiberi, volens eum in crastinum venari; quæ cum celeritate omnia peracta sunt. In crastinum vero, necdum cæca nocte aufugiente, interiora saltus petunt; et sicubi animantis vestigium perspiciant, mox ut sese lux repræsentavit, terram oculo curioso pererrant. Tandem itaque signa ejus itineris diu rimata reperiunt, et acres post eum molossos ad eum insequendum funibus absolvunt. Miser autem jam jamque capiendus ad sanctum Carilefum accurrit bubalus, et quasi cui quaquaversum fuga negaretur, Domini virum quasi singulare adiit refugium. Sane venatores indicia ejus itinerum sequentes, canum etiam latratui credentes, tandem devenere ad locum ubi Sanctus, cellula propria manu ædificata, habitabat. Ibi itaque sanctum virum, et post tergum illius prædictum astantem bubalum, veluti querulum ac trementem videre. Tunc vero, insolita rei novitate turbati, nec bestiam attingere, nec sancto viro aliquam molestiam ingerere ausi sunt; sed venienti regi et sciscitanti causam morarum atque ignaviam socordiamque illis objicienti, ita respondent : « En, inquiunt, uti peritia et industria dictante consuevimus, cuncta peregimus, bubalum ipsum reperimus, sed quadam eventus novitate perculsi sumus. Invenimus namque in quodam tugurio hominem nobis incognitum, propterque ejus habitaculum bestiam consistentem, mansuefactam immanem. Enimvero quia visum est nobis eumdem hominem Domini esse servum, utpote cui feralia subduntur animalia, nec ejus quietem ausi sumus perturbare, nec bubalum impetere. » At rex, ira permotus : « Eamus, inquit, ad locum de quo sermo agitur. » Euntes itaque pervenerunt ad locum, in quo Domini servus, bestia sibi famulante, Dominum exorabat.

Tunc rex, viso hoc miraculo, nequaquam Dei potentiam studuit in talibus venerari; sed, permotus indignatione, has increpando voces cœpit emittere : « Unde, inquit, vobis, o incognitæ personæ, tanta præsumptionis superbia, ut mei juris saltum, nullo concedente, ausi sitis irrumpere, aut nostræ venationis dignitatem vestra importunitate vel in aliquo mutilare? At vero vir sanctus, nequaquam oblitus vocis Domini qui ait : *Dum steteritis ante reges et præsides, nolite præmeditari quid respondeatis, ego enim dabo vobis os et sapientiam*, cum summa constantia et humilitatis reverentia ait ad regem : « O rex bone, nos, quos hic vides, nequaquam despectus tui gratia aut conturbandæ venationis lustra ferarum irrupimus et inhabitabilia loca occupavimus, sed ut familiarius atque enixius Domini occuparemur servitio, inaccessibilia hominibus loca petivimus, si quo modo placeat Divinitati ut, quia hic consortiis hominum secernimur, post lapsum mortalis vitæ, in cœlo consortiis angelorum perfrui mereamur. Rex autem, nimio felle suffusus : « Præcipio, ait, auctoritate nostra, et te et socios tuos hinc secedere, et ut deinceps nullus ex vobis hic inveniatur cavete. » Tunc venerandus Carilefus nec in minimo minis conturbatus regalibus, ad implenda præcepta sese vertit, et regi dixit : « Est nobis, inclyte rex, servis tuis aliquid vini quod parva vitis hic inventa atque exculta effecit, petimusque serenitatem culminis vestri, ut aliquantisper ejus poculo indulgeatis, quatenus alacrius tam tua nobilitas quam et comitum tuorum ad palatium redeundi habeat facultatem. » Egit enim hoc ut Scripturæ obsecundaret dicenti : *Si inimicus tuus sitierit, da ei potum; hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus.* Porro princeps isdem nimio parendo furori, non solum carbones charitatis frigore restrinxit malitiæ, sed equum suum calcaribus verberans, ut ad palatium rediret, iter arripuit.

Sed Domini larga misericordia et inexhausta potentia, quæ humiles suos, fracta superborum potentia, exaltare consuevit, latissime quanti apud eum valeret qui despectus fuerat apparuit. Nam cum rex isdem, tumore inordinato distentus, iter in redeundo accelerare vellet, equus illius, stupore repentino captus, subito constitit, et licet hinc inde cruentatus, processum regi denegavit. Inter hæc admiratio timori sociata omnes occupat, et quid facto opus esset cunctos cogitare compellit. Sed cum diu in iis hæsitarent, unus illorum, qui prudentia cæteris præstabat, ita ad regem loquitur : « Optime rex, si non me suspicio fallit, homo ille qui a nobis contumeliose tractatus, atque ignobiliter est compellatus, Domini est servituti devotus; cujus virtuti hoc præstitit Dominus, ut quia a te non ut decuit est tractatus, tibi quoque ad ea quæ vis peragenda denegetur effectus. » Itaque celer ad virum Dei dirigitur nuntius, qui et de præteritis ve-

niam impetraret, et jussionem illius de iis quæ agenda forent regi deferret. Qui citissime ad locum ubi vir Dei erat devenit; orantem eum invenit, et regis necessitatem exposuit. Devotissimus autem Christi famulus, hæc audiens, Domini misericordiam se honorantem glorificavit, et regi ut ad se reverteretur humiliter præcepit, dicens: « Vade, fili, et dic regi ut revertatur. » Et quia sine benedictione recesserat ira permotus, accipiat a Domino, per famulum ejus, benedictionem, et ita revertatur ad palatium, submota omni læsione.

Itaque ipse orationi devotissime incubuit. Apparitor vero mandata suscipiens, quam celerrime ad regem revertitur, quem uti dimiserat immobilem, et spiritualibus vinctum reperit nexibus, et coram eo legationis suæ verba deposuit dicens: « Optime principum, vir Domini, ad quem me tua censura ire decrevit, te ad se redire præcipit, et benedictionem ejus, qua te ipse irascendo fraudasti, ut accipias magnopere cupit. » Mirum in modum, mox ut verba servi Domini audivit rex armis terribilis, potentia singularis, comitatus frequentia pene inaccessibilis, ex quibus vinctus erat solutus est nexibus. Et qui voluntati Dei, quæ in sancto Dei viro habitabat, contrarierat et contraeundo semet vinciri advertit, iterum ejus nutibus parendo, ab illis, quibus arctabatur, institis solutus, quod jubebatur implebat festinus. Itaque, absoluto equo, festine ad hominem Dei devenit rex dudum tremendus, modo tremebundus, et oculos, quos dudum, præ iræ magnitudine, cruenta obsederat nubes, nunc abluebat cor contritum, lacrymas eliciens. Cervicem quam dudum superbia reddiderat rigidam, nunc humilitas reddebat curvam. Plantis itaque Sancti advolvitur, dextera pectus frequenter quatitur, reum se iterum iterumque fatetur, et ut a sancto viro indulgentiam pro his quæ superbiendo commiserat consequeretur, mœstus implorat.

Beatus autem Carilefus, amica sibimet humilitate commonitus, regem prostratum adiit humiliter et benigne erexit, devotissime verbis prædicationis instruxit, et ut deinceps talem levitatem imperaret commonuit. At vero princeps, iterum se vestigiis ejus submittens, loco magni beneficii habiturum se dicebat, si, beati viri munificentia, vino quod dudum nihili habuerat nunc potaretur. Ipse autem, qui animositati funditus renuntiaverat, et saluti regiæ solummodo sibi providendum persuaserat, celerrime, quod precabatur, fieri jussit, dicens uni suorum commilitonum: « Ocius; frater mi, vinum huc deferatur, simulque calix, quo regis voluntati a nobis obsecundetur. » Quo extemplo allato, sanctus Carilefus manu propria calicem implevit, et regi poculum porrexit. Rex vero alacri animo quod offerebatur pro dantis dignitate potius quam pro sui sapore suscepit, et osculata manu ejus ori admovit, atque eo exhausto, Divinitati gratias retulit; quod etiam comitum ejus quisque fecit. Mirumque erat videre vas perparvulum in tantum exuberasse copiæ

A magnitudinem, ut liquor ille viteus ubertim singulis propinaretur, nec tamen detrimentum inopiæ, quousque omnes sufficienter biberent, pateretur. Sed patet non minoris fuisse meriti beatum Carilefum, nostri temporis eremitam, olim Elia atque Eliseo itidem eremiticis prophetis, quorum unus ex hydriæ parvula farina, tam sibi quam hospitæ suæ jussit exuberari abundanter cibaria; alter vero ex pauculis hordei panibus centum virorum exclusit esuriem.

Igitur rege et comitibus ejus, quantum voluntas dictabat, vino exsatiatis, vasculo supra dicto nequaquam aliqua sustinente diminutionis dispendia, iterum pedibus sancti viri advolvitur, et deprecationem in hæc verba profundit. « Certum habeo,

B virorum optime, te Domini inhærere culturæ, et Domini servum, Divinitatem vero tuarum in omnibus fautricem esse precum. Ideoque peto uti voto meo tuum præbeas nutum, quo, scilicet, fundi hujus Madualensis, quanta animo tuo sederit, accepta portione, cœnobium Christo adjutore fabricare debeas. » Quam petitionem, licet vir Dei diutissime refugerit, tamen regis petitio prævaluit, et ut id fieret obtinuit. Nec tamen vir Domini ampliora spatia se suscepturum ullo modo consensit, quam diurno itinere sedens asino posset obambire.

Hoc rex impetrato, veluti magno donatus præmio, benedictione postulata et accepta, reversus est ad propria. Cumque illi regresso, et penetrale domus potenti jam dicta Deo devota occurrisset regina, per

C ordinem ei suorum eventuum texit historiam. Ipsa vero ad hæc ita respondit: « Frater, magnam cordi meo hæc quæ auditu addisco, cum timore pepererе lætitiam; timeo enim tibi, domine rex, ne quid hujus rei causa offensæ apud Deum famulumve ejus incurreris. Congratulor tamen tuæ saluti, quod præ multa benignitate sua Deus noluit in præsenti suas suique famuli injurias ulcisci. Oportet te operam dare iis quæ ab eo didicisti, ne forsitan dissimulans, inobedientiæ atque indevotionis arguaris, et leviora evitans, deterioribus plectaris tormentis.

Inter hæc vero devotus Christi famulus, non uti moris est terrenis commodis inhiantibus, in eo exultabat, quod ei ruralium suppetebat copia fundorum; sed omnipotentissimæ collaudabat munificentiam

D pietatis, quæ unde pauperes aleret exsulibusque ac peregrinis solamen conferret, sibi attribuerat. Volens etiam divina clementia servi sui devotionem magis magisque in sui augmentare mulcendo clientelam, cum quadam die, coactis fratribus qui secum morabantur, agriculturæ in prædio jam dicto insisteret, atque rastro terram verteret (deerat namque illis arandi copia), beatus Carilefus terræ glebam sarculo detrahens, thesaurum latentem detexit, eatenus mortalibus incognitum. Quo viso, fratres suos accersere studuit, et qualiter eos Domini misericordia consolaretur indicavit; pariterque ostendit, dicens: « En, optimi commilitones, attendite qualiter nostri misericordia Creatoris donis suis nostram exiguitatem nobilitat, cui parum est homi-

num nos beneficiis ditare, nisi et opes terræ sinibus hactenus abditas jam incipiat contradere. Referamus itaque illi gratias, eumque tota pectoris devotione studeamus laudare, utpote qui ea quæ majora sunt, atque illi, ut sibi competit, servientium munera nobis contradidit, qui sumus membrorum ejus infima et contemptibilia. » Solo itaque prostrati, et diutissime sanctam Trinitatem in hymnis et laudum decantatione venerati, tandem assurgunt, et susceptum quem reperere thesaurum in oratorium quod dudum fabricarant transvehunt. Filius namque summi Patris Dominus Jesus Christus, cui moris est in luteis habitaculis degentibus suis famulis quæ secutura eos maneant bona demonstrare, quo scilicet uberius in amorem ejus satagant ignire, et qui jusserat eis, per Evangelii oraculum, in cœlis thesaurum manentem condere, dicendo : *Thesaurisate vobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo exterminat, neque tinea demolitur, neque fures effodiunt et furantur*, etiam terra consistentes, terreno voluit invitare thesauro, ut perpenderent cujus pretii esset cœlicus, si tanti esse poterat humanus thesaurus.

Itemque et hoc quisquam forsitan nec minus digne miretur, quia dignitatem quam in protoplasti perdidimus transgressione, isti divinæ obtemperando voluntati recuperare valuit, non quidem adhuc donatus paradisi habitatione, sed adhuc oneratus terrea gravedine. Scimus namque eumdem parentem nostrum tantæ fuisse sapientiæ, ut omnia ruris pontique atque aeris animantia ejus crederentur nutibus, et vocata illa obedientiam non detrectarent; et congrua sibi susciperent, eo imponente, nomina. Nonne reddita videtur hæc sancto viro prudentia, cui didicit sæva obsecundare bestia? Et cujus rictus solent bene cordati viri fugere, nunc cernere erat, etiam famuli more, ejus adhærere liminibus; et veluti discipulum assidue magistri limina terentem; moxque ut præcepta illius audisset, avia quæque cursu petentem. Est etiam illud considerandum, quod imperiosa quæ illi attributa est peritura potestas, isti etiam misericorditer contribuerit divina Majestas. Dictum est enim illis primis in origine creatis : *Dominamini piscibus maris et volatilibus cœli et bestiis*. Ideoque præcellentissimus Carilefus, quia eum qui regalia videbatur regere sceptra viderat ab humana discessisse dignitate, et potius cordi humano interiisse bestialem feritatem, non oblitus suæ potestatem dominationis, freno orationum docuit eum iræ limitem imponere, et de cætero se humane civiliterque tractare, ne de illo posset dici : *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis*.

Inter hæc vero, nec dignitatem isti video defuisse priscam, quia sicut colonis paradisi, omni suppresso laboris sudore, jussa est tellus proventum fructuum sponte ministrare, haud aliter beato viro parum quod habuit vini exiguitate oblata, didicit sese extendere ad multorum satietatem virorum. Nec mirum est sanctos viros ea quæ alterius perdidere ignavia, propria recuperare etiam in præsenti laboris instantia, cum statuerit rerum Conditor ad eas sedes revocare illos carne solutos, in quibus sine aliquo sui status permanerent detrimento, nisi obicem se præbuisset præcepti transgressio. Et quia illi humiliando sese ardent divinas exsequi jussiones, æquum est non eos multari ea quæ in transgressores lata est severitatis sententia; sed potius etiam in præsenti honorari divina munificentia.

Igitur vir Domini, quia tantis ac talibus se honoratum videbat beneficiis, magis ac magis crescebat in variarum virtutum exercitiis. Namque in eleemosynarum largitionibus semet liberalissimum exhibebat; in jejuniis promptum, in vigiliis strenuum, nec non in omni plenitudine virtutum operatorem se comprobabat eximium; ita ut quodammodo singulariter sententiam Davidico ore prolatam implesse videretur dicentis : *Ibunt*, haud dubium sancti, *de virtute in virtutem*, quousque hominem exuant, *et Deum Deorum in Jerusalem cœlesti videant*.

Interea circa illius eremi quæ sanctus vir tenuerat loca, quidam hominum rusticali opere tenuem sustentantes vitam habitabant, numero septem. Qui divino timore et amore inspirati, simulque rei novitate allecti, Dei famulum sæpius invisere curabant, et necessitatem ejus, quantum sibi posse erat, sublevabant. Sed a viro Dei thesauri ex terræ visceribus sibi traditi aliqua portione fuerant donati, quo scilicet et propriam indigentiam ejus juti solatio temperarent, et ædificandi monasterii adjutores forent. Qui et promissionis suæ memores, et ipsi quandiu mortalibus interfuere rebus, ea quæ professi sunt opere impleverunt. Sed et nepotes eorum hactenus devotissime prædecessorum suorum exempla sectati, itidem actitare noscuntur.

Inter hæc vero cum regina Ultrogoda Domini devotione nobilissima, certis nuntiis sibi deferentibus, viri domini vitæ qualitatem addidicisset, cibi scilicet parcimoniam, sed et noctium insomnietatem, nec non et vestium vilitatem, sed et super omnia clarum in Christi famulatu ac perseverantem favorem (erat namque ei etiam consuetudo, cinere et cilicio corpus obvolvere, et, quando summa exigebat lassitudo quieti indulgere, nudæ humo corpus supersternere), misit ad eum aliquos apparitorum suorum, ut suam voluntatem Domini viro significarent, loquens in hæc verba : « Rumor, dilectissimi mihi, nostras occupavit aures, virum hunc venerabilem qui vicinum incolit eremum Domini esse familiarissimum, et ejus ori divinum patere aditum; unde peto ut ad eum cum summa celeritate properetis, meique desiderium animi patefaciatis, et, ut ei satisfaciat, instantia precum vestrarum obtineatis. Magnopere enim, si voluntati effectus detur, exopto ut vultus ejus perfrui merear præsentia, et animam meam divinæ cupio commendabilem reddere clementiæ per ipsius interventionem. Quod si precibus meis annuerit omnia fisci illius, in cujus

parte resident, prædia ei attribuam, ut facultatem habeat quidquid de his voluerit agendi. »

At ministri nequaquam segniores dominæ suæ jussionis exsecutores ocius ad venerandum Christi famulum, voluntatem dominæ suæ aperturi, pervenerunt. Ipse autem parumper deliberans, tacite secum volvebat in hunc modum cogitationem. Unde, inquit, talia reginæ, ut tantopere me videre exoptet diutinis chamæleontis coloribus incultum [a], jejuniorum squalore horridum, rurali exercitio nihil aliud quam rusticum, pannorum vilitate deformem, prudentiæ tenuitate degenerem? Novi certe, novi virulentam veterni hostis calliditatem, qua in paradisi amœnitate per femineam imbecillitatem fregit viri vigorem. Ideoque æquum est mihi cavere muliebrem aspectum, ne capiar ego laqueis inimici, incolens squalida eremi loca, si irretitus est suasionibus ejus ille qui paradiso fruebatur cum vitæ jucunditate etiam collocutione divina. Itaque deliberationi cito finem imponens, nuntiis reginæ ita refert : « Ite, inquit, optimi juvenum, et dominæ vestræ hæc mea verba referte. Si quid prævaleo, pro ea exorabo; certum tamen habeat, quandiu in corpore fuero, faciem me mulieris nequaquam visurum, neque hoc cœnobium quod, Domino præcipiente, construxi, ingressui mulieris nunquam patebit. Neque enim decet nos, qui de Christi censemur familia, vendere nostrum mulieribus aspectum, aut pro capessenda terra inimico generis humani nostram prostituere animam. Ideoque animum suum ab hac intentione submoveat, et fisci sui partem cui libuerit attribuat. Quæ consuetudo in eodem monasterio, Deo favente, hactenus manet inconvulsa.

Præpropere autem ad dominam reversi famuli, responsa sibi tradita retexunt, reginamque tristitia magna afficiunt. Nec tamen illa ultra rogare apposuit, ut faciem viri Dei cerneret, eo quod et sanctum virum inquietare pertimesceret, et per rationem satisfactum sibi judicasset. Ipse vero devotus Dei famulus adeo a cunctis judicabatur reverendus, ut operum suorum clarescentibus meritis, nullus ejus voluntati conaretur reluctari. Cernebatur namque vultus ejus angelico veluti nitens aspectu; et, secundum Scripturam, vultus indicabat mentem. Aderat illi morum temperantia æqua lance trutinata; circa exercitia dominici cultus animus devotissimus amorque inexhaustus; jam vero verba, quæ diceret, sale sapientiæ condita cerneres divinæ, omnibusque communicare sui fragrantiam odoris. Hæc omnia super fundamentum fidei Christianæ in corde suo collocaverat, Christum adhibens structuræ suæ perpetuum fundamentum, qui est vera petra, super quem omnis structura stabilita crescit in templum sancto in Domino.

Erat ei interea circa peregrinos et exsules magnus dilectionis favor, ita ut non secus quam sibi hærentibus alimoniam subministraret, tegumentaque præberet. Hujus pede cœlestis desiderii compressus succubuit amor mundi, hunc tremuit hostis antiqui pene invincibilis astutia, decipulasque suarum sero gemuit transilitas nugarum : quia, scilicet, agonis certamen non propriæ virtuti aliquid tribuens assumpsit, sed Christi fultus auxilio, et instructus exemplo, contra hostes ejus ipso duce militavit. Roborabatur namque in eo naturalis infirmitas carnis ardore intimo charitatis, imbecillitatemque corporearum virium solabatur copia spiritalium charismatum, simulque illud apostolicum hortamentum, quia *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*; itemque : *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. Hæc atque alia sacræ Scripturæ documenta, tanquam sal spiritale, fluxa mundi gaudia atque sæculi pituitas ab eo exsiccabant, et ad semper mansura cor illius ignibant. Hæc illius exercitatio, hæc continuata contra diabolum exstitit decertatio, donec tandem optata quiete post laboris excursum a Domino ei frui concessum est, et operis sui recompensata remuneratio.

Dum igitur beatus Carilefus multis modis agoni insudaret [b], et pene infatigabili intentione sese avidus præliator hosti protervo ad singulare quotidie certamen objiceret, agminibusque monasticis undequaque ad se confluentibus æmulamina suarum virtutum invictissima relinqueret, finis inevitabilis cunctis mortalibus ostium corpusculi ejus cœpit pulsare, ut anima Deo dilecta diutissimis revincta catenis carceralibus, tandem libera servitutis rumperet vincula, et regi suo occurreret in gaudium ejus suscipienda. Acri igitur febre corpore prærepto, medullæ ejus igne gemino perurebantur, et sanguinis unda per membra singula siccabatur; spiritus tamen, carnis infirmante vigore fortior reddebatur, et ad Domini faciem deprecandam, quo celerrime soluto carnis vinculo liberaretur, magis ac magis accendebatur, cupiens, secundum Apostolum, *dissolvi, et cum Christo esse*. Divinitas autem fautrix bonarum precum et rationabilium susceptrix vocum, ipsius preces benigne ad se admisit, et quod anxie petebat pie implevit. Denique resolutione jam vicina, cohortibus monachorum circum se astantibus, et quæ ventura erat ei præstolantibus, paulo post futuram suam eis prædixit resolutionem, et, prout possibilitas permisit, ut sui memores essent, his verbis admonuit : « Filioli, adest mei finis irrevocabilis hora, ideoque peto ut, vestri memores, memores quoque Christi, fidem rectam ipsi servetis, neque ulla commistione adulterina eam commaculetis. Obedientiam item charitati connexam vestro in corde et opere tanquam singulare Christi imitamen constituatis, ut non tantummodo pœnas possitis evadere gehennales, sed etiam, Domino tribuente, percipere mereamini, veluti devotissimi milites, coronas triumphales. » His et his similibus documentis, tanquam ultimum vale fratribus dixit, et cœlicum cœlo collocandum reddidit spiritum.

Jam vero eo migrante, quæ lingua explicet, quisve stylus percurrat, qui fuerit circumstantium dolor, qui pectoris anxii singultus, et crebris pulsati pulmonum suspiriis? Qualiter loqui volentibus, atque orare nitentibus, media interrumpens verba, loculo-

[a] Al., *diutius sudoribus incultum*.

[b] Al., *his atque hujusmodi agonibus insudaret*.

nem interdixerit doloris magnitudo? Etsi enim gaudebant se ad cœlos tantum præmittere patronum, nequaquam tamen ab eo sine dolore poterant divelli, cujus verbis consueverant adhortari, et imitamine in Domini amorem subinde augmentari. Corpori autem funebria impendentes obsequia, cum magna diligentia loculum præparaverunt, et in basilica, quam ante obitum suum ipse ædificavit, terræ mandaverunt. Quem locum Dominus Jesus Christus sæpissime, ad demonstrandum quem circa famulum suum habuerit favorem, mirandorum operum ostensionibus consue- A vit nobilitare. Neque enim vel ejus operis sinit brevitas, vel stylo sufficit facultas, enarrandi quot cæci post illius excessum ad illius sepulcrum receperint visum, vel debiles sanitati sint redditi, sed et dæmones ex obsessis corporibus propulsi, nec non plurima sint mortalibus per intercessionem ejus a Domino collata beneficia. Sepultus itaque est totius boni speculum, Kalendis Julii, terra plorante, cœlo lætante, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et gloriatur Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SANCTI CARILEFI,

SACERDOTIS ET MONACHI,

EXEMPLAR TRADITIONIS, VEL TESTAMENTI.

(Mabillon., *Vet. Anal.*)

Sequitur exemplar traditionis vel testamenti, quod fecit sanctus Karileffus, suadente atque hortante sancto Innocente, de monasterio Anisolæ sanctæ Cenomannicæ matri ecclesiæ, tempore et permissu Hildeberti regis et Vuldrogodæ reginæ ejus. Quod idcirco hic inserere placuit, ut si, quod absit, aliqua negligentia ipsum authenticum perditum aut concrematum fuerit, hic reperiatur ejus exemplar insertum, per quod sciatur qualiter hoc actum fuerit, sicut in eo habetur insertum.

Dum fragilitas humani generis pertimescit, ultimum vitæ temporis subitanea transpositione ventura, oportet ut non inveniat unumquemque hominem imparatum, ne sine aliquo boni operis respectum migret de sæculo. Igitur ego in Dei nomine Carileffus, indignus sacerdos atque monachus, pertractavi de Domini misericordia pro remedium animæ meæ et remissionem peccatorum meorum, ut æternam mercedem in futurum apud Dominum consequi merear, ut aliqua cellula ac monasteriolum ædificare, adjuvante Domino, cœperam, ubicumque locum aptum invenirem. Dum hæc cogitans et mente revolvens, ubi hoc facere poteram, quærendo loca ire cœperam, Domino ducente, perveni in pago Cenomannico, in condita Lavarcininse, in loco quodam qui ab antiquis dicebatur Casa-Gayani, supra fluvium Anisolam, quod secundum nomen ipsius fluminis nuncupatur Anisola, ubi domnus Turibius, ejusdem parrochiæ pontifex, dudum in rebus senioris et matris civitatis Ecclesiæ, cui præsidebat, ecclesiam in honore sancti Petri principis apostolorum fecerat, quæ tamen destructa propter imminentes necessitates fuerat; sed adhuc de ipsis maceriis aliqua pars ipsi erat. Ibique ego Carileffus quærendo loca, ubi auxiliante Domino aliquam cellulam facere ad animas lucrandas atque salvandas remotiori loco potuissem, adveniens, inveni quamdam partem antiquarum maceriarum, ubi et quoddam tugurium faciens in circuitu ejus, prout melius potui, stirpare cœpi. Hæc autem agens, et in eo desudans, quadam die Childebertus rex, suam exercens venationem, usque ad nos pervenit; et hæc videns, quamvis ei primo displicuisset, postea vero, instigante Domino, cum sua uxore et suis consiliariis cepit concilium ut mihi ad hoc perficiendum aliquod faceret ex rebus fisci sui adjutorium. Quod et fecit, atque concessit, ut quantum in una die circuire cum asello meo valerem, totum mihi dedit. In his autem laboriosius atque delectabilius postea laborare et stirpare, vineasque plantare cœpi, ab aliis etiam nobilibus et francis personis ex rebus eorum ditatus sum. Dum hoc agens et ecclesiam B facere cœpi, quodam die domnus Innocens, ipsius parochiæ pontifex, ad me veniens, me valde increpavit, quare hoc absque ejus consilio vel permissu facere auderem, sive in rebus in quibus antecessores sui olim ecclesiam sub eorum jure et dominatione fecerunt talia facerem. Qui et me mox recognoscens, erga illum me humiliavi, et quod antea infra me cogitabam illi patefeci idem, quod et me, et animolas quas ibi lucrare Domino cupiebam, sive res et omnia quæ mihi ex qualibet parte datum vel traditum fuerat, sive futuris temporibus adquirere meruissem, ecclesiæ civitatis senioris, et ipsi prædicto pontifici domno Innocenti tradere cupiebam, sub cujus mundiburde vel defensione tam ego, quam et ipsæ res sive homines ibidem degentes, futuris temporibus esse meruissemus. Cujus manibus me cum aliquibus Monachis qui mecum erant libenter tradidi, et omnes res quas adquirere potui sive quas in futuro adquirere potuissem, perpetualiter per hæc C strumenta cartarum ad possidendum ei, vel suis successoribus, per licentiam et permissum, sive concessum, domni Childeberti, benefactoris mei regis, una cum suo misso nomine Wilirico comite legaliter tradidi atque confirmavi. A prædicto enim domno Innocente episcopo de rebus ecclesiæ suæ idem sanctæ Mariæ et sancti Gervasii et Protasii valde ditatus sum ad ipsum monasteriolum perficiendum, ipsiusque pontificiis adjutoriis fultus, cellulam ibi ædificare merui. Quam, ut dictum est, ipsi vel ecclesiæ suæ sedis perpetualiter ad possidendum, jubente et hortante prædicto domno Childeberto rege, contradidimus atque confirmavimus; eo videlicet modo, ut futuris temporibus monachi ibi semper regulariter viventes sub potestate pontificis permaneant; et hoc illis coram Deo committentes, ut ita fiat humiliter supplicamus, ea scilicet ratione atque prætexto, ut rem datam pontificis, simulque ecclesiasticorum omnium pontificalium, seu publicorum omnium potestate privandas, nullas functiones D nes vel exactiones, neque exquisita et lauta convivia, neque gratiora, vel insidiosa munuscula, neque etiam caballorum partus, aut paravereda, vel angaria, aut quodcumque functionis titulum judiciaria potestate dici potest, de præscripta facultate penitus non requiratur, sed sub integra emunitate facultaticula, sicut a nobis hucusque possessa est, in jure oratorio sancti Petri et sancti Martini, et prædictorum sanctorum apostolorum, sub jure et potestate ac dominatione sanctæ Mariæ matris Domini nostri Jesu Christi, vel sanctorum Martyrum Gervasii et Protasii, et eorum rectoribus atque pontificibus debeat, Deo protegente et opitulante, eo nomine in-

sistere. Licet in cessionibus pœnam adnecti non sit necesse, sed nobis pro omni firmitate placuit inserendum. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, si nos ipsi, quod absit, aut aliquis de heredibus aut proheredibus nostris, seu quælibet persona calliditate commotus aut cupiditate præventus, ullo umquam tempore comprehensam epistolam cessionis nostræ, quam propter nomen Domini et venerationem ipsius sancti loci spontanea voluntate fieri decrevimus, venire aut aliquid agere voluerit, aut tergiversator exstiterit, anathema sit; et cum suprascriptis sanctis ante tribunal Christi deducat rationes; insuper inferat juxta pœna [a] sæculi, cum cogente fisco, partibus ipsius ecclesiæ vel eorum rectoribus auri lib. D, argentum pondera mille solvere faciat, et quod repetit nullatenus valeat vindicare, sed præsens cessio atque voluntas nostra omni tempore inviolata permaneat cum stipulatione subnixa. Et ut hæc cessio firmior habeatur et inviolabiliter conservetur, manu nostra subterfirmavimus, et aliorum bonorum virorum decrevimus roborari. Actum monasteriolum Anisola. Data VIII Id. Januarii, anno XIIII regnante Childeberto rege. Ego Karileffus indignus monachus hanc donationem a me factam subscripsi, et affirmare rogavi. In Dei nomine Turonicæ urbis episcopus, peccator, deprecante misso Karileffo monacho subscripsi. In Christi nomine Landolenus episcopus subs. Ego Magnolenus, acsi peccator episcopus, subs. Winimundus, licet indignus episcopus, subs. Oldomarus, quamvis indignus episcopus, subs. Abbo, misericordia Christi episcopus, subs. Rotfredus indignus subs. In nomine Domini Hildemannus, indignus episcopus, subs. Signum Gundoino comite. Signum Hostremundo comite. Signum Gundeleno comite. Signum Wilirico comite. Signum Wintemaro comite. In Christi nomine Bernehardus, indignus episcopus, subs. Ego Landolenus abbas subs. Signum Aldauvino vicecomite. Signum Octrumum. Signum Hildericum. Signum Richardo. Signum Emmonem. Heriardus subs. Signum Inghilgatio. Signum Wistremaro. Signum Bernericho. Ego Winitmundus scripsi et subs.

[a] Forte leg., *justas pœnas*.

SANCTI CARILEFI

SACERDOTIS ET MONACHI

DE EXEMPLARI PRÆCARIÆ

A SANCTO INNOCENTE EPISCOPO SIBI FACTÆ.

(Mabill., *loc. cit.*)

Sequitur exemplar precariæ sancti Innocentis episcopi, quam fecit sancto Karileffo abbati de monasterio Anisolæ; cujus exemplar idcirco hic inseruimus, ut si, quod absit, casualiquo eadem precaria perdita fuerit, exemplar ejus hic insertum reperiatur, per quod recuperatio fiat, et sciatur qualiter actum fuerit.

Domno sancto ac venerabile sede apostolico Innocente, Cenomannicæ ecclesiæ præsule, una cum sancta congregatione ex ipsa urbe consistente, ego in Dei nomine Karileffus indignus sacerdos, atque monachus, precator a vobis accedo. Dum et mea fuit petitio, et vestra decrevit voluntas, ut illud monasteriolum quod est constructum in honore sancti Petri et sancti Martini, et est situm in territurium sanctæ Mariæ Dei genitricis, vel sanctorum martyrum Gervasii et Protasii matris et Cenomannis civitatis senioris ecclesiæ, in pago Cenomannico, in loco quodam, qui ab antiquis dicebatur Casa-Gayani super fluvium Anisolæ, quod secundum nomen ipsius fluminis nuncupatur Anisola, ubi domnus Turibius, ejusdem parochiæ pontifex, dudum in rebus senioris et matris ecclesiæ civitatis, cui præsidebat, ecclesiam in honore sancti Petri principis apostolorum fecerat, quæ tamen destructa propter imminentes vastationes fuerat, sed adhuc de ipsis maceriis aliqua pars ibi erat, quam ego jam dictus in vestram terram cum vestra licentia et adjutorium ex vestris rebus et aliorum bonorum virorum meo opere ædificavi; per vestrum beneficium, sub usufructuario ordine temporum vitæ meæ, cum omnes res ad se pertinentes, vel aspicientes mihi tenere permisistis, et censum annis singulis ad matrem civitatis ecclesiam persolvere ejus pontificibus atque rectoribus, id est, ad lumen ecclesiæ de cera lib. IIII, et ad opus episcopi cambutta I, et subtalares II, et ad opus canonicorum inibi Deo degentium butticulas duas paratas, plenas de optimo vino, et in Cœna Domini plenum modium de ovis; et si negligens aut tardus de ipso censu apparuero, fidem exinde faciam, et ipsum monasteriolum tempore vitæ meæ non perdam; et alicubi nec vendere, nec donare, nec alienare pontificium non habeam, nisi sub jure et potestate ac dominatione sanctæ Mariæ, et sanctorum martyrum Gervasii et Protasii, vel eorum pontificibus atque rectoribus permaneat. Et post meum quoque, Deo jubente, de hac luce discessum, absque ullius judicis consignatione, aut heredum nostrorum contradictione, jam dictum monasteriolum cum omni integritate, et res ad se pertinentes vel aspicientes, vos aut rectores successores vestri in vestram faciatis revocare potestatem vel dominationem. Et ut precariæ uno tenore conscriptæ, una quæ in thesauro civitatis ecclesiæ recondita sit, et alia quam ego Karileffus a vobis accepero, firmiorem obtineant vigorem, manus nostras proprias subterfirmavimus, et bonorum virorum decrevimus roborare. Actum Canomannica civitate publice. Data XV Kal. Februarii, anno XIIII regnante Childeberto rege. Ego Innocens, acsi indignus episcopus, hanc precariam a me factam subs. Hildemandus indignus abbas subs. Rotfredus archipresbyter subs. Helenus presbyter subs. Harigaudus diaconus subs. Odilo presbyter subs. Bernericus diaconus subs. Godiscalcus abbas subs. Atto diaconus subs. Winctmundus levita subs. Ostremundus presbyter subs. Ebrenus subdiaconus subs. Winegaudus diaconus subs. Berto presbyter subs. Signum Harigaudo advocato. Signum Bernardo vicecomiti. Signum Wintemari. Signum Jonam. Signum Turpingo. Signum Ostrevino. Signum Haganunc. Albuinus subs. Serulus presbyter subs. Godalmandus levita subs. Ego Leodevaldus notarius hanc præcipiente Innocente episcopo scripsi et subs.

FINIS.

INDICES IN VITAS PATRUM.

Revocatur lector ad numeros crassiori charactere in textu expressos.

INDEX SACRÆ SCRIPTURÆ.

INDEX RERUM.

D

E

F

G

K

L

N

O

Q

U

V

U

V

INDEX NOMINUM PROPRIORUM

VIRORUM AC MULIERUM.

B

C

D

E

N

O

P

INDEX CHOROGRAPHICUS IN VITAS PATRUM.

INDEX CONCIONATORIUS IN VITAS PATRUM.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

DOMINICA I POST EPIPHANIAM.

DOMINICA II QUADRAGESIMÆ.

DOMINICA III QUADRAGESIMÆ.

DOMINICA IV QUADRAGESIMÆ.

DOMINICA DE PASSIONE.

DOMINICA PALMARUM.

DOMINICA PASCHÆ.

DOMINICA IN ALBIS.

DOMINICA II POST PASCHA.

DOMINICA III POST PASCHA.

DOMINICA IV POST PASCHA.

DOMINICA V POST PASCHA.

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

DOMINICA PENTECOSTES.

DOMINICA I POST PENTECOSTEN.

DOMINICA II POST PENTECOSTEN.

DOMINICA III POST PENTECOSTEN.

DOMINICA IV POST PENTECOSTEN.

DOMINICA V POST PENTECOSTEN.

DOMINICA VI POST PENTECOSTEN.

DOMINICA VII POST PENTECOSTEN.

DOMINICA VIII POST PENTECOSTEN.

DOMINICA IX POST PENTECOSTEN.

DOMINICA X POST PENTECOSTEN.

DOMINICA XI POST PENTECOSTEN.

DOMINICA XII POST PENTECOSTEN.

DOMINICA XVII POST PENTECOSTEN.

DOMINICA XVIII POST PENTECOSTEN.

DOMINICA XIX POST PENTECOSTEN.

DOMINICA XX POST PENTECOSTEN.

DOMINICA XXI POST PENTECOSTEN.

INDEX IN PROLEGOMENA,

PRÆLUDIA, NOTATIONES.

Plura alia hic non notata, invenies in Onomastico.

I

J

N

O

P

INDEX AUCTORUM CITATORUM

IN PROLEGOMENIS, PRÆLUDIIS ET NOTATIONIBUS.

PLURES ALII OCCURRUNT IN ONOMASTICO.

Numerus Romanus designat Prolegomena.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

VITÆ PATRUM.

APPENDIX AD VITAS PATRUM.

ADDENDA AD QUOSDAM LXXIV PRIORUM PATROLOGIÆ TOMOS.

FINIS TOMI SEPTUAGESIMI QUARTI.

20

25